Universidad de Deusto
Biblioteca

Titelman
In psalmos

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 2
Plúteo 6

29,5

Universidad de Deusto
Biblioteca

ELVCIDATIO IN OMNES PSALMOS IVXTA VERITATEM VVLGATÆ ET ECCLESIÆ vſitatæ editionis Latinę, Quæ & ipſa integra illibataque ex aduerſo opponitur: Pſalmis ſingulis ſingula argumenta ante ſe monſtrantibus, totam Pſalmi virtutem atque materiam quaſi per modum epitomæ ſummatim complectentia: poſt Elucidationem verò adiunctis prolixioribus Annotationibus, quæ Commentariorum locum habent.

Adiuncta eſt Elucidatio Canticorum, quæ Eccleſiaſticus vſus appellat, Ferialia.

Subſequuntur Annotationes ex Hebræo atque Chaldæo, in quibus quicquid ex veritate Hebraica occurrit difficultatis, tractatur & exponitur per Fratrem Franciſcum Titelmannum Haſſellenſem, ordinis Fratrum Minorum, ſanctarum ſcripturarum apud Louanienſes Prælectorem.

Ex bibliotheca Collegii Lovaniensis



ANTVERPIÆ,
Apud Philippum Nutium, ſub Ciconijs.
Anno. M. D. LXXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca



SOCIETATIS IESV * BIBLIOTHECA COLLEGII LEODIENSIS

PSALMVS NVNCVPATORIVS BEATO PATRI LVMINVM, A quo omnis est sapientia & intelligentia, quem cecinit illi seruus operarius, die quo finiebat laborem operis huius, & coram Domino offerens, ait.

BIBLIOTECA

LAudabili Domino nunc, ô anima mea, profer de corde cãticum: si quid habes laudis aut carminis, vel in intimis absconditum, age, ne moréris, prodeat quantocius in gloriam beati patris luminum.

Dilatare modo cor meum, & de plenitudine tua buccas implens, disrumpe labiorum silentia: festina manus, celeriter arripe tibi chartam & calamum, & describe illi gratiarum actionis canticum.

Opus enim laboris grandis iam ad finem optatum perduxit benignus fauor eius, opus quod dedit inchoare dedit tandem & perficere.

Sine eo non potest iaci fundamentum operis vel minimi, quanto minus operi amplo dari possit bona consummatio?

Tibi ergo, Domine Deus pater vnctionis sanctæ, acceptum referimus quicquid est nostro ministerio laboratum in opere isto, fundamentum & consummationem, initium & finem tibi ascribimus, tuæ nuncupamus magnificentiæ.

Puer paruulus Bethleemites erat pascens in agris gregem patris Isai, post fœtantes ibat, pedum tenens in manu sua, ductor innocentis gregis paucularum ouium.

Citharam è domo paterna egrediens puer ille decorus & rubicundus secũ deferebat in loca pascuæ: gregibusque perductis ad pascua, apprehendebat illam, & exercitabat se in ea.

Ouiculæ carpebant virentem herbam, & pastor dictabat Diuina cantica: illæ balabant, & hic canebat Deo psalmos in dulcedine citharæ.

Errabant illæ per pascua, & iste volitabat in cælos: sedens in graminibus adolescentulus iste, qui portabat iugum domini, leuabat se supra se, & contemplabatur grandia.

Hunc ipsum tibi placuit altissime Deus, subleuare in regnum tuum, de gregibus ouium tulisti eum, & de post fœtantes assumpsisti eum.

Pascere Iacob seruum tuum, & Israël hæreditatem tuam: vt eos pasceret in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduceret.

Pedum commutasti sceptro, & pastoralem peram ense regio: habitum rusticum regio mutasti schemate.

Citharam tamen suam non poterat obliuisci, etiam sublimatus in regnum: cum enim de pascuis euocaretur, ad solium, memor fuit dulcis citharæ, & secum eam detulit in aulam regiam.

Non in fastum, illum extulit honoris dignitas, vt proijceret suauem citharam: quin & firmatus in regno, veste indutus linea, ante arcam ingrediens, percutiebat illam in oculis omnium, coram Domino.

Quoties à prælijs Domini ad requiem rediens, ensem poneret de latere: discinctus statim arripiebat citharam in manibus, & canebat cantica domino.

Quid enim? spiritus tuus bonus adimpleuerat illum: vt esset tibi psaltes egregius, & vates eximius, præ omnibus qui antecesserant illum.

In pascuis adolescentulum paruulum & contemptum cœpit erudire spiritus tuus: & nec in regni fastigijs oblitus est veterem discipulum.

Eius perlustratus subtili radio, videbat cælos tuos opera digitorum tuorum: solem, lunam, & stellas quæ tu fundasti.

Corpore agebat in pascuis, aut in desertis errabat, aut quietus residebat in domo quam tandem ædificasti ei, spiritu verò perlustrabat cælos, & quæ longe super cælos sunt miro conspiciebat acumine, in omnibus tibi quærens gloriam.

Incerta quoque & occulta sapientiæ tuæ manifesta fecisti ei: reuelasti illi mentis oculos, & considerabat mirabilia, quæ nunquam hominis viderat oculus vel auris audijt.

In mysteria abscondita eorum quę multo post erant exhibenda in plenitudine temporis, penetrabat tuo perlustratus radio: spiritus enim tuus omnia scrutatur, etiam profundissima tua.

Consilia tua omnia quę decreuisti ab æterno super redemptione generis nostri, non celabas illum: singulari priuilegio erudisti illum tua vnctione de omnibus.

Non illum latebat fœlicissima nobis humanatio coæterni verbi tui: neque conceptus eius admirabilis de intacta virgine velatus erat ante illum.

Sic neque iucunda in pace natiuitas, non obſoluta conuerſatio, non doctrina perfectiſsima: non paupertas, egeſtas, & labores plurimi.

Non inimicorũ contradictiones & odia grauiſsima: non paſsionis calix amarus non turpiſsimæ mortis conſummatio.

Non ſepultura honorifica, non patrum diu deſiderata viſitatio: non præpotens à morte reſurrectio, non in cælos cum iubilo & voce tubæ glorioſa aſcenſio.

Non ſeſsio ad patris dexteram, non inimicorum fœda confuſio: non authoritatis p'enitudo, non poteſtas facere iudicium.

Non ſpiritus à patre demiſsio in corda ſimplicium: non quæ per hos ille erat operaturus ſtupenda mirabilia.

Non Euangelij ſancti in omnem terram diſſeminatio: non conuerſio gentium, non Eccleſiæ nouæ ædificium, non Iudæorum grauis vltio & veteris ſynagogæ obliuio.

Non perſequutiones ſuſcitandæ fidelibus: non iræ dæmonum, non principum terrores & argumẽta vana prudentium.

Non hæreſum adinuentiones, cum plurimorum ſeductionibus: non electorum ex munere ſuperno præſeruatio à cunctis periculis.

Non ſeculi vltima conſummatio, non tremendum illud examen nouiſsimum: neque quæ tunc erunt largienda pro operibus optima vel peſsima, vitæ mortiſque præmia.

Horum omnium nihil illum paſſus eſt ignorare ſacer ſpiritus tuus: theſauros tuos omnes demõſtraſti ei, nec quicquam celaſti illum ex omnibus arcanis conſiliorum tuorum.

Omnia iſta nondum exhibita ille cernẽs eminus, in canticis Pſalmorum deſcripſit ea: à leuitis & cantoribus aſsiduè cantari iubebat illa, in modulatione vocis & inſtrumentis muſicis.

Veruntamen ſub inuoluero ſermonum & obſcuritate verborum velata erant omnia: nondum enim tempus aduenerat, quo in mundum proferri debebant illa Dei occulta conſilia.

Non valebant neque ſapientes intellectu comprehendere quæ cecinerat ille: myſteriorum ignorantia & ſermonis obſcuritas foras pepulerunt legentes atque canentes ab intelligentia.

Ita quidem clauſus erat liber, firmata erant libri ſignacula: donec veniret quę ſeipſam patefaceret veritas, & adimpleret quæ ille cecinerat omnia.

Expectabatur enim agnus ille occidendus, qui faceret victoriam: qui clauſum aperiret librum, & ſolueret ſignacla eius.

Clauem Dauid ipſe habet, veniensque in noſtra eam detulit ſecum adimplendo in ſe omnia quę ille prophetante ſpiritu deſcripſerat, manifeſtam fecit intelligentiam.

Quomodo clauſtra fortia aperiri nequeunt, niſi clauis ſeris propria: ſic non poterat abſque claue iſta in huius libri quicquam penetrare intelligentiam.

Qui clauem iſtam vel ignorant vel abijciunt, manifeſte vanos ſe comprobant: ſi libri huius clauſtra reſerare tentauerint.

Abſque claue iſta, benigniſsime pater luminum: nunquam fuiſſet nobis auſus attingendi librũ iſtum, vel digito minimo.

Niſi ſuperbenedictus IESVS tuus filius, noſter Dominus, in ſeipſo adimplens manifeſtata feciſſet nobis omnia: nos hebetes ingenio, intellectu rudes, vecordes ſpiritu, quomodo tanta caperemus myſteria?

In huius autem clauis fiducia tentare auſus ſum ego puer tuus enarrationem verborum iſtorum fortium: charitas tua, Deus, iniecit onus, fides dedit auſum ſpes cauit ne deficerem.

Bethleemites illius pueri & Iſraëlitici regis carmina videbam etiamnum in ore verſari omnium: peculiariter qui tibi ſegregati ſunt, quos cleri comprehendit titulus, ſtatutis horis ea tibi recitant.

Canuntur in templis, leguntur in cubilibus oblectantur in eis corda diligẽtium beatum & inclytum nomen tuum, quod illa replicant millies & millies.

Magna omnino conſolatio & inſtructio plurima miniſtratur in Eccleſia fidelibus, ex canticis iſtis: ad menſam opiparam, omnigenis inſtructam ferculis & plenam delitijs, accedit, quiſquis in Pſalmos introierit.

In agendis inſtruimur, in fugiendis præmonemur: ad agenda bona incitamur, deterremur à noxijs.

In aduerſis abundantem inuenimus conſolationem, in proſperis ſalutarem timorem: in affiictionibus docemur patientiam, in exultatione modeſtiam.

Firmatur in eis fides, ſpes roboratur, & exardeſcit charitas, cor noſtrum & caro noſtra rapiuntur in te, ô bonum optimum & lumen beatiſsimum.

Attamen ſermonum obſcuritas & inuoluera verborum, ſimplicioribus magnũ exhibent negotium ab his deterriti, quibus eſt captus tenuis, deſperantes abſcedunt vacui, aut faſtidioſi dimittuntur inanes.

In hoc, Deus piiſsime, propoſitum fuit conatus noſtri: impedimentum iſtud vt auferremus pro ſubminiſtratis nobis à te viribus.

Vt fugaretur obſcuritas, & verborum claritate pateret expoſita ſententiarum veritas: vt facile cuiuis ingenio pia attentio donaret intelligentiam.

Non eſt virtutis meæ, creare in teſta nucleum: attamen quem tu ibi recondidiſti, poſſum ego teſta confracta

confracta educere, eductum mundare à cortice, mundatum proponere amiculis, vt manducent abſque moleſtia.

Faciet labor iſte meus, vt laborem illi non ſentiant: oblectationem magis accipient ex ſuauitate nucleĩ, quem illis propinauero.

Ita, Deus magne, ſenſus ſublimes de meo ſenſu non iactat ſe collocaſſe paruitas mea in opere iſto: ſed quæ recondidit in Pſaltis tuis verbis ſpiritus tuus, tentaui de abſconditis eruere.

Laborem ego ſuſcepi prolixum, multum & magnum, in humeris meis: vt laborem auferrem ijs qui cùm intelligentia tibi optant pſallere,

Tædium multum intriui ego in lancem meam, & ad fundum vſque exhauſi vniuerſum, quod intrigueram: vt moleſta faſtidia auferrem deſiderantibus intelligenter tibi pſallere.

Pro viribus quas mihi ſubminiſtrauit benignitas tua, conatum adhibui ſuperare difficultatem omnem: obſcura elucidare, contracta dilatare, inuoluta explicare, implere hiantia.

Memento mei Deus meus, pro omni labore iſto in bonum: laborantem agricolam, fac primum de fructibus edere.

Gratiam tuam ſanctam, quam tantopere ſemper commendaui in opere iſto, non deneges mihi: peccata mea multa & magna, deleat plurima & maxima miſericordia tua.

Fidem rectam, quam in perpetuam veritatis proteſtationem deſcripſi in libro iſto: nullis vnquam rationibus aut ſuaſionibus patere auferri mihi, aut imminui certitudine.

Ab itineribus prauis prohibe ſemper pedes meos, in omne malum alioqui faciles: cor mundũ & ſpiritum rectum innoua mihi in viſceribus meis.

Prohibe, pater meus, ne cum alios ad pſallendum ſapienter inuitauero, ipſe pſallam in inſipientia: ne cum alijs prædicauero, ipſe apud te inueniar reprobus.

Sit mihi hæc pro labore, quem tuo conſecro nomini, remuneratio ſancta: portio mea & merces magna nimis eſto mihi, in terra beata viuentium.

Omnibus item qui in deſiderio bono noſtris perfrui volent laboribus, adſit benignus fauor tuus, da inuenire illis, vnde proficiant animæ quærentium te, domine.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc,
& ſemper, & in ſecula
ſeculorum,
Amen.

DEO LAVS ET GLORIA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CLEMENTISSIMO ET CHRISTIANISSIMO IMPERATORI CAROLO, eius nominis quinto, Hispaniarum Regi, &c. Frater Franciscus Titelmannus Hasselensis, ordinis Fratrum minorum, Gratiam & pacem, & contra hostes Ecclesiæ, plenam de cælo victoriam.

INtet tam innumera seculi mala, Christianissime Cæsar, quibus refrigescente charitate & abundante malitia, mundus indies magis ac magis adimpletur inter tantos tamque diuturnos tumultus, quibus ab annis aliquot grauius indies & immedicabilius nequissimum hoc nostrum seculum non desint perturbari. Christiano homini cordis sui pacem tenere cupienti nihil arbitror esse vtilius frequenti lectione, & assidua meditatione verborũ Dei: quæ sola hominis animum aduersus quoslibet tentationũ impulsus, cõtra quoslibet tempestatũ ac procellarũ quamlibet graues incursus, possunt reddere securum, & in vere pacis soliditate stabilem conseruare. Peculiariter verò diuini illi hymni, quos rex & Propheta Dauid, sancti spiritus radio mirifice illustratus dictauit cecinitque Domino, ad eam rem videntur nescio quid latentis energiæ occultæque efficaciæ in sese continere. Præter enim quod legentium mentes, de omnibus Christiano homini necessarijs tam agẽdis quàm credendis, plenissime instituunt, hoc etiam probantur habere, vt legentium corda quàm efficacissime moueant, hinc quidem ad odium mali, illinc ad virtutis amorem: hinc ad terrenarũ rerũ & caducę vitę contemptum, illinc ad verorum & cęlestium bonorum sanctum desiderium: sicque ab infimis istis, in quibus velut sus in volutabro luti volutãtur filij huius seculi, affectus psallentium rapiant, & velut impetu quodam transuehant in cælestia. Mouit hæc multiplex vtilitas, patrum qui nostra præcesserunt secula non paucos, tam Græcos quàm Latinos, vt in psalmos ederent iustos commentarios: nonnulli in aliquot tantum selectiores, alij in vniuersos: quorum tantus est numerus, vt propter multitudinem vix liceat, propter fastidium non sit operæpretium eos nominatim recensere.
Nihilominus & mihi visum fuit omnium nouissimo, post præcedentium patrum labores, in hoc ipsum opus ingredi, & Ruth Moabitidis exemplo, metentium in agro isto dominico gressus insequendo, spicas quæ fortè metentium subterfugissent manus, aut etiam de industria ex patrisfamilias voluntate fuissent relictæ, colligere, vbicunque clementis in me patrisfamilias comperissem gratiam. Ruth.2.
Sic ego post maiorum egregios labores nulla vnquam veneratione satis honorandos, quæ mihi clementis Dei in hoc fœcundissimo agro laboranti donauit benignitas collegi in manipulos, singula coaptans, vt potui, quàm ordinatissime: non tam curam habens adferendi plurima, quàm pauca clarè lucideque sic explanandi, vt nemo non vel tenuis ingenij, facilè Psalmorum posset simplicem intelligentiam comprehendere. Tandem verò huius laboris finem ex Dei benigno fauore assequutus, dũ ipse mecum reputo, huius operis nuncupatio post immortalem Deum (cui primam deberi non dubium est) inter mortales cui potissimum debeatur, tuæ maiestatis celsitudo, Christianissime Imperator, dignissima mihi visa est, cuius patrocinio hi in Psalmos Dauidicos commẽtarij committantur, cuiusque augustissimo nomini dedicentur & consecrentur. Cui enim iustius hanc suauem Dauidis citharam, per nos ex Dei gratia, modo quodam vel innouatam vel adornatam: citharam Dauidis (inquam) Regis, cui iustius nuncupabimus? quàm Carolo regi, & tanto Regi? Imperatori, & Imperatori tali, vt cum illo non immeritò, siue in regni gloria, siue in cordis pietate, possit comparari? Prophetã hunc regium, vel potius Prophetam regem cui poterimus iustiori dedicare titulo, quàm Regi & Imperatori Christianissimo? Et (vt vno verbo dicam semel omnia) Dauidem cui poterimus dicare nisi Dauidi? Neque enim hoc nominis tibi præter veritatem asscribimus, qui Dauidis illius veteris, & pectus & mores, & vitam omnem ita nobis in teipso refers atque depingis, per gratiam Dei (qui te præuenit in benedictionibus dulcedinis, antequam coronam tibi imponeret de lapide pretioso) vt non immeritò Ecclesia vniuersa Dauidis tibi nomen possit attribuere, sibi nihilominus tali Dauide imperante debeat gaudere. Si enim illius erga cultum dei piam deuotionem, erga persequutores mãsuetudinem, contra hostes Dei & veritatis inimicos ardentem zelum, in aduersis imperturbabilem patientiam, in prosperis tranquillam modestiam, prudentiam, & diligentiam in rebus agendis, mali consummatum odium, perfectum virtutis amorem, denique quicquid in illo Dauide nobis describit sacra historia, ita tu nobis in temetipso exprimis, ita propinqua imitatione assectaris, vt videaris ad rapiendum tibi Dauidis nomen, magis quàm ad exprimendum in te Dauidis exemplum, contendere. Non hæc per adulationem dicimus, sed quod toti orbi iã ipse tu prior manifestum fecisti, ad gloriam Dei recitamus, cuius est ornatus omnis quem in te prædicamus, bonum omne quod in te veneramur. Vel ipsi tui inimici sunt iudices, quibus expugnandis, haud facile dixero, an iste quem gestas Imperialis gladius potẽtior, an probitas illa virtutis inueniatur efficacior. Alij forsitan partẽ asserent prio-

priorem, respicientes in ea quæ videntur foris. Ego sane, nec vt arbitror solus ẽgo, in alterius partis assensum, non vna sum ratione propensior. Et quoniã Dauidis ita in temetipso virtutes nobis quasi in exemplari viuo demonstras, confido in domino, qui tibi hanc dedit & conseruat voluntatem, victorias quoque illas gloriosissimas, quibus Dauidis nomen diuulgatum fuit in omnes nationes, suo tempore in te manifestandas, aduersum gentes incredulas & barbaras nationes. Nam de fidei domesticis quis ignorat, quantos iam triumphos, penè citra omne negotium, quasi pro te pugnante deo, retuleris? Quis ignorat, ab annis plus minus duodecim, quãtas difficultates à fidei domesticis tibi suscitatas, ad impediendum quæ de te magnificando, magnus deus decreuerat, tãdem gloriosus victor superaueris? vt quæ de te ille cogitauerat opere adimplerentur, & ad nouissimum vsque verbulum complerentur omnia: quemadmodum hodie magno totius populi Christiani gaudio factum cernimus, vt non immerito post toties deuicta hostium castra, eaque ferendo magis quàm furendo superata, in Deo propugnatore tuo sanctè iam possis eum Dauide glotiari, ac dicere, Dominus illumi- Psal.26.
natio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meę, à quo trepidabo? Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Ac deinde, In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Et quemadmodum Dauidi, post domestica superata mala, id est, post transactã illam nimis diuturnam & grauissimam Saulis consentientiumq; principum persequutionem, sua in regnum totius Israëlitici populi inunctio, euidens fuit testimonium earum victoriarum quas pòst erat de alienigenis accepturus (id quod statim ab vnctione, ascendentibus Philistæis sensibili miraculo fuit expertus) ita præteritorum malorum & impedimentorum euasio, quæ à fidei domesticis hactenus grauissima pertulisti, Dei potius voluntate quàm humanis viribus iam superata, certũ tibi ac nobis omnibus qui sub tuo sceptro viuimus, & sub alis tuis protegimur, debet esse argumentum multo maiorum & plurium victoriarum, quibus post susceptam sacri 2.Reg.5.
Imperij vnctionem, aduersus barbaras nationes & iuratissimos Christianæ fidei hostes, omnipotens Dei brachium in te olim speramus iri clarificatum. Loqui me ista citra omnem adulationem, nemo dubitabit, qui Dei nostri erga te miram prouidentiam, pio animo (vt est æquum) expenderit. Quis enim eas quæ tibi intra annos pauculos contingere victorias, tantas tamque inauditas, quas commemorare nominatim non est opus, humanis viribus possit citra pudorem mendacij asscribere? Arbitror nec ipsos quidem inimicos id velle, etiamsi possint, neque posse etiamsi velint conscientia reclamante, asserere. Cùm ergo Dei prouidentia hactenus erga domesticos tanta pro te ostenderit, vt te eueheret quò voluit, id est, vt ad Christiani augustissimi Imperij sacrum fastigium sublimaret: completo iam hoc suo proposito, an putamus illum quasi rebus omnibus peractis, quasi in tuto compositis negotijs, manum subducturum, iamque aduersum exteros fidei hostes tibi defuturum, cui erga Deut.32.
domesticos nunquam defuit? Nonne (vt Moyses sanctus ait) Dei perfecta sunt opera? Nunquid tanta præludia frustra præmisisse credamus illam prouidissimam sapientiam, quæ attingit à fine vsque Sap.8.
ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter? Iosue dixit Deus iam in ducẽ populi Israëlitici assumpto, Non dimittam neque derelinquam te: Confortare, & esto robustus. Et iterum, Ecce præcipio tibi, confortare & esto robustus. Noli metuere & noli timere, quoniam tecum est dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris. Quod illi dicitur veteris Synagogæ ducatum susceipienti, id tibi multo magis Christiani populi Imperatori dictum, ac suo tempore exhibendum non dubitamus. Ascendant proinde, ascendant Philistæi, ascendant incircuncisi isti idololatræ, effundantur quasi arena quæ est in littore maris, glorientur in fortitudine sua, & in multitudine exercitus habeant fiduciam, super equos & dromedarios ascendant, camelos onerent diuitijs, mercede conducãt perfugas, emant pretio proditores, instruant, terra marique prælia. Tu interim os domini interrogabis, atque in oratione tua consulens Dominum, audies loquentem in te pacem super te ac vniuersum populum tuum, pugnabitque pro te dominus Deus in quo habes fiduciam, & diuidet à te inimicos tuos, quomodo diuiduntur aquæ. Auxiliabitur tibi manus domini, & brachio eius confortaberis, vt nihil valeãt aduersum te proficere inimici, aut vel in minimo tibi nocere iniquitatis filij. Illud quoque quod in libris Regnorum & Paralipomenon de Rege Dauide sacra refert historia, quòd mox ab inun- 2.Reg.5.
ctione sua secunda ascenderit contra Iebusæos habitatores terræ, qui tenebant Iebus siue Hierusa- 1.Par.11.
lem, eosque viriliter expugnauerit, & abstulerit inde cæcos & claudos qui oderãt animam eius, quàm pulchrè nobis tu, Christianissime Imperator, cœpisti imitari, qui statim à susceptа Imperiali vnctione, ad terram illam conculcationis & volutationis (quæ est interpretatio nominis Iebus) id est, vbi sancta omnia conculcantur, vbi cælum terræ miscetur, vbi sursum atque deorsum volutantur omnia, vbi sacra prophanantur & prophana sancta reputantur: ad hanc, inquam, terram, & ad huius terræ inhabitatores Iebusæos, id est, conculcatores & volutatores istos, Italia relicta, descendisti, vt auferres inde cæcos & claudos habitatores terræ: qui intra Ecclesiam habitantes, dicunt se Christi esse & non sunt: dicunt se Euangelicos esse & non sunt, sed sunt synagoga satanæ & impietatis magistri: dicunt se videntes esse, & cæci sunt, veritatis lumen quod à Christo nobis per Apostolos & Ecclesiasticos patres illuxit abnegantes: dicunt se rectos habere gressus, & claudi sunt, deficientes à via recta, quam illos mater ipsorum docuit Ecclesia, impietatis & falsitatis itinera præeligentes, in quibus Apoc.2.
seducti seducunt errantes (vt sanctus Apostolus ait) & in errorem mittentes. Quos licet nondũ bel- 1.Tim.3.
li impetu abstuleris, malens benignitate) vt de Deo Paulus ait) inuitare peccatores ad pœnitentiam, Rom.2.
& per longanimitatem expectare ad veniam, quàm in subita ira condemnatos morti tradere (Nam Ezech.18. & 33.

& hoc à Deo didicisti, vt nolis mortem peccatorum, sed magis conuerti eos & viuere) illud tamen indubitatum tenemus, non introiturum te in tabernaculum domus tuæ, non ascensurum in lectum strati tui, non daturum oculis somnum, non requiem temporibus, non cum quiete rediturum in domum tuam, donec Iebusæos istos cæcos & claudos abstuleris, donec pestiferos istos seductores auferas de terra, & Christi Ecclesiam peste hac pessima misere contaminatam gladio Imperiali, quem ad Euãgelij veri gloriam & fundatissimæ nostrę fidei defensionẽ gestas, expurgaueris. Et quãuis Iebusæis istis spes ampla iam incipiat effulgere euasionis, quòd ita mansuete secum hactenus tuam serenissimam maiestatem viderint egisse, vnde & iactare in occulto se non veretur obstinatorum multorum impudens nimis & inconsiderata præsumptio, omnibus tamen tui animi candorem & fidei zelum agnoscentibus, spes & persuasio certissima est, longanimem istam dilationem prudentissimi cordis tui (quod in manu habet idem ipse qui finxit) Ecclesiæ Christi non ad detrimentum, sed ad commodum maximum aliquando profecturam: vt Iebusæis istis domesticis sublatis, tandem in exteros Philistæos crucis Christi per te vexilla inferantur, & nominis eius gloria per sacratum brachium tuum clarificetur in nationibus, assistente tibi & in omnibus cooperante optimo maximoque Deo, qui est adiutor fortis, & in se sperantes non potest derelinquere. In eo feliciter vale, Imperator Christianissime, & humilis tui clientuli munus, quod de corde tibi deditissimo deuinctissimoque offertur, sub tuo patrocinio benignus assume. Louanij Anno

M. D. XXXI.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI

FRATER FRANCISCVS TITELMANNVS GRATIAM ET PACEM.

OMnis scriptura diuinitus inspirata (vt magnus ille gentium Apostolus ait) vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Cuius rei causam alter ille Apostolus circumcisionis pulchre exprimit, cum in scripturæ sanctæ commendationem de prophetico sermone ita scribit, Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Nimirum hic ille est spiritus, vnde habet omnis scriptura, vt ad docendum, arguendum, corripiendum, & erudiendum in iustitia vtilis inueniatur. Ipse enim est, de quo Christus dominus iamiã relinquendis Apostolis dixit, Paracletus quem mittet vobis pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quęcunq; dixero vobis. Et iterum, Cum venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Et Paulus spiritũ dicit omnia scrutari, etiam profunda Dei. Et cum ipsi nescimus quid debeamus sicut oportet à Deo postulare, ipsum dicit nostram infirmitatẽ adiuuare, ac pro nobis secundum Deum gemitibus inenarrabilibus postulare. Talis si est spiritus sanctus, quo authore sanctæ scripturæ sunt descriptæ, quis dubitet, maximam vim illis inesse docendi de omnibus quęcunque homini proficiunt ad salutem? Ad arguendum quoque & contradictores veritatis reuincendũ, eundem esse prævalidum, ac proinde & quę ab ipso manarunt scripturas, vel vnicum illud apertissime probat Saluatoris nostri ad Apostolos testimoniũ dicentis, Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et apud alium Euangelistã, Ego dabo vobis os & sapientiã, cui nõ poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Nec minus ad corripiendum potentia iudicabit scripturarũ eloquia, qui illud expenderit verbũ veritatis, quo de eodẽ spiritu pronuntiauit dicens, Cum venerit paracletus, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Eruditionẽ quoque in iustitia, vt perfectus sit homo Dei in omne opus bonum instructus, hoc est, in vita agenda debitã institutionẽ, à sancto spiritu pendere, manifeste ostendit, qui dixit, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, siue dux mihi erit in via recta. Hæc itaque cõmoda quatuor maxima, tametsi manifestũ sit ab authore primario spiritu sancto omni scripturæ diuinæ inesse, fit tamen, nescio quo modo, vt in sacris illis hymnis quos egregius psaltes Dauid, prius quidem humilis ouium pastor, deinde vero Israëlitici populi magnificus princeps, spiritu Dei mirifice illustratus, domino decantauit, eadem illa peculiarius videantur elucere. Omnia nanque ista, nempe docere, arguere, corripere, erudire in iustitia, ita efficaciter, ita valide, ita potenter præstant hi Dauidici psalmi, vt vix aliam sit inuenire scripturam in huiusmodi rebus parem, quæ simul sic & intellectum illuminet & formet affectum. Nam & ipsa sancta Euangelia tametsi simplicius, lucidius, ac plenius omnia tradant quæ ad piorum hominum mentes illuminandas & vitam instituendam conducunt (vnde nec dubium esse debet, hæc longo interuallo authoritate dignitateque psalmos antecellere) attamen non illam habent loquendi formam psalmis peculiarem: qua fit, vt veluti impetu quodam legentium animos secum abripiant verius quàm abducant, ita vt quem in vitijs inuenerint, ad virtutis propositum auellant, quem in torpore compererint, ad alacritatem mentis restituant: quem sub tentationum pondere iacentem, aut mentis angustia constrictum, ad spiritus libertatem eleuent & ad cordis educant latitudinem: quem vero terrenis curis deditum, ab onere vano expediant, sicque alleuiatũ ad superna abducant, quem à bonis meditationibus affectionibusq; vacuũ, sublato vacuitatis fastidio, suauissimis meditationibus affectionibusque adimpleant. Quæ enim scriptura alia sic ante oculos ponit sub terribilium rerum similitudine diuini iudicij terrorem, & illius semper memorandi nouissimi examinis districtionem, vt hi nostri Dauidici psalmi, in quibus (vt ex locis mille vnum proferamus) talis aduersum impios profertur sententia, Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Ac rursum, Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Et parauit in eo vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Et iterum, inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Econtrario vero, cælestium bonorum suauissimam dulcedinem, & summè amabilem voluptatem, quæ scriptura sic aperte, sic velut sensibiliter ponit ob oculos, vt noster hic liber psalmorum? Quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Et alibi, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Et iterum, Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Ac rursum, Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Ac deinde, Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm

2. Tim. 3.
2. Pet. 1.
Ioan. 14.
Ioan. 15.
1. Cor. 2.
Rom. 8.
Matth. 10.
Luc. 12.
Ioan. 16.
Psal. 142.
Psal. 2.
Psal. 7.
Psal. 2.
Psal. 30.
Psal. 35.
Psal. 16.

habitare

habitare in tabernaculis peccatorum. Rursum, quæ scriptura sic blande & suauiter ignorantes erudit,
& ad bene beateque viuendum velut precando inuitat? Pro exemplo considera quod habes psal. 33.
Psal.33. Venite filij, audite me, timorem domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Quæ item scriptura peccatores hypocritas sic terribiliter cum sermonis efficacia corripit? Vide psalmum 49. Peccatori (inquit) dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem currebas cum eo, & cætera. Ac deinde, Existimasti inique, quòd ero similis tui: arguam te, & statuam contra te faciem tuam, Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Quæ scriptura sic vbique persequitur & damnat auaritiam, velut ad oculum depingens eius vanitatem, & superuacaneæ solicitudinis insaniam? Vbi sic impiorum prosperitas temporalis confunditur? Vbi sic consolantur iustorum in hoc seculo desolatorum animi? Vbi sic pauperum prædicatur beata portio, quam in futuro expectant seculo? Vbi spes in hominibus condemnatur validius? Vbi in domino deo fiducia, vel efficacius vel frequentius commendatur? In summa, talis est ista quam prædicauimus cithara, vt quisquis illi aurem accommodauerit (aurem dico spiritualem, Tota enim spiritualis est hæc cithara, imò merus est spiritus, ac proinde spiritualibus vult auribus audiri) impossibile sit absque fructu vacuum illum abscedere. Si in peccatis vitam agis, aurem accommoda nostræ huic citharæ, & emollietur tibi cor tuum ad pœnitentiam, oculi tui exitus ac riuulos aquarum deducent, conturbabun-
Psal.50. tur ossa humiliata, & iam reserata clamabunt labia, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Docebit te hæc cithara, quomodo ad deum clames in pœnitentia cordis tui, quomodo remissionem valeas impetrare admissorum criminum, quomodo teipsum accusare, quomodo Deum precibus flectere, denique vt vitam deinceps meliorem agere, vtque à recidiuo vitiorum deinceps cauere debeas, plenissime & efficacissime te instituet. Si forte tuum animum adhuc oblectant voluptates istæ temporariæ, mox vbi citharam hanc nostrã audieris, voluptatum supernarum & nunquam intermoriturarum dulcedinem suauiter personantem, illarum autem temporalium delitiarum finem breuem, & tristem nimis exitum, terrifico sonitu buccinantem, aut verius lamentabili querimonia deplorantem, fieri non poterit, quin omnia hæc temporaria tibi vt stercora reputentur: fieri non poterit, vt cor tuum terrenis adhuc inhæreat: fieri non poterit, vt non toto desiderio anheles ad cælestia. Si tribulationum aut tristitiæ pondere premeris, aurem accommoda nostræ citharæ, emoriar, si non quantocius tibi reuelabitur animus, si non iuxta multitudinem dolorum in corde tuo, consolationes diuinæ lætificent animam tuam. Ex aduerso, si in rebus tranquillis periculosam intra te percipis securitatem, aut etiam vanam elationem suboriri sentis, adhibe aures psalmorum melodiæ: videbis timore dei configi carnes tuas, salutari timore intra te cor tuum continebitur, vt non in fastum eleuetur. Quòd si de fidei mysterijs quæstio fiat, quæso te per Deum immortalem, quid habent sacra Euangelia, sub planæ narratione historiæ, quid sub simplici contextu Apostolorum literæ, quod non idem diuini isti hymni, sub verbis interdum obscurioribus, interdum clarioribus, plene contineant? Vide (exempli gratia) Psalmum ordine vigesimum primum, cuius initium, Deus Deus meus, respice in me & cætera. Obsecro, qui fieri potuisset, vt plenius apertiusque narraret Propheta Dominicæ passionis historiam, etiam si ante oculos coram positus iam præteritam eam vidisset? Vt quod de Esaia ait sacer Hieronymus, non minus iuste de regio hoc nostro Prophe-
Luc.14. ta dicendum videatur, ipsum non tam prophetiam quàm Euangelium scripsisse. Vanus fuero, si in hac re demonstranda pluribus agere tentauero, cum totus psalmorum liber Euangelicis mysterijs, Euangelicisque doctrinis sit plenus, vt non immerito à maioribus nostris hic psalmorum liber, totius scripturæ sacræ summarium meruerit appellari. Neque ego pro nihilo computandum aut paruifaciendum puto, quod apud Lucam discipulis loquens Dominus, specialiter psalmorum meminit, dicens, Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me. Nisi enim singularem aliquam huius scripturæ voluisset indicare præcellentiam, satis erat dixisse, in lege & Prophetis. Nemo enim Dauidem negat, aut dubitat Prophetam appellandum. Dum ergo non contentus generali Prophetiæ appellatione, speciatim meminit psalmorum, proculdubio peculiare quiddam magnæ excellentię voluit significare. Neque dubito, quin hac potissimum consideratione orthodoxorum patrum sagax prudentia, prudensque pietas, psalmos præ omnibus diuinę scripturę tam veteris quàm noui testamenti eloquijs, maxime in Ecclesijs frequentari, ac per dies singulos statutis horis sanxerint decantari: vniuersis insuper quos cleri comprehendit titulus, diuiuis ministerijs per Episcopalem ordinationem peculiarius addictis, quotidianam in illis legendis meditandisque, sub obedientiæ sanctæ mandato, iniunxerit occupationem: quam dum his velut iugum quoddam salutare sub obediendi necessitate in humeros imponunt, cæteris nihilominus Christi fidelibus omnibus vehementer eandem commendant, ijs etiam quos nulla præcepti lege constringunt. Hanc ob causam, patrum priorum nõ pauci, Græci pariter atque Latini, in psalmorum explanatione plurimum sudarunt, ne sermonum obscuritate & frequentibus difficultatibus nusquam penè non se offerentibus, piorum animi tanta vtilitate fraudarentur. Quorum pium studium adeo non damnamus, adeo nihil insequimur, vt omni potius honore, ob sanctos in re tam sancta insumptos labores, dignissimos iudicemus: de ijs quæ nobis longa meditatione, frequentique & deuota oratione parta reliquerunt, quantas valemus beneuolo corde gratias agentes, quemadmodum communem dominum

Dominum iam olim speramus gratiam illis retulisse. Nos tamen post horum omnium præuios labores in Elucidandis psalmnis nouam tentare voluimus rationem, simpliciorum pijs affectibus magis quàm eruditorum sublimibus ingenijs consulentes, non quòd maiorum labores aut vanos aut insufficientes reputaremus, sed vt simplicioribus Christifidelibus eruditissimorum Patrum prolixos tractatus vel sensa sublimia non satis capere valentibus, nostro labore vel simplicem qualemcunque Psalmorum intelligentiam administraremus. In hoc autem opere talem instituimus procedendi rationem. Psalmis singulis suum præmittitur argumentum, quo quicquid tractat Psalmus, figuraliter describitur. Dehinc elucidatoria subsequitur paraphrasis, vulgatam nostram æditionem (quam Gallicanam appellant) non phaleratis aut sequi pedalibus verbis, sed prorsus communibus, ita clare lucideque explanans, vt vel puerulus attentus possit quæ dicuntur intelligere. Cæterum, quid in textu cui parti in Elucidatione respõdeat, nota numeri versibus singulis præposita designat. Versuum particulas asterisceis huiusmodi * signauimus. Vbi verò asteriscum in paraphrasi inueneris, scito duplicem tibi sensum eiusdem partis indicari. Post Elucidatoriam paraphrasim, habes annotationes, quæ prolixioris commentarij loco tibi erunt, si plura libuerit requirere quàm in Elucidatione legeris. Habes denique in fine operis annotationes secundas, quibus Hebraicæ varietates, id est, ea in quibus lectio Hebraica differt à vulgata, vel ex Hebræo versiones diuersæ ab inuicem, continentur, quas ob hoc in partem vnam separauimus, vt non simplicioribus ingenijs (quibus ista forsan curæ non erunt) multitudo versionum & interpretationum diuersitas pareret confusionem. Habes itaque, lector, in hoc nostro opere vel multa, vel pauca, vel simplicia, vel grandia, iuxta varium palati tui affectum, & ingenij (cuius tu ipse optimus potes esse iudex) captum. Si intelligentiam Psalmi cuiuslibet desideras, nec vltra quicquam requiris, lege argumentum & Elucidatoriam paraphrasim: annotationes omnes transili. Si amplius aliquid vel ad plenitudinem sententiæ, vel ad deuotionis affectum postulas, post Elucidatoriam paraphrasim lege subsequentes præcipuas annotationes. Si verò vulgatis non contentus, etiam peregrina desideras, ad nouissimas te confer annotationes. Sic nos tibi, lector benigne, quàm maxime commodare existimauimus. Tu nos vicissim, vt speramus, affectu bono prosequere, & nostros labores sanctis tuis precibus consolare. Gratia tecum, Amen.

INDEX

INDEX CENTVM ET QVINQVAGINTA PSALMORVM IVXTA ordinem Alphabeticum.

A
Ad dominum cùm tribularer. 119
Ad te domine clamabo 27
Ad te domine leuaui. 24
Ad te leuaui oculos. 122
Afferte domino filij Dei. 28
Attendite populemeus. 77
Audite hæc omnes gentes. 48
B
Beatus vir qui non abijt. 1
Beatus qui intelligit. 40
Beatus vir qui timet. 111
Beati quorum remissæ. 31
Beati immaculati in via. 118
Beati omnes qui timẽt dominum. 127
Benedicam dominum in omni tempore. 33
Benedixisti domine terram tuam. 84
Benedic anima mea domino.1. 102
Benedic anima mea domino.2. 103
Benedictus dominus Deus meus. 143
Bonum est confiteri domino. 91
C
Cantate domino canticum nouũ.1. 95
Cantate domino canticũ nouum.2. 97
Cantate domino cãticum nouũ.3. 149
Cæli enarrant gloriam Dei. 18
Confitebor tibi domine.1. 9
Confitebor tibi domine.2. 110
Confitebor tibi domine.3. 137
Confitebimur tibi Deus. 74
Confitemini domino, & inuocate. 104
Confitemini domino quoniam bonus.1. 105
Confitemini domino quoniam bonus.2. 106
Confitemini domino quoniam bonus.3. 117
Confitemini domino quoniam bonus.4. 135
Conserua me domine quoniam. 15
Credidi propter quod. 115
Cùm inuocarem, exaudiuit me. 4
D
De profundis clamaui. 129
Deus Deus meus respice. 21
Deus Deus meus ad te de luce. 62
Deus auribus nostris. 43
Deus deorum dominus. 49
Deus in adiutorium meum. 69
Deus in nomine tuo. 53
Deus iudicium tuum. 71
Deus laudem meam. 108
Deus misereatur nostri. 66
Deus quis similis erit tibi. 82
Deus repulisti nos. 59
Deus stetit in synagoga. 81
Deus venerunt gentes. 78
Deus noster refugium. 45
Deus vltionum dominus. 93
Dilexi, quoniam exaudiet. 114
Diligam te domine. 17
Dixit dominus domino meo. 109
Dixit iniustus, vt delinquat. 35
Dixit insipiens.1. 13
Dixit insipiens.2. 52
Dixi custodiam vias meas. 38
Domine dominus noster. 8
Dominus illuminatio mea. 26
Dominus regit me. 22
Dominus regnauit decorem. 92
Dominus regnauit, exultet. 96
Dominus regnauit, irascantur. 98
Domine Deus meus in te speraui. 7
Domine clamaui ad te. 140
Domine Deus salutis meæ. 87
Domine exaudi orationem meam.1. 101.
Domine exaudi orationem.2. 142
Domine in veritate tua. 22
Domine ne in furore.1. 6
Domine ne in furore.2. 37
Domine non est exaltatum. 10
Domine probasti me. 138
Domine quid multiplicati sunt 3
Domine quis habitabit. 14
Domine refugium factus. 89
Domini est terra. 23
E
Ecce nunc benedicite domino. 133
Ecce quàm bonum. 134
Eripe me de inimicis. 58
Eripe me domine ab. 139
Eructauit cor meum. 44
Exaltabo te Deus meus rex. 144
Exaltabo te domine quoniam. 26
Exaudiat te dominus 19
Exaudi Deus deprecationem. 60
Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor. 63
Exaudi domine iustitiam. 16
Exaudi Deus orationem meam, & ne. 54
Expectans expectaui dominum. 39
Exultate iusti in domino. 32
Exultate Deo adiutori nostro. 80
Exurgat Deus & dissipentur. 67
F
Fundamenta eius in montibus. 86
I
Inclina domine aurem tuam. 85
In conuertendo dominus. 115
In domino confido. 10
In exitu Israël de Aegypto. 113
In te domine speraui.1. 30
In te domine speraui.2. 70
Iubilate Deo omnis terra.1. 65
Iubilate Deo omnis terra.2. 99
Iudica me Deus, & discerne. 24
Iudica me dominе quoniam. 42
Iudica domine nocentes. 34
L
Lauda anima mea dominum 145
Lauda Hierusalem dominum. 147
Laudate dominum quoniã bonus. 146
Laudate dominum in sanctis. 150
Laudate dominum de cœlis. 148
Laudate dominum omnes gentes. 116
Laudate nomen domini. 134
Laudate pueri dominum. 112
Lætatus sum in his. 121
Leuaui oculos meos. 120
M
Magnus dominus & laudabilis. 47
Memento domine Dauid. 131
Miserere mei Deus secundum. 50
Miserere mei Deus quoniam. 55
Miserere mei Deus, miserere mei. 56
Misericordiam & iudicium. 100
Misericordias domini in æternum. 88
N
Nisi dominus ædificauerit. 126
Nisi quia dominus erat. 123
Noli æmulari in malignantibus. 36
Nónne Deo subiecta. 61
Notus in Iudæa Deus. 75
O
Omnes gentes plaudite. 46
P
Paratum cor meum Deus. 107
Q
Quare fremuerunt gentes. 2
Quàm bonus Israël Deus. 72
Quàm dilecta tabernacula. 83
Quemadmodum desiderat. 41
S
Saluum me fac domine. 11
Saluum me fac Deus. 68
Sæpe expugnauerunt. 128
Si verè vtique. 57
Super flumina Babylonis. 139
T
Te decet hymnus Deus. 64
V
Verba mea auribus. 5
Venite exultemus. 94
Voce mea ad dominum.1. 76
Voce mea ad dominum.2. 141
Vsquequo domine obliuiscēris. 12
Vt quid Deus repulisti. 73

Finit index psalmorum secundum ordinem alphabeticum.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS EORVM
quæ in sequentibus tractantur.

A

ABire in consilio impiorum quid sit, & quomodo ab eo sibi cauere debet qui beatus esse velit fo.1.f
Abire in cõsilio impiorum, stare in via peccatorũ, sedere in cathedra pestilentiæ, se habent vt malum, peius, pessimum ibidem
Ablactatus quomodo se habet erga matrem, sic fidelis erga Deum 277.c
Abrahæ benedixit Melchisedec tãquam maior minori, & omnibus qui in lumbis erant Abrahæ 143.h
Absalonis pulchritudo corporalis figura fuit spiritualis decoris Christi 89.g
Absalon crines vendens ad ornatum mulierũ, significat participationem fidelium de plenitudine Christi ibidem.
Absorpti sunt iuncti petræ iudices, quomodo debeat intelligi 291.h.292.a
Actiones nostræ sicut & vita nostra, ex Dei pendent voluntate 56.f.g
Adam post peccatum quia excusauit non statim confitendo peccatum, sententiam condemnationis illico accepit 292.c.f
Adam singulis animantibus imponens nomina debuit omnium habere scientiam 351.d
Adeps frumenti (quod est Christus) ipsius est diuinitas, qua satiantur in patria beati: erassior est substantia humanitas, qua pascuntur in via electi 303.c
Adiutorium domini pro tribulatis, diuersis & nouis similitudinibus exprimitur 41.a,b.& 62.a
Adiutorij diuini fortitudo & securitas 49.f
Adolescens quidã & ætate, quidam moribus, & quomodo adolescens debeat ex lege Dei corrigere vitã 263.h
Aduentus Christi in mundum & ad extremum iudicium pulchrè describitur 210.c.f.g
Aduersa & mala præsentis vitæ neminem debent à bono retrahere 70: h.& in psal. præcedenti
Aduersa præsentis vitæ siue à dæmone, siue ab homine inferantur, suscipienda sunt tanquam de manu domini 75.f.& pulchrè 101.a,b
Aduersitatis tempore laudare debemus Deum atque gratias agere, sicut tempore prosperitatis, ipsius misericordiam commendare 80.h
De aduersitatibus si plura velis, require De tentationibus & malis.
Afflictio & penitus desolato homini conuenit psal.87. qui totus in luctu finit & incipit.
Allegamus subinde in oratione coram Deo nostræ carnis malitiam, vt misericordiam facilius impetremus 10.a,b
Alliciunt per dæmones & impij blãdimenta, simplices ad peccandũ 18.f
Altaria Dei in cælis concupiscit terrena fastidiens 375.h
Alas & pedes habet spiritus hominis, quibus ad Deũ proficiscatur, aut volet 285.d
Amici & proximi impedimento sunt volentibus conuerti ad d. 72.c.d 112.a
Amici Dei quantum honorificati sunt, & eorum principatus quomodo est confortatus 287 b
Amicorum Dei numerus est hominũ incomprehensibilis ibidem
Amicorum Dei maxima multitudo & summa exaltatio prouocare merito debent peccatorem ad resurgendũ à peccatis exemplo filij prodigi, quod prolixè declaratur 289.b
Ancillæ Dei filium quilibet fidelis se appellat pluribus rationibus 182.d. 184.c
Angeli deputati sunt ad hominum custodiam 61.b
Angeli erunt nuncij & ministri resurrectionis mortuorum, & cæterorum quæ erunt peragenda in die iudicij 103.c
Angelorum de hominibus cura ex præcepto Dei 196.g.& seq.
Angelorum scribitur excellentia 221.g.h 225.c
Angelorũ cõspectu quomodo psallit homo in carne positus dom. 285.d
Animi instabilitas per passerem designatur 19.g
Anima fidelis donec in montẽ sæculi non euolat, sed in nido.i. in Deo requiescit, non patitur à sagittis periculum: sin euolauerit, sagittis patebit 20.f.g
Animæ odium duplex est, bonum scilicet & malum 21.c
Anima fidelis in visitatione spirituali cõsolatione repleta proponit mira, quæ paululum subducente se gratiæ præsentia, videntur difficillima, atque ita sua experitur infirmitatem 53.c.d
Anima nostrã & quæcunq; habemus, fidentissime Deo commendare possumus & debemus 30.d.e.f
Anima hominis cũ omnibus quas in se habet viribus à Deo creata est, atque ob hoc omnes ipsius cogitationes & intentiones illi sunt optime cognitæ 61.e
Animæ deuotæ desiderij ad Deũ, sub similitudine cerui anhelantis ad fontes aquarum, pulcherrime describitur, psal. 41. in cuius psal. tam elucidatione quàm annotationi. iucunda inuenies
Animam nostram quomodo intra nos debeamus effundere, vt toti transeamus in Deum 81.h
Anima diuinis intenta, plurimum consolatur: quæ ad se reuersa, iterum conturbatur ibidem
Anima deuota, vel ex sola rememoratione & certa expectatione venturorum cælestium bonorum oblectatur & pascitur ibidem
Anima fidelis quæ debeat habere, & quibus ornari, vt fiat sponsa Christi. 88.f & seq. pulchrius autem 91.f
Animæ peccatis fœdatæ quo pacto & quo ordine fit perfecta sanatio atque emundatio 91.d
Anima hominis qua ratione debeat merito subijci Deo suo creatori 121.c
Animæ deuotę à Deo in hoc mundo peregrinantis accessus in spiritu ad ipsum, pulchrè perscribitur 150 per totum psalmum 62.
Anima suam habet iuuentutem cũ feruet adhuc deuotionis calore: habet & suam senectutem, cum feruore charitatis remisso, tædij frigus animam apprehenderit 142.f
Animæ exhortatio ad exhibendam Deo gratitudinem pro susceptis à Deo innumeris beneficijs, est psalm. 102. dignus qui sæpius attenta mente legatur.
Animam Deus sanat ab omnibus suis infirmitatibus, quæ sunt vitia & inclinationes malæ 221.c.223.b
Anima pro hoc statu in corpore hominis stabilitatem nullã habet, vt verius ipsum pertransire quàm inhabitare dicatur 222.e.224.d
Anima in corpore primum principium est, effectiuum omnium operationum vitalium 251.a.281.h
Anima cùm dormitare cœperit, viuificatur in verbo Dei 254.b.c
Anima mea in manibus meis semper multipliciter exponitur 266.f
Anima hominis necesse habet sustentari cibo spirituali æque, atq; corpus cibo corporali 219.h
Anima hominis mirabilia opera Dei non potest satis cognoscere 286.b.c.288.f
Animam quærere, & animã requirere multum differunt in vsu scripturarum 264.c

Anima pœnitetis desiderātis miseri cordiam Dei est sicut terra sine aqua 295.c
Anima nostra quomodo adhæreat pauimento 264.a.b
Anni hominis secundum mediocrem valetudinem sunt anni 70. vel 80. quod autem super est, labor est & dolor 194.e. & seq.
Annorum vitæ humanæ non tantus nunc est, quatenus erat tempore Dauidis aut Moysi 199.
Apostoli sancti infantium & lactētium nomine intelliguntur 13.c.g.h
Apostoli firmamentū & cælū iusta ratione appellantur 36.d.37.e
Apostolorum prædicatio prædicitur 42.c.& seq.
Apostolos frequenter scriptura appellat Deos principes ac reges populorum, vt psal. 44. & 46.
Apostoli fundamēta sunt Ecclesiæ, sed Christus vnicum est fundamētum primarium, super quo etiam ipsi fundantur 284.a.185.d
Apostoli flumina paradisi eleuauerunt voces suas, quibus prœualuerunt super eleuationes maris, & omnem superbiam sæculi 200.f.g.201.c
Apostoli ex lapidibus viuis Ecclesiā describūtur ædificaturi, quos & vehementer amabunt 218.c.220.e.f
Apostolorum semen perpetuo non deficiet 219.b
Apostolorum amor & ardor erga salutem electorum 220.c.f
Apostolica describitur prædicatio qualia etiā & quanta per illam Deus sit operatus, quomodo potenter illis cooperabatur, quomodo persequutio orta, sed per Deum tādem sedata, quomodo Iudæa derelicta, & gentilitas visitata, Ecclesia ædificata, synagoga destructa 235.h. & seq.
Aquę fluūt spiritu domini flāte: sed differentes sunt hæ aquæ, quædam lachrymarum, quędā gratiarum 279.h
Aquarū magnitudo comparatione ad terrę quantitatem, & quomodo ab initio terram ambibant, sed Dei iussione eam reliquerint 221.f.227.g
Aquarum similitudine significantur aduersa vitæ præsentis, siue in corpore, siue in anima 82.d.e
Item quomodo secundum aquarū similitudinē absq; damno salutis aduersa ferre debeamus ibidem
Aquilo vētus frigidus in scripturis malum semper significat 65.h
Aquilæ in modū renouat Deus iuuentūtem nostram 221.g.225.d vbi prolixe habes de aquilę reiuuenescentia & spirituali applicatione huius comparatiōnis.
Aquilis cōparantur confidentes in domino 223.h
Araneus & aranea quid differant 196.c.d
Araneorum studio atque labori cō paratur hominum vita pulchre satis & prolixe 194.e.196.c.d
Arcus Dei & gladius, diuini iudicij vltionem significant, & quomodo suum arcum tensum habet Deus, vt peccatores terreat 11.f
Arcum habet dominus, arcum habet & diabolus, sed differenter: quoniam arcum suum ostendit Deus antequam feriat, vt fugiāt homines: diabolus autem occultat ne possint effugere 20.a.b
Arguit dominus quosdam correptione paterna, alios iudiciaria 10.g 73.b.c
Ascendere siue euolare in montē, aliquando bonum, aliquando malum 20. c.d
Ascensio Christi prędicitur 56.a.b & iterum 95.e.f
Ascensio Christi post resurrectionem iterum manifeste prædicitur 130.f
Ascensiones in corde nostro quomodo debeamus disponere, vt accipiamus benedictionem Dei: & quare signāter in corde magis quam in opere 177.g
Aspectus domini benignus super bonos, & toruus nimis super malos 61.e
Assiduitas in locis sacris exemplo Dauid commendatur 48.b
Astronomorum sententia de stellarum firmamenti magnitudine 282.h
Astronomorum de stellis scientia nulla est, si conferatur cum scientia Dei qui sigillatim omnes nouit & numerat 54.e.f
Atria appellantur cælestes mansiones propter amplitudinem & capacitatem 176.h
In atrijs cælestis Hierusalem stant aliquando pedes nostri, sed sedere in illis aut diu stare non permittimur, donec in hoc corpore viuimus 269.f
Auarus in sua domo & substantia, hoc est, quod araneus in sua tela quā texuit 199.c
Augustinus intelligentiæ gratia ossum dicit pro os, melius ducens vt reprehendant grammatici, quàm vt nō intelligant populi 207.g
Aues secundū Dei prouidentiā & inditā sibi naturā quędam altius, quędam humilius nidificant, & quomodo bestię quędā loca excelsa petūt gratia tutelæ, aliæ humilia 235.f.& seq.
Auicularū exemplo monetur homo cælestes mansiones sibi exquirere, nec in terra habere requiem 175.g per totum
Auxilium diuinum promittitur tribulatis & pauperibus 14.h 22.b. rursum. 58.a.60.e f.g
Auxilium Dei in tribulationibus deposcere, est illi acceptissimum sacrificium 203.b

B

Babylonica captiuitas, signum fuit captiuitatis humani generis, & ab illa liberatio, in signum præcesserit redemptionis humanæ per Christum 319.d
Babylonica regio multis irrigatur fluminibus, quorum sunt præcipua Tygris & Euphrates 284.a
Babyloniorum pœna propter crudelitatem exercitam in Israëlem 273.c.284.a
Balthasar rex Babylonis per fastum abusus est vasis templi do. 284.a
Baptistæ Ioannis ante Christū præcursio prædicitur 179.f.181.c vbi etiā habes, quare specialiter præco iustitię appelletur.
Baptistæ Ioannis fit mentio in psalmo. 131. vbi lucerna Christi appellatur
Barbarus quis dicatur, & quare Aegyptij dicantur respectu Iudæorum barbarus populus 250.d
Beatitudinis cælestis dulcedo qualis & quāta sit, & quomodo nunc abscondita mortalibus 55.c.57.a
Beatitudinis cælestis plenitudo pulchre describitur per corporales similitudines 66.h.67.a.b
Beati sunt in re ciues superni, attamen spe beati sunt qui hìc in terris Deo sperant auxilium, & ascensiones in corde disponunt, &c. 176.b & prolixius 177.g.h
Beati fideles qui sciunt iubilare domino, quoniam sentiunt ipsius magna beneficia 189.g.h
Beatus quem de sua lege erudit dominus, quoniam bene illi erit in diebus malis 204.c.205.d.e
Beatitudo & fœlicitas non in temporalium abundantia, sed in Deo sita est 296.g.h
Beatus non semper veram significat fœlicitatem 284.e
Belli spiritualis forma pulchre describitur 34.g.h
Ad bellum Deus manus nostras docet 296.b
Benedictio domini super populum ipsius 4.g
Benedictio Dei facit hominem bonæ voluntatis in spirituali fortitudine proficere 176.c.177.h
Benedictio Dei est ipsum eius bonum velle 179.a

Benedictionem impij nolunt, & idcirco ab eis elongabitur: maledictionem autem consequentur quam dilexerant 239.h.241.d
Benedictio iustorum non venit super impios 275.h
Beneficiorum prius exhibitorum cum gratitudine commemoratio liberalem benefactorem excitat ad noua beneficia 47.b.c
Beneficij vel paruuli recens exhibitio gratum excitat ad rememorationem maiorem antè susceptorū 245.c
Beneficiorum Dei cōsideratio excitat ad laudem & gratiarum actionē: quemadmodum neglectus considerationis huius à Deo separat, & alienos facit 156.d
Beneficia spiritualia maxima quæ hominibus Deus exhibet propter suā misericordiam, pulcherrimè describit psalmus 102. dignus qui frequentissime relegatur
Beneficiorum veteri populo Iudęorum olim exhibitorum prolixa commemoratio fit psalmo 104.
Benepatientes secundum græcorū phrasim vocamus illos qui afficiuntur bonis, sicut per contrarium benefacientes appellamus qui alios bonis afficiunt 202.a
Beneplacitum domino est super timentes eum, & in ipso sperantes. 301.a.b
Beneplacitū est domino in populo suo, & quis sit populus iste Dei in quo est ipsi beneplacitum 306.d
Benignus respectus Dei super seruos suos est illi quasi scutum & clypeus 10.a
Benignitas Dei maxima erga nos in hoc declaratur, quòd suauissima & factu facilia præcipiens etiam auxilio fidele nobis præstet ad implendum ea 177.h
Benignitas Dei facit terram cordis nostri dare fructum suum 180.h
Benignitatem Dei erga homines maximam patētissime describit psal. 102. lectione & relect. dignissimus.
Bernardi deuotissima contemplatio, de contentione iustitiæ & misericordiæ Dei pro hominis redemptione 108.f
Boni & mali in hac vita corripiuntur sed multum differenter 10.a.82.a
Bonū qđ operatur in nobis Deꝰ, maligni semper conātur destruere 19.g
Boni in periculis nihil metuunt, quando impij vano timore contabescunt 24.g.h
Boni nunquam sibi satis videntur feciſſe boni, sed ad vlteriora semper tendunt: mali verò statim in initio bonæ conuersationis magna sibi persuadent 60.e
Bonitas Dei vnà cum iustitia eius, causa est quare legem dederit peccatoribus 47.c
Bonorum triplex gradus 48.e
Bonis & deuotis plurima occurrunt aduersa, à quibus tamen semper liberantur per Deum 62.a
Bonitas Dei multiplex erga homines, siue bonos siue malos, pulchre describitur 65.b.c.d
Bonorum & in bonitate persistentium multiplicia bona tam præsentia quàm futura pulcherrime describuntur 67.g.& seq. per totum psal.
Bona quæ fidelibus prouenerunt ex redemptione facta per Christum, pulchre describuntur 76.d.e
Boni maximè infestantur à dæmonibus, cuius causam vide 81.a.b
Bonis omnia cooperātur in bonū, siue prospera siue aduersa 82.b.c
Boni persequutionibus adeo non deijciuntur, vt etiam firmius consistant, ac intra se amplius consolentur 92.d. admodum prolixe.
Boni viri maximam habent consolationem in iustitia, quæ ipsos facit certos de bono præmio 97.a
Boni proficiunt in punitione malorum 116.c
Bonæ voluntatis hominibus pax erit apud dominum, etiamsi labantur nonnunquam 177.g
De bonis plura inuenies, sub appellatione iustorum atque sanctorum aut spiritualium hominum.
Brachium impiorum conficit dominus 19.c
Brachium Dei est cum summa potentia 189.d.192.e.f
Breuitas vitæ humanæ eiusdemque miseria pulcherrime describitur psal. 89.& deinceps in annota.

C

CAdauer anima absente, neque oculum, neque autem proprie habere dicendum est 251.b
Calix in scripturis retributionem significat 29.g
Calicem salutaris quomodo debemus accipere pro gratiarum actione 252.h
Calicem accipere omnium est, sed non omnium bibere, & quomodo differant calicem accipere, bibere & ebibere 252.h.& seq.
Calor naturalis perpetuo consumens facit vt corpus egeat cibo: quēadmodum calor concupiscentiæ facit vt egeamus cibo spiritus 219.h
Canonis sacri missæ irrationabilis reprehensio, calumnięque confutatio 244.a.& seq.
Cantare debemus Deo, nec solam misericordiam, nec solum iudiciū, sed misericordiā simul & iudiciū 216.a.b
Canticū domini in terra aliena recusāt canere populus Dei 283.d
Cantare debent domino fideles in vijs eius, & de ijs qui cantant non in vijs domini 285.b
Captiuitatis filij nunquam debent obliuisci patriam à qua abducti sunt 283.e
Captiuitas animæ duplex 16.h
Captiuitas miserāda generis humani ex prœuaricatione processit. 284.h. à qua captiuitate cùm per se liberari non possent homines, sunt per Deum liberati ibidem
atque id per verbum patris, in quo sānata sunt omnia ibidem
Caput efferre significat superbire 174.g
Capitis conquassatio significat grauissimam persecutionem & cōtritionem 244.c.d
Capitis exaltatio in scripturis magnam significat eleuationem, quod exemplis pluribus declaratur ibid.
Carbonibus desolatorijs comparantur verba Dei 268.c
Caro aliquando pro cute ponitur, sicut econtrario cutis pro carne 216.h
Carnales tentationes sagittis apte comparantur 199.a.b
Cathedra pestilētię quę sit, & quātū fugienda, tanquā malū pessimū 1.e
Causę quędam sunt secūdum fieri, quædam secundum esse suorum effectuum. psal. 138. fol. 287.e
Cęcitas describitur hominum carnalium, qui in accumulandis diuitijs seipsos consumunt, nullum inde post mortem accepturi commodum 98.a & seq.
Cæcos Deus illumināt 299.g
Cælestia desideranti & terrena fastidienti conuenit psal. totus 83.
Cælestes mansiones diuersis rationibus appellātur, interdū atria interdum tabernacula 185.g
Cęlū Deꝰ extendit sicut pellē 179.c
In cęlo quomodo dicitur Deus respicere humilia 248.g
Cælorum nomine significātur sancti Apostoli 36.d
Cęlos fecit Deus in intellectu & sapientia 282. b.c.d
Ceruicem concidere significat punitionem extremam, sicut confringere aut conquassare caput, vel dentes conterere 276.c
Charitas nos facit gaudere de conuersione peccatorum & profectu proximorum 265.h
Charitas fraternitatis magnifice cōmendatur, assimilata vnguento sa-

Universidad de Deusto Biblioteca

cerdotali,& fœcunditati roris impinguantis 289.g
Charitas vbi adfuerit,illic omne est bonum 282.d.& seq.
Christi passionem sepulturam & resurrectionem describit psal.3.
Christus cum propria virtute resurrexit, tamen à patre dicit se resuscitatum,cuius assignatur duplex causa 5.c
Christus quomodo parauit thronũ suum in iudicio 7.d.e
Christus præceptor & legislator appellatur in scripturis 18.c
Christi vaticinium 22.b.25.a.b
Christi ad patrem oratio, pro se ac suis membris 17.118
Christi natiuitas & ascensio prædicitur 36.d
Christus vt gigas fortissimus de cælo accurrit ad terras, nostri liberandi gratia 36.d.e
Christus sol appellatur in scripturis, & quomodo tanquam sol in media Ecclesiæ refulsit : item de ortu & occasu huius solis,eiusq; effectu multiplici 36.d
Christus in vtero virginis matris suæ geminas celebrauit nup. 38.a
Christus vermis appellatur pluribus rationibus 43.a.b
Christus duplici ratione est omniũ dominus 45.g.h
Christi oratio pro suis membris, similis illi quam habuit post cœnam nouissimam 76.c.d
Christus in cap. libri vitæ primus omnium descriptus est, ac per eum deinde cæteri adoptione filij 78.a
Christus secundum corporis liniamenta,colorem,& cæteras corporalis pulchritudinis conditiones pulcherrimus fuit 89.g
Christus maximam habuit linguæ gratiam pro hominibus patri reconciliandis ibidem, & 90.a
Christus nostrã causam suscipiens arduum nimis negocium aggressus est, quemadmodum pulchrè declaratur 90.a.b.c.d
Christus modis contrarijs regnum super genus humanum sibi vendicauit aliter quàm diabolus 90.e
Christus frater noster dicitur 99.e
Christi aduentus in carnem prior, & ad iudicium posterior, manifestè prædicuntur 101.d.e
Christus qui primo aduentu velut agnus coram tondente obmutuit, in aduentu secundo tãquam leo rugiẽs, terribilis apparebit ibidem.
Christi conceptio de virgine & de spiritu sancto, in psalmis prædicitur 179.d.e.181.a
Christus de inferiori inferno à patre fuit liberatus 183.f
Christus solus inter mortuos liber quia potuit quando voluit à morte resurgere 187.d
Christus in laboribus fuit à iuuentute: sed in ætate virili magis ibid.h
Christus Dauidi promittitur,& ipsius regnum æternum sub typo Salomonis 190.& seq.
Christi glorioſum regnum quod accepit à patre deuicta morte,pulchrè describit psal. 62.
Christi regnũ & aduentus ad iudicium describuntur 210.e.& seq.
Christus à patre missus orbem sanauit 235.d
Christi ad patrem oratio, contra Iudam atque Iudæos, & maledictionum in illos imprecatio 238.g per totum
Christi sessio ad patris dexteram, victoria & dominium super inimicos natiuitas æterna de patris substantia, æternum sacerdotium, contra principes mundi iudicium, & post humiliationem glorificatio, describuntur psal.109.
Christo sunt subiecti tam amici, q̃ inimici,sed differenter 242.g
Christi hæreditas sunt filij adoptionis, suntque ipsi merces & præmiũ omnis laboris eius 273.g.274.c
Christus de custodia triplici orat liberari 277.f
Christum expectabant iusti donec resurgens acciperet ad gloriam ibid.
Christus suos tangi vetat dominus 229.a
Christianorum afflictio ad consolationem ipsis esse debet 193.b.c
Cibo sustentante homo indiget & quo ad corpus & quo ad animam, & quã ob causam duplici hoc cibo homo indigeat,pulchrè habes 217.d.e. 219.& seq.
Cibum omnia viuentia à Deo expectant & quærunt, neque nisi à Deo habere possunt 226.g.& seq.
Ciuitates diaboli quæ sint, & quo modo destructæ vel expugnatæ prædicatione Apostolica 17.d.e
Ciuitas vt secura sit, fortitudinem mœniorum portarumque requirit. Et insuper necessariorum prouisionem, quæ duo sunt in Ecclesia maxime triumphanti 303.d
Clamandum ex profundo cordis non labijs tantum 276.b.& seq.
Coagulata sunt corda impiorum, iniquitatis frigore & corruptione malitiæ 259.b
Coagulatus mons dicitur sancta Ecclesia 130.c.133.d
Coagulatum bonum est in Ecclesia charitas ibidem
Cogitationes hominum Deus cognoscit 204.d
Cogitationes & affectiones prauæ quæ vel ex diaboli fraudulentia, vel ex carnis malitia sese iunxerunt, præter voluntatis consensum, non sunt nostra peccata sed aliena 38.c
In cogitationibus nullus est similis Deo 77.h
Cogitatio & consilium quid sint & quomodo ista Deo possunt attribui 68.c
Cogitatio Dei in agendis dirigit nos per viam iustitiæ, & perducit ad vitam æternam 84.a
Cognitio Dei requirit munditiam cordis 93.b
Cogitationes hominũ Deus à longe cognoscit 286.a.287.h
Cogitatione exactissima Deus hominem & omnia quæ intra vel circa ipsum sunt cognoscit ibidem.
Cognoscit Deus omnia nostra antequam fiant ibidem.
Cognitio Dei omnia & præterita & futura includit ibidem
Cogitationes Dei nimis profundæ sunt 200.c
Commendare debemus Deo nostra omnia liberrime 57.a.& seq.
Commotio terræ salutaris per pœnitentiam 209.b.h
Commutatio mirabilis fit in futuro sæculo 195.b
Commutatio admirabilis facta est prædicantibus Apostolis,vt synagoga derelicta,gentium ædificaretur Ecclesia 236.b.c
Commodare plura significat. 247.b
Comminatio terribilis diuini iudicij contra peccatores 11.f
Conceptio Christi in psalmis describitur facta de spiritu sancto ex virgine matre 179.d.181.a
Confidentia tribulati de diuino auxilio 4.g
Confiteri positum inuenitur in significatione passiua 237.e
Confessio peccatorum duplex est, laudis scilicet & peccati,quarum neutra inuenitur in inferno 10.a.h
Confidit in domino qui ipsum agnoscit 17.f.g
Confortatio diuina ad duo hominem facit robustum, videlicet vt mala omnia superet, & maxima quæque possit 36.
Confidendum Deo plenissimè, sed non homini quantumlibet amico 56.a.& seq.
Confidentia in Deum describitur 54.per totum psal.
Confusio colentium idola 210.h
Confessio peccati meretur remissionis veniam 57.e
Confidenter aliquando pro secure vsurpatur 198.h
Confessionem peccati maxime amat Deus, sicut excusationem pessime odit 292.e
Cõfessione Dauid de peccato meruit veniam, sicut excusatione Saul iram ibidem
Coniuges sibi mutuo obuiam ire debent vt pacem habeant 280.a.b
Consensus facit peccatum, adeò vt absque consensu, quantumuis tentemur non imputetur peccatum 37.c
Consilia hominum sunt in manu domini 59.e.f
Consilia domini nullus impedire potest ibidem
Conscientia in malo obstinata, est carcer infernalis, à qua solus Deus hominem liberat 183.b
Conscientiæ bonæ habens probatum testimonium non conturbatur 277.c.d
Conscietia secura homini est quasi cubile in quo requiescit,& in quo dulciter conuiuatur 207.b
Consolatorius psalmus pro omnibus pijs, ne in aduersis suis & impiorum prosperis conturbentur aut scãdalizentur 67.g.per totũ psal.
Consolatio, ne quis obturbetur, si non semper se videat æquæ ad Deo seruiendum alacrem 264.e
Consolationum spiritualium dulcedinem non sentit, qui afflictiones non aliquando degustauerit 142.b.c
Consolationem veram à solo Deo quærere oportet 159.a
Consolationes externas carnis ac mundi debet abnegare, qui voluerit internis gaudere 159.b.c
Consolatio in aduersis vtilissima est diuinæ legis meditatio 259.h 266.d
Cõsolatoria sentẽtia p̃ijs qui sæpe labuntur,sed resurgunt à casu 178.a
Contritos corde sanat Deus,& eorum vulnera alligat 300.f
Contentionis studium hæreticos abducit in adinuẽtiones errorũ 246.h
Contemplari & meditari non penitus idem valent 1.h
Conuersio peccatoris ad Deũ qualis esse debeat, plenissime describitur 6.f.g.h
Cõuertere se volẽs peccator, afflictione singulare patitur ab ijs qui pri⁹ illi in peccatis familiares fuerãt 217.g
Conuersio vera hominem alium facit quàm prius fuerat 17.c.d
Conuersio Dei ad homines sic est quomodo solis redit⁹ ad terrã 220.b.c
Conuersio gentiũ ad Ecclesiam in tempore gratiæ pulchrè describitur psalmo 86.
Conuertere nos debet Deus,vt cõuertamur ad ipsum 84.g.per totũ
Conuersis ad Deum, mox impedimentũ præbent amici,quibus quomodo resistere debeamus docet prophe-ta 72.c.d.112.c
Cor dilatatur in spirituali consolatione 7.a
Correptio domini duplex:altera misericordię,altera iusti 10.a.73.b.& 82
Coronat nos Deus in miserationibus suis 221.f.g.223.b
Coruorum ad pullos suos natura 18.h
Corripit dominus virga, baculo & gladio : sunt autem correptiones Dei bonis vtiles 44.f.82.d
Correptio domini signum est amicitiæ 39.e.f.g.& 82.d.e. iterum pulchrè 119.d
Corporis robore nemo apud Deũ valet salutem consequi 60.a.b
Corda nostra quomodo effundere debeamus corã domino,vide pulchrã annotationem 81.h
Corporalem cultum Dei ordinare debemus ad interiorem hominem,de quo est principalis cura habenda 103.d.per totum ipsum fo.
Cornu exaltare,est superbire: cornu alicuius exaltari,magnifi. 247.f
Cornu Dauid in tempore gratiæ producendũ Ecclesię,est Christus nasciturus pro salute hominum 279.a
Correptio iusti ex charitate, summe expetenda voleti proficere 291.g
Corpus diaboli se seducit, sicut & corpus Christi ad salutem se adiuuat 263.c
Coruorũ pulli quomodo ad tempus derelicti à parentibus, à Deo benigne curentur 301.g.h
Corui triste quiddam referunt, & conditionibus aliquot cum diabolo habent similitudinem ibidem
κράτος significat potentiam vel imperium, vnde procedit diuersa trãslatio 185.a
Credentes Christo, & de eo nunc in bonitate sentientes quanta sint cõsequuturi bona à domino, in præsenti & in futura vita 79.e.f
Credentem oportet non festinare, sed longanimiter expectare, exemplo Abrahæ 242.b
Creatura nulla dici debet ex Dei vtero genita, sed tantum vnigenitus filius 243.e
Creaturarum omnium tam supernarũ quàm inferiorum suauissimam contemplationem habet psal. 103. ad prouocationem diuinæ laudis.
Cremio arefacto ossa pœnitentis pulchrè comparantur 217.d. 219.g
Chrystallus signat peccatores obduratos in malitia, quæ Chrystallus dicitur à Deo proijcienda sicut huccella 302.e.303.h
Christallus aliquando quamlibet glacie generaliter, alias specialiter glaciem obduratam significat 303.g
Crux Christi nidus est animæ, in quo dum requiescit, sagittis impiorũ non patebit 20.d
In cubilibus suis lætantur sancti tam Ecclesiæ militantis quàm triumphantis 307.a
Cultus exterior sine interiori vanus est, & nullius precij ante dominum 101.g.106.h.per totum
Cupiditas diuitum est inexplebilis 62.e
Custodia Dei super electos est cõtinua,diligentissima,atque fidelissima 269.a
De custodia triplici Christus petit liberari, scilicet de custodia mortalis corporis,de obsidione inimicorum & inferno atque sepulchro 294.b.f
De custodia multiplici petũt liberari homines iusti ibidem.f

D

DAuidi facta est promissio de semine & regno perpetuis principaliter Christum respiciens 190.a. & seq.
Dauid à domino fuit percussus virga, vt euaderet gladium 192.h
Dauid Sauli dissimilis, quia non excusabat, sed accusabat peccata sua 216.a.b
Dauid non in omnibus formam tenuit boni principis 216.a.b
Dauidis deuotio erga ædificandam domum domini 278.b
Dauidis meritum interponunt orãtes posteri ibidem.f
Dauidis humilitas, qua agnoscit populum suum non nisi per Deum sibi esse subditum 297.b
Damnati quomodo dicãtur in miserijs nõ subsistere 290.h.291.c
Damnati in æternũ viuent, & semper patientur grauissima tormenta ibidem.
Defectio corporis humani hoc fit ordine, vt primum decidat,deinde induretur, ac tandem arefcat in puluere 194.b.195.g
Defuncti corporis vita qui & quãobrem detineantur in loco purgatorio 276.h.& seq.
Pro defunctis quare soleat legi psalmus 129 ibidem
Pro defunctis ad quid orent viuentes ibidem
Deiectio & torpor animi est periculosa etiam in viris iustis 82.h

Universidad de Deusto

Deliciæ & temporalia bona vanitas sunt atque mendacium 7.b
Deliciæ temporales fæces habent in fundo saporis pessimi, quas modo impij non gustant, sed in futuro gustabunt & epotabunt, velint nolint 40.d.154.d.155.a
Deleri aliquem de libro viuentiũ, diuersis modis intelligitur 130.d
Deliciæ sunt iusto, quod etiam nocte in densissimis tenebris conspiciatur à Deo, cum latere non cupiat 288.d.
Dæmonum & aliorum impiorum ad seductionem bonorum multiplex conatus & vehemens studium 16.c.d. 20.f g.31.c
Dæmonium meridianum quid sit 199.f
Dentium confractio significat grauem vltionem 5.c
Desiderium bonum adimplendi legem Dei debet adesse volenti in ea salubriter meditari 1.g
Desiderium pauperum exaudit dominus 16.g
Desiderium esurientium Deus adimplet bonis 221.f.223.c
Deus vnum diem deputauit vltioni nouissimæ: propter quod non quotidie iram exercet 11.c.f
Deus est iudex iustus, fortis & patiens 11.c.d
Deus potius dicendus est iram adducere quàm irasci 12.c
Deus tres habet digitos 14.b.c
Dei prouidentia etiam ad hæc inferiora extenditur 16.f.& prolixius 19.h & 24.e
Deus multo antè cõminatur quàm feriat, vt peccator terrore commouea tur ad pœnitentiam, & gladij ictum effugiat 20.d
Deus manifeste premittit minas, vt emendet: diabolus occulte ponit insidias, & sagittas habet in occulto paratas, vt noceat ibidem
Deus quomodo fidelium pars est atque tota hæreditas, & quomodo pars hæreditatis eorum dicitur 28.c.f
Deus propter temporalia neminẽ aspicit 31.d
Deus mirabilis describitur, adueniens in auxilium tribulatorum 33.b
Deus tale se erga nos exhibet, quales non ipsi præstamus 34.b
Deus contra inimicos suos vtitur frequenter ministerio hominum vel cuiuslibet creaturæ 34.f
Deus frequenter punit ad emendationem ibidem 82.f
Dei confortatio hominem facit robustum ad quæuis mala superanda & quæuis bona agenda 36.a
Dei dona omnes accipimus 36.f
Dei erga suos bonitas & fidelitas 47.d.& 45.a.b
Diuinæ misericordiæ dulcedo iustitiæ rectitudo causa sunt, qua legem deus dederit hominibus 53.a
Deus suis electis exhibet se aliquãdo præsentẽ, aliquãdo absentem: vtrũque tamen facit misericorditer, & no bisipsis vtiliter 53. per totum
Dei adiutorium, & fortissimum & securissimum 49.a.b.c.d
Deus aliquando videtur nobis irasci, sed non ex ipsius beneplacito est ira 53.per totum
Deo nosipsos & nostra omnia debemus libero animo cõmittere, non vlli hominum quantumuis amico vel potenti 53.h.& seq.
Deus frequenter graues immittit homini afflictiones, vt vel sic à malo resipiscat 57.c
Deus licet non semper corporaliter liberet suos, nunquam tamen illis abest aut deest 77.h
Deo specialis est cura de hominibus 59.h
Deus nunquam derelinquit suos, tametsi aliquando tẽporaliter videatur deserere 69.b. & in psalmi illius pluribus alijs versibus
Deus quia sicut est potentissimus, ita etiam iustissimus, idcirco nihil agit inique, aut per tyrannidem 97.
Deus magnum sibi honorem reputat, si in omni occurrente tribulatione ipsum inuocaueris cum plena fiducia 103.h.& seq.
Deus duabus causis mouetur ad ferendam opem tribulatis 115.e.f
Deus sua nimia potentia interdum inimicos suos cogit ad exhibendum sibi ficta obsequia 127.c.d
Deus nunquam obliuiscitur misereri, neque potest negare suam misericordiam pœnitentibus in mundo isto 99.b
Dei nostri in hoc declaratur summa benignitas, quòd leuissima præcipit, & tamen ad eadem implenda fidelissime adiuuat 178.b.c
Deus est suauis, mitis, & multæ misericordię. vide horum. 3. pulchram distinctionem 178.h.288.h
Dei super omnes præcellentia pulchre describitur 188.a.& seq.
Deus nostra omnia exactissime cognoscit, sicut ea quæ habet ante oculos 194.c.196.a
Deus vt res cognoscat nõ eget extrinseco lumine, neque obsunt ei tenebræ 196.a
Deus vltionum in puniendo impios agit liberrime, nec potest impediri, cùm longe diuersum sit de iudicibus huius sæculi 203.h.205.d
Deum non cognoscere ea quæ nos agimus, est rationi contrarium 204.a
Dei auxilio sustentantur iusti ne cadant, & de inferno saluantur 122.a
Dei nostri præcellentissima maiestas hoc à nobis exigit, vt ipsi cũ summo iudicio & maxima discretione, tãquam omnium primo domino, seruiamus 214.a.& seq.
Deus æternus immutabilis permanet, cælis & terra mutabilitati subiectis 218.h
Deus animas nostras sanat ab omnibus infirmitatibus peccatorum, miserationibus coronat, bonis replet, iuuentutem renouat, & alia multa confert beneficia, quæ pulcherrime describit psal. 102
Deus eo quòd summe magnus vel magnanimus, est etiam summe misericors 224.b
Dei prouidentia etiam insensibilia ligna pascit in campis, & de animalibus tutandis loco naturæ congruo curam gerit 222.c
Dij gentiũ omnes, dęmonia sunt & vanitas 208.d.209.e
Deus pater quomodo filium suum gignit ex vtero ante luciferum, cùm secundum generationẽ æternam, matrem non habeat 148.
Dei custodia atque protectio super electos assidua est & diligentissima 169 h.& seq.
Deus à periculis grauissimis nos liberat, à quibus sine eo non possemus liberari 271. c.d
Deus Ecclesiæ præcipuus est ædificator & custos, Apostoli verò ministri tantum 273.c.f
Deus solus facit mirabilia 282.a
Deus omnia quæ circa hominem & intra sunt, exactissime nouit, etiam cogitationes à longe cognoscit, & multo antè quàm res fiant prænoscit 286. b
Deus quomodo manũ ponit super hominem 286. c.& 288.b.62.d.e
Deus omniũ est causa efficiens secundum esse, non secundum fieri tantum, propter quod sine eo nihil potest creari nec permanere in esse ibi.
Dei præsentiam nemo potest effugere, quocunque se verterit 286.d
Deo nihil impedimenti præstant tenebrę quo minus omnia videat, etiã in nocte: quomodo lumen diei nihil illum adiuuat vt videat 287.c.f 288.f
Deus non videt per lumen extrinsecum 288.f
A dextris esse quid sit 30.e
A dextris Christi & fidelium eius stat Deus. ibidem 240.c.241.e
A dextris impiorum stat diabolus, 239.a.205.a
A dextris patris sedere iubetur Christus dominus 241.a.g
A dextris esse, aliquando in bonũ, aliquando in malum sonat 240.g
Dextera in vsu scripturarum pro fortitudine ponitur, vel pro persona filij Dei 255.c
Dextera impiorum, est dextera impietatis: iustorum verò est dextera æquitatis 196.c.297.d
Diabolus mire artifex varijs tentationũ modis oppugnat homines 109.a
Diabolus dicitur aspis, basiliscus, leo, & draco, ob veneni malitiam, & nocendi cupiditatem: à fidelibus tamen vincitur 167.a.200.c
Diabolus & Deus adinuicem pugnant 9.h.32.a
Diabolus quos viderit nutantes, & mente turbatos, validius oppugnat: ab ijs autem qui animo constantes sunt, metuit 122.a
Diaboli, venatores dicuntur, quoniam ipsis omnes competunt venantium conditiones 197.d.e
Diabolus Christum tentans peruersę scripturam citauit, qua in parte illum imitantur hæretici 200.c
Diabolus stat à dextris impiorum 241.a.239.a
Diaboli ruina grauis, sed futura grauior 144.d
Dici nomine fideles significantur 37.f
Dies nostra nunc est, quæ noctem est habitura, sed veniet post hanc dies domini, cui non succedet nox 71.a
Dies vitæ humanæ fumo comparantur 217.c.11.g
Dies iustorum non euanescunt, sicut impiorum ibidem
Dies iudicij & mortis recte mala dicitur impijs 99.c
Dies vna in patria superna est melior, quàm mille in præsenti in sæculo 176.d
Diei vni hesternæ quæ transijt, cõparantur anni vitæ humanæ 193 h
Dies virtutis Christi multipliciter intelligitur 148.c
Dierũ in scriptura inuenitur plenitudo & dimidium, & qui dicantur habere dierum plenitudinem, & qui dimidium 229.h
Dies vitæ humanæ comparantur vmbræ declinanti 218.a
Dies vitæ humanæ cõparantur fœno, vel gramini, & flori, qui flante vento abripitur 221.g.224.c.d
Dies quam fecit dominus, est tempus gratiæ & salutis, in qua nos oportet exultare 254.g
Dies Hierusalem dicitur dies visitationis ipsius, sicut dies hominis appellatur dies punitionis eius 284.d
Digiti Dei tres sunt 14.b
Dignꝰ quis sit mãsione cęlesti 41.a
Dilectio Dei includit dilectionem iustitię, & iniquitatis odiũ, ac proinde fieri non potest, vt diligat Deum qui amat iniquitatem 91.g
Dissimulare peccata, quamuis parua, nõ est absq; grandi periculo 78.d
Dispositiones omnium rerũ ex Dei pendent voluntate 56.f.g
Disponere sermones in iudicio, quid sit 247.c
Disponens in iudicio sermones, meritò inæternum non commouebitur ibidem
Dispergit diabolus: cõgregat Deus quos ille dispersérit 206.f. 301.c
Diuites & potentes deuorant pauperem, vt cibum 36.c
Diuites huius sæculi semper sunt egentes 62.d.e.96.b
Diuites qui per aduersam fortunã ad paupertatem deuenerint, si ob humanam verecundiam, fame seipsos perimãt, aut familiam, crudeles sunt homicidæ 71.b
Diuites & potentes huius sæculi nõ sunt timendi à bonis, quantumuis appareant glorioſi 98.f
Diuitias, honores, & potestatem in impijs non magnificare debemus, vtpote quæ illis nullam adferant vtilitatem, sed occasio sunt dãnationis grauioris ibidem
Docere praua, sicque in pestilentiæ sedere cathedra, res perniciosissima est 1.& seq.
Doctrina salutaris, vinum & lac appellatur 14.a
Doctorum falsorum modus in docendo & decipiendo 44.f.g
Docentes quæ Dei sunt, & ipsi male viuentes, durissime increpantur à domino 101.g
Dolet sanctis vehementissime, Deũ blasphemari ab infidelibus, aut impijs 251.b
Domus & ædificia, quæ in hoc mundo homines ædificant verius ipsorum tabernacula, quàm domus dicenda sunt, propter nimiam temporis breuitatem, quo illa inhabitant 100.d
Dominium Dei, maximũ & latissimum 189.b
Dominium Dei duabus rationibus est præcellentissimum 207.g
Dominium Christi in medio inimicorum suorum 241.b.242.b
Dona Dei omnes accipimus 36.g
Donec aduerbium, non semper exclusionem significat, & eius vsus scripturis frequens, exemplis multis declaratur 143.b
Dormitatio & exurrectio in scripturis nonnunquam remissionem & reparationem significant 46.
Supra dorsum iustorum fabricant peccatores, & quid sit supra dorsum fabricare 276.b
Dracones aut cete ludunt in mari 226.g
Dracones dicuntur cete grandia 304.h
Duplicitatem & dolũ contra proximum odit dominus 21.h.8.b
Duplices corde, & corde loquuntur 22.g
Dulcedo diuinæ misericordiæ, & iustitiæ rectitudo causa sunt quare Deus legẽ posuit hominibus 47.c
Ducem se præstabat Deus etiam in lege naturæ, ijs qui ad ipsum clamarent 244.f

E

EBrietas & satietas sanctorum pulchre describitur per comparationem ad corporalem ebrietatem 67.a.b
Ecclesia tam militãs, quàm triumphans mons dicitur sanctus, & nomine Sion significatur 3.g.5.b
Ecclesiæ confessio pro humani generis inimici deiectione 14.h.15.a
Ecclesia filia Sion dicitur, id est, filia altissimi patris 18.b
Ecclesia est tabernaculum, siue tentorium hominum peregrinorũ 27.c
Ecclesia nomine firmamẽti significatur nõnunquã in scripturis 37.c
Ecclesia Christi sponsa dicitur, & illi desponsata fuit in vtero virginis, cõsummatum est autem hoc matrimonium in cruce 38.a.b
Ecclesiæ ædificatio prædicitur. 42.c. d.e
Ecclesias frequentare, & diuinis interesse bonum est 48.b
Ecclesias atque loca sancta, & alia ad diuinum cultum pertinentia ornare, excolere, venerari, sanctitatis & pietatis est indicium: hæc verò non curare, animum non rectum erga Deum significat 48.b
Ecclesię pene omnia mysteria mira verborum magnificentia luculentissime describuntur 51.g. per totum
Ecclesia sancta sponsa Christi est psal. 44. per totum: de cuius ornatu & gloria, & sublimatione, vide in verbis & Sponsus & Sponsa
Ecclesia sancta in sui initio quanto fortius expugnabatur exterius, tanto interius profectus virtutum, & spiritualium charismatum irrigatione amplius proficiebat 113. per totum.
Ecclesia sancta firma est, neque vllis vnquam persecutionibus penitus destitui poterit 92.c. b. per totum

totum & 95.
Ecclesiæ Christi atque principum rectorum illius mirabilis commendatio 93.e.per totum
Ecclesiæ Christi quomodo subiugandæ erant vniuersæ gentes,cũ principibus eorum prædicitur psal. 46.& 75.per totum.
Ecclesiæ sanctæ fundatio, dignitas stabilitas, atque multiplex commendatio egregiè describuntur psal.46. & 47.
Ecclesia sancta,domus Dei & ciuitas Dei in scripturis appellatur 96.a
Ecclesiæ Christi dilatatio & exaltatio pulchre sub metaphora vineæ describitur & prædicitur 269.d
Ecclesiæ fundamenta in montibus sunt,sancti apostoli 184.a.g
Ecclesiæ fundamenta multa,sed vnicum primarium Christus ibidem.
Ecclesiæ portas dominus plus diligit,quàm synagogæ tabernacula 184. b.185.a
Ecclesia militans pulchre describitur 184.a.per totum
Ecclesię vox est psal. 117. Deo gratias agentis magnificas
Ecclesiæ fundatio post Christi resurrectionem, ipso regnante in cælis per sanctos apostolos,pulchre describitur, & quanta difficultate siue potentia id actum fuerit 186.b
Ecclesiã decet sanctitas æterna ibid.
Ecclesiæ & filiorum eius exultatio de prædicatione euangelica 211.b
Ecclesiæ sanctæ in tempore gratiæ ædificatio per apostolos, eiusq; profectus & dilatatio 266.b.c.d deinceps.
Ecclesiæ gentium electio, reprobata synagoga,& summa illius fœcunditas 236.b
Ecclesiæ militantis ad triumphantem precatio, & vicissim huius ad illam responsio 270.a.b
Ecclesiæ gratiarum actio est psal. 123 quòd per Deum à grauissimis tribulationibus sit liberata.
Ecclesiæ ædificatio & custodia non est possibilis sine Deo, & quomodo per apostolos ædificanda 283.c
Ecclesia etiam militans rectè appellari potest Hierusalẽ & Sion 302.h
Ecclesiæ militantis quomodo feræ portarũ confortatæ, quomodo Deus filijs eius benedixit, quomodo fines pacem posuerit, & adipe frumenti eã satiet 302.c
Ecclesię triumphãti quomodo prędicta significantur conuenire ibidem
Ecclesiasticus vsus in diuinis officijs potest subinde aliquam scripturæ particulam in alium sensum accipere,quàm sit primaria scripturæ sententia: neque cogẽdi sunt interpretes ex vsu eiusmodi 287.g
Effundere debemus coram Deo animam nostram, & qualiter id accipiendum 122.b
Aegyptij quare dicantur Iudæis populus barbarus 250.c
Aegyptiorum plagas psalmista describit 147.h.& seq.244.g.h
Aegyptus Hebræis aliquando significatur nomine Raab 185.d.aliquãdo terra Cham 165
Electorum suorum Deus cognoscit numerum 246.d
Elementi aquæ magnitudo tãta est, vt terræ omnes montes possit operire 221.c
Elementorum vnumquodque aliquam habet prædominantem qualitatem 125.b
Eleuationi mentis in Deum forma commodissima 46.b
Emimus à Deo quæ postulando impetrata referimus 223.d
Epiicia virtus qualis sit,& quomodo Deo attribuatur 183.g
Episcopi vocabulum quid sonet, & quàm rectè nomen officio conueniat 216.c
Episcopatum Iudę alter accepit,sic & sacerdotium Iudaicorum atque totius populi 239.c.240.h
Erigit dominus allisos siue collapsos 298.f
Error quo ante Christi aduentum homines tenebantur in mundo, per ipsum ablatus est,clamantibus ad eũ 233 d
Escam Deus præbet omnibus animantibus, vnicuique iuxta naturam suam 226.g.h
Esurientes impleri bonis, & qui vere esurientes dicantur 223.c
Esurientes & sitientes deficiebant homines absque Deo, qui deinde per eum bonis adimpleti sunt, clamantes ad ipsum 233.d.& sequent.
Aeternitas quid sit pulchrè declaratur, & quare hodie appelletur in scriptura, potius quàm heri aut cras 2.h
Aeternus & immutabilis semper permanet Deus, cùm cælum & terra, & cætera omnia sint aliquando immutanda 218.g
Aeternum permanet in cælo Dei verbum & veritas itẽ eius æterna permanet 259 h
Euangelium per apostolos in omnem terram diuulgandum apertè describitur 18
Euangelicæ legis cõmendatio mirifica 36.h
Euangelicæ doctrinæ efficacia, & confirmatio eius per signa prædicitur 52.129.h.& sequent.
De euangelio plura require in verbo Dei. Quæcunque enim de hoc dicuntur, de illo certum est eadem dici posse:
Eucharistiæ sacrę vaticinium 71.g
Eucharistia sacra in escam promittitur pauperibus laudaturis dominũ 42.c.f
Eucharistia sacra in ecclesia datur fidelibus ad confortationem contra impugnantes 43.b
Eucharistiæ sacramentum in ecclesia memoriale est omnium mirabiliũ, quæ pro nostra salute Christus exhibuit 244.h.& sequent.
Pro Eucharistię sacramento prolixam habes annotationem in annotationibus ex Hebræo super psalm. 71. in versum illum, Erit firmamentum in terra,&c. Vide item in annotationibus ex Hebræo psalmi.
110. in versum quartum, Memoriam fecit,&c.
Exaltari aliquando Deus permittit inimicum super iustum,etiam permanente iustitia,sed prævalere non sinit 24.c.g
Exaltatio vera nemini potest nisi à Deo procedere 154.a
Exaltationi maiori non raro succedit conturbatio, quod etiam Christo accidit, quomodo prius cõtigerat Dauidi 187.h
Exaltabuntur iustorum cornua,impiorum econtrariò deprimentur, & quid sit exaltari cornu 154.a.f 247.f
Exaltauit Deus cornu populi sui, varijs modis intelligitur 305.h
Excusatio in peccatis etiã minoribus,quàm sit periculosa,diligẽter notandum 58.d
Excusantes se peccatores de præceptorum obseruatione, ob difficultatem, & obseruandi impossibilitatẽ, durissime increpantur 205.b.h
Excusatio in peccatis summe cauẽda,quia periculosissima 291. a.b.c.d
Excusauerunt se in peccatis primi parentes:sic itẽ Cain,& Saul. eodem
Exempla mala & corrupta doctrina sunt peccatorum reliquię,quas relinquunt suis filijs 31.c
Exprobrant nobis vera exprobratione, qui iniqua proponunt, vt dæmon,mundus,caro 273.e
Exprobrantibus hoc modo quomodo debeamus Christi exemplo respondere verbum, vt nõ inimicorum vincamur exprobrationibus. eodem
Externa operatio iusti citò potest ad summum adduci, vt non possit vltra progredi, sed interna charitatis in corde operatio finem nescit. 178.b. Eandem ferè sententiam habes in psalmo 118.

F

FAbricare supra dorsum quid sit, & quomodo fabricant peccatores supra dorsum iustorum 276.a
Facies domini placida non monstratur, nisi conuersis ad ipsum, & à peccatis auersis 169.a
Facilitas diuinæ exauditionis erga fideles notatur à propheta 171.b
Facere causam,significat iudicare causam,vel vindictam facere 17.a
Fœlicitas præsentis vitæ mera vanitas est,nullã habens stabilitatẽ 77.g. per totum.& iterum 148.e
Fœlicitas temporalis malorum,iustos non debet mouere ad male agendum 80.f
Fœlicitas præsentis vitæ, qua florent homines mali in hoc mundo,pulchrè describitur & prolixe 149.d. ac sequent.
Fœno tectorum (quod priusquam euellatur arescit, & quòd nulli seruit vsui)comparantur impij 275.g
Fœnerari in scriptura, non semper sonat vitium 247.b
Pro festorum obseruatione debita exhortatio: cõtra non obedientes autem, comminatio terribilis 170.a.b
Festiuitas sermonis est in eiusdem dicti replicatione 202.a.203.c & seq.
Fidei Christianæ triplices hostes 33.d
Fidelitas, vel fides nulla in terris 21.h.22.b
Fides cum timore Dei, retinaculum sunt peccatorum,quibus deficiẽtibus, statim in omne malum ruunt præcipites 25.c
Fidelis Deus erga seruos suos 46.d
Fideles Christi prædicationi acquiescentes quanta tam in præsenti, quàm in futuro accipiant 78.e.f
Fideles omnes reges erunt in vita futura, erit tamen vnum omnium regnum,quod sufficiet omnibus 91.a
Fide plena ad Deum in omnibus necessitatibus confugere, est illi acceptissimum:& magnum sibi honorem reputat Deus, sic fideliter inuocari 104.c.& sequent.
Fides in ecclesia est quoddam coagulum,quo adinuicem coniunguntur fideles, & quasi in vnam massam coagulantur 130. c.d
Fides Christiana potentissimis signis est confirmata 282.f
Fidelis est Deus in omnibus verbis suis 206.a
Fidelium numerus in primordijs ecclesiæ minimus, temporis processu excreuit in maximum 297.d.289.c
Fidere nemo debet in hominibus quantumuis potentibus, sed in Deo fidendum, & harum rerum rationes 279.f.& sequent.
Figmentum nostrum attendens Deus & pulueres, promptus est ad miserendum nobis miseris 222.c.d. 224.b
Filios suos Deus corripit multipliciter 34.c.f.g
Per filiũ patrẽ cognoscimus 67.f
Filij timentes Deum comparantur nouellis oliuis, & qui sint hi filij spiritualiter exponitur 274.h
Filij adoptionis sunt hæreditas & merces Christi,pro quibus fecit & tulit omnia 274.b
Filij prodigi exemplo debent peccatores à peccatis resurgere, & ad Deum patrem reuerti 289.d
Filia Sion pro ecclesia ponitur,filię Sion pro particularibus ecclesijs 18.b
Filia Babylonis aut filia Sion, quomodo intelligantur 284.c
Filij Sion,filiæ Iudæ,filia Siõ, quomodo intelligantur 306.c
Fines Hierusalem tam supernæ quã infernæ Deus pacem posuit 303.a
Firmamentum virtutis Dei quid debeat intelligi 308.a
Flagellum domini duplex est, alterum misericordię,alterum iustitię 10.
Flere peccata proximum facit charitas 261.h.277.d
Flentes nunc dum seminant, ridebunt cùm metent in iudicio 272.h 273.a
Flori agri(qui flatu venti deijcitur) comparatur hominis vita 222.d. 224.b
Flumina dicuntur apostoli 202.f 203.b
Flumina vitæ & paradisi apostoli, & flumina mortis ac inferni, nempe principes sæculi, adinuicem pugnant: sed illa vincunt,hæc succũbunt 203.c
Fomitis praui qui est in corrupta carne meminit paraphrastes Chaldæus 203.a
De hoc vide prolixius in annot. ex Hebræo in psalmum 49.
Fontium amœnitatẽ psalmista cõsiderat, vnde procedunt flumina, & iuxta quos dulciter cantillantes residentauiculæ 202.a
Forma absoluta boni principis,vel prælati pulchræ describitur 213.c per totum
Fortitudo multiplicatur inuocantibus dominum 285.a
Fortitudinẽ equi nõ diligit Deus, neque tibias virorum fortium 301.a
Franciscus breuibus quatuor modos tentationum dæmoniacarum expressit 224.d
Franciscus psalmum proferẽs 141. emisit spiritum 294.c
Fragilitas & imbecillitas carnis humanæ Deum inclinat ad miserendum nostro generi 10.
Fraudem proximi & omnem iniustitiam habet Deus exosam 7.h. & seq.22.b
Frænum ori imponere, est studere silentio 292.c
Frigidi citius ad pœnitentiam conuertuntur,quàm tepidi 29.b
Frigus domini intolerabile dicitur,id est, ira eius, & quomodo hæc per frigus significatur 304.h
Fructus ventris singnlariter dicitur Christus, quia de matre virgine sine operatione natus 274.c
Frumentum duo habet,nempe furfurem & adipem: sic Christus verum frumentum habet humanitatem & diuinitatem: de hac satiat beatos in patria, de illa sanctos pascit in via. 303.c
Fulgura Deus facit in pluuiã,quod diuersimode exponitur 281.g
Funiculus distributionis iustorum in præclaram & iucundissimam sortem cadit 29.k
Funiculus vitæ humanæ, est cordis intentio,qua recta aut curua probantur omnia 287.h
Fumo cõparatur humanæ vitæ duratio. 219. speciali tamen ratione impiorum duratio 302.b
Furor domini qualis sit 2.g. 10.c
Fundamentum spiritualis ædificij est sibijpsi humiliter diffidere,totamque in Deo spem constituere, super quo fundamento, vt possunt ædificari maxima,ita sine eo omnia collabũtur in cinerem 178.a
Fundamenta ecclesiæ sunt apostoli: vnicum tamen fundamentum primarium est Christus dominus 184.a.g.h

G

GAudere debet anima in bonitate Dei, sed cum tremore 4.d
Gaudia & bona ecclesiæ per Christum redemptæ notantur 76.d.e
Gaudent angeli super conuersione peccatoris,gaudẽt & dæmones super casu iusti: horum autem gaudiorum rationem vide pulcherrime 80.b
Gaudij cælestis memoria atque expectatio pascit animam, facitque contemnere quæcunque huius mundi sunt bona 82.b
Gaudium fidelium de redemptione humani generis dæmonibus inuiden-

Universidad de Deusto

inuidentibus, in psal. 125.
Gaudet & proficit iustus in punitione malorum 116.c
Gentilitas electa ad ædificationem nouæ ecclesiæ, reprobatis Iudæis & synagoga eorum 236.a
Gentilitatem diu sterilem tandem Deus fecit, iuxta prophetica vaticinia, multorum filiorum in gaudio matrem 248.b.h
Gentibus exhibendam in ecclesia misericordiam describit psal. 116.
Glacies sunt corã Deo omnes peccatores propter frigus malitiæ, quo coangulantur corda eorum 393.h & sequent.
Glacies liquefacta est peccator cõuersus ad pœnitentiam 304.b
Glacies obdurata, & crystallus est peccator nolens emolliri, aut liquefieri ad pœnitentiam ibidem.
Gladius malignus fuit Dauid gladius Goliæ & gladius Saulis 296.f
Gladios ancipites habent sancti in manibus ad faciendum vindictam & iudicium in malos 306.d
Gladius aliquando significat iudiciariam potestatem, aliquando verbum Dei 307.b
Gladio verbi Dei quomodo sancti pugnant aduersus diabolũ, & omnes mundi potẽtes ac sapientes ibidẽ.
Gladio domini corripiuntur non filij, sed reprobi 44.g
Gladium & virgam habet dominus, gladium pro reprobis, virgã pro filijs, vbi deliquerint 192.g
Gladius diu vibratur antequam feriat: sed virga statim adest filijs peccantibus: quare in hac debet electus consolari, illum autem omnes timere ibidem.
Gloria peccatorum peribit 2.e
Gloria Dei quis dignus habeatur 44.h. & sequent.
Gloriæ cælestis omnimoda perfectio & plenitudo prolixè notatur 67.a, & sequen. 69.a
Gloria præsentis vitæ quàm breuis sit, & quàm infructuosa appetentibus illam 67.a. per totum 69. a. & sequẽt.
Gloriam veram nullus assequi potest, neque hìc, neque post hanc vitã, nisi à solo Deo 154.h
Gloriatur iustus, quòd oppugnatus multoties, non sit deuictus ab hostibus 275.d
Gratiarum actionis forma, pro liberatione ab omnibus inimicis 31.f & sequent.
Gratiam & illuminationẽ spiritus sancti omnes accipimus 36.f
Gratiarum actio pro regis victoria 39. per totum
Gratiarũ actio pro præcipuis Dei beneficijs 43.h. per totum.
Gratiæ præsentia facit confortari spiritum, & reflorere carnem, quasi noua fortitudine, ad currendam viam mandatorum Dei 50.e
Gratiarum actionis forma pro liberatione à tribulationibus, & alijs tentationibus 114.h
Gratiam & gloriam solus donat Deus 176.e
Gratiam reconciliationis humanæ per Christi aduentum prolixè & pulchre describit psalmus 84.
Gustus spiritualis deuotionis & quietis percipi non potest, vbi non præcesserit tribulatio, siue tentatio 143.b. & sequent.

H

Herbę prius augmentum accipiẽti pòst verò suo vigore depereũti, pulchrè comparatur homo super terram viuens 194.b.195.h
Hæretici scripturam peruerse, aut truncate citantes, patrem suum imitantes diabolum, qui similiter egit Christum tentando 199.h
Hæreticorum prauitate & adinuẽtionibus in nouissimis tẽporibus seducendos plurimos prædicitur 236.g
Hæretici propter ambitionem & contentionis studium confingũt hæreses ibidem.
Cum hæreticis non debent disputatione misceri, qui non sunt in fide multum fundati 73.c
Hæretici missam dolent appellari sacrificiũ, & orthodoxos patres ea ratione calumniantur 236.g
Hæreditas bonorũ qualis sit pulchre describitur 28.d.29.e.f.g iterumque 15.f.75.b
Hæreditaria portio sanctorum est Deus, quam omnibus præferunt 28.d 29,e.f
Hæreditate possidebunt sancti terram, non autem impij 69.e. 70.d.e
Hæreditas Christi, omniumque laborum & passionũ eius merces, sunt filij gratiæ 273.h.274.c.d
Hermon mons est trans Iordanem. vbi dominabatur Og 280.b
Hierusalẽ superna quomodo ædificatur vt ciuitas ex viuis lapidibus, & quomodo sit in ea summa cõiunctio, atque coædificatio singulorum cum singulis, quod non est in corporalibus ædificijs 269.g.h
Hierusalem ædificator est dominus 300.f.301.c
Hierusalem superna feras portarũ habet confortatas, & benedictionem filiorum suorum, fines quoque suos in pace habet, & frumenti adipis satietatem 302.c.h
Hymnum esse sanctis Dei varie intelligitur 306.g
Hypocritæ mala sua nolunt agnoscere 58.d.e
Hodie, significat æternitatem, quæ non est nisi perpetuum quoddam hodie 3.a
Hodie alicubi significat, tẽpus gratiæ 207.h
Homo, rationalis creatura, vanitates & mendacia vitæ præsentis sequi non debet 6.d.7.b
Homo est peregrinus super terrã, cuius tabernaculum est ecclesia militans, sed patria ad quam tẽdit, est triumphans ecclesia 27.d.e
Homo in scriptura, aliquando pro carnali accipitur 31.h
Homo non fit gratus Deo per temporalia, sed per bonam voluntatem 32.c
Hominis mens, vel anima, verius lucerna dicitur diuini luminis capax, quàm ipsa lux dicatur 35.h
Homo qui in visitatione diuina positus, magna pollicetur atque proponit, vbi paululum derelictus fuerit, experitur suam ex semetipso infirmitatem in bono 57.c
Homo ad considerandum suæ naturæ dignitatem admonetur 58.b & sequent.
Homo multipliciter etiã proprium peccatum subinde ignorat 38.d.e
Homo quilibet à Deo positus est colonus ad excolẽdam cordis sui terram 70.e
Hominis vanitas & instabilitas tam in natura, quàm in actione pulchre describitur per totum psalmum 36
Homo per peccatum suę dignitatis oblitus, per omnia fit similis irrationalibus animantibus 98.c
Homini quid maxime formidandum in die mortis atq; iudicij, ænigmatice declarat propheta 97.f
Homines in hoc mundo laborantes rectissima comparatione assimilantur araneis 194.c.196.b
Hominis nomine interdum diabolus includitur 291.a
Honor regis nostri, Dei iudicium diligit, prolixe & pulchre exponitur 214.a.b.c
Humani generis reconciliationem tempore gratiæ per Christum factam, pulcherrime describit psal. 84.
Humanæ vitæ nimiam breuitatem & magnam miseriã pulcherrime describit psal. 89 quem cum suis annotationibus diligenter lege.
Humani generis salus per Christũ facta describitur 210.c.f
Humani generis totus processus quo egit cum illo Deus ab initio, & aget vsq; ad consummationẽ sæculi, pulcherrime describitur in psalmo 106. per totum psalmum.
Humanæ vitæ tempus comparatur fumo 217.c. Ibidem vide annotationem notatu dignã, de eo quòd tempus bonorum non sic deficit, vt tempus malorum
Humanæ vitæ tempus comparatur vmbræ declinanti 212.b
Humanæ vitæ tempus comparatur gramini, & flori agri, qui vento flante decidit 220.d
Humilitas crucis Christi nidus est fidelis animę, in quo donec requieuerit, secura est ab omnibus periculis 78.b
Humiles saluat & seruat dominus 34.b
Humiles & mites docet dominus vias suas 48.c.d
Humiles Deus respicit, & exaltat ad gloriam, ponitque eos cum principibus 248.b
Humilitas maxima virginis Mariæ ipsam super omnes eleuauit in gloria ibidem f.g
Humilitas maxima etiam nunc in virgine Maria in cælo permanet. ibidem
Humilitatis pulchram formã tradit psalmus 150.

I

Idola sunt vanitas & mendaciũ 7.b
Idolorũ vanitas, & mira impotentia apertissime depingitur 249.e
Idola quare non exerceãt actus vitæ, & sensuum non habeant operationes 251.b
Idumæorum pœna describitur 283.g. & sequent.
Ignis triplex præcedet faciem iudicis venturi, ignis scilicet cõflagrationis, ignis infernalis, & ignis charitatis 219.e.211.e.f
Ignis quidam est in homine malæ concupiscentiæ, qui mirum in modũ exhaurit animæ vires 219.g
Ignis concupiscentiæ malus continuò imminuens hominis vires, ipsum tandem ad nihilum redigit, si non per cibum spiritualem interteneatur 217.d.219.h
Illuminat Deus tribulatos, docens quid agere debeant 58.b
Impius puluери 1.b
Impiorum resurrectio qualis futura sit 2.b
Impiorum iudicium 7.a.b
Impij inimicos suos post hanc vitam non despicient, sed magis suspicient. 302 b. iusti autem econtrario.
Impiorum contra bonos multiplex & vehementer nocendi studium 16.c, 19.g. 22.e. 24.g. 31.b. 63.a
Impij bonũ quod operatur in suis dominus peruertere & destruere conantur 19.c.31.h
Impiorum magna est multitudo 21.h. 24.g
Impios in circuitu ambulare, significat vel illorum multitudinẽ, vel conatum ad nocendum, vel exclusionem à regno, vel circuitum per deuium vitiorum, vel laborum suorum frustrationem 23.f
Impiorum & pauperum oppressorum, atque potentum huius sæculi mira peruersitas, illorumque subsequens perpetua calamitas, econtrario verò iustorum perpetua fœlicitas pulchre describuntur 108. per totum
Impij duplici ratione dicuntur nõ dimidiare dies suos, vt qui non rarò ante senium moriuntur, vel vsque ad terminum quem sibi præfigunt non perueniunt, nec malum propositum in effectum plenum deducere potuerunt 113.e.116.c.118.a.b
Impiorum punitio, multiplici cõparatione describitur 118.a.b.c
Impiorum desiderium peribit, tam de seipsis, quàm de alijs 246.f
Impij ad vtilitatẽ præesse alijs non possunt, sed tyranni sunt, fures, & latrones potius, quàm pastores, aut rectores 288.d
Impiorum in hoc sæculo flenda prosperitas pulchrè describitur 297.a.b
Impij dicuntur obsistere Deo 31.h
Induratum esse, est sedere in cathedra pestilentiæ 1.d
Intellectu solo versari in lege Dei, parum confert 2.a
Intentio cordis humani funiculus dicitur vitæ, vel viæ ipsius, secundum quam rectificantur omnia, quæ etiam oculus appellatur, & nomen imponit operi 288.h
Intellectus bonus ijs qui faciũt quæ intelligunt 245.c
Innocentiam suam, proponit iustus contra suos persecutores 63.d.e 10.h.30.e.f
Iniquitatis ordo & processus 1.g & prolixi. 12.d
Incendi pro tribulari, siue cruciari ponitur in scriptura, ignis verò pro tribulatione 18.c
Interrogare iustum & impiũ quid sit 17.h
Interrogationes factæ Deo in scripturis, non responsionem postulant, sed vel admirationem, vel vehemens desiderium proponentis, siue interrogantis insinuant 24.c.d
Inimicus hominis est praua sensualitas 24.d
Innocentiam & iustitiã suam enarrat tribulatus, vt facilius exaudiatur 47.h. & sequent.
Interrogare aliquando ponitur in scripturis pro obijcere 64.h
Inuocantes dominum ex solo timore non merentur exaudiri, imò hypocritam agunt 154.e
Infernus inferior multipliciter intelligitur, & quomodo ex eo nos Deus varijs modis eruit 184.g
Infernus dicitur terra obliuionis, quia ibi nõ est memoria Dei, vel quia Deus non memor illorum est 186.f 187.g
Inferno appropinquare dicimus eos qui in periculis maximis agunt quasi morti proximi 186.h
Intellectus diuinus sic se habet in cogitatione omnium rerum, quomodo oculus humanus de seipso lumen fundens in quo videat omnia 195.h
Indui iustitiam vel decorẽ, vel confusionẽ, secundum modum scripturę, significat abundantiam 203.a
Inuitatio iucundissima ad Dei laudem & obedientiam, est psalm. 94
Inuitans alios, non debet secunda tantum persona alios aduocare, sed prima se debet etiam includere. 207.c.d
Inuitant ad laudandũ Deum psalmi 95. 97. 99. in quibus etiam creaturæ inanimatæ inuitantur ad laudem atque lætitiam
Inimicos suos quomodo iustus dũ viuit debeat despicere, sic tamen vt timere nunquam omittat 255.a
Inuidia dæmonum & impiorũ hominũ de exultatione iustorum 246.f
Inimicos Dei, odio perfecto debet odire amicus eius 287.e.290.a
Ioannis Baptistæ præcursio ante Christum in psalmis describitur 179.f 181.a
Ioseph indigna humiliatio: & subsequens glorioſa exaltatio 229.b
Ira domini quæ dicatur 3.e
Ira dñi terribilis cõtra illos qui cõuerti noluerint, denunciatur 11.e.f
Irasci non statim debemus, vbi hominum ingratitudinẽ viderimus, quibus bona contulimus, sed potius exẽplo Christi orare 200.f
Ira Dei contra nos non est ex voluntate Dei, sed est ex indignatione, quam nosipsi peccatis nostris contra nos prouocamus 53.h
Ira Dei non est perpetua, aut implacabilis erga suos, sed superatur à misericordia 222.a
Ira Dei in scriptura, nunc per calorem vel ardorem, nunc per frigus significatur, & quomodo duobus modis his Deum intelligamus irasci, exẽplo

plo sensibili solis declaratur 304.a
Ira & indignatio contra peccatum laudabilis 10
Irridet dominus impios 3.c & pulchre 70.h. & sequent.
Iter impiorum peribit 1.e.& 2.c & 24.prolixius 26.b
Iudæorum peccata multa, & frequenter nimis iterata, commemorat psalmus 105.
Iudei omnia sua faciebant quodam impetu & celeritate: propter quod nō erant in proposito stabiles 233.g
Iudæa facta est deserta & infrugifera propter malitiā inhabitatorum: gētilitate electa ex Dei gratia 236.b.c
Iudæorum contra Christum malitiam plene describit psalmus 108 & maledictiones continet seueriſsimas, quę illis superuenerūt propter interfectionem sui messiæ 238.g per totum
Iudęam pręter consuetudinem pro tribu, & sub tribu totum populum Israël ponit propheta 250
Iudęa quomodo facta est sanctificatio domini in exitu filiorū Israel. ibid.
Iudæ traditoris episcopatum alter accepit 239.b
Iudæ proditio manifestè prędicitur à propheta 78 c.& seq.
Iudico verbum cū accusatiuo, aliquando in bonam, aliquando verò in malam partē sonat. Iudicat enim Deus iustos & impios, sed nimium differenter 317.a
Iudicare iustitiam quid sit 17.c
Iudicium domini iam paratum est 33.f
Iudicij in illo magno die placare Deum super peccatis nostris non poterimus, nec muneribus, nec precibus: nec tunc nobis vllius patrocinium suffragabitur 97.h.101.h
Iudicium Christi extremum nemo effugere aut declinare poterit, neque diues, neque pauper, neque viuus, neque mortuus 155.a
Iudicium Christi duplex, alterum in primo aduentu, alterum in secundo, vtrunque in æquitate 209.d 210.
Iudicium extremum quàm sit futurum gloriosum, quamque terribile, ac plura alia de illo scribuntur 156.c
Iudicij diuini memoria facit hominem cautum & solicitum in omnibus 156.e.157.c
In iudicio disponere sermones & opera, quid sit, & quàm beatum 146.c.147.c
Iudicibus omnibus in terra vicem Dei gerentibus, veri iudicij forma præscribitur, quibus etiam male suadentibus, terribilis comminatio intentatur 171 g. per totum & pulcherrime ibidem in annotationibus
Iudices quicunque, siue spirituales, siue sæculares, vices Dei gerunt: propter quod in scripturis dij appellantur 272.e
Iudicum peruersitas peruertit omnia quę in mundo sunt, siue sursum, siue deorsum. 173.c
Iudiciariæ sedes apostolis cū Christo datę sunt, vt cum eo veniant ad iudicium 269.h
Iudicium exercebunt sancti cum Christo in malos & reprobos 306.e
Iudicium in nobis dirigit honor Dei, quod pulchre & prolixe exponitur 191.d.& sequent.
Iugum ducere cum infidelibus & peccatoribus nō debemus, & quid sit iugum ducere 3.d
Iumenta saluari à domino, quo intellectu accipiendum sit 66.g
Iuramentum Dauid factum, est ipsa promissio: & iurare Dei, est promittere 190.h
Iurat aliquando Deus per semetipsum expresse, sed quàm rarissime, vt etiā ipse nomē suum sanctificet, quomodo præcepit nobis 208.d
Iurare malum est, quāuis iuramenti adimpletio sit obligatoria 27.e
Iustus, arbori iuxta fluenta aquarū semper virenti assimilatur 1.b
Iustus de tribulatione quam sustinet poscit auxilium, ac simul in domino suam cōfidentiā excitat 4.c.15.e. 22.c
Iustum diuina voluntas velut corona circundat, ac velut scutum protegit 9.58.c
Iustitia est via ad veram cordis pacem 26.c
Iustitia perfecta est, declinare à malo, & facere bonum 27.e.61.e
Iustitia integra includit veritatem cordis, oris, & operis, & pulchrè ista describitur psalmo 14. & in annotationibus
Iusti in triplici distinctione inueniuntur 48.e
Iustitię atque pietatis est indicium, loca sancta & alia quæ ad diuinū cultum pertinent venerari 41.b
Iustorum in diuino adiutorio fortitudo, victoria, & securitas 49.a
Iustum cadentem dominus statim subleuat 69.d
Iusti sua elargiuntur, & tamen nunquam egent 86.d.71.c
Iustitia Dei dupliciter intelligitur in scripturis, & vtroque modo Christus nobis annunciasse dicitur iustitiam patris. 95.d. De hac duplici iustitia vide etiam 218. h. & quomodo vtranque annuntiauit Christus.
Iusti post hanc vitam dominabuntur impiorum, à quibus in præsenti vita persecutiones & oppressiones sustinuerunt 103.e
Iusti in hac vita duplicem habent molestiam, vnam ex difficultate virtutis quam operari volunt: alteram ex oppressione obuenientium malorum, siue ex corporis infirmitate, siue ex inimicorum persecutione 149.d. & sequent.
Iustus continua examinatione seipsum dijudicare debet, præcipue matutinali tempore, quando pacata sunt omnia 150.b
Iustitias iudicare, accipitur in scripturis secundum duplicem intelligentiam 154.e
Iustitia Dei vna est, qua iustis bona retribuit secundum merita, malis autem similiter mala secundum illorum demerita 155.b
Iustitia & pax, siue misericordia in humani generis per Christum reconciliatione, quomodo se inuicem osculatæ sunt & redactæ in concordiam, buæ vsque tunc fuerant quodam modo dissidentes 179. b. & prolixius 180. b
Iustitia tempore gratiæ quomodo de cælis prospexit 179.c.80.g
Iustitia tandem aliquando conuertetur ad iudicium, quòd varijs modis intelligitur 204.f.& 205.e
Iustitia perfecta exigit, vt & in alijs sicut in teipso odias impietatem 216.e
Iustus palmæ florenti, & cedro libani aperta ratione comparatur 200. h.201.g
Iusto quem Deus erudierit in sua lege, bene erit in diebus malis, quando impijs erit pessime 204.e
Iustus erit in memoria æterna, non timebit ab auditione mala, paratum cor habens ad sperandum in domino, nec commouebitur donec despiciat inimicos: sed impijs omnia in cōtrarium euenient. 146. d Prolixius autem & plenius hæc sigillatim exprimuntur 147. c Vide annotationem lectu dignam.
Iustus homo præcepta Dei habere debet suum consilium, vel suos consiliarios 257.b.264.c
Iusti omnes Christū expectabunt, donec accipiant suā gloriam 294.g
Iustorum vnūquenque iusti omnes expectant ad retributionem 294.a
Iustificabitur nemo in conspectu Dei quomodo intelligendum 265.a
Iusti suum populum in æternum habet sibi à Deo subditum, non autem impij 297.b
Iuuen-

Iuuentutem nostram Deus lætificat 83.84.c
Iuuentutem suam habet anima sicut & senectutem 84.c.142.d
Iuuentus nostra renouatur à deo sicut aquilę. 221.b.223.d.& sequent. vbi comparatio illa spiritualiter exponitur.

L

Labor impiorum in peccatis suis vanus est & inutilis. 23.e & prolixius 25.h.31.b
Labor hominis circa bonorum temporalium immoderatam congestionem ex hoc manifeste vanus conuincitur, quòd animæ non adferat verum commodum: insuper & in morte ea omnia cogitur relinquere alijs 98.a
Labores quos impij in hac vita ferre incipiunt, in perpetuis tormentis consummabunt, eritque hac ratione illorum labor perpetuus. 99.g h.& sequent.
Labores manuum suarum manducabit in beatitudine iustus 27.4.h
Labor frequenter pro afflictione ponitur 187.h
In laboribus quomodo fuit Christus dominus à iuuentute sua. Ibidem
Laborem fingunt impij in præceptis Dei, cum sint æquissima, leuiaque, & minime grauia 104.h 205.b
Lac in in scriptura non semper doctrinam tātum infirmorum significat, sed generaliter omnem salutarem doctrinam 13.g
Lactentes & infantes quare appellentur Apostoli sancti 13.g
Lachrymæ sanctis In peregrinatione positis sunt panis ac cibus, quo se consolantur & pascunt. 81.g
In lachrymis seminātes, metent cum exultatione 262.h. & sequent.
Lachrymarum vallem homini posuit Deus hunc mundum ad vltionem primi peccati, eandemque etiam sibi homo posuit per peccati consensum 178.d
Languores nostros Christus tulit 223.c
Lapides in ædificio Ecclesiæ, sunt fideles per ministerium Apostolorum in compositionem Ecclesiæ compacti 218. g & quomodo hi lapides Apostolis ædificantibus placuerint 220. e
Lapis reprobatus Christus dominus quomodo factus est in caput anguli 244.d.245.b
Laqueus qui paratur alijs non raro parantibus sit in scandalum & ruinam 11.b.15. 18.b.63.c.68.e.f
De laqueo venatorum in se confidentem liberat dominus psal. 90
Laqueus per Deum conteritur, & nos liberamur psal. 123. vers.6
Latitudo cordis spiritualem consolationem significat 6.h
In latitudine ambulant serui Dei fideles, licet secus iudicent carnales homines, qui ipsi magis ambulant vias angustas & difficiles 258.a 265.d
In latitudine Deum exaudire inuocantes quid significet 254.h
Latissimum est mandatum Dei. 266. c.& sequent.
Laudare Deum non potest laude accepta, qui est immundus corde 8.a 60.d
Laudari verbum subinde vsurpatur pro gloriari vel lætari 62.c.233.b. c.prolixius
Laudari debemus in domino, id est, lætari & gloriari 233.c
Laudare Deum, ipsumque in omnibus tribulationibus cum fiducia inuocare, est ei sacrificium gratissimum, quo & summe honoratur magisquàm in corporalibus obsequijs 101. h.& sequent. 106.f
Laudant plerique deum sufficienter, quantum ad exteriorem cultum attinet, quia tamen ab eo sunt corde aduersi, conqueritur de eis. 101. h
Laudare deum in spiritu & veritate grauissimum est ei sacrificium 107.h & sequent.
Laudare deum monetur omnis creatura rationalis & irrationalis, animata in supernis & infimis. psal. 133. & 134.
Laudare dominum monemur in omnibus instrumentis musicis, ad indicandum, quòd nullis modis dignè satis possit laudari 37.e.f
Laudis diuinæ materia dignissima est consideratio rerum omnium quibus cum humano genere mirabiliter agit, & specialiter quæ operatur circa electorum salutem 306.f.g
Laudari deum contingit laude sibi acceptissima ab ijs qui psalmos proferunt minimè intellectos. Vide annotationem consolatoriam pro simplicibus & deuotis deo 294. c.d.
Legem dei tam in prosperis quàm in aduersis opportet meditari 1.h
Legis Dei multiplex commendatio 26.h
Legis nouæ fœlicitas atque fœcunditas pulchre describitur 134.f.per totum ipsum.
Lex Dei multis appellatur nominibus, sed rationibus diuersis 256.b
Lætificari volentes à domino debent ad ipsum leuare animas suas, atque consolationibus alienis abstrahere 182.g
Lætantur sancti pro diebus quibus viderunt mala, sicut lugent damnati pro diebus quibus viderunt sæculi bona 165.g
Lætari monemur & in lætitia seruire domino 214.h
Leuare manum in scripturis duo significat, vel modum iurandi, vel extensionem potentiæ ad vindictam 233.h
Liberamur à malo, vt faciamus bonum 18.a
Liberat dominus pauperes & tribulatos de opprimentium manibus 22.c.
Libertas & securitas falsa, quam sibi persuadent impij, describuntur. 85.e
Liberari si volumus à malis præsentibus, primum à nobis radicem & causam plagarum, id est, peccata nostra auferamus 75.e
Liber inter mortuos solus Christus fuit 187.d.e
Libere agit deus in punitione malorum quantumuis potentium, cum longe diuersum sit de sæculi iudicibus 203.h.205.d.
Liber vitæ quis sit, & qui in eo scribantur, & quomodo scribantur in eo 78.a
A ligno quomodo regnauit Christus 210.a
Linguam & labia oportet iustum compescere 61.d.262.c
Linguæ dolosæ mala suggerenti opponuntur verba dei poten. 268.b
Linguosus homo non dirigitur vel prosperabitur 290.h
Lingua mala, res pessima 292. b.d.
Liquefacit emissum verbum domini corda pœnitentium & proficientium, sed differenter: illos ad lachrymas pœnitentiæ, hos ad aquas maioris gratiæ 302.f 304.d
Lixiuio comparatur correptio fraterna, quæ multo præstantior est oleo adulationis blādissimo, quodcorrumpit homines 291.h
Loqui malum damnabile est, sicut & malum operari 31.g.h
Loqui iniquitatem in excelsum quid sit 150.a
Loquax homo similis est ciuitati non habenti portas, vel domui absque ostio, vbi ingreditur quisquis

voluerit: sic & sermo de ore loquacis 292.c
Lucerna Christi dicitur Ioannes Baptista rationibus congruentissimis 279.b.& sequent.
Lumen diuinũ super nos signatum dupliciter intelligitur 6.g
Lumen rectis oritur in tenebris. 146.c.147.
Lumen vultus Dei dirigit iter fidelium 189.f
Luminaria duo magna appellantur sol & luna 281.d.h
Luna cum stellis facta est in potestatem noctis 281.d.h
Lux iustis in hoc mundo oritur fidei, cui in futura vita succedit perfecta lux visionis 211.b.c.h
Lux nunc seminatur iustis quã pòst metent Ibidem
Luciferi nomine quid intelligatur, cum dicitur, Ex vtero ante Luciferum genui te 143.c

M.

MAlum quod alijs paratur, non nunquam in caput recidit parantis 6.h.18.b.64.g.68.g.
Malitia peccatorum contra Deum 16.a
Malorum maior numerus, quam bonorum 21.h.22.d.25.e
Mali sic agunt omnia pro libito, quasi omnia à seipsis haberent, nec esset eorum aliquis dominus 21.h.22.h 25.d.e
Malorum consortium vitandum 47.a
Malorum obstinata peruersitas contra deum aptissime describitur. 7.a
Mali aliquando nolunt intelligere quid saluti illorum conueniat. 65. f.g
Mala plurima que obueniunt homini, etiam in corpore, in peccato perseueranti 71.b.g
Mali homines dum vident bonis aduersi aliquid accidere, gaudent insultantque illis 77.a
Mali in Ecclesia quodammodo necessarij sunt ad bonorum exercitium 1.7.g.h
Malorum studium contra bonos atque illotũ subita punitio pulchre describitur 123.g per totum
Mali eo ipso quòd in hoc mundo aduersa nulla patiuntur, extra numerum filiorum dei esse probantur. 149. g.h
Maledictiones aduersus populum Iudæorum nimium terribiles habet psalmus 108.
Maledictionem qui diligit, accipiet eam: & qui benedictionem fugit non obtinebit eam 239.h.245.d
Maledictionem quomodo dicantur mali diligere, & benedictionem nolle, cum omnes natura bonum appetant, & malum fugiant Ibidem
Manens in Deo vtilis est ad omne bonum 25.f
Mandata dei sunt fidelia, & in sæculum confirmata & in veritate dispositа 245.b
Mansuetos exaltat Deus in salutem 306.d
Mansueti dicuntur populus domini Ibidem.h
Manus quomodo varijs modis dicatur Deus ponere super creaturã quam fecit 288.b
Manutentione dei omnibus opus est creaturis Ibidem
Manum aggrauare vel leuare super aliquem significat vltionem Ibidem
Manus nostras ad prælium & digitos ad bellum docet Deus 266.b
Manus domini aperta escam commodam præbet omnibus 226.h 298.g
Manus leuare debemus ad operandum quæ dei sunt, non solum lingua de eis loqui 258.a.265.d Et ibidem quòd manus non solum extendere oportet, sed eleuare ad ad man data dei.
Mare ingressi sunt Apostoli ad faciendum operationem in aquis, quando exierunt ad prædicandum populis 235 f
Mare plenum admirabilibus natatilibus paruis ac magnis 226.h
Maris admirabiles elationes comprimit in cælis dominus, quod tam de mari corporali quàm mystico veritatem habet 202.g.& seq.
Maria virgo Solis nomine signatur 38.a
Mariæ vterus, thalamus Christi fuit Ibidem
Mariam benedictam quomodo Ecclesiasticus vsus canit ab initio & ante montes creatam 143.f
Maria benedicta propter humilitatem infimam, summam meruit exaltationem 248.f
Maria virgo terra est benedicta, de qua veritas Christus orta est, & quæ benignitatem dãte deo dedit fructum suum, de spiritu sancto gignens filium 176 e.f.180.f.181.e.f
Mariæ virginis prius mentem gratia quàm vterum fructu impleuit spiritus sanctus 111.f.& Ibidem
Quomodo Maria terra nostra dicatur.
Mariam matrem suam Christus in Psalmo ancillam dei nominat, sicut ipsa seipsam appellauit in suo cantico 183.c
Martyribus conuenit psal. 115.
Matris ab vtero nos Deus suscipit formando, & facere exorsus est 288.h
In matutino interficiendi peccatores 215.h.216.g
Meditatio diuinæ legis sine bona voluntate inutilis est 1.h
Meditari amplius est quàm contemplari aut speculari, & quid sit meditari 2.a
Medicus animæ Deus 221.c. 223 c
In medio domus suæ pater familias debet perambulare, & princeps in medio regni, non latere in angulo, neque in ocio sedere. Vide pulcherrime 216.c.d
Meditatio sola legis dei non sufficit Christiano, sed adesse simul debet bona voluntas & bonum desiderium 2. a.b 26.3.d.e
Melchidech quomodo in pluribus typum gesit Christi, & quare secundum ipsius ordinem dicitur Christi sacerdotium 143 g.h
Memoria frequens peccatorum nostrorum vtilis est 74.c.& seq.
Memoria cælestium bonorum delectabilis est animæ deuotæ 82.c.d
Memoria beneficiorum & operum atque iudiciorum dei multa bona facit in hominibus: horum autem neglectus, omnis remissionis & tepiditatis origo est 155 d.157.c
Memoria dei delectat spiritum facitque despere omnia inferiora & terrena 157.f.& seq.
Memorari debemus semper, & frequentius, nobiscum expẽdere præsentis vitæ & omnis temporalis delectationis breuitatem, sequentis verò temporis & gaudij cælestis æternitatem 157.c.d
Mendacium & vanitas pro quibus accipiantur in scripturis 7.b
Mendax omnis homo 252.b
Mens humana non lumen est, sed lucerna, luminis scilicet diuini capax 35.h
Meridianum dæmonium quid sit 196.f & prolixius 199.c
Metent in gaudio qui seminauerint in luctu 273.a.c
Miles Christi debet etiam appetere be lum eum inimicis Christi 5.c
Miserorum adiutor dominus. 18 h
Misericordiam negare, est adipem concludere 32.b

Miseri-

Misericordiæ pluraliter in scripturis pro miserationibus ponitur 47.b
Misericordia domini apparet etiam in his qui à testamento dei sunt alienissimi 47.c
Misericordia magna est, quòd dedit nobis dominus legem 47.c
Misericordia domini iustum velut corona circundat 10.h.57.c
Misericordiam & iudicium diligit dominus in se & in seruis suis 59.c
Misericordia dei ad homines mirabilis ostenditur 65.h
Misericordia dei quomodo dicatur specialiter in cælo esse 66.f
Misericordia in pauperes, quàm sit Deo placita, quam vtilitatem etiam afferat in præsenti 79.f.& sequent.
Misericordia dei sola potest exhaurire peccatorum nostrorum inexhaustam profunditatem 82.d
Misericordia dei omnibus hominibus æque est communis 97. g.h
Miseria vera quæ sit in hoc mundo pulchre declaratur psalmo 48.
Miserationis & misericordiæ differentia 60.c.d
Misericordia domini melior, est qualibet vita delicijs plena super terram. 122.c
Misericordia & veritas quomodo sibi obuiauerũt in humani generis per Christum reconciliatione, pulchre declaratur 179.c. 180.b
Misericordia dei sustentat periclitantes de lapsu, & secundum multitudinem, dolorum consolationem multiplicat 204.h
Misericordia dei magna non patitur ipsum perpetuò irasci, aut reddere nobis secundum demerita peccatorum nostrorum: per quam etiam nobis donat peccata, aspiciens figmentum nostrum 223.b
Misericordia magnanimis conuenit: propter quod Deus vt maxime magnanimus, ita summe misericors est, maxime erga miseros homines 224.b
Misericordiam & veritatem diligit Deus 176.c
Misericors & miserator duo hæc vocabula quomodo conuenienter secũdum significationem distingui possint 145.g
Misericordis hominis & disponentis omnia in iudicio maxima commendatio. 246.d. 247. prolixa & pulchra annotatio: & per contrarium omnia de impijs & misericordibus.
Mites & humiles docet dominus vias suas, tam præceptorum quàm consiliorum & operum 47.c.& sequent.57.h
Miserationes Dei esse super omnia eius opera, quomodo intelligendum 299.c
Mysticæ interpretationes sub breuitate positæ paruam plerunque habent gratiam 227.d.e
Mysterium conceptionis Christi de virgine, ex operatione spiritus sancti, in psalmis prædicitur 179.f. 180.b
Mysterium incarnationis Christi describitur in psalmo. 86.
Mysterium corporis Christi in Sacramento altaris indicatur psalmo. 110.
Idem psalmo. 4. 21. 22.
Myricæ in deserto assimilatur qui confidit in homine 300.b
Modus obijciendi in psalmis per hanc particulã, & dixi, vel & dixerunt, aut consimilem 288.d
Monitio pulchra & efficax fidelium tempore gratiæ, ne similes fiant inobedientibus Iudęis, ne & in pœna fiant similes 289.a. 206.h
Monoceros siue vnicornis cornu habet insigniter exaltatum, propter quod magnifica exaltatio per ipsum nonnunquam in scriptura exprimitur 201.f
Mons superbiam significat in scripturis 20.c
Et quomodo prohibetur anima ascendere in montem, & quomodo aliquando iubetur volare in montem Ibidem
Montes appellantur sancti Apostoli. 184.a. Sed mons vnicus summus Christus, super quem montes illi sunt fundati 185.a
Montes suam eleuationem habent ex dispositione dei, sicut & vallis suam depressionem, & quomodo montibus suus sit àdeo definitus terminus, vt terram non operiant 221.f
Montes exultastis sicut arietes, & cætera. varijs modis exponitur 249.c. 250.f
Montes significare possunt angelos & sanctos, & in montes istos quomodo possit fidelis leuare oculos 268.h
Morbi animæ sunt peccata & malæ inclinationes ac prauæ consuetudines à quibus solus Deus sanat 221.f. 223.b
Moriendi ineuitabilis necessitas à psalmista indicatur 193.g
Moriendi necessitas non ex dei bona voluntate, sed ex dei ira & nostra culpa procedit 194.b.195.h & alio in loco 224.a
Moriendi salubriter videtur conuenientius tempus pueritiæ aut senectutis, quàm illud quod est medium ob causas multas 221.a. b
Mors peccatorum mala 62.b
Mors omnes absumit, siue diuites siue pauperes, siue bonos, siue malos 97.f. per totum
Mors sanctorum preciosa in conspectu domini 252.d 253.d
Mortis & vitæ portæ quæ dicantur 18 a
Morti proximis conueniens est psalmus 141.
Mortis dies aufert omnes cogitationes filiorum hominum 299.f
Mortuos sæculi varijs modis dicimus 295.f
Moriens homo, secundum corpus reuertitur in terram suam, & quomodo in terram suam dicitur redire. 299. f.300.c
Motus inordinati gulæ, iræ, siue alterius peccati, quanuis ex suo genere mali sint nostra tamen mala non sunt sine voluntatis consensu. 38.d.& sequent.
Munditiam cordis diligit deus, & illam requirit ab orante 8.a.b 60.d
Mundiciam cordis non maculant tentationum impetus 37.d

N

NEebulam spargit Deus quasi cinerem 302.c.303.g
Negligitur Deus à peruersis 16.a
Negligentia & desidia prælatorum siue principum in Ecclesia Christi parit damna plurima 215.c. 216.c
Negocium perambulans in tenebris quid sit 196.f.199.a
Nidus animæ in quo tuta quiescat Christus est, extra quem si euolauerit, sagittis inimicorum patebit 20.g
Nidum sibi debet quærere rationalis homo, exemplo irrationalium auium, in quo tutus habiret iuxta suæ naturæ conuenientiam. 175.h.& prolixius 177.b
Nycticorax dictio Græca quid significet, & ex quibus componatur 220.
Niuem Deus facit sicut lanam, & quomodo per niuem significantur electi 303.h

Nomina peccatorum non recordatur Deus, vbi vere conuersi fuerint 17.c. & pulchre 29.d
Secundum nomen dei, laus eius: & vnicuique secundum suum nomé laus & honor competit 96.h
Nominatiuus casus aliquando in psalmis propter emphasim absolute ponitur 21.b
Nominatiuus pro vocatiuo positus more Græcorum.
Nomine suo rem nuncupare aut nomen rei imponere, præsupponit eiusdem rei notitiam 301.d
Noua vita donat homini nouum nomen 29.d
Nouellis tyrunculis in deo nõdum bene firmatis cauendum, ne cum hæreticis aut peruersis misceantur in disputationem 73.d
Nouæ legis fœcunditas atque fœlicitas pulchre describitur 152.per totum ipsum folium, & in alijs quam plurimis locis.
Nouellis oliuarum plantationibus comparantur filij timentes dominum 274.h
Nox æque atque dies lucet deo, nec minus in nocte quam in die videt omnia 288.f
Noctibus monemur leuare manus in sancta, quod dupliciter intelligitur 280.d
Noctis nomine Iudæi atque Gentiles Philosophi intelliguntur, & quomodo nox nocti indicet scientiam 37.f
Nocturnæ vni vigiliæ comparatur totum tempus vitæ humanæ, etiam 193.h.195.f
Nocturnus timor nihil nocebit confidenti in domino 197.d
Nocturnus timor quid sit, multiplex expositio 199.a.b
Nubes Deus ex extremo terræ eduxit 280.h.281.g
Numerus fidelium in exordio Ecclesię minimus, post factus est ad modum arenæ maris plurimus 287.a.289.
Nuptias geminas in vtero virginis Christus celebrauit, alteras cum humana natura & ecclesia, quas sicut in vtero matris incepit, ita in cruce consummauit 38.e
Nuptiarum Christi & Ecclesiæ iucundissima gaudia propheticè describuntur 87. per totum.
Nuptiale carmen & dulce epithalamium est psalmus 44.

O

OBedire Deo iustissimis rationibus debet omnis homo 121.g
Obedientia præceptorum dei maxime est homini necessaria, quàm oblatio sacrificiorum corporalium 102.b. & sequent.
Obstinati in peccatis sedent in cathedra pestilentiæ 1.f
Obstinatorum hominum terribilis punitio 11.f.20.
Obstinatio peccatorum pulchre describitur per comparationem aspidis surdæ & obturantis aures suas ne sapienter incantantis vocem exaudiat 116.b
Obstinatorum in malo terribilis pœna describitur 131.a.& sequent. 134.d
Obumbrat super caput nostrum Deus in die belli 290.f
Obiurgatione acerrima increpantur, qui alios docent quæ ipsi non faciunt 102.d.& sequent.
Obiurgatione seuera feriuntur, qui in æquissimis dei præceptis laborem fingunt, & ob difficultatem se excusant, quasi ea non possint implere 205.b
Obuiauerunt sibi misericordia & veritas in reconciliatione humani generis 180.a
Obuiam ire significat interdum condescendere: quomodo dicimus Coniuges debere sibi mutuo ire obuiam Ibidem
Ocium est occasio detractionis aduersus proximos, & aliorum multorum malorum 103.e
Oculi domini super iustos & timentes eum 60.b. 61.f
Oculo de se illuminato non indigenti extrinseco lumine pulchre comparatur intellectus diuinus 196.a 288.f
Oculos nostros sursum debemus habere ad dominum, exemplo seruorum temporalium 97 g
Oculi stultorum sunt in finibus terræ Ibidem
Oculos fideles leuant in montes 268.h
Oculi domini quomodo dicantur esse lucidiores sole 196.a
Oculos nostros debemus à vanitate auertere, similiter & sensus cæteros 268.h
Oculi domini quomodo nostrum imperfectum vel informe viderint & substantiam nostram in inferioribus terræ 288.h
Oculi omnium sperant in domino 298.f
Odio habere debemus inimicos dei perfecto odio, & quid dicatur perfectum odium 288.e 290.a
Odium perfectum malitiæ habuit Dauid, & habere debent omnes, maxime qui præsunt Ibidem
Odit Deus omnem immunditiam & omnem iniquitatem 7.h.8.a.b
Odit & liuoris progressus 11.f.& prolixius 12.
Odium animæ duplex 11.e
Oleum adulationis pessimum, & summe execrandum omnibus iustitiã tenere cupientibus, & præligendum seueræ correptionis lixiuium 291.h 292.e
Olei quis vsus, & quomodo exhilaret faciem hominis 222.a.241.e
Opera iustorum nouit dominus, ea approbando 1.d
Opera iustorum peribunt. 1.d.&.2.b
Opera hominum peccata intelliguntur in scripturis: virtutes autem opera dei dicuntur 42.h
Operari malum, & etiam loqui mala, prohibitum est 42.g.h
Opera exteriora seruire debent mandatis dei, & secundum illa regulari, vt sine quibus illa nihil prosunt 21. per totum. 103.d.106.a
Opera domini omnia in sapientia facta sunt 227.f
Opera domini magna & exquisita confessione quoque & magnificentia plena 244.h
Oppressio pauperum multiplex 16.d
Oppressores innocentum arguuntur seueriſsime, qui gloriantur in diuitijs & malitia sua: quorum etiam calamitas æterna pulchre ibidem describitur psal. 51.& 52.
Opprobrium verum quod metuit spiritualis homo, est consentire peccato, non autem temporalia opprobria 265.c
Opera dei anima hominis sufficienter cognoscere aut digne considerare non potest 295.b
Oratio peccatoris pœnitentis psal. 6. & alia consimilis. 217. per totum psal.
Orans qua ratione possit suam infirmitatem ac fragilitatem proponere 10.
Oraturus, mundus deo assistere debet 8.a.60.d
Oratio iusti tribulati, siue à malignis spiritibus, siue ab hominibus eum persequentibus, vel ad peccatum trahere volentibus, pro sua liberatione 10.g.15. e.25.h
Oratio non semper exauditur, & quare exauditio aliquando differatur 19 g.h.108.h
Oratio hominis bene confidentis de domino Deo, contra illos qui ei volunt in via Dei nocere, & ad malum pertrahere 19.g
Oratio Christi pro se & suis membris beneficia sibi & suis exhibita cõmemorantis 28.a & sequent.
Oratio innocentis qua contra iniuste sibi aduersantes petit fieri iudiciũ, sieque in iustitia stabiliri 30.e.f per totum
Orare debemus dominum, vt consummatos nos faciat virtutibus, secundum suam volũtatem, priusquam hinc nos auferat 139.c
Orare possumus pro immunitione potestatis impiorum 32.e
Oratio pulchra pro regibus & alijs præsidentibus, siue in temporalibus siue spiritualibus 38.g per totum
Oratio dulcissima pro cognatione Dei & mandatorum eius 46.e
Oratio iusti sedulo ad perfectionem innocentiæ conantis, in qua de inimicis petit iudicium, simul suam proponens iustitiam 47.g per totum
Oratio efficacissima & bene notanda, complectens omnia necessaria salu ti nostræ 49.d
Orationis forma ex consideratione pœnarum & retributionum quæ manent impios 54.per totum
Orare iugiter debemus pro peccatorum remissione, si sanctitatem perfectam sectari cupimus 57.e 58.g
Oratio continua reddit hominem securum, seruatque illum ne tentatione succumbat 57.f
Orare debemus exemplo Christi, quando malum nobis pro bono reddi videmus, idque duplici ratione 240.h
Orationes & clamores iustorum apud dominum exaudiuntur 61.e
Oratio iusti tribulati contra suos inimicos ad deum suum vltorem, defensorem & soluatorem 62.h per totum
Oratio iustorum in sinum eorum reuertitur: malorum verò oratio in ventum abit 65.a
Oratio deuota hominis tentati & tribulati, maxime quando malę concupiscentiæ ardoribus vehementius vritur 71.c.f. per totum
Orantes pro misericordia Dei in tentationibus & tribulationibus atque alijs malis, primum animam ab omni peccato expurgare debemus 75.f
Oratio iusti contra omnia mala præsentis vitæ, contra spirituales deiectiones desolationes, &c. 83.b
Orantes introimus ad præsentiam diuinæ maiestatis 84.e
Oratio ecclesię & fidelium tempore generalis afflictionis, desolationis, vel persecutionis ab hæreticis vel alijs infidelibus 84.h per totum
Oratio vocalis non intellecta ab orante, quando & quomodo possit esse Deo accepta 94.c
Oratio pœnitentis deuotissima & efficacissima 105.b per totum
Oratio tam pro spiritualibus, quàm pro corporalib⁹ tribulationibus 116.h
Ad idem est oratio 111.f.& seq.
Oratio populi fidelis pro omnium illuminatione 128.e
Orare semper debemus pro perpetua nostri in diuina seruitute custodia ne qui in iuuentute deo adhæsimus, in senectute Deum derelinquamus 142.c.d
Oratio pulcherrima & efficacissima tempore persequutionis Ecclesiæ, siue ab infidelibus siue ab hæreticis psal.73.& 78. per totum
Oratio facilis & multum deuota est psal.85.
Orationem nostram postulamus dirigi, sicut insensum in conspectu domini 291.c.f
Oratio iusti penetrat nubes, & recta scandit sursum, cum oratio impij repellatur, nec permittatur ascendere 292.d
Ornamenta animæ, fides & obedientia 91.d
Orphani & pupilli deo relinquuntur defendendi & protegendi 18.b
Orphanorum pater & iudex viduarum est Deus 129.e
Osanna quod vulgo legitur, legi debet Hosianna. id est, salua obsecro 255.g
Os loquax est quasi ostium absque clausura pessulo 291.e
Oris voluntaria appellantur laude spontaneæ: & quomodo Deo magis quàm manus voluntaria offerre debemus 266.g
Ori nostro postulare debemus claustrum & ostium. 291
Ossa tam corporis quàm spiritus dicit pœnitens quasi cremium aruisse 217.d.219 g
Ossa hominis quanuis tecta pellæ & carne, Deo non sunt occulta 286.h
Ossa martyrum secus infernum dissipari quid sit 292.b
Ossum meum dicit Augustinus pro os meum: melius dicens vt reprehendant grammatici, quàm non intelligant populi 286.a

P

PAlmæ & cedro comparatur iustus 200.h.201.g
Panis obliuio facit cor arescere, tam secundum corpus, quàm secundũ spiritum intelligendo 217.c. 229.h
Panis spiritualis in scripturis quis appelletur 220.h
Panis cõfirmat cor hominis, vinum autem lætificat 222.a
Panem suum spiritualem oblitus comedere deficit 217.e.220.h & ibidem quis iste sit panis animæ necessarius.
Panem vel cibum animæ sumere non valet qui rostrum habet aduncatum. id est, rationem à sensualitate superatam 223.f.g
Parcere subiectis & debellare superbos ad magnanimum spectat 216.c
Pascua in qua nos Deus posuit, Ecclesia est 43.h
Pascua duplicia quibus Deus fideles pascit 207.h
Passeris asperæ cantioni pœnitentis clamor apte comparantur 217.g
Passerum & turturum exemplo spiritualis homo monet seipsum cælestes mansiones quærere 175.h 177.b
Passeres in terram promissionis vilis erant pretij, & in multitudine maxima 277.c
Passeri solitario in tecto comparatur pœnitens 217.g
Passio facit male iudicare etiã quantum ad Deum 8.g
Passio Christi eiusdemque resurrectio manifesto vaticinio prædicuntur 40.g.h
De passione Christi psalmus 87. pulchre exponitur 185.h
Passionis Christi tempus appellatur dies virtutis cõgruentissima ratione, vt pote in qua fecit magnificam victoriam 243.e
Patrem se nobis ostendit Deus figmenti nostri miserendo 222.c 224.b
Patriarchas peregrinantes mirabiliter protexit Deus, ita vt pro eis reges corriperet 224.b 229.a
Patientiæ triplex gradus 48.c
Patientibus iniuriam Deus facit iudicium 299.g
Paulus fuit palma inuicta 291.g
Pauli Apostoli conuersio prædicta fuit à Psalmista, psalmo 67. Cuius Prophetiæ congruentiam nota

Paulus cum Beniamin confertur aptissimis comparationibus Ibidem
Pauimemto animam adhærere quid sit, multiplex expositio 264. c.d
Pauperibus qui suas facultates dispersérunt, horum iustitia sempiterna permanet ante deum, quanuis cesset distributio 246.c
Pauperis iudicium contra suos oppressores 15.c.24.h
Pauperes & vere humiles Deus semper adiuuat, & ab hæreticorum contentionibus ne seducantur, custodit 137.a
Pauperum & miserorum semper recordatur dominus, etiamsi ad tempus relinquere eos videatur 15.c.d.16.e.f & pulcherrime 18.h
Pauperum æque ac diuitum debet curam gerere princeps vel quiuis præpositus: quomodo Deus omnium ex æquo est creator 216.c
Pauperum & miserorum oppressio ab impijs 16.d.24.h
Pauperum adiutor dominus 16.e.f & pulchre 145.g
Pauperes quomodo à stercore & terra Deus exaltat ad gloriam. 248. a.g
Pauper spiritus facit hominē ditissimum 61.c
Pauperes non debent inuidere diuitibus 70.g
Pauperum orphanorum, atque viduarum causas & partes tueri, quàm sit vtile & deo gratum, pulchre docetur 172.g.h
Pauperes quomodo Deus in Ecclesia panibus saturat 278.h
Pax vera est in vita bona 26.b
Pacem amare debemus 61.f
Pacis veræ radix est iustitia 146.
Pacem loquitur Deus in plebem suam, & super sanctos, & in eos qui conuertuntur ad cor 179.b
Pax multa illis qui deum & legem eius diligunt 262.h.267.h
Pacem quærunt boni etiam cum malis, sed non inueniunt apud eos. 268.d
Peccatores non resurgent in iudicio 2.b
Peccatorum iter ad interitum 2.b 26.a.b.& psal.36. multis in locis.
Cum peccatoribus iugum ducere non debemus 3.c.d
Peccatores irridentur à domino. 3.e & 69.f
Peccatoris conuersio qualis esse debeat, plenissime describitur 6.c.7.a & sequent.
Peccator ex diuinæ vltionis consideratione merito turbatur. psalm. 6. & fol. 71.g
Contra peccatores in malos persistentes vltio diuina terribilis denuntiatur 11.f 20.b
Peccati ordo describitur 11.h & sequent.
Peccatoris pœnitentis oratio. psal. 6.
Peccator conuersus, non est qui antè fuit 17.b
Peccator sibi parat mortem 14.f 18.b
Peccatores dum infirmantur vel in periculo sunt, vano timore conterunturt: qui dum sani fuerunt, consilium bonorum audire contempserunt psal. 13 & psal. 52.
Peccatores & quicunque declinant à domino, inutiles fiunt ad omne bonum, apti tamen combustioni & incensioni 45.g
Peccatoribus post modicū florem prætereuntibus damnatio est æterna, Deus in æternum permanet. 200.f
Peccatores cognoscent aliquando deum quem modo negant, & pœnam experientur, quam in præsenti nō metuunt 26.d 110.b
Peccatorum multitudo siue grauitas nonnunquam occasionem adfert veræ pœnitentiæ 29.b
Peccatores implentur temporalibus bonis omnibus in hac vita 16.e
Peccata parentum redire in memoriam coram domino (quod de Iudæis Christi interfectoribus dicitur) quid significet 239.f.241.c
Peccatorum reliqui sunt confusio æterna & damnatio perpetua 40.d
Peccatores in præsenti peccatorum amaritudinem & malitiam non percipiunt, vt omnia eis dulcia sunt: post hanc vitam tamen perfectissime hæc omnia gustabunt psal. 21. per totum
Peccator frequenter per multas afflictiones & tribulationes peccata agnoscit, & ad deum conuertitur 57.b 71.h
Peccata multis modis tecta siue operta dicuntur in scripturis 57.g.h
Peccatores iumenta nominantur in scripturis 56.b
Peccatorum breuis fœlicitas, bonorum vero indeficiens bonum, pulcherrime describuntur 67. per totum.
Peccator dum in peccato manet, multa mala corporis & animę patitur, diuina contra eum seuiente iustitia 171. f.& sequent.
Peccata diminuunt fortitudinem animæ, & extingunt lumen gratiæ, & etiam mentis 74.g
Peccata nostra sunt causa flagellationis & correptionis diuinæ 75.f
Peccatum insania quædam est & perfecta vanitas 77.c.f
Peccatores sunt diabolo cibus quotidianus, quibus proinde non est multum infestus, sed contra bonos summū habet negocium 81.d.e
Peccatorum nostrorum tanta est multitudo & profunditas, vt exhauriri non possint, nisi per abyssum misericordiæ dei 82.d
Peccatorum miseria & vanitas omnibus pulcherrime proponitur psalmo 48. per totum
Peccatum solum est quod timere debeamus in die iudicij, & vere illud timere debemus Ibidem
Peccatores omnes sicut iu peccatis suis ad illorum expletionem multum laborant in præsenti, sic post hanc vitam laborabunt multo amplius in cruciatibus æternis 99.h & sequent.
Peccatis aliorum consentire, cōmunicare, aut fauere, grauissimum malum est 102.f.g
Peccatores in præsenti peccata sua post tergum proijciunt, noluntque ea cognoscere & confiteri: ideo dominus illa statuet in medio ante faciem eorum, ad illorum maximam confusionem 104.a
Peccare in deum, & pecare deo differunt 106.f
Peccatoris perfecta sanatio, quibus modis & quo ordine fiat 107.e
Peccatores surgant postquam sederint 283.g
Peccatum claudit os peccatoris, ne laudare possit deum 107.f
Peccata nostra per suam misericordiam dimittit nobis Deus, agens nobiscum suauiter, vt cum filijs pater 222.b
Pœna damnatorum in scripturis nomine calicis significatur, propter multas rationes 155.b
Pœnæ damnatorum æternæ sunt, sine spe alicuius remissionis 99.h & sequent.
Pœnitentia vera & integra quid requirat 6.e.f.g
Pœnitenti conueniens lugubris psalmus 217.c
Pœnitentes statim consolalatur dominus 53.c. & sequent.
Pœnitentibus vitæ prioris viam relinquere quærentibus, plurimum obsistunt amici & noti: quibus quomodo resistendum sit, pulchre docetur 72.c
Pœnitentium dolor similis est dolori parturientium, quoniam breuis est, & gaudium æternum operans 96.d
Pellicano solitudinis nycticoraci in domicilio, domicilio, & passeri solitario, seipsum comparat pœnitens 217.f 220.c
Peregrini sumus super terram & requiescere debemus in tabernaculo ecclesiæ sanctæ 27.g. 75.g
Peregrinantibus nobis in via huius vitæ, lex Dei debet esse pro cantico, admodum viatorum cantantium 258.d
Perfectio vitæ Christianæ requirit etiam minimorum peccatorum cuitationem 12.d
Persecutores Christianæ fidei triplices Ibidem
Persecutorum ecclesiæ iudicium 15.a
Persecutio grauissima in exordio nascentis ecclesiæ exorta, sed tandem per deum sedata, est lætitia fidelium 235.f.g
Pereunt per mortem cunctæ cogitationes filiorum hominum 299.f
Persecutio ecclesiæ grauissima describitur 292.b
Petræ paruulos allidere, quomodo exponitur mystice 283.g
Petræ iuncti iudices impiorum absorpti sunt, quomodo intelligendum varijs modis 291.h 195.a
Petræ allidens aquila rostrum aducatum, reiuueneścit: sic & homo reparatur, si conteratur mala concupiscentia ad Petram Christum 223.g
Placere hominibus, & in illis confidere, est damnabile coram domino 110.d
Plenitudinem ætatis atque dierum habet, qui consummatus est in virtutibus, quantumuis sit ætate iuuenis 220.h
Populum suum Deus nunquam derelinquet 204.g
Populus pascuæ dei sunt omnes sérui eius, & oues manus eius 206.h
Populum nostrum quomodo Deus nobis subdit, populum scilicet cogitationum & affectionum 297.b
In populo non quolibet, sed peculiariter suo est Deo beneplacitum 306.h
Portæ mortis sunt vehementes tribulationes & discriminosa pericula 18.a
Portio spiritulis hominis, est custodire legem dei 258.e
Potentia dei semper cōiunctam habet iustitiam: quare iniuste neminem secundum potentiam suam affligere potest 280.b
Contra potentes huius sæculi pauperumoppressores, dominus aliquādo graue faciet iudicium 108.h
Potentes & diuites deuorant pauperes, vt cibum panis 36.e
Præcepta Dei leuia sunt, lætificantque hominem, & multa alia bona afferunt hominibus 37.e
Præcepta dei nobis data, laborem quendam & difficultatem habent in obseruando, propter nostram vtilitatem 206.a
Præcinctio Christi, significat præparationem ad prælium contra principem tenebrarum, vel præparationem ad opus grande 202.c 203.b
Prælati, ac cæteri superiores in ecclesia sancta, neque cęlestibus, neque terrenis nimium inhærere debent, sed in medio partim sollicitudini, & partim quieti tempus vitæ suæ impartiri debent 132.h
Præpositis & principibus absolutam viuendi formam tradit psalmus 100.
Præpositi in medio debent perambulare, malos à se abigere, bonos sibi adiungere, & delinquentes punire 216.c
Præsentiam dei nemo potest effugere 286.d
Primogenitus in multis fratribus Christus, omnibus fidelibus est author salutis Ibidem
Probitatis tanta vis est, vt fuget à se malignos, & bonos alliciat 216.d.e
Promptitudo diuinæ bonitatis, & exauditionis ad afflictos 16.h & 19.d & 58.a.60.b.77. per totum
Promissiones dei certæ & fideles 22. a.34.59.c
Promissio facta Dauid de fructu ventris, principaliter de Christo intelligi debet 279.c
Propositum implendi legem dei præcedere debet illius meditationem 1.h
Prophetæ, ac cæteri patres veteris legis, futuræ gratiæ prænognitionem habentes in pace nobiscum quieuerūt secure 7.d.e
Propositum impiorum contra pauperes impediuit dominus 19.c
Propositum domini solum est stabile 54.e
Propositum bonum, quod deo inspirante concepimus relinquere magnæ est imperfectionis, infirmitatisque, & remissæ charitatis indicium 104.a
Prophetarum mos est, præ gaudij quod in corde gestāt, plenitudine, omnem creaturam, etiam irrationabilem, inuitare ad gaudium 110.b
Prosperitatis & aduersitatis tempore meditari debemus dei legem 2.a
Prosperitates, honores, & potestates huius temporis, simul omnia cum homine peribunt 98.h
Prosperitas impiorum in hoc mundo pulchre & prolixe describitur 296.g
Prouidentia Dei etiam erga irrationalia plurimum debet hominem incitare ad confitendum illi 301.g
Pueri Hebræorum clamantes Osanna, figura fueruntapostolorū, per quos erat proclamanda diuina laus per totum terrarum orbem 13. e.f
Pugnæ spiritualis forma 24.h
Puluueris nomine significantur vilissimi filiorum hominum, quorum etiā misereri voluit dominus, & in ecclesiæ ædificium eos colligi 218.d 220.e

R

RAhab per hebin medio, non est nomen mulieris in Hierico, quę perbeth scribitur, sed pro Aegypto ponitur, vel superbum significat 185.c
Recidiuatio in peccatum periculosa est 73.d
Recogitare debemus frequenter cū amaritudine peccata nostra, & præterita & præsentia 73.f
Reconciliationem humani generis per Christum in tempore gratiæ factam, pulcherrime describit psalmus 84.
Recordatus est Deus misericordiæ & veritatis suæ erga genus humanum in tempore gratiæ 210.e & sequent.
Regnum diaboli super genus humanum, quantum ex parte ipsius violenter vsurpatum & tyrannicum fuit per iniustitiam, Christus autem de manu diaboli abstulit per iustitiam & potentiam 90.f
Regnum Christi quomodo communicabitur cæteris fidelibus, sine diminutione potestatis Christi 99.a.b
Regnum huius mundi semper quidem fuit filij dei: sed tunc primum ipse agnitus est ab electis, quando in assumpta carne ad nos venit 96.a.b
Regnum Christi gloriosum post miseram passionem, pulchre describitur 202.d
Regnauit à ligno Christus, quomodo intelligendum 163.g
Reliquiæ impiorum sunt perpetua confusio & æterna damnatio 40.

Reliquiæ cogitationis quomodo diem festum agant domino 156.d
Rememorare deum iniquitates patrum, quid sibi velit 239.f.241.c
Remissionem peccati faciliter impetrare nos facit, nostræ miseriæ & vitiosæ corruptionis ante deum denudatio 224.a
Remissionem peccati promeretur syncera peccati confessio 293.e
Renouatur vt aquilæ iuuentus nostra per deum 221.h.223.d. prolixe hæc cõparatio secundum spiritualem intellectum exponitur.
Replicatio eiusdem dictionis, significat subinde vniuersaliter, vt homo homo, valet omnis homo, &c. 299.h
Requiem suam Deus appellat sanctam ecclesiam 278.h
Requirit dominus sanguinem iustorum de manu persequentium 15.e 17.h
Respectus Dei super electos est eis quasi clypeus & munimentum psal. 6. ad finem
Respondet nobis Deus exaudiendo orationes nostras 50.f
Resistendo malis tentationibns fortiores efficimur 50.b
Resistunt deo, quantum quidem in ipsis est, peccatores 32.a
Resurrectio Christi causa est multiplicationis & gloriationis electorum 289.c
Resurrectio peccatorũ non est proprie resurrectio 2.b
Resurrexit Christus virtute propria: patri nihilominus suam ascribit resurectionem, ob duplicem causam 5.c
Resurrectio Christi prædicitur 42. b. & iterum 79.c
Retributio siue bonorum siue malorum, nomine calicis frequenter in scripturis intelligitur 29.h 149.d
Retribuere alquando pro tribuere ponitur 252. g. 268.
Propter retributionem quomodo iustus dicitur inclinare cor suum ad facienda præcepta dei 267.a
Ridet Deus in peccatorum interitu, & quomodo sit hic risus accipiendus 3.e
Rostrum suum aduncatum aquila quomodo ad petram allidat, vt reiuue nescat, & huius similitudinis spiritualis expositio Ibidem
Ruina dæmonum grauis fuit, futura grauior 144.d
Rumore malo audito, quare statim conturbentur impij, iusti autem non timeant 247.c

S

Sacerdotium Christi describitur secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron, quod prolixe declaratur 243.g & sequent.
Sacerdotes prius offerunt sacrificiũ, quàm de eo communicent populo, idque tam in veteri, quàm in noua lege Ibidem
Sacramẽtum dominici corporis & sanguinis, est memoriale in quo remorantur fideles omnia mirabilia per Christum pro salute nostra exhibita 244.h.245.d
Sacramenti venerandi corporis Christi fit mentio in psalmo 110. 244.h.245.d
Sacramẽti venerabilis corporis Christi apertum vaticinium 6.h.7.d
Sacramenta dominici corporis & sanguinis cum iudicio sunt sumenda ex doctrina apostoli 214.a
Sacrificium deo potentissimnm, gloria & honor 51.g.h
Sacrificium acceptabile quo maxime honoratur, & vult honorari Deus, laus est speciosa, & oratio deuota 101. h.104.c.105.h
Sagittas suas dominus in manifesto tenet, in arcu paratas: diabolus autem suas occultat in pharetra 20.e
Sagitta volans in die non nocet fidenti in domino 196.e
Sagitta volans in die, quid sit ibidem: & prolixius 199.b
Sagittis acutis comparantur verba dei 268.c
Sagittis in manu potentis comparantur filij adoptionis. 273.h 274.c
Salus nostra in nulla alia re, nisi in dei misericordia constituenda est 61.h
Sanctitas perfecta requirit omnem possibilem cuitationem minimorum peccatorum 57.per totum
Sanctis in hoc mundo nihil deest, siue in spiritualibus, siue in temporalibus 62.d
Sancti sunt omnes fideles per spiritum Christi, cuius sunt participes 182.f
Sanctus omnis pro suæ sanctitatis custodia, solicite orare debet Ibidem & 238.a
Sancti sperantes in domino, & in spe clamantes liberantur, proteguntur, exaudiuntur, deum secum habent in tribulatione, glorificantur, & æterna vita donantur 197.c
Sancti in die iudicij videbunt vltionem fieri de inimicis suis. 197.a & iterum. 200.h. 201.f.g
Sancti in hac vita multiplicantur, tam robore, quàm numero 201.a 202.a
Sancti in hac vita humiles, in patria florebunt, eruntque glorioſi 202. a.b
Sancti deum inuocantes exaudiũtur, & interdum ostendit pro eis Deus mirabilia 213.d.2.4.f
Sanctificatio in scripturis, significat sanctuarium vel templum 209.f
Sanctificatio vel templum cordis nostri in summo decore & puritate custodiri debet Ibidem
Sanctorum exaltatio & exultatio, potestas iudiciaria, & supereminentia, pulcherrime describuntur. 306.d
Sancti militantis ecclesiæ quomodo exultant in gloria, lætantur in cubilibus, exultationes dei habent in gutture, gladios ancipites in manibus, ad faciendam vindictam atque iudicium 307.a
Sanctis dei rebellentes, grauiter subinde à deo puniuntur 214.f
In sanctis, potest exponi secundum genus masculinum vel neutrum 306.b
Sapientia salutis, vinum & lac dicitur 13.h
Sapientia dei deducit nos in via recta, & adducit in patriam 84.a.b
Saul excusator in peccatis pertinacissimus declaratur, quamobrem & proijci meruit 292.e
Scabellum pedum domini adorandũ quomodo debeat intelligi 214.d 241.h.
Scabelli in modum subijciuntur inimici Christi sub pedibus ipsius 241.h 242.g.
Scandalum iuxta iter ponunt inimici, non in itinere 209.e
Scapulis suis quomodo deus obumbrat in se confidentibus 197.d
Scapuli dei quid sint 198.h
Scientia dei ex homine, quomodo dicitur facta mirabilis, vt non possit ad eam pertingere homo 204.c
Scripturæ diuinæ, mundæ, castæ, & veræ sunt: hominũ verò scripturæ, meræ fabulationes 23.a.34.d.36.h & sequent. 59.d
Scripturæ diuinæ efficiunt hominem mundum & castum 23.a.b 24.d
Scripturarum sanctarum authoritas, spirituisancto primo deferenda est: nonnullo tamen honore illos prosequi debemus, quorum ministerio velut calamo vtitur spiritus, in scripturarum sanctarum conscriptione & diuulgatione 89.c

Scriptu-

Scripturarum sanctarum festiuitas est, subinde eadem repetere 285.f
Scripturarum sacrarum fit mentio in psalmis 182.c
Securitas beata bene confidentis in domino psalmo 90. describitur pulcherrimè
Sedere in peccato quid sit 1.f
Sedes sederunt, quomodo intelligendum 269.h.270.e
Sedere super flumina dupliciter intelligitur 283.c.284.a
Sedet Deus super Cherubin 213.c
Sedet filius non super caput patris, non ad sinistram, sed ad dextera 241.g h.242.e
Seminantes in lachrymis, in exultatione metent 272.h.273.c
Semen iusti multipliciter potest intelligi 246.c
Senes & iuuenes facilius se in mortem resignant, quàm viri 221.b.c
Senectutis miseriæ & affiictiones vtiliter à deo sunt in ætate hominis vltima dispositæ, & quòd in illis est magna vtilitas ijs qui cum patiẽtia de manu domini in punitionem peccatorum suorum eas suscipiunt 194.b & seq. 221.b
Senectus iustorum est in misericordia vberi 200.g. 201.f.202.a
Sententia diuinæ vltionis sagittis ignitis significatur 11.f
Septies in die laudem dicere Deo, quid sit 267.c
Septupla punitio, est vltio perfecta Ibidem
Serpentum omne genus conculcat fidens in domino 197.b.200.a
Serui quidam ex euentu, quidam ex naturali origine in seruitute geniti. psal. 87.
Serui sunt omnes homines deo secundum prædictos modos, ex naturali parentum linea Ibidem
Seruorum oculi quomodo sunt in manibus, vel ad manus respiciunt dominorum, & ancillarum ad manus dominarum, sic & nostri oculi ad deum respiciunt 170.h
Seruientium deo magna vtilitas 46.d
Sessio aliquando quietem in scripturis significat contemplationem 287.g.
In seruis suis Deus deprecabitur vel consolabitur 181.c
Si particula, aliquando indicat iuramentum vel promissionem, aut vehementem assertionem, vel negationem, quando in oratione incompleta ponitur 277.f
Si quando prædicto modo absque negatione explicita ponitur, indicat vehementem negationẽ quando cum negatione ponitur, vehementem affirmationem Ibidem
Vide hoc ipsum prolixe tractatum 208.b
Signum in bono fecit pater cum filio in resurrectione eius 185.a.b
Signum in bono subinde fecit Deus erga Dauid, & fecit erga omnes seruos suos fideles Ibidem
Silere dicitur dominus, quãdo oratem non exaudit 50.f
Silere ad argumenta hominum huius seculi debent imperfecti, nec illis respondere vel vnum verbum 73.e
Simulachrorum vanitas, & eorum qui illa colunt insipientia pulchre describitur 249.e
Simulachra gentium non sunt dij, & illorum vanitas atque impotentia pulchre describitur 281.d 249.d
Simulachra quare non possunt vitales exercere operationes, cum habeant secundum apparentiam instrumenta operationum vitalium 281.h
Simulachrorum cultores, similes cur dicantur simulachris 249.d
Singulariter est iustorum congregatio antequam transeat, propter separationem electionis dei, qua à reprobis diuiditur 293.c
Singulariter quomodo fuit Christus, donec transiret ad patrem, Ibidem
Singulariter quomodo erunt sancti post transitum mortis in vita æterna Ibidem
Sion ecclesiam significat, duplici ratione 3.g
Sol & luna quare singulariter luminaria magna appellantur 282. c.d
Sol in potestatẽ diei vel dominium factus est Ibidem
Sol & luna singularissimas & potentissimas habent super terram, & quæ in ea sunt operationes, præ omnibus astris 282.h
Solicitudo & nimia cura præsentis vitæ, & circa temporalia aggreganda distractio vanissima est 74.
Solicitudo & nimia distractio circa vana ista atque transitoria bona inutilis prorsus est, quæ neque animæ, neque corpori post hanc vitam prosunt, sed incertis hæredibus relinquenda sunt 98.d.e
Speculari & meditari non sunt idem 1.h
Sperant in domino qui nouerunt eum 17.f
Sperantium in domino maxima stabilitas 272.h
Sperare in domino optimum est, multis rationibus 299.f.300.a
Sperantem in domino vt beatum pronunciat Hieremias, ita confidentem in homine asserit maledictum Ibidem
Sponsi ecclesia decorem, gratiam, benedictionem, & pulchritudinem collaudans describit psalmista 87.f & seq. 89.b
Sponsa Christi qualis esse debeat, & in quo placere possit sponso suo 88.c
Sponsæ ornatus quem in illa requirit sponsus qualis sit 88.h.91.d
Sponsa Christi in dextris Christi collocabitur in gloria patris 91.e
Spiritus humanus pedes habet, quibus ambulat ad deum, & alas quibus volat 285.d
Spiritus sanctus dux proponentium meliora per viam rectam 295.e
Spiritu domini flante, aquæ fluunt in cordibus fidelium 302.f 304.d.e
Spiritus sancti missio prædicitur 36.g
Spiritus sancti visitationem omnes accipimus Ibidem
Spiritus sanctus nonnunquam etiam per malos & peruersos dicit, & scribit quæ voluerit 89.b
Spiritualis homo in omnibus facile inuenit vnde ædificetur, cum animalis nullis rationibus commoueri possit 177.b
Spiritualis homo ante omnia debet auxilium suum expectare à deo, ac sibipsi prorsus diffidere, deinde ascensiones in corde disponere: quo facto, benedictione Dei se sentit in bono cõfortari, donec pertingat ad gloriam admodum pulchre 187.g
Spirituales homines aliquando post consolationem grauissime affliguntur 188.c
Spiritualis hominis in Deo bene confidentis securitatem describit pulchre, & prolixe psalmus 90.
Spiritualis homo oblectatur in creaturis & admirabilibus operibus Dei 200.d
Spiritus sanctus author conceptionis Christi in vtero virgineo describitur 179.f 181.b
Spiritus aliquando ventum significat, aliquando animam, aliquando diuinæ indignationis impetum 224.d
Stabilitas ecclesiæ & sacramentorum eius vsque in consummationem sæculi 184. b.185.a
Stabilitas ecclesiæ per Christum & apostolos fundatæ 202.d. 203.b

Stare

Stare in peccato quid sit 1.g
Stellæ firmamenti plurimæ, quantitate sunt maiores luna, terra, & sole 201.a
Stellarum multitudinem numerat Deus, & eas omnes vocat suis nominibus 300.c.301.d
Per stellas mysticè intelliguntur electi Ibidem
De stercore quosdam erigit Deus ad gloriam 248.a.b
Sterilem Deus, fœcunditatē donando, subinde lætificat 248.g.h
Sterilem gentium ecclesiam, Deus multis prolibus fœcundatam cōstituit in lætitia Ibidem
Studium vehemens malignorum, & dæmonum contra bonos 16.c.19.h 20.c.31.a.b
Stulti & insipientes non intelligunt, neque considerant quæ dei sunt: & quomodo distingui possunt 200. f.201.c.
Stultorum hominum qui putant deum non cognoscere res nostras sententia, eorundemque efficacissima confusio 204.d
Suauis est dominus vniuersis, quomodo intelligendum 298.d.299.d
Subiecti sunt Christo fideles, & amici subiectione voluntaria & honorifica: dæmones autem & illorū consortes subiectione vilissima & seruili, quomodo scabellū pedibus subijcitur. 242.a
Superbos humiliat dominus 34.d
Superbia & pompa principum sæcularium per naues Tharsis significantur in scripturis, quæ omnia confregit, & quotidie confringit dominus 96.c
Superbia in scripturis non rarò per cornuum exaltationē significatur: huius autēm metaphorę pulchram rationem & conuenientiam vide 154.a

T

TAbernacula verius sunt quàm domus, omnia huius mundi ædificia 100.d
Tabernacula rectè appellantur cælestes mansiones, non quasi peregrinorum, sed quia exercituum supernorum habitacula 176.g
Tempus opportunum orationi est omne tempus vitæ præsentis, maximè quod à seruis dei mentis recollectioni deputatur 58.g
Tempus totum vitæ præsentis per diem significatur: futurum autem tempus, quia æternum est, per annos significatur. Omne enim tempus præsens quasi dies hesterna 159.c
Tempus vitæ præsentis fumo comparatur 217.d.219.b
Tempus vitæ humanæ comparatur vmbræ deficienti 218.b
Tempora iuuentutis & senectutis videntur esse magis vtilia ad mortem, iuxta communem vitam hominum, quàm tempus intermedium, ob certas causas, quæ pulchrè declarantur 221.b.c.
Tempus gratiæ & misericordiæ erga genus humanū pulchrè describitur 218.c.220.d
Tempus huius vitæ, licet omnibus transeat, bonis tamen non perit quòd beata æternitate commutatur: malis autem perit omne tempus vitæ, quod expenderunt in vanitatibus suis 220.d.e
Temporibus nouissimis hæresum authores & fautores, Christianum populum miserè perdituri describuntur, semper tamē simplices & rectos deus custodit 236.g
Temporalia quæcunque vanitas sunt & mendacium 7.b.84.d.pulchrè, & iterum.77.f
Temporalia & caduca ista bona abscondita sunt à dei cōspectu, quoniam illa deus non aspicit 32.
Temporalia, & alia transitoria vtcunque petere possumus à domino, sed non debemus ea requirere 50.c
Tempus nunc est opportunum ad faciendam legem dei 261.d
Propter temporalia Deus neminem aspicit 32.d
Templum cordis nostri debet summa puritate pollere 209.f.g
Tentari non est malum, quando non accedit consensus. & quòd propter tentationes cessare non debemus à laude diuina, & alijs bonis operibus 37.c. d.38.d.e.
Tentationes adeò non debent nos deijcere, vt etiam propter illas amplius de deo confidere debeamus. 50.c d.& psal.59.
Tentationibus pressi non semper ab illis liberantur, sed dat eis dominus quod ad salutem satis est, & quæ sint illa, pulchrè describitur 57.h
Tentationes & tribulationes, tanquam si à deo nobis infligantur, accipere debemus: nec oculos nostros ad inferentem siue tentantem intendere debemus 65.c. 82.d
Tentationes & tribulationes præsentis vitæ vt malis sunt mors, ita bonis sunt ad salutem, virtutisque profectum, & meritorum accumulationem afferunt ibidem
Tentatio prolixa & diuturna nonnunquam etiam virum iustum deijcit ex parte, quare vnusquisque cauere sibi debet, ne seducatur blanditijs præsentis vitæ Ibidem
Tentationum modi diuersi, quos omnes non timet qui habitat in auxilio altissimi 196.c. & sequent. 198.f.g
Tepidi non facilè conuertuntur ad veram pœnitentiam 29.b
Tenebræ apud deum non sunt tenebræ, neque quicquam impedimenti Deo præstant, quo minùs videat omnia: quomodo lumen corporale nihil adiumenti illi præstat, vt melius videat 286.c
Terminum posuit Deus maris fluctibus & montium altitudini, ne terram tandem operiant 211.f
Terra plena fructibus operum domini, iumentis herbas præbet, hominibus panem, oleum, & vinum 221.h
Terra nominatur sicca vel arida, à qualitate prędominante 207.g
Terra stabilis fundata est, vt moueri non possit 225.d
Terræ omnes fines habet Deus in manu sua, quod indicat ipsius perfectissimum dominum 206.f. 207.f
Terram suo respectu facit deus contremiscere 227.b
Terram Deus super aquas firmauit 282.c
Terram suam quare homo per mortem redire dicitur 300.b.c
Testamentum nouum confirmatum & æternum 245.a.g.h
Thabor mons est Iudææ ab Occidente 191. & sequent.
Thesaurizare aurum & argentum in præsenti vita vanissimum est 74.c
Thomæ Aquinatis, aliorumque complurium doctorum pia sententia aduersus calumniatores hæreticos defenditur 243.h. & sequenti.
Thronus Christi ad iudicandum iam collocatus est, astatque iudex etiā iam paratus iudicare 17.d
In tibijs viri non est deo beneplacitum, sed super timentes eum 301.a
Timor domini initium sapientiæ 245.c
Timor dei cum vera fide, & retinaculum peccatorum 25.c.d
Timor domini sanctus manet inæternum 35.a
De duplici timore, seruili, & filiali 245.h
Timent peccatores, vbi non est timendum 26.f
Timere debemus vbi, & de quibus timendum est Ibidem
Timentibus deum nihil deest, siue in spiritualibus ad salutem necessarijs, siue in corporalibus 62.d.e
Timendi non sunt diuites & potentes huius sęculi, propter gloriam & potentiam eorum transitoriam 98.h 114.e
Timere quid debeamus maximè in iudicij illo magno die, pulchrè docet propheta psal. 48.
Timentis dominum erit potens semen & benedicta generatio, & in domo eius gloria & diuitiæ 14.b.g
Timere hostes oportet quandiu sumus in hoc mundo 255.b
Tinnitus & iubilatio pro eodem accipiuntur 308.d
Tyrunculorum in morem à deo educemur ad prælium contra aduersarios 296.b
In titulis psalmorum semper authoris nomen in datiuo casu accipitur, & quare hoc fiat 5.f.& seq.
Pro titulis omnium psalmorum, eorumque generali intelligentia, pulchra & vtilissima præmonitio Ibidem.
Torrens in scripturis duplex inuenitur, alter voluptatis, alter pœnalitatis 244.e
Torrentem persecutionis pertranseunt fideles per deum 271.d
Tranquillitas à persecutionibus ecclesiæ per Deum reddita 235.h
Transitus quidam est per mortem à mundo isto ad patriam 293.d
Tribulatus, vel persecutionem sustinens, quomodo possit proponere Deo suam iustitiam vel innocentiam 12.b
Tribulationes & aduersitates præsentis temporis, ecclesiæ dei & viro iusto adeò nihil obsunt, vt etiam quam maximè illis pro sint ad omne bonum & consolationem 93.c. per totum. & pulcherrimè 120.a
Tribulationes & tentationes necessariæ sunt homini iusto, vt perfectius deguſtet quietis dulcedinem, & commoditatem 243.c
Pro tribulatis, quære in verbo Pauper.
Tribulatis ad dominum recurrentibus promittitur diuinum auxilium 11.b. 23.a.61.e
Tribulatis & tentatis adest dominus, auditque illorum orationes 59.g.h.
Pro tribulatis & afflictis, & in paupertate & egestate vitam degentibus, consolatorius psalmus 67. per totum
Trinitas personarum in diuinis cū essentiæ vnitate manifeste significatur à propheta psal. 66.

V

VAcui à bonis, non tamen esurientes, non implentur bonis, sed relinquuntur inanes: vacui autem esurientes implentur.
Vana sunt omnia quę peccatoribus & hominibus huius mundi magna videntur 50.a.b. vide suprà in verbo Labor peccatorum.
Vanitas & mendacium sunt omnia peritura
Vanitas est homo, & vanitati subiectus 296.b prolixe psal. 38.
Vanissimum est, spem ponere in hominibus, omisso deo 299.f 306.
Venatores appellantur diaboli, & applicantur illis venatorum conditiones 198.e.f. vide pulchram annotationem.
Ventris fructus singulari nomine appellatur Christus, quia sine patre de virgine matre natus 174.b.c
Ventos de thesauris suis Deus producit 280.h
Verbum dei aliquando per ignem, aliquando per malleum, nonnunquam etiam per virgam significatur 4.c.d. de virga etiam habes 242.h
Verbum dei sagitta domini est, qua confossa nostra corda statim moriuntur peccato, & viuunt domino 90.f
Verbum Dei in æternum permanet in cælo, dupliciter exponitur 266.d
Verbum euangelicæ prædicationis quomodo emiserit Deus ex Sion 218.c
Verbum suum pater misit in mundum, & sanauit genus humanum 235.d
Verbum suum misit Deus terræ, & eius multiplex in terra operatio atque vtilitas 302.d.& sequent.
Verbum dei velociter currit Ibid.
Verba dei admodum potentia sunt 292.a
Verba deceptoria impiorum erunt eis causa damnationis Ibidem.b
Verba præcipuum sunt quo possunt bonis nocere mali 290.g.291.b
Verba dei, eadem gladij ancipites & sagittæ acutæ appellantur, cōsimili ratione 307.b
Verbum dei efficax est medicina animæ dormitanti aut defatigatæ 257.c 264.d
Verba dei casta sunt & purissima. b.& prolixius 23.a.b.c.&.34.d.& 36. h.59.d
Verba dei faciunt animam castam & mundam 23. & pulcherrimè 26.h
Verba Dei prædicatoribus assistit multipliciter 132.g.h
Verba dei sagittis acutis comparantur, & carbonibus desolatorijs 268.c
Verbum asperum dicitur sententia damnationis æternæ, & quomodo fideles ab eo Deus liberat 197.c. 198.f
Verba dei, optimum sunt remedium aduersus malas suggestiones psalm. 126.
Veritas orta est de terra, quia Christus de virgine natus 179.d.180.c
Veritas est principium verborum dei. quomodo intelligendum 262.g 267.g.
Veritas tam ad intellectum, quàm ad mores pertinet psal. 6.
Veritatem Deus custodit in sæculum 266.g
Vexatio & afflictio reducunt hominem ad peccatorum cognitionem 57.f
Via peccatorum ad interitum 1.d
Via aliquando legem significat, aliquando vitam præsentem, aliquando conuersationem 263.d
Via domini, via immaculata 34.c 36.h
Via pacis est via iustitiæ 26.d
In via vitæ præsentis aut mandatorum dei immaculatū ambulare, quid exigat 256.d
Viæ domini accipiuntur nonnunquam pro præceptis & consilijs domini, per quæ ambulare iubemur: nonnunquam vero pro operibus & dispositionibus domini, quibus agit omnia 30.g.h
Viam mandatorū Dei quidam percurrunt, quidam perambulāt, quidam repunt 264.f
Viam mandatorum dei si non percurrere possumus, saltem perambulemus, aut vt minimum perrepamus Ibidem
Viam latam & facilem in veritate ambulāt boni, viam autem difficilem impij: licet contrarium sentiant mundani 265.d
Victoriam Deus in se confidentibus donat contra omnem virtutē inimici 197.c.199.g
Videt Deus omnia 16.c.20.a 21.b.c.24.f.25.f
Vinum & lac, sapientiam salutarem significant in scripturis 14.a.b
Vinum lætificat cor hominis, panis cor confortat 222.a
Virga dei aliquando pro inflexibili iustitia, aliquando pro dei verbo, vel aliquando pro sceptro regni in scripturis ponitur 4.c.d

Virga virtutis quam misit dominus ex Sion, varijs modis intelligi potest, vel de humana natura assumpta, vel de verbo prædicationis euangelicæ, vel de sceptro regni 242.h
Virga domini, est correptio paterna ad emendationem: gladius verò punitio iudiciaria ad condemnationem 192.h
Virga dominus erga filios vtitur, nec diu punitionem virgæ differt: sed gladius contra reprobos tandem producit ibidem
Nota hanc annotationem prolixam & pulchram
Virgam impiorum dominus non relinquit super iustos 242.b
Virilis ætas tempus videtur esse minus vtile ad mortem, secundum communem cursum, quàm tempus pueritiæ aut senectutis: cuius causa pulchrè declaratur 221.b,c
Virtus nomen æquiuocum est, ad significandum fortitudinem, vel moralem virtutem 188.d
Virtutes penè vbique exercitus significant, non tamen vbique 308.c
Visitationem domini in suis donis omnes sentimus 36.g.h
Vita nostra & dispositiones vitæ nostræ omnia ex dei pendent voluntate 36.h
Vita præsens etiam habet periodum apud dominum 74.c
Vita præsens vana est, & velut in imagine transit ibidem.d
Vitæ præsentis vanitas & instabilitas pulchre describitur psal. 36. per totum, & prolixe 75.c.d
Vitam præsentem contemptibilem faciunt breuitas durationis, & multiplicitas afflictionis 297.f
Vitam potest omni viuenti auferre Deus, si velit manum claudere, aut faciem auertere, & cibum non præbere esurientibus 227.a
Viti fructiferæ comparatur vxor timens deum: & quæ illa sit vxor, spiritualiter exponitur 274.h
Vitis appellari potest sensualitas 275.e
Vltio diuina per dentium contritionem significatur 5.e
Vltio diuina manifeste parata ostenditur, vt vel terrore impij ab impietate retrahantur 20.e
Vltio damnationis & pœne infernalis super impios, pulchre describitur 29©.h
Vltio diuina contra damnatos quàm sit terribilis, fortis, grauis & importabilis, pulchrè notatur 155.a
Vltionis diuinæ grauitas contra iustorum persecutores, per dentiũ confractionem significatur 5.e.20.a
Vnguento defluenti à capite Aaron in barbam & oram vestimenti eius, comparatur fraterna charitas. 279.g.280.a
Voluntas bona faciendi legem dei concomitari debet eius meditationem 1.h
Voluntas bona facit hominem deo acceptum, non alia temporalia 32.77.e
Voluntas facit peccata esse nostra quæ præter voluntatis consensum sunt aliena 38.d
Voluntarie & ex voluntate confiteri atque sacrificare debemus domino 51.d
Vota quæ in tribulationibus positi emisimus, liberati persoluere debemus 127.a.g
Vt diuersimode accipitur in scripturis, vel vt notet finem, vel vt notet solam consecutionem: & quomodo secundum hæc, diuersæ scripturæ exponendæ sint 106.g
Ex vtero quomodo dicatur Christus ante luciferum genitus, cũ secundum æternam generationem pater illum sine matre gignat 143.e
Ex vtero dei nulla creatura, quãtumuis nobilissima, dici potest genita, sed tantum filius vnigenitus Ibidem.

Z

Zelus domus paternæ quomodo Christum comederit 136.d 138.f
Zelus quid significet 70.d
Zelare non debent boni impios, vt ob illorum temporalem prosperitatem discedant à iustitia 67.g
Zelus facit iustos contabescere super impiorum malitia 261.h.287.e

FINIS.

ARGVMENTVM IN primum Psalmum.

PSALMVS hic primus apud Hebræos ἀνεπίγραφος, hoc est, sine titulo legitur, nullius in titulo authoris nomen præferens, neque vllius inscriptionis prænotationem habens, propter quod à plerisque veluti proœmium sequentis libri Psalmorum æstimari solet, ab eo qui Psalmos in ordinem redegit, præmissum. Virum beatum describit, qui malum fugiens, quæ bona sunt, & Deo placita sectatur, cumq; apta comparatione arbori iuxta fluenta aquarum semper virenti assimilat. Opponit autem ex aduerso impiorum hominum miseriam & infœlicitatem, quos pulueri vilissimo comparans, cum iustis in resurrectione docet non præmiandos, sed in perditionem sempiternam mittendos.

PRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum:*

* *& in via peccatorũ non stetit:*

* *& in cathedra pestilentiæ non sedit.*

2 *Sed in lege domini voluntas eius:*

* *& in lege eius meditabitur die ac nocte.*

3 *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.*

4 *Et folium eius non defluet:*

* *& omnia quæcũque faciet, prosperabuntur.*

5 *Non sic impij, non sic:*

* *sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.*

HOminem illum ego iudico atque sentio beatum, nunc quidem spe certa & expectatione indubitata, pòst verò possessione secura & fruitione sempiterna, qui à malo studiosè declinans, in prauis impiorum consilijs iter suum non posuit, eisque non consensit, & iniquas illorum suggestiones non est sectatus: * & qui in itineribus hominum peccatorum pedem non fixit, inque peccatis & impietatibus illorum non quieuit, neque oblectatus fuit in eis: imò si forte alliquando contigerit eum in vllam impietatem per humanam fragilitatem incidere, mox ab ea decedere satagit, ad viam iustitiæ: * Qui denique malum se & noxium doctorem non exhibuit, ita vt neque verbo neque exemplo pestiferum aliquid aut noxium (siue quantum ad dogmata, siue quantum ad mores) alios docuerit, quemadmodum hæretici faciunt, & scandalisatores fratrum peruersi. 2. Qui deinde ad id quod bonum est perficiendum anhelans, omne cor suum, desiderium, voluntatem, & affectum apponit præceptis dominicis, ex bona voluntate illa fideliter cupiẽs implere: * Et vt hoc possit, in eis iugi se meditatione exercitat, assidua contemplatione & consideratione ea versando in animo, solicitus semper quomodo Dei legem operibus valeat illi placitis adimplere. 3. Cui autem similem æstimabimus virum huiusmodi, & cui comparabimus illum? Similis est arbori plantatæ iuxta riuulos atque fluenta aquarum, quibus incessanter ipsa irrigata atque humectata, radicibus continuum humorem attrahentibus, sic fœcundata fructum proferet opportuno tempore, postquam floruerit, & fructificandi tempus aduenerit. Simili enim modo vir iustus in legis diuinæ meditatione iugiter se exercitans, continua irrigatione spiritualis gratiæ & visitationis diuinæ fœcundatus: & modo, dum tempus est operãdi, fructum dabit bonarum operationum, & in tempore retributionis fructum accipiet suæ prioris iustitiæ, mercedem retributionis æternæ. 4. Permanebit qui talis fuerit, qualem supra descripsimus, ad modum arboris, cuius folia neque hyeme neque æstate defluunt, in perpetuo virore persistens bonarum operationum, æque & in prosperis & in aduersis suum semper virorem & internum ornatum custodiens: * Et omnia quæcunque operatus fuerit, Dei adiuuante gratia (quæ nunquam illum destituet) prospere illi cedent, vt accepta Deo, & ad prosperitatem illi erunt fœlicitatis æternæ, eo quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 5. Impios verò & peruersos homines qui consilijs impiorum cõsentientes, in itineribus peccatorũ oblectati sunt, & pestiferos se doctores exhibuerunt, nunquid cõparabimus etiam ipsos arboribus virentibus? * Nequaquã: sed pulueri sicco & sitienti, quẽ præariditate & leuitate flatus vẽti, à superficie terræ suo impetu rapit atq; dispergit per aëra. Sic enim per omnem modum illi cælestis gratiæ humore destituti, prorsus leues & aridi, nullam habentes stabilitatem, neque cum cæteris vere fidelibus charitatis compagination ẽ ac soliditatẽ, omni vento circunferuntur, rapiunturque & agitantur facillime, impul-

Roma.6.

Roma.8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iacobi 1. 6 *Ideo non resurgunt impij in iudicio:*

* *neque peccatores in concilio iustorum.*

Matt.25. Hier. 29. Psalm.6. Iacobi 1. 7 *Quoniam nouit dominus viam iustorum:*
* *& iter impiorum peribit.*

sibus suarum passionum & flatibus dæmoniacarum atque mundanarum suggestionum, in omnem partem, & in omnia vitia: ad quæ ita solicitantur, instabiles existentes in omnibus viis suis. 6. Et quoniam in hoc tempore vitam sine Deo duxerunt steriles, & sine operibus bonis, iccirco in nouissimo magni iudicij & generalis examinis die non resurgent ad gloriosam illam beatorum immutationem, ad quã resurgent electi: *Neque inuenientur aut recipientur peccatores illi in concessu aut beata illa congregatione iustorum, vt eandem cum iustis gloriam recipiant: sed resuscitabũtur magis à morte temporali ad mortem æternã, cum diabolo & angelis eius suã portionem accepturi. 7. Dominus enim (qui index est idem ipse & testis omnium humanorum actuum) ipse considerat, attendit, nouit, & approbat opera iustorum, & bonam eorum conuersationem habet placitam & acceptam: *Impiorum autem hominum actus & studia nõ nouit dominus, vt approbet aut remuneratione iustorum remuneret: neque permanebunt ante illum, sed ad perditionem sempiternam perducent operatores suos, marcescentque, & peribunt impij in prauis itineribus suis, per quæ ambulauerunt in carne viuentes.

ANNOTATIONES IN PRIMVM PSALMVM.

1.Pet. 2. NOnnulli fidelium expositorum Psalmum hunc peculiariter accommodandum putant Christo domino, qui peccatum nullum fecit, & in omnibus patris volũtatem impleuit. Nobis cõuenietius videbatur, vt vniuersaliter ad vnumquemq; iustorum accommodaretur. Non tamen negamus, quin Christo domino, vt capiti, à quo omnis beatitudo mẽbrorum effluit, peculiari & eximio modo cõueniat. Nihilominus tamen & particularibus hominibus, vt Christi mẽbris & sectatoribus, Christoque conformibus, suo modo (licet non secundum eundẽ perfectionis gradũ) recte accommodatur. ¶Ver. pri. Bea. vir qui non abijt in consi. imp. Nota distinctionem & ordinem eorum quæ dicuntur. Aliud enim est abire in cõsilio impiorum, aliud stare in via peccatorum, aliud sedere in cathedra pestilentię. Et primum quidem inter tria hæc videtur minimum, secundum maius, tertium grauissimum, vt sic ordo fiat ab inferiori ad summum malum. Abit enim in consilio impiorum, qui sequitur impiorum consilium, vel qui ambulat in illo, aut viuit secũdum illud. Stat autem in via peccatorum, qui iam delectari in peccatis incipit, & demorari velut cum oblectatione & cõfirmatione propositi. Sedet autem in pestilẽtiæ cathedra, quando nõ iam solus ipse malum facit, sed alijs insuper author est, & exemplum præbet malefaciendi, siue verbo, siue exẽplo alios docens impietatẽ. Secundum hanc autem expositionem, cathedra pestilentiæ dicitur praua & pestifera doctrina, eo q; ad docentem cathedra spectat. Qui ergo praua & noxia docet, recte in pestilentiæ cathedra sedere dicitur. Quanquã posset & aliter ista pestilentiæ cathedra intelligi de mente reproba, & in malo obstinata. Qui enim iã penitus in malo obfirmati sunt & obstinati, quasi in se de iniquitatis cõfirmati & constabiliti, recte non iã in cõsilio impiorum tãtum ambulare, neque tantum stare in via peccatorum, sed in sede iniquitatis & pestilentiæ considere dicuntur. Qui enim sedet in cathedra, quiescit in ea, nec de surgendo cogitat: Sic & qui in peccato obstinatus est, quiescit iã in obstinatione sua, neq; de reditu cogitat ad bonum. Nemo autem dubitat quin hoc nouissimũ malus sit præcedentibus. Quapropter ab illo maxime cauendũ est ijs qui à beatitudine Dei nõ prorsus fieri volunt alieni. Si (vt sumus homines) cõsilium impiorum sectari nos aliquando contingat, si consentire incipimus prauis (siue dæmonis, siue mundi, siue hominum iniquorum) suggestionibus, curemus quã primum, vbi aduerterimus fraudem, reuerti ab itineribus prauis, neque in vijs peccatorum demoremur, non oblectemur in eis. Denique, etsi ad tempus aliquantum stare nos contingat in eis, solicitissime tamen cauendum nobis est à pestilentiæ cathedra, ab infirmorum seductione
2.Reg.11. & scãdalo, siue à mẽte desperante & obstinata. Contigit aliquãdo, vt Propheta sanctus Dauid abijsIbidem. set in cõsilio impiorum, dum prauas carnis & dæmonis suggestiones sequutus, consentiens adulterij
2.Reg.12. cõcupiscentiæ, cum Bersabee fecit adulterium: cùm deinde in malo proficiens, etiã cõsilio interfectionis innocentis Vriæ (quod illi Satan indubie ministrabat) assensum & effectum exhibuit: & forsitã hac ratione in via peccatorum etiã substitit ad tempus aliquãtum, dum peccatum dissimulat: & de primo cõmisso nõ solùm nõ pœnitet, sed aliud etiã crudelius adijcit. Verùm vsq; ad cathedrã pestilentiæ nõ peruenit: quia mox vbi per Prophetam fuit à domino admonitus, pœnitentiam egit, & reuersus est à via iniquitatis, quã ambulare cœperat: neque obstinata mente perseuerauit in impietate, neque excusationes quæsiuit, sed statim peccatum agnouit, dicens, Peccaui domino, sicq; per pœnitentiã reædificauit quod per peccatũ destruxerat, vt in cathedra pestilentiæ non veniret. Atque ita factum est, vt à beatitudine hac non prorsus exciderit. ¶Versu 2. Sed in lege do. volu. eius. Notandum q; bono ordine præmittit de voluntate, ac deinde de meditatione. Primum enim necesse est vt voluntatem bonam habeamus in lege Dei, bonumq; affectum, & pium desiderium, siue propositum implẽdi omnia quęcunq; præceperit lex Dei, vitãdiq; omnia quæcunq; illa prohibuerit. Deinde cõsequitur, vt eã quam voluntas acceptauit legẽ Dei, mens assiduè meditetur, vt sit voluntati bonę bona regula ad perficiendũ sancta desideria. Sunt enim quidã homines qui intellectu quidẽ sese strẽnue exercitant in diuinis eloquiis, meditatur atq; cõtemplãtur assidue in iis quæ Dei sunt; & tamẽ huius propositæ beatitudinis expertes sunt, quoniam nõ est in lege domini voluntas eorum,

A eorum, non est in diuinis præceptis eorum beneplacitum, neque affectum bonum habent, neque studium adimplendi illa. Intellectu enim contemplantur in ijs quæ Dei sunt, tantum vt loquantur, vel doceant alios, sicque vel verbo vel scripto aucupentur quæstum, aut gloriam: voluntas autem eorum non est in lege domini, sed in desiderijs potius carnis aut animæ suæ consequendis aut perficiendis. Quantum autem ad verbum meditari (quod hic ponitur) notandum est, amplius aliquid esse meditari quàm contemplari, aut speculari. Nam meditatio videtur curam quandam & solicitudinem includere, non autem speculatio & contemplatio. Vnde qui dicto modo solo intellectu se exercitant in consideratione præceptorum Dei, nullam habentes curam, nullam solicitudinem, quomodo ea adimpleant, hos recte dixerimus contemplari aut speculari legem Dei: non sic autem in ea meditari. Hanc autem significationis proprietatem aliquanto manifestius est videre in voce græca μελετήσω, quæ hoc in loco ponitur, & pene vbique vertitur meditari. Quod autem sequitur die ac nocte, vel simpliciter accipiatur consueto loquendi more, loco semper, siue iugiter, aut assidue. Aut (secundum mysticam intelligentiam) per diem intellige tempus prosperitatis, per noctem tempus aduersitatis. Legem enim domini meditari debemus & in voluntate habere, æque & in prosperis & in aduersis, quemadmodum in beatis viris Iob, atque Tobia exempla habemus nobilissima, & imitatione dignissima, qui nec in aduersis, nec in prosperis diuinæ legis vn- Iob. Tobias.
B quam fuere immemores. ¶Versu tertio, Et erit tanquam lignum. Quod hìc dicitur de viro iusto sub comparatione virentis arboris, idem prolixius & planius aliquanto apud Prophetam Hieremiam inuenitur capite decimo septimo, in hunc modum, Benedictus vir, qui confidit in domino, Hier.17. & erit dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Potestque hæc Hieremiæ sententia sic accipi, vt propositi loci psalmorum explanatio. Quod autem dicitur in tempore suo, valet, opportuno tempore, siue dum tempus est fructificãdi. Hoc autem est tempus illud, de quo Paulus Apostolus aiebat, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. ¶Versu sexto, Ideo 2.Cor.6. non resurgunt impij in iudicio. Videtur contrarium huic versui, quod Apostolus habet decimo- 1.Cor.15. quinto capite Epistolæ ad Corinthios, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Nam hoc loco videtur psalmista asserere impios non resurrecturos. Verùm iuxtà sententiam nulla est contrarietas. Non enim sentit psalmista, impios in iudicio omnino non resurrecturos à morte corporis. Foret enim hoc manifeste etiam Euangelicæ veritati contrarium, quæ impios docet Ioan.5. prodituros de monumentis ad æterna supplicia. Loquitur autem psalmista de resurrectione iustorum. Et necesse est intelligi præsens dictum de resurrectione ad vitam æternam, quæ est resurrectio iustorum. Hac autem resurrectione nequaquam resurgent impij, qui non ad vitam, sed ad mortem
C æternam resuscitabuntur. Et cùm resurgere sit ad vitam redire, vita autem damnatorum mors potius æterna sit quàm vita, consequitur non male, neque falso secundum hunc intellectum dici posse, quòd non resurgant impij. Non enim verè ad vitam redibunt, sed potius denuo mortificabuntur, cùm damnatio mortis non iam animam solam, sed etiam corpus inuadet resuscitatum. Secundũ sententiam itaque idem est quod hic dicitur, Non resurgunt impij: & quod Apostolus dicebat, Nõ omnes immutabimur, videlicet immutatione ad gloriam. ¶Versu vltimo, Iter impiorum peribit. Iter impiorum periturum intelligi potest dupliciter. Primò, iuxta modum in elucidatione expositum, quia impij per vias suas malas ad perditionem & interitum sempiternum peruenient: quẽadmodum per contrarium dicere possumus, viam iustorum effugere perditionem, & permanere ante dominum, quoniam iusti per viam suam damnationem euadunt, & permanẽt ante conspectum Dei. Secundum alteram verò sententiam intelligimus ipsum iter impiorũ quod nunc ambulant, non perduraturum in perpetuum. Iam enim super terram viuunt in delicijs, & luxuriantur in concupiscentijs suis: opprimunt iustos, & seducunt innoxios, conuiuantur, inebriantur, voluptuã- Iudas.
tur, diuitias accumulant, honoribus exaltantur, & multa se gloria ornant exterius. Hæc est impiorum via, hæc sunt itinera hominum qui sunt à proposita beatitudine alieni. Dominus autem peri- Iacobi 1.
D re faciet vias eorũ, neque ambulare eos sinet in perpetuum in itineribus huiusmodi prauitatis suæ: Psal.145. sed emarcescet omnis eorum gloria, & peribunt omnes eorum cogitationes, ac studia vniuersa.

SECVNDI PSALMI ARGVMENTVM.

CHristum in terris conuersantem nobiscum, insanabili odio principes Iudæorum ad mortem vsque non desistiterunt persequi, quemadmodum Euangelica omnis patefacit historia. Quem deinde in cælos assumptum inque patris dexteram regnantem, & crudelius & numerosius gentium principes, & totius orbis præfecti addiderunt oppugnare. non ita quidem in semetipso, sed in nomine & membris eius, ita vt Christi nomen & regnum de terra prorsus delere arbitrarentur atque conarentur. Hos ergo vtrosque Propheta in spiritu prænidens quod futurum erat, seuera obiurgatione increpat, temeritatisque ac vanitatis arguit, eorum audaciam detestans, & Dei iudicium aduersus eorum malitiam venturum proponens. Deinde sub persona Christi (quem introducit de seipso loquentem) de regno eius & principatu super Ecclesiam & omnem populum fidelem, de æterna ipsius à patre processione, de accepto à patre dominio super omnes gentes, deque potestate iudiciaria qua iusti quidem pascuntur, peruersi autem conteruntur, veritatem omnem patefecit. Post quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sub persona Christi loquētis interpositā, ipse ad exhortationem se conuertens monet eos ad pœnitentiam sese E
conferre & Christianæ se disciplinæ submittere, vt venturam valeant terribilem iram effugere.

SECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Quare fremuerunt gentes?*
* *& populi meditati sunt inania?*

VT quid vos ô deplorandæ infideles nationes cum vestris regibus atque principibus, contra Christum Dei filium & mundi saluatorem per inuidiam & iracundiam fremitis, insanitis, atque tumultuamini? * Et vos populi omnes infideles, quicūq; siue ex Iudæis, siue ex gentibus in Christum nō creditis, quorsum vane meditamini & cogitatis ea, quæ vobis neque possibilia sunt, neque prodesse poterunt, Christi videlicet gloriam oppugnare, eiusque nomen gloriosum opprimere? 2 Ecce enim imperatores & reges populorum, qui dominantur in terra, consurrexerunt pariter, & se opposuerunt in fortitudine sua nomini Christi, & principes populorū in potestate sua conuenerunt, ad tractandum pariter & cōsulendum iunctis animis atque viribus, quo facilius & citius Christi sanctū nomen delere possent: * aduersus Deū patrem, & aduersus Christū benedictum filium eius. Nam qui filiū odit, odit & patrē: & qui aduersus filij gloriā agit, agit quoq; aduersus patrem. 3 Nos verò qui in deum patrem, & in Christū verum filium eius sine hæsitatione credimus, vincula, nexus, & catenas infidelitatis incredulorum illorum (quibus in suis erroribus sunt cōpediti) rumpamus atq; scindamus: * & iugum infidelitatis ipsorum longe proijciamus à nobis, vt nullo modo iugum ducamus cum infidelibus istis, neq; participemus cū eis, aut similes reddamur in erroribus eorum. 4 Veniet certe, quādo cælorū habitator omnipotens Deus (cuius nunc filiū miseri persequūtur) prolaturus aduersum eos sententiam æternæ damnationis, illusione atq; opprobrio sempiterno eos afficiet: * Et is qui est G
omnipotēs omnium dominator, subsannatione atq; cōfusione miserabili confundet eos, ridebitque in interitu inimicorum suorum, si à suis nō resipuerint malis erroribus. 5 In die enim illa, in forma iudicis ad vltionē malorū quasi iratus apparēs, terribilem illā damnationis sententiam proferet aduersum eos: * & in illa sua implacabili ira & irreuocabili sententia, timore horribili conturbabit eos, in profundū inferni in momēto demergēs, quādo propter subitationem inexpectatæ dānationis angustiabūtur, & turbabuntur timore horribili. 6 Vox Christi: Ego verò tametsi nūc ab incredulis rebellionē & persequutionem sustineam, sum tamen verus Dei filius, rex constitutus, & verus Messias, vnctus à Deo patre meo cæli habitatore, super Ecclesiā sanctā, populū fideliū: * constitutus (inquam) & deputatus prædicator ac doctor, ad prædicandū fidelibus, & manifestandū voluntatē patris mei, præcepta eius quę obseruari præcepit, & decreta atque consilia eius quæ super humano genere implere proposuit, atque per meā prædicationē fieri manifesta: quoniā quidē spiritus domini super me, eo ꝙ vnxit me, euāgelizare pauperibus misit me. 7 Omnipotēs pater me verū suum, ac cōsubstātialem & coęqualē filiū agnoscit, quē dicēdo vt verbū sibi consubstantiale gignit, genuitque in æternitate, quæ in perpetuū quoddā est hodie, nullam habens præteriti aut futuri successionem, sed esse stabile semper habēs atq; custodiēs, neq; aliā tēporis differentiā admittens. 8 Disposuit quoq; ab æterno pater meus postulāti mihi secundum humanitatis formā, dare populos gentiū, qui crediturī sunt nomini meo, in hæreditatē meā sempiternā: * & ex omnibus finibus totius mūdi, in possessionē dare mihi: per fidem illos in Ecclesiā sanctā cōgregabo, in populum electum & amabilem, in quo regnē & perpetuò inhabitem, veluti primogenitus in multis fratribus. 9 Dixit quoque pater meus, vt regerē ac pascerem populū hunc meum electū, quasi rex & pastor bonus in sceptro ferreo, in potestate & authoritate ętterna, neq; vnquā mihi auferenda, consumenda, aut confringenda (potestas enim mea, potestas æterna) quomodo ferrū nō facilè consumi aut cōfringi potest: * In omnimo-

2 *Astiterunt reges terræ, & principes cōuenerunt in vnum:*
* *aduersus dominū & aduersus Christū eius.*
3 *Disrumpamus vincula eorum:*
2.Cor.6. * *& proijciamus à nobis iugum ipsorum.*
4 *Qui habitat in cælis, irridebit eos:*
Prouer.1. * *& dominus subsannabit eos.*
5 *Tunc loquetur ad eos in ira sua:*
* *& in furore suo cōturbabit eos.*
Sapien.5. 6 *Ego autē cōstitutus sum rex ab eo super Siō montem sanctum eius:*
* *prædicans præceptum eius.*
Esa.61. 7 *Dominus dixit ad me: filius meus es tu: ego hodie genui te.*
Rom.8. 8 *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam:*
* *& possessionem tuā terminos terræ.*
Dan.4. 9 *Reges eos in virga ferrea:*

A da quoq; æquitate, iustitia, & iudicio: quoniam virgā ferrea flexibilis non est, neque curuari potest. Et quidē quantum ad bonos & fideles, ita pascā & regā illos. * Cæterū, quod ad incredulos atque peruersos attinet, dixit pater vt in eadem virga (quam tradidit mihi) iudiciariæ potestatis & iustitiæ meæ, confringā eos & conterā per ictum horridæ sententiæ: quēadmodum vas figuli magno impetu & sonitu terribili confringitur absq; vlla resistētia. per ictum virgæ ferreæ, aduersus quam terreo & fictili vasculo nulla est virtus resistendi. 10. Vox propheræ. Vel nunc tandē o principes orbis terrarū, qui regnū de manu Dei tenetis in populis, agnoscite, & credite in eum quem Deus pater regem, dominum, & iudicem constituit, potestatem habentem omnium, & quæ in cælo, & quæ in terra. * Ponite rudem istam atq; rebellem mentem, & disciplinam suscipite salutaris fidei, vos qui perfecti estis & iudices populorum inhabitantiū super terram: ac sub potenti eius manu humiliemini, vt exaltari apud illum etiam in futuro mereamini. 11. Ne vltra addatis persequi sanctū Christi nomen, aut aduersus eius gloriam malignari, sed magis illius vos seruituti dedite, eum in timore sancto & reuerētia debita, vt supremum & vniuersalē omnium dominatorem adorantes atq; colentes. * Et gaudete atq; lætamini in eo, quasi in vero domino ac saluatore vestro, salua semper debita illi reuerentia, atque honore congruo. 12. Suscipite disciplinā atq; doctrinā sanctæ fidei & iustitiæ eius vitæq; munditiam (quam verbo docuit ipse & exēplo firmauit) amplexamini: sicque puro corde, & vita munda adorate illum. * Vt hac ratione effugere possitis iram venturam irati iudicis, neq; vos ira Dei cōprehendat in nouissimo, & amittatis viam rectā, qua peruenitur ad vitā, proiecti extra sortem iustorum in tenebras exteriores. 13. In die illa vltionis & vindictæ, cùm apparuerit implacabilis illa iudicis ira, post paululum & quā æstimetur citius vētura, * beati inueniētur & cognoscētur omnes qui vere crediderūt in eū, quādo cæteris omnibus infidelibus & inobedientibus certa & indubitata veniet mortis æternæ dānatio, à quo modo per pœnitētiā donec tēpus illud adueniat, liberari potestis in dulcedine gratiæ eius.

** & tanquam vas figuli confringes eos.*

10 *Et nunc reges intelligite:*

** erudimini qui iudicatis terram.*

B 11 *Seruite domino in timore.* * *& exultate ei cum tremore.*

12 *Apprehendite disciplinam,* * *nequando irascatur dominus, & pereatis de via iusta.*

13 *Cùm exarserit in breui ira eius:*
* *beati omnes qui confidunt in eo.*

C
ANNOTATIONES IN PSALMVM SECVNDVM.

VErsu primo, Quare fremuerunt gentes. Signū quæsitiuum, quare, accipi potest vt quærat causam vel finalem, vel efficientem, siue mouentē. Iuxta priorem acceptionem, erit sensus, Quorsum, ad quid, propter quem finem fremuerunt gentes, &c. quasi dicat Propheta, Omnino vane & frustra conamini, quoniam ad finem vestrum quem intenditis, id est diuinæ gloriæ oppressionem, & Christiani nominis deletionem, peruenire nunquam poteritis. Iuxta alterā verò acceptionem erit sensus talis, Quid est quod vos mouet? quæ vos causa impellit ad tantam insaniam vt aduersus Deū & filiū eius ita consurgatis? quasi dicat, Omnino nulla est vobis causa tantæ huius commotionis, cùm ipse Christus dominus verus sit Dei filius, & rex verus super omnes, cui nō solum nemo possit obsistere, sed omnes etiā reges terrarū se debeāt subijcere, quēadmodum in prosequutione psalmi euidentius deducit. ¶ Versu tertio, Disrumpamus vincula eorū. Complures tertiū hunc versum accipiunt vt vocem gentium infidelium, se inuicem contra Christū ad persequutionē nominis Christiani exhortantiū, assignātes huiusmodi sententiam, Disrumpamus & scindamus vincula & seruitutem eorū, id est, Dei & Christi eius, aut eorū qui Deo & Christo seruiūt: & iugū seruitutis, ac fidei Christianæ (cui se ipsi submiserunt) proijciamus à nobis, nō suscipiamus illud neque subdamur illi.
D Putant enim infideles Iudæi & Gentiles, Christi præcepta, & sanctissimā legē esse vincula durissima & iugū grauissimum, cùm sint iugū suaue & onus leue, neque ligent quenquā nisi in dulcissima libertate: cum sint illi soli vere liberi, qui his salubribus vinculis fuerint bene captiuati. Atque hanc sententiam indicat paraphrasis Chaldaica, quæ huic versui præmittit verbum, dicunt, subaudiendo principes, aut reges terræ atq; populi infideles. Neq; nos eam reijcimus, aut improbamus. In Elucidatione tamē alteram sequuti sumus, secundū quam hæc vox vt Prophetę cū suis fidelibus accipiatur, qui se adhortātur non ducere iugum cum infidelibus, quasi dicant: Scindamus à nobis vincula illorum infidelium, qui contra Deum & Christū inania sunt meditati: neque iugū ducamus cum incredulis illis. Cui consonat illud Apostoli, Nolite iugum ducere cū infidelibus. Quid enim est aliud proijcere iugum infidelium illorum, quam nolle cum illis iugū ducere? Quemadmodum enim qui cum infidelibus communicant, & eiusdem infidelitatis sunt participes, dicuntur suscipere infideliū iugum, & cum eis iugum ducere: sic per contrarium qui recusant eidē subijci infidelitati, recte hos dixerimus proijcere iugum infidelium. Videtur autem à boum similitudine sumpta hęc eloquutio. Boues enim qui pariter iugum ducunt, vinculis & ligamētis quibusdā solent ad cornua cōbinari: & qui sic colligati fuerint, necesse est illos pariter iugum ducere. Qui autem vincula impetu disrumpunt, quibus colligantur, hi à iugo facile se liberant. Atque ita sane in vnum iugum colligati fue-

 rant

rant principes sacerdotum, & seniores populi, ita postmodum reges & principes populorũ in per- E
secutione Christiani nominis pariter colligati videbantur, & simul iugum ducebant vniuersi pe-
ne sapientes atque potentes. Nos autem fideles vincula eorum dissoluamus & confringamus, nec
patiamur nos eisdem innodari: & sic iugum illorum proijciamus, vt non cum illis iugum duca-
mus, sed libertatem fidei, vinculis infidelitatis (quibus illi sunt in impietate sua colligati) præliga-
mus. ¶ Versu 4. Qui habitat in cælis, irridebit eos. Ei quo dicitur de irrisione & subsannatione
Prouer.1. Dei contra impios, respondẽt verba libri Prouerbiorum, in cuius capite primo Sapientiã audimus
clamãtem & conquerentẽ in hæc verba, Despexistis (inquit) omne cõsilium. & increpationes meas
neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis adue-
nerit. Quoniam autẽ non est hoc ridere, aut subsannare secundum corporalem aspectum accipien-
dum, quomodo homines per oris certam dispositionem rident, & nasi cõtractionem, aut corruga-
tionem subsannant, sed secundum mysticam proprietatem: iccirco quid sibi iste risus & subsanna-
tio velint, in consequentibus edocet. Cùm irruerit (inquit) repẽtina calamitas, & interitus quasi tẽ-
pestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me, & non exau-
diã: mane consurgent, & nõ inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem do-
mini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo. Hoc enim est ridere, hoc subsannare Dei, in
nouissimo non parcere, non flecti misericordia secundum seueritatẽ immobilis iustitiæ vindictam F
referre absque compassionis dolore, eosq; cõfundere, & in erubescentiã mittere: quomodo illi qui
rident, aut subsannant super eos quos rident aut subsannant, nulla afficiuntur cõpassione misericor
diæ, sed absque misericordia cõfundunt eos & erubescere faciunt. Neq; multo aliud est hic risus &
subsannatio, quàm in versu sequenti ira & furor. Iratus enim dicitur Deus, quatenus pœnam infert:
& furorem in eo imaginamur, quatenus tum erit implacabilis, nullasq; excusationes vel recipere vo
let, vel audire. Tales enim fere videmus homines in ira & furore positos. Quo in loco illud diligen-
ter notãdum est, quam dissimilis erit vox illa, quã tunc contra impios proferet dominus, ab ea qua
nunc peccatores suauiter alloquitur vocans eos ad pœnitentiã. Modo enim in mansuetudine loqui-
tur quasi pater filijs, sicut pastor bonus errabundis ouibus, quærens peccatores ad pœnitentiam, &
infideles ad fidem, sicut gallina sua voce pullos sub alas cõgregare volens. Tunc verò in ira loque-
tur & in furore sententiam pronunciabit cõturbantem. potest tamẽ ista Dei irrisio etiã aliter more
Ioan.10. humano intelligi. Solent enim homines irridere & subsannare eos qui magna moliuntur, quæ ip-
Matt.9. sis sunt impossibilia, & quæ ad effectum perducere non valent. Tunc autem maximè irridentur hu-
Matt. 23. iusmodi & subsannantur, cùm res ipsa monstrat eos non potuisse assequi quod sunt moliti: quẽad-
Luc.14. modum in Euangelica parabola irridendus dicitur & irrisione dignus, qui cœpit ædificare, & non
potuit consummare. Ita sanè in nouissimo die, cùm manifeste patebunt irrita omnia impiorum cõ- G
tra Deum machinamẽta, atq; consilia eorum omnia dissipata quibus contra Dei gloriam egerant,
deridebuntur & subsannabuntur miseri. Sic & alibi psalmo 36. de impio bonis machinante mala,
Psal.36. dicitur, Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quòd veniet dies eius: circa quem locũ
præsentem istam sententiam latius aliquanto inueniet explanatã, cui libebit requirere. ¶ Versu.6.
Ego autẽ constitutus sum rex ab eo super Sion. per Sion (quod interpretatur specula) intelligitur
sancta Ecclesia, quæ etiam mons sanctus Dei dicitur. Mons enim altus est, firmus & immobilis. Sic
Ecclesia per fidei sublimitatem alta est, & per charitatis radicẽ firma atq; immobilis, spiritu quoq;
sancto inhabitatore est sanctificata, vt sit domus, habitatio & templum Dei. Cur autẽ per Sion in-
telligatur sancta Ecclesia, causa accipi potest, vel ex nominis significatione, vel ex loci electione.
Nomen enim (vt diximus) speculam significat, specula verò in alto est. Sic & Ecclesia ratione subli-
mitatis fidei quasi specula est, in qua, & in cuius fide quisquis residet, contemplatur & videt quę ho
mines super terram inhabitantes extra Ecclesiam nequaquam valent conspicere, nimirum sanctæ
fidei & Euãgelicæ veritatis mysteria, quæ ignorãt, nec videre valent, quicunq; extra hãc speculã cõ-
sistunt. Secundum loci autẽ electionem dici potest Ecclesia Sion, quoniã in mõte Siõ apud popu-
lum Iudaicũ templum erat, in quo colebatur Deus, quod erat typus & figura illius tẽpli, de quo in
Psal.47. alio psalmo scribitur. Suscepimus deus misericordiam tuam in medio templi tui, id est, Ecclesiæ H
sanctæ, quam spiritus in templum Deo & Christo consecrauit. ¶ Versu septimo, Ego hodie genui
te: Loquitur de generatione æterna, qua pater æternaliter gignit filium, & filius æternaliter gigni-
tur à patre. Hæc autem æternitas significatur per aduerbium temporis, hodie. In æternitate enim
neque præteritum est, neque futurum, cùm partes non habeat secundum successionẽ, quarum al-
tera alteram præcedat aut sequatur: sed est æternitas quasi momẽtum vnum perpetuò consistẽs. Ad
imaginandum nanq; æternitatis durationem, oportet intelligere quasi nunc quoddam siue momẽ-
tum præsens, vnum atque idẽ & inuariatum, absque fluxu & tranlitu stabiliter imperpetuum con-
sistens, sine præterito quod defluat, aut sine futuro quod adueniat, sicque velut perpetuum quod-
dam hodie, neque heri, neque cras habens. Heri autem & cras, successionem manifestam, transi-
tionem & fluxum indicant: quoniam heri iam non est, & cras nondum aduenit. propter quod per
ipsa nequaquam potest æternitas significari, imò impossibile est vt in æternitate intelligãtur. Illud
verò notandum, quòd aduerbio hodie, nouo modo iungit psalmista, non tempus præsens (quod
videretur aptius) dicendo, Ego hodie gigno te: sed præteritum, quod minus videtur conuenire, eo
quòd præteritum tempus ex suæ significationis proprietate præteritionẽ signet, quæ in diuina ge-
neratione semper existente non habet locum. Intelligendum ergo est iccirco præteritum tempus
cum aduerbio præsentis temporis coniungi à propheta, vt ita significaretur hodie illud, de quo
loqui-

A loquitur, non esse recens hodie, neque iam incipere suam durationẽ, sed præcessisse (non dico præ-
terijsse) ab æterno. Est enim inter hoc hodie æternum, & nostrum hodie temporale, ista diuersitas:
q̃ nostrum hodie recens sit, & cùm ante nunquã fuerit, iam primum aduenit, mox abiturum vbi
cras aduenerit. Atque iccirco nos illi solum præsens accommodamus cùm ad totum hodie respici-
mus dicentes, Hodie viuo, hodie sum, hodie gigno: nisi ad partes respiciamus eius diei præsentis, de
quo loquitur. Sic enim & præteritum, & futurum his considerationibus licebit adijcere, vt cùm di
cimus, Hodie comedi, & hodie dormiã, secundum diuersas huius diei partes. Secundum respectum
tamen ad totum, non conuenienter nisi præsens tempus possumus applicare temporali, & labili no-
stro hodie. Illud autem æternum hodie (de quo hic fit mentio) nequaquam recens est, neque iã no-
uũ aduenit quasi nunquam præcesserit, neque iterũ cras vetus erit, neque tũ abibit ab vllo fugatus
die crastino, neque præterito succedit, neque futurũ præcedit, sed antiquũ hodie est, quod (quantũ-
uis longã durationẽ mente comprehenderis) semper erat idẽ quod nunc est, hodie, & quantumuis
longã secundum futurã durationẽ comprehenderis, similiter præstabit idẽ, quod nunc est. Atq; ideo
illi potest (nulla etiã ad partes diuersas habita cõsideratione apte addi tẽpus præteritum, vel futurũ.
Vnde sicut pater nunc dicit, Ego hodie genui te: ita eadẽ veritate, & cõgruitate poterit dicere, Ego
hodie gignam te. In hac enim æternitate, pater æternus, & semper genuit filiũ, & semper gignet filiũ,
B & semper gignit filiũ. Proprijssimus tamẽ de æternitate loquendi modus est, cùm per tempus præ-
sens loquimur, Ad significandã nihilominus nostro captui æternitatis durationem, præteritum est
conuenientius. Vnde & in alio psalmo de eadẽ hac generatione loquens idem propopheta, dicit si-
militer præterito tempore. Ex vtero ante luciferũ genui te. Significat enim ipsam verbi generatio- Psal. 109.
nẽ secundũ durationẽ non præterijsse, sed tantum præfuisse: id est, non nouã esse, sed ab æterno præ-
cessisse. Verùm hæc forsitan simplicium captum videbuntur excedere: ad propositi tamẽ loci plenã
intelligentiam videbãtur necessaria: neque intellectu difficilia erunt ijs qui ex naturaliũ rerum tra-
ctatibus, temporis & æternitatis agnouerint differentias. ¶ Versu 8. Dabo tibi gentes, hæreditatem
tuam. Gentes, & hæreditatem, nõ pro vno accusatiuo cõputari debent, per appositoriã cõstructio-
nem, sed tanquam duo accusatiui ab eodẽ verbo, dabo, secundum vim vehementissimæ transitionis
recti. cuiusmodi regimen est cùm dicimus, Eligo te regem, cõsecro te sacerdotẽ. Estque sensus, Da-
bo tibi gẽtes in hereditatem tuam, vel pro hæreditate tua, hoc est vt sint hæreditas tua: quemadmo-
dum orationis illius, Eligo te regẽ, sensus est, Eligo te in regẽ, siue vt sis rex. Similiter & in sequenti
parte dicendum est, Et possessionem tuam terminos terræ. ¶ Versu. 9. Reges eos in virga ferrea.
Per virgam istam ferream, præter inflexibilem iustitiam (cuius Elucidatio meminit) recte etiam in-
telligi poterit sermo Dei viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: quod sicut à Paulo Heb.4.
C gladius vocatur, imò gladio ancipiti penetrabilius asseritur: ita nõ inconuenienter virga ferrea (pro-
pter suam fortitudinem, & virtutem) appellari potest. Apud Hieremiã verò etiam malleus nuncu-
patur: Nunquid non (inquit) verba mea quasi ignis & quasi malleus cõterens petrã? Quòd si malleus Hier.23.
petram conterens appellatur sermo Dei, cur non etiam recte ferrea virga nuncupari possit? Hæc
autem virga est, qua Christus regit ac pascit bonas oues suas: malas autem, vt vas figuli confringit,
quoniam in verbis oris eius condemnabitur impius. Aut potest etiã hæc secũda pars in bonã partẽ
interpretari, vt de salutari confractione intelligatur, qua videlicet corda dura, immitia, fera, & in-
credula ipse percutit, confringit, & interficit, vt mansuescant atque emolliscãt per pœnitentiã: Hu-
iusmodi enim corda sunt petræ quas cõterit ille, de quo diximus: Malleus. & ista, de qua nũc loqui-
mur ferrea virga. Forsitan & eadem est quã volebat Esaias, cùm de Messia loqueretur, percutiet (in-
quiens) terram virga oris sui. Virga enim hac verbi sui, quæ ex ore ipsius processit, terram percus- Esa.11.
sit, quoniam impiorum corda ictu prædicationis suæ salubriter feriendo, ad fidem, & virtutẽ con-
uertit. Nonnunquã & pro sceptro ponitur virga, vt psalmo quadragesimo quarto, Virga directio-
nis virga regni tui, id est sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui. Atque ita per sceptrum ferreum si- Psal.44.
gnificatur regnum infrangibile, & indeficiens, nempe æternum: quam expositionẽ in Elucidatione
priori loco positã comperies. ¶ Versu vndecimo, Seruite domino in timore. Duo coniũgit psalmi-
sta, quæ pariter in nobis erga Deum debẽt adesse. Exultare enim nos oportet, & gaudere plurimũ
D atque lætari in bonitate Dei: neq; morosus ipse est dominus, vt seruis suis prohibeat gaudere. Imò
locis plus mille, per seruos suos prophetas, & apostolos, atque etiam per os suum lætari monet, &
gaudere semper. Gaudete (inquit idem ipse) quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Debet tamen
non esse inepta nostra exultatio, sed cum debita ex intimo cordis affectu reuerẽtia, omnique graui- Luc.10.
tate, maturitate, & morum honestate: quod est cum tremore exultare. Non enim intelligendus est
tremor iste secundum seruilem affectum. Tremor enim nõ est in charitate, sed perfecta charitas fo
ras mittit timorẽ: quãto magis & tremorem eiusmodi? Significat autem in proposito magnã totius
affectus reuerentiam, & attentissimam mentis solicitudinem atque diligentiam, quã merito in no- 1.Ioan.4.
bis efficere debet consideratio diuinæ maiestatis. De hoc autẽ timore, & tremore Paulus loquitur
cùm fideles monet in metu & tremore suam salutem operari: id est, cum magna solicitudine, atten-
tione, & vigilantia, non remisse, non trepide, vt faciunt quidã. Sed & seipsum apud Corinthios fuis- Philip.2.
se testatur in multo timore & tremore. Seruis quoq; præcipit idem, vt dominis carnalibus seruiant
cum timore & tremore, hoc est, cum summa obedientia, & reuerentia. Quòd si dominis tẽporali- 1.Cor.2.
bus præcipiuntur serui cũ tremore obedire, quãto magis æterno illi regi regum & domino omniũ Ephes.6.
dominantium? Neque enim tam seruus aut subditus potest esse infimus quilibet hominum suo tẽ-
porali domino, quin sit is qui supremus est, & glorioßissimus inter filios hominum infinito maiore

subiectione subditus æterno domino. Rectè etiam reges & iudices populorum seruite illi, vt sum- E
mo domino, cum timore: & exultate in eius bonitate: sic tamẽ, vt cũ tremore, memores semper ve-
stræ erga illũ humilitatis. ¶ Versu vltimo, Cùm exarserit in breui ira eius: Posset principium huius
versus secundũ sententiam non male coniungi cũ fine præcedentis, vt sit sensus, Apprehendite di-
sciplinam modo, dũ tempus est, nequando experiamini iram domini, & ne pereatis de via iusta tũc,
cùm exardescet subitò ira eius, ne tũc videlicet pereatis de via iusta, ne tũc separemini à retributio-
ne bonorum, cùm exardescet seque manifestabit furor iræ eius. Ac deinde legatur separatim, velut
conclusio totius psalmi, Beati sunt atq; erunt vniuersi, qui confidunt in illo. Alterius autem conne-
xionis sententia in Elucidatione expressa est.

2.Reg.13. TERTII PSALMI ARGVMENTVM.

*EX titulo (qui tã apud Hebræos, quã apud Græcos atque Latinos psalmo huic præponitur, manifestum fit eum à Dauid compositum fuisse in ipsa persequutione quam à filio Absalon sustinuit, siue post peractam persequutionem, & assequutam liberationem. Propter quod, secundum historialem sensum Dauid ipsi applicari commode posset. Verùm quia persequutio ista Dauid à suo filio, figura erat & signum præuium persequutionis, quam Christus dominus à populo suo erat perlaturus (quemadmodum & in cæteris Dauid gestis, F
Christi mysteria figurari solent) iccirco præcipue est referenda psalmi huius intelligẽtia ad Christum, in persequutionibus & tribulationibus constitutum, vt sit eius ad patrẽ sermo suæ persequutionis grauitatẽ, & tribulantium acerbitatem primum veluti per querimoniam proponentis, in spe tamen diuini auxilij seipsum confortantis. Deinde mortis somnum & subsequuturam ex patris virtute resurrectionis gloriam, atque inimicorum finalem confusionem & punitionem prædicentis.*

TERTII PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me: *multi insurgunt aduersum me.*

Matt.27. Sapiẽ.2.

2 *Multi dicunt animæ meæ, *non est salus ipsi in Deo eius.*

3 *Tu autẽ domine susceptor meus es, *gloria mea & exaltans caput meum.*

Ioan.10.

4 *Voce mea ad dominũ clamaui: *& exaudiuit me de monte sancto suo.*

Apo.1. Luc.23.

5 *Ego dormiui & soporatus sum: * & exurrexi, quia dominus susceptit me.*

Matt.27.

6 *Non timebo millia populi circundãtis me: *exurge domine, saluũ me fac Deus meus.*

Hest.13. Dan.4.

7 *Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, * dentes peccatorum contriuisti.*

VIde pater mi, qui meus es secundum assumptam seruî formam dominus, quàm sunt multiplicati persequutores & hostes mei: * multi admodum conspirant atque consurgunt aduersus me in malum, qui me quærunt ad mortem pertrahere. 2 Multi eorum veluti exprobrantes objiciunt mihi dicentes, * Non erit tibi salus in Deo tuo, in quo te ais habere fiduciam, neque tuam animam de manibus nostris ipse saluabit: dicentes, Confidit in Deo, liberet eum si vult: videamus, si liberabit eum de manibus nostris. 3 Attamen tu domine pater, susceptor, defensor, protector, & liberator G
meus es: * tu es qui me glorificabis, & qui me in regnum atque principatum exaltabis, liberatum de manibus eorum. 4 In tribulationibus & persequutionibus cõstitutus, vocem tam cordis quàm corporis mei ad te in oratione affectu magno leuaui: * & tu exaudisti me clamantem de sublimi throno gloriæ tuæ, in quo residēs in magnificentia tua, in medio angelorum tuorum. 5 Increscente & operante aduersantium rabie, iuxta propositum tuæ voluntatis, ô pater æternæ morti me subdidi propria volũtate, mortisque somnum experiri in mea humanitate volui, & tridui spacium in somno illo perdurare: ponens à meipso ad tempus animam meam: * Non permansi tamen in morte, vt cæteri mortuorum: sed à somno illo mortis quãtocyus resurrexi ad vitam, potestatem habens resumendi eam quam paulo ante posueram animam meam: & factus sum viuus post paululum, qui fueram mortuus, idq; ex virtute diuinitatis quam à te accepi, quoniam tu pater (in cuius manus spiritum meum commendaueram moriens) resuscitandum suscepisti me, & sustẽtasti atque custo- H
disti, vt in morte nõ permanerem: sed post triduũ resuscitasti me, quatenus à te virtutem diuinitatis (secũdum quam surrexi à mortuis) acceperi. 6 Etiam si me millia hominum persequentium per circuitum obsiderent, & in circuitu custodiam aut obsidionẽ constituant, quomodo ex Iudæorum solicitatione pauci custodes ad sepulchrũ meum vigilabunt, non metuam, neque ob hoc impediar aut cessabo à resurrectione mea: * tu tantum domine pater, exurge mihi in auxilium: & secundum decretum consilij tui æterni, à morte (in qua tua permissione ad tempus debeo quiescere, me libera, & ad vitam resuscita. Nulla est enim potestas humanarum viriũ, quæ tuæ diuinæ potentiæ queat resistere, neq; est qui tuæ possit resistere voluntati, aut tua cõsilia facere irrita. 7 Tu es qui omnes aduersarios meos, qui me sine meo merito iniuste afflixerunt, condemnatione feries æterna. * Tu ictu graui iusti iudicij tui, & percussione seuera sententiæ tuæ in maxilla feries eos, ita vt dentes eorum pariter conterantur atque excutiantur. * Conteres quoque & comminues inuidiam & malitiosam

A
sam potestatem eorum, qua me lacerare atq; discerpere existimabãt.

*8 Domini est salus, * & super populum tuum benedictio tua.*

8 Ad te pater domine solum spectat saluatio, tuum est saluare, & à te vno salus omnis vera est expectanda: * & super populum tibi fidelẽ tuisque mãdatis obedientem, erit benedictio tua: in præsenti quidem salutaris gratiæ tuæ, in futuro autem sempiternæ gloriæ tuæ: quẽadmodum ex aduerso super populum infidelem & rebellem veniet maledictio, in præsenti quidem sterilitatis ab operibus bonis, in futuro damnationis æternæ.

ANNOTATIONES IN PSALMVM TERTIVM.

NOtandum, quòd licet psalmum hunc totum Elucidationis iam positæ series peculiariter capiti nostro Christo accommodauerit, eamque intelligentiam solam expresserit, potest tamen nihilominus pulchrè & commodè admodum etiam cuilibet Christi membro, id est, cuilibet viro iusto in tribulatione posito, vox psalmi huius aptari, vix in vllo variata intelligẽtia: nisi quòd in versu quinto sonus, & exurrectio paulò aliter debeant intelligi. Fit enim nonnunquam, vt viri iusti siue prauitate, siue prolixitate persequutionum fracti, veluti torpere incipiant, atque in somnum peccati declinare: quos Deus lucis suæ visitatione, iam casui propinquos sustentat, & pene iam collapsos
B benigne erigit, inimicis eorum in fugam conuersis. Huius ergo psalmi apparet ex prædictis triplicẽ inueniri intellectũ: primum quidem de persona Dauid in Absalonis persequutione, quemadmodũ indicat titulus: alterum de Christo domino, cuius typum gerebat Dauid: tertium verò, secundum quem cuilibet Christi membro accõmodatur, de tribulatione poscẽti auxilium, & in domino suã confidentiã bonam exercitanti. Neq; verò hæc sensuum diuersitas vllã inducit confusionẽ, quãdoquidem adinuicem coüniti sunt & includuntur alius in alio: secundus quidem in priore, quemadmodum id quod de signo dicitur, spectat simul & ad signatum: tertius autem in secundo, quemadmodum id quod de capite dicitur, pertinet simul & ad membra. ¶ Versu tertio, Gloria mea & exaltans caput meum. Christus, siue etiam iustus quilibet, Deum vocat suam gloriam, id est, suum glorificatorem, à quo gloriam sperat & victoriam atque coronam. Exaltare autem caput iusti quomodo dicatur Deus, vide in annotationibus psalmi 106 in pertractatione versus vltimi, De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. ¶ Versu quarto, Exaudiuit me de monte sancto suo. Mons sanctus Dei, in psalmis atque item sacris alijs scripturis interdum Ecclesiam significat militãtem, quomodo in psalmo præcedenti in verbo Christi, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Et in psalmo. 46. Magnus dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Psal.2.
Dei nostri, in monte sancto eius. Interdum verò Ecclesiam significat triumphantem, & mansionem Psal.46.
C supernam beatorum, quæ propter altitudinem altissimæ contemplationis & speculationis, secundum quam Deum sancti contuentur facie ad faciem, rectissimè mons dicitur: simul & propter inaccessibilitatem & inexpugnabilitatem eius. Vnde dicitur in alio loco, Non accedet ad te malum. 1.Cor.13.
Qui enim in montibus habitant, non facilè valent expugnari: & quo mons altior fuerit, eo diffici- Psal.90.
lius. Mons autem Dei tam altus est, vt nemo possit ad oppugnandum vel expugnandum appropinquare. Dicitur autem mons iste sanctus, propter singularissimam præsentiam, & inhabitationem firmissimam eius qui sanctificat omnia. Sic in psalmo decimo quarto, Domine quis habitabit in ta- Psal.14.
bernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Item psalmo quadragesimo secundo, Psal. 42.
Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. ¶ Versu quinto, Ego dormiui & soporatus sum. Ex sacris domini Iesu verbis in Euangelica historia, simul & ex Apostolorum literis, discimus mortuos dormientes appellari. Vnde de Lazaro ait Dominus, Lazarus amicus noster dormit: intendens de mor- Ioan.15.
te corporis. Similiter & Paulus, De dormientibus, inquit, nolo vos ignorare fratres: cùm de mor- 1.Thes.4.
tuis loqueretur. Recte ergo hoc in loco per somnum intelligitur ipsa mortis dormitio, & ex consequenti per exurrectionem siue euigilationem à somno, ipsa à morte ad vitam resurrectio. Quod
D autem Christus ait ideo se exurrexisse, quoniam dominus, pater videlicet, ipsum suscepisset, id non sic intelligendum est, quasi non propria sua virtute resurrexerit Christus. Resurrexit enim per virtutem & potentiam diuinitatis, quæ in eo erat, ipsi patrique communis: non quasi per alienam & extrinsecam virtutem, quemadmodum nos puri homines suo tempore sumus resuscitãdi à monumentis: Ait enim de se ipse Saluator dominus, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatẽ habeo iterum sumendi eam) sed per ipsam propriam suam virtutem, quam intra se habebat, Ioan.10.
& qua ipse licet homo factus nunquam destituebatur. Patri tamen asscribit suâ resurrectionem, & in hoc & in alijs pleriſque locis, quoniã omnia quæ habet, à patre habet: neq; habet omnino quicquam filius, nisi per communicationem à patre: ipsamque potentiam omnem & virtutem, quam habet, à patre habet: atque ideo non immerito ad ipsum refert suæ resurrectionis gloriam. Denique manifestum est hic Christum introduci secundum carnis dispensationem, in forma humilitatis loquentem: propter quod ad designandum quòd non virtute humana surrexisset, sed diuina, patri suo asscribit resurrectionem. Nisi enim diuinitas humanitati fuisset auxiliata, non potuisset ipse à somno exurgere. Si verò hunc psalmum totum personæ Dauid applicare quis vellet, hunc necesse esset somnum istum ad tempus aduersitatis & tristitiæ (in quo erat Dauid, donec perduraret Absalonis persequutio) referre: exurrectionem autem siue euigilationem, ad tempus liberationis de angustia. Si verò secundum spiritualem intellectum viro cuilibet iusto aptetur psalmus, intelligitur ista dormitatio, quædã in virtutis proposito atque profectu remissio, & ad peccatum aliqua

ex par-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex parte declinatio: exurrectio autem, in priſtinam diuinæ ſeruitutis alacritatem reparatio, ex be- E
nignitate Dei ſuſcipientis iuſtum, vel priuſquam cadat præſeruãdo, vel poſtquam ceciderit erigen-
Pſal.93. do, ne in lapſu permaneat, & in fouea in quam cecidit non extractus ſuffocetur & computreſcat. Nam in alio pſalmo dicitur, Niſi quia dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea. ¶ Verſu pẽultimo, Dentes peccatorum contriuiſti. Sumptum videtur ex vulgari conſuetudine loquentium, ad deſignãdum grauitatem perſecutionis, qua omnipotentia diuinitatis Chriſti hominis inimicos & percuſsit, & percutiet amplius. Grauius enim ictus eſt maxillæ, cùm ex eo dentes vel infringuntur, vel excutiuntur. Atq; huic intelligentiæ clare ſatis atque aperte conſonat beati Hieronymi verſio, quæ ſic habet, Quoniam tu percuſiſti omniũ inimicorum meorũ maxillã, dentes impiorum confregiſti. Cui conſentit etiam Chaldaica tranſlatio, habens in hunc modum, Quoniam tu percuſiſti omnes patronos odij mei ſuper genas eorum, dentes impiorum confregiſti. Eſt autem harum lectionum ſententia, tanquam ſi dicat propheta, In maxillam inimicos meos percuſſiſti: & quidem ictu tam graui, vt etiam dentes qui in maxillis erant, confregeris atque excuſſeris, id eſt, ictu terribili, nimirum ſententia damnationis æternæ. Aut per dentes confractos, malitioſam eorum poteſtatem, qua Chriſtum diſcerpere quærebant, ſimpliciter intellige. Vtramque autem intelligentiam ſuppoſita monſtrat Elucidatio.

F

DE TITVLO HVIVS PSALMI.

PRimum illud in genere de titulis vniuerſis aduertendum eſt, quòd is cui pſalmus aſſcribitur, ſemper in datiuo caſu ponitur. Vnde in hoc pſalmo & in conſequentibus, cùm audis, pſalmus Dauid, vel pſalmus cantici Dauid, ſemper nomẽ Dauid in datiuo caſu accipi debet, vt ſit ſenſus, pſalmus ipſi Dauid. Id quod tam ex Græco quàm Hebræo euadit manifeſtum. Vtrobique enim articulus datiui caſus adiungitur nomini Dauid. In græco enim dicitur τῷ Δαβιδ, id eſt (vt ita exprimamus) ipſi Dauidi. In Hebræo autem nomini Dauid præponitur litera Lamech, quę ſolet eſſe articulus datiui caſus, quemadmodum He genitiui. Neque verò myſterio vacare putamus, quòd authoris ipſius nomen caſu datiuo præpoſitum ſit, cùm tamen videatur magis caſus genitiuus ad authorem competere. Opus enim dicimus illius, qui author eſt eius. Præponitur tamen pſalmis authoris nomen caſu datiuo, ad ſignificandum (vt equidem arbitror) alium eſſe authorem præter canentem
Pſal.44. Dauid, ipſo magis præcipuum, qui ſubticetur, & cui præcipuus locus in genitiuo caſu defertur, nẽpe ſpiritum domini interius dictantem & interius illuminantem, ipſiq́ue Dauid pſalmos reuelantem, quemadmodum quodam in loco idem ipſe apertum perhibet teſtimoniũ, linguã ſuam ſcribæ velociter ſcribentis calamum appellans, videlicet ſpiritus ſancti velocem & efficacem motionem deſignans. Huic itaque ſcribæ deferens humilis & ſimplex puer domini Dauid, & tanquam primo au- G
thori primum locum cõcedens, ſe quaſi inſtrumentum & quaſi illuminatũ atq; edoctum à Deo caſu datiuo deſignat, dicens, pſalmus ipſi Dauid. acſi diceret, pſalmus ipſi Dauid reuelatus aut datus, quẽ videlicet pſalmum docuit illum ſummus artifex ſpiritus Dei, qui per Dauid pſalmos canebat. Atq; iſtud quidem hoc in loco ſemel admonitum, & aduertendũ eſt & attendendum diligenter per vniPſal.44. uerſum pſalmorum librum, ne eadem opus ſit fruſtra ſæpius iterare. ¶ Demum (quod ad hunc titu-
Pſal.28. lum in ſpeciali attinet) aduertendum eſt, quòd frequenter contingit pſalmo alicui præponi titu-
Pſal.29. lum qui ſpectat ad hiſtoriã, quemadmodum hic dicitur, pſalmus Dauid, cùm fugeret à facie Abſalõ
Pſal.51. filij ſui. Alibi pſalmus Dauid in cõſummatione tabernaculi. Itẽ, pſalmus Dauid in dedicatione do-
Pſalm.53. mus Dauid. Itẽ, pſalmus Dauid, cũ venit Doech Idumæus, & annũtiauit Saul, & dixit, Venit Dauid in domum Abimelech. Item, pſalmus Dauid, cùm immutauit vultũ ſuũ coram Abimelech, & dimiſit eum, & abijt. In his tamen pſalmis quibus tales præponuntur tituli, non eſt neceſſe, imo neque conueniens, vt huiuſmodi hiſtoriale factũ accipiatur vniuerſaliter, quaſi materia pſalmi, ſiue vt pſalmi ipſius intelligentia ad hiſtoriam talem accommodetur. Nam in pſalmo 53. (cui vltimus ille titulus de vultus immutatione præponitur etiam apud Hebræos) ne verbum quidem auditur de huiuſmodi facto particulari hiſtoriæ, quod in titulo præmittitur. Sed plerunque titulus vel tempus tantum deſignat, quo facta eſt prophetæ reuelatio pſalmi huius aut illius, vel occaſionem decantandi H
ſiue deſcribendi eum. Valde enim ſteriles redderet pſalmos, qui ſemper ex titulo haurire vellet ſolidam eorum intelligentiam. Quemadmodum in pſalmo propoſito, qui illud, Ego dormiui & ſoporatus ſum & exurrexi, intelligeret de humiliatione ac ſubſequenti liberatione Dauidis, vere ſterilẽ & nimis inamœnum efficeret ſenſum. Similiter pſal. 28. cui (vt diximus) præmittitur titulus, in conſummatione tabernaculi, ſi ad literam illi dedicationi materialis tabernaculi applicetur, ſterilem & prorſus ieiunam habebit interpretationem, cùm ſit alioqui pſalmus adipe myſteriorum noui teſtamenti pinguiſsimus & delicatiſsimus. Quòd ſi roges, quid ergo in titulo hiſtoria præmittitur, ſi ad hiſtoriam non debet accommodari interpretatio pſalmi qui ſubſequitur? Iam diximus ſatis eſſe ſi tantum vel tempus vel occaſionem pſalmum decantandi titulus indicet. pro cuius rei inteligentia diligenter attendenda eſt illa Pauli ſententia, qua dicit in fidelibus abundare conſolationes, iuxta
2.Cor.1. tribulationum abundantiam. Sicut (inquit) abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtũ
Pſal.53. abundat conſolatio noſtra. Quod pſalmiſta noſter alijs verbis, ſecundum eandem tamen ſententiam ita expreſsit, confitens domino, & dicens, Secundum multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerũt animã meam. Ex quo apparet, prophetam in magnis tribulationibus & anguſtijs poſitũ, quãto magis affligebatur exterius, tãto magis percepiſſe interiorẽ à Deo illuminationẽ, in qua ſeipſum ſecundũ ſpiritũ poſſet abũde cõſolari. Vnde arbitror fieri potuiſſe, imò verili-

A verisimile eſt & pene clarum ac certũ ita fuiſſe, quòd Dauidi in anguſtijs exterioribus & afflictionibus poſito, in ſpiritu demonſtrata eſt & reuelata illa pòſt ventura perſequutio & afflictio, quam Chriſtus dominus præter omne meritum erat perlaturus ab inimicis: vt ſic in oſtenſa domini ventura tribulatione, ſeruus in ſua præſenti afflictione inueniret conſolationem: vt hoc iam Dauidi ſpiritus diceret, quod multo pòſt ipſe dominus in carne ſuis diſcipulis ore proprio dicturus erat: Nõ eſt ſeruus maior domino ſuo: Si me perſequuti ſunt, & vos perſequẽtur. Sic enim & ſpiritus di- Ioan.15.
cebat in corde Dauid, Ecce dominũ perſequentur impij & infideles ſerui: tu ergo ne grauate feras ſi te affligant iniqui. Atque hoc pacto conuenienter valde dici poteſt, q̃ cùm à filio ſuo Dauid perſequutionem ſuſtineret indubie grauiſsimam, & ad tolerandum moleſtiſsimam (Tanto enim grauius eſt homini quod infligitur malum, quãto eum qui infligit minus æquũ eſt hoc agere) ipſe autem ſummam corã Deo humilitatem exhiberet, de ciuitate regia miſerabiliter cum vniuerſa domo 1.Reg.15.
pedibus ſuis egrediens, cliuum oliuarum aſcẽdens, nudis pedibus incedens, cum fletu & operto ca- 1.Reg.16.
pite, maledictionem quoq; Semei patienter ferens, & vleiſci volẽtes prohibens, aliaq́ue his ſimilia plena coram domino humilitatis intimæ teſtimonia demonſtrãs: quod in hac (inquã) tanta humilitate illi reuelatum fuerit ad ſuam conſolationem, quanta Chriſtus dominus in mundum venturus eſſet à populo ſuo, à filijs ſuis, ſed malis filijs paſſurus, & quomodo poſt paſsionem foret glorificã-
B dus. Atque hac illuminatione, velut ſuorum malorum omnium oblitus, totus in contemplationem perſequutionis Chriſti abreptus, quaſi ex perſona Chriſti ſic inimicis circundati, & per reſurrectionem liberandi in vocem Pſalmi prorupit, ſicque abunde magnam in ſua afflictione conſolationem inuenit, intelligens & ſe ſimiliter poſt perſequutionem inuenturum requiem. Atq; ita quidem patet quod diximus, perſequutionem Abſalonis tempus fuiſſe, atque etiam occaſionem componendi propoſiti Pſalmi, non autem ipſius præcipuam materiam. Forſitan autem hæc & alijs pluribus in locis, vbi vſus venerit, admonebimus, & plurium exemplorum declaratione faciemus manifeſtius, ſi nos magnus dominus ſua illuſtratione dignabitur, & vita.

QVARTI PSALMI ARGVMENTVM.

IN hoc Pſalmo Propheta vbi eam quam à Deo ipſe expertus fuerat exauditionis facilitatem præmiſit, mox ad increpationem verba conuertit, quòd homines, rationales creaturæ, ſuæ nobilitatis obliti, tam facillimo ac benigniſsimo domino prætermiſſo, peccatis ſe turpiter ſubdant, & carnis ac mundi deſyderiis ignominioſe inhæreant. Quibus deinde ſi à vanitate conuerti velint, aduocatum monſtrat, per quẽ propitiationẽ ſibi valeant cõparare: ſimul & modũ quo ad illum conuerti debeant (per irã aduerſus vitia præterita, declinationem à malis, & operationem iuſtitiæ) vt ſecure in eo ſperare valeãt, luculenter manifeſtãs. Vbi inſipientium
C *hominum obiectioni reſpondens, naturalis luminis meminit, atque etiam ſpiritualis illuminationis, vnde nobis boni eſt indiciũ, & lætitia venit in cordibus fideliũ. Deinde per ſpiritus illuminationẽ quæ tẽpore gratiæ vẽlegis nouæ fœcunditatẽ, ea gaudenter in exultatione ſpiritus futura quaſi præterita, iuxta morẽ Prophetarũ prænunciat: & in eis quæ præuidebat non hæſitãs fide, ſe pariter cum venturis adiungẽs, in pace ſecurus vult & gaudens requieſcere: credens vnà cum nouo illo populo pariter videre bona domini in terra viuentium, propter ſpem certam & ſecuram expectationem eorum quæ ſpiritu illuminante ſibi fuerant præmonſtrata.*

QVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

*1 Cum inuocarem exaudiuit me deus iuſtitiæ meæ: * in tribulatione dilataſti mihi.*

2 Miſerere mei, &
D *exaudi orationẽ meam.*

3 Filij hominum vſquequo graui corde?

** vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

4 Et ſcitote quoniam mirificauit do-

CVm ex debito cordis affectu clamarem in oratione mea ad dominum, non abiecit orationem meam Deus, author ipſe, conſyderator, & remunerator iuſtitiæ meæ: *In tribulationibus & anguſtiis inuocatus, latitudinem ſpiritualis conſolationis & gaudij interioris donauit mihi. 2. Atq; iccirco cæleſtem ſæpius benignitatem expertus, iterum clamare non deſino, quoties vlla mihi tribulatio obuenerit. Miſericordiam tuam demonſtra mihi domine, & exaudi me tibi in ſpiritu humili ſupplicantem. 3. Vos verò filij hominum, ex hominibus rationalibus homines rationales progeniti, quos ſic ad imaginem ſuam Deus nobiles & glorioſos cõdidit, quouſque vos tandem ſecundum affectum cordis onerati permanebitis peccatorum mole, atque terrenarum concupiſcentiarum pondere, ſemper in ima iſta reſpicientes? *Et propter quid (quæſo) cor apponitis vanitatibus, & ex affectu ſectamini mendaciũ? hoc eſt, ea quæ car- Eccle.1.
nis ſunt & mũdi, quæ reuera nihil aliud quã vanitas ſunt & mẽdaciũ. in quib⁹ nihil eſt verę ac ſolidæ bonitatis, & quæ ſuos ſectatores miſere decipiũt, pro fœlicitate quã promittunt æternæ mortis ſtipendia Roma.6.
adducẽtes. Nequaquã profecto hoc decẽs aut iuſtũ eſt, aut etiam expediẽs, vt rationalis creatura, quã Deus ſic nobilẽ creauit, ipſa ſe vanitati atq; mẽdacio vltro ſubdat, atq; in ſeruitutem dedat. 4. Quòd ſi qui forte ex filijs hominũ põdera hæc abiicere cupiãt, oſtẽdã eis quis ſit qui illos poſsit leuare ſuis onerib⁹. Illud enim in primis ſciendũ &

fideli-

minus sanctum suum.

Ioan.3.

1.Ioan 2. Roma.5. Hebr.9. Ioan.14. * *dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.*

Matt. 11. 5 *Irascimini,*

* *& nolite peccare:*

* *quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.*

6 *Sacrificate sacrificium iustitiæ,*

Roma. 8. Eccle.1. * *& sperate in domino:* * *multi dicunt, quis ostendit nobis bona?*

7 *Signatum est super nos lumẽ vultus tui domine:*

* *dedisti lætitiam in corde meo.*

1.Ioan.1. Ioan.16.

8 *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.*

9 *In pace in idipsum dormiã & requiescã.*

10 *Quoniã tu domine singulariter in spe constituisti me.*

fideliter attendendum est, ꝙ pater omnipotens Christum dominum (quem ab initio conceptus sui sanctitate, misericordia, & omnibus gratijs impleuit, non ad mẽsuram) mirabilem fecit, mirifice exaltauit in cõspectu suo, & mirabilẽ demonstrauit in conspectu omniũ credentiũ, tanquã aduocatum nostrum & propitiatorem, per quem nobis datus est ad patrẽ accessus, quique mirabiliter à peccatoribus segregatus imperpetuũ assistit vultui Dei pro nobis. *Deus pater omnipotẽs exaudiet nos, quotiescunque ad illum clamauerimus: ita vt si quid patrem petierimus in nomine eius, hoc ipse faciat nobis: ad quẽ accedẽtes, ab omni onere & põdere liberi (iuxta promissum eius) reficiemur. 5. Si verò modum requiritis quo ad illum à vanitate redire oporteat, en primũ vobis dolor, ira & indignatio sancta assumi debet, per quę peccatis præteritis, imò vobisipsis (vt serui fuistis peccati) indignari debetis, vt illa quę prius turpiter amastis, & cõcupiuistis nequiter, iã pœnitentes salubriter detestemini: *deinde, ne vltra peccetis firmo proposito statuendũ, atq; diligẽti obseruatione est cauendũ ne ea quę semel defleta sunt per pœnitentiã, per cõcupiscentiã iterũ cõmittantur. *Cęterũ, si quę occurrãt aut exoriri cœperint per cogitationes in cordibus vestris mala desideria, vel ex suggestione exterioris dęmonis, mũdi, aut carnis, vel ex memoriæ volubilitate & affectus instabilitate, & si quæ huiusmodi intus in animos vestros forte se ingerãt, nolite oblectari in eis, vt nõ noceãt, sed cõpũgimini, & dolore vosipsos affligite ꝓ illis, vt sic dũ oblata respuitis, etiã gloriosior fiat ex eis corona vestra. 6. Neq; verò sat fuerit ad perfectã cõuersionem, prẽterita peccata plangere, & ab eis caute declinare: sed studiosè super bonũ operari oportet, & Deo offerre iustũ sacrificiũ, & debitum bonarũ actionũ, in operãdo ea quę diuinę sunt volũtatis. Nullũ est enim sacrificiũ tã à nobis Deo debitũ, quã vt vitã iuxta eius voluntatẽ ducamus. Hęc verò vbi adfuerint (nẽpe de peccatis præteritis dolere, à malis actibus cessare, & operibus Deo placitis insistere) * spem habete in domino. Sic enim vt oportet sperãtes in eo nõ cõfundemini, sed ab omnib⁹ malis ipse vos faciet saluos. * Neq; mouere quẽquã debẽt voces hominũ stultorũ atq; carnaliũ (quorũ bonus semper, imò infinitus est numerus) dicẽtiũ, Vnde scire poterimus quæ vt bona sectãda, quæue vt mala ex aduerso fugiẽda, aut quis est qui nobis in omnibus nostris actionibus (quę sunt infinitæ) hęc demõstret? 7. Ecce enim inditũ est & impressum nobis rationalibus creaturis naturale lumẽ, quod à facie Dei. i. ab illo increato, infinito, & inæstimabili lumine, veluti quædã particula & quædã participatio illius immensi luminis, in apice mẽtali & vi animę suprema desuper immissũ, Deo nos assimilat, & Dei imagine veluti cõsignat: in quo lumine, naturaliter ea quę bona sunt & sectãda, quæue ex oppositio mala & fugiẽda cognoscimus: *Insuper & lumẽ spiritus tui sancti, de cõspectu diuinitatis tuę demittis in corda fideliũ, per quẽ insculpitur in nobis, & veluti signatur atq; imprimitur spiritualis regenerationis imago, qui sua nos interna vnctione omnẽ docet tã de credẽdis, q̃ de agẽdis veritatẽ: *Et in horũ vtroq; lætari me & exultare fecisti in gaudio interiori spiritus mei. Ex vtroq; enim gaudiũ viri iusti cõscietiæ, cũ sic duplici ratione munitur atq; secura redditur. 8. Et ô beata illa vẽtura tẽpora, ô felicia posterorũ secula, quãdo à fœcũditate sacramẽtorum nouæ legis (quorũ pręcipuũ in frumẽto & vino per cõsecrationẽ cõficietur, atq; alia quędã in vnctione sacrati olei) multiplicabũtur atq; augmẽtũ sument, tã gratia & merito quã numero, fideles in Deũ patrem & Christũ filiũ eius credentes. 9. Mihi verò tametsi nondũ detur videre fœlicia hæc tẽpora, fidei tamẽ cõmunione cum illis venturis generationibus meipsum spiritu cõiungens, in pace simul cũ eis obdormiã, securus, & in spe eadẽ pariter cũ illis per mortis dissolutionẽ ingrediar in requiem dormitionis meæ, eadẽ cũ illis beatæ resurrectionis præmia certissime expectans. 10. Quoniam tu domine per illuminationem istam tuã tam benignã de venturis Ecclesiæ tuæ bonis, in spe bona, singulari, & peculiari quodam modo securum me constituisti.

ANNOTATIONES IN PSALMVM QVARTVM.

VErsu primo, In tribulatione dilatasti mihi: potest, dilatasti, intelligi pro, latitudinem dedisti in consolatione videlicet interna, quam præbuisti inuocatus in tribulationibus. Cui consonat verbum Apostoli dicentis, Sicut abundant passiones Christi in nobis, sic & per Christum abun-

2.Cor.1.

abundat consolatio nostra: & si fuerimus socij passionum, erimus & consolationũ. Dum enim foris retributio corpus premit, intus per gaudium spiritus dilatatur. Propter quod idẽ Apost. hãc latitudinẽ probe expertus, In omnibus (inquiebat quodã loco glorians in afflictionibus) tribulationem patimur, sed non angustiamur. Et iterum, Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Si verò malit quis accipere verbum dilatasti, secundum proprietatem suæ significationis, vt sonet latum facere, subaudiat accusatiuum præcordia, vel cor, vel spiritum, vel consolationem, aut aliud huiusmodi: vt sit sensus, Dilatasti mihi cor, aut præcordia, aut spiritum meum. In consolatione enim & gaudio interiori spiritus intra sese dilatatur, quẽadmodum tristitia confringitur & coangustatur. Aut dilatasti consolationem, id est, latam mihi fecisti consolationẽ. Forsitan autem hæc latitudo, de qua modo loquitur, eadem illa de qua & in alijs aliquot locis meminimus fieri sermonem. Veluti psalmo 17, Eduxit me in latitudinem. Et psal. 118. Et ambulabam in latitudine. Et iterum, Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Lectio autem Romana habet accusatiuum pro datiuo, In tribulatione (inquit) dilatasti me. Et hæc lectio eandem habet cũ supradictis sententiam. Quid est enim inuocanti dilatare, nisi inuocanti dare latitudinem, ipsumque in latitudine constituere? ¶ Versu tertio, Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? per vanitates & mẽdacia recte in Elucidatione intelliguntur ea quæ mundi sunt & carnis, id est, delitiæ & temporalia bona, & malarũ concupiscentiarum adimpletio: quæ nihil sunt nisi vanitas & mendacium. Vnde & in psalmo 39. similiter de his dicitur, ꝙ beatus est homo ille, qui nõ respexit in vanitates & insanias falsas. possent nihilominus idola hic intelligi vanitates & mendacia, quæ re vera vanissima sunt cum dij habeantur, nihil tamen sint minus, & mentiuntur suis cultoribus, eosque misere decipiunt, pro salute æternam damnationem ipsis superinducentes. Atque ita cõmode subsequitur in sequenti versu demõstratio eius, qui vere diligi & requiri debet vt colatur, scilicet Christi Dei patris filij, qui non mentitur suis cultoribus, cũ omnes clamantes exaudiat: quẽ relictis omnibus vanis idolis, iustum est verum Deum requirere & colere. potest autẽ hic versus legi, vel tanquã increpatoria interrogatio cum vehementia indignationis, vel quasi per querimoniam cum suauitate cõpassionis. Neq; omnino dissonat vox ista propheræ increpatoria, ab illa suauissima Christi exhortatione, secundum quã in Euãgelio vniuersis clamitat, dicens, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Tanquam si dicat, Quare curritis post vanitates, & mendacia diligitis, quæ nihil aliud quàm grauissimum onus adferre possunt conscientijs vestris? Ad me potius accedite, meque diligite, deponẽtes omne mendaciũ & omne pondus sęcularis vanitatis vt in me reficiamini, & alleuiẽtur corda vestra. ¶ Versu 4, Et scitote quoniam mirificauit dominus sanctum suum. præter continuationem huius versus cũ prędcedẽti illa quę in elucidatione posita est, potest assignari & alia nõ incõmodior, in hunc modum, Nequaquam ô homines diligatis vanitatẽ, aut quęratis mendaciũ: Scitote enim quoniã ille qui est veritas, ipse sanctus sanctorũ, Christus dominus, potius toto est corde diligendus & requirendus atq; colendus à vobis: quẽ Deus pater mirificauit, mirabilemque fecit, & super omnia exaltauit, vt ipse ab omnibus diligatur & colatur, qui solus potẽs est exaudire omnes ad se clamãtes. & præstare omnibus quæcunq; postulauerint. Quod autem in secũda parte dicitur, Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eũ, tametsi sub prima persona dicatur, intelligitur tamen secundum generalitatẽ, ac si diceretur, Dominus exaudiet omnẽ eũ qui clamauerit ad illum. Est enim hoc frequens, cùm quis vniuersalem vel indifferentẽ velit facere enunciationem, vt de sua ipsius persona loquatur singulariter. Vt cùm dico, Si bene fecero, reddet mihi Deus mercedẽ bonam: sin male, malã: sub prima persona loquẽdo, indico quid omnibus vniuersaliter sit Deus bonis atque malis præmij largiturus. ¶ Versu quinto, Irascimini, & nolite peccare, Hunc passum nõnulli ad moderationem iræ referunt, sic eũ exponentes, Si irascimini, vel si irasci cõtigerit, cauete ne peccatum fiat ira, id est, ne modũ excedat, vt nõ mora nimia aut excessus furoris transeat in peccatum mortis, vt fere idẽ sit quod quodam in loco scribit Apostolus, Sol nõ occidat super iracundiam uestram. Verum hæc expositio nõ satis videtur concordare consequentibus atq; præcedentibus. Propter quod longe aliam sententiam sequitur Elucidatio. Secundum quã diligenter attendendus est ordo qui in duobus his versibus, id est, hoc præsenti atq; proxime præcedenti, describitur: secundum quem conuerti debemus ad dominũ, & illum requirere. Primum enim irasci oportet vitæ pristinæ, deinde ne vltra addamus, diligenter attendere, insuper exurgentes malos motus (siue ex cõsuetudine malæ vitæ pristinæ, siue ex carnis prauitate) cõprimere, & per compunctionẽ extinguere, vt non iterũ excrescant per cõsensum, si permittãtur libere exurgere, & absq; repressione proficere. Hinc verò diligenter operari oportet bonitatẽ, vt vera & perfecta cõprobetur pœnitentia. Amor enim & desiderium virtutis, si operari renuit, neq; verus amor, neq; verum desyderiũ est. Operantes autem bonum, cauere debent ne in semetipsis fidant, aut proprijs viribus (quasi iã aliquid cœperint esse, cùm nihil sint) sed spẽ totã habeant in domino, sine quo prorsus nihil possunt efficere, & ex quo omnis est eorũ in bonũ sufficientia. Vbi verò sic prędicto & ordinato modo ad dominum se conuerterint, sperent in eo fidenter, de sua salute securi: quoniam nõ illos cõfundet spes sua. Cùm verò cõsequẽter subiungitur, Multi dicunt quis ostẽdit nobis bona? obiectio ponitur hominum carnalium, ac deinde versu sequenti eiusdem obiectionis solutio, quemadmodũ in Elucidatione euidenter exponitur. ¶ Versu. 8. A fructu frumẽti, vini, & olei sui. Nonnulli hunc versum de malorum prosperitate exponunt, referentes sermonem ad illos multos, de quibus in versu sexto mentio fiebat, qui incredeli & murmuratores dicunt fidelibus, Quis ostendit nobis bona? hos dicunt multiplicari, id est, ditari in fructu frumenti, vini, & olei, id est, per abundantiã rerum temporalium.

Ephe.4.

Galat.4. Ioan.15. 2.Cor.3. Rom.5.

ralium. In his enim tribus frumento, vino, & oleo, omnium rerum temporalium abundantiam in- E
Auguſt. telligunt. Hanc expoſitionem qui clarius volet ac plenius cognoſcere, videat commentarium ſanc-
ti patris Auguſtini, qui eam late proſequitur. Noſtra enim elucidatio propter connexionem com-
modiorem, nequaquam iſtam expoſitionem proſequitur, ſed myſtica intelligentia de ſacramentis
loquitur nouæ legis, quæ per fructum frumenti, vini, & olei intelliguntur, ratione quæ inibi expri-
mitur. Iuxta quam intelligentiam illud etiam conuenientiſſime videtur accipi, quod populo mi-
ſericordiam conſequuto per pœnitentiam, prædixit Ioël propheta: Zelatus eſt (inquit) dominus
Ioël. 2. ſuper terram, & pepercit populo ſuo. Et reſpondit dominus, & dixit populo ſuo, Ecce ego mittam
vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis, & non dabo vos vltrà opprobrium in
gentibus. Nam quòd hæc ad nouæ legis beneficia & gratiæ tempus pertineant, conſequētia mani-
feſtius demonſtrant, quæ de diaboli electione & condemnatione, de deſerti gentium fructificatio-
ne, de Chriſto doctore iuſtitiæ, eiuſque prædicatione, euidenter ſatis faciunt mentionem, ac deinde
Acto. 2. etiam de ſpiritus ſancti effuſione prophetia ſubnectitur, quam ſine hæſitatione Petrus Apoſtolus
Thomas in Actis Apoſtolorum populum Iudæorum alloquens, ad tempus nouæ legis aſſerit pertinere. Iu-
Aquinas. xta hanc item noſtram interpretationem, venerabilis Eccleſiæ doctor Thomas Aquinas, in officio
ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramēti, præſentem verſiculum accommodat, in Antiphona quam huic
Pſalmo præcinendam præmittit. Antiphona autem huiuſmodi eſt, A fructu frumenti & vini multi- F
plicati fideles, in pace Chriſti requieſcunt. Quòd autem oleum omiſerit, nihil moueat: quoniam ad
Euchariſtiæ ſacramentum (quod ille laudabat) non attinet. ¶ Verſu penultimo, In pace in idipſum
dormiam. Nota, & priſci illi Patriarchæ atq; Prophetæ, qui longe ante Chriſti aduentum præceſſe-
runt per multa ſæcula, quibus non eſt datum videre ea quæ oculi noſtri viderunt, atq; etiamnū vi-
dent in tempore hoc gratiæ & nouæ legis: fuerunt tamen illuminati à Deo de venturis illis nouæ
legis myſterijs, per quæ futura erat ſalus & redemptio generis humani, & gratia copioſa credentibus
conferenda, cum abundantia ſpiritualium bonorum: ſicque ea quæ in tempore nouæ legis futu-
ra erant per fidem velut à longe aſpiciētes, in pace quieuerunt: quemadmodum de Abraham, Iſaac,
Heb. 11. & Iacob ait Paulus, & iuxta fidem omnes defuncti ſunt non acceptis repromiſsionibus, ſed à longe
eas aſpicientes, & ſalutantes. Quieuerunt autem in pace iuncti per fidem & ſpem pariter cum illis
ſuis poſteris venturis in tempore gratiæ: id eſt, nobiſcum, qui ea quæ illi vt ventura credebāt, nūc cre-
dimus & confitemur impleta. Et quemadmodum nos in fide ſecuri quieſcimus (domino vocante)
in ſpe eius quæ iam impleta eſt redemptionis humanæ: ita & iſti in pace pariter nobiſcum quieſce-
bant ſecuri, propter fidem & ſpem eorum quæ certiſsimò ventura & ſuo tempore implenda cre-
debant. Vnde Patriarcha Iacob, congregatis in nouiſsimo filijs, hanc ſuæ ſpei ſecuritatem prote-
Gen. 49. ſtando, dicebat, Præſtolabor ſalutare tuum domine. Et Tobias ſanctus morti proximus, in ſpiritu G
Tob. 13. cernens decorem ædificandæ Hieruſalem, id eſt, Eccleſiæ ſanctæ, ſimiliter dicebat exultans, Beatus
ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Hieruſalem. Et iterum, Ego autem &
anima mea gaudebo in domino. Imò & Balaam ille iniquus auaritiæ ſeruus finem venturum iuſto-
rum non ignorabat, cùm diceret, Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſsima mea ho-
Num. 23. rum ſimilia. Secundum hunc itaq; modum illuminatus de venturis Propheta Dauid ſe dicit in pace
pariter requiē accepturū, eo q; peculiari modo eſſet ex Deo factus ſecurus de beata ſua reſurrectio-
ne & glorificatione, nō minus q̄ ſi omnia ſalutis humanę myſteria ipſe oculis corporeis fuiſſet cōtē-
Pſal. 37. platus: id quod in alio pſalmo apertius cōfitetur, dicēs, Credo videre bona domini in terra viuētiū.

QVINTI PSALMI ARGVMENTVM.

*Pſalmus qui ſequitur, formam aptam dat orandi iſs qui in tribulationibus aut tentationibus poſitis, vt pa-
tiuntur ab aduerſantibus ſine viſibilibus ſine inuiſibilibus perſequutoribus. In quo vir iuſtus primum ora-
tionem ſuam petit exaudiri, quam mane ante conſpectum Dei ſe exhibens, in diſcuſſione vitæ ſuæ offert Deo.
Et quia illum nouit ſuper omnia odiſſe operarios iniquitatis, ab eorū numero ſe per conſcientiæ bonæ teſtimo-
nium ſeparans, cōfidenter ante Dei præſentiam ingreditur, cæleſtē Dei ducatum atq; directionem fiducia- H
liter poſtulans, propter inimicorum ſuorum quam proponit peruerſam malitiam, quorum optat & orat cogi-
tationes decidere & irritas fieri. Iuſtis autē in domino ſperantibus lætitiam & exultationem, & diuinā erga
ſeruos ſuos tutelam atque cuſtodiam pronuncians, ita terminat vocem orationis pariter atq; confeſsionis ſuæ.*

QVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Verba mea auribus percipe domine: * intelli-
ge clamorem meum.*
2 *Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus.*
3 *Quoniam ad te ora-*

VErba orationis meæ quibus oro ad te in tribulationibus & tentationibus conſtitutus, aſcendant ad te Domine, & ad aures tuas ea fac peruenire, vt audias & exaudias orantem: * vocem orationis meæ qua clamo ad te, tu domine attende & conſidera, vt exaudias. 2 Neque auertas te ab oratione mea, ſed intentus eſto ad vocem meam qua oro ante conſpectum tuum, tu qui es rex meus cui milito, & dominus Deus creator atque redemptor meus cui ſeruio. 3 Ecce enim orationem meam ad te leuabo domine, in te ſpem omnem habens atque fiduciam, qui es Deus vnus & verus, ſolus me potens adiuuare in omnibus neceſsitatibus:

*& tu

A *bo domine: * mane exaudies vocem meam.*
4 Mane aſtabo tibi, et videbo:

** quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*
5 Neque habitabit iuxta te malignus:
** neq; permanebunt in-*
B *iuſti ante oculos tuos.*
6 Odiſti omnes qui operantur iniquitatem:
** perdes omnes qui loquuntur mendacium.*
7 Virum ſanguinum & doloſum abominabitur dominus:

** Ego autē in multitudine miſericordiæ tuæ.*

C 8 *Introibo in domum tuam: * adorabo ad tē-
plum ſanctum tuum in timore tuo.*

*9 Domine deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos: * Dirige in conſpectu tuo viā meā.*

10 Quoniā non eſt in
D *ore eorum veritas:*
** cor eorum vanum eſt.*

11 Sepulchrum patens eſt guttur eorum.

** linguis ſuis doloſe agebant:*

** iudica illos Deus.*
12 Decidant à cogi-

* & tu me exaudies tibi ſupplicātem tempore matutino, tēpore orationi accommodo & opportuno: quādo nimirum trāquilla & pacata ſunt omnia, & ad orationem eſt anima accōmodatior. Mane etiā cum illuceſcere cœperit intra animā meā lux ſalutaris gratię tuę, quę me vt oportet orare doceat. 4 Matutino tempore curabo me tibi preſentē Roma. 8.
exhibere, & ante cōſpectum tuū per mentis eleuationem cōſtituere, quādo diuinis rebus contemplādis atq; percipiendis liberius vacare poſſunt homines: & tunc contemplabor, peruidebo, & diligenter cōſiderabo tā ea quę ad tuā veritatem ſpectāt, q̄ ea quę ad meę vitę mūditiā, vt mundus tibi aſsiſtā: * Tu es enim Deus qui turpitudinem peccati, & omnem iniquitatis immunditiā non tātum non diligis, ſed habes etiā odio: propter quod eos qui ſe ante cōſpectum tuum exhibere volunt, diligenter contemplari oportet & peruidere ne quid forte lateat in occulto, quod oculos tuę maieſtatis offēdat. 5 Neq; quiſquā peruerſus intromittetur ad habitationem tuā glorioſam, vt tua fruatur gloria, neq; tu quēquā eorum qui operātur malum fouebis quaſi domeſticum tuum: * neq; perſtabunt impij iſti ante oculos beneplaciti tui, ſed à cōſpectu glorię tuę proijcientur & perdentur in tenebras exteriores, perpetuò diuiſi à cōſpectu tuo. 6 Tu, cùm ſis ſumme bon⁹ & perfectiſsima omnino bonitas, malitiā contrariā habes exoſam, & omnes qui operātur eā (quaten⁹ iniquitatis operarij ſunt) abominaris: * ſempiterna dānatione perire facies omnes eos qui fraudē & mendacium loquuntur, vel agunt ad deceptionem proximorum ſuorum. 7 Hominē ſanguinis appetitorem qui oblectatur in ſanguinis effuſione, & in nece hominū, item & eū qui fraudibus ac dolis occupatur ad inſidiādum proximis, & inferenda quelibet nocumēta per aſtutiā ſuā, huiuſmodi deteſtatur atq; execratur Deus: qui ex ſua natura clemētiſ ſim⁹ eſt, etiā inimicorū in ſe peccātiū mortem nolēs, & omnis equitatis atq; veritatis amator, fraudē & iniuſtitiā ſuper oīa habens exoſam. Ezech. 33. & 18.
* Ego verò ex dono gratiæ tuę nulli⁹ horum mihi cōſcius, & ſecundū magnitudinē miſericordię tuę à mortalib⁹ hiſce peſtibus (teſtimoniū mihi perhibente diligēter perquiſita cōſcientia, immunis, cōfidens in miſericordia tua quę eſt magnanimis⁹ 8 Audebo fiducialiter exhibere meipſum conſpectui tuo, & ingrediar in domum ſanctā tuā, ſiue eā quā in cęlis inhabitas, ſpiritu mentis in illā aſcēdens, ſiue eā quę in terris nomini tuo & cultui eſt ſpecialius dicata, per corporis ingreſſum: * illicq; ſiue mentis ſiue corporis preſentia cōſtitutus, adorabo te dominū cū timore & filiali reuerētia: ī vera humilitate cordis mei: nunc quidē tuā gloriā collaudādo, nunc de beneficijs gratias agendo, nunc deprecādo ꝓ peccatorum remiſsionib⁹, nūc ꝓ ereptione clamādo de periculis, atq; alijs neceſsitatib⁹. 9 Eſto mihi domine Deus dux itineris, & per viā iuſtitię tuę in obſeruatione preceptorū tuorum me dirige, ꝓpter eos qui mihi in via hac aduerſantur, quęrētes ſuis prauis ſuggeſtionibus & aſsiduis tentationibus varijs modis à via iuſtitię me in peccatū pertrahere: * & vt periculū quod ex horū acerba malitia mihi imminet, valeā tuo auxilio euadere: dirige tu domine per ducatum cę leſtis luminis tui viā vitę meæ in beneplacito tuo, vt corā te ambulē, fiāq; perfectus. 10 Eſt enim malitia aduerſariorum meorum (peruerſiſ ſimorum dico dæmonum, & hominū prauorum, qui miniſtri ſunt & mēbra eorum) magna & crudelis valde: Quoniā nō veritatē neq; iuſtitiā loquūtur aut ſuggerunt, ſed quę vana ſunt, iniqua, & impia ſemper ꝓponunt & ſuadēt: * neq; id mirum, quādoquidē intima quęq; eorum plena ſunt vanitate & peccati deſiderio. 11 Guttur eorum quaſi ſepulchrum patens eſt, eructās eā quā in ſe habet fœtoris turpitudinem. & ad vorādum atq; ſuſcipiendū in mortē ſemp apertū. Sic enim peruerſi dęmones pleni omni ſpurcitia, & fœtorē exhalāt atq; euomunt bonis intolerabilē, & ſemper ad vorādum bonorum animas auidi exiſtunt, & inſatiabiles: * per linguas quoq; ſuas, quo magis decipiāt, doloſe loquuntur, dum blādis ſuis ſuggeſtionibus ꝓponunt hominib⁹ quæ videntur dulcia atq; carni ſuauia interdum etiā quę ſpiritui videntur ſecundum ſpeciē bona atq; vilia, vt ita tandem ſub boni ſpecie fallāt, & incautos in ſepulchrū mortis conijciāt: * Tu verò ꝓ ſeruis tuis pugnās Deus omnipotēs, deſtrue poteſtatē illorū: & ꝓ nobis faciens iudiciū, condemna illos, qui violentiam eorum tua potentia facillime vales compeſcere, & dolos tua ſapientia depellere. 12 Fac tuo iuſto iudicio

*tationibus suis: * secundū multitudinē impietatū illorū expelle eos: * quoniam irritauerūt te domine:*

13 *Et lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

14 *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum: * quoniā tu benedices iusto.*

15 *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*

Deus omnipotens, vt frustrentur ipsi in cōsilijs suis quę cogitauerunt E contra seruos tuos, vt in effectum suas prauas machinationes nequeāt perducere: * iuxta multitudinem & propter multitudinem iniquitatū quas cogitauerunt, à cōspectu tuo in sempiternū proijciēs eos, & a cōfortio seruorum tuorum quibus aduersati sunt, eliminabis eos in ęternum: * quoniā nō aduersus homines solum, sed & aduersus tuā gloriā machinati sunt & rebellauerunt: atq; ad iracundiā te prouocauerunt ex sua peruersa malitia conati tuā gloriam facere irritam. 13 Ex aduerso verò qui crediderunt & sperauerunt in te domine serui tui, ipsi non expellentur à conspectu tuo: sed lætitia sempiterna lætabuntur coram te, ineffabili gaudio tripudiabunt in præsentia diuinæ maiestatis tuæ: & tu inhabitabis in medio eorum, futurus eis sempiterna lætitia, & gaudium æternum, & author indeficiens omnis boni, quasi dominus in medio fidelium seruorum suorum, imo quasi pater in medio filiorum accumbentium mensæ tuæ. 14 Et magnifice atq; glorioſe lætabuntur in aspectu atque fruitione vultus tui, omnes qui nunc verò amore diligunt sanctum nomen tuum. * tu es enim Deus optimus, qui F benedictionem plenissimā illā dabis omnibus in iustitia nunc tibi famulantibus, quemadmodum in vita præsenti, gratiæ tuæ benedictionem eisdem conferre voluisti. 15 Tu domine beneplacito bonę voluntatis tuę nos tibi seruire cupiētes admodum, sicut protegendo, ex omni parte circundas atque circuncingis protectione tua, ne alicunde malum nobis valeat, aut nocumentum accidere. Tua nāque erga seruos tuos bona voluntas, & tuus erga nos affectus bonus, atque benigna dilectio est nobis quasi scutum & tutamentum quo ab omnibus malis saluamur, & in vitam æternam illæsi atque salui perducimur.

ANNOTATIONES IN PSALMVM QVINTVM.

VErsu quarto, Mane astabo tibi, & videbo, quoniā. Secunda pars huius versus potest vel diuisim legi, vt quoniam, sit coniunctio causalis, quomodo in Elucidatione declaratum est: vel etiam coniunctim cum verbo videbo, vt sit sensus, Mane astabo tibi, & tum videbo, considerabo, speculabor, & contemplabor ꝙ tu sis Deus nolens iniquitatem. Cùm enim in tranquillitate mentis ponitur homo abiectis & eliminatis omnibus passionibus perturbantibus, illucescēte fulgore superni luminis, tunc cōtemplatur homo purius, & videt limpidius quę de Deo in hac mortali vita cognosci possunt. Et frequenter quidem, dum in perturbationibus sunt homines, dū feruet in eis passionū impetus, male iudicāt, ꝙ velit iniquitatē Deus, aut impios diligat siue foueat: eo ꝙ illos in malis suis ita toleret, vt à non intelligentibus diuina consilia videatur fauere illorum impietatibus. Verùm qui mane Deo astiterint, videbunt & intelligent longe aliter rem habere, Deumque, vt ipse sanctus est, ita & in alijs diligere sanctitatem, & eā requirere, ac nequaquā fouere apud sese peccatores, Prior tamen sententia plenior videtur, & magis literæ accommoda. ℣ Versu 7. Virum sanguinum & dolosum abominabitur dominus. Virum sanguinum interpretati sumus hominem sanguinis innoxij appetitorem & effusorem, cuiusmodi sunt homicidę & tyranni crudeles, vt Saul & complices eius, qui 2.Reg.16. innocentis Dauid tantopere cupiebant & quærebant sanguinem fundere. Cui expositioni aperte fauet Chaldæa Paraphrasis, ita hoc loco habens, Hominem effusorem sanguinis mundi, & dolosum longe propellet Deus. Et secundum hanc intelligētiam, maledicus ille Semæi exclamabat aduersum Dauid, ꝙ vir sanguinum esset: hoc nimirum illi ad contumeliam improperans, ꝙ prælia domini fuisset præliatus, & hostes populi dei interfeciſſet iuxta voluntatem domini, in ore gladij impiorum, scilicet ex voluntate domini, interfectionem homicidia iudicans. Posset tamen generaliori acceptione per virum sanguinum quilibet peccator intelligi: quoniam nomine sanguinum significari peccata in scripturis, non est absonum: vt psal. 15. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, id est H de peccatis. Quæ, quanā ratione sanguinum nomine appellentur, in iam citato loco require. ℣ Versu 9. Dom. ded. me in iustitia tua propter inimicos meos. particula propter inimicos meos, in medio posita, potest cum præcedentibus coniungi: quā connexionem habet Elucidatio ad hunc modum, Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos: ac deinde, Dirige in conspectu tuo viam meam. Potest & ad sequentia connecti, hoc modo, propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam. Vtraque autem connexio eandem habet sententiā. Neque altera alteri vlla ratione Matt.12. Luc.6. præferenda videtur, nisi ꝙ prior vulgatior & vsitatior est, quam & beatus Augustinus sequitur. ℣ Versu Matt.12. 10. Quoniam non est in ore eorum veritas. Recta est in hoc versu partium consequutio. Nam secunda, prioris rationem reddit, Quòd enim non sit in ore impiorum veritas manifestum est hoc ex cordis defectu procedere. Nam (veritate teste) ex abundantia cordis os loquitur. Et sicut bonus homo de bono thesauro profert bona, ita malus de thesauro suo profert mala. Et iterum ait quibusdam Ioan.8. mendacibus veritas, Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Itaque non est in ore impiorum veritas, quoniam nec est in corde: sed quomodo cor eorum vanum est, ita & os non aliud quàm vanitatem potest eloqui. Recte autem huic consonant & alia veritatis verba, quibus diabolum asserit mendacem esse, & patrem mendacij, ac tum demum ex proprijs loqui, cùm men-

A mendacium loquitur. Et quomodo ipse mendax est, paterque mendacij, sic & vniuersos quos possederit, vanos & mendaces facit. Potest autē hoc loco veritas accipi, vel ea quæ ad intellectum spectat oppositā falsitati: vel ea quæ ad effectum seu mores pertinet, quę cum iustitia eadem opponitur vanitati siue iniustitiæ. Nam & veritas & vanitas vtroq; horū modorum reperiuntur in vsu scripturarum posita. Et quidem in præsenti loco vtraq; sententia veritatem ex æquo habet. Nam falsa loquuntur mendaces dæmones in cordibus hominum, quoties de proprio loquūtur: loquuntur etiā ac suggerunt impia, quę contra Deū existunt. Quemadmodū (exempli gratia) cū primo homini sub Gen.3. serpentis specie loqueretur ille inuentor peccati, mēdacium nō simplex multiplicēq; falsitatem eloquebatur, dicens nequaquā ipsos morituros, si de vetito ligno ederent, sed futuros quasi deos. Vanitatem autē & impietatem loquebatur, quoniam ad inobedientiā creatoris sui iniqua suggestione creaturam excitauit. Ex Hebræo tamē magis videtur de vanitate iniustitiæ fieri sermo q̄ de falsitate. Vnde Felicis versio habet, Non est in ore eorum rectitudo, intima eorum prauitates: quod manifeste respondet intelligentię prædictæ, quā etiam solam exprimit Elucidatio. ℣ Versu. 11, Iudica illos Psal.7. Deus. Sciendum est, verbum iudico, cum accusatiuo positum, aliquando in bonam partem sonare, Psalm. 31. quemadmodū psalmo 7. Iudica me domine secundum iustitiam meam. & alibi, Iudica me domine, Psal.64. quoniam ego in innocētia mea ingressus sum. Ac rursum, Iudica me Deus & discerne causam meā: Psal.43.
B hoc est, pro me fac iudicium, causam meam dijudica. Aliquando verò in malam partem sonat: vt in proposito loco, Iudica illos Deus. & alibi, Iudica domine nocētes me, expugna impugnātes: & alijs plerisq; in locis. hoc est, fac iudicium aduersum illos, ac illorum condemnationem, siue secundum tuum iustum iudicium redde illis mercedem dignam. Iustos ergo & bonos iudicat Deus, sed nimiū differenter: nimirum pro bonis in salutem, aduersum malos autem in perditionē. ℣ Versu vltimo, Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Clarior foret oratio, si ita diceretur, Domine bona voluntate tua, vt scuto, coronasti eum. Atque in hūc modum habet versio Felicis ex Hebræo: Sicut scuto dilectione coronabis eum, Aut sicut scuto placabili & beneuola voluntate circundabis eum. Cui & paraphrasis Chaldaica cōsentit: Veluti clypeo, voluntate bona coronabis eum. Atq; in hanc sententiam accipi oportet sermonem lectionis nostræ. Dei enim beneplacitum, siue placabilis 1.Reg.23. voluntas & benignus respectus, super seruos ipsius, quasi scutum est, clypeus, & munimentum, quo protegitur homo & defenditur in vitam æternam. Videtur autem coronare hoc in loco idem valere quod circundare, siue circumcingere, in modum videlicet coronæ, quæ ambit & circundat caput: quemadmodum in historia libri Regum legitur de Saul & viris eius, quòd circūeingebant Dauid in modum coronæ. Atque huic intelligētiæ consonat quod Felix pro coronare putat verti posse circundare. Qui tamen voluerit intelligere de præmio coronæ & gloriæ æternæ, dicet bona voluntate Dei iustum vt scuto siue clypeo coronati. Quoniam Dei in electis suis beneplacitum est,
C quo velut clypeo ac scuto ab omnibus malis ipsos protegente, ad percipiendam propositam bonis operibus coronam perueniunt. Prior tamen expositio minus coacta videtur.

SEXTI PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste (qui inter pœnitentiales Psalmos, iuxta Ecclesiasticam cōsuetudinem, primus ponitur) aptissimam dat formam pœnitentibus, ad Deum se post peccata cōuertere volentibus. Considerans namque peccator turpitudinem peccati sui, timere incipit iram Diuini iudicij, pro cuius amotione primum Deo supplicat, Matth.9. ne cum damnatis in furore & ira puniatur: suamq; infirmitatem proponens, & multiplicem peccati miseriam medelā sibi poscit atq; auxilium impendi priusquam anima peccatis grauata descendat in infernū, vbi Diuinitatis nō est cōfessio. Atq; vt exaudibilior fiat oratio, suæ pœnitētiæ luctū & afflictionē commemorat, metāq; Diuinæ vltionis, quo se asserit conturbari. Verùm quia ex diuina pollicitatione lugentibus promittitur subsequutura consolatio, post vocem fletus, spe veniæ concepta, in Deum resumpta fiducia inimicos omnes á se abigit: & operarijs iniquitatis, quibus ante seruierat, aut certe cōsenserat in malum prorsus renunciat, eisq; confusionem de machinato sibi malo optat, atque prænunciat in sua salute, quam exauditus sperat.

SEXTI PSALMI ELVCIDATIO.

D

1 *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.*

2 *Miserere mei domine, quoniam infirmus sum:*

* *sana me domine,*

DOmine ne quasi furibundus & implacabiliter iratus me arguas, aut cōfundas in nouissimo die: neq; quasi iratus iudex in seueritate iustitię tuę me punias: sed si quādo exigētibus iniquitatib⁹ corripere aut arguere volueris seruum tuum, quęso, id facias correptione paterna in amabili misericordia tua, quomodo filios tuos corripere es solitus, nō autē i iudicio seuerę vltionis tuę: quēadmodum illis facies, quos in nouissimo in ira & furore tuo, æternæ damnationis gladio es percussurus. 2 Et quanquā culpis meis exigētibus, secundū districtionē iustitię tuæ duriora cōmerui: tu tamē piissime Deus mecū age suauiter & misericorditer, attendēs infirmitatē & fragilitatem meam, quam & ego humiliter agnosco, & tu qui vides omnia, nō ignoras. * à qua infirmitate & debilitate te precor (qui solus medicus es & curator animarum) vti sanes languentem animam meam, per medicinalem gratiam tuam, & peccatorum languores ac vulnera auferendo, & ad operanda quæ recta sunt interius me corro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

* *quoniam conturbata sunt ossa mea.*

3 *Et anima mea turbata est valde:* sed tu domine vsquequo?*

4 *Conuertere domine, * & eripe animã meã:*
** saluũ me fac propter misericordiam tuam.*
5 *Quoniã nõ est in morte qui memor sit tui:*
** in inferno autem quis confitebitur tibi?*

6 *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meũ: lachrymis meis stratum meum rigabo.*
7 *Turbatus est à furore oculus meus:*
** inueteraui inter omnes inimicos meos.*

8 *Discedite à me oẽs qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudiuit dominus vocẽ fletus mei.*

9 *Exaudiuit dominus*
Ezech.18. *deprecationem meam:*
** dominus orationem meam suscepit.*

10 *Erubescãt & cõturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertãtur & erubescãt valde veloci-ter.*

borando.*Quantocyus(inquam)adhibe medelam,quoniam iam debilitatus sum valde , etiam vsque ad ossa, & omnem virtutem, ita vt vix quicquam in me remanserit virium. 3 Animæ quoque virtutes debilitatæ sunt valde , neque quantum ex me vlla videtur superesse vis ad bene agendum,vt penitus mihimetipsi diffidens,omnem spem in me cogar proijcere. * Tu verò domine,quousq; tandẽ differes auxilium tuum? cur tamdiu miserum relinquis viribus & consolatione priuatum? 4. Obsecro domine,ne vltra differas , ne tardes amplius, sed ad me iam pœnitentem conuerte benignũ aspectum tuũ,quem à me peccante iuste auerteras: * & animam meam libera de peccatorũ vinculis,de iugo mortis, & captiuitate diaboli, in quo per peccatum meipsum nequiter coniecerã: *atque ab his per peccatorum remissionem,& gratiæ tuæ largitionem liberũ me facias ac saluũ , nõ proter mea Deus merita,sed propter magnã & infinitam misericordiam tuã. 5 Ecce enim inter eos, quos mors æterna possidet, nemo memor est nominis tui,ad te honorandum,adorandum,vel laudandum: * & in profunda inferni fouea non inuenitur qui voluntariam laudis confessionem,aut gratiarũ actionẽ det gloriæ tuæ , vbi blasphemiis, fletibus,& dentium stridoribus plena sunt omnia, & omnis vox laudis audiri non potest.Atque ob hoc quæ vtilitas erit tibi spirituũ patri,ex vita mea,si nunc in peccatis persistens , in infernum tandẽ cum illis demergar? præstat profecto,vt de morte ad vitam transferas animã meam,quo sic in ea & nunc & in perpetuum glorificetur nomen tuum. 6 Et vt facilius flectatur ad parcendum misericordia tua, vide domine afflictionem pœnitentiæ meæ , quẽadmodum gemitibus atque suspirijs propter peccata mea fatigor,neque adhuc cessare volo, sed per noctes singulas in amara recogitatione peccatorum fletibus abundanter madefaciã lectum meũ, & lachrymis copiosis humectabo locum quietis meæ,etiã nocte (quæ tamen quietis est tempus) lachrymis non abstinẽs,& neq; lectulo)qui est requiei locus)à fletibus parcens. 7 Oculus quoq; interior mẽtis meę debilitatus est & cõturbatus'à consideratione iræ tuæ , & vindictæ quæ propter culpæ meæ meritum secundum districtionem iustitię tuæ,super me ventura erat: *nimium perseueraui ac veluti consenui in consortio peruersorum dæmonum,atque prauorum hominum, omnium inimicorum meorum:atque ab eis velut ad finẽ deductus sum,& ad vltimum vsque viriũ consumptus. Cito enim ad finem perducetur & consumptus inuenietur , qui inter tã edaciſsimos voratores vel paululũ permanserit.Vox eius qui post luctũ,spe venię & diuini auxilij per Deũ reddita fidenter pellit aduersarios. 8 Tandem verò luctu finito resumpta in Deo meo fiducia,procul abire iubeo,& quàm longissimè à me recedere omnes operarios iniquitatis , cũ quibus amodo prorsus nihil volo habere cõmercij, quibus vltra assimilari nolo, quibus amplius cõsensum in malo nullũ dare decreui ac statui:*iã enim,testimonium mihi perhibente conscientia , confido esse exauditum a domino fletum meũ,& lachrymas pœnitentiæ meæ: atque ob hoc indignũ fuerit,vt ad ea quæ mihi iam misericorditer sunt dimissa peccata,iterum turpiter conuertar. 9 Exaudiuit benignus dominus,qui mortem nõ vult peccatoris, deprecationem meã , qua illum pro peccatorum dimissione , & languorum curatione sum deprecatus: * benignissimus dominus(vt iterum repetam ad gaudium , quod semel dixisse animo lætanti parum videtur)orationem meam non repulit , sed acceptauit & exaudiuit eam. 10 Confundantur proinde & conturbentur & tabefiant præ confusione, odio & inuidia, omnes inimici mei, qui perdere quærebant animam meam: conuertantur (inquam) retrorsum quantocyus , & celeriter ad præsentiam cælestis auxilij impediantur ab effectu operis sui, vt nõ potentes prævalere in eo quod cœperant, turpiter confusi erubescant:cùm me,quem mortis ditioni destinauerant,diuina gratia conspexerint ad vitam redijsse.

ANNOTATIONES IN PSALMVM SEXTVM.

VErsu primo,Domine ne in furore tuo arguas me. Corripit siue arguit Deus aliquando correptione misericordiæ,aliquãdo correptione iustitię.Correptione misericordię arguit siue flagellat nõnunquã etiã innocentes,tantũ ob probationẽ & meriti accumulationẽ: nonnunquã verò propter vltionem cõmissæ iniquitatis,à qua per correctionẽ eiusmodi quærit eũ qui peccauit , sed præ-

prædestinatus est à prauitate retrahere,Vtrũque autem hoc flagellũ,misericordiæ est & paternę disciplinæ.Pater enim nõnunquam seuerius agit cum filio,solùm vt probum animum eius,& bonum faciat meliorem,vel certe in virtute custodiat.Iuxta illud Sapientis, Filij tibi sunt,erudi illos,& curua illos à pueritia eorum.Filiæ tibi sunt,serua corpus illarum,& non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.Nõnunquam verò, vt peccatum filij puniat & castigatum emendet. Correptione autem iustitiæ arguet Deus in futuro iudicio ,& flagellabit impios vniuersos : nõnullos verò ex eis etiam in præsenti tempore,quemadmodum obduratum Pharaonem, impiũ Antiochum, & superbũ Herodem. Atq; hoc est argui in ira & furore. Prius autem in misericordia & dulcedine paterna.Non ergo simpliciter orat vir iustus omnino non argui, omnino nõ corripi. (Quis enim filius,vt ait Apostolus,quem nõ corripit pater?Et si extra disciplinam estis, ergo adulteri,& nõ filij estis) sed tãtum non argui in ira & furore. Argui autem in misericordia,etiam optare debemus : iuxta quod in alio Psalmo dicitur,Corripiet me iustus in misericordia,& saluabit me. ¶Versu secundo, Miserere mei domine,quoniam infirmus sum.Solent qui misericordiã petũt, in sua postulatione adducere quicquid offensum potest placabiliorem efficere,& ad citius dimittenda cõmissa facilius inflectere.Habet autem homo quasi præcipuum quod ita adducat, fragilitatem & imbecillitatẽ carnis suæ:quoniam videlicet caro est,ad omne malum procliuis ab adolescẽtia sua , habens quidẽ ad male faciendũ ex se potestatẽ,& occasiones,atq; adiutoria plurima:ad bonum verò piger existens,& nimia difficultate boni quicquã operãs.Iuxta quod apud Esaiã dicitur, Væ vobis qui potentes estis ad bibẽdum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.Item,Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.Hæc certe infirmitas,fragilitas,& debilitas magna,est toti generi mortalium ex suæ conceptionis vitiata origine insita,& ita medullitus impressa,vt vix vnquã hominem relinquat,imò vox post multos,eosq; diuturnos nimium labores,superare illã contingat : nisi quos Dei gratia in bono iam cõfirmatos,ab ea fecit liberos.Hanc autem infirmitatem supplicantes Domino proponimus,nõ quidẽ ad excusandas excusationes in peccatis nostris (Nequaquã enim id Dei misericordiam erga nos flecteret,quin potius contra nos Dei iustitiam prouocaret)sed tantum in hoc vt nostra imbecillitate considerata ad miserendum efficiatur pronior , ac facilius impetremus veniã.Nam vbi illecta menta ad peccatum minora fuerint inuẽta,peccatũ ipsum (vt magis voluntariũ) maioris solet æstimari , & remitti difficilius : vbi verò maiora incitamenta , minus solet ponderari offensa , & facilius dimitti. Propter quam Sapiens tria mala proponit maxime execrabilia , aduersum quæ peculiari odio animam suam asserit commoueri. Tres(inquit)species odiuit anima mea,& aggrauor valde animæ illorum:Pauperem superbum,diuitem mendacem,& senem insensatũ. Pauperem enim,quoniã minus habet causæ ad sese efferendũ , cùm vel sola paupertas merito suadere debeat humilitatem,idcirco ipsius superbia magis est detestabilis,quàm si diues superbiat:qui ex diuitijs nonnullam videtur occasionem habere sese efferendi. Sic econtrario,diues si mẽtiatur,nõ habet excusationem,cùm mẽdacio nõ egeat qui sat habet.pauper verò,vt ditescat,& rẽ faciat,si mẽdacium aliquod proferat,causam aliquam videtur suo mendacio prętexere,egestatem & penuriã. Nam)iuxta Sapientis sententiam)multis peccandi occasio est egestas. Sic adolescens indisciplinatus & non intelligens,ob defectum experientiæ & temporis breuitatem , simulque cõplexionis & cõcupiscentiæ ardorem,videtur nõnullam habere excusationẽ, & toleratur in insipientia spe melioris profectus:puer autem centũ annorũ,nullã habet honestã excusationẽ, neque vllo modo valet vltra tolerari,propter quod à Domino asseritur maledictus. Et secundũ hunc fere modũ quẽadmodum pauper mendax ad sui mendacij faciliorẽ dimissionem allegare potest quodãmodo suã penuriam,nõ tamen inhonestã excusationem (nemini enim ad peccandum vlla potest esse honesta excusatio)sic & peccator homo veniã postulans , Deo recte potest proponere suam infirmitatẽ & fragilitatem. Vnde Psalmo 102. vbi de misericordijs Domini maximis erga genus humanũ fit sermo,quasi in causam subiungitur humana infirmitas: Non(inquit Propheta) secũdum peccata nostra fecit nobis, neque secundũ iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cæli a terra corroborauit misericordiã suã super timentes se.Quantũ distat ortus ab occidẽte longe fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum,misertus est dominus timetibus se:quoniã ipse cognouit figmentum nostrũ. Recordatus est quoniã puluis sumus, homo sicut fœnũ,dies eius tanquam flos agri sic efflorebit.Quoniã spiritus pertransibit in illo, & nõ subsistet,& nõ cognoscet amplius locũ suum. Et iterũ in alio psalmo,Ipse autẽ est misericors,& propitius fiet peccatis eorũ,& nõ disperdet eos.Et abũdauit vt auerteret irã suã, & nõ accendit omnem iram suam.& recordatus est quia caro sunt,spiritus vadẽs & nõ rediens. Quod aliqui ad corporalem mortẽ absq; reditu,alij verò secundum mysticam intelligentiã ad hominis in malã potestatem , nõ autem ex se in bonum, pertinere dicunt.Vtrũque autem Dei misericordiã inclinat ad propitiandũ infirmo nostro generi. In parte autẽm sequenti suũ languorẽ aperit medico dicens cõturbata esse ossa sua & animam suã,propter quod medelã postulat dicens,Sana me domine, pro quo vertit Felix, Medere mihi domine. ¶ Versu tertio cùm dicit,Sed tu domine vsquequo?sententia sic incompleta per eclypsim,aliquid subaudiendũ postulat, ad hunc modũ: Vsquequo sic me cõturbatum & miserum relinques?vsquequo nõ respicies?vsquequo differes adhibere medelam? Quod nõ ita dicitur,quasi postulet ipse diem sibi aut tempus miserationis per responsionẽ determinari, sed tantũ vt fit iudiciũ affectus magni,accelerationem petẽtis diuinæ misericordiæ: quemadmodum in alio pœnitentiali psalmo dicit apertius, In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.Magnam autem emphasim habent, & miram explicant effectus vehementiã huiusmodi breues & celeres interro-

terrogationes, ita per abruptionē & defectum positæ. Indicant enim quasi plenum amaritudine animum, non valentem præ plenitudine qui latet, dolorē, vel liberationis desideriū exprimere. ¶ Versu quinto: In inferno autem quis cōfitebitur tibi? Cōfessio in scripturis duplex inuenitur, altera laudis, altera pœnitentiæ, peccatorum scilicet agnitio. De priori dicitur, Confitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua: &, quoniā audisti omnia verba oris mei. Et iterum, Nā & ego cōfitebor tibi in vasis psalmi veritatē tuam Deus. atq; ita in alijs locis quāplurimis. De altera dicitur Numeri 2. Confitebūtur peccatum suum: vbi idem habetur verbū in Hebræo, quod hoc in loco ponitur. In præsenti autem loco vtraq; cōfessio potest intelligi. In inferno enim neq; est cōfessio laudis diuinæ: quoniā (vt in alio psalmo dicitur) Non mortui laudabunt te domine, neq; omnes qui descendunt in infernū: sed nos qui viuimus, benedicimus domino. Neq; rursum illic esse potest confessio peccatorum, vbi perpetua obstinatio est, ac proinde nulla pœnitentia, qua ad Deum valeant conuerti. Tempus enim pœnitentiæ quo se valet homo ad Deū conuertere nunc voluitur, neq; vltra hoc seculum extenditur. propter quod in inferno (vbi tempus vltra non erit, sed horribilis tenebrarum æternitas (non inuenitur peccatorum talis cōfessio, quæ ad pœnitentiam salutarem pertineat. Videtur tamen magis de confessione laudis sermo fieri, cuius solius meminit Elucidatio: cui etiā Felicis versio cōsentit, quæ pro cōfiteri habet celebrare. In inferno (inquit) quis celebrabit te? ¶ Versu septimo: Turbatus est à furore oculus meus. In Elucidatione furorem interpretati sumus irā Dei, à cuius consideratione merito mētis oculus conturbatur, & mirū si nō conturbaretur. Veruntamen posset nihilo incōmodius referri hic versus ad amaritudinem & indignationem quam ipse peccator in sese accipit ex peccatorū recordatione. Turbatur enim oculus peccatoris, & veluti caligat præ fletu, propter indignationem nimiā contra peccatum, qua seipsum affligit. Nam teste Apostolo, cōtristari secundū Deum, quod est pœnitentiā agere, operatur in ijs qui peccarunt indignationē, imò etiā vindictā. Dum enim ad cor redeuntes post pręuaricationē agnoscere incipimus fœditatem peccati, vehementer indignamur, & multa amaritudine replemur, & dolore permaximo percutitur cor nostrum, & quasi in iram aduersus eos qui in peccatum nos adduxerant (maxime autem in nosipsos insurgimus: quæ sane indignatio, propter sui magnitudinem recte ira & furor potest nominari, quomodo habet nostra lectio: atque ita patet etiā hanc sententiam in nostra vulgata lectione includi. Atque huic sententiæ magis consentiunt interpretum ex Hebræo versiones. Siquidem beatus Hieronymus vertit, Caligauit præ amaritudine oculus meus. Felix autem, corrosus vel obtenebratus est præ dolore: quæ manifeste ad indignationem pro peccatis pertinent.

Psal. 9. Psal. 137. Psal. 70. Nume. 2. Psal. 113. Iob 10. Eccle. 9. 2. Cor. 7.

SEPTIMI PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste videtur à Dauid cōpositus pro sua ab iniuste aduersantibus liberatione: siue de manu Saulis qui illum odio implacabili sine tamen causa iusta annos multos ad mortem quæsiuit: siue de manu Absalonis filij, qui & ipse nullā habuit rationem iustam oppugnandi sui amantissimum patrem: Est autem forma orandi aptissima viro iusto, ad Deum pro ab iniuste persequentibus liberatione clamare volenti. Potestq; totus orationis processus vel contra inuisibiles malignat potestates dirigi, quibus alios magis certos, magis q; noxios inimicos ac persequutores non habemus, aut etiam contra homines peruersos, qui nos sine causa quærunt mortī dare, siue corporali, potissimū autem spirituali. Neq; enim Christianus homo quenquā debet tam inimicum reputare siue aduersarium, quàm eum qui animam quærit in peccati & dānationis mortem quomodocūque pertrahere. Quod etiam in alijs quàm plurimis psalmis, quoties contra inimicos fit oratio, erit obseruādum. Et diligenter est hoc attendendum ne cum aduersus inimicos dura sic in psalmis leguntur, animales homines contra eos intentionē psalmi mox dirigāt, qui forte in regula qualibet tēporali, causa fuerint magis, quàm animo aduersantes, Non enim hic bonus est psalmorū vsus. Processus autē orationis talis est. Primum enim sæuitiā pertimescens vir innocens, aduersantium leonum à Deo spe sua liberationis poscit auxilium: pro quo impetrando suā (quātum ad illos) proponens innocentiā, Deum orat in iudiciū pro se contra iniuste persequētes exurgere, vt cum pauperum fecerit iudiciū (quēadmodum & mādauit suis in terra vicarijs) adhæreāt illi pauperum caterue, tanquā iudici, defensori, atq; patrono suo, suā tamen innocētiā, & suorum persequutorum iniquitatem specialiter proponens, ob quæ iuste se confidit à Domino expectare adiutoriū. Atq; hæc vsq; ad versum duodecimum. Deinde tribus versibus iram iusti iudicis ad vltionem parati terribiliter denunciat, sub descriptione eius qui vibratum tenet gladium, aut arcū tensum, sagittisq; ignitis ad iaculandū paratū. Post hoc processum impietatis ordine pulcherrimo describit, in eis qui ex peruersa malitia odioq; & inuidia innocentum animas perdere quærunt: quorum mox prædicta iusta punitione, in laude diuinæ iustitiæ psalmi terminatur oratio.

SEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine Deus meus in te speraui:* * *saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.*

2 *Nequando rapiat*

DOmine Deus meus, quem colo, cui seruio, in te spem meam omnem & fiduciam constitui, vtpote solum potentem & volentem mihi in omnibus periculis ferre auxilium: * tu verò in te sperantem confundi non patiaris, sed de manu omnium qui me persequuntur, & qui mihi quærunt malum, saluum fac & libera: vt nequaquam mihi in eo quod machinantur, prævaleant. 2 Ideo autem te peto saluatorem, ne quomodocunque contingat aliquem ex ijs qui me persequuntur, prævalere mihi, &

A *vt leo animā meā:* *dū non est qui redimat, neque qui saluum faciat.*

3 *Domine deus meus si feci istud:* * *si est iniquitas in manibus meis.*

4 *Si reddidi retribuentibus mihi mala:* * *decidam merito ab inimicis meis inanis.*

B 5 *Persequatur inimicus animā meā, & cōprehendat:* * *& conculcet in terra vitā meam, & gloriā meam in puluerem deducat.*

6 *Exurge domine in ira tua:* * *& exaltare in finibus inimicorū meorum.*

C 7 *Et exurge domine Deus meus in præcepto quod mandasti:* * *& synagoga populorū circūdabit te.*

8 *Et propter hanc in altum regredere,* * *dominus iudicat populos.*

D

9 *Iudica me domine secundū iustitiam meā,* * *& secūdū innocentiā meam super me.*

10 *Cōsumetur nequitia peccatorū:* * *& diriges iustū, scrutans corda, & renes Deus.*

11 *Iustum adiutoriū meum à domino:*

* *qui saluos facit re-*

hi, & in mortē rapere animā meā: quēadmodum leo rugiēs cùm prēualuerit, ad deuorādum rapit ea quibus prævaluerit: * quod sane hostibus nostris & robustissims & vigilātissimis & exercitatissimis qui perpetuo nos circumeunt ad perdedum, nō fuerit difficile, si nō nobis infirmis & imbecillibus hominibus tu adsis liberator atq; saluator, qui tua virtute illorum violentiā & impetum cōprimas. 3 Domine tu nosti, quoniā sine causa me persequuntur inimici mei, neq; illis nocuiquicquā, ob quod me deberāt oppugnare. Vnde nunc corā te hoc audacter protestor Domine Deus meus, quoniam si istiusmodi aliquid feci aduersum illos, hoc est tale aliquid mali, quale mihi sine causa quærunt, * si iniustitiā vllā aduersum eos operatæ sunt manus meæ. 4 Si eis qui mihi mala quærunt & inferunt, ego mala itidē retribui, aut similia prior eis intuli: hęc (inquā) si tu Domine qui iudex es omnium, in me cognouisti, iuste quidē ferre volo, vt cadā victus ab inimicis meis, quasi vanus, infirmus, & nihil roboris habens, aut stabilitatis, vt succumbā deuictus ab eis quasi impotens & destitutus viribus. 5 Iuste insuper patiar, vt persequātur me aduersarij mei, quos lęsi, aut quibus prior malum intuli: atque etiā vt me comprehendant, concludāt, potestatēque super me obtineant: * deinde vitam meā conterāt atq; consumat, meq; ipsum & omnem meam gloriā omnemq; ornatum pessundent, in terram prosternant, & veluti puluerē comminuant, siue ad nihilum redigant. Hęc (inquā) tua iudicia nō refugio subire, si tale aliquid aduersus inimicos meos fuerim operatus, quo iuste aduersus me possent inciari. At verò cū (teipso teste & iudice) nullius rei istiusmodi mihi sim conscius, neq; vllum vnquā eis vel nocumētum vel malum intulerim, neque etiā fuerim machinatus, oro te, vt pro me paupere faciens iudicium, de manibus iniuste persequētium, iuste tu liberes innoxiā animā meam, quam sine causa impij hostes ad mortem requirunt. 6 Propter hoc noli vltra quasi dormiens dissimulare aut differre vindictam: sed quasi à somno exurge tanquā iratus, ad faciendā vindictā in aduersarios meos: * & magnificare atque glorificare in ostēsione iustitiæ tuæ, super omnes inimicos meos per circuitum. 7 Et euigila domine, atq; consurge in præcepto illo quod statuisti nobis in terra, nempe vt iudicium facias causæ eorum qui iniuste opprimuntur, quemadmodum præceptum dedisti hominibus, peculiariter verò iudicibus terræ & viris tuis facere iudicium atque iustitiā, & oppressos liberare de manibus opprimentium: & cùm in hoc tuo præcepto vigilaueris congregationes populorum pauperum atque humilium te quasi patronum & iudicē ac liberatorem suum vndiquaque circundabunt, tā ad poscēda auxilia, quàm ad gratias agendas post percepta liberationis tuæ beneficia. 8. Et vt forte te ista non moueāt, aut tibi non noceant, quæ impij aduersus innoxios ac simplices machinātur: tamē propter has paupērum populorū turbas & cōgregationes (quarum tu patronus & iudex assereris & vere existis) ascende super tribunal tuum, & in altitudinē sedis tuę iudiciariæ regredere, vt facias iudicium causæ pauperum, quā relinquere modo quodā videris, quando sine vindicta cernuntur boni à malis sustinere oppressiones: * siquidem tu es, cui iudicium cōpetit iudiciū) obsecro vt facias pra sua. 9 Atq; ob hoc (quoniā tibi cōpetit iudiciū) obsecro vt facias p me iudicium cōtra aduersantes secundū iustitiam meā, qua erga illos me gessi: * & secundū innocentiā illam quæ est in me erga illos: dū nihil illis iniqui vel nocumenti intuli, ob quod merito mihi malum quęrere valeant. 10 Non perdurabit in perpetuū impietas ista peccatorū, qua nunc innocentibus sunt molesti, neq; suā prauitatem permittentur in æternum exercere, sed finietur aliquando, & finem accipiet potestas eorum: * vir autē innocēs & iustus tua directione in bono stabilietur, qui peruestigas, & cognita habes etiam ea quę hominibus sunt intima, nimirum cogitationes & affectiones siue desideria eorū. 11. Merito ergo & iuste auxiliū expecto à domino deo: neque vana est spes & fiducia expectationis meæ: * quoniam ipse est pauperum atque humiliū saluator, liberator eorū qui sunt recto ac simplici corde. Huiusmodi enim iuste à domino expectare possunt auxiliū cōtra aduersantes: quoniā talibus fecta est diuini auxilij repromissio, quemadmodū ex opposito, qui sunt prauo & duplici corde, vanē fidunt in diuino adiuto-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Clos corde.
12 Deus iudex, iustus,
Roma.9. ** fortis,*
** & patiens:*
** nunquid irascitur per*
Roma.2. *singulos dies?*

*13 Nisi conuersi fueritis: * gladium suum vibrauit: arcum suum tetendit & parauit illum.*

14 Et in eo parauit vasa mortis:
** sagittas suas ardentibus effecit.*

15 Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem,
** & peperit iniquitatem.*
16 Lacum aperuit & effodit eum:
** & incidit in foueam quam fecit.*
17 Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.
18 Confitebor domino secundū iustitiam eius: & psallam nomini domini altissimi.

iutorio, ꝙ illis neq; repromissum est, neq; cōtinget. 12 Et nunc vos E
impij innocentū oppressores, qui Deum non habetis præ oculis, ne
existimetis diuinā vos vltionem non percepturos: eo ꝙ differat lōganimiter ostensionem vindictæ suę. Illud enim scitote, quoniam Deus
omnipotens qui iudex est populorū, ipse per se iustus est, imò iustitia
ipsa, propter quod sperare non debetis vestrā malitiam impune transituram: *& fortissimus est atq; robustissimus, nę forte existimetis nō
fore illi potestatē ad implendam executionē iustitiæ suæ: * est nihilominus etiā longanimis & patiens, ferre sciens ac tolerare in sustinentia vasa iræ apta in interitum, vt ne arbitremini iccirco nullā vos manere vindictam, quia nō statim vt peccatū committitur, vindicta inferatur. * Facit enim hoc eius lōganimitas, vt irā suam nō ostendat, neq;
vindictā exerceat per singulos dies, aut per momēta singula: sed vnum
diem destinauit, in quo reuelabitur ira eius, & iustum iudicium Dei,
quando super omnes pariter impios vnus gladij ictus, & vnius terror
sententiæ desęuiet. 13 Et ne forte de longa vindictæ huius dilatione
vobis blādiamini, illud scitote, quoniā nisi modo, dum tēpus est op- F
portunū, donec tēpus est gratię, conuertamini per verā pœnitentiam
ab iniquitatibus vestris: * ecce iam in proximo est iudex & vindex malorū omnium, æternæ mortis sentētiam quā in vos distringat atq; iaculetur paratā habēs ad modū eius qui gladiū aut hastā vibrat, vt letali vulnere feriat eū qui pugnat ex aduerso: aut quēadmodū is quiarcū iā tensum tenent manibus, & paratū ad iaciendū in hostem acutā
sagittā. 14 Et in arcu suo iam aptauit atq; locauit sagittas, quę sunt
iacula & instrumēta mortis, ad interficiendū inimicos: * & eas quidē
sagittas, quo sint amplius terribiles, carbonibus aut rebus ardentibus
operatus est, sicq; fecit ignitas: vt quos sagittis horrendæ illius sententiæ suæ percusserit, incendat atq; ardere faciat igne sempiterno. Quēadmodum enim sagittę rebus ardētibus aptatæ atq; ignitæ cū iaculātur, hostiū domos incendūt atq; cōsumūt: ita diuinæ vltionis sententia
eorū in quos fuerit iaculata, & corpora & animas succēdet atq; exuret igne inextinguibili, quo magis peccatoribus sunt diuinæ vltionis
hæ sagittæ formidādæ. Et ne forte mirū aut iniquum videatur cur tā
grauis vindicta apud misericordissimū dominū maneat impios illos G
hominū seductores atq; subuersores, cōsiderāda est & diligēter attēdēda eorū malitiosa & cōsummata peruersitas. 15 Ecce enim postquā
dolorē cōceperūt, & afflictionē de alieno bono parturiūt, deinde &
meditātur contra eos, quibus inuidēt atq; malitiosę indignātur, iniustitiā: * quā tandē in operis effectū quantū in ipsis est deducere conātes, veluti pariunt. Nam hic ordo est in eis qui ex peruersa malitia pauperū animas quęrūt subuertere. 16 Neq; satis est eorū insatiabili ad
decipiendū cupiditati, ꝙ palā oppugnēt miseros, verū etiā calliditate
sua & astutia insidias parāt, quasi foueas occultas aperiētes, & profunde admodū effodiētes, vt in eas incaute labātur miseri, & collapsi nō
facile queāt liberari. Verū dei iudicio (qui suorum pauperum semper
prouidā gerit curā) fit plerūq;, vt liberatis ijs quibus foueā effoderāt,
ipsimet incidāt in eā quā parauerant. 17 Fitq; vt dolor & malum quę
alijs parauerāt, in capita recidāt authorum suorum: & iniquitas male
machinata innoxio, in collum redeat machinātis. Quemadmodū dę- H
monibus peruersis Dei iudicio euenit, vt eandē mortem, ad quā nos
quęrunt pertrahere, nobis liberatis ipsi ęternum ferre debeāt: & cùm
post omnes suas paratas insidias nos videt Dei auxilio de mortis tādē
fouea ereptos, affligūtur & cōfunduntur vehemētius, & augmētat eis
omnis eorū malus conatus dolorē. Similiter & impijs cōtingit hominib⁹, qui dū mortē siue corporis, siue animę machinātur, ꝓximo, ipsi
in mortis æternę baratrū, illis diuina ꝓtectione saluatis, subito incidunt atq; immergūtur. 18. Ita sane iustus est Deus, & iustū est hoc Dei
ꝓ innocentibus iudiciū: cui proinde ꝓ immēsa hac & admirabili iustitia sua cōfessionē dabo, & laudem atq; gratiarū actionē cātabo ipsi
qui sup oēs est altissimus, rex regū, iudex iudicū, & dns dominātium.

ANNOTATIONES IN PSALMVM SEPTIMVM.

HVnc Psalmum nonnulli de Christo domino exponunt, vt sit eius oratio contra populum Iudæorum ipsum sine causa persequentem. Alij verò ad personam accommodant peculiariter ipsius Dauid, vel contra Saulem, vel contra Semei de tribu Saul: de quo in annotationibus ex Hebræo, circa tituli expositionem, diffusius tractatum inuenire poteris si requires. Nos verò in Elucida-

A cidatione sicut neutram sententiam exclusimus, ita neq; ad alteram strinximus intelligentiā, sed potius in generalitate cuilibet iusto de tribulatione clamare, suamq; iustitiam domino commēdare volenti, potissimum autem in tribulatione spirituali cōstituto, & à spiritualibus hostibus liberationē postulanti (nemini aliorum præiudicantes) accōmodauimus. ¶ Versu tertio: Si feci istud. Pronomē istud, demonstrat ad intellectū id quod mente tenetur, nempe tale aliquid ob quod iustam haberet causam inimicus persequendi. Aut tale aliquid, quale illi aduersus eum quærunt, aut quod illi falsò criminantur & accusant. Quemadmodum Dauid accusabant, ꝙ malum quæreret aduersum regē, cùm illud à veritate esset alienissimum: & de Christo dicebant, quòd seipsum Deum faceret, gloriā propriā quęreret, populum seduceret, & alia his similia, quæ nequaquā ita habebat. Aut ad id quod post sequitur referatur pronomen, ad hunc modum: Si feci istud, nempe si est iniquitas in manibus meis, & si reddidi retribuētibus mihi mala. ¶ Versu quinto: Persequatur inimicus animā meam. In his tribus versibus per cōtrarium sensum intelligēdum est, quod in sua postulatione vt præcipuum intendit postulans, quod tamē propter modestiā tacetur, & subintelligendū relinquitur. Cum enim dixisset: Si feci istud, decidam merito ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus. &c. cōsequens erat vt subiungeret: Si verò non feci istud, si non est iniquitas in manibus meis, si non reddidi retribuentibus mihi mala, merito me custodiet & proteget iustitia tua, ne ab inimicis meis decidā inaB nis, & ne comprehendant neq; conculcent in terra vitam meam. Verùm istud propter modestiam maluit subaudiri: maxime cùm ad Deū fiat oratio, cui tam est cognitum quod intus premitur, quàm quod foris enunciatur. ¶ Versu nono: Iudica me domine secundum iustitiā meam. Quærat forsitā aliquis, & dicat: Quidnam sibi vult, quòd hic modo postulat homo iudicari secundum iustitiam suam? cùm in priori psalmo dictum sit, Saluum me fac propter misericordiam tuam. Et in alio psalmo dicatur, Non intres in iudicium cū seruo tuo domine, quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens? Sed aduertendū est, ꝙ hic dicitur, Iudica me domine secundū iustitiam meā & secūdum innocentiam meam super me, debere dirigi ad eos, contra quos orat, persequutores suos, & ita intelligi, ꝙ aduersum illos nihil egerit, ob quod iuste debeant ipsum persequi, neque iustā habeant causam mala aduersum se machinandi, quodque ab illis criminibus quæ illi falsò obiectant, & quæ ipsi quasi in causam persequutionis prętexunt, immunis sit & innocens. Vnde Dauid legimus cum Sauli in spelunca pepercisset, ita post tergum abeuntis clamasse, Animaduerte, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te. Tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam. Iudicet Dominus inter me & te, & vlciscatur me Dominus ex te, manus autē mea non sit in te. Et iterum, Sit dominus iudex, & iudicet inter me & te, & videat, & iudicet causam meā, & eruat me de manu tua. Quæ omnia iustitiam & innocentiā proponunt, quantum ad ipsum persequutorem pertinet. 1 Reg. 24.

C præter omnem orationē mala machinantē. Et iuxta hunc modum intelligi cōuenit hunc locū, quoties hominiapplicatur: cùm videlicet significare voluerit homo, præter meritum se à persequutore affligi. præter meritum (inquā) ex parte eius qui persequitur. Quantū autē ad Deum ne dicamus, si feci malum in oculis tuis, & si est iniquitas contra te in manibus meis: sed dicamus potius, Tibi peccauimus domine. Tibi soli peccaui, & quod dicebat filius ille qui substātiam suam prodegerat cum meretricibus, Pater peccaui in cælum, & coram te: ac deinde adiiciamus, Miserere mei Deus secundum magnā misericordiam tuā: &, Secundum misericordiā tuā memēto mei tu propter bonitatem tuā domine. Si enim dixerimus quia peccatum nō habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nō est. Peccatorem autē Dei iustitiā magis quàm misericordiā prouocare in iudicium quęnam hęc humilitatis forma est? Si tamen (iuxta supradictā quorundam opinionē) Christo domino psalmum peculiariter adaptemus, conuenienter poterit locus propositus absolute intelligi: quanquam non multum ita soleat loqui secundum assumptā carnis dispensationē Christus dominus, sed more potius infirmorum atque humilium, ipse in nobis infirmus & pro nobis factus humillimus. ¶ Versu duodecimo, Nunquid irascetur per singulos dies? Hunc versum absq; interrogatione habet lectio quā in expositione psalmorū sequitur beatus Augustinus, ad hunc modū: Deus iudex, iustus, fortis, & longanimis, & non iram adducens per singulos dies. iuxta quem modum etiam in Græcis exemD plaribus legimus. Et eadem prorsus sententia est, quæ in lectione nostra vulgata, tametsi illa sit aliquanto clarior, notat tamen D. Augustinus magis proprie de Deo dici iram adducens, quàm irascens, quoniā significatur ira, nō vt in Deo existēs per modū passionis (quod significari aliquo modo viderur in verbo irascēdi) sed tantū vt ab eo in impios proueniens. ¶ Versu decimoquinto, Ecce parturit iniustitiam. Quod communiter canitur ac legitur parturit tempore præsenti, videtur rectius legendum parturijt, cùm Græce præteritum habeatur ὠδίνησεν, id est, parturijt: atq; ita etiā vetustiores & emendatiores habeāt codices Latini. Notandum quoq; ordinē eorum quæ hīc dicuntur aliquantulum videri inuersum. Rectius enim præponeretur concepit dolorem, ac deinde subiungeretur, parturit iniustitiam. Primum enim est cōcipere, deinde parturire, postremum parere. quē ordinem in Elucidatione seruauimus. Vnde Hieronymus vertit: Ecce parturit iniquitatem cōcepto dolore, id est, postquam cōcepit dolorem. Similiter vertit & Felix: Enixus est iniquitatem, postquam concepit afflictionem. In quibus versionibus manifeste is quem diximus ordo insinuatur. De ordine autem isto qui in hoc versu ponitur, primū quidem concipiendi dolorē, deinde parturiēdi iniustitiam, ac postremo pariēdi iniquitatem, faciamus exeplo vno aut altero clarum quod dicimus. Sic enim primus ille fratricida Cain, videns fratris sui hostias Deo fuisse acceptas, & igne domini absumptas, sua autē munera (nimirum quæ de pessimis obtulerat) à domino despecta, cōcepit in sese malignū erga fratrē inuidentię dolorē: ex quo deinde processit, vt iniustitiam meditaretur, ac velut partū-

1 Reg. 7. Psal. 50. Luc. 15. Psal. 50. Psal. 24. 1 Ioan. 1. Psal. 6. Psal. 142.

parturiret,ita vt fratri diceret fraudulento animo, Egrediamur foras: postremo,factus impius homicida,imò crudelissimus fratricida,peperit iniquitatem. Ita Saul vidēs a se domini spiritum recessisse,& impleuisse Dauidem,cui etiam in choris à cæde Goliath redeūti cātari audierat:Saul percussit mille.& Dauid decē millia,atq; alia huiusmodi virtutis opera in eo conspiciens,cōcepit in corde dolorem & afflictionē indignantis inuidiæ:ex qua veluti radice ac seminario meditari cœpit iniustā innocentis Dauid interemptionē:quā deinde,post cōsummatum furorem,obfirmato animo quantum potuit in effectum perducere conatus fuit.Sic itē diabolus(quē merito primo loco,vt primum iniquitatis & omnis malitiæ parentem oportebat cōstituere)videns hominē possessurum quas ipse perdiderat cæli mansiones,fœlicitati eius inuidēs, concepit primum inuidiæ in seipso dolorē,moxque parturire cœpit aduersus genus nostrum quod iustum non erat:quod in deceptione primorum parentum peperit primum, & parere vsque modo in innocentum subuersione non desinit.

1.Reg.18. Ibidem.

OCTAVI PSALMI ARGVMENTVM.

RAptus in contemplationē sublimē Dei spiritu diuinus Propheta,in magnificis consilijs quæ super humano genere Deus cogitauit,obstupescens,ex cordis plenitudine prorumpit in vocem admirationis, Diuinam magnificentiam super cælos eleuatam extollens, eiusque ex infantium ore laudem perfectam ad inimicorum confusionem pronuncians. Deinde eleuans in cælum oculos, cæleſtiumque corporum nobilitatem perpendens,eámque cum humanæ naturæ infirmitate & vilitate comparans, maximam Dei erga genus humanum dignationem plurimum admiratur,pro qua filium suum unigenitum (secundum carnis dispensationem, & susceptam mortis vtilitatem) etiam infra angelos imminuerit, quem postmodum resuscitatum pro eiusdem humanā generis salute,gloria & honore coronauit,subiectis ei omnibus quæ in cælo & in terra. Ad quam intelligentiam manifestum est beatum Paulum Psalmi huius prophetiam in Epistola ad Hebræos similiter & in Epistola priore ad Corinthios esse interpretatum. Quanquam potest(absque Paulinæ huius sententiæ præiudicio)etiā ad totius humanæ naturæ sublimationem referri Psalmus:vt miretur,hominem (quod ad corpus attinet) infirmum,vilem,ac fragilem,tam magnifice à Deo ad imaginem suam conditum, ac deinde cunctis & piscibus maris,& auibus cæli,& bestijs terræ præfectum,atque super ea accepisse dominium. Vtrāque autem hanc intelligentiam subsequens Elucidatio geminata interpretatione faciet attendentibus manifestam.

OCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine Dominus noster.*

* *quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra,*

Prou.10. 2 *Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.*

3 *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem.*

* *propter inimicos tuos: vt destruas inimicū & vltorem.*

4 *Quoniam videbo*

DOminator Deus qui es vniuersalis omnium dominus, super creata omnia plenam omnino potestatem habens, speciali verò ratione noster Dominus, id est G eorum qui seruiunt tibi, quos præter creationem etiam regeneratione tibi astrinxisti: * ô quàm est excellens,quàm glorioſum, quàm honorandum nomen tuum benedictum,non in Iudæa solùm,sed per vniuersum etiam orbem terrarum, dignum quod omnes vbique terrarum summis efferant laudibus. 2 Neque mirum, si hic super terram sit honorandū nomen tuum, quandoquidem excelsa est & sublimata magnificentia gloriæ tuæ super altitudinem cælorum, ita vt cùm in cælis laudaris ab omnibus,magnificentia tamen gloriæ tuæ in eis vel ab eis non comprehendatur. *Insuper filius tuus vnigenitus, qui est tua gloria & magnificentia(Gloria enim patris est filius sapiens,multo etiam amplius filius sapientia patris) cuius est secundum diuinitatem cadē tecum gloria, ipse peracto redemptionis humanæ mysterio ascendit, & exaltatus est super omnes cælos in tuam dexteram. 3 Ex ore parvulorum, qui pene infantes adhuc erant, & vixdum ablactati, magnificasti, imò perfectam fecisti laudem tuam, quando Hebræorum H pueros cælica inspiratione edoctos, cantare faciebas tuo benedicto filio laudis diuinæ canticum,ac deinde per prædicationem Apostolorum(qui veluti simplices & pueri, ac iuxta sæculi sapientiam prorsus rudes habebantur)Euangelicā veritatem vbique terrarum prædicare fecisti* ad sic confundendum atq; conuincendum per simplicium testimonia,prauitatem & superbiam scribarum atq; pharisęorū:deinde etiā dæmonū atq; seculi huius potentū & sapientū, qui omnes aduersarios se exhibuerunt veritatis,& malos vltores, id est oppugnatores veritatis,vel vindicatores & defensores falsitatis.In hoc enim perfecta fuit laus Dei,& perfecta item cōfusio superbiæ scribarum atque pharisæorum,quòd per puerorum cælica inspiratione loquentium testimonia fuerint redarguti de sua infidelitate, qua veritati resistebant. Similiter & in hoc perfecta fuit confusio principum huius seculi, ꝙ per simplicium, & quasi infantiū Apostolorum prædicationē fuerint conuicti atque superati. 4 Dixi non iniuria admirabile esse nomen tuum in vniuersa terra: quoniā ecce ego contēplari volo & contueor am-

A *cælos tuos opera digitorum tuorum:*
**lunā & stellas quæ tu fundasti.*
5 *Quid est homo,*

**quòd memor es eius?*
** aut filius hominis quoniam visitas eum?*

6 *Minuisti eum paulo*
B *minus ab angelis:* gloria & honore coronasti eum: *& constituisti eum super opera manuum tuarum.*
7 *Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.*
8 *Volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.*
C *Minuisti eum paulominus ab angelis:gloria et honore coronasti eū:& cōstituisti eū super opera manuum tuarum.*
Omnia subie. sub ped. eius:oues & bo. &c.
Volucres cæli & pisces maris,qui peram. &c.
9 *Domine dominus*
D *noster,quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.*

amplissimos illos cęlorū orbes,qui sunt opera creationis tuę,quæ tu creasti & fecisti,quēadmodū solet artifex facere opus digitis suis, ac manibus: * aut quos tu creasti in potentia, sapientia & bonitate tua, quibus tanquā digitis tribus creas vniuersa.* & considero insuper & contēplor lunā & stellas alias firmamenti,quæ omnia prædicta, cælos videlicet,lunam,& stellas,tu in sua natura,inque sua dispositione firmasti atq; stabiliuisti. 5.Dum hęc ego cęlestia contueor,eaq; cū humana confero natura,quæso te creator bone (quod ad corpus attinet)q̄ longe ab horū cælestium perfectione(quę sunt corpora nobilissima, amplissima,solidissima,& indeficiētia)abest homo modicꝰ quātitate, impotēs virtute,infirmus,caducus & mortalis:*quid(inquam)est homo,aut quid in nobis tale est,ob quod dignū tibi videatur recogitare de nobis,siue ad elargiendū homini magna beneficia tua,siue ad tā admirabili cōsilio eum redimendum?aut quid est homo mortalis de mortali homine genitus,vt eum dignū duxeris tuis magnificis donis, super omnia verò filij tui ad nos destinatione,atq; pòst etiam spiritus tui sancti in nos missione ita benigne inuisere? 6 Christum hominē qui in hominum genere primatum tenet) tu pater cælestis paululum infra angelos constituisti, quando eum carnem nostræ similem passionibus aliisque miserijs obnoxium susciperе voluisti,atque per passionē & mortem in crucis ignominia consummare voluisti:* verùm post passionem(morte deuicta eum resuscitando,magnifica gloria,& Heb.2. honore superexcelleri mirifice eū ornasti,atq; triūphaliter, vt mortis victorem & inferni debellatorem coronasti:*& pręposuisti eum omni creaturę,dans illi potestatē omnem in cælo & in terra,& considere in dextera tua,potestatem quoque faciendi iudicium viuorum atque Matt.28. mortuorum. 7 Omnia subiecisti ditioni, imperio, & potestati eius Marc.16. quæcunque sunt in cælo & in terra, commune illi tecum donans re- Ioan. 6. gnum atque vnum imperium:* neque ea solùm quæ in cælis sunt,ve- 1.Cor.15. rumetiam vsq;ad ea quæ sunt in terris infima, nempe oues omnes & boues omnes,& vniuersas bestias agri,atque etiā feras deserti. 8 Volucres insuper qui inhabitāt aërem,& pisces omnes qui in mari sunt, qui natant in aquis maris,& veluti perambulāt vias maris,ad similitu dinē animaliū terrestrium,quę vias terrę perambulant. ALTERA INTELLIGENTIA.Humanū genus in tāta cōstituisti nobilitate,vt nō multum absit (quod ad animā attinet)à sublimitate naturæ angelicę, magno quoq; decore & magnifica ipsum gloria ornasti, dū secundum animā ad imaginem tuā & similitudinē creasti, dans ei memoriā,intellectum,atq; voluntatē, angelicas plane & multo maximas virtutes:* & postquam ad imaginem & similitudinem creasti eū, præfecisti insuper eum operibus tuis, quæ feceras propter hominem veluti finē suum, quēadmodum sunt imperfectiora eius gratia quod perfectius est. ¶ Cætera insuper omnia subiecisti hominis imperio, nempe animalia omnia,& terrestria,& volatilia, & natalia, cùm post creationē homini diceres,Crescite, & replete terrā, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris,& volatilibus cæli,vniuersæque terræ, Gene.1. & vniuersis animātibus quæ mouentur super terram. 9 Concludens verò laudis meę contemplationem,repeto(quam initio proposui, & dignam & veram inuenio)Diuinæ magnificentiæ admirationem, dicens: Dominator omnium & peculiariter seruientiū tibi Dominus, quàm grande est, quàm magnificum & glorioſum nomen tuum in vniuersa terra?Plena siquidem est omnis terra gloria tua. Esaiæ 9.

ANNOTATIONES IN OCTAVVM PSALMVM.

VErsu tertio,Vt destruas inimicum & vltorē.Intelliguntur hīc per inimicos & vltores, Christiane fidei persequutores: qui dolentes de Christi Domini cultu & gloria, conati sunt vltionem facere & vindictā,siue euacuatæ legis veteris,siue contemptæ & conculcatæ idololatriæ, siue dissipatæ humanæ mundanæque sapientiæ.Nam huiusmodi triplices vltores sensit fidelium populus. & contra triplices huiusmodi inimicos paruuli nostri & lactentes sancti Apostoli dimicarunt, contra videlicet Iudæos,pro suæ legis litera non secundum scientiā zelantes, quā illi iā præteritam denun- Roma.10. tiabant & euacuatam : contra principes seculi & idolorum pontifices, qui idololatriam suam (aduersus quam illi prædicabant,& quam eliminare laborabant)armis & omni potentia tueri conabātur:aduersus quoque mundi sapientes,quorum sapientiam vanam illi coarguebant signorum efficacia & spiritus virtute. Exhibuerunt autem isti sese vltores pro sua vanitate, aduersum infantes &

Universidad de Deusto
Biblioteca

lactentes, & aduersus veritatem quam deo inspirante prædicabant. Quod autem antecedit, ex ore E
infantium & lactentium Deum perfeciſſe ſibi laudem, ſiue (vt in Hebræo habetur) fundaſſe ſuã fortitudinẽ, id diligẽter admodum conſiderandũ eſt. Si enim per homines potentes, nobiles, aut eruditos Deus Euangelicæ fidei myſteria induxiſſet mundo, poterant dicere inimici fidei, quòd non ipſa per ſe viciſſet veritas, ſed vi potentiæ, aut ſapientiæ, aut eloquentiæ ſecularis introducta fuiſſet, quaſi per violentiam in mundum: quẽadmodum de impijſsima illa ſecta quã ab authore Mahumeticã vocamus, à Chriſti fidelibus dicitur, & veriſsime dicitur. Nunc verò, dũ per hominũ ſimpliciũ & impotentũ atque ignobilium ora, veritaté fidei per vniuerſum orbem fecit Deus ſuperuincere,
nirum in modũ laudẽ ſuã perfecit, & fortitudinẽ ſuã ſtabiliuit atque commendauit. Atque hoc eſt
quod Paulus Apoſtolus compluribus in locis teſtatur, veluti capite primo Epiſtolæ prioris ad Co-
1.Cor.1. rinthios, vbi fideles ſuos alloquens, ait: Videte vocationẽ veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundũ carnẽ, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt cõfundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contẽptibilia elegit Deus, vt ea quæ non ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Atque iterũ capite ſecundo: Et ego fratres (inquit) cũ veniſſem ad vos, veni non in ſublimitate ſermo-
1.Cor.2. nis aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti: & ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit F
in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Et iterum alio in loco, loquens de commiſſa ſibi gloria Euangelicæ adminiſtrationis: Habemus (inquit) theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit
2.Cor.4. virtutis Dei, & non ex nobis. Dum verò ita hæc ſanctis Apoſtolis atque diſcipulis domini aptanus nemo nos exiſtimet iniuriam facere, aut contradicere verbis domini, qui phariſæis reſpondens pro Hebræorũ pueris pium ſibi oſanna in templo acclamantibus, verſum hunc pſalmi paruulis iſtis He-
Matth.21. bræorum applicabat dicens, Nunquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium Deus perfeciſti laudem tuam? Nequaquam enim huic Saluatoris aduerſamur ſententiæ. Nam & de illis paruulis loquitur Elucidatio. Arbitror tamen puerulos iſtos in Hieruſalem clamantes, figuram fuiſſe paruulorum illorum, per quos erat proclamandũ Oſanna (id eſt, Diuina laus & vera ſalus annuntianda) non intra ſolius Hieruſalem anguſta mœnia, ſed per latiſsima terrarum ſpatia: de quibus paruu-
lis Chriſtus dominus patri ſuo confitetur in euangelio, dicens: Confiteor tibi pater domine cæli &
Matth.11. terræ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis: Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Et de ijs paruulis puto principaliter intelligi pſalmum præſentem, magis quàm de pueris illis ad horam clamantibus. Neque enim valde ſunt deſtructi inimici, ſcribæ & Phariſæi, per illorum horarium clamorem, qui ſilentio mox finiebatur ad increpationem phariſaicam. Imo iſtorũ clamorẽ à Domino maxime permiſſum arbitror, vt figurã ſubſequuturi clamoris G
& prædicationis aliorũ noſtrorum paruulorum, per quos ſibi laudem perfectã facere decreuerat.
Luc.19. Vnde & illud quod poſt adductum verſum præſentem adiiciebat Saluator: Dico autem vobis, quoniam ſi hi tacuerint, lapides clamabunt, forſitan Euangelicam prędicationem reſpicit: vt hoc ſermone ſignificare voluerit dominus, ſi Iudæorũ paruuli clamare noluerint, gentiles annuntiaturos pro eis, & in eorum locum ſubrogandos, vt clament, vt Euangelicam veritatem prædicent: id quod iam diu impletũ cernimus. Ceſſant enim illi, & ultra clamare nolunt: atque ideo lapides leuauerunt vocem, neque deſinunt clamare. Gentiles enim per lapides recte nouimus ſignificari, propter cordis
Matth.3. olim in idololatria, alijsque vitijs obſtinati, duriciem. Vnde & Ioannes dicebat, Potens eſt Deus de lapidibus his ſuſcitare filios Abrahæ: nihil dubium quin ſignificare volens, ſi Iudæi, quibus prædicabat, nollent pœnitentiam agere, ſuſcitandos eſſe ex gentibus, qui verũ fiant Abrahæ ſemen, & veri ſecundum fidem Patriarcharum filij. ¶Verſu eodem: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Roget forſitan aliquis, quur ſanctos Apoſtolos infantes dicamus, quibus tale os datum eſt
Lucæ 21. à Domino ſuo, cui non poſſent reſiſtere omnes eorum aduerſarij: ita vt vniuerſa ſacerdotum ſynagoga nihil inueniret, quo vel vnius illorum poſſet refellere ſermonem. An verò ita fari, infantium eſt? Rurſum, quomodo lactetes dici poſſunt, quibus non vt imperfectis lac erat in pabulũ, ſed poti°
Heb.5. vt perfectis ſolidus cibus? perfectorum enim (cuiuſmodi ipſi fuerunt) eſt cibus ſolidus. Cum enim H
aduerſus inimicos & vltores perficere debebant illi laudem, non iam de illorum numero eſſe poterant, de qualibus dicit Apoſtolus: Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi: non eſcam.
1.Cor.3. Verùm huic quæſtioni dupliciter reſponderi poteſt. Primùm quidem, vt illos conſideremus ſecundum eum gradum, in quo ante ſpiritus aduentum præfuerant, vere infantes, vere paruuli, vere lactentes, & lacte opus habentes. Quam enim tunc fuerint (vt ita dicam) infantes, Petrus monſtrauit, cùm tertio interrogatus ne ſemel quidem fari potuit, quod fari debuit, vt promiſerat audacter.
Matt. 26. Quàm autem paruuli, quàm lacte opus habentes, quàm non capaces cibi ſolidioris, docet toties
Ibidem. increpata eorum ruditas & tarditas. Quare (inquit præceptor Ieſus) non intelligitis? Necdum in-
Matt.15. telligitis? Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Quare dubitatis modicæ fidei? Quid eſt quod conqui-
Marc.8. ritis inter vos? Item quod in fine iam abſcedens, dicebat: Iam non multa loquar vobiſcum. Adhuc
Marc.9. multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Quid enim hoc eſt aliud, quàm tan-
Ioan.14. quam paruulis tantum lac in potum do, non eſcam? Non enim capere poteſtis. Et tamen ex ore ho-
Matt.14. rum infantium, horum lactentium ipſe Deus ſuam laudem perfecit, & ſtabiliuit per vniuerſam terram. Dedit enim infantibus iſtis linguas ferreas & infatigabiles, & infantium linguas fecit diſertas: lactentes autem ablactauit, & ſolido ſpiritualis ſapientiæ cibo confirmauit, inq; viros perfectos
Sapiẽ.10. fecit excreſcere. Poteſt & altera via propoſita quæſtio diſſolui, ex ipſa ſignificatione vocabulorum.

Infans

A Infans enim hoc loco non amplius quàm paruulum ſignificat vel iuuenẽ. Nã Græce eſt νήπιος, quod
frequenter in ſacris Euãgelijs paruulus vertitur, vt illic, Reuelaſti ea paruulis. &, Sinite paruulos ve-
Matth.11. nire ad me. Similiter & quod in Hebræo habetur holalim, proprie nõ ſignificat impotentem ad lo-
Matt.19. quendũ, ſed tantũ iuuenẽ ſiue paruulũ: propter quod ſecundum ſimilitudinẽ etiã virgulta ſic nonnunquam appellantur, teſte Ioanne Reuchlino in rudimentis Hebraicis. Quòd autẽ paruuli fuerint
Matth.18. Apoſtoli non eſt ambiguũ, quandoquidẽ à præceptore audierunt conſtituto paruulo in medio, Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini vt paruulus iſte, non intrabitis in regnũ cælorũ. Vnde ex his paruulis vnus, etiã cùm iam gentiũ doctor eſſet, dicebat, Facti ſumus tanquã paruuli in medio veſtrũ.
1.Theſ.2. Et alibi, In facie humilis ſum inter vos. Itẽ, In multo timore & tremore fui apud vos. De lactentibus
2.Cor.10. autẽ non magna quæſtio eſt Nõ enim lac ſemper pro infirmiori doctrina, & imperfectorum cibo,
1.Cor.2. vt in loco Pauli ſuprà allegato, accipitur ſed interdũ generaliter doctrinã omnem ſalutarem ſignificat, quæ tũ propter candorẽ veritatis, tũ propter dulcedinẽ ſaporis rectè lac dici poteſt. Vnde cũ
1.Petri 2. Petrus ſuos monet, depoſita omni malitia, ſine dolo lac cõcupiſcere, vt in eo creſcant in ſalutẽ, ma-
Eſaiæ 55. nifeſtũ eſt non imperfectam in illo doctrinã tantùm ſignificari. Similiter & de eo dici poteſt quod
Iudic.9. apud Eſaiam Dominus clamat, dicens, Venite, emite abſque argẽto, & abſque vlla cõmutatione vi-
Pſal. 103. num & lac. Eadem enim ſapientia ſalutis, & vinum & lac rectè dicitur, vinũ, quia fortificãs & lætifi-
B cans eor hominis: lac verò, quia dulcis, ſuauis, & enutriens corda potantiũ. Quiſquis verò hæc noſtra de paruulis legens, prolixiora forſitan iuſto æſtimaueris (obſecramus) hanc noſtrã prolixitatem
Epheſ.4. æqui boniq; conſulas. Non enim potuimus pertranſire ſilentio quidquã eorũ quę ſuper hiſce rebus ſcribenda eſſe offerebant. Valde enim nos oblectãt iſti paruuli, per quos in viros perfectos inſtruimur, atq; in menſurã ætatis plenitudinis Chriſti prouehimur. Atq; etiã nunc ab illorũ conſideratione ægrè diuellimur. ¶Verſu quarto: Videbo cęlos tuos, opera digitorũ tuorũ. Quod dicuntur cæli,
Pſal. 101, opera digitorũ Dei, poteſt ſimpliciter intelligi, ſecundum metaphoricũ loquendi modũ, quomodo
Pſal.118. alibi dicitur, Opera manuum tuarũ ſunt cæli. Et iterum, Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt
Iob 10. me: cùm tamen nullas manus habeat Deus. Sed familiare eſt ſcripturis ſic de Deo vt de homine loqui. Vnde hoc in loco, & in alijs ſimilibus, quoties de operibus creationis Dei tractãtur, vel de Deo vt de artifice inter homines opus aliquod ſuis manibus & digitis plaſmante, vel de materia qualibet in ſua forma pro ſuo placito conſtituente, ſit ſermo. Atq; ita nõ opus eſt aſsignare, quos digitos habeat Deus, aut qui iſti ſint digiti: quemadmodũ neque quot manus habeat, aut quæ ſit manus eius. Secundũ tamen ſublimiorẽ conſiderationẽ intelligimus digitos iſtos, quibus Deus cælos fecit, tres
C numero, ſcilicet potentiam, ſapientiã, & bonitatem. Iuxta quam ſententiã præſentẽ locũ accepiſſe videtur Ioannes Pechanus, vir in Diuinarum rerũ ſcientia illuminatiſsimus, in inſigni illo officio quod de ſancta & ſuperbenedicta Trinitate cõpoſuit: quod etiã ſecundũ Eccleſiaſticã inſtitutionem ab iis qui in horis canonicis perſoluendis vſum ſequũtur Romanæ Eccleſiæ, in eiuſdẽ ſolennitate legitur & canitur. Sic enim in Antiphona quadam quę huic Pſalmo præcinitur, legimus, Cælũ terrãq; digitis qui tribus appẽdiſti, præpoſuiſti conditis humanitatẽ Chriſti. Vbi dũ digitos tres numerat, manifeſtè indicat myſticũ aliquem ſenſum, videlicet quẽ iã ſupra expoſuimus. Quòd autem nonnulli ſanctorũ doctorum cælos hoc loco, itẽ & lunam & ſtellas, ſecundum myſticam intelligentiã interpretantur: per cælos (vt alijs aliquot in locis) ſanctos Apoſtolos, vel etiam ſcripturã ſacram digito Dei ſcriptã accipientes: per lunã Eccleſiã: per ſtellas verò Eccleſias particulares, aut alios viros fide illuminatos, nos ſicut in Elucidatione non ſequimur, magis inhęrentes literali ſenſui, ita nequaquã damnamus aut abijcimus. Similiter & de eo dicimus, ꝙ in cõſequentibus diſtinguunt inter oues, boues, pecora cãpi, volucres cæli, & piſces maris: per oues, intelligentes humiles ſubditos: per boues, laborioſos rectores & præpoſitos: aut per oues & boues, ſimul fideles homines & ſanctos. qui laborãt in præceptis Domini, & paſcũtur in paſcuis eius tãquã oues & boues: per cãpi pecora, homines carnales & in cõcupiſcẽtijs vagabundos: per volucres cæli, ſuperbos: per piſces autem maris, curioſos. Cui iſta libebit plenius cognoſcere, requirat in expoſitione ſancti patris Auguſtini, itẽ
D & apud Ludolphum Carthuſienſem nequaquã ſpernendum, imò digniſsimum, optimeq; meritum pſalmorum cõmentatorẽ, qui hęc pro ſuę deuotionis dulcedine ſuauiter atque diffuſius pertractãt. ¶Verſu ſexto: Minuiſti eum paulominus ab angelis. Si iuxta Pauli ſententiam Chriſto Domino peculiariter iſta aptentur, videtur in relatiuo, eũ, fieri tranſitus à ſpecie ad perſonam, ſiue (vt logicis eſt conſuetudo loquẽdi) à ſuppoſitione ſiue acceptione ſimplici ad perſonalẽ: videturq; relatio eſſe nõ ſecundũ idẽ genus ſuppoſitionis. Siquidẽ in verſu quinto præcedente, ſecundũ ſpeciem ſimpliciter ſermo fit de vniuerſitate generis humani: id eſt, de homine in ſpecie, non de vlla ſingulari perſona. In hoc autem verſu priore mox ſubſequente (iuxta hanc Pauli intelligentiam) de perſona hominis Chriſti fit perſonaliter ſermo. Niſi forte etiã ſecũda pars verſus prioris de Chriſto perſonaliter dicta accipiatur, cùm dicitur, Quid eſt filius hominis, quoniã viſitas eum. Verùm iuxta hanc ſententiam, in priori parte verſus accipi deberet ſermo de humana ſpecie, in poſteriori verò ſecundũ perſonã de ipſo Chriſto homine: quod nõ vſqueadeò videtur viriſimile. Apparet enim (quantum ex ipſo loquendi modo) ſimilẽ eſſe vtriuſq; partis loquutionem, & vtrãque partem ſecundum rem idem valere, alterãque altera explicari, & propter vehementiam ſignificandam factam eſſe repetitionem eiuſdem ſententiæ: quẽadmodum fieri ſolet, cùm rẽ exaggerare volumus. Rurſum, vt totus verſus quintus ſecundum ſpeciẽ intelligatur, & non ſecunda pars ad perſonam Chriſti peculiariter, ſuadet etiã ſenſus cõmoditas. Nam quo modo Chriſtum filium hominis dicatur Deus viſitare, non vſque adeò facile eſt intelligere. Exponunt enim de vnione Diuinitatis cũ humanitate. Atqui iſtud potius

 eſt hu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

est humanam in Christo naturam visitari, quàm Christum filium hominis visitari. Quomodo autē visitauerit Deus hominem(id est,humanum genus) per demissionem filij sui, & perfectam per eum redemptionem, omnibus clarissimum est. Congruentius itaque videtur,vt totus iste versus dicto modo de specie humana intelligatur, fiatque sequenti versu in relatiuo transitus de suppositione simplici ad personalem.Cæterum secundum alteram intelligentiam in Elucidatione monstrata,quę totum psalmum ad vniuersum genus humanum refert, hac ex parte nulla occurrit difficultas. Totus enim sermo de homine secundum speciem generaliter procedit. E

NONI PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmum istum (qui apud Hebræos in duos diuiditur) Psalmista cecinisse videtur in persona pòst venturæ Ecclesiæ:atq; huic,siue quantum ad se,siue quantum ad sua membra,totus ipse Psalmi processus recte apteq; conuenit.Primum enim cōfitetur Domino liberatori suo,de iudicio illo,quo generis humani inimicū principem huius mundi,cōdemnatū foras proiecit,regnoq; priuauit, gentibus idololatris, quibus ille dominabatur, ad Apostolicæ prædicationis sonum salubriter increpatis atque cōuersis:vnde illi ciuitates,in quibus olim inhabitauerat,ablatæ sunt iusto Dei iudicio,cui afflictionis & tyrānidis (qua ante premebatur pauper humanū genus)tandē cōplacuit misereri.Propter quod filios suos veros fideles Ecclesia ad sperandū in domino & laudem illi dandam inuitat,qui pauperum clamorē non despicit:id quod in seipsa testatur, quàm grauissimis licet periculis & persequutionibus intolerabilibus in suæ natiuitatis primordijs afflictam & pene obrutam,semper tamen ipse ad sui nominis laudem sustentauit,nec penitus vnquā deficere permisit, quemadmodū neque patietur vsque in consummationem seculi semper sibi suos electos seruaturus,impios verò qui eā persequuti sunt, in mortis laqueos constrinxit,suo iudicio in infernum demergendos:vt ne existimentur humilium ac fideliū voces Deo curæ non esse,aut eorū patientiā permansurā irremuneratā.Vnde versu vigesimo,id quod quasi præteritum in spiritu iam prædixerat,Propheta postulare videtur,orans dominū vt exurgat quātocyus ad implēdum pro gentibus iudiciū,& vt Christum dominū præceptorē atq; legislatorem, per quem ventura erant illa omnia)gentibus mittat,qui eos vt oportet erudiat.Post hæc verò à versu 22. (vbi secundum Hebræos Psalmi decimi est initium)lamentatio esse videtur ipsius Ecclesiæ in spiritu pro suis membris,quæ in oppressione potentum atque malorum in hoc tempore quasi relicti videntur,potissimum autē pro venturis illis nouissimis tēporibus regni Antichristi, quādo veri fideles,refrigescēte charitate & super excrescente iniquitate,grauissimam sustinebunt persequutionē ab Antichristi potestate.Cuius & adhærentium ei peruersitas, & cōtra sanctos Dei acerbissima(tū per violentiā,tū per insidias, ac blādimēta) persequutio multis cōsequenter versibus prolixe & graphice admodū depingitur.Quæ omnia, licet pro illis vltimis vēturis tēporibus potissimū prædicta sint,tuncq; perfectissime sint implenda,magna tamen ex parte videmus etiā nunc in bonorū hominū oppressoribus eadem euenire,quatenus etiā nūc Antichristi multi sunt.Iuxta quā generalē sententiā subsequens procedet Psalmi Elucidatio.Neque difficile erit volentibus,ea quæ in generalitate de impijs dicūtur,ad ipsum impiorū caput & dominū peculiariter aptare.Post hæc verò,à versu 25. propositā persequutione grauissima fideliū,dominū vt exurgat ad iudiciū, pro suis mēbris solicita deprecatur Ecclesia: & vt Christianū populū pauperem & orphanū,protectorē aliū nescientē(diaboli Antichristi,atq; adhærentiū virtute cōtrita,eorūq; prauis machinationibus ad nihilū deductis)saluum faciat iudicio suo. Post quæ omnia,tribus versibus vltimis domini æternum regnum,miram quoque & inæstimabilem Dei erga pauperes exauditionē, & promptum pro illis iudicium,ac prauorum repressionem denuntians,ita terminat canticum laudis atque confessionis suæ. F

Matt. 24.

1.Ioan. 2. G

NONI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Confitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*

2 *Lætabor & exultabo in te: psallā nomini tuo altissime.*

3 *In cōuertendo inimicum meum retrorsum:*
** infirmabūtur & peribunt à facie tua.*

Ioan.16.

4 *Quoniam fecisti iudicium meum & causam meam: * sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.*

5 *Increpasti gentes & perijt impius:*
** nomen eorum delesti in æternum & in seculum seculi.*

6 *Inimici defecerunt frameæ in finem:*

B ** & ciuitates eorū destruxisti.*

7 *Perijt memoria eorum cum sonitu:*

** & dominus in æternum permanet.*

8 *Parauit in iudicio thronum suum:*
C ** & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia.*

9 *Et factus est dominus refugium pauper:*
** adiutor in opportunitatibus in tribulatione.*
D

10 *Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum:*
** quoniam non dereliquisti quærentes te domine.*

11 *Psallite domino qui habitat in Sion:*

** annunciate inter gentes studia eius.*

COnfessione laudis celebrabo te Domine Deus, & ex toto corde meo, mentis diligentis attentione & affectus pura deuotione pronunciabo ad tui nominis gloriam omnia quæcunque cognoui mirabilia tua: neque quicquam eorum (quod in me erit) occultum esse patiar, quod non ad tuam laudem pariter & aliorum eruditionem annuntiabo. 2 Gaudebo quoque sancto ac spirituali gaudio,& præ lætitia immodica veluti tripudians,exultabo in memoria,atque amore tui laudem canam tuo nomini, quemadmodum dignus es,ô rex regum super omne excelse. 3 Propterea quòd expugnaueris pro me inimicos meos,dæmones malignos, atque infideles ministros eorum,eosque in fugam verteris, & à me abegeris: * infirmati, deuicti, atque confusi sunt, & prorsus condemnati ceciderunt à terrore præsentiæ tuæ: quoniam te respiciente Ecclesiam sanctam tuam,princeps huius mūdi iudicatus, atque foras eiectus est, & omnis ad præsentiam tuam defecit virtus malignantium. 4 Quoniam fecisti tu quidem pro me iudicium, & iudicasti causam meā cōtra aduersarios meos,contra principes tenebrarū, qui me iniuste sua tyrannide opprimebant,& seculi potestates, qui me persequebantur in potestate & infidelitate sua.* Ascendisti quasi iudex super thronū tuum iudiciarium (vt humano more ita balbutiens loquar) & super tribunal ad iudicandum causam meam sedisti tu,cui proprium est iudicare iustitiā,hoc est,iustū iudicium, siue pro iustitia atq; iniustitia. H

5 In tempore gratię(quo placuit tibi facere pro me iudicium)misisti filiū tuum, ac deinde sanctos Apostolos tuos,atque prædicatores veritatis,qui idololatriæ, alijsque vicijs deditas gentes increparent:atq; ita destructa est impietas,desieruntq; infideles esse & peccatores,facti iusti & fideles: * nomina illorum quibus ante veritatis manifestationem vocabātur,non erunt in perpetuum vltra in memoria coram te, neq; vt talium,quales antè fuerant,vltra recordaberis illorū, sed nomine nouo donabis,& vocabis eos. Gentes enim quæ prius idololatræ,infideles, impiæ, atq; à Deo adulteræ vocabātur,atq; huiusmodi antè Deū reputabantur,postquam ad veritatē se cōuerterunt Euāgelij,vetera hæc nomina prorsus perdiderunt:appellationes verò bonas prædictis cōtrarias pro illis acceperunt, vt iam cultores & serui Dei veri dicātur,Deo creduli,iusti,sponsa Dei fidelis: & tales iam eos habet atq; agnoscit Deus.6 Potestas diaboli,visque nocendi eius, tandem in fine tēporum,quantū ad fideles veritati acquiescere volentes, deuicta est,conculcata,atque ablata per veritatis Euangelicæ manifestationem:& in sempiternum vltra non poterit ille resumere plenam suam illam,qua prius dominabatur,tyrannidem.* Synagogas quoq; satanæ,cōgregationes infidelium populorum, in quibus ipse inhabitabat inimicus,tu Deus ad nihilum redegisti,dū gentium idololatrarum populos à vanitatibus ad veritatem tua gratia peruenire fecisti. Apo.2.

7 Quod fuerant esse desierūt & cessant,ac perijt apud Deum eorum prior memoria,ad sonitum prędicationis Euangelicæ, qui per omnē terrā percurrēs,ab infidelitate vbique terrarum ēlectos ad veritatem adduxit,sicq; nomine nouo donauit. * Aut cum sonitu, id est,subito, & veluti cū impetu & confusione perijt memoria dæmonum, qui in gētibus colebantur:quoniā aduenientę prędicatione Euangelica,ipsi expulsi sunt,& adorari cessauerunt in terris: * Dominus autem in sua essentia semper stabilis,permanet in sempiternum idē ipse & immutabilis:& ipse,participatione stabilitatis suæ,ad se cōuersos,in veritate stabiles faciet permanere:*eiusque memoria ad cōsummationē vsque seculi apud fideles & electos permanebit.8 Ipse tribunal suū atq; iudiciariam sedem parauit,disposuit, atque constituit in iudicio & æquitate, nō potens nisi quod æquū semper & iustum est iudicare: * & ipse iudicabit vniuersos inhabitatores orbis terrarum in iustitia, & populos omnes in rectitudine & æquitate iudicabit:nūc quidem iudicio discretionis malos à bonis segregans,bonis gratiā misericorditer largiēs,impijs eam iuste denegās:pòst verò,iudicio finalis retributionis redditurus vnicuique secundum opera sua.* Peculiariter quoque in hoc tempore gratiæ,rex ęternus constituit tribunal suū,ad faciendum iudiciū pro electis suis: & ipse iudicauit in sua iustitia pro orbe terrarum,& pro vniuersis populis in eo inhabitātibus, cōtra principem tenebrarum,qui per tyrannidē dominabatur,agebatque principem in mundo: quem iuste atq; æquissime suo regno priuauit, foràsque proiecit,vt in electos & fideles nihil vltra iuris reseruaret. 9 Et exhibuit se iudex dominus,atque demonstrauit pauperū auxiliatorē, patronū,siue defensorē,& contra iniquorū iniurias tutum refugium, liberando eos de manibus inimicorū suorum: *adiutor factus est eis in opportuno tēpore, nempe in tribulationibus & afflictionibus eorum. Tunc enim opportunū solet & gratum esse liberātis adiutoriū, & iucundum esse potentis refugium. 10 Et est profecto cur merito absque vlla hæsitatione siue diffidentia in te debeant fiduciam & spē suam ponere,atque in necessitatibus inuocare,Omnes qui per fidem vere cognouerūt,quàm videlicet sis iustus,bonus, misericors,atq; fidelis:* propterea quòd nunquā inuentus es derelinquere penitus eos qui te ex animo quęsierunt,tibique semper studuerunt:sed assistis eis prędentia tua,nonnunquā quidem temporali adiutorio, vbi,quando, & quantū volueris:semper verò spirituali auxilio,& gratiæ tuæ interna consolatione. 11 Proinde fideles vos omnes veri Ecclesiæ filij, qui eius bonitatē & auxilium experti estis,psalmum & laudem canite ipsi qui est inhabitator Ecclesiæ suę sanctę,quæ per fidem illum speculatur,quā ipse vt pater ad benefaciendū,vt iudex atque patronus ad defendendum,vt sponsus ad decorandum, vt pastor ad pascēdum,inhabitat,*opera quoque eius quæ fecit,& consilia quæ cogitauit pro hominum pauperū redēptione, proclamate in omnes longe lateque nationes Matt.16. Ioan.12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 *Quoniã requirens sanguinẽ eorũ recordatus est,* non est oblitus clamorem pauperum.*

13 *Miserere mei domine: * vide humilitatem meam de inimicis meis.*

14 *Qui exaltas me de portis mortis: * vt annũciem oẽs laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

15 *Exultabo ĩ salutari tuo * infixe sunt gentes in interitu quẽ fecerũt.*

16 *In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.*

17 *Cognoscetur dominus iudicia faciens: * in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

Sapien. 1.

18 *Conuertantur peccatores in infernum: * omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum.*

Iacobi 1. Heb. 12. Lucæ 21.

19 *Quoniã non in finẽ obliuio erit pauperis: * patientia pauperum non peribit in finem.*

20 *Exurge domine, nõ confortetur homo: * iudicentur gentes in conspectu tuo.*

Exodi 4. Esaiæ 55. Ioëlis 2.

21 *Constitue domine legislatorem super eos: * sciant gentes quoniã homines sunt.*

22 *Vt quid domine recessisti longe? * & despicis in opportunitatibus, in tribulatione.*

tiones, vt laus eius crescat in vniuersa terra, & allecti qui audituri sunt E
etiam infideles ad illius cultum & fidem confugiant. 12 Nam etiã si
contingat nonnunquã confidentes in Domino tẽporaliter relinqui
in manibus persequentiũ, non est tamen existimandũ Deum prorsus
oblitum esse eorum: sed recordabitur eorum, requirendo sanguinem
ipsorum de manibus opprimentium: * & nequaquã obliuiscetur, aut
non attendet ad orationes pauperum se inuocantiũ, sed memor erit
patientiæ ipsorum, dando eis pro perseuerantia vitam æternam, eorũ
verò persequutoribus sempiternæ mortis punitionẽ. 13 Ob hoc in
omnibus obueniẽtibus mihi necessitatibus meis fidẽter ad te clama-
bo dices: * Miserere mei domine, & benigno oculo misericordiæ tuæ
cõsidera afflictionẽ meam nimiã, quã sustineo ab aduersantibus mi-
hi. 14 Tu (inquam) Domine, qui me gloriose eripuisti, & magnifice
saluasti de periculis maximis, quæ humana via videbar non posse eua-
dere, & à quibus nisi Diuino tuo auxilio nõ poterã liberari, cùm ad-
uersum me prẽter omnes aëreas potestates, etiã vniuersi mundi prin- F
cipes atrocissime desæuirent: à quibus tamen requiẽ tandem donasti
mihi, & in securitate cõstituisti: * idq; fecisti ad gloriam tui nominis,
vt annunciarentur per membra mea, per fideles tuos, laudes tuæ om-
nes, & laudabilia opera tua prædicarentur palã & in propatulo, corã
omni populo fidelium, qui est in ecclesia sancta. 15 Exultabo in spi-
ritu meo, in saluatione tua quã fecisti mihi, atque in saluatore Chri-
sto, per quẽ salutem misisti mũdo. * Inuolutæ sunt & illaqueatæ prauæ
hostium meorum nationes, in perditione quam parauerant mihi: &
pro morte ad quam me cupiebãt pertrahere, mortis æternæ nexibus
sunt obuolutæ. 16 In laqueis, foueis atq; insidijs mortis, quas in astu-
tia atq; malitia sua parauerãt fidelibus, in iisdem ipsi pedibus suis in-
hæserunt, suntq; irretiti & inuoluti, ita vt in perpetuum nequeant sese
extricare: dum ego saluor tuo munere, & illi increduli qui ad mortem
me persequebantur, in morte permanẽt sempiterna. 17 Agnoscetur
Dominus quàm pius, quàm iustus, quã formidabilis, quàm verax, cũ
innocẽtes saluãdo, noxios perdẽdo, fecerit iudicium. Sic enim & mi-
sericordia patebit & iustitia eius, quæ ante iudicij exequutionẽ pluri- G
mos latere videtur: * Peccatores ex operibus suis prauis quæ opera-
ti sunt, damnationis inuenientur obstricti vinculis, & seipsos in æter-
næ mortis laqueum prẽcipitauerunt. Neq; enim mortẽ sua voluntate
creauit altissimus, sed impij operibus manuũ suarum accersierunt il-
lam sibi, astrinxeruntq́ se illi. 18 Dæmones in sua malitia obstinati
desecẽdent iuxta decretum diuinæ iustitiæ, cadentq́ue in profundum
inferni: * apriter & infideles omnes qui sunt in nationibus, quæ Deũ
non agnoscunt creatorem suum, eumq́ue ita vt oportet per fidem &
mandatorũ eius obseruationem non habent ante oculos, neque cul-
tu aut famulatu debito venerantur. 19 Nequaquam enim (vt illi falso
existimant) pauperes ante Deũ prorsus in obliuione erũt, vt vel à suis
afflictionibus nunquã sint liberandi, vel nunquam sit de eorum op-
pressione futura vindicta: * longanimis humilium in Deo sperantium
expectatio atque sustinentia non erit vana in sempiternum, neq; fina-
liter frustrabitur: sed fructum suo tẽpore proferet pacatissimũ, atque
saluberrimũ vitæ æternę, quã accipient à iusto iudice omnes qui nunc H
in patientia possederunt animas suas. 20 Ne vltra dissimiles Domi-
ne, neq; differas, sed exurge ad iudicium tuũ: neq; permittas inuale-
scere atque dominari hominis cuiusquam malitiam aut potestatem:
fiat iudicium oppressarum gentium atque pauperum populorum an-
te te, per sententiam iustitiæ atque voluntatis tuæ. 21 Mitte domine
quem missurus es, legislatorem, doctorẽ, atq; præceptorem populo-
rum Christum tuum benedictum filium, qui gentibus tuam voluntа-
tem annunciet, omnemq; edoceat veritatem: * fac per hunc gẽtes co-
gnoscant & intelligãt se homines esse: id est, naturæ non incorrupti-
bilis, sed mortalis: & humiliari discant, eumq́ue agnoscere, cuius post
mortem necesse est ipsos iudicio mox præsentari. 22 Sed quorsum
pijssime domine, nunc in hoc tẽpore frequenter elongare videris te
ipsum à seruis tuis, eosq; relinquere & cõtemnere videris, neq; clamã
tes exaudire? * potissimũ quãdo opportunitas maxima videtur, & ne-
cessitas exaudiẽdi, vtpote dũ in afflictionibus cõstituti sunt atq; per-
sequutionibus premũtur hominũ impiorũ. Sic enim subinde ad tem-
pus

A 23 *Dum superbit impius, incẽditur pauper: * comprehenduntur in cõsilijs quibus cogitant.*

24 *Quoniã laudatur peccator in desiderijs animæ suæ: * & iniquus benedicitur.*

25 *Exacerbauit dominum peccator: * secundum multitudinem iræ suæ non quæret.*

B 26 *Nõ est Deus in cõspectu eius: * inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

27 *Auferuntur iudicia tua à facie eius: * omniũ inimicorum suorum dominabitur.*

C 28 *Dixit enim in corde suo, non mouebor à generatione in generationem, sine malo.*

29 *Cuius maledictione os plenũ est, & amaritudine, & dolo: * sub lingua eius labor & dolor.*

30 *Sedet in insidijs cũ diuitibus: * in occultis vt interficiat innocẽtes.*

D 31 *Oculi eius in pauperẽ respiciunt: * insidiatur in abscondito quasi Leo in spelunca sua.*

32 *Insidiatur vt rapiat pauperẽ: * rapere pauperem dum attrahit eum.*

33 *In laqueo suo humiliabit eum: * inclinabit se, & cadet cum*

pus pauperum clamorẽ te dissimulare quotidiana docet experientia.
23 Ecce dum in hoc mũdo florentes impij intumescunt atq; eleuan-
tur, & potestatẽ acquirunt atque authoritatem huius seculi, vruntur
atque affliguntur qui pauperes sunt & abiecti in mundo, dũ à poten-
tibus opprimuntur atq; varijs modis spoliantur miseri: * veruntamen
iusto tuo iudicio comprehendentur, illaqueabuntur, atq; irretientur
quasi vinculis quibusdam damnationis suæ in sceleratis cogitation-
bus suis atq; consilijs quibus cogitauerũt de pauperum oppressione.
24 Ecce enim gloriãtur peccatores, in peruersis desideriis cordis sui,
seq; ipsos palpant, & sibiipsis placẽt in astutis consilijs suis, quasi rem
bene gesserint. * insuper & adulatores habent à quibus per adulatio-
nem, laudem gloriã & honorem accipiunt, quique eis assentantur in
cunctis peruersis quæ conceperint atque proposuerint: * & homines
impij à suis similibus prædicantur, glorificantur, & benedictionẽ lau
dis atque adulationis accipiunt. 25 Cùm exacerbauerint, irritauerint,
atque multis modis per adinuẽtiones suas ad summã iracundiã pro-
uocauerint dominum Deum peccatores: * tamẽ propter sæuitiam &
magnitudinẽ obdurati furoris sui, obstinati & cõsummati in sua ma-
litia, non curabunt ad placandum, neque requirent in gratiam redire
eius quem sic multifariam exacerbare nõ formidarunt. 26 Deum nõ Psal. 14.
habẽt ante mẽtis oculos, & quasi non sit Deus qui de rebus humanis Iob 22.
vel curam gerat, vel iudicium habeat, ita viuunt sine freno, absq; vllo
metu, libere obsequentes omnibus desiderijs animæ suæ: * opera at-
que studia eorũ praua sunt, maliciæq́ue sordibus inquinata, in omni
tempore, dum aliud nihil q̃ iniquitatem omni tẽpore meditari assue-
uerunt. 27 Elongata sunt iudicia tua à conspectu eorum, dum mente
nõ attendunt ad præcepta iustitiæ tuæ, neque cõsiderant ea quæ sunt
super impios ventura iudicia: quæ si haberent ante mẽtis oculos, non
ita sine freno in omnẽ proruerent iniquitatem. * Et quia Deum non
habẽt ante oculos: videtur sibi super omnes qui eis aduersari possint
gerere principatum, neminẽ reuerẽtur, neque quenquam hominum
sibi posse obsistere cõfidunt propter sæuitiam potestatis suæ. 28 Di-
cunt enim in cordibus suis, non priuabimur in sempiternũ, neq; ex-
cutiemur à potestate nostra, absq; vllo malo permansuri in flore no-
stro. Existimãt enim in corde suo, & sibi persuadẽt, quasi sempiternã
se habere, & imperpetuum perdurantẽ potestatem suam, & sine malo
fore se imperpetuum, quasi eos non maneat vindicta: atque ob hanc
falsam suã persuasionẽ neque Deum metuunt, neque hominem reue-
rentur. 29 Os habent maledictis & amarulentia plenum ad Deum
blasphemandũ, proximis verò cõuitiandum atque detrahendũ sem-
per parati: * sub lingua eorum latet afflictio & dolor, dum per linguã
suã illa in pauperes loqui meditãtur, quibus eos affligãt & crucient:
hoc est blasphemias, conuitia, improperia, aliaq́ue huiusmodi. 30 Ad
insidias residẽt vnà cũ cæteris seculi potẽtibus suis, suis cõplicibus,
& in malo cõscijs: * vt in occultis & quasi latenter interficiant fideles,
vorentq́ue innoxios: quod sane non raro faciunt, cum per sua fraudu-
lenta cõsilia innocentes ad perditionem & mortem trahunt. 31 Ocu-
los suos habent defixos in humiles atq; simplices: nõ quidẽ ad beni-
gne miserendũ, sed quasi raptores ad prędã, ad crudeliter perdendũ:
* & insidias tendunt per occulta sua fraudulenta cõsilia ad modũ leo-
nis in spelunca sua latentis intenti ad rapinam. 32 Insidias ponunt ad
prædã pauperum, opportunitatem & media cõmoda ad eã rem me-
ditantes, per astutiam suam: * ad rapiendum (inquam) pauperes, ad
spoliandum, discerpendum, atque deuorandũ, cum eos adinuentioni-
bus suis ad se attraxerint, cœperintq; in aliquo eis prævalere ad eum
modum quo leo solet vnguibus ad se attrahere innoxia animalcula,
quæ est voraturus. 33 In laqueo & in reti adinuentionũ suarum, quas
ad pauperum deceptionem adinuenerunt, & quas veluti pedicas siue
laqueos tetenderunt per insidias simplicibus, ita potestatem acquisie-
runt super eos, eisq́ue prævaluerunt: * & vt ex illorum potestate non
facile euadat, quibus semel fraudulenter prævaluerint hi impij. inclі-
nabunt se, & penitus procumbẽt super illos, cùm cœperint domina-
ri illorum: ad eum modum quo in lucta fieri solet, quando is qui aliũ
prostrauit in terram, mox sese inclinat, ac corpore toto omnibusque
viribus incumbit super prostratum, vt nequeat prostratus exurgere.

 34 Hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominatus fuerit pauperum.

*34 Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus: * auertit faciē suā, ne videat in finem.*

*35 Exurge domine Deus, & exultetur manus tua: * ne obliuiscaris pauperum.*

*36 Propter quid irritauit impius Deū? * dixit enim in corde suo, non requiret.*

*37 Vides, quoniam tu laborem & dolorē cōsideras: * vt tradas eos in manus tuas.*

*38 Tibi derelictus est pauper: * orphano tu eris adiutor.*

*39 Contere brachium peccatoris & maligni: * quæretur peccatum illius, * & nō inuenietur.*

*40 Dominus regnabit in æternum & in seculum seculi: * peribitis gentes de terra illius.*

*41 Desideriū pauperū exaudiuit Dominus: * præparationem cordis eorū audiuit auris tua.*

*42 Iudicare pupillo & humili: * vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.*

Iob 22.

Danie.7.

Apoc. 21.

34 Hæc autem omnia ita licenter, ita audacter audent peruersi pauperum oppressores, eo ꝙ sibi male persuasum habeant in cogitationibus suis Deum non aspicere res humanas, neque pauperum suorū vllam gerere curā: * putentque Deum à rebus humanis auertisse oculos prouidentiæ suæ, vt non attendat ea quæ hic aguntur, quasi de eis nunquam in iudicio sit facturus mentionē, dicentes, Circa cæli cardines perambulat, neque nostra considerat. 35 Tu verò domine, tanta impiorum prauitate, & tam miseranda pauperū tuorum oppressione veluti excitatus atq; permotus, exurge & clarifica, atq; notam fac dexteram omnipotentiæ tuæ per ostensionē iustitiæ: * & re ipsa demonstra nō esse pauperes corā te in obliuione: ipsos quidē ab iniustis oppressoribus eripiēdo, hos verò iusta vindicta puniēdo, secundū ordinem iustitiæ tuæ. 36 Vt quid enim sua temeritate ausi fuerunt impij te Deum irritare atque prouocare, in suam punitionem? * cùm diceret in cordibus suis, ꝙ non esset Deus expostulaturus, neq; iudicium facturus de malefactis eorū. Nam hoc ipso visi sunt tuū cōtra se prouocare iudicium: vt sic puniti, in seipsis dicāt falsam fuisse persuasionem suā. 37 Nequaquā verò ita est vt isti falso sibi persuadent, imò econtrario vides tu & aspicis diligenter quæ agunt homines: quoniā tu cōsideras afflictionem & dolorē quibus affligunt atque cruciant impij innocentes: * & consideras (inquam) vt eos qui laborem hunc atque dolorem simplicibus inferunt, tradas ad vltionē in manus iudiciariæ potestatis tuæ, in manus potentiæ atq; iustitiæ tuæ, illis qui iniuste affliguntur de vltricibus manibus tuis per eādem iustitiam liberatis. 38 Tibi enim pauper & humilis fidelium populus ad defensionem relinquitur: * & tu populo fidelium alium præter te adiutorem non habenti, eris defensor. * Et vniuersaliter, tibi quasi vnico patrono, quasi iudici iusto, relinquūtur causæ pauperum, & tibi seruantur: pupillis quoq; ac viduis, & ijs qui humano sunt destituti auxilio atq; solatio, tu te exhibes defensorem, supplens tuo Diuino auxilio, quod illis ex humano deest. 39 Confringe domine potestatē, & aufer tyrannidem impiorum atque malignorum hominum, qui nunc potestatē habent, & tyrannidē exercent super seruos tuos. * Tu verò si confregeris potestatem illorū, non poterunt perficere iniquas machinationes suas: ita vt si requiratur malitia quam animo meditati fuerāt, inueniri nō possit in operis impletione, vtpote ab effectu per tuam Diuinam potentiam præpedita. 40 Dominus autem Deus noster in sua maiestate atq; potestate stabilis, regnum tenebit sempiternum, cuius potestas atq; imperiū nunquam deficiet: * eliminabuntur omnes idololatriæ, cæterisq; vitijs deditæ nationes, neque habitabunt in hæreditate eius in terra viuentium: hoc est, neq; in numero fidelium eius, neq; in ciuitate superna. Nihil enim coinquinatum introibit in illā. 41 Erga verò pauperes & vere humiles atq; mansuetos tanta est eius clementia, vt non solū clamoris vocem, sed ipsa quoq; eorum desideria ocyus exaudiat: * imò priusquàm plene expresserint suum desiderium, vbi primùm parare cœperint corda sua ad desiderandum atque postulandum, iam nunc adest benignitas Diuinæ exauditionis. Tanta est Dei erga suos pauperes ad exaudiendū promptitudo atq; facilitas. 42 Exaudiuit (inquam) Dominus orationem & desideria pauperum, ad faciendum iudiciū pro pupillis atque humilibus, qui humano sunt destituti patrocinio, aut certe illi nequaquam fidunt. * Ob hoc verò Dominus se pauperum sic exhibet iudicem, vt nemo hominū qui super terrā & ex terra sunt, viles & humiles, & ignobiles ex sua origine, quantūuis diuitijs potens, aut potestate præcellēs, vltra se audeat extollere amplius q̄ oportet, pauperes opprimēdo, aut humiles pro suo libito tractando: sed attēdant omnes & reuereantur iustū Dei (quod sine personarum acceptione veniet) iudicium, & vel eius timore à pauperum oppressionibus atque iniustis vexationibus desistant.

ANNOTATIONES IN PSALMVM NONVM.

VErsu tertio, In cōuertēdo inimicum meum retrorsum. More Græco dicitur in conuertendo inimicum meū, quod secundū Latinam phrasim apertius diceretur, iuxta sententiā in Elucidatione propositam, Quoniā conuersus est retrorsum. Quanquam potest & secundū temporalem significationem exponi, ad hunc modū: Cùm cōuerteretur, vel cùm conuersus fuerit inimicus meus retrorsum. Atque ita clarius vertit ex Hebræo Hieronymus, Cùm ceciderint inimici mei retrorsum

Græca

A Græca enim lectio ἐν τῷ ἀποστραφῆναι τὸν ἐχθρόν μου, hoc est (ad verbum reddendo) in conuerti inimicum meū retrorsum, vtrunq; sensum recte admittit. Possunt enim huiusmodi loquutiones secundum cōmoditatem sententiæ exponi, vel temporaliter, vel causaliter, vel etiam cōditionaliter. Retrorsum autē conuerti, notum est significare deiectionem, humiliationem, expulsionem, aut effugationem, forasq; iectionē: quemadmodū iam gratia Dei principi cōtigit tenebrarum. Infirmabuntur autē & peribunt, manifestum est ad potestatem referri, non ad substantiam. Neque enim secun- Iob 41.
dū naturā impotens factus est diabolus, neque perijt, neq; aliquando est periturus: sed potestatis iminutio, & prolapsus à potestate & tyrannide priore, qua ante Christi aduentum mundo dominabatur, ipsius infirmatio (vt ita loquar) atque perditio sunt. Vnde pro infirmabuntur, beatus Hieronymus ac cæteri ex Hebræo interpretes vertunt, corruent. ¶ Versu quarto, Quoniam fecisti iudicium meum & causam meam. Improprie dictum videtur, Fecisti causam, pro iudicasti causam siue absoluisti causam meam. Non dicimus enim secundum proprietatem Latini sermonis facere causam, pro iudicare. Nisi forte causam quis hic accipiat pro vindicta, vt facere causam meam, accipiatur pro facere vindictam meam, siue pro me. Græca enim dictio δίκη (quæ hoc loco ponitur) ambigua est, & vtrunque significat, nempe & causam & vindictam. Prior tamen sententia apparet melior: tametsi eloquutio sermonis videatur minus propria. Secundā autem partem versus, Sedisti su-
B per thronum qui iudicas iustitiam, exponit Elucidatio secundum consuetudinem humanam, quē- admodum & illud quod supra præcesserit psalmo. 7. In altum regredere, fere secundum eandem sen- Psal. 7.
tentiam exposuimus. Alij verò thronum istum vel sedem, animas sanctorum exponunt: iuxta illud, Anima iusti, sedes est sapientiæ. Alij totam Ecclesiam, siue militantem, siue triumphantem. Vtraque enim sedes Dei est: & super vtrāque residet gloriosus dominus. Priori tamen sententiæ magis fauere videtur, ꝙ de iudicio fit mentio: quam etiam solam vt magis proposito accommodam, sequitur Elucidatio. Vnde beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, Sedisti super solium iudex iustitiæ. Non solemus autem dicere sic Deum in animabus sanctorū residere, vt iudicem in solio. Quantū verò ad illud, iudicare iustitiam, aduertendum est, quòd secundum scripturarū consuetudinem dicitur iudicare iustitiam, pro iudicare iuste, aut in iustitia, aut secundum iustitiam. Secundum quem modum loquēdi aut in scripturis inuenitur facere iustitiam aut bonitatem, pro facere iuste aut bene, vt illic, Spera in domino, & fac bonitatē. Et rursum, Bonitatē fecisti: pro bona age, aut fecisti bene, siue bo- Prou. 12.
na age, aut bona fecisti. Ita facere iniquitatem & impietatem passim inueniuntur posita loco facere inique & impie. ¶ Versu quinto, Increpasti gentes, & perijt impius. Quod hic impius dicitur ad increpationem domini perijsse, de bona perditione intelligimus: secundum quod alio in loco dicitur, Verte impios, & non erunt: hoc est, ad iustitiā eos conuerte: & non vltra erunt impij quod fuerant,
C aut sunt. Tunc enim perit impius, quando (iuxta Esaiæ cōsilium) derelinquit viam pristinam, & ini- Esaiæ 55.
quas cogitationes suas. Et secundū idem intelligitur quod de nomine eorum dicitur de delendo in seculum. Cui etiam cōsonat quod in psalmo 15. subiungitur: Nec memor ero nominum eorum per Psal. 15.
labia mea. Nominum scilicet veterum nō erit Deus memor, quæ hic ad eundem sensum dicuntur deleta in seculum. Quomodo autem nomina deleta sint per Christi aduentum, nec vltra memorentur ea per labia sua, ipse per prophetam Osee declarat, dicens: Vocabo non plebem meam, plebem Osee 2.
meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consequutam, misericordiam consequutā. Rom. 9.
Et erit in loco vbi dictum est eis: Non filij mei vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. Hinc Petrus Apostolus fideles in Christum credentes honorificentissimis titulis appellat, dicens: Vos autem genus 1. Petri 2.
electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Et per prophetā prædictum erat, Esaiæ 62.
ꝙ nouo nomine suos esset nuncupaturus dominus Deus noster. Possent quoque & alia ex diuersis scripturarum locis ad eandem rem afferri testimonia: sed breuitati consulentes, ea prætermittimus. Quantum tamen ad priorem partem de perditione impij, alij eam referunt ad diabolum, qui Christi prædicatione perditus est & condemnatus: nominum autem deletione nobiscum prædicto modo intelligunt, vel etiā de diabolo, cuius nomen post Christi aduentum illic iam abominabile est,
D vbi ante adorari & venerari solebat. ¶ Versu sexto, Inimici defecerunt frameæ in finem. In finem, referri potest ad finē temporis: secundum quam acceptionem priori loco in Elucidatione pars ista exponitur: vel vt æternitatem significet, quomodo aliàs frequenter solet accipi: atque hanc sententiam secundo loco explicat Elucidatio, eaq; magis Hebraæ lectioni respondet. Ciuitates autem impiorū dicuntur Synagogæ Satanæ, congregationes idololatrarum, & conciliabula impiorum, quæ propter vnitatem & participationem in malo ciuitates dicuntur diaboli: quomodo congregationes sanctorum, & Ecclesiæ fidelium dicuntur ciuitates Dei. Et quomodo considerantes totā iustorum vniuersitatem, vnam dicimus Dei ciuitatem: considerantes verò congregationes plures, in locis diuersis concorditer Deo famulantes, Ecclesias particulares dicimus. ciuitates, numero plurali: sic malorum conciliabula, licet in vna malitia conueniant, sicque vna sint ciuitas: dicimus tamen etiam plurali numero diaboli ciuitates. Aut per ciuitates intelligantur præstantissimi quique huius seculi (cuiusmodi erant principes atque potentes, similiter & sapientes seculi) quos velut pro suis munitionibus & ciuitatibus habebant dæmones. Nam & horum non pauci, per Christi aduentum & Apostolicam prædicationem, ab illo deficientes, Christum in sese receperunt. ¶ Versu octauo, Parauit in iudicio thronum suū. Quomodo suprà diximus versu quarto, per sedē Dei quosdam intelligere Ecclesiam: ita & hoc loco intelligunt, dicentes quòd in iustitia sua fundauerit atque stabilierit Dominus Ecclesiam. Alij per thronum intelligunt quidem iudiciariam potestatem: sed ob hoc in iudicio dicunt paratum, ꝙ per humilitatem qua se passus est à Pilato iudicari, sicque morte

inter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

interfici, peruenerit meruitque exaltari ad gloriam iudiciarij solij, vt iudicium intelligas passiue, E
quo ipse iudicatus est, sicque intelligatur parasse sibi thronũ in iudicio, quia iniuste iudicatus & pas-
sus, ad thronum istum meruit à patre exaltari. Nos tamen in Elucidatione aliter sumus interpretati,
iudicium scilicet accipientes (vt frequẽter solet vsurpari) pro æquitate siue rectitudine iustitiæ: sicq;
dicimus ob hoc parasse Deum in iudicio thronum suum, quoniã in iustitia ipsum constabiliuit, firmissimo scilicet decreto & immutabili proposito cõstituens sibi iustitiæ rectitudinem, secundum
Matt.16. Matt.25. quã omnes est iudicaturus, vnicuique reddendo secundum opera sua. Quemadmodum ex aduerso
Psal.96. de talibus impijs dicere iure possumus, q; throni eorum in curuitate & iniustitia parati sint, quo-
Roma.2. niã iustitiam nõ iudicant. Secundum hanc autem nostrã expositionem particula ista prima per duas
sequentes exponitur: quemadmodum frequenter in scripturis fieri solet. Nam parasse Christum
thronum suum in iudicio, non aliud est, quàm iudicaturum esse orbem terrarum in æquitate, & po-
pulos in iustitia. Valde autem nouum est illud, quòd iam parasse dicitur sedem suam Deus, cùm ad-
huc procul videatur abesse iudicium. Significatur autem hoc modo loquendi, Christum item acce-
pisse, iamque habere iudiciariam potestatem, tametsi nondum aduenerit tempus generalis exequu-
tionis. Iam enim constitutus est iudex viuorum & mortuorum, & sedet ad dexterã patris: veluti tẽ-
Acto.10. pus expectans iudicij, paratus ad iudicandum, & (quomodo Apostolus ait) de cætero expectans, vt
1.Cor.15. subijciantur omnia sub pedibus eius. Et licet nõdum videatur super hãc sedem iudiciariã residens, F
illud tamen est attendendum, sedem esse paratam, & paratum esse iudicem, tantum expectatur defi-
Esa.3. nitum iudicij tẽpus, vt in sede sua iudex appareat. Et secundum hoc intelligi potest illud Esaię, Do-
minus stat ad iudicandum populos. Modo enim quasi stat paratus. Cùm autem venerit, tunc (vt ip-
semet testatur in Euangelio) sedebit in sede maiestatis suæ. Potest quoque illud, in iudicio, accipi,
Matt.25. vt valeat in iudicium, siue ad iudicandum. Iam enim sedes ad iudicandum parata est. Cui sententiæ
consonat Hieronymi versio ex Hebræo, quæ sic habet, Stabiliuit ad iudicandum solium suum.
¶ Versu decimo, Et sperent in te qui nouerunt te domine. Meritò sperent in te Domine, qui te no-
uerunt. Qui enim te nesciunt, vel nolentes, vel non audentes in te sperare, certissimò constat illos
non cognouisse nomen tuum, id est, nõ te talem cognoscere, qualis reuera existis, & qualis in scri-
pturis sacris esse doceris. Si enim te scirẽt, si te verè cognoscerent, si de te vt oportet in bonitate sen-
tirent: si tuã misericordiam, tuã benignitatem, tuam longanimitatem crederent, vtique securissimè
simul & libentissime toto corde in te confiderent. Hinc audimus illos qui te nouerunt, de te fiden-
Psalm.33. tissime loqui. Cognouit te, qui exaltans in fortitudine vocem suam, ad vniuersos exclamabat, Acce-
dite ad Dominum, & illuminamini, & facies vestrę non cõfundentur. Gustate & videte, quoniã suã-
Psal.61. uis est Dominus, Et alibi, Sperate in eo omnis congregatio populi, & effundite corã illo corda ve-
Psal.54. stra. Ac rursum, Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit inæternum flu- G
ctuationem iusto. Subditus esto Domino, & ora eum, & ipse faciet. Cognouit te ille quem Petrum
esse fecisti, & nominari voluisti caput fidelium tuorum: & ideo ad vniuersos quos ei commisisti, so
licita exhortatione, pastoris voce clamitat, dicens: Humiliamini sub potenti manu Dei, omnem ve-
1.Pet.5. stram solicitudinem proijcientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. Huiusmodi sententijs ple-
na sunt vniuersa illorum scripta qui te cognouerunt: atque ob hoc in te sperare non ipsi soli fiden-
ter audent, verùm ad idem vniuersos etiã inuitare contendunt. Denique & ex tua voce audimus,
Psal.90. Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegã eum, quoniã cognouit nomen meum. Qui autem
Iob 21. dicunt tibi, Recede à nobis, non est salus in Domino: cæci sunt, & ignorant te ô lumen beatissimũ,
nomenque sanctum tuum non est manifestatum oculis eorum. ¶ Versu vndecimo, Annunciate in-
ter gentes studia eius. In Psalterio Roma. mirabilia pro studijs inuenimus, Sic enim habet, Annun-
ciate inter gentes mirabilia eius. Græce autem dst ἐπιτηδεύματα, quod non mirabilia significat pro-
prie, sed excogitationes, vel adinuentiones, id est, exquisita cõsilia, quæ solemus adinuentiones nun-
cupare. Neque omnino male hic dicuntur studia. Studium enim animi intenta vehemensque ap-
plicatio est, qualem solent adhibere homines cum insolita & magna consilia excogitant, aut per-
ficere quærunt. Beatus Hieronymus vertit cogitationes pro studijs: quod nostræ lectioni satis acce-
dit. Quidam vertunt opera, nonnulli dispẽsationes. Harum autem lectionum, vix vlla est in sensu H
diuersitas. Hoc enim sunt Dei adinuentiones, quod studia atque dispensationes: & hoc studia siue
adinuentiones, quod mirabilia opera. ¶ Versu duodecimo, Quoniam requirens sanguinem eorum
recordatus est. Pronomen eorum, in medio positum, nõ facile apparet, an à nomine sanguinem regi
debeat, an à verbo recordatus est: an videlicet sententia sit, Deus requirens sanguinem, recordatus
est requirens sanguinem eorum. Mihi videtur congruentius, vt, quanquam semel tantùm positum
ad vtrũque tamen referatur, & tanquam bis positum repetatur secundum sententiam, sitque sensus,
Deus recordatus est eorum (scilicet pauperum) requirendo sanguinem eorum, id est, vindictam ex-
poscendo de illis, qui innocentẽ sanguinem eorum crudeliter effuderunt: sub quo etiam aliæ quæ-
libet tribulationes intelligũtur, quæ bonis à malis infliguntur. Neque enim pro illis solis faciet iu-
dicium, qui sanguinẽ suum pro eo effuderunt, sed quicunque vllam pro eius nomine, vel pro inno-
centia persequutionem aut tribulationem sustinuerunt. Obliuisceretur autẽ Deus sanguinem pau-
perum, si non aliquãdo vindictam exposceret, & vltionem faceret de illorum oppressoribus. ¶ Ver-
su 13. Vide humilitatem meam de inimicis meis. Clarior & aptior videretur esse oratio, si loco præ-
positionis de, poneretur ex, vel ab, hoc modo, Vide humilitatem meam ab, vel ex inimicis meis,
id est afflictionem, quam ex illis, vel ab illis sustineo. Et ad hanc sententiam accipere oportet vul-
gatam lectionem nostram. Græce enim habetur, ἐκ τῶν ἐχθρῶν, id est, ex inimicis: quomodo etiam ex

Hebræo

A Hebræo vertit Hieronymus. ¶ Versu 14. Qui exaltas me de portis mortis. Nota modum scripturarum, quo dicitur esse in portis mortis, qui est in maximis periculis, & quasi morti proximus. Quemadmodum is qui grauissimis tentationibus solicitatur ad malum, ita vt pene consentiat, & se in peccatum mittat, dicitur vsque ad portas mortis atque etiã inferni deuenisse. Cuiusmodi erat ille qui dicebat, Et vita mea inferno appropinquauit. Et iterum, Nisi quia dominus adiuuit me, paulominus Psal.87.
habitasset in inferno anima mea. Similiter & qui in periculis agit mortis corporalis, quæ vix sperat Psal.83.
posse euadere, si saluetur, è portis vel faucibus mortis dicitur erutus: quoniam quasi mortuus deputatus fuit, & liberatus quasi redijt ad vitã. Vtrunque enim est principiũ & ingressus, nẽpe & porta & fauces. Et nota pulchram partium iuxta positarũ respondentiam, cùm dicitur, Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. De illis me liberasti, vt in his me constitueres ad laudes tibi decantandas. Posset & simpliciter intelligi exaltatio ista à portis mortis, saluatio & liberatio ab ingressu mortis & inferni: vt sit sensus, Liberasti me, ne ingrederer in mortẽ, eo quòd per portas sit ingressus: quemadmodũ econtrario, ad portas vitæ exaltantur fideles, quoniã ingressus eis conceditur & aperitur ad vitam. ¶ Versu eodem, Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Quæ in porta fiunt, in publico fiunt. quemadmodũ antiquitus iudicia in portis fieri solebant. Et secundum hoc dicitur, Vt annunciem omnes laudationes tuas in
B portis filiæ Sion. Filiam autem Sion vocat Ecclesiam. Nam per Sion Ecclesiam significari suprà dictum est in annotationibus psalmi secundi. Filia autem dicitur indubie altissimi patris cęlestis: quẽ-admodum & in alio psalmo dicitur, Audi filia, & vide. Item apud Prophetam alium, Dicite filiæ Psal.44.
Sion. Atque ita plerũque solet filia Sion significare Ecclesiam & populum vere credentium, cùm in Esaiæ 62.
bonam partem accipitur. Cùm verò in numero plurali ponitur, vel ipsas particulares Ecclesias si- Zach.9.
gnificat, vel singula Ecclesiæ membra. Vt cùm dicitur, Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimã prædicauerunt eam. Item, Filiæ Sion exultent in rege suo, id est, particulares Ecclesiæ vnius matris Siõ Canti.6.
filiæ, vel animæ fideles & deuotæ, quæ omnes sunt Sion filiæ. Confirmat autẽ expositionẽ suprà po- Psal.49.
sitam Chal. Para. habens in hunc modum, Narrabo omnibus miracula tua in ingressibus portarũ Ecclesiæ Sion. ¶ Versu 15. Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. Impij infiguntur in interitu quem fecerunt, quoniam mortem quam alijs parauerant, ipsi persentiunt: & pro malis quæ contra proximos meditati sunt, recipiunt damnationem, quasi in malo infixi quod alijs parauerunt. Atque hunc sensum explanat Elucidatio. Posset tamen intelligi secundũ hoc quod per Sapientẽ di- Sapien.1.
citur, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Impij autem manibus & verbis accersierunt illam. Mortis enim qua damnantur, ipsi sibi sunt authores. priori tamen sententiæ magis fauet, quod Hebraice fouea pro interitu habetur, quemadmodũ vertit Felix. propter quod vi-
C detur eadem esse sententia, quæ suprà posita est psalmo septimo, Incidit in foueam quam fecit. Cui etiam consentit quod in præsenti loco statim subditur: In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Idem enim videtur demergi in foueam quam fecit impius, & in rete comprehendi quod absconderat. ¶ Versu vigesimo primo, Constitue domine legislatorẽ super eos. Legislatorem istum aliqui intelligunt Antichristum: quem secundum iustitiæ diuinæ ordinationem, vel optat vel prædicit mittendum incredulis, & peruersis gentibus, vt per eum seducti, & in damnationem cum illo inducti, experiantur in die ultionis se infirmos & mortales homines fuisse, ac proinde vane Deo sese ex aduerso opposuisse. Erit autem hic pessimæ legis contra Deũ lator, præcipiens se adorari & coli tanquam verum Deum, legislator malus contra legiferum nostrum bonũ, & prophetа mendacij aduersus nostrum iustitiæ doctorem: nimirum aduersus Christum, Antichristus. Nos hanc expositionẽ sicut omnino non refellimus, ita tenuiter valde approbamus: quòd legislator proprie hoc in loco significare videatur doctorẽ & præceptorẽ, quæ sanè Antichristo puto nõ ni- Esaiæ 33.
si admodum improprie posse attribui. Christo verò domino à prophetis apertissimè asscribuntur, Iacobi 4.
quemadmodum Esaiæ 33. Dominus legifer noster, &c. Et Iacobi 4. Vnus est legislator & iudex, qui Ioëlis 2.
potest perdere & liberare. De doctore autẽ iustitiæ dicitur Ioelis 2. Lætamini gẽtes in domino Deo Esaiæ 30.
vestro, quoniam dedit vobis doctorem iustitiæ. Et apud Esaiam, Non faciet vltra auolare doctо-
D rem tuum. ¶ Versu eodem, Sciant gentes quoniam homines sunt. Sciendum est Hebraicæ haberi vocabulũ enos, quod hominem quidem significat, sed (vt Felix ait) vilẽ & miserum, laboribusque & miseriis subiectũ: propter quod cõmodior videtur intelligentia, quæ in Elucidatione posita est, vilitatem hominis exprimens & humilitatẽ. Alioqui potuisset æque ad dignitatem conditionis humanæ accommodari intelligentia, hoc modo, Sciant & cognoscant rationales creaturas esse se, non equos & mulos, non irrationales beluas: vt vel hac consideratione natiuæ dignitatis suæ erubescant fœdissimæ idololatriæ atque vitijs alijs sese indigne subdere. ¶ Versu 23. Dum superbit impius, incenditur pauper. Incendi siue ardere (vt vertit Hieronymus) accipitur pro affligi, cruciari, siue persequutionem pati. Atque ita habet Felicis versio, In superbia impij persequutionẽ patietur pauper. Neque verò omnino nouum aut inauditum videbitur, si incẽdi aut vri ponatur pro persequutionẽ Psal.16.
pati. Siquidem inuenitur nonnunquam in scripturis per ignem tribulatio significati. Veluti psal.16. Sapien.3.
Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Sapiens quoque igni comparat tribulationẽ Deut.4.
dicens: Tanquã aurũ in fornace probauit electos suos Deus. Neque semel de fornace ferrea Aegypti liberati dicuntur in scripturis filij Israël, pro eo quod est de grauissima & crudelissima illa per-
2.Cor.11. sequutione atque afflictione, quam sustinuerũt in Aegypto. Nouissime occurrit & illud Apostoli, Quis scandalizatur, & ego non vror? Quo in loco (iuxta consonam doctorum interpretationem) vri positum est pro affligi, & cordis dolorem sustinere. Cæterum, in secunda parte comprehendun-

tur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur,dictum est pro cõprehendentur vel cõprehendantur.In cõsilijs autem quibus cogitant, clarius E
esset,si diceretur,In consilijs quæ cogitant:quemadmodum habet Psalterium Romanum, In cogi-
tationibus,quas cogitant.In his tamen vsum Græci sermonis seruarũt interpretes. ¶Versu 27.Om
nium inimicorum suorum dominabitur.Omnium inimicorum suorum dicuntur dominari impij,
iuxta modum in Elucidatione expositum:quoniam omnibus se superiores, potetiores,ac fortiores
putant,neque metuunt quenquam.Sic enim vulgo dicere solemus, eos qui superiores euaserunt &
extra metum sunt,iam dominari illorum quibus facti sunt(vel causa,vel potentia,vel sapientia) su-
periores.Atque hunc sensum manifestẽ indicat versio beati Hieronymi, quæ habet, Omnes inimi-
cos suos despicit.Felix in eandem sententiam legit:Omnes inimicos suos flatu prosternet,aut velut
flatum venti iudicabit:id est,pro nihilo pendet,tanquam nemo illi quicquam valeat nocere eorum
quos ipse affligit.Verti etiam potest,In omnes hostes suos sufflabit,quod eandem sonat intelligen-
tiam.In signum enim vilipensionis flare solemus in illos quos indicamus nos contemnere. ¶Versu
28.Non mouebor à generatione in generationem,sine malo. In fine versus cùm legis, sine malo,
memento vt diuisim id legas à præcedentibus: verboque substantiuo intellecto, perficias sententiã
hoc modo,Non mouebor à generatione in generationem,ab hac videlicet potestate mea:absq; ma
lo ero,vel sine malo persistam:hoc est,non veniet mihi malum aut nocumentum. Putant enim im-
pij perpetuam sibi fore suam felicitatem, cùm breuis nimium sit, & vix amplius quàm momenta- F
nea.Atque ad hunc modũ legit beatus Hieronymus,Ero sine malo. In Hebræo autem est,aser lobe-
ra:quod ad verbum sonat,qui non in malo,supplendo ero,id est (iuxta Hieronymi versionem) qui
sine malo ero:vel qui non in malum, supplendo veniam:hoc est,malum non continget. Nonnulli
autem hanc particulam tentant coniungere cum precedentibus, & sensum nihilominus congruum
inuenire:quod nobis sanè nec facile nec conueniens videtur. ¶Versu 29. Sub lingua eius labor &
dolor.Sicut homines ex corde pleno immunditia semper faciles atque assuetos ad sermones impu-
dicos proferendos, dicimus in ore semper habere eiusmodi, vel sub lingua, iuxta communem lo-
quendi consuetudinem:ita hoc in loco dicitur sub lingua impij esse laborem & dolorẽ, & os eius
amaritudine & maledictione plenum: quoniam illa semper meditantur,quomodo scilicet laborem
pauperibus inferant,atque aduersus ipsos perficiant iniquitatem,quomodo scilicet illos persequã-
tur,crucient,& opprimant.De abundantia enim cordis loquuntur per os suum. ¶Versu 30. Sedet
in insidijs cum diuitibus in occultis.Vulgo iungere solent particulam,in occultis, cum præcedenti-
bus,hoc modo distinguentes:Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, ac deinde,vt interficiat in-
nocentem.Videtur tamen magis pertinere ad sequentia, hoc ordine, In occultis, vt interficiat in-
nocentem:quomodo & B.Augustinus distinguit,& beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, eãdem-
que distinctionem habeant exemplaria Græca. ¶Versu 32. Rapere pauperem dum attrahit eum. G
Attractio ista de qua hîc dicitur,aceipi potest per blandimenta:maxime si ad spiritualem occisionẽ
& seductionem referatur intelligẽtia.Attrahunt enim tam dæmones quàm alij peruersi,& alliciunt
quibusdam blandimentis,& ostentatione boni secundum speciem,animos simplicium:ac deinde in
mortẽ rapiunt allectas & inescatas animas.Sic Antichristus alliciet attrahetq; ad sese plurimos:par-
tim quidẽ rerum temporalium abundantia, partim apparenti sapientia, partim signorum falsorum
euidentia.Attractos verò rapiet & morte æternà interficiet.Sic & nunc hæretici, dæmonum mini-
stri,& præcursores Antichristi, faciunt ijs quos decipiunt.Atq; ita consequenter in sequenti versu,
per laqueum intelligitur ista illaqueatio in terrorem & perditionem. ¶Versu 36. Propter quid ir-
ritauit impius Deum?Huius versus cum præcedentibus talis est cõbinatio: Exurge domine, & vin-
dictam faciẽs contra peruersos,magnifica dexteram tuam in pauperum defensione. Quur enim ausi
sunt impij te irritare,dicentes in cordibus suis,quasi tu non esses pœnas sumpturus de oppressione
pauperum?Quasi dicat,iuste quidem exurges contra illos,& eleuabis manum tuã; quoniam te irri-
tauerunt,dicentes quòd non esset tibi cura tuorum pauperum:videlicet vt apertè cognoscant,quã-
tum aberrauerint hoc existimantes. Quasi autem prouocatur, irritatur, & excitatur ad vindictam
Deus,cùm dicitur, nõ requisiturus sanguinem pauperum. In hoc enim eius suauissimæ bonitati ni-
mium derogatur. ¶Versu 37.Vides quoniam tu laborem & dolorem consideras.Secundum intelli- H
gentiam in Elucidatione expositam post vides,subsequi debet distinctio, & legendum est cum fir-
ma assertione,quasi in contrariũ eius quod existimant impij.Illi enim dicunt: Non videt dominus,
non requiret malefacta nostra. Hic verò contrà loquitur: Imo vides tu domine,& attendis omnem
eorum malitiam:quoniã tu consideras laborem & afflictionem quam inferunt pauperibus tuis:vn-
Hebr.10. de fiet,vt perueniant aliquando in vltrices manus vindictæ tuæ,in quas (vt Paulus ait) horrendum
est incidere.Potest & altera dari huius versus intelligentia talis,Tu nunc vides & attendis, vt tradas
illos in manus tuas:id est,quomodo illos in iudicium adducas,& vltionem in eos perficias,vbi tem-
pus vltionis aduenerit:quoniam tu consideras nunc laborem & dolorem quem pauperibus inferũt.
Iuxta vtramque autem sententiam videtur illud,quoniam tu laborem & dolorem consideras,quasi
per modum parenthesis esse interiectum.Deum autem tradere impios in manus suas,non aliud est,
quàm illos in iudicium adducere,& suo tribunali exhibere iudicandos. ¶Versu 38. Tibi derelictus
est pauper.Nota in Elucidatione duplicem indicatam intelligentiam: priorem de toto humano ge-
Psal. 44. nere,siue specialiter de populo fidelium:qui,quoniam(iuxta Domini in psalmo præceptũ) oblitus
Gen. 26. est populum suum & domum patris sui: & (iuxta Abrahæ patris sui exemplum) vocante domino,
exijt de terra sua,& cognatione sua,recte iam quasi orphanus dicitur,id est,aliũ non habens patrem
Psal. 26. præter Deum. Alteram verò nota de ijs qui secundum seculum in hoc mundo tẽporaliter sunt pau-
peres

A peres orphani,& pupilli.Solent enim isti ab hominibus derelinqui,ac ,pinde à Deo assumi. Quem-
admodum dicebat derelictus à cognatione sua Dauid,Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Psalm.29
Dominus autem assumpsit me.Hinc nõnulli tradunt in alio Psalmo dictũ specialiter de pullis cor-
uorum Deum inuocantibus,quos ipse pascit,Qui dat iumentis(inquit de Deo Psalmista)escam ip- Psal.146.
sorum,& pullis coruorũ inuocãtibus eum. Aiunt enim quibus hac in re fides debetur,naturaliũ rerũ
descriptores,pullos coruorum plumis primũ esse à parentibus dissimiles,id est,non nigros:propter
quod à parentibus relinquuntur,destituunturque cura pastus,quasi degeneres,donec plumis nigre-
scentibus illos agnoscant vt germanam sobolem.Interea verò donec sic relinquuntur,rore cæli pa-
scit illos Deus.Atque ita sanè,quibus parentum deest auxiliũ,copiosius adest diuinũ.Quòd si requi-
ras quur pauperes & orphani dicantur derelicti Deo.Respondemus,ita hoc esse accipiendum,quo-
modo de b.Martino scribit Sulpitius,quod pauperẽ illum,quem omnes auersis oculis despexerant,
sibi intellexit reseruatum & sibi derelictum:vt videlicet ipse quod omnes neglexerant,adimpleret.
Non aliter pauperes & orphani derelinquuntur Deo,vt ipse eis sit adiutor.Quoniã enim ab omni-
bus prætereuntur & negliguntur pauperes,vixque inueniatur inter homines qui pauperũ, pupillo-
rum,viduarum,atque huiusmodi velit causam tueri,aut pro illis vel loqui vel agere,eo quod nõ ha-
bent quid retribuant,aut quę donent auaris munera,fit vt horum iudicium,cura,atq; defensio Deo
B (qui personarum acceptor non est,neque munera spectat,aut vllã retributionem,quandoquidẽ bo- Rom.2.
norum nostrorum non indiget)relinquatur, & velut deuoluto (quod dicere solent) iure ad ipsum
recidat,qui illic maxime suum solet prestare auxilium,vix deest humanum,quique ea quæ apud ho Psalm.15.
mines sunt abominatio,solet magnificare:quemadmodum econtrario abominatio sunt apud illum, Lucæ. 16.
quæ alta sunt hominibus.Illud tamen videndum,vt vere pupilli sint & vere orphani,qui diuinã ex-
poscunt protectionẽ & curam.Sunt enim nonnulli orphani temporaliter & rebus pauperes,qui ta
men spiritu minime orphani sunt & pauperes:qui patres sibi alios quærunt super terram, in quib⁹
confidunt,& spem constituunt,filios scilicet hominum,in quibus nõ est salus. Hi nimirum orphani Psal. 145.
& pauperes illi non sunt,de quibus psalmista nunc loquitur.Vnde & Paulus loquẽs de viduis ab Ec 1. Tim.5.
clesia sustentandis,ait:Vidua autem quæ vere vidua est & desolata,speret in Deum & instet obsecra
tiombus die ac nocte.Dum inquit,quæ vere vidua est & desolata, indicat quid sit esse vere viduam:
nimirum ab omni humana spe derelictam,& non nisi in domino spem habentẽ. Et qui sic vere pau
peres sunt & vere orphani,diuinũ sentient adiutorium,iudicabitque pro illis dominus.Vnde & alio Psal.67.
in loco pater orphanorum,& iudex viduarum,dicitur.Quanquam autem nunc in hoc tempore fre
quenter Deus dissimulat,sinitq; pupillos,viduas,& pauperes à potentioribus opprimi: veniet tamẽ
retributionis tempus,quando aperte parebit magnam curam fuisse Deo pro suis pauperibus:quan
do pro illis bonum faciet ac manifestum iudicium,quod nonnunquã ad declarationem prouidẽtiæ
C & bonitatis suæ etiam facit in hoc tempore: quẽadmodum exemplum manifestum & clarissimum
habemus in paupere Dauid,quantum ad potentem Saulem:nec desunt ad idẽ quotidiana exempla,
quæ cernimus ante oculos. ¶Versu.39.Cõtere brachium peccatoris & maligni.Non potest impio-
rum brachiũ,nisi quãtum permittit Deus.Cęterũm,vbi voluerit eorum brachium cõfringere,eorũ
potentiæ obsistere,& illorum malignos cogitatus atq; cõsilia dissipare,nõ inuenietur peccatũ quod
proposuerant,quod animo cõceperant,nõ inuenietur impletum.Quemadmodum(exempli gratia)
infideles imperatores cogitauerunt Christianos delere penitus,& Christi nomen auferre. Hanc ve-
rò iniquitatem siquis requirat,nequaquã perfectam inueniet: quoniã diuina potentia malignorum Hester.7.
brachia contrita fuerunt,atque a proposita malitia sic prohibita.Sic Aman illius cõcepta contra in-
nocentes Iudæos malitia,nequãquam perfecta inuenitur,sed contritione brachij eius à domino im-
pedita.Similiter & de prauitate Saul erga innocentem Dauid est manifestum.Sic & in persequutio-
ne Antichristi,denec permittet dominus,forte erit brachium eius & validum nimis, non solùm in Matt. 24.
potentia armonum,verumetiã in potestate signorum atque prodigiorum,At verò,vbi domino pla
cebit propter electos brachium illius cõterere,& dies potentiæ siue tyrannidis eius abbreuiare irri
tus inuenietur omnis conatus illius.Neque inuenietur perfecta iniquitas, quam meditatus fuerat,
D de nominis scilicet Christiani deletione,& sui nominis super omnia glorificatione. ¶Versu penul-
timo,Desiderium pauperum exaudiuit dominus.Obijciat forsitan aliquis:Si tanta est Dei ad exau-
diendum suos promptitudo,vt etiam pręparationem cordis eorum statim exaudiat:quid ergo in E-
uangelio monemur semper orare,& non deficere?quid sibi vult,quod de importunitate postulãtis Luc. 18.
dicitur,tam in parabola de iudice iniquitatis,quam in altera illa de amico petente sibi commodari Ibidem.
tres panes in nocte? Rursum si tanta est promptitudo & facilitas diuinæ exauditionis,quid ergo ple Lucæ.11.
runque in longum differt Deus impletionem eius quod postulatur?Verùm est aduertendum quod
dominus,tametsi ab initio ex quo se pręparant pauperes vt clament,attentas habeat aures,& audi-
tum accommodet ad preces eorum:non tamen statim semper primo momẽto præbet quod postu-
lant,sed differt nonnunquam in longum tempus,quoniam ita expedire nouit illorum exercitationi
atque profectui,vel vt ex clamore continuato ac perseueranti augmẽter in illis & crescere faciat
munera suæ gratiæ.Nihil enim pauperi salubrius,quam vt clamet ad dominum: multoque hoc illi
vtilius est sic clamare,quã statim quod postulat accipere.Denique,statim etiam adest orati pauperi
& iam cor præparanti:quoniam in præparatione sua illum adiuuat, & vt perseueranter digneque
vt oportet postulare sciat,efficit. Posset tamen præsens locus & aliter intelligi,hoc modo, Eos qui
corde præparato ad dominum orauerint,qui præparant corda sua(iuxta Sapientis verbum) vt di- Eccle.2.
gne & munde orent dominum,hos exaudiet auris Dei.Atque ita præparationem cordis pauperum

dicitur Deus audire, quoniam eos qui cor suum præparant vt digni orent, exaudit. Qui autem impræparato corde solis labijs clamat, exauditionem nō promeretur. Vnde apud Sapientem dicitur, Ecclc. 18. Ante orationem prepara animam tuam: & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Et iterum, Qui timent dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. ¶ Versu Eccle. 1. vltimo, Vt non apponat vltra magnificare se homo super terram. In Hebræo idem hic vocabulum ponitur enos, quod suprà versu. 21. Sciant gentes quoniam homines sunt. Significat autem (vt diximus) hominē vilem & abiectum: quod recte quadrat proposito: quoniā de superbiæ repressione fit mentio, quę certe nō melius, quā cōsideratione proprię vilitatis acquiritur. Atque ad eandē sententiam accipi etiam posset quod additur, super terram: quod B. Hieronymus vertit, ex terra, ad hunc sensum, Vt non apponat homo vilis & cōtemptus ex terra, scilicet factus, vel qui de terra est, vel qui super terram & terrenus est, vltra se magnificare. Quā sententiam clarius exprimit versio Hiero. in hunc habens modum: Vt nequaquā vltra superbiat homo de terra. Quod enim in Hebręo habetur, min haaretz, significat ex vel de terra. Hic autem cōformius est, vt dictio super terram, in nostra vulgata lectione iungatur cum homine, dicendo: Vt homo super terram non apponat vltra se magnificare, quā cum verbo magnificare, dicendo: Vt homo non apponat se vltra super terrā magnificare.

DECIMI PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus hic viro iusto competit, à se malignorum dæmonum atq; peruersorum noxias suggestiones (quibus ipsum à Deo, in quo spem fixit, quærunt abstrahere) reiicienti, & nequaquam consensum præbere volenti: tentatorum insidias per similitudinem sagittantium demonstrans, eorumq; peruersum studium, quo ad demolienda & frigienda quæ à Deo fidelibus bona stabilita sunt, sedulo conantur: proponens deinde prouidam curam Dei erga res humanas, qui licet in cælo inhabitet, quæcunque tamen in terris agimus, optime mouit, iustē facillime ab iniusto discernens: quæ est iustorum in hoc mundo præcipua consolatio. Postremo verò loco punitionem impiorum demonstrat in igne, sulphure, & horrore æternæ tempestatis, quam is qui iustitias diligit, illis in nouissimo est inflicturus, qui odio habentes animas suas, dilexerunt iniquitatem.

DECIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1. *In domino confido:*

* *quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem,*

* *sicut passer?*

2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum:*
* *parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.*
3. *Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt:*

Matt. 13. * *iustus autem quid fecit?*

HEcce spem meam totam omnēque fiduciam conieci in dominum Deum creatorem & saluatorē meum, in illo spe fixus hæreo, cui in me semel addixi, atq; totum deuoui, abnegato deabolo ac mundo vnà cum omnibus suggestionibus atque pompis eorum: * Et vos nunc ô tentatores mei siue blandiētes amici, siue sæuientes inimici, quomodo adhuc mihi mala suggeritis quæ semel abdicam, dicentes animæ meæ per iniquas suasiones vestras, vt relicta Dei seruitute (quæ arcta videtur) transuolet, seque conferat ad eam quam reliquit gloriam seculi, quæ est veluti mons altus, latus, amœnus, & spatiosus, vtque ad mundi celsitudinem, pompam, delitias, & voluptates denuo reuertatur: * ad eum modum quo auis instabilis, & passer libidinosus, per instabilitatem concupiscentiæ suum locum facile deserit, & in alium transuolat, vbi id quod sensui gratum est forte conspexerit. Frustra enim omnino ista suggeritis animæ meæ, quæ vt casta turtur in domino sibi nidum fixit, mansionem stabilem elegit, non emigratura imperpetuum. 2. Neque verò me latent peruersorum insidiæ: neque me clam est, quemadmodum maligni dęmones eorumque ministri, homines peruersi, parati existant ad perimendas simplicium animas, ad modum eius qui arcum tensum manu tenet, ad aues sagittis perfodiendas: * occultauerunt sub boni qualibet specie pestiferas & noxias suasiones suas, vt sic in occulto ac velut latenter per insidias interficiant animas innocentum eorum qui bona & recta sunt voluntate: quemadmodum qui ad aues perimendas exeunt sagittas in pharetris abscōditas gestant, vt in promptu habeant cùm opportunitatem viderint nocendi. 3. Et quidem illa quæ tu veluti ad perfectum adduxisti, per benignum fauorem tuum & salutarem tuam gratiam (quibus adiumentum prębes seruis tuis) ipsis suis prauis machinationibus per inuidiam ad nihilum deducere conantur, semper laborantes quæ per gratiam tuā in hominibus plantantur atque ædificantur, suis prauis suggestionibus inficere, aut eradicare, aut destruere, proq; bono seminato tritico, mala superseminare zizania: * seruus autem tuus qui ex bona voluntate & desiderio cupit in iustitia perstare, quid egit, quid commeruit aduersum illos, vt tanto desiderio ei nocere cupiant? Vel apud te nunquid aliquid fecit aut promeruit, vt propter impias quas illi obtrudunt suggestiones, tu offensum te exhibeas eis?

4. Et

A 4. *Dominus in templo sancto suo:*
* *dominus in cælo sedes eius.*
5. *Oculi eius in pauperem respiciunt:*

* *palpebræ eius interrogant filios hominum.*

B 6. *Dominus interrogat iustum & impium:*
* *qui aūt diligit iniquitatem, odit animā suā.*
7. *Pluet super peccatores laqueos:*

* *ignis & sulphur & spiritus procellarum,*
C *pars calicis eorum.*

8. *Quoniam iustus dominus, & iustitias dilexit:* * *æquitatem vidit vultus eius.*

4. Et quanquam machinantur illis iustis malum, spero tamē non assequuturos quod intenderunt: quoniā est in superna Hierusalem quam ipse in templum sibi sanctificauit, & vbi tanquā in tēplo inhabitat & adoratur Deus omnipotens: * & in cælo in medio angelorū sanctorū sedem maiestatis, atque mansionem stabilem habitationis suæ constituit omnipotens omnium dominator. 5. Hic licet in alto habitet, benigno tamen aspectu suo ad eos qui in hoc seculo humiles sunt & spiritu pauperes attendit, eorum afflictionem quā ab iniquis sustinēt diligenter considerans, vt eos in præsenti a periculis eripiat, in futuro autem condemnatis eorū persequutoribus, coronet pro sua patiētia: * tam verò res omnes humanas exacte nouit ac perspicit, vt non dico oculis, sed (modo quodā humano per excessum loquēdo) ipsis etiā palpebris perspicere valeat quę sunt in filijs hominū, eosq; secundū iustitiā & iniustitiā discernere, ita vt hoc ei pro minimo sit & omnino facillimū, tametsi incredulis videatur ita nō habere, aut esse prorsus impossibile, vt incorporeus & in cælis habitans Deus res humanas quæ geruntur super terrā, pernoscere valeat. 6. Dominus Deus examinat ac probat (hoc est, quasi interrogatos, probatos, & examinatos optime nouit) omnes filios hominū, iusti ne sint an iniusti, discernēs inter bonos ac malos: * illud autem certissimum est quoniā iuxta veritatem osor est animæ suæ, eiusq; perditor & homicida, quicunque adhæret iniquitati, eamq; ex cordis affectu sectatur. 7. Quemadmodum solet desuper cadere pluuia subito super homines: ita in tempore venturi iudicij, super peccatores istos qui iniquitatem diligunt, subito & cum impetu ac terrore magno desuper, à sentētia diuinæ iustitiæ, quasi pluuia copiosa super eos cadent laquei mortis & damnationis æternæ, quibus obruentur, obuoluentur, atq; irretientur penitus, ita vt in perpetuum sese non valeant extricare: quę quidē damnatio, eorum penetrabit intima, quēadmodum pluuia copiosa per vestimenta solet ad carnem transire: * ignis æterni & inextinguibilis cruciatus, fœtor & ardor sulphuris intolerabilis, & flatus turbinis horridissimorū illorum (inter quos eis erit societas) spirituum, & sempiterna ac nunquā cessatura tēpestas, eorum plena merces erunt & tota retributio, totaq; eorum portio, quā velint nolint, gestabunt, epotabunt, & absq; redemptione persentiēt, ac ferēt in ęternum. 8. Deus enim tametsi misericors est, per suā misericordiam vindictam differens, est tamen simul etiā iustus, neque minus iustus, quā misericors: & quoniam ipse iustus est iustitiā etiam in seruis suis diligit atque requirit, diligitque iustitiā operantes: * æquitatem siue rectitudinem approbat benignus, placidusq; aspectus eius: & eos qui in æquitate viuunt, seruos acceptos habet.

ANNOTATIONES IN PSALMVM DECIMVM.

VErsu primo, In domino confido. Confidētis hominis & optime stabiliti in Dei fiducia, est hæc oratio, secundum modū aliquem similis illi, qua alio in loco dicit, Dominus illuminatio mea, & salus mea, quē timebo? Sicut enim hic intelligitur: nullū timebo, quia dominus salus mea est: ita in præsenti sermone indicatur, quod nequaquā sit euolatura anima aut emigratura à domino, in quo semel per plenā confidentiā veluti nidum constituit. Respondet etiā huic sententię illud quod Psalmo. 16. similiter affectus erga dominū idem psalmista ait, Veruntamē Deo subiecta esto anima mea, Psalm. 26
D quoniam ab ipso patiētia mea. Quia ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus, nō emigrabo. Et paulo ante, Ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, nō mouebor amplius. Multū autē Psalm. 61
vehementiæ addit orationi, quòd non simpliciter dicit: Quomodo trāsmigrabit anima mea in mōtem, sicut passer? sed ad maiorem rei detestationem ait: Quomodo dicitis animæ meæ, trāsmigra in montem, &c. significans rem detestabilissimam esse quam proponunt, adeò vt vel proponere tantū, sit prorsus absurdum. Tāquam si dicat: Vana & prorsus absurdissima sunt, quæ proponitis: quæ suggeritis, indignissima sunt. Nolite vltra mihi huiusmodi suggerere. Habeo enim obfirmatum aduersus huiusmodi animum, neque proficietis, quicquid tandē egeritis. Mons autē iste est, in quē cōscendit lucifer, mōs aquilonis, mons ille pestifer, cui apud prophetam cōminatur dominus, dicens: Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terrā. Superbia scilicet vitæ est, & altitudo fastusque seculi, in quem etiam Saluatorem nostrum transmigrare cupiebat, simul atq; monebat diabolus, cum ostensa illa gloria omniū mundi regnorum, diceret: Hæc omnia tibi dabo, si procidēs adoraueris me. Verùm ille iuxtà formā huius Psalmi, In domino (inquit) confido: quomodo dicis Satana animæ meæ, vt transmigret in montē? Hoc est, Vade Satana. Scriptū est, Dominū Deum tuū adorabis, & illi soli seruies. ¶ Nonnulli verò hunc Psalmum in persona Christi intelligunt, iuxta historiam illam quæ describitur Luc. 15. cap. cum illi quidam discerent, Abi hinc, quia Herodes vult te occidere: videlicet vt responsio sit Christi domini fugam recusantis, propter spem quam in patre habe-

 bat:

Universidad de Deusto
Biblioteca

bat:quemadmodum & in illo loco respõdens fugam suadentibus, subiungit, Ite, dicite vulpi illi, Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertio die cõsummor. Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare, quia nõ capit Prophetã perire extra Hierusalẽ. Alij peculiariter cõtra hæreticos præsentẽ Psalmum dirigunt. Nos tamen generali expositione dirigere cum maluimus contra vniuersos qui iustis in via Dei quærunt nocere, & ad mala quomodocunq; suis fraudulentis cõsilijs eos adducere: potissimum cõtra dæmones malignos, qui nobis suum montem, in quem ipsi male cõscenderunt, & vnde infœlicius descenderunt, imò miserrimè deiecti siue detur bati sunt, semper commonstrãt: nimirum vt in simile nos adducant præcipitiũ. Casum enim nostrũ quærunt, dum altitudinem cõmonstrãt. ¶ Versu 2. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. Coniunctio quoniam, non videtur hoc loco vllam causalitatem indicare, sed esse tantum partiula cõtinuationis. Enarrat aute hoc versu suorũ & aduersariorum & malorum tẽtatorum insidias, quibus insidiantur bonis: idq; sub similitudine tenentis arcum, & sagittas habentis in pharetra. Vbi no tandum diligenter quomodo per eandem similitudinem diuersa nonnunquã figurari atq; significari cõtingit in scripturis. Nam suprà psalmo. 7. de Deo legimus, quod habeat etiã ipse paratum arcũ suum & tensum, inque eo aptata mortis iacula, & sagittas ignitas. Verùm id longe alia ratione accipiendum est, quã hic de peccatoribus sit dictum. Hi enim arcum suũ tẽdunt cupiditate nocendi, & desiderio mortificandi. Ille verò non vult mortẽ peccatoris, neq; in perditione delectatur hominũ. Tamen æquitas & rigor iustitiæ illi arcum tendit, vt eos qui sua voluntate mortẽ quæsierunt dum viuerent, eamq; verbis & manibus sibi accersierunt, mortis æternæ sagittis confodiat. Illud quoque diligenter notandum est, q̃ cum Deus arcum tenens describitur, sagittæ minimè occultantur. Non enim dicitur, quòd in pharetra sagittas habeat, sed in arcu dicit propheta esse parata vasa mortis, & sagittas ignitas apertas in eo. Impij autem cum arcum tensum gestet, tamẽ sagittas in pharetra absconditas, & nihilominus ad sagittadum paratas habent: Scilicet dominus (cuius nõ est voluntas vt moriatur impius, sed magis vt cõuertatur & viuat) multo antequã feriat, suũ arcum paratum ostentat: vt vel terrore impios desinere ab impietate compellat, sicq; sagittis parcat, ne in illos iaculetur. Ob hoc arcum suum quasi in propatulo gerit, sagittas ostetat, earumq; terrorẽ denunciat, dum per scripturas sacras, per prædicatores veritatis, suæ vltionis terribilem sententiam prẽnunciat peccatoribus, ad cautelã. De qua re in alio psalmo dicitur, Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiat à facie arcus, vt liberentur dilecti tui. Impij verò, qui nõ nisi morte quẽrunt afficere, quorum omne studium est interficere innoxias animas: hi nimirũ arcum tensum habent, ad nocendum vt cupidi, ita parati: sagittas autem non ostentant in arcu, sed in pharetra gestant: ita tamen gestãt in pharetra, vt paratas habeãt ad emittendum, vbicunq; viderint occasionẽ. Itẽ enim frequenter ad nos diabolus accedit, quasi inermis, quasi sagittas nõ habẽs. Sic & ministri eius, in vestimentis ouiũ, quasi absque sagittis, accedunt aliquado ad dominicas oues. Verũ in pharetris iacula mortis gestant absconditа: & vbi vel minima sese occasio obtulerit, educta quantocyus iacula proferẽt ad interficiendum animas. ¶ Versu eodẽ, Vt sagittent in obscuro rectos corde. Quemadmodum passer, donec in nido maner, periculum non patitur à sagittante: sed vbi in sublime auolauerit, patet illius sagittis: Ita fidelis anima donec in eo in quo nidum suum fixit permãserit, donec dicit, in Deo speraui, nõ emigrabo, non mouebor amplius, donec passer in domo quam inuenit permanet, donec turtur nidum quem inueuit non deserit: donec columba in foraminibus petræ, in cauerna materiæ, vbi nidificauit, perseuerauerit, non patebit sagittis inimicorum. Non enim potest illuc malum accedere, neque flagellũ aut nocumentum vllum huic nido valet appropinquare. Atq; hoc sciẽtes dæmones, primùm suggerunt, & operosè suadent, vt emigremus in mõtem, & nido domoque derelictis, in alta auolemus: ita demum sperãtes suis sagittis efficere, quod concupiscunt, id est, morte vulnerare animas nostras: Similis fere & piscatorum ars inuenitur, qui quũ piscibus insidiatur, illis maxime qui ad ripas in cauernis aut in profundiori cœno inhabitãt, primùm baculo eos perturbant, vt è suis locis egrediantur: egressi verò mox in expansa incidãt retia, sicque venundentur morti. Nos proinde huiusmodi artiũ cõscij si sagittatorum istorũ pessimorum mortiferas sagittas volumus euadere, caueamus (quãtumũis inuitemur) ab emigratione, vt nidum quẽ elegimus diligenter custodiamus, id est, humilitatem crucis Christi: vt simus passeres (de quibus alio in loco in bonam partem dicitur) solitarij in tecto, non vagi in montib⁹. A mõte verò modis omnibus caueamus: quoniã nequit in mõte hoc salus inueniri, quemadmodum & dilectus domini discipulus, sagittas huiusmodi spiritu illuminato cõspiciens, solicite suos præmonebat, dicens: Nolite diligere mundũ, neque ea quæ in mũdo sunt. Omne enim quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Quod est tanquã si iuxta præsentem loquutionem dicat, Nolite transmigrare in mõtem: quoniam omne quod in monte est, noxium est. Ad quem sensum, secundum mysticã intelligitiã, possumus non inconuenienter accipere, quod dicebat qui iam incendia Sodomæ & Gomorræ euaserat, Quæso, inquiens, Domine mi, nõ possum in monte saluari, ne forte apprehendat me malum, & moriar. In ciuitate tamen quæ adiacebat (licet parua) sperabat salutem. Atque hic rursum, quum relicta iam ciuitatula, in qua salus ei fuerat à Domino cõstituta, in montem emigrasset, timore perterrit⁹ in turpem fœditatem cecidit. Illic enim & inebriatum legimus duabus vicibus, & secundò cum p̃prijs filiabus cõcubuisse. Quamobrem cauendum est ne in mõtem emigremus: sed in ciuitatula potius permanendum ijs qui salutem desiderant. ¶ Super hæc & illud considerandum est, non omnem emigrationem in scriptura vituperari. Legimus enim Prophetã alio quodã in loco, in deuotione spiritus dicentem, Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Itẽ, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Verum hæc emigratio non ad montem erat qui supra positus est, sed in desertum, in mentis & cordis vnitatẽ, in desiderium ciuitatis supernæ. Neque est hæc emigratio à Domino, in quo erat habitatio iusti. Nequaquam enim qui sic migrat, qui sic se elongat fugiens, à Domino emigrat aut fugit: imò in ipsum migrat profundius, intimiusque intra illum penetrat, & securius collocat in eo nidum suum. A monte autem isto fugit, elongatur, & emigrat longius. Neque hic nunc dicunt inimici, Elonga fugiens, & mane in solitudine, vt sicut columba requiescas: sed transmigra in montem sicut passer, vt nostris pateas sagittis, vt nobis venias in prædam. Fac pie Iesu, in te semper hæreat nostra fiducia, sicq; nos intra tere conclude, vt in montẽ istum nunquã finas quantumuis solicitatos transmigrare. ¶ Versu. 3. Quoniam quæ perfecisti destruxerunt. Intelligunt nonnulli hoc loco Dei leges & præcepta, quę perfecit Deus, constituit, fundauit, siue stabiliuit, quæ sanè impii destruunt, dum vel ipsi contra faciunt, vel alios ad præuaricandum, suis consilijs & suasionibus inducunt. Qui verò contra hæreticos Psalmum dirigunt, scripturam sacram intelligũt, quã condidit per spiritum suum Deus: illi autem destruunt, dũ eam prauis suis & commẽtitijs interpretationibus dilacerãt, atque prauo abusu per malignum spiritum ad errores trahunt. Nos tamen in Elucidatione aliam sequuti sumus intelligentiam. ¶ Versu. 4. Dominus in cælo sedes. Videtur eloquutio esse nõ satis cõmoda. Sufficeret enim dicere: Domini in cælo est sedes: aut, In cælo est sedes eius, quoniam præcedit antecedens Dominus in parte altera. Sequitur tamẽ hac in parte Latina interpretatio Hebræam atque Græcam consuetudinẽ, quę pronomina huiusmodi frequenter absque necessitate adiungit. Quoties autẽ huiusmodi modus loquendi occurrit, videtur nominatiuus relinqui, velut absolute & absque rectore positus. Neque enim vllum verbũ potest inueniri, cui legitime supponatur: quemadmodũ in proposito, sedes, est verbi substantiui subintellecti suppositũ: nihil autẽ reperiri potest cui legitime supponatur nominatiuus iste dominus. Ita fit etiã nonnunquã in eodem casu, propter relatiui replicationẽ. Veluti cum dicitur, Scitote, quoniam dominus ipse est Deus. Pronomẽ enim ipse aduenies, seque supponens verbo, cogit nominatiuũ carere verbo regẽre. ¶ Versu. 5. & 6. Palpebræ eius interrogant filios hominum. Videtur secundum vulgatã loquendi consuetudinem hoc accipiendum, qua dicere solemus vel medio oculo nos videre, interdum etiam oculis clausis quod ad cognoscendũ non est difficile. Cùm autẽ hoc quinto versu, atque etiam sequenti, Deus interrogare dicitur iustum & impium, de Deo fit sermo iuxta humanã consuetudinem. Homines enim (qui non nisi ea vident quæ foris patẽt, & qui per se occulta cordiũ videre non possunt) necesse habẽt ea quę in homine sunt per interrogationem & examinationem cognoscere: quemadmodum & seculi iudices quæstionibus atque tormẽtis, à reis iudicãdis solẽt exquirere veritatem. Vnde etiã dictũ est quæstionem facere, tormentis veritatem perquirere, eo quod vicissim tormentis interrogationes subiungãt, quo facilius pœnarum acerbitate veritatem exculpent. Deus autem, quia per se omnia nouit æque atque homo per interrogationẽ, inò multo etiam atque infinito perfectius, iccirco secundum humanam loquendi cõsuetudinem, interrogare dicitur iustum & impium. Quomodo enim in cæteris appellationibus quæ cõmuniter Deo & hominibus attribuuntur, imperfectum omni secludi debet, cũ eas Deo attribuimus, sic & in hoc vocabulo dicendũ est. ¶ Versu. 6. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Circa secundum partem huius versus aduerte odium animæ dupliciter accipi. Primum quidem, in bonum: vt cum Saluator ait in Euãgelio, Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternã custodit eam. Ac rursum, Siquis non odit patrem & matrem & filios, &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Similiter & perdere animã in bonam partem accipitur, cum dicitur, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eã. Secundum hanc autem acceptionem nequaquã hoc in loco intelligẽdum est quod dicitur. Qui diligit iniquitatem, odit animã suam. Quin potius animã suam hoc modo diligit, qui sequitur iniquitatem. Dicitur enim hoc modo animã suã diligere, qui affectui animali siue concupiscentiæ carnis suæ obsequitur, & indulgenter satisfacit, qui illi habenas laxat, & in omne ad quod solicitat affectus carnalis siue animalis consentit: quemadmodum male diligere proles suas dicuntur parẽtes nimiũ indulgẽtes, qui pueris permittũt quicquid fuerit collibitũ, qui dulces suos natos nesciunt aut nolunt vnquã contristari, neq; puniũt delinquentes, neque coercerit mala faciẽtes. Odiunt verò secundum hunc modum suas animas, qui affectui suo animali nequaquã indulgẽt, neque permittunt in sese quicquã quod rectum non sit: sed ad regulã rectæ rationis cuncta examinãt, ipsumque velut freno & salutari retinaculo coercent, & prohibent ab omni eo quod iudicat secundum rationẽ esse fugiendum: impellunt verò & veluti cogunt ad omne illud quod secundum eã iudicat esse faciendũ. Secundo accipitur odium propriæ animæ in malum, quemadmodum in loco proposito. Qui diligit iniquitatem, odit animã suam. Sic autem odire dicitur animã suam quisquis nocet, malefacit, & damnum infert animæ suæ: quod facit indubie quisquis sese peccato subdit. Animã enim suã æternæ dãnationis vinculis implicat, perpetuisque cruciatibus inuoluit, quo maius nocumentũ aliud cogitari nõ potest. Hoc autẽ reuera odire est: illud verò alterum, potiꝰ secundum apparentiã, quã secundum veritatem. Hoc pestiferũ est & crudele odium: illud, bonum, vtile, & salubberrimum. Huic autẽ malo animæ odio contraria est bona dilectio, qua videlicet animabus nostris miseremur, easque Deo cõmendamus in benefactis, vt saluæ fiant in vitã æternã. Atque hæc vera & salutaris animarum dilectio est, illa autem superior mala priori odio bono opposita, falsa est & abominabilis. De hac posteriori vera dilectione Sapiens loquitur, dicens: Qui diligit filium, assiduat illi flagella. Et in Apocalypsi dominus ait, Ego quos amo, arguo & castigo. De malo autem odio, huic bonæ dilectioni cõtrario, alio in loco dicitur, Qui parcit virgę, odit filium. Licebit autẽ nobis, se-

Prou.23. cundum hũc Sapientis modum, de anima propria dicere, Qui vere diligit animam suã, assiduat illi E
flagella, id est, iugi obseruatione à malis refrænabit eã. Qui autẽ parcit virgæ, id est, indulgentiæ ma-
læ laxat habenas, vere odit animam suã. Ex prædictis itaque facile dissoluitur paralogismus, qui ad-
uersus præsentem Psalmi propositionem contexi posset, hoc modo, Qui odit animã suã (iuxta Sal-
uatoris verbum) in vitã æternã custodit eam: qui autem diligit iniquitatem (iuxta præsentem sermo-
nem) odit animã suã: igitur, qui diligit iniquitatem, in vitam æternã custodit animam suã. AEqui-
uocatio nanque paralogismum facit: quoniã odire animam, nõ similiter in prima atque in secunda
propositione accipitur, & ob hoc ratiocinatio sic contexta planè sophistica est. ¶ Versu penultimo,
Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum. Igne, sulphur, & spiritum procellarum esse
partem calicis impiorum quidã sic intelligunt, quoniã hæc sunt tantum particula quædam retribu-
tionis eorum. Videtur tamen ex vsu scripturę alia esse sententia huius loci. Modus enim est scriptu-
Psalm.15. rarũ, parte calicis, siue portione calicis, aut calice significare nonnunquã totã hæreditatem, siue hæ-
reditariã ipsam portionem. Vnde in Psal.15, dicitur, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei,
id est, tota mea portio, & pars mea hæreditaria, quã quæro, quã expecto. Nõ ergo accipitur hîc pars
calicis, quasi quędã particula hęreditatis vel mercedis. Est enĩ sententia, hæc tormẽta (in quibus cæte-
Rom.6. ra oña intelliguntur) totã fore impiorũ mercedẽ, nec alia eos stipendia debere expectare: iuxta illud
Psal. 141. Apostoli, Stipẽdia peccati, mors. Iuxta quẽ modũ iterum in alio Psalmo dicitur, Dixi domino, tu es F
spes mea, portio mea in terra viuentiũ. Neq; enim in his significat dominum se habere quasi suæ hæ-
Deut. 32. reditatis aut mercedis particulã, sed totã sortem, totam hæreditatem, totãque mercedem dicit esse
dominũ. Sic ecõtrario in cãtico Moysi dicitur pars domini esse popul⁹ ei⁹, id est, hæreditas domini.

VNDECIMI PSALMI ARGVMENTVM.

CONsiderans spiritualis homo, ac tacitus secum reputans bonorũ paucitatem, & nimiam peruersorum multitudinem, in exclamationem prorumpit, veluti sibi de tanta iniquitatis abundantia metuens, ne & ipse absorbeatur atque inuoluatur in ea, Deumq; ab ea poscens saluatorem: quam simul cum pœna iudicio, ei debita, vsq; ad versum quintum describit. Versu autem quinto & sexto diuina erga fidelium clamorem expollicitatio saluatoris Christi atq; auxilij sempiterni interponitur, tanquam ex ore domini. Ac deinde commendatis diuinis eloquijs, tanquam mundissimis, verissimis, & ab omni mendacio alienis, securus redditur qui prius clamauerat timidus: & spem ponit in diuina custodia, cuius firmitate etiam in medio impiorum circumeuntium sperat posse in veritate consistere: quemadmodum altitudinem diuini consilij semper perstabũt electi, quos ab impietate peruersorum Deus seruabit immunes.

VNDECIMI PSALMI ELVCIDATIO. G

Matt.7. 1. *Saluum me fac domine,*

** quoniam defecit sanctus:*

** quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.*

Ecclc. 1. 2 *Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum: * labia dolosa in corde & corde loquuti sunt.*

3 *Disperdat dominus vniuersa labia dolosa: * & linguam magniloquam.*

4 *Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus: * labia nostra à nobis sunt:*

DVm ipse mecum reputo, quàm arcta sit via quæ ducit ad vitam, & quàm pauci ingrediãtur per illam: ex adverso verò, quàm spatiosa via quæ ducit ad mortem, & quàm multi ingrediantur per illã, timens ne & ego in numero illorum inueniar qui viam latam ambulant, ad te clamare cogor Deus Saluator meus, vt tu me à via mortis atque dãnationis tua gratia saluare digneris: * Penè enim defecit sanctitas de terra: & vix inueniũtur (nisi forte electi quidam, sed cõparatione ad maximum impiorum numerũ, paucissimi) qui virtutibus studeant, & sanctitati ac puritati vitæ: * modica valde est in filijs hominum veritas siue fidelitas: & qui veritati tam vitæ, quàm doctrinæ studeant, perpauci admodum sunt: & ij ipsi siqui forte reperiantur, nimium tenuiter id faciunt, sed sunt vanitate omnia plena, & est stultorum infinitus numerus. 2. Loquuntur adinuicem filij hominum quæ vanitatis sunt, non quæ veritatis: mendacia videlicet, fraudes, seductiones, & persuasiones malas, siue ad se inuicem H
fraudandum atque decipiendum, siue ad male suadendum, & in peccata pertrahendum: * per dolosa labia sua, siue labijs dolosa inuicem loquuti sunt corde & corde, id est, corde duplici, non recto, non syncero, non simplici: dum aliud loquuntur voce oris, aliud gestant in animi intentione. 3. Tu autem domine (qui amator es veritatis & simplicitatis) disperdes, & secundum ordinationem districtæ iustitiæ tuæ in perditionem mittes omnes eos, qui dolosis labijs vtuntur, ad deceptionem & seductionem proximorum suorum: * & omnes item qui per linguas suas magna & superba iactitãt, blasphemias atque cõuitia, aut alia quælibet mala, siue in Deum, siue in proximos. 4. Qui seipsos atque se inuicem in malo confortantes, dicere solent, Magnificemus atque corroboremus linguas nostras, & loquamur audacter atque libere quæcunque nobis visum fuerit: neque metuamus quicquam afferre per os nostrum, nec reprimamus in vllo sermonem: * labia enim nostra (aiunt ipsi) in nostra sunt potestate, & nostra sunt: atque à nobis, a natiuitate, naturali dono possidemus ea atque ob id,

quur

A * *quis noster dominus est?*

5. *Propter miseriã inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit dominus.*

6. *Ponam in salutari: * fiducialiter agam in eo.*

B

7. *Eloquia domini eloquia casta:*

* *argentum igne examinatum, probatũ terræ purgatum septuplũ.*

C

8. *Tu domine seruabis nos:*

* *& custodies nos à generatione hac in æternum.*

9. *In circuitu impij ambulant: * secundum altitudinem tuum multiplicasti filios hominũ.*

D

quur non liceat nobis pro nostro libito loqui, aut dicere quæcunque nobis placita fuerint? * aut quis nobis hac in parte dominus est, cui in hoc debeamus subijci, vt non libere possimus membris quæ nostra sunt vti? 5. Audiant verò pauperes, quid ad ipsorũ cõsolationem, cõtra impios istos dicat dominus: attendãt, quid per spiritum suum sanctũ loquatur fidelibus. Propter orationes (inquit) & suspiria pauperũ Galat. 4.
atq; humilium de afflictione ad me clamantium, exurgã nunc in auxi 2.Cor.6.
lium eorum: semel quidem filium missurus in plenitudine tẽporis, in
tẽpore acceptabili, in die salutis, per quem genus humanũ vniuersum
de tyrãnide illa grauissima principis tenebrarũ, illo foras ecto libe- Ioan.12.
rabo: & itẽ semper quoties opportunum fuerit in omnibus necessita-
tibus inuocatus mox exurgam, aderoque in auxiliũ seruis meis fideli-
bus. 6. Auxilium & saluationem meam ponam in Christo filio meo, Lucæ.2.
quem ego salutare & saluatorem præparaui ante faciem omniũ popu
lorum: * & in eo, atque per eum, vt per cõsubstãtialem & coæqualem Ibidem.
mihi filiũ fidenter atque fortiter agã, facturus in eo potentiã magnã, Ioan. 12.
vt in brachio virtutis meæ: per quem iudicium illud mundi exercebo
& principis tenebrarum cõdemnationem, & omnia quæcunque circa humani generis redemptionem voluero operari. * Dabo insuper
quotiescũq; inuocatus fuero, in opportunitatibus, in tribulatione per Psal. 144
salutarem spiritũ meũ, auxilium inuocãtibus, per quem propè existo
omnibus inuocantibus me in veritate: & per eum fortiter agam pro
illis, ita vt nihil debeant vel à prauitate vel à multitudine iniquorum
metuere: quoniã quidẽ nihil cõdemnationis est his qui sunt in Chri-
sto, qui secundum spiritum ambulãt, nõ secundum carnem. 7. Audiãt Rom.8.
hæc pauperes & lætentur, quoniam ipse qui loquitur hæc, & pollice-
tur fidelibus, dominus est. Dei autem sermones (promissiones videli-
cet, atque etiã præcepta & doctrina omnis, & quæcunq; per filium no
bis loquutus est, vel per spiritum adhuc loquitur in cordibus electo-
rum) mundissimi sunt atque purissimi, nihil cõtinentes mendacij, va-
nitatis, iniquitatis, aut cuiuslibet impuritatis, quę solent esse in verbis
humanis: * similes sunt sermones Dei argento quod igne est diligen-
ter examinatum, atque per ignis probationem à terra (id est, ab omni
terrestreitate, & alia qualibet commixtionis impuritate) separatum
atque depuratum: quod probatum est vsque ad septem vices, quã fie-
ri potuit diligentissime, ita vt nihil amplius contineat alienæ speciei
cõmixtum, sed argentum sit tot probationibus purissimum. Sic enim
sermones Dei omnes quos loquitur, purissimi sunt, probatissimæque
& indubitatæ veritatis: in quibus nihil est autem vanitatis, aut iniusti-
tiæ, aut mendacij commixtum. 8. Propter hoc, in te domine speramus
& confidimus, quòd nunquã sis relicturus electos tuos: sed per gratiã 1.Ioan.5.
tuam benigne seruabis nos, & modo ab iniquitate præseruando, qua
Plenus est mundus, & in futuro, ad vitæ præmia perducendo: * prote-
ges quoque nos à generatione hac praua & peruersa impiorum homi
num, quam suprà timebam, & ab ea nos facies esse securos, neque
quicquam veri nocumenti ab ea perpeti in sempiternum. 9. Quan-
quã enim passim vbique occurrit magnus stultorum atque impiorum
numerus, vt quasi per circuitum, quaquauersum respexerit quis, om- Eccle.1.
nia plena videantur impijs: * & hi ipsi quanuis per circuitum bonos
obambulent, eosque circumeant ex omni parte, & suasionibus malis,
& prauis exemplis eos ad suam societatem pertrahere conantes: * tu
tamen secundum altitudinem incõprehensibilis sapientiæ tuæ, atque
profunditatem occulti consilij tui, ex filijs hominum fideles tibi ali-
quot semper pro tuo beneplacito elegisti, & electos ex impiorum nu
mero segregasti, quos in singulis generationibus tibi & merito & nu
mero multiplicas: eosque, quanquã non in tanto numero, in quanto
sunt impij, tibi pro tua bona voluntate semper custodisti: atque ita
quoq; amodo futurum cõfidimus, teque in electis tuis & cum eis per-
mansurum omnibus diebus vsque in consommationem seculi, quan- Matt. 28.
tumuis etiam abundauerit iniquitas impiorum.

ANNOTATIONES IN PSALMVM VNDECIMVM.

VErsu primo, Diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Veritates accipi possunt pro veritate vitæ atque doctrinæ (vt in Elucidatione exponitur) quam propheta conqueritur immiautam: & magna ex parte collapsam in filijs hominum. Aut veritates intellige: fidelitates, tam quo ad Deum, quam quo ad proximos homines. Est enim hoc magna gemitus materia, quòd

fidelitas de terra defecerit,quòd vix inueniantur qui vel domino sint fideles, vt iustã illi & dignam præstent seruitutem,vel etiam suis proximis,quibus cum quotidie cõuersantur, vt erga illos illæsam seruent charitatẽ atque iustitiã.Huic autem sententiæ Hebræa magis consentiunt, ex Hebræo enim concorditer interpretes omnes pro veritatibus vertũt,fideles.Sic enim legũt, Diminuti sunt fideles à filijs hominum.Felix tamen adijcit verti posse numero plurali,siue fidelitates vel veritates, ¶Versu secundo,Labia dolosa in corde & corde loquuti sunt.Particula illa,labia dolosa,hoc in loco facit difficultatem:quòd difficile videatur explicare vnde regi debeat, aut secundũ cõstructionẽ cui coniungi.Potest autẽ illi particulæ triplex modus constructionis assignari. Primum quidem,vt subintelligatur præpositio per, quæ regat accusatiuum labia dolosa, verbo loquuti sunt, subiecto supposito impij,quod secũdum sententiã ex priore parte accipitur cum dicitur,Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximũ suum:sicque sensus erit,Per labia dolosa ipsi loquuti sunt in corde & corde.Idem quoque sensus haberetur,si labia dolosa pro labijs dolosis positum intelligatur,casus scilicet pro casu,accusatiuum pro ablatiuo,maxime cum Græci ablatiuo careant. Atque hęc sententia in Elucidatione secundum duplicem istã constructionem explanata est. Secundo labia dolosa accipi possunt pro ipsis impijs,quorum sunt labia dolosa.Nõ enim est hoc inusitatum,vt homines ab illis nominemus,quæ in eis inueniuntur:quẽadmodum cum mulierem loquaculã,garrulũ rostrum,vulgari sermone vulgus hominẽ appellat:& hominẽ facile iracundum,citoque(vt dici solet) capite læsum,vulgo appellãt infirmum capitulum.Sic & hominem multi cibi voratorem, ventrem appellitant: atque ita in reliquis. Secundum hunc ergo modum dicemus impios illos qui dolos loquuntur,dolosa labia nuncupari:eritque iuxta hanc constructionem talis sententia, Impij ipsi existentes dolosa labia,loquuti sunt corde & corde.Verùm iuxta hãc constructionem in lectione Latina incõmodũ videtur esse sermonis:eo quòd masculino genere dicatur,loquuti sunt,cum potius dicẽdum esset loquuta sunt.Hoc autem incõmodum nec in Hebræo occurrit,vbi verbum communis generis est:neque in Græco, vbi absque participio simplex verbum habetur ἐλάλησαν,quod nullius generis habet discretionem.In Latina autẽ lectione dici poterat loquuta sunt,pro loquuti sunt,vel intelligatur modo suprà indicato pronomẽ masculini generis,cum quo iungatur loquuti sunt,hoc modo & corde.Ipsi existentes dolosa labia,loquuti sunt corde.Tertio potest propositi versus talis accipi distinctio,vt labia dolosa quasi per se positum,nec cum præcedentibus,nec cum sequẽtibus copuletur,sed per se efficiat sententiã,hoc modo,Vana loquuti sunt,vnusquisque ad proximum suũ. ac deinde labia dolosa,supple sunt labia eorum,iungaturq; deinceps(sed diuisim)loquuti sunt corde & corde.Sic itaque huius particulæ difficultas triplici via poterit expediri. ¶Nunc verò & illud dicẽdum est,quidnã sibi velit geminatio cordis,dicẽdo,In corde & corde. Significat autẽ hæc replicatio duplicitatẽ,quomodo si dicamus,virum & virũ,pro viris:hoc est,pro vno ac altero. Sed rursum quæstio cõsurgit,quonã pacto dicãtur impij corde vno & altero loqui,vel corde duplici, siue (vt ita dicã)duobus cordibus,cum nõ habeãt nisi cor vnum,id est peruersum,& mala meditãs contra proximos?Quomodo ergo corde & corde loquitur,qui nõ nisi de corde peruerso loquitur,nec habet aliud?Intelligẽdum ergo est horum cordium alterum secundum veritatẽ accipiendum,illud scilicet quod interius latet peruersum,quod tamen verbis nõ aperiunt:alterum autem tãtum secundum apparentiã & exteriorem ostentationem, illud videlicet quod foris apparet & ostentatur in verbis.Dum enim peccator,ad decipiẽdum proximum,aliud ostẽdit ore,quàm gerit corde,vt cum verbo simulat se velle alteri cõmodum vel quodlibet bonum,corde autẽ intendit magis nocumentum, quasi duplex cor illic assignare possumus. Nam verba blãda & dulces sermones, cor bonum ostentant.Hæc enim amici cordis indicia sunt.Interius autem latet cor malum & nocẽdi cupidum quod verbis nõ pãditur.Hoc ergo modo,Corde & corde loquuntur impij. Nonnulli autem præsentem locum etiã distinguunt,Labia dolosa in corde:ac deinde,Et corde loquuti sunt.Atque ita de duplicitate hac,nulla foret quæstio.Sensus autẽ erit,Labiosa dolosa sunt in corde eorũ: quoniã in corde suo loquuntur,& tractãt apud semetipsos,quomodo decipiant & fraudent proximos. In corde locuti sunt(supple)dolos,quemadmodum in corde dolosa habẽt labia.Hãc autem distinctionem habet Felix in sua versione ex Hebræo,item & Chal.paraphra.quę habet in hunc modũ,Mendacia loquuntur homines cum proximo suo,labia blãdientia in corde eorum: cogitant malum,& corde mẽdacij loquuntur.Nostra tamẽ lectio,similiter & interpretationes assignatæ,rẽcte & Græco & Hebræo cõsentiunt. ¶Versu quarto,Labia nostra à nobis sunt,quis noster dominꝰ est? Quod hìc ex impiorum persona de lingua peculiariter dicitur,idem applicari posset,generaliter & ad omnia quę impiorum sunt. Sic enim peccatores se in malo cõfortare solent,nõ modo quãtum ad membrum linguæ,verum etiam quãtum ad cætera omnia & corporis & fortunæ bona,dicentes:Natura hæc mihi cõtulit,fortuna donauit:mea sunt:quur mihi pro mea voluntate meis vti nõ liceat? quis me prohibeat?quis mihi hac in parte dominari aut imperare valebit, vt meis non vtar pro meo libito?Non enim attendunt ad deum creatorẽ suum,à quo possidẽt omnia:sed quasi à seipsis habeãt vniuersa,sic cogitãt,sic loquuntur,sic agunt omnia pro libito. ¶Versu quinto, Propter miseriã inopum,& gemitum pauperum nunc exurgã,dicit dominus.Vox ista est patris, generis humani liberationem per filium promittentis.Illud autem nunc,cum dicitur,Nunc exurgam,aduerte ex Elucidatione referri ad tempus gratię,de quo dicit Apostolus,Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies salutis.In hoc autem tẽpore gratiæ exurrexit primum,mittens suum filium saluatorem mũdi: atq; exurgit etiãnum quotidie in auxilium,per adiutorem spiritus sui,quem per filium dedit fidelibus,de quorum vtroque simul loquitur Elucidatio.Posset etiã nunc istud sic accipi,vt significet ecclesiam

2.Cor.6.

celerationem implendi promissi.Sic enim vulgo loqui solemus, cum significare volumus nos quã tocyus rem quãlibet impleturos:vt cum dico, Ecce nunc veniam, nunc faciam, nunc ibo videlicet significare volens nullam me moram facturũ,sed moxmox aduenturum, facturum,iturum. Quòd autem hìc promittit Deus,exauditio est eius quod suprà Psalmo.7.postulari diximus, Exurge Domine in præcepto quod mandasti.Nam illic rogabatur Deus in iudicium exurgere pro pauperibus, hìc autem promittit nunc se facturum.Nã exurgere hic significat in bonã partem,ad liberationem, ad auxilium,ad iudicium consurgere.Vnde Chal.paraphra.habet,Exurgã in iudicium, dicit Deus. ¶Versu septimo,Argentum igne examinatum,probatum terræ, purgatum septuplum. Cum dicitur,Probatum terrę,videtur terrę esse casus datiui.Nam Græce per datiuum legitur δοκίμιον τῆ γῆ quod(mutata forma Græci sermonis)clarius verti poterat secundũ Latini idiomatis proprietatem, Probatum à terra,id est,per probationem separatum atque expurgatum à terra.Cui cõsonat quod ex Hebræo vertit Hieronymus,Separatum à terra:& Chal.trãslatio, Argentum infusoria repurgatum,à terra.Capitur autem infusoria vel infusorium,pro vase alchimico,in quo fit argẽti purgatio, vel in quo argentum aurúmue infunditur vt liquefiat,& liquefactum purgetur. Est ergo sensus huius lectionis,Argentum repurgatum in vase alchimico,in infusorio,à terra:quomodo etiam ex Hebræo vertunt nõnulli interpretes.Quod autem dicitur,purgatum septuplum,ad perfectionem pertinet:ad significandum scilicet plenissimam purificationem,& quod nihil remanserit alienæ cõmixtionis.Nam septenario numero vniuersitas & perfectio solent designari: quanquam posset secundum mysticam intelligentiã ista septuplex probatio referri ad septiformem spiritum sanctum. Ab hoc enim habent eloquia Domini & scripturæ sanctæ,quòd castissima sint atq; probatissima:quoniam videlicet(iuxta Petri Apost.sententiam)non voluntate humana allata est aliquãdo Prophetia, sed spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.Neque enim habent suã munditiã probatissimã sancta Dei eloquia,ex humana sapientia aut eloquentia eorum per quos tradita sunt,sed ex virtute Dei,& septiformis spiritus sancti:qui,vt scriba calamo, linguis digitisque vtitur eorum qui Diuina eloquuti sunt,vel descripserunt ea. Quę autem humana sunt,etiãsi nõnulla cõtineãt quę sunt veritatis atque virtutis,multis tamen sunt vanitatibus polluta & cõtaminata: quoniã non sunt igne examinata,id est,spiritu sancto decocta:neque sunt septempliciter probata, quoniã non sunt septiformis spiritus gratia descripta:sed vel spiritu humano,qui per se vanus est & mendax:aut etiã (quod ad nonnulla attinet gentilium poëtarum lubrica scripta)spiritu diabolico,qui est pater vanitatis atque mendacij.Rectè proinde alio in loco idem hic Psalmista cõsiderans supereminentem Diuinorum eloquiorum castitatem atque perfectã munditiam,dicebat,Narrauerunt mihi iniqui fabulationes,sed non vt lex tua.Profecto enim fabulationes sunt quæcunque nõ secundum hunc septiformem spiritum probata sunt,etiam si nonum in annum cusa fuerint.Quemadmodum Virgilianã illam AEneidem ferunt annos multos sub incude spiritus vani iacuisse,multorumque dierum & noctium innumeros absumpsisse labores,vt munda,nitida,atque probata tandem prodiret in manus mortalium.Quod Flaccus præcepit,Nonum condatur in annum.plene in hoc opere, imò amplius quã præscriptum est,tradunt fuisse obseruatum.Et tamen posteaquam prodijt, fabulationes in ea inuentæ sunt:longissime abest ab ea Diuinorum eloquiorum mundities:nimirum quę nobis adhuc crepat nescio quos deos atque deas,deorumque ac dearum filios, Iunonem aduersantem profugo populo,Venerem fauentem,AEolum ventorum deum ventos concitantem, Neptunum deum maris suo tridente eosdem sedantem,Cupidinem miseræ Didonis affectum suis sagittis transfigentem, aliaque his similia permulta:quæ mira illic verborum pompa,magnificoq; sermonis apparatu,quasi maxima & summa quædam Diuinarum rerum mysteria proponuntur hominibus:cum sint vanissimæ fabulationes,in quibus nihil est ædificationis bonę,sed tantum falsa sunt oblectatio sensuum, ad decipiendum atque illaqueandum simplices animos,& a puritate eloquiorum Dei(quæ sola casta & probatissima sunt) remorandos,imò arcendos & prohibendos. Neque enim qui huiusmodi assuescunt,ad puritatem eloquiorum Dei transferre se facile possunt:sed consenescũt plerumque imò euanescunt & pereũt in vanitatibꝰ,quas prę elegerunt veritati,homines iudicio corruptissimi, sua autẽm propria voluntate miserrimi.Et tamen illa,quã modo in exẽplum proposuimus,AEneis Virgiliana,præ omnibus fere gentilium Poetarum scriptis castior haberi solet atque probatior.Nã alij plerique huius generis scriptorum,multo his crepãt absurdiora,quæ nec aures ferant humanæ. Hæc ergo humani ingenij eloquia,quanquã elaboratissima,tamen casta non sunt,multa mendaciorum figmenta cõtinentia,vanitates plurimas proponentia lectoribus, elaborata etiam pleraque ad humanam gloriam,siue ad vulgi plausum,siue ad captandum principum fauorem. Eloquia autem Domini,etiam ex tempore (subito impellente spiritu)à viris Deo plenis vel dicta vel scripta, purissima,castissima,atque mundissima sunt,nulla figmenta,nulla mendacia,nullas vanitates:sed verbum vitæ continentia:non ad humanam gloriam,siue cuiuscunque mortalium captandos fauores dicta aut scripta,sed in simplici veritate,ad multiplicem fidelium vtilitatem:hoc est (vt Apostolus ait) ad docendum,ad arguendum,ad corripiendum,ad erudiendum in iustitia. Atque hac consideratione, casta dicuntur Dei eloquia,non solum ob hoc,quoniam in sese munda sunt,& ab omni commixtione mendacij aut vanitatis aliena:Verum etiã propter effectum quem habent,quoniam videlicet castificãt,id est,mundos & puros faciunt homines sibi intentos.Vnde in alio psalmo,postquam dixisset,Lex Domini immaculata,statim euestigio subiungit,conuertens animas,ab omni videlicet vanitate & errore ad Deum,& lumen veritatis. ¶Cæterum quod ad vocabulum casta pertinet:arbitramur vnicuique vel citra admonitionem facile aduerti posse, quod hoc loco nõ castitatem significet,

Psalm. 7.

2.Petri.1.

Psal. 44.

Ioan. 8.

Psal.118.

2. Tim. 2

Psalm.17.

ficet,ſpecialiter illã quæ luxuriæ aut corporali immunditiæ oppoſita:ſed in generali tantum mundi-
1.Petri.1. tiã & puritatẽ,quomodo beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, Eloquia Domini, eloquia munda:vt ſit idem cum eo quod paulò ante citatum eſt,Lex Domini immaculata. Solet enim ita nõnunquam caſtum generaliter ſignificare mundũ,quomodo & Petrus Apoſtolus ait,Animas veſtras caſtificates in obedientia charitatis. ¶Verſu penultimo, Cuſtodies nos à generatione hac in æternum.
Matt.12. 16.&17. Philip.3. Deut.32. Generationem iſtã,de qua in hoc verſu fit mentio,interpretatur Elucidatio nationem prauorum & peruerſorum hominum:ſecundũ quem modũ in Euangelio Dominus aliquoties legitur dixiſſe,Generatio mala & adultera,aut generatio praua & peruerſa.Sic & Paulus apoſtolus: In medio(inquit) nationis prauæ peruerſæ.Et Moſes in cãtico:Generatio praua atque peruerſa , hæccine reddis Domino,populo ſtulte & inſipiens?Et iterum:Generatio peruerſa eſt,& infideles filij.Similiter & in alijs pleriſque ſcripturarum locis.Huic autem ſententiæ conſonat Paraph.Chal.quæ legit:A generatione hac praua,in æternum. Poſſet tamen & alia aſsignari intelligentia talis,Tu Domine ſeruabis nos,& cuſtodies nos in omni tempore,videlicet à præſenti generatione, ab ea quæ modo eſt,vſque inſempiternum:id eſt,in omnibus generationibus,vſque ad finẽ ſeculi.Atque ita cõiunctim legi deberet totum hoc,A generatione hac in æternum:quod dici ſolet, exnunc,vel amodo vſque in æternum. ¶Verſu vltimo.In circuitu impij ambulant.Quomodo impij ambulant in circuitu,varijs modis intelligi poteſt.In Elucidatione enim duplex modus inuenitur: quorum alter eſt de abundantia & nimia multitudine impiorum,alter verò de circuitione ad nocendum.Super hæc autem alij intelligunt excluſionẽ impiorum à regno cæleſti,quomodo dicere ſolemus eos qui foris manent excluſi ab habitatione,ambularẽ per circuitum domus.Sic enim cum electi(quos ſecundum altitudinem &
Matt.25. magnificentiam ſuam nunc Deus multiplicat)ingreſsi fuerint ad nuptias,clauſa ianua, impij excludentur à regno,& foras manere compellentur extra ciuitatẽ beatorum.Atq; ob hoc dicimus,quòd ambulabunt in circuitu.Rurſum alij,propoſiti ſermonis intelligentiam referunt ad iterationem vitiorum ſecundum quã de vitio ad vitium,de cõcupiſcentia in concupiſcentiã pergunt impij,de malo in malum.Quomodo enim heri omnibus delicijs, cõcupiſcentijs,& impietatibus perfruiti ſunt:
Iacob.6. Iudas. ita & hodie agunt,ſimiliter acturi,vbi dies craſten⁹ aduenerit.Et quomodo præterito anno vixerũt enutrientes in delicijs atque luxurijs corpora ſua,& ſatiſfacientes deſiderijs animę ſuæ:ſic & in prę-
ſenti agunt,facturi ſimiliter & in die qui ſubſequuturus eſt.Iterum,ambulare iſtud in circuitu cõueniẽter referri poteſt ad laborẽ,errorẽ,& inutilem fatigationem impiorũ.Qui enim extra viã rectam poſiti per circuitum ambulant, quo diutius ambulant, eo amplius deuiant , & implicantur erroribus,& continuo elongãtur magis à via recta,à termino.Et cum laborent ac fatigentur plurimum, nihil tamen proficiunt,ſed continuo magis elongãtur à requie.Qui autem rectam viam ambulant, continuo appropinquãt ciuitati ad quam pergunt,& breui illuc peruenient quo tendunt.Ita autem faciunt iuſti,quorum via recta eſt:quoniã de bono ſemper in melius proficientes,aſcenſiones diſpo-
Pſal.83. Philip.3. nentes in cordibus ſuis,ambulãt de virtute in virtutem,donec perueniant vſque ad Deum deorum in Sion.Semper enim(iuxta Apoſtoli verbum)ad interiora extẽdunt ſemetipſos , ad ſupernæ vocationis brauium.Illi ergo quia per circuitum ambulant,non appropinquant ciuitati: & ſi in circuitu
Sapien.5. hoc permanſerint vſque in finem,nunquam eis dabitur in ciuitatem ingreſſus,quantumuis etiam ſic per circuitum ambulantes vias ambulauerint difficiles,aut laſſati fuerint in circuitione ſua.Vnde in libro Sapientiæ,ex perſona reproborum dicitur:Laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles,nimirum curua impietatis itinera, quibus non appropinquatur ad requiem , vtpote quæ
Sapien.10 de labore temporali ad laborem perducunt æternum.Iuſtum autem deduxit Dominus per vias rectas,oſtenditque illi regnum Dei,vt ſic iter alleuiet ambulanti & proficiſcenti.Omnium autem horum ſenſuum quis præferendus ſit,non vſque adeò facile eſt iudicare.Pene enim ſinguli bonam habent probabilitatem.

DVODECIMI PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iſte aptiſsimam dat formam clamandi ad Dominum ijs qui graui qualibet & diuturna tentationæ premuntur:vtpote vel graui longoq; libidinis æſtu,vel ponderoſa nimis puſillanimitate, vel triſtitia demergente,vel acedia omne opus bonum faſtidiẽte,aut infidelium cogitationũ angẽtibus dubietatibus,aut alijs cuiuſuis generis malis.In quo,ſic tẽtatus,veluti cõquirens de tẽtationis grauitate & prolixitate,deq; abſentia,ſiue protractione Diuini auxilij,poſtulat celerem à Deo miſericordiã,& ante omnia mẽtis illuminationem, ne forte pereat in morte,ſicq; in poteſtatẽ veniat hoſtiũ ſuorũ,& illi exultent de caſu eius.Contra quos vltimis duobus verſibus,cõcepta in Deo ſaluatore ſuo ſancta fiducia gloriatur fidẽter, ſperãs per Dei miſericordiã peruerſa illorum de ſe nunquam implẽda deſideria:cui etiam,pro ſua liberatione,laudis promittit cantica.

DVODECIMI PSALMI ELVCIDATIO.

*1.Vſquequo domine obliuiſceris me in finem? *vſquequo auertis faciem tuam à me?*

QVandiu tandẽ piiſsime Deus,oblit⁹ videberis mei,quẽ grauiſsimis premi vides malis,& duriſsimis, ac longis ſubiacere tẽtationibus,quaſi prorſus ſim derelictus in æternũ?* nũquid multo adhuc tẽpore permanebis auerſo à me aſpectu vultus tui,me videlicet in his tẽtationibus relinquẽdo,aut cõſolationẽ tuæ viſitationis atq; liberationis diutius ſubtrahẽdo?Satis iã ſatis diſtuliſſe mihi videris præſentiã auxilij.

tui

A *2.Quãdiu ponã conſilia in anima mea? * dolorem in corde meo per diem?*

*3.Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? * reſpice,& exaudi me domine Deus meus.*

*4.Illumina oculos meos , ne vnquam obdormiã in morte: * nequando dicat inimicus meus, prævalui aduerſus eũ.*

B

*5.Qui tribulãt me,exultabunt ſi motus fuero: * ego autem in miſericordia tua ſperaui.*

*6.Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cãtabo domino , qui bona tribuit mihi: * & pſallam nomini domini altiſſimi.*

C

2.Quandiu permittes me anima anguſtiarum varias in corde voluere atq; reuoluere cogitationes,variaq; cõſilia,ad eum modum quo ſolet ij qui in anguſtijs agunt,& anxio ſunt animo? * etenim qui me premit, dolorem,anguſtiam,atque afflictionem,quæ me affligit iugiter in ſpiritu meo,quandiu tandem patieris obſidere ſpiritum meum? 3. Nunquid ad multum adhuc tempus poteſtatẽ hanc,qua nunc premor,ſuper me tenebit aduerſarius meus,vt illic liberum ſit tentationibus vehemẽtiſsimis affligere animũ meum?Sufficiat hactenus Domine,ſitq; iam ſatis:* reſpice nunc Domine Deus in me afflictum ſeruũ tuum,& miſertus afflictionis quã patior,exaudi orationem meam,qua poſtulo à tantis malis liberationem.4.Mentis meæ oculos ſalutari lumine ſpiritus tui illuſtra,& lumẽ ſanctum tuum hominum illuſtrator benigne fũde in cor meum,vt non vnquã per conſenſum plenum peccati veniam in ſomnum mortis,in quo ſunt omnes quos tui luminis ſplẽ-
Ioan.14. dor non facit ad vitam(quę Chriſtus eſt)euigilare,apertosque tenerẽtis oculos:* ne gloriẽtur vnquã de me & cõtra me aduerſarij mei, ſi mihi forte prævaluerint,& voluntatem ſuam prauã de me impletã cõſpexerint:id quod eis factu fuerit facillimum,ſi defuerint mihi cæleſtis luminis tui radius atq; ducatus. 5. Aduerſarij enim & perſequutores mei(quibus nihil potius eſt perditione mea)mirifice gaudebũt, ſi me contigerit à via recta declinare in viam iniquitatis , à virtute in peccatum cõmoueri,aut à ſtabilitate diuini timoris vacillare atq; de-
Eccle.18. ficere:* Ego autem ſpem meam omnem, & fiduciã totã poſui in miſe-
Pſal.118. ricordia tua Domine Deus meus,quæ eſt ſuper omnẽ carnem,& qua plena eſt omnis terra:ſperans & confidens,quòd nunquã patietur tua clementia iniquum illud inimicorum meorum gaudium de me adimpleri,ſed per gratiã tuam me præſeruabis,vt non moueat,ſicque cauſam non habeant prauæ exultationis ſuæ.6.Nec dabitur illis gaudere de commotione,aut perditione mea, ſed mihi magis gaudium erit & exultatio in ſaluatione tua, quàm à te accipiam propter ſalutem quã tu daturus es mihi:* in lætitiæ quoq; meæ teſtimonium & gratitudinis iudicium laudem cantabo Domino Deo meo,à quo omne bonũ
Iacob.1. mihi liberaliter & benigne procedit:& pſalmum laudis canam ſancto nomini Domini,qui eſt altiſsimus omnium in cælo & in terra,ac proinde omni laude ſuperior,& nunquam ſatis laudabilis.

ANNOTATIONES IN PSALMVM DVODECIMVM.

VErſu primo& ſecundo,Vſquequo domine obliuiſceris me in finem,&c.Quandiu ponã conſilia in anima mea?Nota,quòd in Pſalmis atq; etiam in alijs ſcripturarum , maximè autẽ Propheticarum locis,cum ad Deum iſte ponitur loquendi modus veluti per interrogationem:Vſquequo,quandiu,quando,propter quod,vt quid,quare, aut ſimili aliqua particula,non ſic accipi debet ſententia,quaſi ſit mera interrogatio reſponſionẽ expectans, quemadmodum cum homines quippiam interrogant proximos ſibi,reſponſionem expectantes : ſed tantum vt ſit mirantis & admirationem proponentis,vel deſiderium magnum & expectationem inſinuantis.Quemadmodum ſuprà pſalmo.2.cum dicitur,Quare fremuerũt gentes?non expectatur vlla reſponſio,ſed tãtum admiratio
D ſic exprimitur:quaſi dicat Propheta,Miror rem tàm abſurdam illos attentaſſe.Et in loco præſenti, cum dicit,Vſquequo Domine,&c.non expectat ipſe vt audiat certam ſibi horã liberationis deſignari,ſed tantum eſt expreſsio vehementis deſiderij & expectationis magnæ,qua ſuam expectat liberationem.Similiter accipi poteſt pſalmo.3.& 20.Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? Deus,Deus meus,quare me derelinquiſti?Et alibi:Quare obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ? ¶Verſu.3.& 4. Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me, &c. Attende, aliud eſſe exaltari inimicum,aliud prævalere.Nam iuſtis in iuſtitia ſua permanentibus , non poteſt inimicus
Iob.1.&2. prevalere diabolus:poteſt autem ſuper eos exaltari,quatenus videlicet à Deo poteſtatem accipit ad tẽtandum atq; affligẽdũ eos:quẽadmodũ ſuper beatũ virũ Iob modo quodã exaltatus fuit,cui tamẽ nõ prevaluit. ¶ Verſu.4.Nequando dicat inimicus.Poſſet nõ incõmode iſtud ad peruerſitatem ſenſualitatis peculiariter referri,quæ nobis eſt hoſtis & maxime domeſticus,& maxime noxius,& maxime inimicus noſter eſt,quoniã intra nos eum habemus.Orabit ergo vir iuſtus,mẽtis oculos cælitus ſibi illuminari,vt nõ peruerſitate carnalis affectus alliciatur in peccati cõcenſum,atq; ita in mortẽ.Huic ſententiæ pulchre cõſonat träſlatio ſiue potius Paraph.Chal.quæ ſic habet, De⁹ meus,illumina oculos meos in lege tua,ne vnquã peccẽ,& dormiã cũ his qui meruerũt mortẽ,& nõ dicat fomes prauus,dominatus ſum in eo. ¶Verſu vlti.Exult.cor meũ in ſalut.tuo . Salutare hic pro ſalute vel ſaluatione poſitũ videtur.Vnde träſlatio Chal.Exultabit cor meũ in redẽptione tua:quauis poſſet & ,p ſaluatore accipi,à quo venit ſaluatio,queadmodum in cantico Simeonis,& alibi frequenter.

DE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DECIMITERTII PSALMI ARGVMENTVM.

Hic Psalmus satis cum vndecimo suprà posito consentit, & idem fere habet argumentum. Abundantiam enim malitiæ, & multitudinem malorum (qui, Dei timore postposito, operantur quicquid libet) versibus septem primis describit. Deinde sub persona Domini, per amaram interrogationem insinuat peruersos pauperum oppressores cognituros aliquando Deum inuicem, quem modo cognoscere atq; inuocare voluerũt, quãdo timore horribili conturbabuntur, eo quòd fidelium consilio noluerint acquiescere, iustis ab eo timore liberis, propter Domini præsentiam in eis habitantis: atque vltimo tandem versu, fidelium per Christum liberationem spiritu reuelante, præmonstrat.

DECIMITERTII PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Dixit insipiẽs in corde suo,* * *non est Deus.*

2. *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis:* * *non est qui faciat bonũ, non est vsque ad vnum.*

Esaiæ. 1.

1. Ioan. 5.

Hiere. 6.

3 *Dominus de cælo prospexit super filios hominum:* * *vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum.*

4. *Omnes declinauerũt,*

Titum. 1.

Psalm. 35.

simul inutiles facti sũt: * *non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

Ioan. 3.

Prou. 24.

5: *Sepulchrũ patens est guttur eorum:* * *linguis suis dolosè agebant:* * *venenum aspidum sub labijs eorum.*

6. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est:* * *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

7. *Contritio & infœlicitas in vijs eorum:* * *& viam pacis non cognouerunt:* * *non est timor Dei ante oculos eorum.*

8. *Nónne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem?* * *qui deuorant plebem meã sicut escam panis.*

Psalm. 9.

9 *Dominum non inuocauerunt:* * *illic trepidauerũt timore vbi nõ erat timor.*

10 *Quoniã dominus in generatione iusta est:*

* *consilium inopis confudistis, quoniã dominus spes eius est.*

11 *Quis dabit ex Sion salutare Israël?*

* *cùm auerterit dominus captiuitatem plebis suæ,*

* *exultabit Iacob, & lætabitur Israël.*

DIxerunt filij hominũ in quib⁹ nõ est sciẽtia veritatis, neq; sapiẽtia Dei, in cordibus suis, & hãc habẽt in animo suo erroneã existimationẽ, * quòd nõ sit secundũ veritatem Deus, vt à fidelibus creditur, qui res humanas cõsideret ac iudicet, qui iustis pro iustitia fœlicitatẽ, aut malis ꝓ iniquitate reddat dãnationẽ: & hac falsissima persuasione blãdiuntur sibi in iniquitatibus suis, quo peccẽt liberius. 2. Hac autẽ falsa existimatione & pſuasione iniqua prẽsupposita, sine timore existẽtes, neque cuiusquã metuẽtes iudiciũ, corruperunt ipsi viã suã, & cõputuerunt veluti iumenta in stercore impietatũ suarũ, suntq; facti ꝓpter multitudinẽ & magnitudinẽ facinorũ suorũ, detestabiles & execrabiles ante Deũ & omnes homines pios, per impiissima opera sua & actiones corruptissimas quibus intẽdunt: * non est ex infidelibus istis qui timorẽ Dei abiecerunt (quorum est bona, imò maxima pars in hoc miserabili mundo, qui totus in maligno posĩtus est, cui sit curæ facere quod bonũ ac rectũ est: nõ est ne vnus quidẽ ex eis qui studeat virtuti: sed à maiore vsque ad minimũ omnes studẽt iniustitiæ. 3. Dominus Deus omnipotens de sublimitate cælorũ in quibus inhabitat, quasi prouidus & diligens humanarum rerum curator attendit & considerat filios hominum, & actiones eorum vniuersas, bonas pariter atque malas, ad reddendum vnicuique venturo tempore pro operibus congruã mercedem: * prospexit (inquã) considerans ad eos qui per fidẽ rectã vere agnoscunt, aut ex animo quærũt Deum. 4. Et vidit Deus, quòd maxima pars hominum, via recta derelicta, ad iniquitatẽ declinauerunt, suntque facti ad omne bonum opus veluti reprobi & inutiles, quasi qui iam didicerunt virtutem, nescientes vltra neque volentes bene agere: vix inuenitur qui bene agat, vix inuenitur vel vnus. Tãta est enim malorum copia, vt vix vllus videatur numerus iustorum, si cum illorum cõferatur immẽsa multitudine: & ex ijs ipsis qui bonum facere videntur, vix vnus est qui solum, ac semper faciat ꝙ bonum est, qui nõ frequẽter admodum declinet ad malum, qui nõ subinde agat aliquid quod sit minus rectum: quãdoquidẽ in multis offendimus omnes, & septies in die cadit iustus. 5. Guttur peruersorum quasi sepulchrum est semp apertum, dum intolerabilẽ fœtorẽ malitiæ suę interioris sine intermissione exhalãt, & ad vorãdum innoxios semper parati existũt. * linguas suas mollificãt, & blãdis mollibusque verbis cõponunt, ad decipiẽdum proximos suos: * verba doctrinę siue suasionum, super omne venenum noxia meditãtur, & sub linguis ad proferendum opportuno tempore retinent: conãtes alios & pestifera docere dogmata, & in pessima pertrahere peccata. 6. Os eorum scatet maledictis, amarulentijs, blasphemijs in Deum, & cõuicijs atque detractionibus in proximos: * prompti semper & parati sunt ad effusionem humani sanguinis, faciles ad consentiendum, imo auidi ad procurandum mortem etiã innocentium. 7. Conteruntur miseri, & infœliciter pereunt, vis istis pessimis sic ambulãtes: corpusque & animã perdunt, dum sibi mortis æternæ reatum per ista cõciliant: * viam virtutis & veritatis (quæ vere est via pacis) ipsi noluerunt agnoscere, vt ambularẽt in ea: * atque omnium horum malorũ seminariũ est, quia non est in eis timor Dei atque iudiciorũ eius, quæ vel omnino nõ credunt, vel certe non attendunt. 8. Sed nunquid non tandem cognoscent Dei iudicum omnes qui nunc ex prauæ voluntatis studio operãtur malũ? * qui populum Domini, hoc est humiles ac simplices, deglutiũt & vorant ad eum modum quo vorari solet panis à comedẽte, sine vlla cibi resistentia, vt sine vlla comedẽtis misericordia. Certe cognoscẽt Dominum iudicia faciẽtẽ (cuius cognitionẽ & timorem nunc abijciunt) cùm fuerint comprehensi in operibus manuũ suarum. 9 Cùm in hoc mundo agerẽt peruersi isti, in Dominum non crediderunt, neq; eum vt Deum suũ inuocauerunt, neque in eo ſpem suã posuerunt: sed vel in idolis, vel in alijs rebus perituris, in quibus posuerunt fiduciã: * & idcirco, quia nescierunt Dominũ, timore magno nõnunquam trepidãt, & vehementer cõturbati sunt, quando nulla fuisset eis causa iusta timoris, neq; quicquam periculi, si credidissent in Dominum Deum, eumque fideliter inuocassent: quemadmodum in aduersitatibus tẽporalibus, in infirmitatibus corporalibus, atque similibus vehementer timere solẽt carnales homines, vbi tamẽ iustis nihil est turbatione aut timore dignum. 10 Neque mirum si trepidãt illi timore, quandoquidem Dominus non nisi in generatione iustorum est, in ea solum ad protectionẽ atque custodiã inhabitãs, nõ autem in generatione peruersorũ: atq; idcirco Diuina præsentia destituti illi metuunt, vbi bonis (quos inhabitat Deus liberator) nihil est periculi: * insuper & consilium pauperum atq; humilium seruorum Dei repulistis, abiecistis, & suscipere noluistis, ô vos increduli atque peruersi: quoniã Dominus Deus spes eorũ erat, quẽ vobis etiam annũciare & suadere ipsi cupiebant: quorum consilio si obtẽperassetis, omnem timorem malum iam euasissetis, neq; in sempiternum venisset vobis vlla conturbatio. 11. Quis verò erit qui tantę poterit mederi malitię, quę abũdat in terris? quis de superna illa cęlestiq́ue ciuitate (posteaquam hìc super terrã declinauerunt omnes, & maculati sunt in seipsis) dabit salutem & salutationem populo Israel, populo fidelium? * Indubie nemo, præter Dominum Deum saluatorem nostrum: qui cùm voluerit & sicuti voluerit, in tẽpore gratiæ, per filium suum auferet captiuitatem illã plebis suæ, sub qua misere detinebantur, saluumq; faciet populum suũ, id est, credituros in se, à peccatis ipsorum, dans eis potestatem ex filijs captiuitatis & iræ, filios gratię fieri, & filios Dei: * ac tunc quidem exultabit gaudio spiritali omnis fidelis credẽs in Dominũ, vitia supplantans atque conculcans, & Dei placita perficiens: * Atque iterum, cùm Dominus fideles suos ex huius mundi miserãda captiuitate, & ex huius vitæ peregrinatione eduxerit in patriam supernam, tunc perfecto gaudio gaudebunt fideles omnes, cunctis iam superatis & præteritis malis, quibus in hoc mundo iugiter ab iniquis affligebantur.

Matth. 1. Ephes. 2. Ioan. 1.

ANNOTATIONES IN PSALMVM DECIMVMTERTIVM.

VErsu primo, Dixit insipiẽs in corde suo, nõ est Deus. Quidam peculiariter huius Psalmi dicta accõmodant incredulis Iudæis, qui Christi diuinitatem noluerunt susc̃ipere, neque agnoscere venientem in carne maiestatem: sicque cùm dicitur, Non est Deus, supplendum putant, hic homo, Christum demonstrando: vt sit sensus: Dixit impius & incredulus Iudæus in corde suo, hic homo (qui filium Dei se asserit) non est Deus. Atque ex hac radice infidelitatis, iusto Dei iudicio, peruenerunt ad abominãda impietatis facinora, quæ in Psalmo describuntur. Et sane qui ita Iudæorum populo Psalmum applicãt, nõ omnino præter authoritatẽ loquũtur: quandoquidẽ & Paulus Apostolus cap. 3. Epistolæ ad Romanos, ad idẽ fere propositũ aliquot eius versus adducit, iuxta translationem. 70. interpretum, ad declarandum ꝙ Iudæi Christi aduentus non inuenerit innocentes: Scimus (inquit) quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur: vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. In Elucidatione tamẽ generaliorẽ amplectimur sentẽtiã, in vniuersum omnibus impijs (in quibus nõ est timor Dei) Psalmi processum aptãtes: quod dũ facimus, priorẽ sententiã nequaquã excludimus, neque Pauli citationem repellimus, sed vt particulare in vniuersali potius includimus. Et conuenientius putamus quod dicitur, Non est Deus, intelligi absolute, absque subauditione suppositi. Hoc enim dicunt in cordibus suis impij, quoniam hoc sibi persuadent, & hoc sentiunt, sic viuẽtes, sic agentes atque loquentes, tanquã si id credãt, habeantque persuasum, videlicet non esse Deũ qui res curet humanas, aut actiones hominum sit iudicaturus: ex quorum persona in Iob dicitur, Circa cardines cæli perambulat, nec nostra cõsiderat. Huic autem sentẽtię aperte satis cõsonat Chal. Paraph. habens in hũc modũ: Non est potestas Dei in terra. ¶ Versu 2. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, &c. Nota pulchrũ ordinẽ versus huius ad præcedentẽ. Dixerat enim impios existimare nõ esse Deum. Nunc verò euestigio subsequitur, Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis. Recta enim horũ adinuicem cõsequutio est. Est enim fides ac timor Dei retinaculũ quoddã & salutare vinculũ, quo arcetur homo ac prohibetur à cõmissione malorũ: quemadmodum pulchrè Sapiẽs attestatur dicens, Per timorem declinat omnis à malo. Et qui sine timore est, non poterit iustificari. Et Psalmo 110. Initium sapiẽtiæ timor Domini. Cui etiã astipulatur quod in lib. Boëtij de cõsolatu Philosophico, sacra philosophia eruditionẽ suam claudens, ait in hęc verba, Magna vobis est (si dis-

Iob 22.

Prou. 15. Eccles. 1. Psal. 110.

(si dissimulare non vultis) necessitas indicta probitatis, cùm ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. Iuxta hanc itaq; sententiã, qui Deum habet ante oculos, qui credit in corde suo esse Deũ (vt vere credi debet) qui singula hominum opera, cogitatus quoque, affectiones, & intima omnia conspiciat, qui & cuncta suo tempore adducturus est in iudicium: quomodo non magnum habet retinaculum quo prohibeatur à committenda iniquitate? E contrario autem qui prædictæ veritati cõtrariam sibi induerũt existimationem, erroneamque persuasionẽ, fiunt quasi equus indomitus, fræno abiecto insaniens, & in omne peccatum absq; retinaculo ruunt præcipites. De cuiusmodi Apostolus scribit, quòd desperãtes (id est, fidem & spem Dei non habentes) tradiderunt semetipsos impuritiæ, in operationem omnis immũditiæ. Atque ita ex vna hac falsa persuasione cõsequitur statim perfecta corruptio, & fœditas multiplex omnis generis peccatorum, propter quæ abominabilis fit homo Deo. Quemadmodum enim sal in carne à corruptione eam præseruat, atque fœtore: ipso verò pereunte aut deficiente, caro mox corruptionem patitur, atq; consequentem fœtorem: ita fides ac timor Dei vbi adfuerit, præseruat à corruptione animam, & gratam facit acceptabilemque Deo: vbi verò defuerit, mox corruptio & fœditas consequitur peccatorum, fitque anima odibilis & abominabilis Deo. ¶ Versũ tertio, Dominus de cælo prospexit super filios hominum. More humano loquitur propheta de Deo, quasi speculatorem in alta specula positum fingens, qui desuper prospiciat super actus hominum: quomodo in alio rursum loco dicit, De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. Et iterum, Prospexit Dominus de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit: vt audiret gemitus cõpeditorum, vt solueret filios interemptorum. Proprie enim prospicere, quasi ex eminenti loco, & alonge aspicere est. Quod autẽ dicitur hoc in loco, Dominus prospexit, vt videat si est intelligens, nõ aliud est, q̃ prospexit videns, aut videndo ad actus hominum, an videlicet ipsum cognoscerent & requirerent, an non. Ista enim nunc diligenter cõsiderat, vt suo tẽpore fideliter pro meritis cuique retribuat. ¶ Versu quarto, Omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt. Qui à Deo declinat, inutilis est: quoniam fructum bonum (ad quem proferendum conditus est) facere non potest. Illud enim dicimus inutile, quod non seruit vsui ad quem factum est. Hinc apud Sapientem dicitur, Homo apostata, vir inutilis. Quicunque enim à Deo se separat, fit inutilis. Vtilis autem homo est, quisquis in Deo manet, quoniam seruit gloriæ Dei, ad quam conditus est. Iuxta quã sententiam Apostolus dicit quosdam esse vasa in honorem sanctificata, & vtilia Domino, ad omne opus bonũ parata. Nemo tamẽ sic est ex se Deo inutilis, quin Deus illum nouerit sibi facere vtilem: si non ad glorificandam misericordiam & bonitatem, certe ad demonstrandã potentiæ atq; iustitiæ magnificentiam. docet enim nos sanctus Apostolus esse vasa iræ apta in interitum, in quibus ostendere velit Deus iram, & notam facere potentiam suam. Et alio in loco docet in magna domo etiam fictilia vasa & terrea suum locum & vsum habere. Vnde docemur neminem (quantum ad Deum attinet) posse fieri inutilem, ita vt nulli vsui ipse eum valeat aptare: tametsi ex se homo peruersus ad omne bonũ sit inutilis. Et secundum hanc inutilitatem posteriorem intelligi debet potissimũ quod dicitur: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Huic autẽ consonat quod in Euãgelio Ioannis, ex ore saluatoris, discipulis dicitur: Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes nõ potest facere fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me mãseritis. Et siquis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Quod enim in proposito Psalmi versu declinare dicitur, hoc in verbo isto Saluatoris est, nõ in Christo & Deo permanere. inutilem autẽ fieri est fructum nõ posse ferre, & proinde ignibus tradi. Quẽadmodum autẽ palmes qui in vite non manserit, licet ad fructum natiuitatis faciendũ sit inutilis, est tamen aptus adhuc combustioni, & igni nutriendo vtilis: sic & homo postquam declinauit, & à Deo separatus est, licet ad faciendum fructũ vitæ & operationis bonæ sit factus inutilis: manet tamen aptus siue vtilis (vt ita dicã) Deo, ad escam ignis, quem præparauit diabolo & angelis eius. Vnde in parabola, malos homines Christus zizaniæ, Ioannes autem paleæ comparat: quę licet non sit vtilis, vt congregetur in horreum, apta tamen est, vt proiiciatur in caminum. ¶ Versu eodem, Vsque ad vnum intelligunt quidã vsq; ad Christum: quoniam videlicet ipse solus per se bonus est, & quoniam absque eo nemo boni quicquam potest facere. Conuenientior tamẽ videtur altera expositio, quam in Elucidatione solam explicauimus, vt illud, vsque ad vnũ, valeat, ne vnus quidem: sitq; sensus, Non est qui faciat bonum, ne vnus quidem. Sic enim loqui solemus, cùm vniuersitatem, vel maximam partem volumus significare. Atque in hanc sententiam videmus beatum Paulum in Epistola ad Romanos præsentem Psalmi locum intellexisse, & in testimonium citasse, cùm tertio capite eius Epistolæ allegaturus præsentem locum ita scribit, Causati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse: sicut scriptũ est, Quia non est iustus quisquam: non est intelligens aut requirens Deum, &c. Vbi Græce habetur, οὐκ ἔστι ἕνὸς ἕως ἑνός: hoc est (ad verbum reddẽdo) Non est iustus, ne vnus quidem. Quod cùm in Psalmo expressum non habeatur, satis apparet, illud quod in sequentibus ex Psalmo adducit ἕως ἑνὸς, id est vsque ad vnum, accepisse pro ἑνὸς τίς, hoc est, neque vnus, vel ne vnus. Ad idem facit & Hebraica lectio, quæ habet, Non etiam vnus: hoc est (suppleto verbo) Nõ est etiam vnus: aut, Non est vel vnus, quomodo ex Hebræo interpretes vertunt. Quòd siquis roget, quonam pacto hæc lectio habere possit veritatem, cùm verisimile videatur in omnibus generationibus Deum semper electos suos habere & habuisse, quos ipse ab iniquitate saluat, quemadmodum Paulus Apostolus ait, Cognouit Dominus qui sunt eius. In illis quoque pessimis maleficæ Iezabelis temporibus, cùm omnia plena essent pollutionibus, responsum nouimus querulanti Heliæ, septem milia virorum relicta esse, qui nun-

Eccle.12.
Ephes.4.
Psal.11.
Psal.101.
Prou.6.
2.Tim.2.
Roma.9.
2.Tim.2.
Ioan.15.
Matth.25.
Matth.13.
Matth.3.
Ioan.15.
Rom.3.
2.Tim.2.
3.Reg.19.

nunquã genu curuassent Baal, cùm ille se solum existimaret relictum cultorem Dei. Imò & in nouissima Antichristi persequutione, qualis nõ fuit, neq; erit, ex Euãgelica narratione didicimus seruandos adhuc electos, quos diuina bonitas non patietur seduci à veritate. Quomodo ergo (quæret aliquis) Propheta hic pronunciat, non esse ne vnum quidẽ qui operetur bonũ? Aut quod tempus respicit ille, dũ hæc pronunciat? Huic quæstioni facile respõdetur, primũ quidem, si hyperbolico tropo vsum dicamus Psalmistam, qui Prophetis admodũ frequens & familiaris esse solet: quo modo & illud Hieremiæ accipiendum est, A minimo vsque ad maximũ omnes auaritiæ student. Et illud Pauli, Omnes quæ sua sunt quærũt: aliaque his similia permulta, quæ in scripturis passim sunt obuia. Et iuxta hanc sententiã procedit Elucidatio. Posset nihilominus hic locus & alter excusari, secundum illud quod in alio Psalmo positus in extasi sua idẽ hic Propheta exclamat, dicẽs, Omnis homo mẽdax. Videtur enim hoc vniuersaliter (vt probatum est) absq; tropo intelligendum. Omnis enim homo, quãtum ex sese, vanus est, mẽdax, & instabilis, & ad peccati vanitatem pronus, atq; à viciata origine, ex ingenita mala cõcupiscentia, ad malum procliuis. Atque ita non est ne vnus quidem, qui ex sese quicquã operis vere boni. Deoq; placiti possit peragere, absque speciali Dei Saluatoris auxilio. Ait enim ipse, Sine me nihil potestis facere. Atque ita corruptio ista partim ad originale peccatum refertur, quo vniuersi eramus inquinati & abominabiles facti, donec veniret salutare Dei nostri, quòd de captiuitate sumus redẽpti ad gaudiũ filiorũ Dei. Sed & tertiò dicere licebit absq; incõmodo, quòd non de bonorũ numero hic loquatur, sed tantũ de insipientibus illis, de quibus primo statim versu sermonem proponit: qui omnes à maximo vsq; ad minimum in studijs suis corrupti, nesciunt neq; volunt bene agere. ¶ Versu septimo, Cõtritio & infœlicitas in vijs eorum. Quòd in vijs impiorum sit cõtritio & infœlicitas, id Esaias secundum eandẽ sententiam testatur capite suæ Prophetiæ quinquagesimonono his verbis, Opera eorũ, opera inutilia: & opus iniquitatis in manibus eorũ. Pedes eorum ad malũ currũt, & festinãt vt effundant sanguinẽ innocentẽ. Cogitationes eorũ cogitationes inutiles. Vastitas & cõtritio in vijs eorum. Viam pacis nescierunt, & non est iudiciũ in gressibus eorum. Imò & ipsi impij in libro qui Sapientia inscribitur, perhibẽt de sua cõtritione testimoniũ dicentes. Errauimus à via veritatis, lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autẽ Domini ignorauimus. Ac post pauca, In malignitate nostra consumpti sumus. Contritio autẽ hæc & infœlicitas impiorũ accipi potest, vel illa æternæ mortis dãnatio quæ in vijs impiorum est: quoniam per eas ad illam recta pergunt, quam & inuenient postquam cursum sui itineris perambulauerint. Aut illa quam in hoc tempore, ex tormento malæ conscientiæ & inquietudine animi, nõnunquã etiã ex multis corporis fortunæq; aduersitatibus perpetiuntur ob impietates suas. Vere enim nõ minima cõtritio est, neque minima infœlicitas, perpetuam illam cõscientiæ malæ carnificinam perpeti, libidinosis cogitationibus atq; affectionibus iugiter torqueri, curis seculi & solicitudinibus vitæ huius misere distrahi atq; diuexari: nõ rarò etiã corpus & animã pro suis cõsequendis siue adimplendis desiderijs, maximis exponere periculis, summoque obiectare discrimini: nonnunquã etiam corporis omne robur & temporalẽ vitam cõsumendo in adimpletione carnaliũ desideriorum: quemadmodũ ebriosi homines atque luxuriosi faciunt, qui nimio potu, nimiaq; venere semetipsos enecãt, viribusque exhauriunt, sicque sibi mortẽ ante tempus accersunt, sui crudeles interfectores: plerique etiam causa sibi sunt aut occasio, vt vel gladio vel veneno aliisue insidijs ante tẽpus pereãt. Itaque etiã de temporali cõtritione & infœlicitate verum est quòd inueniatur in vijs ac studijs impiorum: tametsi de æterna illa potissimum sermo videatur haberi. Est enim ista nunc præsentium afflictio & infœlicitas, prænuntia eius quæ ventura est absque mensura & numero infinitæ tribulationis atque miseriæ, de qua Apostolus Romanis loquitur, dicens, Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. ¶ Versu eodem, Et viam pacis non cognouerunt. De via pacis nemo ambigit quin ipsa sit via iustitiæ. Hanc enim qui ambulant, veram pacem habent ac sentiunt: non qualem mundus dat, sed quam Christus suis reliquit discipulis, dicens, Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis. Et iterum, In me pacem habebitis. Ac rursum, Inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meũ suaue est, & onus meũ leue. Hanc autem viam iustitiæ non cognouerunt impij, quoniam non intelligunt quàm dulce sit huiusmodi viã perambulare. Existimant enim duram eam esse ac nimium difficilem, cùm reuerà nihil sit iucundius quàm ambulare, imò & currere in vijs Domini. Non etiã cognouerunt viam pacis, quoniã illam noluerunt intelligere, noluerunt sectari vt eam acceptarent perambulandam: sed præelegerunt vias impietatis. Forsitan autẽ nec hoc mysterio vacat, quòd via pacis singulariter dicitur, viæ autẽ impiorũ numero plurali: Semita enim iustorum vna est & recta, quę deflexionẽ nõ patitur, neque ad dexteram neque ad sinistram, vt quomodocunque deflexerit quis in partem alterã, mox desinat ambulare viã rectam. Cæterùm, impiorũ viæ admodũ variæ & intricatæ sunt: quemadmodũ in corporalibus vijs non nisi vna est via recta, sed multa sunt deuia. In verbis autem Sapientiæ suprapositis, sub vtroque numero dicitur, primum singulari, deinde plurali: Lassati sumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles. Quasi enim vna est iniquitatis via, propter vnum exitium quo tendunt omnes qui operantur malum. Vnus enim omnium finis, interitus, & perditio est: Viæ autem multæ, propter magnam peccatorum abinuicem differentiam. ¶ Versu octauo, Nónne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem? Modus loquendi iste per interrogationem, interdum ad amaram & scueram increpationem pertinet. Quemadmodum cùm in cantico Moysi serui Dei, ex persona Domini dicitur, Nónne condita sunt hæc apud me, & signata in thesauris meis? Quasi diceret, Vtique condita sunt & signata. Ita in proposito loco firmissime assertoria responsio sub-

Matt.24. Ibidem.
Hiere.6. Philip.2.
Psal.115.
Ioan.15.
Esaię 59.
Sapien.5.
Rom.2.
Ioan.14. Ioan.16. Matth.11.
Sapien.5.
Deut.32.

Deut.32. audienda est,tanquam si dicat, Vtique cognoscent suo tempore qui nunc operantur iniquitatem. E
Quoniam autem nihil additur post verbum cognoscent, neque determinatur quid sint cognituri operarij iniquitatis: ideirco necesse est aliquid supplere,quòd sit sententiæ & loco conueniens.Potest enim intelligi cognituros Deum iudicem aut vindicem malorum nunc perpetratorum, quem
Psal.9. nunc abnegant, dicentes (iuxta Psalmi initium)Non est Deus. Cui consonat quod suprà Psalmo nono dictum fuit,Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Poterit & aliter intelligi, Cognoscent impij quid egerint, aut cognoscent vindictam quam nunc promeruerunt suis malis actibus, aut quid expectare debeant, quidue eis sit euenturum in nouissimo.Neque enim consuetum est, cùm penam prædicere volumus, illam silentio premere. Cæterum,illud,deuorare pauperem vt cibum panis, quod nos in Elucidatione retulimus ad æstimationem potentum, qui pro nihilo reputant pauperes deuorare,neque amplius commouentur, quàm si panem cibarium manducarent, intelligi etiam posset secundum hoc, quòd diuites & potentes de rapinis pauperum viuunt & pascuntur, quemadmodum homo pascitur pane. Rapinæ enim & deprædationes pauperum, victus sunt diuitum,imò triumphus & gloria potentum.Alij præsentem locum sic intelligunt, quoniam quotidie oppressioni pauperum potentes insistunt, quemadmodum quotidie panem manducant. ¶Versu nono, Dominum non inuocauerunt,illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.Nihil mirum, vbi conscientia perturbata est & peruersum iudicium,si etiam timor suum non habeat ordinem,vt F
illud metuant quod metuendum non sit, econtrario aut timor desit, vbi timendum foret. Timor enim iudicium sequitur:propter quod etiam aliter sensus timet, aliter intellectualis affectus siue voluntas.Cùm igitur in impijs obstinatis penitus sit peruersum iudicium,adeò vt (iuxta verbum Prophetæ) dicant bonum malum,& malum bonum, tenebras lucem, & lucem tenebras: fit, vt ibi timeant,vbi vere timendum non est,& econtrario.Timent enim ea quæ secundum veritatem potius
Esaiæ 5. speranda sunt & concupiscenda:ea verò quæ timenda sunt, hæc concupiscunt,ad hæc spe & desiderio anhelant,quantum valent.Paupertatem namque,egestatem,defectum,humiliationem,infirmitatem,dolorem,afflictionem,aduersitatem quamlibet corporalem,mortem, & huiusmodi,summe horrent,& execrantur. Honores autem,pompas, delicias,corpus bene curatum, & bene validum, omnimodam prosperitatem,diuitias, & huiusmodi, velut summa quædam admirantur, & vehementissime ista concupiscunt ac deamant:& si forte in his periclitantur, ibi summe metuunt,quasi summis bonis sint priuandi.Cur ista?Quia peruerse iudicãt. Quare peruerse iudicant?Audi Apo-
Titum 1. stolum: Quoniam inquinatæ sunt illorum mens & conscientia, quoniam mente corrupti sunt, & ad omne opus bonum reprobi.Econtrario autem, vbi conscientia bona est, adest quoque bonum iudicium. Bonum autem iudicium facit, vt quæ vere timenda sunt timeamus, & quæ optanda optemus:& sic timeamus sicut mala sunt,sic optemus sicut bona sunt: vt ea quæ per se bona sunt, per G
se optemus, nempe virtutum opera & spiritualia bona: quæ autem tantum adminiculatorie bona sunt(quatenus scilicet bene vti illis plerunque solent homines iusti, & per ea proficere)hæc optemus propter virtutem & profectum spiritus, cuiusmodi est mediocris sanctarum scripturarum co-
Prou.30. gnitio,quæ sunt victui necessaria(vt postulat Sapiens) & si quæ sunt similia ad pietatem conducentia. Sic ea quæ per se mala sunt, per se timeamus,separationem à Deo, damnationem æternam, & vitia omnia,atque concupiscentias malas:quæ autem sic mala sunt,quia plerunque illis male vti solent homines,& in eis deficere sæpius videntur,quàm proficere(cuiusmodi sunt honores, pompæ, magnæ diuitiæ,atque delicię,supereminens seculi literatura, & huiusmodi) hęc non immerito pijs mentibus sunt propter periculum mali annexi metuẽda. Et profecto non omnino sanum habet iu-
Eccles.1. dicium,seque de stultorum numero esse comprobat (quem ait Ecclesiastes esse infinitum) qui pro huiusmodi non formidat in quibus tam plurimos deficere, imò deperire videt. ¶Versu decimo, Consiliũm inopis confudistis.Inopem istum quidam intelligunt singulariter Christum Dominum, cuius consilium confundentes siue respuentes Iudæi (contra quos etiam totum psalmum nonnulli proferunt)seipsum in metum malum coniecerunt. Timuerunt enim locum & gentem perdere, si huius inopis consilium admisissent. Si dimittimus eum sic(inquiunt)omnes credent in eum, & ve-
Ioan.11. nient Romani,& tollent nostrum locum & gentem.Nos autem qui psalmum generali expositione H
ad impiorum,maxime obstinatorum, vniuersitatem referimus,partem istam generaliter idem maluimus explicare. Consonatque huic generali expositioni Paraph. Chal.habens numero plurali, Consilium pauperum quod cogitant,in vobis vituperastis, quoniam posuerunt in Deo spem suam. ¶Versu vltimo, Cùm auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ. Captiuitas duplex potest intelligi.Altera,peccati & mortis æternæ,sub qua detinebatur genus humanum ante Christi aduentum: altera verò exilij & peregrinationis, in vita præsenti. A priore iam liberatum est humanum genus per Christi primum aduentum in mundum. A posteriore verò expectamus liberationem, cùm ex hoc incolatu ad libertatem illam gloriæ filiorum Dei pertingemus,à qua modo in hac valle lachrymarum exulamus.Secundum duplicem autem hanc captiuitatem, duplicemque liberationem, geminam in Elucidatione expressimus intelligentiam.Notandum autem,quòd dicit,in auersione captiuitatis à populo Dei,Iacob & Israel habituros lætitiam : Esau enim, & ijs qui ex parte eius sunt (id est, incredulis & peruersis) non est pars in Domino, neque in gaudio salutis eius. Cùm enim
1.Tim.2. (quantum ex se) saluator omnium sit Deus, cupiens omnes saluos fieri, & ad salutem per veritatis agnitionem peruenire:ipsi tamen recusant gratis allatam suscipere, ac per infidelitatem atque malitiam seipsos faciant ab ea alienos. Sunt enim proprio suo iudicio (vt de hæreticis inquit Apo-
Titum 3. stolus) condemnati.

A

XIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

CONsiderat Propheta in hoc Psalmo & tractat, qui modo veri ciues domus Dei, quæ est in Ecclesia, & qui ingressuri sint in requiem cælestem: idq; facit per interrogationem ad Deum cui per subsequentes versus omnes à primo adhibetur responsio accipienda vel quasi à Deo, vel quasi à Propheta sibijpsi ad interrogationem propositam respondente: id quod ad affectus commotionem facere nonnunquam homines solent. In responsione autem hac illud notandum videtur,quòd primò ea quæ generaliora sunt,nempe declinari à malo,& facere bonum,proponuntur. Deinde verò sequentibus versibus ad particularia descenditur specialius. 1.Tim.3.

DECIMI QVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?*
** aut quis requiescet in*
monte sancto tuo?
B
2 *Qui ingreditur sine macula,& operatur iustitiam.*

3 *Qui loquitur veritatem in corde suo:*

** qui non egit dolum in lingua sua.*
4 *Nec fecit proximo suo malum:*
C
** & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.*
5 *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus:*
** timentes autem dominum glorificat.*
6 *Qui iurat proximo suo, & non decipit:*
D ** qui pecuniam suam non dedit ad vsuram:*
** & munera super innocentes non accepit:*
7 *Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.*

DOmine Deus mecum ipse perpendere cupio, & velut te docẽte addiscere,quinã sint illi qui tecũ habitabũt, modo in Ecclesia ista(quę est veluti militantiũ tabernaculum,tanquã veri serui tui,& veri incolę illius:*& qui deinde requie tua sempiterna tecũ perfruentur in Ecclesia illa sublimi triumphante, in qua tu quasi in mõte immobili & firmissimo habitaculo inhabitas. 2. Cõsidero autẽ & comperio,nõ omnes absq; discretione ex illorũ foro numero, sed eos tantũ qui nũc in corpore isto sine peccati macula vitã ducere fata gunt semperq; à malo declinantes, id quod bonum ac iustum est sedulo perficiunt,& omne virtutis opus sectantur studiosẽ.In his enim duobus,nempe in recedendo à malo, & sectãdo bonũ,perfecta iustitia est. 3. Qui in corde suo loquuntur veritatem,ea animo voluentes, proponentes,atq; desiderantes quę vera sunt,quæ recta, quę vtilia,& in vniuersum quęcunq; ad veritatem siue virtutem spectant,non autẽ praua aut inutilia aut noxia:*qui per linguas suas dolosum ac fraudulentum nihil contra proximos loquuntur, quos eos circũuenire aut decipere conentur:sed lingua sunt, quemadmodum & corde, veraces. 4. Qui denique opere exteriori malũ nullũ intulerunt proximis, neque iniustitiã,neque fraudẽ,neq; damnũ,neq; aliud quodlibet malum:sed omnia agunt in veritate atque synceritate,facientes hominibus quicquid sibi vellẽt fieri:& quod sibi fieri nollent,in alios nõ exercentes.In tribus autem his,nempe in veritate cordis,oris,& operis, tota iustitia est:*qui deinde opprobrio aut contemptu non affecerũt proximos suos,eos despicientes, atque etiam opprobria ab alijs illata proximis non acceptauerunt,non æquo tulerunt animo,neque eisdem præbuere consensum:sed potius(quantum in ipsis fuit) auertere & impedire huiuscemodi conati fuerunt.5.Qui insuper homines malignos non magnificauerunt, non laudauerunt, non fouerunt in sua malitia per adulationem,sed magis (quantum in ipsis fuit) humiliare eos,& ad nihilum deducere studuerunt:eorum conatibus malis constanter & viriliter amore iustitiæ resistendo : eos autem qui diligunt Dominum, magni æstimauerunt:in precio habuerunt, & honore affecerunt debito,eorum pijs studiis amorem,honorem,& auxiliũ pro sua cõditione impendentes. 6 Qui deniq; si quando (vel necessitate cõpellente, vel vtilitate suadente) proximo suo quicquam iuramento addixerint,nõ decipiunt, neque fraudant eum cui factum est iuramentũ,sed firmissima fide adimplent:similiter & si promisso aut voto quicquã fuerint polliciti, nõ fraudant eum cui vel votum vel promissio facta est:*qui pecuniam insuper non mutuo dederunt ad accipiendum inde lucrum vsurarium illicitum:* qui munera nõ acceptauerunt aduersus innocẽtes,vt pro muneribus peruerterent iudicium, aut contra eos iudicarent quibus causa est per se iusta. 7. Qui hæc & quę in eis includũtur omnia obseruauerint, ex eis nõ transgredientes neque omittentes,hi demũ digni mihi videtur,quos in ęternã requiẽ tu potentissime Deus dignãter assumas:quò nulla vnquã ventura est cõturbatio,nulla cõmotio,sed sempiterna erit securitas, & trãquillitas,ac stabilitas semper duratura. In quam nos quoque pauperes seruos tuos,per prænarratam iustitiæ viam,propter nomen sanctum tuũ perducere digneris,qui viuis & regnas Deus per immẽsa secula.Ame.

ANNOTATIONES IN PSALMVM DECIMVMQVARTVM.

VErsu primo, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? In priori parte, per tabernaculum Dei,Ecclesiam militantem intelligimus: quoniã tabernaculum ad militantes & peregrinãtes pertinet.Vita autem ista, & malitia & peregrinatio est. Militia enim (vt ait sanctus Iob)est vita ho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iob 7. minis super terram. De peregrinatione autem alio in loco dicit Psalm. Aduena ego sum apud te & E
Psalm.38. peregrinus, sicut omnes patres mei. Et ad Hebræos scribit Apostolus, quòd aduenas & peregrinos
Heb.11. sese confitebantur sancti Patriarchæ super terram. Recte ergo Ecclesia ista, in qua vt militantes &
peregrinantes demoramur, tabernaculum dici potest, & merito debet. De quo taberuaculo in Apo-
Apoc.21. calypsi dicitur Ioannis, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Pro tabernaculo autem ex Hebræo
vertit Hieronymus tentorium, similiter & Felix. Domine (inquiunt) quis peregrinabitur aut demo-
rabitur in tentorio tuo? quod aperte prædictæ astipulatur interpretationi. Peregrinabitur autem,
loco habitabit, etiam translatio habet illa qua Augustinus vtitur. Mons autem iste intelligitur Ec-
clesia, in supernis gloriose triumphans: quæ quamobrem mons sanctus dicatur, iam antè Psalmo
tertio dictum est. Illa ergo hoc in loco inter tabernaculum, siue tentorium, & mõtem sanctum Dei
differentia est, quòd illic peregrinamur, in laboribus videlicet & miserijs multis vitam degentes
Apoc.14. pauperculam: hic verò requiescimus, ab omnibus laboribus & afflictionibus liberi. Sic enim in
Apocalypsi legimus, Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. ¶Versu tertio, Qui
loquitur veritatem in corde suo, &c. Docuit aliquando sanctus homo Dei, ac paupertatis altissi-
mæ dispensator diuus Franciscus, illum esse fidelem domini seruum, qui cogitat quæ domini sui
sunt, qui loquitur quę domini sui sunt, itéque operatur quæ sunt domini. Hæc tria pulchro satis or-
dine, in hoc versu simul & initio sequentis, pariter iuncta conspicimus. Nam loqui in corde ve- F
Psal.30. ritatem, perinde est atque loqui quæ Dei sunt: quoniam dominus ipse est Deus veritatis. Non fa-
Ioan.14. cere autem dolum in lingua, est non loqui quæ contra Deum sunt. Ipse enim omnis fraudis est osor.
Psalm.5. Nam virum sanguinum pariter & dolosum abominabitur dominus. Non facere autem proximo
malum, spectat ad operationem boni. Neque enim ista sic mere negatiue, vt sonant, accipienda sunt:
sed sub negatione contraria affirmatio intelligenda venit. Vt cùm dicitur, Non egit dolum in lin-
gua sua: intelligitur, sed iustitiam & æquitatem loquitur cum proximis suis. Et iterum: Nec fecit
proximo suo malum: intelligitur, sed fecit quod bonum, æquum, & iustum est, quod in Elucidatio-
ne etiam indicauimus. ¶Versu quarto, Et opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Se-
cunda pars huius versus specialiter posset de detractione intelligi, vt ille dicatur accipere oppro-
brium aduersus proximum suum, qui detractionem audit & sustinet siue acceptat, audiensque ar-
ridet & applaudit, cùm magis debuerit obsistere. Melius tamen generaliter puto accipiendum, vt
intelligatur de quolibet contemptu, & qualibet contumelia: sic tamen, vt etiam detractio includa-
tur. Nam & ipsa opprobrium aliquod semper adfert illi, aduersus quem profertur. Sicque aduersus
alterum accipit opprobrium, qui contemptum aliquẽ videt irrogari, siue in præsentem, siue in ab-
sentem, aut quamlibet iniuriam, vilipensionem, aut oppressionem, quã acceptat, in qua oblectatur,
imò quam sustinet, cùm posset prohibere vel impedire, atque etiã deberet pro sua virili. Habet au- G
tem hoc loco aliquanto clarius & plenius versio Hieronymi ex Hebræo, in hunc modum: Non su-
stinuit opprobrium super vicino suo. Felix, Opprobrium non tulit aduersus proximũ suum. Neq;
dissonant ista à nostra vel lectione vel interpretatione. ¶Versu quinto, Ad nihilum deductus est
in conspectu eius malignus. Totum istud, ad nihilum deductus est, Græce vno vocabulo dicitur
ἐξουδένωται: quod vno verbo correspondenter dici posset Latine, annihilatur, hoc est, nihil fit & nihili
penditur. Vnde beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, Despicitur in oculis eius improbus. Felix au-
tem vertit. Neglectus in oculis suis abominabilis: quod eandem quidem sententiam, sed obscurius
continet. Est enim sententia, hominem impium & detestabilem in oculis iusti esse neglectũ, & nul-
lius precij habitum, nihilique reputatum. ¶Versu sexto, Qui iurat proximo, & non decipit. Non
ita hoc est intelligedum, quasi ad iustitiam pertineat, aut Deo hominem gratum faciat actus iurãdi:
sed tantum ad significandum iuramentum (cùm ipsum fieri contigerit) debere esse syncerum, fir-
mumque, & minime fallax ac deceptoriũ. Tantundemque valet, Qui iurat & nõ decipit: atq; illud,
Qui iurás vel cũ iurat, vel si iurat, nõ decipit. Est autem hæc loquutio satis vicina illi qua dicitur in
Psalm.4. Psal. quarto, Irascimini, & nolite peccare, secundum quorũdam expositionẽ suo loco suprapositam,
qui sic intelligunt, Si irascimini, vel irasci contingat, nolite peccare. Vnde quemadmodum ex illo
passu, secundum hanc expositionem, non probatur iram spectare ad virtutem, sed tantum iræ tem- H
perationem & refrænationem: ita neque ex hoc loco probari potest iuramentum ad virtutem spe-
ctare, sed tantum fidelitatem in iuramenti obseruatione. ¶Versu eodem, Qui pecuniam suam non
dedit ad vsuram. Dare ad vsuram cùm in sermone generaliter ponitur, absque particula alteram in-
dicante significationem, indifferenter respicit vel illum qui accipit sub obligatione fœnoris, vt vi-
delicet lucrum debeat polliceri sibi mutuanti: vel illum qui lucrum acceptat & spectat ex mutuo
quod præbet alteri. Manifestum autem est, quòd hoc loco non nisi secundo modo accipiatur, cùm
dicitur, Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Quod primum quidem patet ex accusatiuo pe-
cuniam, adiecto. Is enim indicat significationem secundam. Non enim solent homines accipientes
à creditoribus mutuum, dare pecuniam sub obligatione fœnoris, sed magis accipere. Deinde sen-
tentiæ veritas idipsum demonstrat. Neque enim hoc aduersatur virtuti, primo modo dare ad vsurã.
Potest enim fieri, vt graui egestate quis oppressus mérito debeat ad vsuram confugere, quasi reme-
dium opportunum suæ necessitati. ¶Versu vltimo, Non mouebitur in æternum. Præter expositio-
nem in Elucidatione monstratam, posset conuenienter intelligi ad hũc modum, Non cadet in æter-
num, neque priuabitur, neque separabitur à cœtu filiorum Dei. Cui consonat quod ex Hebræo ver-
tit Felix, Non elabetur in seculum: à fœlicitate scilicet æterna, à monte sancto, de quo in principio
propositum fuit; sed recta illud pertinget, illicque permanebit.

XV. PSAL-

A

XV. PSALMI ARGVMENTVM.

ORatio Christi est Psalmus iste, pro se ac suis membris ad patrem clamantis, sibiq; ac suis ab eodem patre præstita beneficia commemorantis. Initio enim Psalmi, patris implorans custodiam, mox quemadmodum omne eius desiderium in sanctis pater impleuerit, narrare incipit, & quomodo per ingraescentiam atq; inualescentiam iniquitatum, multorum ad se filiorum facta sit conuersio: quos se dicit nõ ad gentilium aut Iudaicorum rituum obseruantiam conuocasse, vtpote quos ad cultum nouæ legis Euangelicæ aduocauerit. Deinde à versu quinto, Deum patrem gloriatur filius se suosq; habere in hæreditatem: in qua vt supra modum præclara, mirifice sibi complacet, etiam ad noctem vsque benedicens Deum, quem in cõspectu suo prospicit semper, semperq; à dextris sibi assistentem, & paratum in auxilium: qui morte solutum filium custodiuit, vt nec anima in infernum descenderet, neque caro experiretur putrefactionem: sed in vitam ipsum resuscitauit immortalẽ, ac glorificatum sublimauit in dextera sua, vbi omnium est delectationum plenitudo.

DECIMI QVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Conserua me domine,*
B *quoniam speraui in te:*
* *dixi domino, Deus meus es tu:*
* *quoniam bonorum meorum non eges.*

2 *Sanctis qui sunt in terra eius:* * *mirificauit omnes voluntates meas in eis.*

C

3 *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:*

* *postea acceleraue-runt.*

D 4 *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus:*

* *nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

5 *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei:*

CVstodi pater me filium tuum, mihique credentes, & mea membra, à morte & omni malo conserua: quoniã in te est spes atque fiducia mea, atque item eorum qui in me credunt: *dixi tibi, ô pater (qui meus es secundum humanitatis infirmitatem dominus) & in oratione confessus sum quòd Deus meus sis, me se- Ioan.17.
cundum humanitatem superior & maior: * te (inquam) domine & pater oro vt me conserues, quoniam tu nullo bono nostro indiges, aut opus habes, sed ego & mei, tuorum bonorum egemus, & à te accipere omnia vere bona debemus, atque à te omnia expectare: cùm ipse vicissim à me vel ab alio quoquã omnino nihil debeas expectare aut etiã susc ipere valeas. 2 Iccirco autem fidenter te pater inuoco, quoniã benignũ te & facilẽ agnosco erga omnes te inuocantes. Nam quantũ ad sanctos & fideles qui sunt in terra tua, in hoc mũdo, quem creasti, in Ecclesia quã fundasti: * quãtũ ad hos, siue erga hos, & in eis, siue de eis, tu mirabiliter fecisti, & mirifice impleuisti omnes volũtates meas, id est, quęcũq; de eis fieri volebã, optabã, desiderabã, omnia mirabili bonitate ac misericordia tua implesti, optime pater, de eis. Volebã enim credentes in me à peccatis fieri saluos, à morte & dãnatione liberari, filios Dei fieri, diaboli regno esse subtractos, regni cælestis fieri hæredes, spiritu sancto regenerari, atq; alia quę ad electorũ salutem pertinerent: quæ omnia mirabiliter in electis, diuinitatis tuæ potentia, per me filium tuum implesti. 3 Et id quidé magis mirabile, dum attenditur eorũ mira ad me facta cõuersio. Nam postquã eorũ infirmitates atq; miseriæ (tam idololatriæ, q̃ cæterorum errorũ atque vitiorũ, multiplicatæ fuerant, & quasi vsq; ad summum excreuerant, quando totus mũdus hisce miserijs potissimum erat implicitus: * tunc audita veritatis prædicatione, mox ardenti animo veritatem susceperunt, ac reiectis omnibus quibus impliciti fuerant erroribus, ad Deũ viuũ sese festinantes alacri corde conuerterunt: tanto iam ardentius Roma. 3.
atq; libentius veritati adhærentes, quanto se turpius ante vanitatibus attendebãt fuisse inuolutos. Cõclusa enim fuerant omnia sub peccato Roma.11.
in incredulitate, vt agnoscerẽt omnes se peccasse, & egere gloria Dei. Matth.9.
sicque omnes cõsequerentur misericordiã. 4 Et ego (qui veni vocare peccatores ad pœnitentiam) venientes vndecunque ab infirmitatibus suis, benigne colligã: neque tamen eorum cõuenticula aut synagogas aut collectiones cõgregabo de sanguinibus, hoc est, ad immolationẽ sanguinis quorumcunq; animalium, hircorum, aut vitulorũ, aut etiã hominũ (quemadmodum ad huiusmodi, siue propter huiusmodi immolationes faciendas, erant Iudæorum atq; gentilium conuentiones) sed in Ecclesiã nouam, vbi erit sacrificium omnibus & Iudæorum & Gentilium sacrificijs excellentius, congregabo eos. * neq; quales ante cõuersionem fuerint, in idololatrijs atque vitijs suis vltra rememorabor per labia mea, postquam sese ab eiusmodi vanitatibus ad veritatẽ cõuerterint: neq; eis vnquã improperabo quid fuerint, sed erunt coram me priora omnia, in obliuione, proijciamque post tergũ meum Ezech.18.
omnia peccata eorum, & iniquitatum eorum vltra non recordabor. Esaiæ 38.
5. Dominus Deus pater meus, ipse est portio mea hæreditaria, & tota hæreditas mea: & ipse est portio calicis mei, hoc est tota pars mea, simul & eorũ qui credunt mihi, quẽ expecto, quẽ solũ desidero in mercedem & gaudium omnium electorum meorum. Ipse enim cùm sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

tu es qui restitues hereditatem meã mihi.

6 *Funes ceciderunt mihi in præclaris: *etenim hæreditas mea præclara est mihi.*

7 *Benedicam dominum qui tribuit mihi intellectum: *insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.*

8 *Prouidebam dominum in conspectu meo semper: * quoniam à dextris est mihi, ne cõmouear.*

Ioan.16.

9 *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: * insuper & caro mea requiescet in spe.*

Ioan.10.

10 *Quoniam non derelinques animã meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Ioan.13.

11 *Notas mihi feciſti vias vitæ:*

Apoca.1.

** adimplebis me lætitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua vsque in finem.*

1.Cor.15.

omne bonum & perfectissima bonitas, sufficientissima est hereditas, abundeq; ditare potes omnes electos, eosq; plenissime reddere beatos: *tu es ô pater cælestis, qui me meosq; pertingere facies ad hæreditatem meam, id est, ad possessionem cælestis regni, a quo secundum humanitatis formam ego factus fuerã velut extraneus, & à quo mei fideles per peccata fuerant facti alieni. Ad hanc autem hæreditatem per resurrectionis gloriam, & me, & fideles omnes mecum reduces. 6. Funiculi diuisionis mihi in præstantissimis & optimis partibus ceciderunt, hoc est, mihi in partem hæreditariam obuenit, quod est omnium præstãtissimum: *nã hæreditatem meam (quæ est Deus meus, eiusque regni possessio) ego pretiosam atque præclarissimã reputo, præ omnibus quæcũq; sunt in cælo vel in terra: neque quicquam omnium cum hac sorte mea ego arbitror posse comparari. 7 Gaudeant proinde alij in suis sortibus & hæreditatibus quas eligunt: alij quidẽ in diuitijs, alij in honoribus, alij in voluptatibus, alij in alijs: has sibi in hæreditates obtigisse gaudeant. Ego certe, qui noui q̃ sit præclara hereditas mea (quę est possessio summi boni) laudãs ac gratias agẽs, benedicam Deum, qui me meosque instruxit, & intelligere fecit pretium hereditatis huius præstãtissimæ: *insuper & vsque ad noctem in oratione, cõfessione, & gratiarum actione perseueraui, ita vt me increparent, & veluti arguerent vigilias protrahentem, exhausti nimijs vigilijs renes mei, veluti conquerentes subtrahi corpori debitum somnum, sibique cõgruum vigorem, qui nõ somni tempore potissimum comparatur: quemadmodum oculi increpare solent nimium vigilias protrahentes, veluti debitã requiem exposcentes. 8. Neque mirum si in oratione & benedictione ita perstabam, quãdoquidem Deum patrem meum cõspiciebam semper vt præsentem, & quasi ante oculos meos positum, qui nũquam me relinquit solum: *quoniam à dextris mihi semper assistit, veluti paratus in auxilium, ne vnquam veniam in casum vel cõturbationẽ, siue peccati, siue mortis. Diuinitas enim humanitatem nunquam destituit, sed adfuit semper eam custodiens, ne in vllum malum vel peccati vel etiã nocumenti alterius, extra tempus prædefinitum & præordinationem æternã, posset ipsa per fragilitatẽ incidere. 9 Propter hanc autem patris mei iugem præsentiam & indeficientem assistentiã, lætatus sum in spiritu meo, atque etiam exultaui in laude & gratiarum actione per linguam meam, etiam ore benedicendo tam benignissimum patrem meum: *ad hæc cùm venerit tempus dormitionis meæ, vt ponam à meipso paululum animam meam, requiescet etiam tum sine vllo corruptionis periculo corpus meum (ab anima licet separatũ) in spe certa paulo post futuræ resurrectionis suæ, atque cum anima iterãdæ cõiũctionis. 10. Certus enim sum, & præsentia diuinitatis tuę, ô pater (quę semper adest mihi à dextris) nõ derelinquet animam meã in inferno, ad eũ modum quo mali spiritus atque damnati in profundo eius detinentur: neque item in lymbo inferni demorari aut detineri permittet, quemadmodũ patrum priorum spiritus illic vsq; in tẽpus redemptionis cõclusi seruabantur: *neque iterum ex altera parte (nempe ex parte corporis) patieris me filium tuum, quem sanctificasti tibi in vnctione spiritus tui absq; mensura, vllam experiri corruptionẽ siue putrefactionem, quẽadmodum cæterorum mortuorum corpora solet mox post animæ à corpore separationem in putredinẽ resolui. Diuinitas enim in mortis triduo & corpori & animę (quanquã abinuicem separatis) semper manens vnita, vtrũq; inhabitando custodiet, ad faciendam post tridui tempus pręuisam adinuicem reunionem, quæ sicut animam ab inferno, ita corpus reducet à sepulchro. 11. Demonstrasti mihi primo omnium, quali primogenito mortuorum, viam vitæ, reditum videlicet à morte ad vitam, quando me à morte feciſti ad gloriosam vitam resurgere vt essem primitię dormientiũ, & cęteris omnibus in me creditu-ris author fierem resuscitationis ipsorũ: quam sanè viam præter me alius nemo inuenire potuit vnquã: *resuscitatũ verò & ad vitã reuocatũ me Christũ hominem, per glorificationẽ & exaltationẽ plenissime implebis, atq; satiabis immenso gaudio & lętitia ineffabili, in aspectu vultus tui: *eritq; mihi plenissima iucunditas & delectatio sempiterna in exaltatione ad dexteram tuam, in æqualitate gloriæ tuæ, in communicatione & fruitione bonorum omnium, quę in te existunt.

ANNO-

ANNOTATIONES IN PSALMVM DECIMVMQVINTVM.

A VErsu primo, Quoniã bonorum meorum non eges. Nouissima illa coniunctio, quoniã, potest continuari secundum sententiam cum primo verbo, Conserua: iuxta quẽ modum in Elucidatione accipitur, sicq; causalitatis est indicatiua, vt quasi causam assignet filius, ob quàm à patre petat conseruari. Et quanquam causa vera non sit plene expressa, intelligitur tamen vt affirmatio sub negatione, quomodo etiam in annotationibus Psalmi hunc proxime pręcedentis ostendimus. Sub eo enim quod expresse dicitur, Bonorũ meorum non indiges, tacite intelligitur (secundum affirmationem oppositam) sed ego cum meis, bonorũ tuorũ indigemus: quod lectio Hebræa aperte exprimit, habens hoc in loco, Bene non est mihi sine te, vt vertit Sacer Hieronymus. Potest & continuari dictio illa quoniam, cum verbo proximo, dixi: vt causalitatis nota non sit, sed tantum connexionis siue cõtinuationis, ad hunc sensum, Dixi domino, Deus meus es tu, ita vt bonorum meorum nõ indigeas. ¶Versu secundo, Mirificauit omnes voluntates meas in eis. Videtur pronominis repetitio in fine versus aliquantulam incõmoditatem & obscuritatem adferre sermoni: simul & personę mutatio de secunda ad tertiam, cùm tamen tota oratio ad patrem dirigatur. Clarius enim diceretur, In sanctis qui sunt in terra tua mirificasti omnes voluntates meas. Sed neutrum in scripturarũ (maxime propheticarum) vsu, incognitum vel inconsuetum est, vt quanquam ista quasi noua aut insolita

B debeant turbare. Nam de pronominis repetitione iã in annotationibus psalmi decimi meminimus, & forsitan posterius pluribus in locis admonebimus. Personæ autẽ commutatio nusquam non est obuia scripturarum lectoribus. ¶Versu tertio, Multiplicatæ sunt infirmitates eorum. Contulit nõnihil gentibus in Christi aduentu, & earum infirmitates fuerant multiplicatæ, quòd excreuerant vsque ad summum infidelitates, idololatriæ, & cætera vitia in eis. Tanto enim facilius erat eis conuerti à fœditate paternæ vanitatis, & agnitam veritatem suscipere. Iudæorum autem populus, quoniam vsqueadeò nõ erant ipsius infirmitates multæ vt gentium, ideo non sic accelerauerunt ad Christum vt illi. Dicebant enim se esse vnius Dei cultores, legis diuinæ obseruatores, paternarum traditionũ sectatores: nec agnoscebant opus se habere medico: quoniam non excreuerant sic infirmitates eorum, vt facile sentirent. Ideo non accelerauerunt ad medicũ Christũ. Quemadmodũ is qui leui tantum infirmitate languet, ita vt morbum nõ vehementer sentiat, non curat de requirendo medico, quoniã se non sentit illo habere opus: cuius autem infirmitates multiplicatę sunt atque inualuerũt, vt facile sentit infirmitatem, ita medicum libenter suscipit, imo requirit. Atque id etiã hodie in plerisque videmus, qui in se confidunt tanquam iusti, cùm reuera infirmi sint & periculose laborantes: ad medicum tamen nõ accelerant, quoniã vsqueadeo multiplicatæ sunt eorum infirmitates, neque adeò incruduerunt, vt eas valeant sentire: & ideo non intelligunt opus se habere medico, cuiusmodi

C erant scribæ & pharisæi, suntque etiam hac tempestate plurimi. Sunt verò alij, qui postquã in profundum vitiorum & in extremam insaniã deuenerunt, iam incipiunt suam fœditatem agnoscere, & sibijpsis displicere propter fœditatẽ in qua se inueniunt, cùm ad sese diuino respectu deflectunt oculos. Itaque fit, vt huiusmodi non rarò ad Deum, cognita suarum infirmitatum magnitudine, accelerent tanto ardentius, quanto turpius, longiusque à Deo aberrauerant: & (iuxta Prophetæ verbum) quantum à domino abscesserant, decies tantum iterũ conuertantur ad illum in toto corde suo. Atq; hinc est, quòd in Apocalypsi dominus frigidos prælegit tepidis, dicens: Vtinam calidus esses aut frigidus: quasi hoc optandi modo indicans nonnullam spem esse reliquã frigidis. Tepidos autem postponit, subiungens: Nunc autem, quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Nolunt enim huiusmodi tepidi ad ignem consumentem (qui Deus est) accedere: quoniam satis se calere arbitrantur, cùm omnino non caleant, sed tepeant. Recte itaque hoc loco dicitur, quòd post multiplicatas infirmitates accelerauerunt electi Dei. Nonnulli autem de corporalibus infirmitatibus, vexationibus, & afflictionibus pręsentem versum exponunt: quoniam scilicet vexatione dante intellectum, plurimi ad Deum sese conferunt ardentius. Quæ sententia neq; mala foret neq; improbanda, si tantum inueniri posset cum reliquo Psalmi contextu bona connexio: quod forsitan fieri posset, si diceretur de persequutionibus & afflictionibus electorum in primitiua Ecclesia fieri sermonẽ. Nam

D hos cõstat tanto magis ad Deum acceleraſſe, tanto fidelius, plenius, atq; intimius sese ad Deum cõuertisse, quanto magis affligebantur exterius. ¶Versu 4. Nec meor ero nominum eorum per labia mea. Eandem habet intelligentiam cum illo quod in Psalmo 9. suprà positũ est, Increpasti gentes, & perijt impius: nomen eorum delesti in æternum & in seculum seculi, secũdum expositionem quam inibi assignauimus. Notandum autẽ quod dicit, Non recordabor nominum eorum per labia mea: non autem dicit se non recordaturum illorum: quemadmodum illo etiam in loco non dicit, Delesti eos, sed nomen eorũ delesti: nomen scilicet vetus, appellationes antiquas, quas sub diaboli seruitute tenebant. Nam (vt Apostolus ait) si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt, facta sunt omnia noua. Et in Apocalypsi ipse dominus qui sedebat in throno, ait, Ecce noua facio omnia. Quòd si omnia innouari debent infidelibus, nomen etiam conuenit innouari. Nam & principes gentium, eorum quos aliunde in suam seruitutem asciscunt, nomina commutant & innouat: quemadmodum legimus de filijs captiuitatis, Daniele, Anania, Azaria, Mizaele, quos ex Iudæa trãstulerat rex Nabuchodonosor, quorum nomina cõmutauit eunuchorum præpositus, sub cuius cura fuerant traditi, imponens Danieli nomen Balthasar: Ananiæ, Sidrac: Azariæ, Misac: Mizaëli, Abdenago. Quanto magis omnipotens omnium dominus nomine nouo appellabit seruos suos, nec recordari volet veterum nominum per labia sua? Denique, qui veterem homine vult exui & expoliari cum actibus suis, quomodo nomẽ vetus patietur? Cõuenit enim nouo homini nomen nouũ-

Non

Baruc. 4. Apoca. 3. Heb. 12.

Esaię 28.

Psalm. 9.

2. Cor. 5. Apoc. 21.

Danie. 1.

Ephes.4. Colos.3. Nō recordabitur igitur Deus nominum illorum veterum, per labia sua. ¶Versu quinto, Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Nonnulli hæreditatem hoc in loco intelligunt sanctam Ecclesiam, hunc sensum assignantes, Dominus pars & sors meorū fidelium, quæ est hæreditas mea. Iuxta illud quod Psalm.2. in secundo Psalmo dicitur, Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam. Sic item quod sequitur, pars calicis mei, secundum hunc sensum exponunt. Dominus pater est merces & præmiū passionis meæ. Nam per calicem satis frequens est in scriptura noui testamenti passionem significari. Nos tamen (absque horum præiudicio) longe alium sensum assignauimus, qui nobis videtur germanior, & vsu Ecclesiastico conformior. Solet enim ex Episcopali iniunctione & Ecclesiastica institutione versiculus iste recitari ab ijs qui insigniuntur charactere clericatus, atque in clericos cōsecrantur, id est, in partem vel sortem domini. Hinc enim habent vt clerici vocentur, id est, de sorte domini, vel sortem partemq; suam hæreditariam habentes dominū. Hanc autem nostram sententiam (quæ nobis videtur germanior) in Elucidatione satis clare lucideq; explanauimus. ¶Illud tamen aduertendum est, secundū hanc nostram expositionem, partem hæreditatis dici quasi partem hæreditariam. Quæ acceptio nec à cōmuni loquentium vsu est aliena. Solent enim vulgo dicere homines, Hæc est portio hæreditatis meæ, cùm demonstrare volunt suam hæreditariam portionē. ¶Verum hoc loco forsitan quærat aliquis, quonam pacto fieri possit, vt filius aut fidelis quilibet dicat Deum esse partem Lucæ 16. suæ hæreditatis. Nemo enim potest Deo seruire & mammonæ, neq; duobus dominis, Neque patitur ipse partitionem secū cuiuscunque: sed vult se esse totam insolidum hæreditatem eius cui se in hæreditatem dederit, totum cor exposcit, alienum amatorē secum non patitur, ex toto corde vult diligi. Quomodo ergo nunc pars dicitur hæreditatis, & non potius tota hæreditas? Videntur enim hæc adinuicem repugnare, pars hæreditatis, & tota hæreditas. Quæstionem istam ex ijs quæ præmissa sunt, aduertenti animum non fuerit difficile dissoluere. Non enim repugnant adinuicem, tota hæreditas mea, & pars hæreditatis meæ, cùm iuxta prædictum modum accipimus partem hæreditatis pro portione hæreditaria: imò coincidunt magis. id quod in simili facile fuerit patenti exemplo declarare. Nam proles quæ paternam accipiunt hæreditatem, facta diuisione, vbi singulis fuerit assignata sua portio, recte possunt singulæ dicere, Hæc est pars hæreditatis meæ, singulis totum quicquid in hæreditate sibi obuenit demonstrantibus. Vocat enim vnusquisq; partem suæ hæreditatis, totū hoc quod accipit: cùm non amplius aliquid de hæreditate habeat, q̄ totum quod demonstrat: sed quia ex tota paterna hæreditate per diuisionem illi hoc obtigit, cæteris cohæredibus alia sibi vendicatibus. Atque ita secundū hanc cōparationem. vocant fideles partem hæreditatis suę dominum: quoniā in hoc mundo, dum alij sibi honores eligunt, alij diuitias, alij mundanā sapientiam, alij delicias, ipsi sibi dominum Deum in suam portionem accipiunt cum gaudio, libentissime illis dimittentes suas quas elegerūt vanitates, modo ipsi suum possint adipisci electum, illumque tenere imperpetuū. Vnde & alio in loco dicit Psalmista, Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terrā? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. Mihi autem adhærere Deo bonum Psal.72. Psal.141. est, ponere in domino Deo spem meā. Et alibi, Dixi domino, Deus meus es tu, portio mea in terra Num.18. viuentiū. In lege quoq; dominus loquitur ad Aaron, dicens: In terra eorū nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua, in medio filiorū Israël. Vbi manifestissimum est partem pro hæreditate vel hæreditaria portione vsurpari: quod in alijs quoque scripturarum passibus admodū vsitatū est. Paret itaque nullum in supradicta nostra expositione inesse incommodum, eamque conformem esse vsui scripturarum. ¶Versu eodem, Et calicis mei. Quod autem mox subiungitur de parte calicis, idem valet quod pars hæreditatis. Calix enim in scripturis frequenter paratam retributionem significat: quēadmodum cùm dicitur, Calix in manu domini. Et in Apocalypsi, Bibet de calice iræ Dei, id est, de retributione indignationis eius, qua impijs retribuet secundum Psal.74. Apoc.14. opera sua, cōdigna præmia. Vnde pars calicis recte dicitur sors retributionis diuinę, id est ipsa merces quę ex Dei retributione expectatur. Accipiturque tam in bonam partem, q̄ in malam, quemadmodum merces & retributio ad vtranque partem spectant. Hoc autem in loco sumitur in bonam partem, pro retributione scilicet fœlicitatis æternæ, quēadmodum & in sequentibus, Psalmo vigesimo primo, Calix meus inebrians q̄ præclarus est. Sed in Psalmo decimo, cùm diceretur: Ignis, sulPsal.21. Psal.10. phur, spiritus procellarum, pars calicis eorum, in malam partem fiebat acceptio, id est pro retributione damnationis æternæ, quēadmodum illo in loco explanauimus. ¶Versu eodem, Tu es qui restitues hæreditatē meam mihi. Recte Christus patri dicit de restitutione hæreditatis. Per humilitatem enim carnis, & secundū formam serui de sinu patris descendens, exijt (quasi colonus futurus) Hiere.14. Matth.15. Luc. 8. in terrā, vt seminaret semen suum: factusque est velut peregrinus & extraneus (secundū eam formā) à præsentia diuinitatis. Confidit tamen à patre sibi restituendā suam hæreditatem: quoniam per passionem & resurrectionem se nouit, etiam secundū formam serui, assumendum in dexteram patris. Valde autem accōmode hanc partem dicere possunt fideles Christi membra suo capiti, vt ille eam dixit suo patri. Propter Christi enim amorem, huius mundi pompam, gloriā, delitias que spernunt, & abijciunt vniuersa, quo Christū sibi valeant in solidam & certam hæreditatem cōparare, dicentes cum beato Petro, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: id est, omnes partes, omnes hęreditates, omnia quę sunt in mundo abnegauimus, & te prę omnibus eligimus in partē & hæreditatem nostram, te vno contenti, & extra te nihil requirentes. Hi enim cōfidenter subiungere possunt, ac dicere domino, Tu es, qui restitues nobis hæreditatē nostrā quā speruimus. Pro temporali enim ob tuū amorē contempta, reddes nobis æternā: pro corruptibili & mox peritura, immarcessibilem & nunquam perituram. ¶Versu sexto, Funes ceciderūt mihi in pręclaris. Sumpta est hęc metapho-

A taphorica loquutio à diuisione sortiū, quæ per funes siue funiculos solet fieri. Vnde Psalmo septuagesimo dicitur Dominus filijs Israël sorte diuisisse terrā expulsarum gētiū in funiculo distributionis. Et frequenter admodum de hac funiculi mensuratione fit in scripturis mentio. Quomodo igitur ille cui in distributione terræ alicuius obtigerit terra pinguior, longeque præstantior portionibus cæterorū qui pariter acceperunt & ipsi funiculo distributionis partes suas, quomodo (inquā) ouans ac gestiens iste dicere poterit funiculos sibi cecidisse in præclaris, id est, distributionis funiculo sibi præstantem atq; insignem hæreditatem obtigisse: sic & in proposito Christus dominus de paterna hæreditate (maxime etiā pro suis membris) gloriatur: debemus quoque & nos singuli gloriari in parte ista, ac dicere, & vere in prę clar is, verè fœliciter nobis ceciderit funiculus, id est quòd fœlix portio obtigerit nobis, & præclaram partem nacti sitmus, quā non velimus cōmutare vlla aliena hæreditate, id est, nullis diuitijs, nullis honoribus, nullis voluptatibus quantumuis maximis. Sic econtrario miseri & cæci voluptatum mundique amatores clamant in præclaris sibi cecidisse funes, & habent suā hæreditatem, præclaram suam portionem stupidissime ac stolidissime iactantes, dum abunde se beatos putant suis diuitijs, suis delitijs, suis honoribus. Re ipsa tamen satis ostendunt quā non sit ipsis præclara sua hæreditas: quandoquidem illorum affectum minime valent adimplere quę possident, reputantque minimum semper, imo velut nihilum quod habent, cum infinito plura & B maiora cupiant: quod profecto non facerent, si id quod assequuti iam sunt, vere præclara esset hæreditas. Sed ostendit vel luce clarius hæc tam grandis insufficiētia, tamque inexplebilis egestas, q̄ sit paupercula, tenuis, & macra præter dominum omnis hæreditas. Simul & illud euidentissime monstrat, impudenter mentiri omnes, qui præter dominum vllam iactant hæreditatē præclaram. Atque hæc quidē præsentis loci sententia est, Cæterūm, quantum ad sermonis cōmodum, dubium videtur quid sibi velit illud, in præclaris. Apparet enim hanc dictionē per seſe non posse efficere completam sententiam. Soluitur autem hæsitatio, vel substantiue accipiendo præclara, vel intelligendo substantiuum partibus, aut hæreditatibus, aut rebus. Præstat tamen substantiue accipi, vt tantundem valeat in præclaris, ac, in iucundis, in amœnis, in elegantibus: quomodo vertit Felix. Beatus autē Hieronymus, in pulcherrimis. Pro secunda autē parte, Etenim hæreditas mea præclara est mihi, vertit beatus Hierony. Et hæreditas speciosissima mea est: alij, Hæreditas præclara vel pretiosa est mihi. Chaldaica translatio, Sed & hæreditas mea complacuit super me. Quæ omnia lectionem nostram atque sententiam elucidant. ¶Versu septimo, Increpuerunt me renes mei. Sicut oculi, cùm nimium vigilias protrahimus, quasi per modum aliquem nos increpāt & affligūt veluti debitam somni requiem exposcentes: ita hoc in loco de renibus dicitur, qui vigilijs immodicis maxime exhauriuntur, suoque vigore fraudantur. Propter quod à Sapiēte dicitur, Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Et prisci illi Eccle.31. C patres, qui omne studiū adhibebant edomādis carnis libidinosis affectibus (quorū sedes in renibus siue in lumbis est) vigilijs immodicis maxime vacabant, ita seſe arbitrantes carnem optime in seruitutem spiritus subigere. Potest verò ista rerum interpretatio & aliter accipi, vt per renes intelligamus affectiones siue desideria, quomodo nōnunquam solēt in scripturis accipi: veluti cùm dicitur, Psalm.7. Deus renū & cordiū scrutator, id est, affectionū & cogitationū. Secundum autē hunc modum increpant nos renes nostri vsque ad noctem: quoniam affectiones piæ & bona desideria sanctorum, quibus satagunt gratos seſe demonstrare erga Deum, non cessant exstimulare & innitare ad laudem & gratiarum actionem, neque ociosos esse permittunt: & quantumuis oratio aut gratiarū actio fuerit protracta, vix tamen patiuntur vt fiat cessatio, sed ad ampliora semper prouocant & impellunt. Facit enim hoc in fidelibus pia grati animi erga Deū affectio, vt nunquam sibi videantur feciſse satis: sed ad maiora semper aspirent, quasi ante nihil fecerint. Quemadmodū ex aduerso, in quibus nō est debita erga Deum cordis affectio, hi vbi vel labia sua in oratione aut gratiarū actione aperuerint, vel genua tantū posuerint, iam abunde multa ac magna feciſse seſe existimāt. Alij verò, renes Chri- Roma.9. sti dicunt esse Iudæos, ex quibus (vt ait Apostolus) secundū carnem Christus natus est: sicque renes (id est, populum ipsum suum de quo natus est) dicunt eum increpuisse vsque ad noctem: quoniam vsque ad mortem illū persequuti sunt. Verū hæc sententia nec connexioni satis consonat, quam in D Elucidatione monstrauimus, neque vsquam puto in scripturis posse reperiri, vbi renes alicuius dicantur ipsius cōsanguinei, vel illi de quibus quis progenitus est. ¶Versu octauo, Quoniam à dextris est mihi ne cōmouear. A dextris esse dicimus eum qui in auxiliū paratus nobis assistit. Vnde in alio Psal. 108. Psalmo, Quia astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam. Et alibi, Psal.120. Dominus protectio tua super manum dexteram tuam. Alij verò per dexteram intelligunt propitiationem & fauorē, vt esse alicui à dextris, sit illi esse propitium atque bene fauentem. Quod non omnino male proposito quadrat, neq; ab altera expositione multum dissonat: quoniam Deus, suæ propitiationis clementia & benigno respectu, auxilium nobis & protectionem impēdit. ¶Versu decimo, Nec dabis sanctum tuum videre corruptionē. Nomen, sanctum, quidam accipiunt genere neutro, intelligentes corpus sanctum: sed obstat in Græca lectione articulus masculini generis. Habent enim Græca τὸν ὅσιον, id est (genere masculino) ipsum sanctum. Sed & ex Hebræo interpretes, masculino genere sanctum aut misericordem vertunt. Accipiendum proinde est secundum synecdochē, vt de toto pro parte sermo fiat. Quemadmodū enim in priori parte de anima fit mentio, sic in secunda de corpore. ¶Quantum verò ad tres istos versus nouissimos notandum est, quāuis peculiariter in Elucidatione aptatæ sunt personæ Christi, posse tamen commodissime ad vniuersos etiam fideles extendi. Neque enim fidelium animæ in inferno derelinquentur cruciandæ imperpetuum, vt animæ impiorum: neque corpora omnimodam experientur corruptionem absque spe restitutionis

& re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& resurectionis: quemadmodum corrumpũtur penitus corpora iumentorum: sed nota fiet eis atq; B
referabitur via vitæ per resurrectionem à mortuis, postquã adimplebũtur lætitia in aspectu Deitatis, in dextera illius, in sorte electorum & beatorum, quos (vt Euangelicus sermo demonstrat) ad dexteram constituet iudex, vbi ad remunerationem aduenerit. Nam in sinistra (quæ hœdorum erit locus) non delectationes erunt, sed cruciatus & tormenta æterna.

Matth. 25.

XVI. PSALMI ARGVMENTVM.

Ex tituli indicio fit manifestum, hunc Psalmum formam esse orandi. In quo vir fidelis bene sibi conscius, innocentiam atque iustitiam suam multis modis probatam proponens, petit sibi à Deo iustorum saluatore contra iniuste aduersantes fieri iudicium, sicq; in iustitia stabiliri. vt nunquam illorum prauitate moueatur à via recta, Deumque in hoc orat mirificare misericordiam suã, vt se quasi pupillã oculi custodiat, protegátque sub alis misericordiæ & omnipotentiæ suæ, vt nocumentum nullum sustineat à persequentibus. Quorum crudelitatem (quo exaudibilior fiat oratio) versibus tribus, nẽpe decimo, vndecimo, & duodecimo patenter aperit: ac deinde diuinum postulat auxilium, nouissime versu decimoquinto, illorum condemnationem per imprecationis modum, prædicens & ab electis separationem, pro eo quòd in hac vita illis quæ Deus nõ probat fuerint satiati, & omnium temporalium bonorum abundantia fuerint abusi: se verò hoc in tempore peregrinationis esurientem, cùm apparebit gloria domini, sperat beatitudine æterna in aspectu diuinitatis satiandum. F

DECIMISEXTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Exaudi domine iustitiã meam: * intende deprecationem meam.*
2 *Auribus percipe orationem meam: non in labijs dolosis.*
3 *De vultu tuo iudiciũ meum prodeat: * oculi tui videant æquitatem.*
4 *Probasti cor meum, & visitasti nocte:*

* *igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.*

5 *Vt non loquatur os meum opera hominum:*

Gene. 8. * *propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*

Matth. 7.

6 *Perfice gressus meos in semitis tuis: * vt non moueantur vestigia mea.*

ATtende domine ad meã iustitiã, in qua (te teste, simul & attestãte mihi cõscientia) sedulo studeo corã te cõseruari: meam innocentiã cõsidera, q̃ aduersum inimicos nihil peccauerim: * & cõsiderata innocentia atque iustitia mea, benignus intẽde ad exauditionẽ orationis meæ, qua te deprecor pro mea ab inimicis liberatione. 2 Aures tuas, Deus piissime, auditumq; benignũ exauditionis tuę accõmoda orationi meæ, quã coram te fundo corde ſyncero & integro, minimeque ficto aut simulato, non aliud ore loquẽs, q̃ corde retinẽs. 3 A cõspectu vultus tui (quo omnia conspicis, ac peruides humanarũ actionum singula) procedat prouenianteque mihi iudiciũ contra aduersarios meos, qui mihi iniuste sunt molesti: * oculi cognitionis tuæ & benignus aspectus tuus aspiciãt veritatẽ & iustitiã, qua me innocentẽ ex tua gratia cõfido, vt pro mea iustitia cõtra iniuste aduersantes proferas (me liberato, illis verò fugatis) iustã sententiã. 4 Neque verò innocentia mea, quam propono ad exauditionẽ impetrandam, te latet: eamque nec vanã nec falsam esse tu nosti. Siquidem spiritum meum & cõscientiam cordis mei tu probasti: inq; varijs tentationibus probatũ cõperisti, & visitasti ad probationẽ maiorem etiam in nocte aduersitatis, in tristibus tenebris aduersitatũ, quãdo mihi lucis atque præsentię tuæ subtracta videbatur consolatio: * tribulationibus quoq; varijs & afflictionib⁹, sicuti in fornace ignis probatur aurum, ita me quoq; examinatũ & probatum reddidisti, & in omnibus perseuerantem me in iustitia cõspexisti, atq; ab omni iniquitate peccati solicite declinantem: sic vt nullis tentationibus nullisque tribulationibus à iustitia potuerim dimoueri cõfortatus gratia tua. 5 Vsqueadeo autẽ ab omni iniquitate, vt nõ solùm opere non peccarem, verumetiã nec ore loquerer opera hominum, id est, quę mala sunt & noxia. Hęc enim sunt opera hominũ, mendaciũ, vanitas, & peccatum, *propter sermones sanctos tuos, propter præcepta tua æquissima, quę tu quasi per labia tua distinxisti, nobisque obseruãda districte præcepisti: ne ipsa (inquã) in vllo transgrederer, ego obseruaui diligenter & solicite custodiui vias iustitiæ & virtutis: quæ sanè (propter homini inditã corruptionẽ, & sensum hominis ab infantia & origine pronũ ad contraria virtuti) arctę & angustę sunt, duræque ac difficiles: ita vt pauci admodũ sint qui illas inueniant, aut perambulare velint, pluribus vias latas, molles ac spatiosas, quæ in perditionẽ ducunt, percurrentibus. 6 Veruntamen, quia absque tuo auxilio non potest homo in sua perseuerare iustitia, tuam misericordiã inuocare cogor, orans vt perfectos facias gressus meos in istis iustitiæ semitis, vtque in finẽ vsque perseuerare me facias in illis: * ne forte vllo vnquam tempore cõtingat vestigia gressuũ meorũ, actiones vitæ meæ moueri, & exerrare è vijs illis duris, illisq; relictis in vias latas, ac seculari animo suaues deuenire: quẽadmodum (proh dolor) nõ paucis euenire cõspicio.

7 Fi-

A
7 *Ego clamaui, quoniã exaudisti me Deus.*
* *inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.*
8 *Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.*
9 *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me:*

* *vt pupillam oculi.*

B

10 *Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt.*
11 *Inimici mei animã meam circundederunt:*
* *adipem suum concluserunt:*

C

* *os eorum locutum est superbiam.*
12 *Proijcientes me nũc circundederunt me:*
* *oculos suos statuerũt declinare in terram.*

13 *Susceperũt me sicut leo paratus ad prædam: & sicut catulus leonis habitans in abditis.*

D
14 *Exurge domine, præueni eum:*

* *& supplanta eum:*

* *eripe animam meam ab impio, frameam tuã ab inimicis manus tuæ.*
15 *Domine à paucis de terra diuide eos*

* *in vita eorum, de ab-*

7 Fidenter autem clamo ad te, neque metuo postulare quicquam eorũ quæ mihi ad salutem necessaria cognouero, quoniam exauditionis tuæ gratiam frequenter sum expertus: * & nunc Domine solita pietate flecte ad orationem meam, & exaudi dignanter verba orationis meæ.
8 Mirabiles ostẽde miserationes tuas, & magnos demõstra effectus cõsuetæ misericordiæ tuæ, ô Deus Saluator omnium in te vero corde cõfidẽtium. Omnino enim necesse est vt mirabilem exhibeas atq; demõstres misericordiam tuam, in electorum tuorum saluatione: quoniã nisi maxima miseratione salus illis non posset contingere: neq; in finem vsque, nisi tua iugiter miseratione adiuti, possent persistere in vijs tuis: maxime tot vndiquaq; inimicis circundantibus, & à vijs tuis abducere eos modis omnibus cupientibus atq; conantibus. 9 Serua me Deus & custodi ab aduersarijs meis, diabolis & hominibus malis qui resistunt virtuti omnipotẽtiæ tuæ, quęrentes impedire quę tu vis fieri bona, quę verò tu non vis, mala solicitè conantes promouere: *ab his (inquam) tu me dextera tua sic custodi, & serua diligentissime, assidua tua protectione, quemadmodum in corpore pupilla oculi prouidentia naturæ solicitissimè custoditur per continuum pelliculæ operculũ, quod ipsam pupillã ab omni nocumento iugiter defendit, ne alicũde læsionẽ valeat recipere, aut quodlibet nocumentum. 10 Quomodo gallina sub alis suis pullos defendit ab auibus rapacibus, ita me quoque sub alis tuis, subq; scapulis fortitudinis atq; protectionis tuę, protege ab impijs aduersarijs meis, qui me grauiter affligunt suis tentationibus atq; persequutionibus, quęrentes morti dare animam meam, ne videlicet quod optãt possint implere. 11 Vide autem, Deus pijssime, feritatem & crudelitatem aduersariorum meorum. Ecce enim animam meã ex omni parte obsederunt, magno impetu, magnaque astutia vndiquaque, insidias cõstituentes, ad eum modũ quo obsideri solent ciuitates: vt quocunq; me verterem, nusquam deessent mortis pericula: *absq; omni misericordia crudelissimè agunt aduersus animam meam, nullam omnino habentes cõpassionem, siue vllius miserationis affectum, quasi adipe (in quo cõpassionis & misericordię sedes est) cõcluso atque prorsus obdurato, visceribusq; misericordię penitus obfirmatis, vt nullo valeant cõmiserationis tangi affectu: *ore quoque suo superba loquuti sunt, blasphemiam domine in te, atq; in me conuitia, exprobrationesq; indignas: quasi nemo omnino, ne tu quidem ipse, me possis de eorum manibus liberare. 12 Ipsi nunc me è via recta, quantũ in se est, conantes impulsibus suarũ tentationum eiicere, siue in terram proijcere à statu rectitudinis, ex omni parte me obsederũt, vbiq; mihi ponentes insidias, ne quo modo possim euadere manus eorũ. * statuerunt deflectere in terrã oculos suos, diligentissimeq; considerare gressus meos, & vias quas ambulo, vt sic possent mihi commodius locare retia, & laqueos ponere certiores, quos nequirẽ euadere. 13 Parati stant ad excipiendum me, si cõtigerit in laqueos eorum vel leuiter incidere aut inuolui, ad modũ leonis famelici, qui ad prędam est paratus, feroci animo me vorare cupientes: & quemadmodum catuli leonis qui in occultis latitant, expectãtes magno desiderio, donec prædam aptam conspiciant. 14 Tu verò Domine, meam innocẽtiam atq; istorum prauam crudelitatem considerãs, exurge mihi in auxilium, neque dissimules aut differas: & pręueni atque anteuerte illos, priusquã mihi pręualeãt, de eorum insidijs & potestate me liberando, vt pręsentior atq; potentior mihi sit tua misericordia ad saluãdum, quam sit illorum crudelitas ad nocendum: *deuince illos, prosterne atq; cõculca sub pedibus tuis (quemadmodum victis fieri solet, & quemadmodum ipsi facere mihi sperabant) omni eorum virtute & astutia superata, atque in nihilum per te redacta: * illisq; calcatis sic animã meam saluam fac de manibus impiorum, gladium quoque & potestatẽ quã à te acceperunt erue, eiice, & aufer ab ijs qui sunt inimici & aduersarij potẽtiæ tuæ, sic vt non patiaris illos nobis per suam potentiam aut violentiã vllum inferre nocumentum. 15. Domine, tu iudex venturus secundum vltionem tuæ iustitię diuides eos, separabisque quantũ ad bonæ remunerationis præmium, ab electis tuis (qui pauci admodum sunt numero, comparatione multitudinis peruersorum) de terra viuentium: à qua ipsi excludentur, illis intromissis: vt sic fiat peruersorum à bonis diuisio, qui nunc in hoc tempore simul sunt commixti: * causa autem ob quam diuidẽtur ab electis impij bonorum persequutores, hæc est, quoniã in vi- Matth. 15.

f ta sua

sconditis tuis adimple-
tus est venter eorum.
Iacobi 6. Iudas. Lucæ 16.

16 Saturati sunt filijs.

**et dimiserũt reliquias*
suas parvulis suis.

17 Ego autem in iustitia apparebo cõspectui
tuo:
Matth.5.
**satiabor cùm apparuerit gloria tua.*
1.Cor.13.

ta sua dum super terram viuerent, adimpleuerunt vẽtrem suum, saturati B
sunt & copiosè perfruiti ad omnem plenitudinẽ ijs quę abscondita sunt
à cõspectu tuo, quę tu ignoras, quę tu minimè probas, id est seculi huius
delicijs, & temporarijs felicitatibus: inq; vitijs, atque concupiscẽtijs, la-
sciuijs, & luxurijs (quę tu ignoras ac detestaris) enutrierunt corda sua, &
sine freno oblectauerunt semetipsos: vt quemadmodum in hac vita re-
ceperunt bona quæ tu non probas, ita in futura bonis illis priuẽtur quę
erunt in conspectu tuo. 16 Filios in hac vita ac filias habent ad abundã-
tiam, eosq; egregie pulchros, robustos, & bene compositos, & itẽ om-
nium tẽporalium bonorum abundantia sunt perfruiti, & veluti satiati:
* & vsqueadeò pleni fuerunt bonis omnibus, vt ea non possent per sese
expendere omnia, sed dimiserunt residua prolibus suis: * Insuper & do-
ctrinas prauas & exẽpla pessima, morientes quasi reliquias malitiarum
suarum reliquerunt suis posteris, quos in rectitudine iustitiæ debuerãt
instituere. 17 Ego verò illa omnia quibus illi modo satiãtur, contẽnens,
atq; pro nihilo pendens vniuersa, hoc solum curare volo ac prouidere, F
vt in iustitia omniq; virtutum perfectione appareã ante conspectũ tuũ,
& modo semper ante te in tuo beneplacito cõuersando, & post hanc vi-
tam ad tuam præsentiam pertingendo: * parum autem est, si modò dum
illi saturantur ego esuriam, illis deliciantibus ego lugeam & fleam. Cer-
tissima enim fide scio, quòd pro hac esurie, quam modò libẽs ob amo-
rem tuum sustineo vetura sit mihi perfecta bonorum omnium satietas,
tunc cùm post tenebras vitæ huius manifestauerit se mihi gloria tua, cũ
tu dabis facie ad faciẽ contueri magnificam illam gloriam tuam, in qua
tecum iubilant omnes sancti tui, in secula seculorum. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XVI.

NOtandum quòd totus iste Psalmus à nonnullis accipitur vt oratio Christi ad patrẽ, & pro sua, &
pro membrorum suorum liberatione, supplicantis. Idq; potissimũ ob hoc, quòd versu quarto
dicatur, Non est inuenta in me iniquitas: & quoniam de Christo dici videatur, quòd propter præce-
ptum patris custodierit vias duras, viam scilicet veritatis, tam vitę quàm doctrinæ. Sed & alia quæ di-
cuntur de malitia aduersantium, videlicet quòd ipsum circundederint & susceperint quasi leo para- G
tus d prædam, & cætera huiusmodi, rectissimè ad Christum quadrant. Atque item, quod vltimo lo-
co de satietate dicitur ventura, Christo secundum humanitatem recte competere cognoscitur. Ve-
runtamen & Ecclesiæ, quæ corpus est Christi, & cuilibet etiam iusto, qui membrum est eius, recte po-
test Psalmus totus aptari, quemadmodum monstrat Elucidatio. Quod autem dicitur, Non est inuen-
ta in me iniquitas, si ab homine puro proferatur, cum modificatione debet intelligi: non vtique qua-
si nulla omnino sit aut fuerit in eo peccati iniquitas, sed quia testimonium perhibente sibi conscien-
tia, nullum agnoscit in se peccatum mortis (cùm Psalmum profert) in se inhabitans, propter quod Dei
posset inimicus constitui. Tale enim peccatum propriè iniquitas reputatur, atque nominatur. Aut ad
aduersarios referatur ista iustitia, quasi dicat se nihil commeruisse aduersus illos, neque vllam in se
inuentam contra illos admissam iniquitatem, vt sic iuste debeat ab illis sustinere afflictionem. ¶ Versu
primo, Exaudi Domine iustitiam meam. Exaudi iustitiam meam, tantundem est acsi dicas, Exaudi
me in iustitia deprecantem, aut propter iustitiam & innocentiam exaudi orantem. ¶ Versu secundo,
Non in labijs dolosis. Particula illa, Non in labijs dolosis, non est connectenda cum verbo auribus
percipe, sed ad orationẽ referri debet, supplẽdo aliquid, quo fiat completa sententia, hoc modo, Auri-
bus percipe orationẽ meam, quam fundo, aut facio, aut quę fit à me, non in labijs dolosis. Oratio autẽ
dolosis fit labijs, cùm effectus interior cordis & spiritus desiderium non respondent voci deprecan- H
ti: vtpote cùm exterius orant labia, cor autem longe est à Deo, neque rectum est coram eo quem lin-
gua orat. ¶ Versu 5. Vt non loquatur os meum opera hominum. Initium versus huius secundum sen-
tentiam aptius videretur iungi fini versus precedentis, ad hunc sensum, Non est inuenta in me vlla ini-
quitas, ita vt neque loquatur os meum opera hominum. Multum enim est, non solum non opere im-
Ephes.5. plere, sed neque nominare, neque loqui quæ praua sunt, ad consensum vllum siue delectationem, aut
loquendo de ipsorum perfectione detractare. Vnde & Apostolus suos monet Ephesios, dicens: For-
nicatio & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Et alibi, Cor-
1. Cor. 15. rumpunt mores bonos colloquia praua. Opera autem hominum recte dicuntur vicia & peccata, qui-
bus vacant carnales. Solet enim nonnunquam in scriptura simpliciter hominis nomine, carnalis intel-
1 Cor. 3. ligi: quemadmodum cùm Paulus scribit Corinthijs, Cùm, inquit, dicat quis, ego sum Pauli, & cætera.
Psal. 72. nonne homines estis, id est, carnales? Qui autem inter homines, carnem superantes, secundum spiri-
Philip. 2. tum ambulant, hi non iam homines, sed Dij merentur appellari: iuxta illud, Ego dixi, Dij estis, & filij
Ioan.15. excelsi omnes Insuper virtutum opera, & actiones verè bonæ, Dei potius sunt, quàm hominum. Deus
Psal.115. enim est qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate: & sine eo nihil omnino pos-
Gene.8. sumus. Vitia autẽ & peccata nostra sunt, hominum sunt opera, non Dei. Est enim ex sese omnis homo
vanus & mendax, imò vanitas vniuersa: & ex sensus peruersitate ad male agendum potentes facilesque
sumus.

A sumus. ¶ Versu nono, A resistentibus dexteræ tuæ custodi me. Quòd modò dicuntur præsti dæmones, Psal.10.
homines que peruersi resistere dexteræ Dei, ipsum est quod Psalmo 10. de ijsdem dicitur, quòd de-
struant quæ perficit Deus. Siquidem hic ad seminandum semen bonum in cordibus hominum, ad in-
serenda præclara virtutum germina, ad eradicandum malarum cupiditatum zizania: interius semper
atque exterius operatur. Illi verò in contrarium sedulò conantur mala seminare semina, plantare spi-
nas & tribulos, semen bonũ suffocare, plantata quoque virtutum germina euellere aũt arefacere: sicq;
dexteræ Dei (quantum quidem in se est) resistunt, dum id quod super omnia ipse desiderat, nempe ele-
ctorum salutem, hi totis conatibus impedire quærunt. ¶ Versu eodem, Vt pupillã oculi. Quod dicitur
de pupilla oculi, diligenter est notandum. Ipsa enim cùm sit præ omnibus membris corporis tenerri-
ma, & facillime vel à leuissimo puluisculo recipiat læsionem, propter tamen custodiam pelliculæ ip-
sam operientis (quod cilium nominant) atque etiam supercilium (quod veluti tectum est, desuper si-
tum, aduersus illapsum leuium puluerum) ita seruatur atque custoditur naturæ diligentia, vt rarissimè
vllam persentiat à foris læsionem. Atque ita sanè & nos, cùm ex nobis nimium simus delicati ac mol-
les, facillimeque à quibuslibet intrauolantibus cogitationibus nocumenti susceptibiles: obumbrante
tamen & operiente nos iugiter protectione diuinæ custodiæ tuti sumus, neque vllum nocumentum
persentimus, donec illa nos non destituit. ¶ Versu 11. Adipẽ suum concluserunt. Quomodo dicimur
B continere vel concludere super aliquem viscera, quando misericordiam continemus & nolumus mi- 1.Ioan.3.
sereri (iuxta illud 1.Ioan.3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatẽ
habere, & clauserit viscera sua ab eo. &c.) ita ad eundem sensum dicere possumus concludere adipem,
in quo sedes esse videtur misericordiæ. Cuius est indicium, quòd homines pinguiusculos, & obesa car-
ne videamus magis lenes, tractabiles, mites, atque misericordes: macilentos autem & exesos, experia-
mur magis crudeles, feros, intractabiles, atque nonnunquam immanes, & prorsus immisericordes.
¶ Versu 12. & 13. Proijcientes me nunc circundederunt me, &c. Sic loquitur, acsi iam proiectus, pro-
stratus, atque pessum datus sit ab inimicis, sitque iam ab illis in prædam susceptus, cùm tamẽ prius suã
allegauerit iustitiã, & iniquitatis nullius sibi fuerit conscius. Proinde duo hi versus sic intelligantur
oportet, quomodo in Elucidatione expositi sunt de inimicorũ malitioso conatu. Aut secundum eum
loquendi modum accipiantur, quo id quod futurum metuimus, quasi præsens reputamus atque enũ-
ciamus. Indubiè enim facillimè id nobis contingeret, proijci, prosterni, & in prædam suscipi, nisi nos
seruaret diuina protectio. Quod etiã dicitur, Oculos suos statuerunt declinare in terram: præter sen-
sum in Elucidatione assignatum, accipi etiam potest, vt sit idẽ quod prius dictum est, Adipem suũ cõ-
cluserunt. Solent enim qui misereri omnino nolunt, in terram oculos defigere, & nolle ad eum qui
patitur miserum, oculos dirigere, ne forte moueat aspecta patientis miseria. Id in parentibus ac ma-
C gistris, parcere nolentibus pœnam commeritis filijs siue discipulis, est conspicuum. ¶ Versu 14. Fra-
meam tuam ab inimicis manus tuæ. Per frameam nonnulli intelligendum putant spiritum & ani-
mam hominis iusti. Per hanc enim Deus aduersum inimicos pugnare cognoscitur, eosdemque supe-
rare. Verum ea expositio, quam monstrat Elucidatio, magis probanda videtur: videlicet, vt per fra-
meam, rompheam, siue gladium, intelligatur potestas illa quæ à Deo malis subinde conceditur. Pote-
statem enim omnem quam habet diabolus, qua ad nocendum vtitur, non nisi à Deo habet: tametsi ab
eo concessa non sit ad hoc vt noceat. Similiter & hominibus prauis à Deo gladius frequenter concedi-
tur ad exercitationem electorum, dum impijs regna, imperia, dignitates, præfecturæ, diuitiæ, poten-
tia, authoritas contingunt, quibus rebus nocere valent, suntq; formidabiles, Hanc autem frameam po-
stulat iustus eripi, auferrique ab inimicis manus Dei, id est, sic cohiberi Diuina virtute, vt nocere sibi
nunquam possint, neque aliquando hac sua potestate præualeant. Quia enim inimici sunt manus Dei,
& aduersarii potentiæ eius, optandum est ab ijs qui amici sunt manus Dei, vt aduersus gladius ille tol-
latur de manibus impiorum ¶ Versu 15. Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum, &c.
Particula ista, in vita eorum, in medio posita, à pleriq; ad præcedentia refertur ad verbum diuide, hoc
modo, Diuide eos in vita eorum. Quæ connexio rectam habet intelligentiam, quoniam impij etiam
D donec viuunt, secundum iudicium Diuinæ discretionis, meritò segregantur & diuiduntur ab ele- 1.Tim.4.
ctorum numero: dum absque charactere Dei, absque pignore & signo salutis seperatim consistunt
à parte diaboli, diuisi à filijs Dei, & cauterio diaboli signati, iuxta verbum Apostoli, cauteriatam ha-
bentes suam conscientiam. Diuidit quoque eos Deus ab electis, qui pauci sunt, dum eis nunc conce-
dit temporalibus frui prosperitatibus: suos autem electos disciplina paterna corripit, & multis aduer-
sitatibus affligi & exercitari permittit. In Elucidatione tamen cum sequentibus hanc particulam con-
iungimus, legentes hoc modo, In vita eorum de absconditis tuis adimpletus est venter eorum: pro-
pterea quòd huius connexionis intelligentia nobis facilior & commodior videretur. ¶ Versu eo-
dem, De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Absconditа ista Dei intelligi possunt, vel tem-
poralia & caduca bona quæ Deus non aspicit, quia neminem propter illa aspicit aut acceptum habet,
sed tantum ob bonam voluntatem, & fidelem, quæ sibi exhibetur, seruitutem. Dicuntur autem hæc
absconditа Dei, id est absconditа à Deo: non quòd et ignoret, sed quia non probat neque aspicit ad
illa. Possunt etiam intelligi vitia & peccata, quæ absconditа sunt à Deo, quoniam ea reprobat Deus
& detestatur. Quam vtramque intelligentiam indicat Elucidatio. Per ventrem autem rectè accipimus
ipsam carnalem concupiscentiam vel cupiditatem illorum: quam cùm Deus sua permissione illis im-
plet, concedendo eis temporalium bonorum abundantiam, quasi ventrem eis implet de absconditis. Vitijs quoque & peccatis ventrem illis adimplere Deus intelligitur, quia permittit illos suæ cu-
piditati & concupiscentiæ obsequi, & abundanter illis præbet vnde suæ concupiscentiæ & cupidi-

Universidad de Deusto Biblioteca

cati satisfaciant, in vitijs degentes. ¶ Versu 16. Saturati sunt filijs. Hoc loco, pro filijs habet Psalterium B
Romanum, porcina, Saturati sunt, inquit, porcina, hoc est, immunditia & sordibus peccatorum vel
temporalium bonorum. Atque hoc modo legit & interpretatur beatus Augustinus, agnoscens tamen
& nostram vulgatam lectionem, quam etiam interpretatur, per filios intelligens opera mala, dicens il-
los filijs saturos, quia operibus malis plenos.

DECIMISEPTIMI PSALMI ARGVMENTVM.

2. Reg. 22. *Psalmus iste vna cum titulo, ex libro Regum acceptus inuenitur. Est autem gratiarũ actio cum laude, & cõ-*
memoratio præteritorum beneficiorum, qua rex ipse & Propheta mirabilia sibi à Domino Deo exhibita be-
neficia cõmemorat, potißimum in liberatione ab omnibus inimicorũ oppugnationibus. Aduersus hos enim totus
Psalmi decursus loqui cõspicitur. Et primum quidẽ, quẽadmodum à grauißimis sit pluribusq; periculis Dei benefi-
cio liberatus, generaliter edicit vsq; ad versum nonum: post hunc specialius modũ Diuinæ liberationis, & terri-
bilem Dei ad pugnãdum pro se aduentũ describens, versibus decem proxime sequẽtibus, plurimumq; iuuabit in
horum versuũ intelligẽtia. Dominũ quasi virũ pugnatorẽ attẽdere, & modũ obseruare corporaliter pugnantiũ.
Nam introducit hic Psalmista Dominũ quasi virũ pugnatorẽ, qui ad hoc de cælis descẽderit, vt sibi cõtra hostes
ferret auxiliũ. Deinde à versu 19. ad exaggerandã liberatoris sui gloriã, hostium fortitudinem & sæuitiã pro- F
ponit, à qua se gloriatur liberatũ. Allegat autem suæ liberationis causam versu 22. ex Dei beneplacito & ipsa sua
innocẽtia, quã ad Dei gloriã prolixius protestatur, dicens se custodiuisse vias Domini, & alia huiusmodi, quæ ad
perfectã pertinẽt iustitiã. Deus verò cum talis sit erga vnũquemq; nostrũ, quales nos erga ipsum mõstramus (cũ
sanctis sanctus, & cum peruersis ipse quoq; crudelis, superbos humilians, humiles exaltãs) ob hoc ab eo meruisse
se dicit liberationẽ, inimicos verò confusionem. Atq; hæc quidẽ vsq; ad versum 31. Dehinc verò, in Deũ speciali
spiritus exultatione et feruore raptus, miris modis prædicat eundẽ, partim, quantũ ad ea quibus in seipso magnus
est & laudabilis, potißimũ autẽ in ijs quæ ipse ab illo accepit beneficijs. Et super omnia fortitudinẽ illã cælestis
auxilij, qua super inimicos obtinuit victoriã perfectam, atq; etiã impostorũ obtinere nõ dubitat, multis versibus
prolixe ardenterq; cõmemorat, Deo nõ solum in omnibus dans gloriam. Propter quod cõmemoratis omnibus, in
laudis proposito Psalmum finit ac terminat. ¶ Aduertendũ est autẽ, hunc Psalmũ plerosq; fideliũ totũ Christo ap-
plicare gratias agentẽ patri, pro sua suorumq; mirabili liberatione et mirifica exultatione: alios, ad Ecclesiã, pro
liberatione à grauißimis periculis & persequutionibus. Quas intelligẽtias nequaquã reprehendimus, neq; abij-
ciendas censemus: imò in annotationibus post hunc Psalmum adijciendis mõstrabimus (vel figuraliter) vtramque.
Quia tamẽ difficile est singula omnino ad Christi personã aut Ecclesiæ adaptare, facilẽ autẽ ipsi personæ Dauid:
idcirco hunc in nostra Elucidatione faciemus loquentẽ, Deoq; suo liberatori (quod et titulꝰ patẽter indicat) gra-
tias agentẽ. Nos verò illum audientes tam feruenti spiritu Dei beneficia prædicantẽ, Deumq; liberatorẽ mirifi-
cè efferentẽ, discamus ab eo quẽadmodũ pro acceptis beneficijs nos quoq; saluatori nostro grati esse debeamus. G

DECIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

Ioan. 15. Philip. 4.

1 *Diligam te Domine*
fortitudo mea:

* *Dominus firmamentum meum,*
* *& refugium meum,*
& liberator meus.
2 *Deus meus, adiutor*
meus, & sperabo in eũ.
3 *Protector meus &*
cornu salutis meæ:

* *& susceptor meus.*
4 *Laudans inuocabo*
Dominum:
* *& ab inimicis meis*
saluus ero.
5 *Circundederunt me*
dolores mortis:



Diligere te volo ex corde bono, Domine Deus meus, & verò charitatis amore tibi semper adhærere, indissolubi literque copulari in sempiternum: quandoquidem tu mea es omnis fortitudo, sine quo omnino nihil possum facere, & in quo me confortante possum quæcunque possum: * tu es Domine stabilimentum meum, super quem firmus ac solidatus consisto, quasi super firmam & immobilem petram: cui donec innitor, impossibile est in lutum peccatorum immergi pedes meos: *es quoque mihi in tutissimum refugium, & tanquam arx munitissima, ad quam confugiens, & intra quam me concludens seruabar, ab omnibus inimicis, & es mihi omnimodus liberator atque saluator. 2. Tu es Dominus Deus auxiliator meus, mihi sem H
per in adiutorium paratus contra inimicos meos: & ob hoc in te securus spem meã omnem totamq; fiduciã cõstitui. 3 Protector quoq; ac defensor es mihi cõtra oppugnationes hostiles, & totũ robur ac vis saluationis meæ: per quẽ & inimicos meos debellare queo, & expugnare, sicq; de manibus eorum meipsum saluare, quẽadmodum suis cornibus solent se animalia nõ solùm saluare ab oppugnantibus, sed per eadem etiã oppugnare atq; deuincere: * susceptor meus atque defensor es, qui in defensionem me suscepisti. 4 Cum laude & gratiarum actione pro perceptis præteritis beneficijs inuocabo Dominum ex toto cordis affectu quandocunq; me cõtigerit ab hostibus oppugnari: * & ipsius beneficio (nihil dubito) saluabor, liberaborq; quantocius ab omnibus inimicis meis, ita vt nihil mihi vniuerso suo conatu valeant nocumẽti inferre. 5 Quę mihi data sunt experiri, recitabo ad gloriam Dei mei, vt pro magnifica sua liberatione, digna laude celebretur liberator. Fuit enim, quã do dolores grauissimi quasi dolores mortis me ita circũdederunt ex omni parte, ita coangustauerunt, quemadmodum coangustari solẽt & vehemen-

A * *& torrentes iniquitatis conturbauerũt me.*
6 Dolores inferni circundederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.
7 In tribulatione mea inuocaui Dominum: et ad Deum meũ clamaui.
8 Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam:
B * *& clamor meus in cõspectu eius introiuit in aures eius.*
9 Commota est & cõtremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt & commota sunt:
* *quoniã iratus est eis.*
10 Ascendit fumus in ira eius, et ignis à facie
C *eius exarsit:* * *carbones succensi sunt ab eo.*
11 Inclinauit cælos & descẽdit: * *& caligo sub pedibus eius.*
12 Et ascendit super Cherubin & volauit:

* *volauit super pennas ventorum.*

D *13 Et posuit tenebras latibulum suum:*
* *in circuitu eius tabernaculũ eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris.*
14 Præfulgore in cõspectu eius nubes transierunt:
* *grando & carbones ignis.*
15 Et intonuit de cælo Dominus, et altissimus dedit vocem meam.

hemẽtissimis cruciari doloribus qui sunt morti proximi: *tantosq; dolorum cruciatus mihi intulerunt impiorũ dæmonũ & hominum prauorum persequutiones: quibus, veluti torrente impetuoso à fonte iniquitatis manãte, obrui, & opprimi, ac pene submergi videbar. 6 Ex omni parte angustiæ me pressêrunt maximæ, quales sentiunt qui sunt in inferno, & iam occupasse me ante tempus videbãtur laquei mortis atq; dãnationis æternæ, & quasi illaqueatus iã videbar mortis laqueis adhuc in corpore viuens: ita vt super terram existens corpore, spiritu mihi viderer in angustijs inferni constitutus, viuensque mortuus. 7 In his autem tantis tribulationum angustijs, in rebus tam iuxta humanam viam desperatis, memor Dei liberatoris mei ad ipsum leuaui oculos, eumque in auxilium ex cordis intimo aduocaui, & clamorem orationis meæ direxi ad illum, magno affectu ad illum clamans pro salute de tantis periculis. 8 Ipse verò benignissimus Deus non despexit orationem supplicantis (tametsi in sublimibus cælorum habitet, & ego iaceã in imis terræ) sed benigne exaudiuit orationem meã de sublimi solio gloriæ suæ, de cælo sancto suo, in quo vt in templo ad suam cum electis inhabitationẽ deputato & specialiter sanctificato, inhabitat: * & clamor orationis meæ intromissus est ante cõspectum maiestatis eius, ascenditque & peruenit vsque ad aures ipsius, eumq; ad miserẽdum & implendum postulata inclinauit. 9 Aduenit autem mihi quantocyus in auxilium contra inimicos, mirabiliter admodum & terribiliter, ita vt quasi moueri & contremiscere terra videretur, adeò vt etiã montes à fundamentis commoueri viderentur atque conturbari: * hunc autem terrorem exhibuit aduẽtu præsentię suę, ad ostensionem iræ suę, quoniã ira accensus erat aduersum iniquos me iniuste persequentes. 10 Eratque hæc eius ira & indignatio magna valde, quemadmodum cùm de facie hominis ira perciti fumus videtur exurgere præ nimio feruore iracundiæ, & cùm videtur ex vehementi sanguinis commoti inflãmatione quasi ignis flãma à facie hominis furentis exardescere, * ita vt ab ira sua veluti carbones succenderent, ignem vindicem de cælo super inimicos demittens. 11 Humiliauit semetipsum habitator cælorum sublimium, & modo quodam cælos inclinauit, cùm de sublimitate cælorum descendit, vt mihi in terris ferret auxilium: * & caliginosæ nubes erant sub pedibus aduenientis, calcabatque nubes, & quasi pro scabello subiectas habebat, in terrore adueniens. 12 Et quemadmodum ij qui ad pugnã se parãt, equos ascendunt, quorum in bellis vtuntur ministerio & fortitudine: ita Deus pro me ad pugnam veniens ascendit, nõ super equos, neq; currus equorum, sed super cherubinos spiritus, super nobilissimos illos, candidissimos, celerrimos, fortissimosq; vectores, super quos ipse residet, quique illi sunt pro curru: & his vectoribus non accurrit, vt qui equis vehuntur, sed celerrime aduolauit, nullam omnino moram patiens, sed absq; mora statim præsens vbicunque placuerit: * aduolauit (inquam) non alis auium gestatus, quæ aërem secando cum difficultate perceptibiliter moueri conspiciuntur, sed quasi super ventorum pennas, quasi ventum pro alis habens, ad modum venti celerrimè absque vlla resistentia ac mora & imperceptibiliter aduolans, ventumque tempestuosum simul adduxit secum, ad inimicorum meorum terrorem, quo ipse quasi vehi, & veluti alis quibusdam volare videbatur. 13 Aërem quoque perfudit, impleuitque tenebris, præ nimia densitate nubium: atque ita in tenebris sibi latibulum constituit, seque occultauit, vt tanto maior esset hostibus terror: cùm plagas desuper acciperent, ferientem autem non viderent: * erat tabernaculum eius in circuitu, nempe aqua tenebrosa in nubibus aëris, hoc est, per circuitum sibi faciebat quasi tabernaculum & castrum ex aquis nubium tenebrosis, ex nubibus aquosis, quæ erant in aëre inter nubes cæli. Ex his enim insolito modo coagmentatis atque condensatis, quasi fortalitium atque munitionem sibi faciebat, vnde pugnaret aduersus inimicos meos. 14 A fulgore aspectus eius qui procedebat à præsentia ipsius, nubes inflammatę celerrimo volatu motę sunt, & aduersus inimicos in sagittarum modum directæ: * simulque à præsentia & iussione eius, grãdo insolita & flãmæ ignis in modum carbonum pariter commixta: proiecta sunt in hostes. 15 Vocem quoque tonitrui terribilem de supernis nubibus illis (ex quibus sibi tabernaculum & cælũ quoddã cõstituerat) emisit: & ipse altissimus, qui de excelsis pro me pugnabat, terribiles atque insolitos edidit sonitus, ad inimicorum cõturbatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

* grando & carbones ignis.
16 Et misit sagittas suas, & dissipauit eos.

* fulgura multiplicauit, & cõturbauit eos.
17 Et apparuerũt fontes aquarum:
* & reuelata sunt fundamenta orbis terrarũ.
18 Ab increpatione tua Domine:
* ab inspiratione spiritus iræ tuæ.
19 Misit de summo, & accepit me: * & assumpsit me de aquis multis.

Iob 3. Psal.123. 20 Eripuit me de inimicis meis fortissimis & ab his qui oderunt me:
* quoniam confortati sunt super me.
21 Præuenerunt me in die afflictionis meæ:
* & factus est Dominus protector meus:
22 Et eduxit me in latitudinem:
* saluum me fecit, quoniam voluit me.

Exod.15. 23 Et retribuet mihi Dominus secundũ iustitiam meam:
* & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.
24. Quia custodiui vias Domini: * nec impie gessi à Deo meo.
25 Quoniã omnia iudicia eius in conspectu meo: * & iustitias eius non repuli à me.

bationem: * grando insolita, & ignis flammæ in modum carbonum vehementer accensæ, pariter ferebantur 16 Et quemadmodum de castris ac turribus in hostes iacere solẽt, qui intus pugnãt, sagittas & iacula, ad vertendum illos in fugam: sic omnipotẽs Dominus de tabernaculo suo eminus emittebat coruscationum suarum sagittas in hostes meos, quibus perterrefacti mox terga dederunt, suntque præ timore abinuicem diuisi atque disipati, ordine perturbato, singulis quò videbatur fugientibus: * erant autem sagittæ eius fulmina terribilia, quæ multiplicando copiosè iaculabatur in illos, & cõturbati sunt terrore vehementissimo, cùm pro me pugnantem desuper cęli Dominum sentirent, animoq; destituti, in fugam acti sunt præcipites. 17 Tantos verò Deus exoriri fecit, tamque terribiles terræ motus, ad illorum conturbationem, vt confractis canalibus, cõfractisq; absc̃oditis aquarum fontalium meatibus, paterẽt occulta fontium: * loca quoque subterranea & profunda, quę videbantur quasi in fundamento orbis terrarum absc̃odita, per terræ cõmotionem, vel aperta vel scissa (vt in terrę motibus fieri solet) denudata atque patefacta sunt. 18 Omnia autem hæc terribilia & horrenda portẽta, quibus cõturbati sunt, fugatiq; hostes mei, ab increpatione & iracundia tua Domine super illos processerunt: * ex eo quod flauit aduersum eos flatus indignationis tuæ, ab immissione vindictæ quam in ira tua excitasti, emisisti, ac veluti flare fecisti, ad modum venti tempestuosi contra illos. 19 Ita misit de summitate cælorum (quos inhabitat) Deus altissimus cęleste mihi auxilium à terrarum infimo ad se exclamanti, & sua defensione de manibus persequẽtium suscepit me: * & assumpsit me in protectionem, liberauitque à multitudine populorum & hostium innumerabilium, qui me velut inundantes aquæ absorbere volebant & perdere: aut à multitudine exorientium tribulationum atque persequutionum, quibus verisimiliter eram obruendus atque absorbendus, nisi me Diuinæ protectionis assumpsisset custodia. 20 Ipse me liberauit ab hostibus meis, qui erant fortes atque robusti supra modum, potentes valde ad nocendum mihi, & à talibus inimicis qui me obfirmato animo & implacabili odio habeant exosum, quibus mea perditione nihil prius est neque optabilius: * idcirco autem ipse suam mihi liberationem dignanter exhibuit, quoniã vidit inimicos meos esse multo me robustiores, & (quantum ad meam attinet virtutem) illos mihi conspexit facile præualituros, nisi suo mihi succurreret auxilio. 21. Quasi præoccupãdo, tam numero multitudinis, quàm magnitudine virtutis fortiores, contra me exurgunt imparatum, & (quantum ex memetipso) longe inferiorem excitantes mihi afflictionis diem, magnamq; mihi angustiã inferẽtes: * verum Dominus Deus aduersus illorum insultus protectorem se ac defensorem exhibuit mihi. 22 Qui quidem sua validissima potentia, quasi vir pugnator, de manibus inimicorũ me liberatum constituit in latitudine libertatis extra omne periculum, omnẽ à me angustiam animi & cordis anxietatem repellens: * ipse me ab omnibus inimicorum insultibus saluum faciat, illæsumque abire: nõ propter meę iustitię condignum meritum, sed propter beneplacitum benignę voluntatis suæ. quoniam ita placitum fuit ante illum: quia me elegit & saluare me voluit, idcirco & fecit. 23 Respiciet nihilominus (tametsi prima liberationis meæ causa sit, bona eius erga me voluntas) ad iustitia atq; innocẽtiam meam, in qua sedulo conuersari studeo ante conspectum ipsius, & secundum eam mihi bona retribuet sibi seruienti: * secundũ puritatẽ cõuersationis meę, & bonorum operũ rectitudinem, quã adiuuante ipsius gratia sedulo conor operari benefaciet mihi. Est enim hoc iustũ, vt seruus à domino protectionem accipiat atque defensionem oportunam. 24 Sic enim multis testimoniũ perhibet cõscientia, quod præcepta atq; mandata Dei (per quæ ambulare nos voluit) diligenter custodiui, eaque obseruare solicitus fui: * neq; impietatẽ feci aduersus Dominum Deum meum per quam in finem ab eo diuiderer, aut quæ inter me atque illũ inimicitias constitueret, ob quam protectionis mihi iustè subtraheret patrocinium. 25 Quoniã iugiter ante oculos habeo, & mẽtis consideratione verso omnia præcepta eius, quæ disposuit nobis in iudicio: * atq; etiam iudicia illa, quibus obseruatores præceptorum suorum discernit præmio à præuaricantibus. * & præcepta ipsius iustissima, in quorum obseruatione homo iustificatur, non contempsi, nõ abieci per trãsgressionem, sed reuerenter suscepi atque custodiui, per studiosam obser

uationem, permanendo in eis: * Opera quoque iustitiæ veræ, quæ illi est accepta, non neglexi: sed solicitè amplexatus sum ea. 26 Et quemadmodum hactenus conuersatus sum in beneplacito eius, ita etiam amodo in residuo temporis mei propono immaculatus permanere cum eo, & sine macula peccati ante conspectum eius conuersari: * sicque in eius gratia & dilectione in finem vsque perseuerare, & obseruare me volo, diligenterq; mihi cauere ab omni iniquitate, ne quãaliquando contra Deum meum committam, per quam ab eo diuidi merear, eiusque gratia & defensione priuari. 27 Et cùm iuxta bonũ istud rectitudinis propositum ambulauero, certus sum quod bona reddet mihi iustissimus & misericordissimus Dominus, iuxta eam quam in me agnouerit iustitiam atque innocentiam: * & secundum munditiam cõuersationis operumque bonorũ quæ operatus fuero in sanctitate & iustitia coram ipso, quasi ad gloriam & laudem eius, tanquam ipso inspectore & iudice, certus sum quod bona retribuet mihi, & in præsenti auxilium opportunũ non denegans, & in futuro seculo salutẽ largiturus æternam. 28 Et de his quidem fide certissimus nihil omnino addubito, ô iuste & misericors Deus, quin ita sis cum seruis tuis semper acturus. Talis enim tu erga vnumquenque existis, talemque te vnicuique exhibes, qualis ipse erga te fuerit, & qualẽ se erga te monstrauerit. Erga eos enim qui in sanctitate tibi atque iustitia studeut seruire, sanctum te exhibes, ac misericordem, eos in te sanctificando amplius, & teipsum sanctificando in eis: agisque cum eis sanctè per omnia, & misericorditer: * & cum homine innocente, qui te curat non offendere, tu quoque innocenter ages, non redditurus illi malum quod non cõmeruit, neq; illi nocebis in veritate, vt ille à noxa sibi cauit erga tuã maiestatem. 29 Cum amico tu amicè ages, & qui te elegerit in Dominum, tuæ se seruituti ex bona voluntate addicens, hunc absq; dubitatione & tu vicissim me eliges in seruũ, imò amicum, imò filium: * contra verò, qui corde peruerso per malitiã te derelinquentes ad vitia & peccata conuertuntur, his tu peruersus eris, id est, crudelis, atq; seuerus & formidabilis vltor, agensque cum illis nõ (vt cum prioribus) benignè & amicè, sed peruersè siue prauè: hoc est seuerè admodum atq; districtè, tradituras nimirum huiusmodi tortoribus, atque ab eis exacturus omnia ad nouissimum vsque quadrantem, vt tãto sentiant te seueriorẽ vltorem, quanto prius benignum & misericordẽ dominum contempserant. 30 Tu enim es, qui homines spiritu pauperes, at simplices corde, benigne respicis, facisque saluos, & nunc eos à malo custodiens, & in futura vita ad salutem æternã exaltans: * eos autẽ qui incedunt in superbia, fastum atque extollentiam animi elatis oculis monstrantes, hos tu per tuam iustitiam deprimes, & ad terram vsque summa humiliatione prosternes. Veniet enim, quãdo omnis qui se modo exaltauerit, humiliabitur: & econuerso, qui se humiliauerit, exaltabitur. 31 Et quidem tu ipse es Domine, qui illustratione superna cęlestis radij meam mentem illuminas, eamque velut candelam, aut facem ardentem lucere facis, per tui spiritus irradiationem, veluti particulã quãdam illius increati luminis infundendo in animam meam: * & hanc illuminationem te precor vt perficias, ita vt cor meũ tenebricosum (quod ex sese nihil est nisi tenebræ, & obscuritate ignorantiæ plenum) perfectè illumines: & si quid forte adhuc latet tenebrarum, hoc ipsum per lucis tuæ irradiationem depellas, vt prorsus nihil in me remaneat tenebrarum, nihil obscuritate sit horridum, sed tua luce clarescant, luceant, niteantque omnia. 32 Per te enim omnem tentationem quæcunque obuenerit, siue corporalem, siue spiritualem, superare possum, atque liber euadere: * & in te, ô Deus meus (qui me illuminas, me adiuuas, me deducis, meque confortas) omnia possum: neque quicquam omnino est vel tam graue, vel tam humano iudicio impossibile, quod non in te confortatus, tuoque amore confirmatus possim ac valeã, siue agere, siue sustinere: etiam si (vt ita per excessum quendam rei magnitudinem exprimam) murus validus foret transeundus, quod apud homines tamen iudicaretur difficillimum. Omnia enim possum in eo qui me confortat: & certus sum, quia neque mors, neque vita, neque vlla creatura, vlla tentatio, poterit ab eius charitate me separare. 33 Dei mei via est immaculata: hoc est, præcepta eius (per quæ nobis ipse constituit ambulandum) nihil immundum, nihil prauum continent: * sermones Domini, siue præceptorum, siue promissionum, sunt probatis-

26 Et ero immaculatus cum eo:
* & obseruabo me ab iniquitate mea.

27 Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam:
* & secundum puritatẽ manuum mearũ in conspectu oculorum eius.
28 Cum sancto sanctus eris:

* & cum viro innocenti innocens eris.

29 Et cum electo electus eris:
* & cum peruerso peruerteris.

30 Quoniã tu populũ humilem saluũ facies:
* & oculos superborũ humiliabis.

31 Quoniã tu illuminas lucernam meã domine: * Deus meus illumina tenebras meas.

32 Quoniam in te eripiar à tentatione:
* & in Deo meo transgrediar murum.

33 Deus meus impolluta via eius:
* eloquia domini igne examinata.

Act.10.

Luc.1.

Ioan.15.

Matth.5.

Ibidem.

Luc.14.

Philip.4.

Ibidem.

Rom.8.

Universidad de Deusto Biblioteca

Psalm.11. Psal.18. * *protector est omnium sperantium in se.*

34 *Quoniã quis Deus præter dominum: aut quis Deus præter Deũ nostrum?*

35 *Deus qui præcinxit me virtute:*

& posuit immaculatã viam meam.

36 *Qui perfecit pedes meos tanquã ceruorũ:*

* *& super excelsa statuens me.*

37 *Qui docet manus meas ad prælium:*

* *& posuit vt arcum æreum brachia mea.*

38 *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ:*

Esaiæ 28. * *& dextera tua suscepit me.*

39 *Et disciplina tua correxit me in finem:*

* *& disciplina tua ipsa me docebit:*

40 *Dilatasti gressus meos subtus me;*

Heb.12. *& non sunt infirmata vestigia mea.*

41 *Persequar inimicos meos, & cõprehendam illos:* * *& nõ conuertar donec deficiant.*

42 *Confringam illos, nec poterunt stare:*

* *cadent subtus pedes meos.*

43 *Et præcinxisti me virtute ad bellum:*

*& supplantasti insurgẽtes in me subtus me.

simi, purissimi atque castissimi, ad modum auri puri quod igne probatum est atque purgatum, dispositi in summa veritate atque æquitate: imò veritas ipsa sunt & æquitas, nihil continentes prauitatis, nihil vanitatis, nihil mendacij: * securus ac certus protector ipse est omnium in se recto corde sperantium. 34. Ipse enim solus est Deus verus omnipotens, qui posit in se sperantes protegere dextera sua, neque alius est Deus verus, siue in cælo, siue in terra, præter vnum Dominum & Deum verum, quem nos credentes in eum colimus, quem laudamus, cui nunc psallimus, cui vni vt soli vero Deo, nostra omnia ferimus accepta. 35 Ipse est qui me armat, confortat, & quasi ad pugnam accinxit fortitudine, per virtutem gratiæ suæ me corroborando: * & viam vitæ, conuersationisque meæ gressum ipse custodiuit sine macula peccati, faciens me vias rectas percurrere. 36 Ipse est, qui pedes meos ita veloces reddidit, atque ad cursum ita perfectè agiles mobilesq; effecit, quemadmodum sunt pedes ceruorum, qui in currendo sunt celerrimi. Sic enim & me fecit per agilitatem internæ gratiæ suæ, celeriter alacriterque absque pigritia, vias percurrere præceptorum suorum: * & ipse est, qui me super excelsa constituit, ita me confortans, vt etiam vias difficiles ambulare, & ea quæ hominibus alta ac nimis sublimia, vixque posibilia videntur, audeam in ipso tentare. 37 Ipse est qui me docet manibus præliari aduersus hostes meos, quique in præliando manus meas dirigit atque confortat, vt me pugnante ipse magis quam ego dicendus sit pugnare. Sic enim illi est placitum, ad faciendam contra inimicos nostros victoriam, nostrarum manuum, nostrarumque virium frequenter vti ministerio, quo confusibilior sit hostium prostratio ab imbecilli hominis manu: * ipse brachia mea in pugnando facit quasi æreum arcum, ad feriendum fortia, ad læsionem, susceipiendum dura & verberum ictibus non cedentia, nullis potentia laboribus aut frangi aut fatigari. Id enim præstat suis pugnatoribus Deus, vt in pugna strenuè feriant aduersarios, ab ipsis autem læsionem non susceipiant: facitq; eos nec aduersariorum ictibus vulnerari, nec frangi pugnæ molestijs. 38 Et saluasti me domine protectione tua ab omnibus inimicis meis: * & virtus omnipotentiæ tuæ ipsa me defendit ab illorum insultibus atque oppugnationibus. 39 Et eruditio interiorque instructio tua ipsa me rectificauit, inque rectitudine constituit ad perseuerandum in ea vsque in finem: * interior tua instructio siue eruditio ipsa me docebit quomodo in omnibus agere debeam, & conuersari: * Ipsa etiam exterior per afflictionem disciplina atque eruditio correxit me, atque ad rectam viam reduxit, siquando à rectitudine cœpissem in prauitates declinare: dansque intellectum inflicta vexatio à malo quantocyus reduxit, ita vt experientia mali edoctus, tanto de cætero firmius atque solidius in vijs tuis consisterem. Virga enim disciplinæ est, qua electos tuos (siquando aberrare cœperint) ad bona reducis, firmiusque (seueritate tua vel paululum experta) in te perstare facis, atque perseuerare in finem. Vix enim potest in finem perstare in numero filiorum, qui extra disciplinam tuam est, quique paterna tua visitatione non aliquando corripitur. 40 Dilatasti quoque subtus me gressus pedum meorum, latisque passibus me fecisti incedere: id est, feruenter me progredi, multumque procedere ac promouere in via virtutum fecisti: * & non sunt debilitati pedes mei in ambulando vias tuas, neque sunt infirmati in vestigijs suis, propter tuam confortationem, atque confirmationem gratiæ tuæ. 41 In tua autem hac confortatione non solùm non timebo inimicos meos, verumetiam persequi audebo, atque etiam oppugnare & debellare eos, imò & comprehendam illos, atque sub mea redigam potestate deuictos: * & non cessabo ab eorum impugnatione, donec illorum sensero defecisse virtutem, & deuictam esse contritamque illorum potentiam: donec perfectam obtinuero victoriam, non remittam pugnam. 42 Conteram tuo auxilio virtutem illorum, atque in nihilum redigam, nec poterunt consistere ante conspectum meum, ad mihi resistendum, sed victi confusique ausugient: * & quemadmodum ij qui gladio cæduntur, vulnerati cadunt sub pedibus cædentium: ita cæsi atque prorsus deuicti prosternentur ad pedes meos in testimonium perfectæ victoriæ. 43 Fortitudine præsentiæ tuæ armasti atque animasti me, & quasi accinctum paratumque fecisti ad pugnam contra inimicos meos: * & eos qui in me insurgebant, qui mihi bella

A 44 *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum:*

& odientes me disperdidisti.

45 *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret:*

ad dominum, nec exaudiuit eos.

46 *Et comminuam eos vt puluerem ante faciẽ venti:* * *vt lutum platearum delebo eos.*

B 47 *Eripies me de contradictionibus populi:*

*constitues me in caput gentium.

48 *Populus quem non cognoui seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.*

49 *Filij alieni mentiti sunt mihi:*

C * *filij alieni inueterati sunt, & claudicauerũt à semitis suis.*

50 *Viuit dominus, & benedictus Deus meus:*

*& exaltetur Deus salutis meæ.

51 *Deus qui das vindictas mihi.*

*subdis populos sub me:

* *liberator meus de inimicis meis iracundis.*

D 52 *Et ab insurgẽtibus in me exaltabis me:* * *à viro iniquo eripies me.*

53 *Propterea confitebor tibi in nationibus domine:* * *& nomini tuo psalmum dicam.*

54 *Magnificans salutes regis eius:*

*et faciẽs misericordiã Christo suo Dauid,

* *& semini eius vsque in seculum.*

bella mouebant, qui mihi nocere quærebant, tu per auxilium tuum deuictos proiecisti subtus pedes meos, dans mihi ita perfectam de eis victoriam, vt iuxta placitum eos calcarem, eosque vt scabellum pedum prorsus nihili facerem. 44 Et vertisti in fugam inimicos meos, fecistique eos præbere mihi dorsum, ad modum fugientium in prælio, qui desperata victoria terga vertentes, insequentibus pugnatoribus dorsum præbent liberè cædendum, neque vltra de pugnando cogitant aut resistendo: * & eos qui me odiose quærebant perdere, tu per terrorem potentiæ tuæ disperdidisti, dissipasti, atque contriuisti, ita vt prorsus prævalere in nullo potuerint. 45 Cùm cæsi præ miseria atque confusione clamarent pro axilio, non erat qui illis posset ferre suppetias. Siquidem manus Domini pugnabat aduersum illos, cuius potentiæ nemo potest resistere: * etiam si ad Dominum cæli, cuius super se manum sentiebant clamarent, non exaudiebantur: quoniam non ex corde puro inuocabant, sed terrore tantùm mortis conterriti, potissimum quòd in innocentis persequutione fuissent deprehensi, quod Deo est abominabile. 46 Et datum est mihi ex diuina virtute conterere atque dispergere exercitus hostium meorum, sicut puluis à facie venti impetuose flantis dispergitur: * quasi lutum quod in plateis iacet, quod calcantium pedibus vndiquaque dispergitur & conculcatur, sic auferam, dispergam, atque deijciam illos. 47 Tu me de contradictionibus, de oppugnationibus populorum saluabis, pacem mihi daturus ab hostibus meis per circuitum: * insuper & constitues me principem, ducem, ac dominum super gentes plurimas, omnes quas tu subiugabis meo imperio, faciesque me illis præeminentem in regni gloria, quemadmodum eminet & excellit caput super membra cætera. 48 Populi alienigenæ, quos prius non agnoueram inter subditos meos, subiecti facti sunt mihi: & obedientissimi in solo auris auditu, mox ad auditum vocis atque iussionis meæ seruierunt mihi. 49 Filij tamen alieni, filij iniquitatis, filij Belial, qui se meo imperio subtrahunt iniustè, quo peccent liberius, ipsi mendaciter nequiterque suo more egerunt, mecum pacta ac fœdera inita minimè seruantes: * filij isti alieni (quos ego non pro meis ouibus agnosco) inueterati sunt in malitijs suis: propter quod odientes iustitiam, odiunt me quoque iustitiæ administratorem, & claudicauerunt, aberrauerunt que à semitis suis, in quibus olim ambulabant, obedientiam debitam & promissam abijcientes, quos propter impietatem suam & ego nihili facio, neque perdendo multum me perdidisse existimo. 50 Viuis tu Domine, esque vita vera viuificans omnia, à quo supra narrata cuncta mihi præstantur: & benedictus sis tu atque laudatus Domine Deus, author salutis meæ & vnicus saluator meus: * & glorificeris magnificerisque, ô Domine Deus, author salutis meæ. 51 Tu (inquam) Deus qui facis mihi vindictam atque vltionem contra inimicos meos: * & populos alienigenas non solum me non sinis opprimere, verumetiam subiectos & tributarios mihi facis ad ampliandam gloriam regni mei: * tu es vnicus saluator meus, qui me liberas de hostibus furore suo in me insurgentibus, & prælia aduersum me exusitantibus. 52 Et ab alijs qui oppugnando atque inuadendo insurgunt in me, tu salutem dabis mihi & victoria me sublimabis: * ab omnibus iniquis qui mihi iniuste querunt malum, tu me eripies, faciesque saluum. 53 Propter hoc, confessione laudis ego te celebrabo in gentibus plurimis, quas tu mihi subiectas feceris: * & psalmos laudis decantabo glorioso nomini tuo, in conspectu omnium populorum. 54 Tu enim es magnificans saluationes regis tui, mirabiliter & magnificè saluans regem populi tui, quem constituisti super populum tuum: * misericorditer agens cum Dauid Christo tuo, quem tu electum vnxisti oleo super populum tuum, ab omnibus hostibus & malis vniuersis eum liberando: * neque verò cum ipso solo quantum ad eius singularem personam peculiariter attinet, verumetiam cum vniuersis posteris eius in sempiternum, qui verum fuerint semen eius, & paternæ iustitiæ fuerint sectatores. His enim tu domine benefacies in misericordia tua, qui personarum acceptionem nesciens, omnes tibi in iustitiæ veritate fideliter seruientes, gratos habes & acceptos vsque in æternum.

ANNO.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XVII.

TAmetsi hunc Psalmum videamur personæ Dauid in Elucidationis processu peculiariter applicasse, non excludimus tamen eorum intelligentiam, qui Christo aptare illum voluerint: imò etiã includimus, quemadmodum in figura figuratum continetur, & in signo signatum. Siquidem Dauid, Christi figuram gessisse constat. Et quæ de Dauid in psalmis dicuntur aduersum inimicos suos dimicante, non est difficilè ad Christum contra mundi principes, diabolos scribasque & pharisæos, pro veritate & humani generis liberatione pugnantem, accommodare. Neque rursum erit difficile, Psalmum propositum ad ecclesiam referre: quæ prius grauissimis persequutionibus agitata atque concussa, ac veluti mortis doloribus circundata, tandem est diuinitus mirabiliter liberata propter innocentiam suam: quæ à Deo multis est donis preciosis tanquam amabilis sponsa dotata, quæ etiam super alienigenas populos accepit ex Dei beneficio principatum. Iterum, & iustus quilibet à grauibus periculis miro modo liberatus, Deo liberatori suo volens gratias agere, ex hoc Psalmo formam gratiarum actionis optimam poterit accipere. ¶Versu quinto, Circundederunt me dolores mortis. Si Christo applicetur Psalmus, dolores istos mortis, & dolores inferni, intellige angustias & dolores agoniæ passionis atque mortis: torrentes autem iniquitatis, persequutionem grauissimam, quam impij dæmones, scribæ atque pharisæi aduersus eum susciterant. Si verò Ecclesiæ apteturintellige afflictiones & persequutiones grauissimas, quibus in suis primordijs fuit conquassata à sæculi principibus, ac deinde varijs hæreticorum adinuentionibus, à quibus etiam postremò in nouissimo Antichristi tempore grauissimè affligetur. ¶Versu nono, Commota est & contremuit terra. Ab hoc versu vsque ad decimum sequentem (hoc est, vsque ad versum 19.) videntur hæc omnia ad personam Dauid commodius referri: certè facilius, nihil est dubium. Christo autem & ecclesiæ non nisi cum magna difficultate & obscuritate plurima. Pro quorum intelligentia est aduertendum, Deum nonnunquam seruo suo Dauid in auxilium adfuisse inuisibiliter, quemadmodum cùm nullam exterius pugnam exhiberet, sed inuisibiliter ipsum Dauid cum suo exercitu confortans, dabat cælitus victoriam. Nonnunquam verò nimia sua dignatione, ad ostendendum alienigenis terrorem suum, populumque suum, ac seruum Dauid magnificandum coram oculis nationum, etiam visibiliter ad pugnandum pro Dauid apparuit, euidentibus signis suam demonstrans præsentiam, & veluti armis corporalibus pugnando se manifestans, quemadmodum & de Iosue legimus, quod ipso pugnante lapidibus de cælo demissis pugnabatur cõtra fugientes: & de Aegyptijs in mari rubro, cùm insequerentur Israelem, ingressi post eos in siccum alueum, respiciens enim Dominus (vt Exodi 14. scribitur) super castra Aegyptiorum, per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum: quod videntes Aegyptij, dixerunt, Fugiamus Israëlem, quia Dominus pugnat pro eis contra nos. Sic & in secundo regum lib cap. 5. legitur quemadmodum Philisthæis diffusis in valle Raphaim, ad quærendum Dauid vnctum in regem Israël, Dominus ipse apparuit in cacumine pirorum. Sic enim responsum fuit Dauid à Domino, Cùm audieris sonitum clamoris gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philisthiim. Et de hoc miraculo commodè intelligi potest Dauid in his decem versibus peculiariter loquutus. Videtur enim insignis admodum & manifesta fuisse victoria, quam à Deo cælitus accepit pro se pugnante, propter quod dignum duxit illam singulariter in sua gratiarum actione commemorare. Percussit enim tunc temporis Philisthæos, à Gabaa vsque Ceser, plaga maxima. Quanquam autem non exprimantur illo in loco omnia quæ hic dicuntur de terræ motu, de fulmine & tonitruo, & de nubibus condensatis: satis tamẽ est verisimile, omnia illic sic apparuisse, quomodo ipse qui adfuit, & pro quo exhibebantur hæc mirabilia, præsens ipse conspexit. Possunt nihilominus hæc omnia mysticis sensibus ad Christum referri, quem potentia Diuinitatis mirabiliter & magnificè fecit victorem super aduersarias potestates, principem huius mundi (quem iudicatum eiecit foras in ira sua) & contra omnes sæculi superbos, potentes, atque sapientes, quos conturbauit & commouit per simplicium Apostolorum prædicationem: per hos de cælo tonans, mittensque sagittas eloquiorum ardentium, quibus illi quidem fugati sunt, saluati autem de manibus ac potestate eorum fideles: idque propter iram Dei aduersum hostes generis humani, quam ostendit in plenitudine temporis. Quæ omnia qui exactius velit cognoscere, apud alios dignos fide commentatores requirat prolixius tractata. Nostra breuitas non patitur nos exactius singula prosequi. ¶Versu 29. Cum peruerso peruerteris. Pro verbo peruerteris, quidam vetusti codices inueniuntur habere peruersus eris. Nihil autem differt sententia quæ talis est, peruerse ages, & peruersum te monstrabis: hoc est, seuerum vltorem, & durum iudicem, ijs qui peruerso & non recto sunt corde. Consonat illi quod vulgo dici solet, Malo nodo malus quærendus est cuneus. Illud autem consideratione dignissimum est, quantæ hoc sit consolationis, talem erga nos sese monstrare Deum Dominum, quales nos serui erga ipsum nos exhibemus. Profectò aduersum longe est inter homines, qui cum innocentibus plerumque peruerse agunt, non metuentes ab illorum innocentia vindictam, cum peruersis autem (quorum potestatem aut vim metuunt) quasi innocentibus, benignius agunt. ¶Versu 31. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine. Mens humana non ex se lux est vel lumen, sed lucerna, luminis videlicet capax, vt candela: quæ si igne fuerit cælesti & lumine desuper participato accensa, lucet, & illuminat interiora hominis. Si verò accensa non fuerit, neque lumine cælitus participato donata, candela est quidem sed extincta, non ardens neque lucens. Iustorum autem mens, vt sit ardẽs, lucensque lucerna, à Domino illuminatur: quemadmodum de Ioanne dicitur, Ille erat lucerna ardens & lucens. ¶Versu 32. Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Dei confortatio iustum ad duo facit valentem, in quibus est perfecta iustitia. Primum enim hoc agit, vt nulla tentatione à rectitudine & Dei charitate separetur. Deinde, vt ad quæcunque pro eius amore peragenda sit animo promptus, etiam si difficillima & humanitus videantur impossibilia, cuiusmodi est murum transgredi. Horum prius innuitur cùm dicitur, In te eripiar à tentatione. Posterius verò cùm dicitur, In Deo meo transgrediar murum. Quid enim tam difficile vel impossibile humanitus, quàm murum trãsgredi? ¶Versu 33. Deus meus impolluta via eius. Clarior foret oratio, si dixisset, Impolluta est via Dei mei. aut, Deus meus impollutam habet viam. Nunc verò dum primum Deus meus ponitur, ac sine rectore hoc relicto adiicitur per relatiuum, impolluta via eius, turbatior fit & inconsueta oratio: sed emphasis maior latet, & exprimitur hac in nouitate multa affectio, quemadmodum & alibi dicitur, Dominus ipse est Deus. ¶Versu 47. Eripies me de contradictionibus populi. Tres isti versus commodissime Christo possent applicari. Ipse enim de contradictione quam (Paulo teste) à peccatoribus aduersus semetipsum grauissimam sustinuit, patris potentia ereptus, constitutus est in caput gentium, regemque ac ducem populi, primogenitus factus in multis fratribus, iuxta illud: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Populus quoque gẽtium qui prius fuerat idololatriæ deditus, quem prius Deus non agnouerat (quemadmodum neque cognitus fuerat ab eo) subiecit se serituti eius, factusque est obediens ei mox vt prædicationem Apostolicam, verbum Euangelij, doctrinam veritatis, auribus audire cœpit. Filij autem alieni, Iudæi (qui ex electione paterna filij erant Dei, sed sua propria prauitate atque infidelitate facti à Deo alieni) ipsi mentiti sunt Christo Domino, negauerunt que eum, dicentes se alium non habere regem, nisi Cæsarem: mentiti sunt vero Domino suo, illum abnegantes coram Pontio Pilato, suntque obdurati & obstinati in sua malitia, & deuiauerunt à semitis fidelium patrum suorum. Patriarcharum atque Prophetarum, & cęterorum iustorum, qui aduentum Christi toto corde desiderabant, quem hi aduenientem mali filij contempserunt, atque etiam interemerunt. ¶Versu vltimo, Magnificans salutes regis eius. Videtur esse incommodum orationis ex subita mutatione personæ. Priore siquidem versu dixerat secunda persona, Confitebor tibi, &c. nunc verò subitò absque connexione debita, subdit, Magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo tertia persona: cùm dicendum magis videretur ad hunc modum, Confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo Psalmum dicam. Tu enim es magnificans salutes regis tui, & faciens misericordiam Christo tuo Dauid, & semini eius vsque in seculum. Verum de huiusmodi difficultatibus quæ in scripturis ex personarum mutatione occurrunt, quisquis conqueritur, delicatis auribus esse se probat, minimeque in scripturis sanctis versatum, vtpote quæ adhuc offendunt eiusmodi, quique nondum illis assueuit, quæ sunt scripturarum vsui familiarissima, minimeque extranea.

Iosue 10. Exod. 14. 2. Reg. 5. Ibidem. Ioan. 12. Ioan. 5.

XVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

ERuctat Psalmista in hoc Psalmo, ex plenitudine contẽplationis venturorum mysteriorum nouæ legis magnã mirabilia fidei nostræ sacramenta, incipiens à prædicatione Euãgelij, quod per cælestes illos Apostolos omnibus finibus orbis terrarum. Atq; hæc quidem primis quatuor versibus, Dehinc versibus tribus sequẽtibus, Dei humanationem, atq; à patris sinu ad terras filij Dei descensum, ac posteriorem ad eundem regressum, & sancti spiritus donationem prædicit. Post quæ à versu octauo de lege Euangelica (quã Christus adueniens tradidit obseruandam, ad quã Apostoli prædicãdum per orbem fuerãt missi) prolixius loquitur, multipliciter eã commendans, vsq; ad versum 13. Vbi deinde, à delictis quotidianis, in quibus multipliciter etiã iustos contingit offendere, & ab occultis petit mũdari, & à peruersis atq; alienis Deum sibi parcere præcatur: ita vt non dominentur eius, sicq; immaculatus perstare possit ante Deum, illiq; adiutori & redemptori suo grata semper laudis depromere cãtica.

XVIII. PSALMI ELVCIDATIO.

D I *Cæli enarrant gloriã Dei.*

* *& opera manuum eius annunciat firmamentum.*

2 Dies diei eructat verbũ, & nox nocti indicat scientiam.

3 Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

SVblimes ac cælestes viri, Apostoli sancti, (quos Deus sicuti cælos inhabitat, suaque luce dignanter perfundit, qui etiam in cæteros inferiores omnes, super quos à Deo constituti sunt, mirabiliter & salubriter influunt) hi sunt, qui Dei magnificam gloriam enarrarunt, prædicaruntque populis per orbem vniuersum: * & opera Dei, quæ ipse in potentia, sapientia, & bonitate sua mirabiliter est operatus, tam in rerum omnium potentissima creatione, quàm in humani generis dignantissima redemptione, annunciauit venerandus ille senatus Apostolicus, qui est veluti firmamentum, in quo lucent ipsi vt fulgidissimę quędã stellę, totũ mundũ illuminãtes. 2 Verbũ autẽ prędicationis eorũ, breuissimo tẽporis spatio percurrit & peruenit vbiq;, die vno diei alteri veritatis verbũ eructante, celeriterq; trãsmittẽte, & nocte vna alteri scientiã hanc verbi Dei, & Euangelicæ legis cognitionẽ indicãte: ita vt quasi de die in diem pergere videretur, celeriterq; increméta accipere quotidianis profectibus. 3 Vsqueadeò autẽ verbum istud prædicationis eorum celerrimè peruolauit omnia, vt non sint vlla loquelarum genera, neque idiomata vlla sermonum, in quibus non auditæ sint aut

Marc. 16. Actu. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut fuerint voces prædicationis atque annunciationis eorum: itemque E
nulli fuerunt homines cuiuscunque linguæ, cuiuscunq; idiomatis, cuiuscunque loquelæ, ad quos non peruenerit illorum sublimium prædicatorum institutio: quemadmodum non est vlla gens neque populus, ad quos non pertingat cælorum corporalium illuminatio, influxus, & multiplex operatio. 4 In omnes partes terræ peruenit vox Euangelicæ prædicationis ipsorum, & in omnes fines orbis terrarum peruenerunt sermones eorum, quibus magnalia Dei annunciauerunt: peruenit (dico) vox prædicationis eorum, in orientem, occidentem, & meridiem, & septentrionem, vbique fructificans & crescens, Domino (cuius gloriam prædicabant) iter ipsorum dirigente, & sermonem sequentibus signis confirmante. 5 Inter omnia autem magnalia Dei, quæ cœli illi annunciauerunt, hoc veluti caput est atque præcipuum, quod Deus in sole posuit tabernaculum suum: id est, mansionem atq; habitationem suã F
posuit in Christo homine (qui sic in medio totius Ecclesiæ constitutus, illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum, quomodo sol in medio firmamenti, mundum totum illuminat) quando ipsi Diuinitati complacuit humanam sibi in Christo vnire naturã, ita vt in homine Christo tota diuinitatis plenitudo inhabitaret corporaliter. * & ipse hic sol, Dei filius, de secreto sinus paterni, in quo erat ante secula, processit in publicum, assumpta carnis nostræ substantia, inter homines visibilis visibiliter apparens: * item & de secreto materni vteri, in quo per spiritus sancti operationem conceptus latebat, processit (inquã) ad eum modum, quo sponsus adornatus nuptialibus vestibus, cum gaudio & festiuitate foras procedit de cubili suo. 6 Adueniens autem in mundum Dei filius, in gaudio magno & alacritate multa, hilariter ad nostrã paruitatem descẽdit, viamque illam qua à cælorum sublimibus ad infima nostra venit, alacriter valdè cucurrit, ad modũ fortis gigantis accurrentis ad pugnam & liberationem populi sui. Sic enim Dei filius, gigas fortissimus, debellaturus hostem generis humani, nõ vtiq; vlla necessitate coactus, neque inuitus, sed propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, libentissimo animo ad nos accurrit potius quàm accesit, imò ad- G
uolauit potius quàm accurrit: * via autem quam percurrit ad nos veniens, maxima omnino & longissima erat. Siquidem egressus eius erat à sublimitate cælorũ, à patris sinu, in quo quiescebat ab initio. Exijt enim à patre, & venit in mundum. 7 Et post peractam pugnam, obtentumq; de hoste triumphũ, peractis omnibus ad quę missus fuerat, iterũ occurrit, estque regressus illuc vnde exierat. Mundum enim relinquens redijt ad sinum & dexteram patris, vnde nobis aduenerat: * ipse verò in altum ascendens, dona dedit hominibus sui spiritus, fecitque electos suos vniuersos sui caloris & ardoris (hoc est, spiritus sui) participes: ita vt nemo sit, quem non visitatio donorum eius subinde tangat, qui non virtutem sentiat illuminationis & spiritus eius, quantumuis etiam se abscõdere aut occultare videatur à conspectu Dei. Quemadmodum enim sol materialis ad summũ cœli scandens, omnia sui caloris virtute contingit, neq; quicquã est quod nõ eius virtutẽ persentiat, tametsi quædam amplius, alia minus: ita & sol iste, sui caloris & luminis virtutẽ modo quodam diffundit in omnes, illuminans omnem hominem venientẽ in hũc H
mundum. 8 Simul autem cum his Dei magnalibus annunciauerunt cælestes illi viri per orbem terrarum, legem illam præclaram Euangelicã, quam suis obseruãdam Christus Dominus tradidit, docerique gẽtes præcepit. Quę sanè lex immaculata est, tam in semetipsa (vtpote nihil habẽs maculę, nihil iniquum, neq; vanum præcipiens aut prohibens) quàm in suis obseruatoribus, quos sanctos & immaculatos corã Deo constituit: * estque conuertens hominum animas à vanitate errorum & peccatorum ad veritatem vitę ac fidei. Qui enim illi intẽderit, facile relictis vitijs, veritati atque virtuti sese accommodabit: * lex illa (quæ & testimonium Domini dicitur, quòd in ea testificetur monstretque Deus, quid agẽdum quidve omittẽdum) fidelis est, dispositа in iudicio & æquitate, firma, stabilis, suis obseruatoribus preciosa reddẽs præmia: * prestatque veram ac cælestẽ sapiẽtiam humilibus, diligenter assidueq; meditãtibus in eo: quorum mentẽ Deus sua gratia dignãter illuminat, vt ipsius legẽ valeant secundum veritatem intelligere. 9 Præcepta Dei (quibus iustificantur homines) recta, æqua, & iusta sunt, lętificantq; corda illorũ qui obseruant ea. Siquidem mens ex testimonio bonæ conscientiæ & obseruatio-

Marc.16. 4 *In omnem terrã exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Ioan.1. 5 *In sole posuit tabernaculum suum.*

Coloss.2. ** & ipse, tanquã sponsus procedens de thalamo suo.*

6 *Exultauit vt gigas ad currendam viam:*

Ioan.1. ** à summo cælo egressio eius.*

Ioan.16. 7 *Et occursus eius vsq; ad summum eius:*

Psal.67. ** nec est qui se abscondat à calore eius:*

Ephes.4.

Ioan.1. 8 *Lex domini immaculata:*

Matt.28.

Psal.110. ** conuertens animas:*
** testimonium domini fidele:*

** sapientiam præstans paruulis.*

Prou.15. 9 *Iustitiæ domini rectæ lætificantes corda:*

A
uatione fideli prẽceptorũ Dei secura, quasi iuge cõuiuiũ est: * lex Domini nequaquã obscura est, nequaquã intricata aut implicita difficultatibus, cuiusmodi sunt pleræq; hominũ leges, sed lucida est, clara est, imò veluti lux quædã est illuminãs oculos, & mẽtes intendentium illi vt viã vitæ videre possint, qua ambulare debeãt, quidq; vel agere vel omittere oporteat. 10. Timor domini ac filialis reuerẽtia (qua nos docet lex Euãgelica erga Deum vera affici charitate) sanctus ac mũdus est, per quem sanctificatur homo, & declinat à malo, perduraturus in sempiternũ, & neq; in patria fœlicitatis abijciẽdus. Permanebit enim Prou.15.
in æternum sanctorum erga Deũ filialis reuerẽtia: * præcepta domini quæ in iudicio dispositа sunt nobis, & secundum quæ iudicaturus est Deus obseruãtes siue trãsgredientes ea, sunt in summa veritate & æquitate dispositа, iustitiã & æquitatẽ habentia ex semetipsis, & in semetipsis à Deo: videlicet quia domini illius sunt, & ab illo data, qui potestatẽ habet plenã præcipiẽdi nobis quicquid voluerit. Quicquid enim ille prẽcipit, hoc ipso q̃ ab illo prẽcipitur, iustũ est vt obseruetur à nobis, quicquid tandẽ illud fuerit. 11. Sunt autem hęc domini prẽcepta bonis amabilia valde & concupiscibilia: estq; eorum intelligentia & obseruãtia summe optãda, cõcupiscẽda, atque desiderãda amplius q̃ possessio auri, vel argẽti, vel lapidis quantumlibet pretiosi: * maioremq; præstant suauitatẽ atque internã dulcedinem obseruatoribus suis quàm præstare possint ea quę reputantur corporali gustui suauissima, veluti mel & fauus mellis. Nam hæc tantũ fortunæ aut corporis bona sunt, possumtq; vel oculos vel palatum oblectare paululum, quę oblectatio & modica valde est, & non diu duratura: lex autẽ domini, meditãtibus in ea dulcedinẽ maximã in spiritu donat, & obseruantibus ex bonæ cõscientiæ testimonio integrã suauitatẽ atque oblectationem perfectam, quæ & his verè maior est illa quã mundus donat, & in æternum nõ deficiet. 12. Et quidem serui tui fideles, qui tibi placere quærũt, ipsi intenti sunt ad obseruationem illorum prẽceptorũ tuorum, soliciti ea custodire, operęque adimplere: * & nõ est sine fructu labor eorum, sed in illorum obseruatione bonã atque copiosam percipiunt remunerationem, dum & nunc in hoc tempore per obseruationem gaudium acquirunt in conscientia, ex bono testimonio, & in futuro beatam suscipient æternæ fœlicitatis retributionem. 13. Verumtamen quia fragiles admodum sumus ex nobismetipsis, & carnis sensu proni ad illicita, fit vt frequenter etiã qui tibi bona voluntate seruire cupiunt, in multis offendant quotidie, & leuibus offensionibus multipliciter delinquant, ita vt vix quisquam sufficiat ea omnia deprehẽdere, in quibus offendit: cùm occultissime nonnunquam subrepant, etiam cũ minime ipse qui operatur animaduertit: * contra quas quotidianas offensiones tuam Deus pijssime clementiã sedulo deprecor, vt ab occultis istis peccatis meis (quæ siue per ignorantiam, siue per subreptionem commisi, quæ mihi præ multitudine omnia non satis sunt cognita, meam animam emundes per indulgentiam & benignam illorum remissionẽ: * & ab ijs qui à te sunt alicui à malis atque peruersis (qui tui serui non sunt, sed potius tuæ voluntatis contradictores) parce mihi domine, & esto mihi liberator: vt non illorum prauis aliquando suggestionibus seducar in malum. Ab ijs etiam quæ impij dæmones, vel carnis corruptio, aut mundi peruersitas (quæ tria semper hostes tui sunt, & à te alieni) mihi ingerunt, parce mihi: & hos motus prauos peccatorũ, quos obtrudũt mihi etiam nolenti & secundũ spiritum reluctanti, ne imputaueris mihi, nec consentire me patiaris violentiæ illorum. 14. Quantumuis enim fuerint mihi molesti, quantumuis me grauiter vrgeant & angant suis tentationibus: confido tamen, donec illi mihi non dominentur, donec eis secundum spiritum non consentiam in malitijs, me fore immaculatum ante conspectum tuum, sanctumque ac mundum reputandum ante oculos maiestatis tuæ: * & mundus seruabor à peccato pleno atque perfecto, quod non fit nisi per consensum voluntatis in oblatam propositamque iniquitatem. 15. Neque vlla ex parte illorum malitia (quamdiu voluntate nõ cõsensero) me tibi reddere poterit odiosum aut male gratum: sed erunt (nihil illis obstantibus) verba laudis & gratiarum actionis, quibus te laudauero per os meum, accepta tibi & beneplacita, cùm nemo tibi fiat acceptus aliter quàm proprię voluntatis cõsensu: * & me-

** præceptum domini lucidum, illuminans oculos.*

10 *Timor domini sanctus permanet in seculum seculi.*
** iudicia domini vera iustificata in semetipsa.*

B 11 *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: * & dulciora super mel & fauum.*

12 *Etenim seruus tuus custodit ea:*
C ** in custodiendis illis retributio multa.*

13 *Delicta quis intelligit?*

** ab occultis meis munda me,*

** & ab alienis parce seruo tuo.*

D

14 *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.*
** & emundabor à delicto maximo.*

15 *Et erunt vt complaceant eloquia oris mei:*
** & meditatio cordis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mei in conſpectu tuo ſemper.

16 *Domine adiutor meus, & redemptor meus.*

ditatio cordis mei in lege tua & beneficijs, erit grata ſemper & placita E ante conſpectum præſentiæ tuæ. 16. Tu enim es ô domine auxiliator meus atque redemptor, cuius auxilio confido in præceptis legis tuæ perſeueraturum me ſemper: neque vllis vnquam alienorum ſuaſionibus aut impulſibus ceſſurum, ac tandem ab omnibus periculis liberatum ſaluum futurum in vitam æternam, quam promiſsione veridica pollicitus es vniuerſis tibi ſeruitute fideli famulantibus, in præmiũ retributionis æternæ. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM DECIMVMOCTAVVM.

VErſu primo, Cæli enarrant gloriam Dei. Per cælos intelliguntur ſancti Apoſtoli. Habent enim magnam cum cęlis ſimilitudinem. Cęli enim à Deo lumen ſuſcipiunt, & miram influendi agendique virtutem, vt ea in ſubiecta corpora effundant, terram vniuerſam circumambulant, Deique iuſſu circumeunt ad viuificandum eam. Neque eſt vlla terræ plaga, quam cæli non perluſtrent ac viſitent. Continent item quicquid in rerum natura exiſtit, & extra ipſos eſt nihil. Quę omnia ſanctis Apoſtolis applicare, attendenti Elucidationis verba eſt facillimum. Eadem quoque ratione firmamento aſsimilantur: quanquam ad hoc poſsit etiam alia adijci ratio, quoniam videlicet ſicut firmamentrm diuidit aquas ab aquis, aquas cælestes ab aquis quæ ſuper terram ſunt: ita venerandus ille Apoſtolorum ſenatus, aquas ab aquis, populos infideles diuidit atque diſtinguit à fidelibus, aquas cæleſtes ab aquis terræ. Aquę enim multę, populi multi. Poſſet nihilominus per firmamentum commode admodum intelligi vniuerſa fidelium Eccleſia, accipiendo firmamentum corporale (ad quod fit comparatio) non tantum pro ſphæra vnica, quam ponunt octauam in ordine cælorum: ſed pro tota illa machina cælorum, in quibus ſunt ſtellæ ſiue erraticæ ſiue fixę, id eſt, pro omnibus ſimul orbibus, tam planetarum quàm cæterarum ſtellarum fixarum. Tota enim Eccleſia in laude & gratiarum actione opera Dei annuntiat, & cum fauore prædicat. ¶Verſu ſecundo, Dies diei eructat verbum. Præter interpretationem in Elucidatione poſitam, poſſet verſus hic aliter intelligi, per diem accipiendo fidelem legis Euangelicæ: per noctem verò, Iudæum aut etiam philoſophum, ad hunc ſenſum, Dies diebus verbum Euangelicæ prædicationis eructant fideles à Deo quaſi dies illuminati, de plenitudine interioris vnctionis doctrinæque ſanctæ fidei, qua pleni ſunt, copioſe effundunt in alios fideles: ſicque fideles alij alios trahunt, quemadmodum dies diem quaſi poſt ſe trahit, & dies diei lumen velut tranſmittit: quemadmodum & nox nocti, id eſt, Iudæus (cuius cognitio legalis veluti noctis eſt lumen, comparatione ad cognitionem legis Euangelicæ, quæ eſt quaſi lux diei) Iudęo legis indicat ſcientiam: quemadmodum item & philoſophus philoſophum docet rerum humanarum cognitionem, quæ veluti noctis tenebræ ſunt comparatione ad lumen doctrinæ Euangelicæ, imò etiam comparatione ad ſciętiam legis. ¶Verſu tertio, Non ſunt loquelę neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Sermo iſte multam habet difficultatem, eo quòd in eodem caſu duplex ponitur relatio, dicendo quorum & eorum: deinde etiam quòd primi relatiui fiat enunciatio per genitiuum, quæ videretur rectius per caſum datiuum fieri debere, pro quorum, dicendo quibus Non eſt tamen minor in Græco ſermone incommoditas aut difficultas, quàm ſit in Latino: vt ne quis Latino interpreti id putet imputandum. Sciędum autem eſt huius verſiculi duplicem dari poſſe intelligentiam. Prior hęc eſt, Non ſunt vllæ linguę, neque vlla ſermonum genera, quibus non ſint auditæ voces Apoſtolorum prædicantium, hoc eſt, prædicaſſe illos in omnibus generibus linguarũ, ita vt nulla ſit lingua, nullum, idioma, quo non ipſi prædicauerint, & in quo non fuerit audita vox prædicationis eorum. Quæ intelligentia de dono linguarum loquitur: quod certiſsimum eſt Apoſtolos ita accepiſſe, vt quocunque peruenerant prædicandi Euangelij gratia, eiuſmodi illic ſermonis idiomate vterentur, quo ab illius loci incolis potuiſſent intelligi. Conſonatque hæc intelligentia illi quod in primo cap. Actuum Apoſtolicorum diuerſarum linguarum homines dicebãt, Audiuimus illos noſtris linguis loquentes magnalia Dei: audiuimus vnuſquiſque linguam in qua nati ſumus. Poſterior intelligentia eſt, ſecundum quam per loquelas & ſermones accipiuntur homines ipſi H cuiuſcunque loquelę ſiue idiomatis, quemadmodum & in alijs ſcripturę locis non ſemel linguę vel loquelæ ſolent accipi. Veluti cùm dicitur: Ex omnibus gẽtibus, tribubus, & linguis. Et alibi, Tribus & linguæ ſeruient ei. ¶Verſu quinto. In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Quemadmodum per cælos Apoſtoli, ita per ſolem ſignatur Chriſtus dominus. Sol enim in medio cælorũ quaſi rex & princeps locum habet illuminãs mirabiliter omnia, & ſuum lumen per firmamentum longe lateque diffundens, ſuo reſpectu omnia viuificans, abſentia autẽ cuncta mortificãs. Fulgetque gloria & ſplendore præ omnibus aſtris, & immenſum ſuperat claritatem cælorum. Oriens mane in magnifica gloria, & fulgore permaximo ad veſperã occidit, cùm in meridie in ſummo cęli eſt, hoc eſt, in eleuatione maxima, deſcendit quãtocyus appropinquãte veſpera, & ſe penitus per noctis tẽpus abſcondit: rurſumq; mane in gloria magna, cum gaudio eorum qui in terra ſunt, reuertitur. Inſuper in medio firmamenti poſitus, ab illo vehitur, & veluti circunfertur per orbem vniuerſum. Hæc autem omnia non ita difficile fuerit Chriſto Dei patris filio applicare. Ipſe enim in medio Apoſtolorum, atque adeò in medio totius ſuæ Eccleſiæ, erat quaſi præceptor & doctor, ſuæ doctrinæ claritate eos illuminans, vt ipſi deinde mundo vniuerſo ſufficienter illuminando. Ipſe in medio eſt totius Eccleſiæ, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, lucens in cordibus fidelium, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, vt ait Apoſtolus. Ipſe eſt veritas & vita, in quo omnia erant

Apoc.17.

Apoc.7.
Danie.6.

A vita ab initio, & in quo viuimus, mouemur, & ſumus. Aduenięte quoque mundi veſpera, temporis plenitudine appropinquante, defcendit Dei filius de ſummo cælorum, de ſinu patris in vterum matris, illicque ſeſe (ſub humana natura diuinam occultando) abſcondit. Poſt paſsionem verò, veluti noctis peracto tẽpore à mortuis reſurgens, reuerſus eſt in magnificentia glorificationis ſuę ad ſummum cęlorum vnde fuerat egreſſus. Inſuper ab Apoſtolis circumuectus eſt per orbẽ terrarũ, & veluti per eius circuitum illorum prędicatione deportatus, dum eius gloriã vbique terrarum lõge lateque prędicauerunt. Aduertendum præterea, quòd dicitur ipſa Diuinitas in hoc ſole poſuiſſe tabernaculum ſuum. Eſt autẽ tabernaculum peregrinãtium aut ad pugnã pergentium. Venturus ergo ad pugnã Deus contra inimicum generis humani, & quaſi colonus atque peregrinus futurus in terra, tabernaculum aſſumpſit carnis noſtræ, in quo peregrinus & pugnator inhabitauit: quod tamẽ (pugna peracta) nõ eſt dedignatus, neque à ſe abiecit, ſed dignãter glorificatum euexit ſecum in patriã ſuã. Poſſet etiã per ſolem virgo Maria intelligi, quæ propter præclarum fidei lumen, propter eximiũ charitatis feruorẽ, propter præclarã omnimodã ſanctitatem, recte ſolis nomine poteſt deſignari. In hoc autem ſole poſuit Deus tabernaculum, quando in ea humanam aſſumpſit naturã. ¶Verſu eodem. Proceſsio iſta qua tanquã ſpõſus proceſsit Chriſtus de thalamo, duplex inuenitur. Prior quidem à ſinu in vterum matris, ac deinde à matris vtero in mundum. Et paternus ergo ſinus, & virgi-
B nis vterus, Chriſti thalamus fuerunt. Clarius tamen proceſsio ſua intelligitur, qua de patris ſinu per vterum virgineum proceſsit in publicum mundi inter homines homo apparens. Recte autẽ hoc loco ſpõſi & nuptiarum adhibetur cõparatio. Siquidem in Chriſti incarnatione deſpõſatio duplex, & duplices erant nuptiæ. Primum enim admirabiles nuptię celebratę ſunt in virgineo vtero inter naturam diuinã & humanã: quando in vnum ſuppoſitum, ſpiritu ſancto operante, Diuinitas atque humanitas pariter ſunt vnitæ. Deinde cũ his nuptijs & alteræ fiebãt, Chriſti videlicet hominis cum Eccleſia ſancta. Hanc enim in vtero virginis homo factus, primum veluti duxit in ſponſam, eamq; ſibi cohabitare fecit. Quod matrimonium tunc cõſumniatum fuit, quãdo cum illa ſua deſpõſata vxore in crucis lecto dormiuit: hoc eſt, quãdo in illa eadem quã in natiuitate aſſumpſerat natura, in cruce pro humano genere mori eſt dignatus. Spõſis quoq; mos eſt veſtibus nouis & decentibus indui. ſic & Chriſtus habitum nouitatis aſſumpſit, habitu factus vt homo, in quo ſibi Eccleſiam copulauit. ¶Verſu ſeptimo, Nec eſt qui ſe abſcõdat a calore eius. Per hunc calorem poſſet, prẽter ſpiritũ ſanctum (de quo in Elucidatione dictum eſt) etiã aliud accipi, ſatis propoſito conueniẽs: nẽpe poteſtas Chriſti iudiciaria, quã à patre morte deuicta accepit, cõſtitutus iudex viuorum atque mortuorum. quẽadmodum omnis clamat ſcriptura. Aſſumptus ſiquidẽ in cælum ad patris dexterã, de cętero expectat, vt veniat iudicare viuos & mortuos: cõtra impios verò & infideles ſpecialiter, in furore & fer-
C uore iracundiæ ſuæ, quã nemo poterit effugere, à qua ira nemo ſe poterit occultare. ¶Quãuis autẽ prẽſentem Pſalmum hucuſq; in Elucidatione atque annotationibus expoſuerimus ſecundũ myſticã intelligentiã, per cælos intelligentes Apoſtolos, per firmamẽtum Apoſtolicũ ſenatum, per quos in vniuerſum orbẽ diffuſa eſt prædicatio veritatis Euangelicæ: atque ita in ſequentibus (ſecundum quem ſenſum manifeſte docet Apoſtolus Paulus debere nos hunc prẽſentem Pſalmum intelligere, cũ in Epiſtola ad Romanos, ad aſtruendã Apoſtolicæ prędicationis generalitatẽ, quartũ ipſius verſum allegat) poſſent tamẽ nõ incõuenienter hęc omnia de cęlo, firmamẽto, ſole, & proceſsione atq; curſu ipſius ad literã intelligi & exponi: idq; pulchre admodũ, & iucunda ſentẽtia. Cęli enim in amplitudine ſua, verbo ſolo creati, in omni ſuo ornatu manifeſte proclamãt, & palàm annuntiãt gloriã potẽtiſsimi dei, qui (vt in alio Pſalmo ſcribitur) verbo ſuo illos firmauit, & ſpiritu oris ſui perfecit omnẽ virtutẽ illorum. Firmamẽtum quoq; prędicat mirabilia opera Dei, quod tãta magnitudine & inæſtimabili ſtellarum multitudine mirificè eſt decoratũ. Die ac nocte non ceſſant hæ creaturæ laudare dominum, & velut de die in diem laudem effundunt: neq; finis eſt laudationis & annuntiationis huius, vt quo diutius quis in illis contẽpletur, eo amplius gloriã Dei perſpiciat. Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta cõſpiciuntur. Non ſunt vllæ linguæ, neque populi, quibus non prædicet cælorum magnificẽtia Dei omnipotentiã: & quaſi vocẽ ſuã & prædicationem effundit ſu-
D per omnes gẽtes, ſicq; modo quodã in omnem terrã, & in fines orbis terrę exiuit ſonus iſte annunciationis & prędicationis eorum. Sol quoq; iſte corporalis in medio cęlorum, quaſi in tabernaculo ſuo inhabitat: & ipſe tanquã ſpõſus procedit formoſus in ſtola ſua, quãdo de occaſu reuertitur, mũdo oriens, & illucęſcens in magnifico ſplendore. Currit quoq; fortiſsime vt gigas, & motu velociſſimo intra naturalis diei ſpatium rapitur per medium cæli, vt cõpletum efficiat curſum ſuum, totũ cæli ambitũ intra breuiſsimum hoc temporis ſpatium perambulans, ſiue potius percurrẽs. Dum in ſummo cæli eſt, deſcẽdit in occaſum: & iterũ ab occaſu reuertitur ſecundũ viciſsitudinẽ ad cæli mediũ atq; ſupremum, & pertingit calor eius ſuper vniuerſam creaturã. Quæ omnia ſic breuiter indicata, ſiquis latius explicet, aut profundius contẽpletur, videbit q̃ non male poſsint hęc omnia etiam ſecundum literã intelligi & exponi de cælis & ſole corporalibus: id quod & in annotationibus ex Hebręo aliquãto fiet clarius, quãtũ ad verſus aliquot magis principales. In his tamẽ annotationibꝰ noluimus, propter vitandã cõfuſionem, niſi myſticã interpretationem proſequi, quæ ex intentione Apoſtoli eſt, & orthodoxorum patrũ expoſitionibus magis cõformis. ¶Verſu octauo. Lex domini immaculata. Nota, quemadmodum præcepta domini multiplici hîc appellatione nominãtur: videlicet lex, teſtimonium, iuſtitiæ, præcepta, atque iudicia. Quorum nominum omnium atque etiã plurium rationes latius explicatę inueniri poſſunt Pſal. 118. vbi harum appellationum eſt frequentiſsimus vſus. ¶Verſu decimotertio. Ab alienis parce ſeruo tuo. Incertũ eſt an alienis maſculini generis

Ioan.1.
2.Cor.4.
Ioan.14.
Act.o.17.
Ioan.1.
Hier.14.
Philip. 2.
Act.o.10.
Roma.10.
Pſalm.32.
Roma. 1.

 ſit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fit,vt intelligatur ab ijs qui à te alieni sunt: an generis neutri, vt accipiatur pro malis vel peccatis a- E
lienis,hoc est,pro ijs quæ aliunde obueniunt, quemadmodũ sunt cogitationes & affectiones malæ atque inordinatæ,quæ vel ex diaboli fraudulentia,vel ex carnis malitia sese ingerunt homini prẽter voluntatis consensum. Motus enim inordinati(siue iræ,siue gulę,siue alterius peccati)quãuis ex suo genere mali sunt,non sunt tamen nostra mala, vel nostra vitia,nisi ex voluntate nostra procedant, vel per voluntatem propriam ea acceptemus,oblatis consentiendo,aut in ipsis delectationem constituendo. Alioqui,si non consentimus,si mox,vt senserimus,ad petram allidimus, reclamamus,repugnamus,contraluctamur, non consensum præbemus,non delectatione immoramur,aliena sunt, non nostra, dæmonis enim sunt, malæ carnis: nostra verò non sunt, quæ quantum possumus,tota
Psal.135. virtute abiicimus.Nullum enim vitium meum est,nisi quod voluntas mea facit esse meum. His autem alienis delictis frequenter virum etiam iustum contingit obrui, à quibus sibi postulat Deum parcere,vt scilicet non imputentur sibi ad punitionem,quibus pro sua fragilitate obluctatur: aut vt non sinantur aliquando ita excrescere, vt dominationem acquirant, & in consensum nimia pugna deuictum tandem pertrahant. Neutrum autem genus valet vel ex Græco vel ex Hebræo discerni. Vtrobique enim similis quæ in Latino est ambiguitas. Vnde ex Hebræo quidam vertunt,à superbis libera me, quod pro genere masculino videtur facere. alij, à superbijs vel temeritatibus, quod pro genere neutro. ¶ Versu decimoquarto,Si mei non fuerint dominati.Idem in hoc versu vsuue- F
nit quod in præcedenti ostendimus: videlicet quòd incertum est an genere masculino debeat legi, dominati sunt,vt referatur ad ipsos alienos:an genere neutro,dominata sunt, vt referatur ad ipsa aliena vitia & peccata.In Græco enim verbum est:vnde fit,vt hinc decerni nõ possit de genere.Vtraque autem lectio bonum sensum habet.Secundum genus masculinum sensus est manere hominem immaculatum & mundum à delicto magno & mortali, quo inter Deum & animam fiat diuisio, donec impij mala suggerentes non dominentur illi cui mala suggerunt.Non enim coinquinatur homo per tentantium malas suggestiones,nisi per cõsensum tentantibus se subijciat,aut ab eis deuinci se patiatur, illosque dominari ac prævalere sibi.Si verò genere neutro legamus, sic clara est sententia.Non enim maculat hominem, quod malis motibus & vitiosis cogitationibus atque affectionibus obruitur,modo non patiatur suo consensu illis venire intra se dominum. Quanquam autem vulgatiores codices Latini pene omnes habeant genere masculino, Si mei non fuerint dominati: apud beatum tamen Augustinum inuenimus genere neutro,Si mei non fuerint dominata: qui etiã exponit vitia & peccata.

XIX. PSALMI ARGVMENTVM.

G

PSalmum istum plerique fidelium doctorum ad Christum referunt, vt sit oratio populi fidelis, Christo domino prospera omnia precantis. Quorum pietati nullo modo obsistimus. Nobis tamen in Elucidatione placet magis ad regem temporalem,aut præsidentem tẽporaliter accommodari. Videtur enim oratio esse à Dauid composita,& sacerdotibus tradita,tanquam forma orationis simulatque benedictionis pro salute,& prospe-
1.Tim.2. ritate victoriæ contra inimicos ipsius:qua vterentur ad cantandum & supplicandum Deo pro regis salute,potissimum eo tempore quo contra hostes esset profecturus.Et quoniã beatus Paulus docet,Timotheo scribens, primum omnium fieri obsecrationes,orationes,postulationes,gratiarum actiones,pro omnibus hominibus, peculiariter autem pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt cõstituti, vt quietã & tranquillã vitam agãt subditi,si illi accipiant misericordiam.cúmque vix alius in vniuerso Psalmorum libro occurrat,qui tã commode & aperte per omnia ad hoc propositũ quadret,visum fuit nobis expediens, hunc Psalmum ita elucidando aptare,vt apta forma esse posit orandi pro rege,aut etiã alio quolibet,siue in tẽporalibus,siue in spiritualibus præsidente,vt ipsum proferãt siue sacerdotes,siue alij ei subiecti,pro salute regis:potissimũ cũ huius Psal
mi nullus penè sit vsus,si Christo applicetur. Nihil enim opus est nunc postulare patrem, vt filium suũ exaudiat,vt illius holocaustũ acceptet,vt illũ saluet ab inimicis.Iam enim ista peracta sunt. Secundum nostram autẽ quã proposuimus intelligentiam,totus Psalmus rectè cohæret,neque opus vllo argumenti contextu cum seip-
Lucæ 17. sam monstret connexio. Veruntamen & spiritualiter accõmodari poterit hic psalmus cuilibet fideli,pro quo H
volumus deprecationem facere,vt de hostibus spiritualibus obtineat pugnando victoriã. Et poterit Psalmus iste pro quolibet proferri,cupiente regnum Dei(quod intra se est)custodire ab inimicis, populumq; subiectũ (id est,vires omnes,actiones,cogitationes, atq; affectiones) sub imperio iusto tanquã rex bonus, continere. Hoc enim pacto, vnusquisque fidelis qui cum vitijs & concupiscentijs pugnat, cumq; dæmonibus & mundo, rex nominatur.Et quatenus rex est,vel esse cupit,eatenus pro eo Psalmus iste contra inimicos dirigi potest. Neque difficile est habenti vel paululum spiritualis luminis,ea quæ de temporali rege dicuntur, ad huiusmodi spiritualiter regem transferre.Nunc tamen attendamus, quemadmodum pro regibus ac præsidentibus orare debeamus:attendentes quoque,affectum cordis & desiderium orationi conformemus.

DECIMINONI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Exaudiat te dominus in die tribulationis:*



XAudiat te dominus in tempore tribulationis, cũ insurrexerint aduersum te inimici tui, ad persequendũ animam tuam, cùm clamaueris ad ipsum de tribulatione tua:*protegat te atque defendat dominus Deus patrum nostrorum,Abraham,Isaac,& Iacob, ad inuocationem no-

** protegat te nomen*

A *Dei Iacob.*
*2 Mittat tibi auxiliũ de sancto: * & de Sion tueatur te.*
3 Memor sit omnis sacrificij tui:
** & holocaustum tuũ pingue fiat.*
4 Tribuat tibi secundum cor tuum:
** & omne consilium tuum confirmet.*
B
5 Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.*
6 Impleat dominus omnes petitiones tuas:
** nunc cognoui, quoniam saluum fecit dominus Christum suum.*
7 Exaudiet illum de cælo sancto suo:
C ** in potentatibus salus dextera eius.*
8 Hi in curribus, & hi in equis:
** nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimus.*
9 Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.*
D
10 Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die qua inuocaueri-mus te.*

nominis tui sancti. 2. Mittat tibi desuper de cælo sancto suo adiutorium,præbeatque tibi auxilium supernũ de sublimi sanctuario suo: * & de superna illa cælesti arce Sion, tibi adueniẽs in auxiliũ, tueatur te ab omni nocumento hostium tuorum.3.Aspiciat Dominus ad omne sacrificium tuum,quod ei animo liberali & corde deuoto frequẽtissime obtulisti,aut etiã offers,aut in futuro proponis offerre:*& holocaustum tuum in conspectu eius pingueſcat, & quasi pinguissimũ fiat acceptũ in oculis eius,in modũ adipis pinguissimi,tam illud quod obtulisti,quam quod offers etiã nunc,aut in posterum offerre decreueris. 4. Tribuat tibi dominus omnia iuxta desiderium & votũ cordis tui, quæcunque salutaria postulas siue desideras:* & omne tuum consilium,omne propositum cordis tui, quodcunque cogitaueris in corde tuo,ad gloriã Dei atque propriã tuam subiectorumque tuorũ salutem,dominus ipse confirmet,& in effectum perducat. 5. Lætabimur nos(qui ex Dei ordinatione sub alis tuis protegimur)in salute & saluatione tibi à Deo concessa contra inimicos tuos, ac deinde etiam in saluatione quam nos per te & ex te consequemur: quemadmodũ lætari solent subditi in saluatione & victoria regis, & ipsi nimirum hac via protecti ab inimicis suis. * & in nomine Dei nostri, quem speramus tibi protectorem atque defensorem fore, nos magnificabimur atque exultabimus super inimicos nostros, liberati de manibus eorum,imò de eis obtenta victoria,& reportato triumpho. 6.Adimpleat dominus, & ad effectum plenum perducat omnes petitiones & omnia desideria cordis tui,quæcunq; secundum Deum salutaria concupiscis tibi donando:* nunc fisi in Dei misericordia, & spei certitudine confirmati, quasi rem indubitatam firmiter tenemus, ac si res iã perfecta foret: pleneque confidimus quòd saluum faciet dominus te regem nostrum Christum suum, quem super nos vnxit, præposuitq; regem populo suo. 7. Exaudiet te dominus de cælo quod sanctificauit sibi in aulam & sedẽ regni tui,vbi nihil omnino pollutum est, nihil coinquinatum: sed sunt omnia diuinæ consona voluntati:* salus autem dexteræ eius,victoria atque saluatio,quam faciet per dexteram suam, ipsa erit in fortitudinibus supernis Diuinæ potentiæ, inq; virtute superna, qua Deus tibi velut in multis potentibus exercitibus assistet.8. Sperent alij & confidant in apparatu bellico,in fortitudine prudentiaque humana,in curruum multitudine,& equorum fortitudine ac numero:* nos autem spem habebimus non in huiusmodi, neque in equis nostris,neq; in curribus nostris, aut in vlla nostra fortitudine siue prudẽtia,aut cuiuscunq; etiã auxilio,sed in Deo omnipotente,cuius nomen inuocabimus,quotiescunque graue aliquid nobis imminebit: * & cuius nomẽ etiam inter præliandum conclamabimus,ab illo postulaturi salutem atque victoriam, qui eam habet in manu sua. 9. Ipsi quidem fidentes in humanis viribus,atq; in semetipsis spem habentes,cõprehendentur,cõstringentur,cõcludentur,& quasi obuincientur,& cadẽt prostrati in prelio, non potentes suo tanto apparatu obtinere quã sperabãt victoriam:* nos autem in domino spem habẽtes,fortissimo propugnatore nostro,non prosternemur, neq; succũbemus,sed per victricem Dei nostri manum exaltabimur,& resurgemus ab humilitate nostra,sub qua pressi aliquãdo iacebamus sub inimicis nostris,& etiam ab illa, ad quam nos prosternere sperabant aduersarij nostri impetu virtutis sue. 10.O Domine,te precatur supplex populus tuus,vt regẽ quem vnxisti super nos,quẽ propugnatorem & saluatorẽ dedisti nobis, saluũ semper ab omni aduersitate custodias. & item omnes qui in sublimitate super populũ tuum sunt constituti, vt tranquillam & quietam vitam agat populus tuus in omni pietate: * & exaudi nos domine, salutaria ista bona à te humiliter deposcentes, 2. Tim. 2.
in quocunq; die te ad protectionẽ ex corde inuocauerimus: vt ita tuę exauditionis benignitate,& qui præsident,& qui subijciuntur omnes serui tui,pariter in salutem tuã perducamur æternã,sine fine tecum illic pariter regnaturi ante conspectũ tuũ in secula seculorum,Amen.

VIGESIMI PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste conuenienter accipi posset vt forma gratiarum actionis pro regis victoria, quemadmodum mox præcedentem diximus esse formam orandi pro regis salute. Et ad eum sensum facile est totum Psalmum exponere,si tantum ea quæ Christo absque mensura tribuimus, & secundum æternitatem, regi tempo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ralem gloriã iuxta congruitatem adaptemus. Possunt item quæ in hoc Psalmo dicũtur pro sanctorum glorio- E
Apo. 22. sa victoria, & salute post pugnã secura, Deo decãtari. Hi enim omnes reges sunt regnaturi cũ Christo impe-
ratore suo, qui illis dedit esse reges in secula seculorũ. Et his facile est applicare Psalmũ, tãtum ea quæ Chri-
sto attribuũtur secundũ plenitudinẽ vt primogenito, his ad mensurã (quasi adoptione regibus factis) appli-
cando. Verùm quia huius Psalmi omnia peculiariter, & eximio modo ad Christum pertinere cognoscuntur, vi-
sum fuit nobis hunc Psalmum regi Messiæ, Christo domino, peculiariter aptare: sicq; totam Elucidationis seriẽ
texere. Gratiarum actio sit patri decantanda pro filij sui domini nostri magnifica exaltatione & inæstima-
bili gloria, ad quam illum post passionis vilitatem sublimauit. Et quidem vsque ad Psalmi penè dimidium, hoc
est vsque ad versum octauum, gloria exaltati Messiæ exprimitur: post verò, omnium aduersariorum veritatis,
qui Messiam hunc respuerunt, & in eo patrem Deum contempserunt, pœna atque vindicta terribilis descri-
bitur. Nouissimus autem versus in laudis proposito canticum terminat.

VIGESIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine in virtute tua lætabitur rex:*
** & super salutare tuũ exultabit vehementer.*
2 *Desiderium cordis eius tribuisti ei:*
** & voluntate labiorũ eius non fraudasti eum.*
Psal.2. 3 *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti*
Ioan.3. *in capite eius coronam*
Esaiæ 11. *de lapide pretioso.*
4 *Vitam petiit à te, & tribuisti ei: * longitu-*
Hebr.5. *dinem dierum in seculũ & in seculum seculi.*
5 *Magna est gloria eius in salutari tuo:*
Apoc.19. ** gloriã & magnũ de-*
Ibidem. *corẽ impones super eũ.*
6 *Quoniã dabis eũ in*
Philip.2. *benedictionẽ, in seculũ*
& 26. *seculi: * lætificabis eũ in*
Galat.3. *gaudio cum vultu tuo.*
7 *Quoniam rex sperat*
Gene.22. *in domino: * & in mi-*
sericordia altissimi nõ commouebitur.
8 *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: * dextera tua in-*
ueniat omnes qui te oderunt.
Matt.25. 9 *Pones eos vt cliba-*

DOmine Deus, omnipotens pater, in virtute potentiæ tuæ lætabitur Christus rex noster, cùm per eam hostes suos deuicerit, optatumq; de hoste (ad quem debellandum venerat, triumphum reportauerit: * & de salute atq; saluatione, quã tu illi in tua virtute facere F
dedisti pro populo suo, gaudio permaximo gaudebit. Cùm enim nihil ipse tam optauerit, quàm salutem ac redemptionem populi sui, cõstat gaudium illi fore perfectum, tunc cum morte deuicta, & hoste humani generis debellato, perfectam populo suo redemptionem fuerit operatus. 2. Desiderium cordis & votum pij affectus ipsius adimplesti ei, & desideratã populi sui salutem contulisti ei: * neque denegasti ei petitionẽ voluntatis suæ, qua te orauit per os suum, & postulauit per labia sua, postulãs à te dari sibi gentes in hæreditatẽ, & terminos terræ in possessionem. 3. Iccirco autem ipse in te lætabitur, & tu adimplesti desiderium eius, quoniã tu illum copiosè implesti, nõ ad mẽsuram, dulcissimis benedictionibus omniũ gratiarum spiritualũ, faciens super eũ requiescere spiritum sapientiæ & intellectus, cõsilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & timoris sancti tui: atq; ob hoc non potuisti nõ exaudire tam gratissimũ puerũ tuũ, tibi supplicantẽ: * fecisti illũ, hoste deuicto, regẽ super populum quem dari sibi postulauerat, & diadema regni gloriosum, coronã immarcessibilem G
regni æterni imposuisti capiti eius, vt regnet super omnes sanctos in secula seculorũ. 4. In diebus carnis suæ, cùm adhuc in pugna versaretur, preces, supplicationesq; obtulit tibi suo patri, petens à morte saluus fieri, & in manus tuas cõmendans spiritũ suũ: petijt à te vitã æternã, non pro se tantum, sed & pro populo sito: & tu liberaliter dedisti ei, tam pro se, q̃ pro omnibus seruis eius: * longitudinẽ scilicet dierum dedisti ei, id est, durationẽ æternã, & vitam sine fine, in omnia secula seculorũ. Gloria regni eius est magna valde, superans nimirũ omnem gloriã principũ terræ: cùm sit ipse regum terræ princeps, rex regũ & dominus dominãtiũ: & duratione existẽs sempiterna: quã sanè gloriã ex tuo salutari, ex tua saluatione ipse habet, eo quòd morte illum tua potẽtia mirabili saluare volueris, sicq; mirificè exaltare, dans illi nomẽ quod est super omne nomẽ: * pro passionibus quoq; & laboribꝰ quibus fuit pro salute populi sui humiliatus, magnifica gloria & honore permaximo coronasti, decorasti, & exaltasti illum, ita vt in nomine eius omne flectatur genu. 6. Quoniã tu illũ benedices benedictione H
æterna, imò benedictionis authorẽ cõstitues, ita vt in eo benedicantur omnes tribus terræ, ita vt ipse omniũ vere benedicendorum sit benedictio in sempiternũ: * lætitia illũ inæstimabili adimplebis, in gaudio fœlicitatis æternę, per aspectũ vultus tui, per præsentiã Diuinitatis tuę. 7. Quoniã quidem rex noster Christus sperauit in domino Deo patre suo, & illi suã causam omnẽ cõmisit, inq; illius manus omnia cõmendauit: * & in misericordia altissimi cõfidens, nõ potuit conturbari aut frustrari, neque etiã cõmouebitur aut frustrabitur vnquã, sed in sempiternum securus erit, tã quo ad se, quàm quo ad populum suũ. 8. Qui verò se tibi aduersarios, inobedientes, atq; inimicos exhibuerint, illi inueniẽt sentientq; manũ tuã, & seuerã experientur vltionem districtæ iustitię tuę: * dextera tua tãget & cõprehendet omnes qui tibi aduersantur, vltionemq; exercebit in eos. 9. In ignẽ sempiternũ mittes eos, vbi igne vehemẽtissimo & inextinguibili ardebũt, quasi caminꝰ ignis vehementissime calefactus atque inflammatus: idq; facies in tempore iræ tuæ, quando tempus veniet ostẽdendi fœcunditatem iusti iudicij tui:

* tu

A *num ignis, in tempore vultus tui: * dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.*
10 *Fructum eorum de terra perdes: * & semen eorum à filijs hominum.*
11 *Quoniam declinauerunt in te mala: * co-*
B *gitauerunt cõsilia quæ nõ potuerunt stabilire.*
12 *Quoniã pones eos dorsum: * et in reliquijs tuis præparabis vultũ eorum.*
13 *Exaltare domine*
C *in virtute tua.*
** cantabimus & psallemus virtutes tuas.*

* tu domine in furore isto iracundiæ, in illo tempore vltionis conturbabis, disperdes, & confundes eos cõturbatione maxima: & mox ad prolationem sententiæ tuæ accipiet eos ignis gehennæ, inque eum incident atque mergentur in ictu oculi, perpetuis & intolerabilibus cruciatibus in eo affligendi. 10. Simul quoque perdes & ad nihilum rediges omnem fructum, quem in terra habere videbantur, ita vt damnati nullum vltra valeant fructum percipere ex iis quæ possederãt, quęque reliquerant super terram, neque de omnibus operibus quæ operati sunt super terram, de quibus iam erubescunt & confunduntur Ioan.6.
confusione sempiterna: * semen quoq; eorum & posteros (quos prauis suis exemplis ipsi corruperunt, qui malitiæ parentum suorum fuerint imitatores) perdes, perireque facies de numero filiorum hominum viuentium, de numero bonorum segregabis eos, & inter mortuos collocabis. 11. Iccirco autem pœna huiusce modi vleiceris eos, quoniam mala & peruersa contra te, tuosque seruos attentauerunt: * & ad suas malitias conceptas adimplendas, consilia, modos, & adinuentiones subtiliter excogitauerunt: quæ tamen non potuerunt confirmare, & in effectum perducere, vincente nimirum tua potentia atque sapientia omnem illorum malitiam. Cogitauerunt enim tui nominis gloriã annihilare, & tuos cultores opprimere inimici tui. quod, te impediente, neq; potuerunt vnquã, neque potuerunt operis effectu cõplere. 12. Quoniã tu pones illos, faciesque esse tibi velut dorsum, imposturus super eos onꝰ importabile, & põdus donationis ęternę quod tuo iudicio portare debebũt: * in pœnis dãnationis æternæ, quas tu illis seruas quasi reliquias peccatorũ suorũ, quę veluti fęces sunt vini deliciarũ, quod in hoc mũdo potarũt: in his, inquã, tuis reliquijs, implebis vultũ eorum, & his potabis eos, cùm vultum suũ exhibuerint tibi, cùm venerint ante conspectũ tuũ: his reliquijs, his fœcibus tu præparabis, ac miro modo ad horrorem aptabis, atque dispones facies eorum, confusionẽ mortis & dãnationis (quæ illis ex operibus suis relicta est) veluti superducturus super faciẽ eorum. 13. Ita tu domine rex noster & dominus noster, exaltaberis & gloriosus apparebis, ac talẽ teipsum demonstrabis in omnipotẽti fortitudine tua: * nos verò populus tuus & seruitui cõgratulantes tibi, laudibus prædicabimus, canticisq; ac Psalmis ad laudem aptatis efferemus fortissima opera virtutis atque omnipotentiæ tuæ, quæ Christo Iesu regi nostro est tecum ô ingenite pater, & cum spiritu sancto communis in secula seculorum Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM VIGESIMVM.

VErsu tertio, Quoniã præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. Si pro sanctorum gloria hunc Psalmũ profermus, manifestum satis est quomodo ipsi præueniantur à Deo benedictionibus dulcedinis, visitatione, liberalitate, & multiformi gratia Dei, quibus suos electos misericorditer Deus præuenit vt dignam valeant & bonã militiam militare, & fructum dignum facere. Iuxta quod alio loco noster canit Psalmista, Misericordia eius præueniet me. Quòd autem dicitur Deus posuisse in capite coronã de pretioso lapide, nõ aliud est, nisi quòd reges sunt in conspectu eius: iuxta quod in Apocalypsi dicitur, Fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo. De regibus autẽ temporalibus intelligendo Psalmum, præuentio itẽ in benedictionibus dulcedinis intelligitur liberalis donatio gratiarum, quas in rege posuit Deus, vt aptus esset atq; idoneus dominator super popu Psal.58.
D lum suum: & corona illa de lapide pretioso, temporalis regni diadema accipietur. Et quę sequuntur cætera facile aptari possunt vtrique intelligentiæ. ℂ Versu octauo, Inueniatur manus omnibus Apoc.5.
inimicis tuis. Quæ hic sequuntur sub persona secunda, possunt referri vel ad patrem, ad quẽ factus est sermo in principio Psalmi, vt sit sensus, Tua manus, ô Deus pater, inueniatur omnibus inimicis tuis, qui videlicet filio tuo resistendo, aduersarios sese tibi exhibuerunt. Aut ad personã regis nostri Christi pertinere possunt, ad hũc sensum, Inueniatur manus tua, ô rex noster Christe, omnibus inimicis tuis, qui tuo se regno subdere nolunt, oblatã per te Euangelij gratiã recusantes, & redemptionis exhibitum beneficium abijcientes. Neq; multum refert, siue hoc, siue illo modo sermo efferatur quandoquidẽ iidem sunt Dei patris & regis Christi inimici, aduersarij ijdẽ. Qui enim odit filium, & Ioan.15.
patrem odit qui misit illum. Et qui filio aduersatur, inimicum se patri constituit. Commune item Ioan.5.
erit vltionis iudicium patri & filio: Iudicabit enim pater per filium, cui dedit potestatem iudicium Act.10.
facere, quemq; (iuxta Petri sermonem) iudicem constituit viuorum atq; mortuorum. ℂ Versu penultimo, In reliquijs tuis præparabis vultum eorum. Reliquiæ illæ peccatorum, pœnæ sunt, quę pro Rom.6.
commissis peccatis eis apud iustum iudicem seruantur. Nam Paulo testante) stipendia peccati, mors est: nihilque aliud manet impios post mortem ex omnibus quibus in hoc mũdo inseruierunt vitijs, quàm confusio æterna & damnatio perpetua. Quemadmodum enim vinum, & ceruisia, & omne quod inebriat, aut in delicijs est, fœces habet, quæ tamen à bibentibus relinquũtur, neq; simul cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

potũ hauriuntur, ſic omnes huius mundi deliciæ quibus peccatores fruuntur, fæces quaſdã habent E
guſtus peſsimi & intolerabilis: quæ modo quidem ab illis non guſtantur q̃ ſint amaræ, verùm iuſtus
iudex reliquias has & fæces illis reſeruabit in tempus vltionis, atque in diem iudicij adducet eas, ac
tunc quidem illos guſtare, imò, velint nolint, epotare cõpellet, cùm (iuxta illud Apocalypſis) tantum
Apoc.18. illis dabitur de tormentis, quantũ prius in delicijs fuerant glorificati. Neminem verò turbet, q̃ Deo
loquens Pſalmiſta dicat, reliquiæ tuæ, quaſi Dei ſint iſtæ reliquiæ, & non peccatorũ. Reliquię enim
Dei dicuntur, quatenus ipſe eas ſeruabit peccatoribus, non autem quaſi ipſe eas ſit guſtaturus. Quẽ-
admodũ vindicta Dei dicitur, quã in impios proferet, nõ quam ſentiet ipſe. Peccatorum autem lon
ge aliter eſſe dicitur, quatenus ſcilicet in eas exercebitur, & quatenus ipſi eam ferent in ſeſe. Sic diſ-
formiter reliquię iſtę & Dei dicuntur, qui eas ſeruat impijs: & impiorum, qui guſtabũt epotabuntq;
eas. Poteſt autẽ commode admodum præſenti loco accommodari etiam illud, quod in Pſalmo alio
Pſal.74. ſcribitur de calice Domini, cuius fæx non eſt exinanita, de qua bibent omnes peccatores terræ.

XXI. PSALMI ARGVMENTVM.

HVnc Pſalmum, manifeſtiſsimum eſt ad Chriſti perſonam ſpectare ex Euangelijs ſacris: in quibus, ipſius
Matt.27. verſus plures ad Chriſtum pertinere afferuntur, & in Chriſti paſsione impleri. Nã principium Pſalmi à F
Chriſto in cruce prolatum ſcribit Matthæus cap.27. ſui Euangelij: vbi etiam illud, Reſpice in me non adijci-
tur, quemadmodum neq; hoc loco in Hebræis habetur codicibus. Illud quoq;, Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea,
Ioan.19. Ioannes cap.19. teſtatur in Chriſti paſsione impletum. Rurſum illud, Narrabo nomen tuum fratribus meis, Pau-
Hebr.2. lus Apoſtolus epiſtola ad Hebræos ad Chriſtum accommodat, docens quomodo nos Chriſtus dignatus ſit vo-
care ſuos fratres. Et (vt ſummatim dicã) quiſquis ea quæ ſancti Euangeliſtæ ſcripſerunt de paſsione Dominica
(Matthæus quidem cap.26. & 27. Marcus cap.15. & 16. Lucas 22. & 23. Ioanes verò 18. & 19.) contulerit
cum ijs quæ in hoc loco dicuntur, apertiſsime cognoſcet omnia hæc ad Chriſtum optime quadrare: & videbit
quẽadmodum clariſsimo illuminationis radio præuidens ante multa tempora Dauid quæ futura erãt, ſic quaſi
præterita deſcripſerit, atque ea quidẽ ita perfecte atque diſtincte, acſi præſens ipſe omnia trãſacta oculis cõ-
ſpexiſſet. Eſt ergo Pſalmus iſte oratio Chriſti in afflictione paſsionis poſiti, quã ad patrem effundit: in quo pri
mum ſuã derelictionem proponit, quaſi cum querimonia, ſecundum eã infirmitatem, ſecundum quã etiã calicem
Matt.27. ſibi auferri in Euãgelio legitur poſtulaſſe. Ad eãdem enim partem (nempe infirmã & humanam, ſecundum ſen
ſualem affectum) videntur illa petitio & iſta querimonia pertinere: & indicat vtraque carnis infirmæ fragi-
Matt.3.17. litatem, quã ſe habere verã ac paſsibilẽ, atq; paſsiones etiã exhorreſcentẽ, Chriſtus dominus & illa petitione
& hac querimonia nobis demõſtrare volebat. Exaggerat autẽ querimoniã ex eo quòd patres antiqui (qui nõ
niſi ſerui erãt) clamãtes ad patrem, frequenter exauditi fuerint, deq; manibus inimicorum liberati: cùm ipſe, fi- G
lius exiſtens dilectus, in tantã derelictionẽ, patris permiſsione deuenerit. Móxque incipit ſuæ paſsionis miſe-
riã & magnitudinẽ enarrare per omnia iuxta Euãgelicæ narrationis hiſtoriã: atque id quidẽ à verſu ſeptimo
vſq; ad vigeſimũ. A quo deinde, poſt enarratã paſsionis miſeriã, patrẽ orat pro liberatione & reſuſcitatione
ſuã, ne in morte vel in inferno permaneat, ſed à mortuis redeat victor: idq; facit tribus verſibus. Quæ verò
deinc ſequuntur, à verſu 23. ad Chriſti reſurrectionẽ. & ad nouæ Eccleſiæ per Chriſti reſurrectionẽ genitæ
ædificationẽ pertinent, vſque ad finem Pſalmi. Et primum quidẽ patri promittit filius clarificationẽ & præ-
dicationẽ ipſius in medio Eccleſiæ. Deinc verſu 24. ſubito cõmutata perſona, Chriſtus qui hactenus ad patrẽ
direxerat ſermonẽ, nũc ad fideles Eccleſiæ filios exhortationẽ cõuertit, monẽs eos pro ſuæ reſurrectionis glo
ria gratias agere patri liberatori. At deinde conuerſionẽ gentium ad Deum, & Eccleſiæ ædificationẽ, ac be-
neficia quæ in Eccleſia conferentur (tã de patre quam de ſe ad patris dexterã exaltato, quaſi de tertia per-
ſona loquens) prædicit: atq; ita qui in querimonia incœperat, propter ſolitudinis (vt videbatur) derelictionẽ,
in gaudio terminat, propter fidelium ex ſua reſurrectione conuerſionem & multiplicationem.

VIGESIMIPRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Deus Deus meus reſpice in me.*

DOminator omniũ Deus, qui meus etiam peculiariter H
es pater, & Deus ſecundum aſſumptæ carnis fragilita-
tem, aſpice queſo nũc ad me, in quãta ſim poſitus de-
ſolatione, in quanta pẽdeam miſeria, omni deſtitutus
ſolatio, omni prorſus auxilio humano priuatus, po-
ſteaquam omnes noti atque diſcipuli fugiẽtes me re-
liquerunt: * atq; adeò etiã tu pater meus benigniſsime, quomodo ſic
me reliquiſti, tuæ mihi diuinæ liberationis ſubtrahens conſolationẽ,
perinde ac ſi purus eſſem homo, & non etiam filius tuus, vnus tecum
Deus & dominus? * ecce verba delictorum meorum, id eſt, opera pec-
catorum generis humani, populi mei, quæ tu pater in me poſuiſti, &
ego in meipſo libens ſuſcepi, atque portaui, quæ ego non ſecus atque
mea reputo, volens pro eis tanquam pro peccatis proprijs ex tua
voluntate ſatisfacere: hæc (inquam) peccatorum opera ſunt, quæ
longe me faciunt à ſalute mea, quæ nunc à me tuam ſaluationem e-
longant, propter quæ nunc tua me Deitas non liberat. Nam ſic de-
cretum eſt à te, & ſic ego acceptaui, vt hanc deſolationem ad mortẽ
vſque,

* *quare me dereliqui-*
Eſaiæ 53. *ſti?*
* *lõge à ſalute mea verba delictorũ meorum.*

A 2 *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies:*

* *& nocte,*

* *& non ad inſipientiam mihi.*

B

3 *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſraël.*

4 *In te ſperauerunt patres noſtri:* * *ſperauerunt, & liberaſti eos.*
5 *Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt:*
* *in te ſperauerunt, &*
C *non ſunt confuſi.*

6 *Ego autem ſum vermis, & non homo:*
* *opprobrium hominum, et abiectio plebis.*

7 *Omnes videntes me, deriſerunt me:* * *loquuti ſunt labijs, & mouerunt caput.*

8 *Sperauit in domino, eripiat eum:*
D * *ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.*

9 *Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre:* * *ſpes mea ab vberibus matris meæ:*
* *in te proiectus ſum ex vtero.*

10 *De ventre matris*

vſque, pro generis humani peccatis expiandis, debeam ſuſtinere.
2 Quanquam autem id ſciam, & ſecundum ſpiritum ad id ſim prõ- Matt.26.
ptiſsimus: tamẽ, quantũ ex parte carnis, quæ infirma eſt, & aſpera hor Ibidem.
ret, præ nimio pauore & horrore, tędio atq; miſeria clamaui ad te, ſe-
cundum inferiorẽ hanc partem, poſtulans, ſi poſsibile eſſet, auferri à
me calicem: quem prœuidebat ſpiritus: clamaui (inquam) per diem, cũ
horror ille futurę paſsionis partem inferiorem turbaret: verũ tu non
exaudiſti me in hac petitione, ſecundũ inferioris partis appetitum po-
ſtulantem: * atque etiã cùm nocte clamarem in horto poſitus, flexis Lucæ 22.
genibus in terram proſtratus, atq; etiãm in agonia grauiſsima conſti-
tutus: tu tamen nõ exaudiſti, ſic vt auferres à me calicem, quẽ ex tuo
decreto, & ex meæ etiam voluntatis ſecundum ſpiritum acceptione
eram bibiturus: nequaquã tamẽ hoc ad inſipientiam mihi debet im-
putari, nemo hoc debet in me arguere, q̃ ſecundum partis inferioris
appetitum poſtulauerim id, in quo nõ eſt mihi factà exauditio: quo-
niam licet ſecũdum inferioris partis infirmitatẽ (ad teſtimonium ve-
ræ humanitatis meæ) exhorruerim calicem, atque pro eius amotione
fuerim deprecatus, tamẽ ſecundum ſpiritũ in omnibus ſubmiſi atque
cõmendaui meipſum voluntati tuæ, dicens tibi, Non mea, ſed tua vo Lucæ 22.
luntas fiat. 3. Dum verò ego in his pendeo anguſtijs, dum in hac deſo-
latione ago in terris, tu in excelſo cælo ſancto tuo habitas, ô mi ſua-
uiſsime pater, qui es laus populi tui fidelis, quem laudant ac prędicant
ſerui tui, & in quo laudatur & gloriatur omnis populus tuus. Siquidẽ
laudabilis eſt populus, cuius tu es dominus Deus eius: & in te ſemper
eſt ipſorũ laudatio. 4 Patres noſtri, fideles ſerui tui, Patriarchæ atque Pſal. 143.
Prophetæ, & cæteri iuſti horũ imitatores, ex quibus ſecundum carnẽ
ego factus ſum: ipſi ſpem ſuam omnem in te poſitam habuerunt: * & Roma.1.
tu nõ dereliquiſti ſperantes in te, ſed liberaſti eos de manibus omniũ & 9.
inimicorum, & ſaluos feciſti eos ab omni malo. 5 Clamantes ad te de
neceſsitatibus & anguſtijs ſuis pro auxilio, tua diuina virtute ipſos
protegente, & pro eis pugnãte, ſalui facti ſunt: * ſpem ſuã in te poſue-
runt, & nõ ſunt fruſtrati ſpe ſua, nec ſunt confuſi ab expectatione ſua.
6 Cùm verò iſtis, qui tantum ſerui erant, ſemper miſericordiam tuã
exhibueris, mihi tamen nunc in tanta hac derelictione poſito nõ prę-
ſtatur à te liberatio. Ego enim non quaſi homo, ſed potius vt vermis
pauperrimus & miſerrimus appareo, cuius nemo miſeretur, quantũ-
uis indigniſsimis modis ſim tractatus: quemadmodum ſuper vermẽ
nulla eſt miſericordia: * ſum factus hominum opprobrium & illuſio,
atque etiam infimæ viliſsimæque plebis deſpectio, vir dolorũ & ſciẽs
infirmitates, quaſi leproſus & deſpectus, de nouiſsimis virorum, cui Eſaiæ 5.
non eſt ſpecies neque decor. 7 Omnes qui me viderũt in hac pẽden-
tem miſeria, tranſeuntes per viam, deriſionis & illuſionis ſigna exhi- Matt.27.
buerunt contra me: * loquuti ſunt ore ſuo aduerſum me cõuitia, pro- Ibidem.
bra, blaſphemias iacientes in me, abſq; vlla reuerentia: & in deriſionis
ſignum mouerunt aduerſum me capita ſua, quaſi congaudentes meæ
miſerię, & proteſtantes dignam factis me accepiſſe vindictam. 8. Lo-
quuti ſunt aduerſum me in tantis anguſtijs pẽdentẽ, in hunc modum: Ioan.8.
Ecce vbi nũc eſt Deus, quẽ ſe patrem habere gloriabatur, in quo ſpe-
rare ſe dicebat, quẽ ſe glorificare, & à quo ſe miſſum prædicabat: ve-
niat nunc illi in auxilium, & eripiat illum de manibus noſtris: * ſi hic Matt.27.
filius Dei eſt, deſcẽdat nunc de cruce: & ſi pater hunc filiũ ſuũ agno-
ſcit, deſcendere illum faciat de cruce, ſicque faciat ſaluum de manibus Ioan.3.
noſtris, quandoquidẽ ipſe aſſeruit ſe à patre ſuo diligi & amari, & eſ- & 5.
ſe Deo in ipſo, vt patri in filio, beneplacitum. Atque ita, dum tu pater
me nunc derelinquis, iſti crucifixores mei arbitrantur falſa eſſe quæ-
cunq; de te prædicaui. 9. Ecce domine pater tu es qui me ſine huma-
næ virtutis operatione, tua diuina operatione, naſci feciſti ſecundum
carnẽ, atq; modũ, in verũ hominem prodire, de vtero virginis matris
meę: * & quemadmodum generationis, patrẽ alium præter te, non ha-
bui authorẽ: ſic tu etiã ſpes mea tota ſemper fuiſti, in te ſemper confi-
ſus ſum, etiam tunc cùm ſugerẽ vbera matris meæ, id eſt, à prima etiã
infantia ſemper ſpem in te habui, tanquã in Deum & patrem meum:
* in te omnem ſpem meã conieci, & veluti meipſum totum pleniſsi-
ma cõfidentia in te proieci, à prima infantia, à tẽpore egreſſus ex vte-
ro. 10 A tẽpore quo egreſſus ſum de vtero matris meæ, à prima ætate
ſemper

Universidad de Deusto
Biblioteca

meæ Deus meus es tu:
** ne discesseris à me.*

Psalm.15.

11 *Quoniã tribulatio proxima est:*
** & non est qui adiuuet.*

Matt.26.

12 *Circundederunt me vituli multi:*
** tauri pingues obsederunt me.*

13 *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.*

Lucæ 23.

14 *Sicut aqua effusus sum:* & dispersa sunt omnia ossa mea.*
15 *Factum est cor meũ tanquã cera liquescẽs, in medio ventris mei.*
16 *Aruit tanquam testa virtus mea:* & lingua mea adhæsit faucibus meis: * & in puluerem mortis deduxisti me.*

17 *Quoniam circũdederunt me canes multi:*
** concilium malignantium obsedit me.*

Matt.27.

18 *Foderunt manus meas & pedes meos:*
** dinumerauerunt omnia ossa mea.*

semper ego te agnoui & habui Deum meum & patrẽ meum, semper te colui, semper in te speraui:*ne ergo nunc derelinquas me pater vsquequaq; quẽadmodum isti existimãt: propterea q; tẽporalis liberationis auxilium nõ prestas, arbitrãtes me prorsus à te derelictum: sed adesto mihi in auxilium sic, vt in morte non permaneã, & tẽpore definito per te à mortuis resuscitet ad vitã, vtq; interim in his passionibus fortis perseuerẽ pro generis humani salute. 11. Iccirco autem tuæ præsentiæ supplex deposco auxilium, quoniã tribulatio maxima ex omni parte mihi adiacet, & vndiquaque me premit, ex omni parte circundãtibus me angustijs & malis, dum continuo inimicorum sæuiẽte inuidia, ac malitia, accumulantur mihi cruciatus: * & in his omnibus doloribus nemo est hominum qui mihi impẽdat quicquã auxilij, dũ omnes à me discipuli atque noti fugerunt: & siqui etiã sint qui velint adiuuare, propter fortitudinẽ & rabiem inimicorũ nõ valent. 12. Circundederunt me ad cõprehendendum, illudẽdum, & affligẽdum mili tes delicati atque lasciui, ad modum vitulorum lasciuientium & saltãtium præ petulantia, gaudentes in captione, illusione, & afflictione mea:*scribæ, pharisæi, & seniores populi (qui veluti tauri erãt implacabili odio & crudelitate erga me obdurati, pingues vtique & potentes delicijs & diuitijs) obsederunt me, & ita diligenter custodiri fecerunt, atque ipsi etiã obseruauerunt, vt nullo modo secũdum humanã viã viderer posse eripi de manibus eorum, donec me morti traderẽt. 13. Ad deuorandum me aperuerũt os suum aduersum me, ad modum leonis rapere quærentes prædam, & rugitum emittentis ad perdendum suo terrore innoxia animalcula. Sic enim & ipsi feroeissimi aduersarij mei cõtra me dilatauerunt os suum, & rugitum sæuæ accusationis contra me emiserunt, ante Pontium Pilatum præsidem terribi liter me accusantes in multis, dicentes me subuersorem gẽtis, turbatorẽ populi, potestatibus rebellantẽ, & Dei blasphematorẽ iuxta legẽ mortis reum. Quem sane rugitũ iniqui clamoris cõtra me emiserunt, vt me morti adiudicatum crudeliter interficerent. 14 Et ego præ passionis enormitate, acerbitate pœnarum, & vexatione immensa, quibus me affecerunt, dilapsus sum, quasi viribus omnibus destitutus in modum aquæ effusæ, quę consistentiã non habens mox diffluit & dilabitur:* & omnia ossa mea disipata sunt, dilapsa sunt, infirmata sunt, suaq́ue fortitudine & robore pristino destituta: ita vt nihil vltra superesset in me virium. 15 Cor meum nimia passionum angustia oppressum factum est intra me, in medio corporis mei, in superioribus corporis, ad modum cerę quę per ignis calorẽ dissoluitur, sicque suã perdens quã prius habebat duritiem & cõtinuitatem, diffluit resoluta. Sic enim & cor meũ intra me cõtinuo defectu resoluebatur, & defluebat tendens ad defectionẽ, præ passionis ardore atque vehemẽtia, nimia afflictione pene exesum atq; consumptum. 16. Fortitudo mea omnis, omnisque vigor qui intra me fuerat, exhauritur, penitusq; absumitur & excoquitur passionis magnitudine: ad eũ modũ quo ex vase fictili (quod humido prius fictum fuerat) per ignis actionẽ omnis humor excoquitur & elicitur, donec perfecta sit solaque siccitas.* Adeò autẽ omnis humor & vigor defecit in me, vt lingua adhęreat faucibus meis, veluti conuisceata nimia siccitate: quod solet fieri ijs qui grauissima siti premuntur:*& vsque ad puluerem mortis (in quem reuertuntur mortui) penè redire permisisti me, mox in mortem venturum, dũ mihi robur ab illis sic exhaustum nõ reparas. 17. Neq; verò mirum, si tã grauem sustinuerim in mea passione miseriã. Circundederunt enim me inimici mei malitiosa inuidia ac implacabili iracundia, velut canes rabidi latratus suos sæuissimos cõtra me emittentes, & dentibus suis me crudelissime laniantes, ijdemque numero nõ pauci: nimirum scribæ omnes, pharisæi, seniores populi, & omne concilium, atque etiam vniuersus populus, quem illi contra me cõcitauerunt, vt vnà cum eis contra me clamãrent, mortemq́ue meam deposcerent:* congregatio peruersorum istorum qui maligne & inuidiose egerunt contra me, obsedit me, quasi per circuitum, & ita diligenter, vt euadere non valerem. 18 Accepta tandem improbis suis rugitibus, latratibus, atque clamoribus importunis, sententia vt ego crucifigerer, perfoderunt clauis manus meas & pedes meos, cruci me sic affigentes crudeliter:* & in cruce me extendentes, extensione terribili ita distẽderunt tenerum corpus

A 19 *Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me:* diuiserunt sibi vestimenta mea: * & super vestem meam miserunt sortem.*
20 *Tu autem domine ne elongaueris auxiliũ tuum à me: * ad defensionem meam conspice.*

B

21 *Erue à framea Deus animam meam:* & de manu canis vnicam meam.*

22 *Salua me ex ore leonis: * & à cornibus vnicornium humilitatẽ meam.*

C 23 *Narrabo nomen tuum fratribus meis:*
** in medio ecclesiæ laudabo te.*
24 *Qui timetis dominum, laudate eum:*
** vniuersum semen Iacob glorificate eum:*

25 *Timeat eum omne semen Israël:* quoniam nõ spreuit neque despexit deprecationem pauperis.*
D 26 *Nec auertit faciem suam à me:*
** & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.*

27 *Apud te laus mea in Ecclesia magna:*
** vota mea reddam in conspectu timentiũ eũ.*

corpus meũ, vt dinumerari facile possent ab astãtib⁹ omnia ossa mea, ossibus ipsis prę nimia illa distensione ita prominentibus, vt distincte videri facile valerent. 19 Cùm verò hęc egissent, nihil permoti misericordia, imò magis gaudentes & gloriantes de perpetrata impietate, stabant ex aduerso, & contuebantur exaltatum in ligno, pendentemq́; in altitudine patibuli: ac diligenter inspexerunt me, ad satiãdum desiderium suum, & sibi inuicem me demonstrabant illudentes:* illi quoque qui huius sceleris (meæ dico crucifixionis) extiterunt ministri, accipientes vestimenta mea partiti sunt ea, faciẽtes quatuor partes, vnicuiq; militi partẽ: * & super vestẽ meã, super tunicã incõsutilem, quæ desuper erat cõtexta per totum, miserunt sortem, cuius esset, quis eã totã sibi acciperet, nolentes eã (eo q⁹ incõsutilis erat) scindere. 20. Et illi quidem rabidissimi canes, & rugientes leones, hanc in me crudelitatem exercuerunt. Tu verò Deus pater meus, qui non relinquis me solum, qui semper mecum es: ne mihi nunc in tanta desolatione posito deneges auxilium tuum, postquam ab omni humano & temporali destituor:* sed aspice ad defensionẽ & liberationẽ meã, vt me in morte nõ derelinquas, neq; in inferno, neq; in sepulchro, quemadmodum isti opinãtur: sed vt ad vitam post triduum quantocyus me resuscites. 21. Erue animã meã à gladio diaboli, à potestate mortis, vt non tenear à morte neque ab inferno: *& de potestate canum istorum rabidorũ, qua me morsibus suis insanis interficere existimabant, erue animam meam: quæ mihi, vt vnica, est merito charissima. Nam carnem quidẽ in passionẽ & mortem dare non formidaui, & in manus inimicorum corpus tua voluntate venire libenter permisi; animã tamen oro modis omnibus à morte saluari, neq; in potestatem inimicorũ meorum venire. 22. Salua me per resuscitationem potentiæ tuæ, ex ore leonum istorũ pessimorum, ne quod ipsi petebant obtineant, cùm me à morte saluaueris:* & à potestate maligna istorum (qui sunt veluti vnicornes, ad nocendum cõcessa sibi potestate atque auctoritate terribiles) salua me humilem, pauperculum, & afflictum puerum tuum. 23. Ego verò à morte, quã illi mihi putabant inferre, resuscitatus, tui nominis gloriam annunciabo & manifestabo fratribus meis, Apostolis atque discipulis meis, quibus post passionem meã præbebo meipsum viuũ in multis argumentis, per quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno Dei: atque per hos ego te faciã in medio totius Ecclesiæ fidelium laudari & glorificari, missurus eos in mundum vniuersum vsque ad vltimum terræ, vt omnes credentes baptizatos in nomine Trinitatis, doceant seruare præcepta tua, & veritatem tuã, ad quã prædicandã tu me misisti in mundum: atque ita tu pater Domine, in medio totius Ecclesiæ per hos fratres meos cõgregadæ, fies laudabilis, & glorificaberis ab omnibus fidelibus. 24. Vertitur sermo ad fideles Ecclesiæ. Vos fideles quicunque creditis in dominum Deum vestrum, illumque vt dignum est reueremini vos (inquã) iustum est, dignum, & congruum laudare eum pro mirabili vestra redemptione, quam per me filium suum ipse dignatus est operari:*quicunque verum estis semen Iacob, nõ carne tãtum, sed fide & veritate: quicũq; fidei patriarcharum imitatores estis, vos glorificare cõuenit Deum patrem meũ, qui liberationem patribus vestris repromissam fideliter per me filium suum adimpleuit. 25. Honorate, colite, ac digne reuereamini illũ quicũque reputari vultis in verum & spirituale semen Israël: * vtiq; enim laude est dignissimus, quoniam non abiecit, neq; exaudire renuit deprecationẽ, qua ego in passionis humilitate infirmus, despectus, pauper, & contemptibilis, ipsum fui deprecatus. 26. Neque auertit à me vultum suum, cùm deprecarer eum pro me atq; membris meis, quasi exaudire nollet postulãtem, aut quasi malę gratã haberet postulationem meam: imò clamantem me vultu placido respexit, benignis auribus audiuit & exaudiuit, de morte me ad vitã immortalem faciens resurgere: vnde & vobis quicunque creditis, quicunque mea membra estis, vita præsit æterna, & simul omne bonum: propter quę à laudibus illius (qui vobis tãta tã dignanter præstitit) cessare nunquã debebitis. 27. Ad te, ô pater meus, tendit, & apud te est, atque etiam de te, laus mea in Ecclesiæ meæ nouæ copiosa multitudine, in qua te vno animo cõcordes laudãt fideles mei & mẽbra mea: * laudes meas & pia cordis mei desideria, quibus te semper desideraui & optaui laudare, ego

Universidad de Deusto
Biblioteca

re,ego persoluã per membra mea in Ecclesia, quã tibi cõgregabo,in E
cõspectu omnium fideliũ timentium & colentiũ sanctum nomẽ tuũ.
Tu enim qui nunc in paruulo Iudææ loco paucos habes tui nominis
cultores: post meam resurrectionẽ laudaberis, & honoraberis cultu
prestãtissimo in multitudine gentium, vbique per Ecclesiam sanctã.
28.Pauperes spiritu,humiles,& mites, quos ego cõgregauero in Ec-
clesiã meã,ipsi gustabunt & comedent cibum,non panis neq; carnis,
sed verbi Dei,cibũ quoq; corporis mei,quod eis in sacramento dabo
absconditũ, quo cibo vtroq; copiose reficiẽtur (quantum opus erit)
fideles & humiles serui mei:*& ipsi nõ ingrati de percepto pabulo,cũ
laude gratias agent nutritori suo Deo, ex toto corde illi placere atq;
seruire desiderantes: * & quẽadmodũ cibo corporali sustentantur &
cõfirmantur homines in vita corporis,ita cõfirmabuntur corda & spi
ritus eorũ in vita atq; augmento spirituali,vitamq; accipient, & in ea
cõfirmabuntur in sempiternũ:nũc quidẽ in vita gratię,& in futura pa
tria,in vita glorię sempiterna.Viuit enim homo in omni verbo quod
procedit de ore Dei,suntq; verba Dei,spiritus & vita.Et itẽ panem il- F
lum Eucharistiæ,panẽ vitæ qui de cælo descẽdit,quisquis mãducauer-
rit,nõ morietur,sed viuet in æternũ.29.In illo tempore, post meã re-
surrectionẽ prędicãtibus Apostolis in vniuersis mũdi partibus,quot-
quot fuerint ad vitã prędestinati,recordabuntur domini Dei sui, cre
dẽtes in nomine eius,quẽ abiecerãt,neglexerãt,cõtẽpserãt,& prorsus
ignorauerãt patres eorũ idololatriæ dediti,& cũ affectu ex toto cor-
de ad ipsum cõuertentur,vt auersi ab omni vanitate cõuertãtur ad ser
uiẽdũ Deo viuo & vero,in iustitia & omnimoda sanctitate. 30. Et ex
omnibus tribubus omnibusq; nationibꝰ gentiũ alienigenarũ cõuersi
ad fidẽ ab infidelitate sua, in vera humilitate & corde fideli procidẽt
ante conspectum tuũ,adorabuntq; te dominũ Deum suũ. 31. Et vere
ita dignum & iustũ est,eritq; hoc mihi summũ gaudiũ, cùm ista post
meã resurrectionẽ impleri per Apostolicã prędicationem in Ecclesia
mea cõspexero,vt abnegata vanitate ad cultũ Dei fideles cõuertãtur.
Tibi enim,ô mi pater,qui es verꝰ omniũ dominus,cõpetit regnũ,tuũ
est regnũ,tibi cõpetit regnare in populo,nõ autẽ idolis aut dęmonibꝰ: G
* & tu es qui regnare debes atq; dominari in vniuersis gẽtibus per to-
tã Ecclesiã,nõ autẽ diabolus princeps tenebrarũ,cui tantũ cõpetit ty
rãnis inferni.32.Plurimi quoq; ex ijs qui potẽtiores,nobiliores,sapiẽ-
tiores,ditiores, ac prestãtiores videntur super terrã,gustabunt & co-
medẽt etiã ipsi de pabulo prędicto,panẽ salutaris Euãgelicę doctrinę,
& sanctum panẽ corporis mei : & adorabunt dominum Deum suum
cũ laude & gratiarũ actione:*corã te incuruabũt se,& adorãdi gratia
procidẽt ante cõspectum tuum,omnes quicunq; sese curuatis genibꝰ
posuerint super terrã,hoc est,quicunq; se in terrã ad adorãdũ proster
nẽt,quicunq; in terrę puluerẽ siue in pauimentũ se demittẽt ad adorã-
dum,hoc faciẽt nõ iã ante idola,sed in cõspectu tuo,hoc est pene om
nes & plurimi valde tibi procidẽt 33 Et ego resuscitatus per te, mor-
te deuicta,vita spirituali in gloria immortalitatis viuam coram te,ante
cõspectum tuum,atque ad gloriã tuã, mortẽ nõ visurus vltra inæter-
num:* & vniuersi filij mei, vniuersi fideles qui crediderunt in nomen
tuum,doctrinãq́ meã susceperint,te colẽt fideliter, tibiq́ serui & H
obedientes erũt. 34 Generatio vẽtura,populus nouus fidelis Ecclesiæ,
qui surget post meã resurrectionẽ, euãgelizabitur tibi domino Deo
suo , prædicationẽ & annunciationẽ salutis accipiet per Agostolos vt
credat in dominum Deum suum:*sicq́ue per veritatis prędicationem
quã tũc accipiet,populus ille fidelis factus ex infideli, annumerabitur
tibi tanquã vero domino suo,asscribeturq́ue & recẽsebitur inter ser-
uos tuos,quasi recẽter subiectus dominationi tuę:* annũciabunt san-
cti Apostoli mei, viri plane cælestes, populo illi nouo (qui adhuc est
nasciturus, qui est per Apostolicã prędicationẽ in baptismate & fide
generandus)iustitiam Dei,iustitiã verã quæ corã Deo iustificat, quæ
est ex fide in patrẽ & filium eius:illi,inquã,populo, quem tu pater ab
æterno prædestinasti & præordinasti facere in tempore suo, & quem
item perficies,aptabisque tibi in tẽpore definito,regeneraturus illum
tibi ex aqua & spiritu sancto,vt fiat tibi in populum electum & pecu
liarẽ,in Ecclesiã sanctã,in qua inhabites, & modo per dulcedinẽ tuæ
gratię,& in futuro secũdũ plenitudinẽ glorię tuæ sempiternæ.Amen.

AN-

28 *Edent pauperes, & saturabuntur:* & laudabunt dominũ qui requirunt eum: * viuent corda eorum in seculũ seculi.*

Deut.8. Matt. 4. Ioan.6. Ibidem.

29 *Reminiscentur & conuertentur ad dominum, vniuersi fines terræ.*

30 *Et adorabunt in cõspectu eius, vniuersæ familiæ gentium.*

Ioëlis 2. Lucæ 1.

Apoc. 16. 1.Par.29.

31 *Quoniã domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.*

32 *Manducauerũt & adorauerunt omnes pingues terræ: * in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.*

33 *Et anima mea illi viuet:* & semen meum seruiet ipsi.*

Rom. 6. 34 *Annunciabitur domino generatio ventura:*

Roma.3. ** & annunciabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur, quẽ fecit dominus.*

Ioan.1.

A

ANNOTATIONES IN PSALMVM VIGESIMVM PRIMVM.

VErsu tertio,Tu autem in sancto habitas laus Israël.Nota quòd laus Israël dicitur Deus dupliciter,vel quẽ laudat Israël,id est,omnis populus fidelis, omnis plebs Dei : vel in quo laudatur & glorificatur populus fidelis.Siquidem magna est fidelis populi gloria & laus magna,quòd dominum habeat Deum suum in se habitantem, ad custodiam atque protectionem . quemadmodum & summa erat idololatris ignominia, quòd simulachra muta haberent pro dijs suis. Vnde erat illud Moysi,Non enim est alia natio tam grandis,quæ habeat deos appropinquantes sibi,sicut Deus noster adest nobis. ¶Versu sexto,Ego autem sum vermis,& non homo. Aduerte differentiam inter occasionem vermis & alterius animalis perfectioris.Si enim animal perfectius, vtputa bos,vel ouis, vel equus, vel aliud quodlibet interficiatur aut moriatur, sunt qui compassione moueantur & doleant.Et si ob vsum humanum cogantur homines illa interficere, quemadmodum ea quæ in cibum veniunt,faciunt hoc tamen absque vlla ostensione crudelitatis, siue ictu vno graui, siue perfossione gutturis, iuxta quod conuenit, morte breuiori & faciliori ipsa interimentes. Erga autem vermes nequaquã vulgo hac vtuntur cõpassionis misericordia homines, quantumuis illis magna videatur inferri inflictio aut vexatio: sed absque vlla commiseratione frequẽter in varias partes secantur,neque etiam naturaliter viscera sic commouentur intra homines,quomodo si eadem alijs perfectioribus animantibus contingerent.Nisi forte quis Diuina pietate plenus,etiam in infimis & nouissimi B gradus viuentibus nosset primam illam vitam,& omnis vitæ primarium fontem agnoscere & venerari. Causa autẽ quare magis super animalibus perfectioribus sit humanis visceribus naturalis cõmiseratio,quã super vermibꝰ imperfectioribus, videtur hinc esse,ꝙ illa sint humanæ speciei aliqua ex parte(ratione perfectionis sensuum & membrorũ)magis similia atq; vicina,quàm sint hęc infima & imperfectissima animalia: Cùm verò omne simile diligat sibi simile secundum naturalẽ affectionem,amor autem commiserationem progignit,fit vt vbi maior est similitudo, maior quoque sit amor & commiseratio. Ob hæc nimirum, Christus dominus vermem se nominat : quem Prophetæ agnum nominarunt,ouem,& vitulum : nimirum ipse se amplius humilians, quàm illi ausi fuerant. Propter enim nimiã crudelitatẽ,quã in eum exercuerant impij Iudæi,vix homini similis videbatur. Propter quod ab Esaia prędictum fuit,Vidimus eum quasi leprosum, despectum, & quasi nouissimum virorum,virum dolorum,& virum scientem infirmitates. Non erat species ei,neq; decor. Et in humilitate iudicium eius sublatum est, atque alia plura:quæ omnia palàm vermis nostri miseriã attestantur.Et quoniã prę hac summa despectione,homini similis nõ videbatur,vix quisquã fuit qui super eo moueretur misericordia. Imò cùm iã à Pilato portans spineã coronã, & flagellis per totũ corpus crudelissime vulneratus,exhiberetur,demonstrareturque turbis, ad misericordiam excitan C damꝰadeò moti non sunt persequutores,vt etiam amplius iam mortem sitirent,inualescentibusque vocibus absque omni misericordia clamarent,Tolle,tolle,crucifige eum. Nõnulli verò sanctorum patrum aliud insuper mysterium intelligunt,in eo quòd Christus se vermem & non hominem dixit: quoniam videlicet non vt cæteri homines est humano more conceptus, ex concubitu maris & fœminæ,sed nouo miraculo,ex superna operatione spiritus sancti. Quemadmodum enim vermis patrem non habet,cuius cum matre cõcubitu generetur,sed in ligno vel in terra, ex putrefactione vel occulta virtute interna(quæ ex influxu venit corporis cælestis)concipitur & generatur:ita Christus dominus non ex virili semine,neq; ex cõmixtione,sed ex influxu superno & obumbratione spiritus sancti conceptus fuit in vtero virginis superbenedictæ Mariæ quasi in medio ligni castissimi, & ab omni sorde purissimi: aut quasi in medio terræ pinguissimæ, & per gratiam spiritus sancti fœcundissimæ.Intra pinguem enim terram solent libenter vermes progigni. Atque huic recte quadrabit, quod Dauid(qui personam Christi præfigurare solet)legimus.2.Regum.23.capite, tenerrimum ligni vermiculum nuncupatum. Fuit insuper Christus dominus secundum humanitatem tenerrimus, complexionis dispositionem nobilissimam habens : quemadmodum in vermibus summa est teneritudo. Qua de re latius egimus in libris quos de consideratione rerum naturalium conscripsimus, libri 9.cap.28.His ergo rationibus,vel diuisim,vel potius in vnum simul coassumptis, Christus do- D minus vermem sese nuncupasse intelligatur. Primum tamen Elucidationi respondet , & proposito rectius quadrat,intelligentiam quoque pleniorem facit. ¶Versu 15.Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.Participium liquescens,potest indifferenter coniungi vel cum cera,vt sit sensus,Cor meum factum est medio ventris mei, tanquam cera liquescens: aut cum corde,ad hunc sensum,Cor meum factum est liquescẽs in medio ventris mei tanquam cera. Quod autem ad sententiam pertinet,nihil refert,sic an sic iũgamus.Vulgatior est modus prior,quem in Elucidatione quoque sequuti sumus. Per ventrem autem hoc loco intelligi oportet non solùm partem illam quæ solet eo nomine appellari,in quo cibi sunt & stercora(In hoc siquidẽ ventre non est cor, neque in medio eius locum habet inter intestina plena stercoribus)sed pro parte corporis superiori vsque ad collum accipi oportet ventrem : atque in huius ventris medio situm est cor hominis. ¶Versu 24. Qui timetis dominum, laudate eum.Posset ab hoc loco residuum Psalmi accipi,quasi ipsius Prophetæ Dauid sermo , loquentis in spiritu de gloria resurrectionis Christi , deque patris ex hoc clarificatione,de populorum conuersione,Ecclesiæ ædificatione,de Apostolica prædicatione,sacramentorum viuificorum institutione,& in alijs quæ in tempore gratiæ futura erant. Nos tamen in Elucidatione maluimus totum Psalmum à Christo pronuntiari,ea quæ de Deo dicit ad patrem referentes,atque etiam ad ipsummet Christum,quatenus patri suo est coæqualis : sicque, cum ait,Conuertentur ad dominum, Laudabunt dominum, Domini est regnum,&c.simul & de patre lo

Esaiæ 53.

Ioan.19.

2.Reg.23.

quitur, & etiam de seipso sub tertia persona, quasi de alio. ¶ Versu 32. In conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram. Huius versus posterior pars videtur habere difficultatem, erit tamen facilis eius intelligentia, si ita legatur: Omnes qui descendunt in terram, id est, omnes qui se demittunt in terram, & prosternunt ad adorandum, cadent ante conspectum eius, id est, procident ante ipsum. Dictum est autem, omnes, hyperbolice: quia plurimi in primitiua Ecclesia conuertebãtur, vel omnes præordinati & electi in Ecclesia, quemadmodum apud Ioannem, Et erunt omnes docibiles Dei. ¶ Versu vltimo, Annunciabitur domino generatio ventura. Quòd dicitur annuncianda domino generatio ventura, in Elucidatione indicauimus duplicem recipere intelligentiam. Iuxta primã impropriè accipitur vox annunciabitur, vt idem valeat quod prędicabitur, impropriè item sumpta, vt tantundem valeat, atq; prædicationem & annunciationem susçipiet de Deo. Et huic sententiæ illud quod mox sequitur, concordat: Annunciabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur. Estque hæc particula secunda, expositio prioris: vt ista posterior pars, quæ per actiuũ verbũ enunciabitur, prioris per passiuum obscurius enunciatæ tollat obscuritatẽ: id quod scripturis nõ est infrequens. Populus enim fidelis (qui erat generatio ventura) annunciatus, euangelizatus, siue prædicatus est (vt ita loquamur) domino, id est, prædicationem & annũciationem susçepit de domino, & ad credendũ in dominum: quia cæli, id est, Apostoli, annunciauerunt eidem populo iustitiã Dei. Non autem mirum videatur, si verbũ illud annunciabitur, dicamus impropriè hic accipi. Nam & in Euangelio verbum euangelizari (quod secundũ virtutem idem valet pene quod annunciari) similiter impropriè sumitur, cum dicit ad discipulos Ioannis Saluator, Pauperes euangelizantur, id est, pauperes bona & læta nuncia accipiunt, vel pauperibus bona Euangelica nunciantur. Prædictæ expositioni fauet Chal. Para. quæ hoc loco sic habet, Semen Abrahæ seruiet corã eo, annunciabit virtutem fortitudinis Dei generationi venturæ: vbi secundum actiuã significationẽ idem exprimitur, quod in iam dicta intelligentia dicitur per passiuum. Altera autem intelligentia, quam innuit Elucidatio, erat accipiendo verbũ annunciari, quasi pro annumerari vel recenseri, vt sit sensus, Annumerabitur domino generatio ventura, quemadmodum populus de nouo acquisitus annunciatur, asscribitur, annumeratur regi, qui illum acquisiuit, recenseturque & velut refertur ad eum. Veluti cùm rex quispiam copiosum mittit exercitum, vt alienigenas sibi gentes subdat: is qui exercitui præest, quoscunque expugnat domino suo cuius negotiũ agit, annumerat, asscribit, atq; annũciat. Ad eundem enim modũ sancti Apostoli, qui à Christo ad orbem subiugandũ missi fuerunt, ex omnibus finibus orbis terræ, quoscunq; ad fide Christi cõuertendo salubriter expugnabant, eos Christo annumerabãt, adiungebant in populũ, & veluti in numerũ retulerunt ditionis ipsius: cuius nõ suum agebant negotiũ, quẽadmodum insignis quidã ex illis aiebat, Non enim nosipsos prædicamus, sed dominũ nostrũ Iesum Christum. Cælis ergo annunciantibus iustitiã Dei annunciata est domino generatio noua, populus nouus adnumeratus est ei, & in numerũ subditorum ipsi relatus, simulque recensitus. Et secundum hanc sententiam verti potest ex Hebræo, Numeratur domino generatio quæ veniet.

Ioan. 6.

Matt. 11. Luc. 7.

2. Cor. 4.

XXII. PSALMI ARGVMENTVM.

Dvlcissimus est hic Psalmus fideli cuilibet electo atque spirituali homini, ad meditandum Dei & Christi præcipua beneficia, & pro eis gratias agendum valde accommodus. In ipso nãq; multiplicia Dei beneficia commemorantur: quemadmodum videlicet Deus quasi pastor bonus, nihil eorum nobis deesse patitur, quæ sunt ad salutẽ nostrã vtilia, constituẽs nos in vberrimis Ecclesiæ pascuis, potãs nos aquis sapientiæ salutaris, quæ à spiritu sancto fluit in Ecclesia, & cuius participes fiunt fideles omnes in sancta Ecclesia: insuper corda nostra adse benigne conuertens, & per viã iustitiæ nos benigne deducẽs propter misericordiã suã. Deinde etiã in summis periculis protectionis suæ beneficium nunquã nobis subtrahens, disciplinã insuper paternã vt filijs virga & baculo impendens, ad corroborãdum nos contra hostium oppugnationes mensam parans, id est sanctissimum suum corpus & sanguinem nobis donãs in Ecclesia: neque sic solùm exterius pascens, verumetiã interius oleo spiritualis gratiæ spiritum lætificãs & fœcundãs: mercedem quoque & retributionẽ gloriosam pretiosumq; calicem fortiter agentibus proponens. Cuius denique indeficiens misericordia nunquam nos deserit omnibus diebus vitæ nostræ, donec nos adducat ad mansionem quietis æternæ.

VIGESIMISECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

Ephe. 2. Ioan. 10.

1 *Dominus regit me, & nihil mihi deerit:*

* *in loco pascuæ ibi me collocauit.*

2 *Super aquã refectionis educauit me:*

DOminus Deus, qui diues est in misericordia, ipse quasi pater & pastor bonus me pascit ac dirigit, quẽadmodũ pastor suã ouiculã, ita mei solicitam ac prouidã curã gerens: & ob hoc confido, q̃ nõ deficiam omni bono, neq; quicquam vnquã mihi deerit in vlla gratia, quod mihi sit ad salutẽ atq; ad spiritualẽ vitã necessariũ: *Et primũ quidẽ (vt ipsius saltẽ aliqua enumerẽ beneficia) cõstituit me, firmauit, atq; habitare me fecit in optimis pascuis, in vnitate & corpore Ecclesiæ suæ sanctæ: in qua veluti in pascuis pinguissimis atque vberrimis pascũtur atq; enutriũtur omnes fideles. 2 Enutriuit me secus decursus aquarũ viuẽtiũ, iuxta fontẽ aquę viuę, quæ est aqua sapiẽtiæ salutaris fluens in pascuis Ecclesię: qua potãtur omnes fideles in ea, atque in hac cælesti sapientia crescere me fecit, & augmentũ sumere in spiritu:

*cuius

A * *animam meam conuertit.*

3 *Deduxit me super semitas iustitiæ:*

* *propter nomen suum.*

4 *Nã & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala:* * *quoniam tu mecum es.*

B

5 *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

6 *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.*

C

7 *Impinguasti in oleo caput meum:*

* *& calix meus inebriãs, quàm præclarus est.*

D

8 *Et misericordia tua subsequetur me,*

* *omnibus diebus vitæ meæ.*

* cuius aquæ tanta est dulcedo, tanta est refectio atq; refocillatio quã præstat animæ bibenti ex ea, vt per suum gustũ animã meã ac spiritũ ab omni vanitate auersam cõuerterit in purũ ac solũ verũ ipsius Dei mei amorẽ. Gustato etenim spiritu, desipit omnis caro: & cælestis illa sapientia omnia facit quæ in mundo sunt insipida. 3. Perduxit quoque me pastor meus in viã iustitiæ, ponens me in via & obseruatione præceptorũ suorũ, atque etiã ducẽ & custodẽ mihi in hac via se præbens, à lapsu & transgressione me præseruãdo, vtque ad implẽda ipsius mandata essem validus me interius corroborando: * fecit autẽ hæc omnia mihi, nõ propter mea merita, nõ q̃ ego dignus essem ex me tãtis beneficijs ab eo affici, sed ꝓpter sui nominis gloriã, quoniã sic illi fuit placitum, voluitq; his modis suũ nomen, suam gloriã, suã bonitatẽ in me demonstrare. 4. Insuper etsi contigerit me peruenire vsq; ad maxima pericula, ita vt quasi proximus videar morti, iamq; me mors ipsa videatur operuisse, & velut obũbrasse, atq; expãdisse se supra me: nõ tamen conturbabor, neq; desperatione aut diffidẽtia deiiciar à timore immi nentiũ ante prementiũ malorũ: * quoniã te semper mecũ habeo adiutorẽ, & defensorẽ meũ, qui etiã de periculis maximis, imò & de morte potes es (si tibi placitum fuerit) me liberare, qui de me es amplius, quã egomet de meipso solicitus, quique in tribulationibus & periculis maxime & præsentissime adesse soles. 5. Quòd siquando aduersitas quælibet tua permissione, aut dispositione aduenerit in eruditionẽ & correptionẽ (siue virga ea fuerit, siue baculus, siue modica siue magna, siue ad tolerandũ leuior siue grauior) vsque adeò nõ conturbabor super paterna disciplina tua, vt etiã magnam cõsolationẽ sim ex ea accepturus. Erit enim hoc mihi indicio, q̃ nondũ à cura tua me abiecceris, q̃ nondũ adulterinũ me habes & nothũ, sed vt legitimũ filium: potissimum cùm sciam nullum esse filium quem non corripit pater: & eos qui extra disciplinam sunt, adulterinos esse, non filios legitimos. 6. Et quoniam tribulantium atque persequentium magna est copia & multa crudelitas, partim carne interius sæuiente, partim mundo exterius, diabolis vtrinque: vt aduersus omnes istos infractus & imperterritus stare queam, & non aliquando succumbere, mensam parasti in cõspectu meo, cibum proponis salutarẽ in Ecclesia tua sancta fideliter pugnantibus, panem vitæ qui de cælo descendit, pretiosissimum corpus tuum & sanguinem: de qua mensa sumentes digneque cõmunicantes, accipimus fortitudinẽ, & cõfirmamur in spiritu, vt aduersum omnes nos tribulantes, fortes & inuicti perstare valeamus. 7. Ad hæc interna vnctione spiritus tui sancti vnxisti spiritũ meum, oleo suauissimo spiritualis gratiæ tuæ mentem meã atque affectum (lætificãdo pariter atque fœcundando) copiose perfudisti, quẽadmodum oleum corporale faciem exhilarat & impinguat. Id enim facis, dum charitatẽ tuam per spiritũ sanctum diffundis in cordibus nostris, quãtum ad effectũ: quod ad mẽtem verò attinet, vnctione tua doces nos de omnibus, & omnem doces de credendis atque agendis veritatẽ: * Super omnia verò pars calicis mei quam expecto, portio mea hæreditaria, & beatissima illa hæreditas atque retributio fœlicitatis æternę, quæ me satiabit: ac prorsus inebriat, quę totum meũ desideriũ & appetitum sufficiẽter implebit, ô q̃ est præclara, & q̃ pretiosa & inæstimabilis, super omnia quę in mundo sunt aut valẽt cogitari: quã neq; oculus videre potuit, neq; auris audire: imò nec in cor hominis ascẽdit, quę prꝑarauit Deus se diligentibus. Atq; in hunc calicẽ præclarissimum iã præparatum mihi & seruatum in cælestibus aspiciens, mẽtisque oculos ac cordis affectum spe certissima intẽtos tenens omnes pro nihilo superabo aduersantium tribulationes atq; tentationes. 8. Semper autẽ misericordia tua præsto mihi aderit, ac veluti subsequetur, ita vt mecum sit, & mecum laboret in omnibus, quocunq; me vertero, custodiẽs introitũ & exitum meum, custodiẽs animã meã ab omni malo, parata auxiliũ præbere in omni opere bono, ad quodcũq; voluero extendere manũ meã: quẽadmodum pastor diligens ouiculas suas subsequitur, neque vnquã solas eas relinquit, donec in caulas induxerit, ne vsquam forte vel aberrent, vel in foueas cadant, vel luporum esca fiant: * atque hoc tuę solicitissimę curæ atq; custodiæ beneficium, non vno tantum vel die vel anno impendes mihi, verum omnibus diebus, quibus hic vixero super terrã, donec vixero in hac militante Ecclesia, in hoc deserto

Heb. 12.

Ioan. 6.

Psal. 103. Rom. 5. 1. Ioan. 1. Ioan. 14. & 16.

Esaiæ 64. 1. Cor. 2.

Sap. 7.

Psal. 120.

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 *Et vt inhabitem in domo domini in longitudinem dierum.*

vbi omnia sunt periculis,foueis,laqueis, ac lupis plena.9. Et ita quidē E semper tua misericordia me subsequetur, vt in æternitate in domo tua tecum valeam inhabitare, vt nemo me in hac via à præparata illic mansione valeat impedire, aut à te vlla ratione seperare, sed in æternum permanere & habitare valeam in conspectu tuo atque in domo tua:nunc quidem in Ecclesia hac militante,per gratiam tuā,in triumphante verò aduentura,secundum perfectam gloriā tuam,quæ sine fine perdurabit omnibus electis in secula seculorum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXII.

VErsu primo,Dominus regit me.Regere in bonā partē accipitur.Est enim Græce ποιμαίνειν,quod significat regere ad modum pastoris,siue pascere: quod verbum etiam supra Psalmo.2. haberi diximus in Græco,Reges eos in virga ferrea.Loquitur enim hic Psalmus de Deo quasi pastore,& plura ex ijs quæ hoc loco dicuntur de Christo erga Christianos,dicta videntur secundum similitudinem pastoris corporalis & ouium. Est enim pastoris officium curare vt nihil desit ouibus quod sit ad earum bonam valitudinem necessarium: vt in loca pascuorum educat eas, vt in vias bonas & F rectas deducat, à deuijs & suspectis locis custodiat, vt si in pericula incidāt præsentia, auxilio suo
Ioan.10. eas liberet, vt pedo suo(siquādo à via recta aberrare incipiant,aut à grege segregent, eas redire cogat:denique,vt pro ouibus solicitam curam gerat,& nunquam eas deserat,donec in quietis locum, in caulas inducat.Hæc autem omnia in isto Psalmo facile est considerare,quomodo Christo domino(qui sese restatus est pastorē bonum) applicētur,interiectis nihilominus & alijs quibusdam,quæ corporalibus ouibus nō cōueniunt:quēadmodum de aquis refectionis, quibus oues nō egent corporales,de cōuersione animæ,de parata mensa,de impinguatione capitis in oleo,& calice præclaro. Nobis enim rationalibus ouibus ampliori atque etiā alia cura est opus,q̄ oues corporales accipiant à suis pastoribus. ¶Versu 5.Virga tua & baculus tuus.Nonnulli per baculū intelligunt sustentationem Dei,qua iustos sustentat. Cùm enim dominus electas oues suas percutit (hoc est, disciplina qualibet seu aduersitate corripit)baculo nihilominus eos sustentat, dando in aduersitate patientiā, ne vel in murmurationē,vel in desperationem,vel in alia mala per impatientiā cadāt. Cùm ergo simul sunt virga & baculus,in hoc cōsolari debet electus.Virga autem si sola fuerit,defueritq; baculus, timendum est ne reprobus fiat ille qui sine baculo virgam sentit. Alij per baculum pastoralem siue pedum,intelligunt Dei internā directionem.Consolatio enim est electorū,cùm exterius flagel
lante virga,interius directio Diuina in viā rectam reducit. Parum enim profuerit virga, si defuerit G
Exo.4.5. hic baculus.Hęc autē vbi simul adsunt,magna est eius qui ea experitur consolatio,Sensit virgā Pha-
& 6. rao,sensit & Sennacherib:verū quia baculus defuit,nō eis sola virga attulit cōsolationem. Sensit &
4.Reg.16. Dauid virgā,post dinumerationem populi:sensit item Nabuchodonosor, postquā eleuatum fuisset
2.Reg.24. cor eius.Et his,quia simul adfuit baculus,interior Dei directio ad pœnitentiam,iccirco acceperunt
Danie.4. cōsolationem,& per virgam atque baculum senserunt emēdationem. Nos autem in Elucidatione, tam per virgam,q̄ per baculum indicauimus accipi correptionem disciplinæ: per virgam quidem mitiorem,per baculum verò duriorē. Quosdam enim virga tantum,alios etiam baculo corripit pastor bonus:& quosdā quidem leuiori ac mitiori disciplina,alios verò duriori corripit,iuxta quod ip
2.Reg.12. se nouit vnicuique ad salutē & meriti promotionē conuenire.Iusto autem quidquid tandem ex domini manu euenerit,siue virga corripiatur siue baculo, consolatio esse debet, dum attendit domi-
1.Par.21. num esse & patrem qui corripit: idque totum quod agitur ad suam sibi salutē proficere. Quasi virga percutiebatur Dauid, cùm pro adulterij & homicidij peccato pueruli ex adulterio cōcepti vitā
2.Reg.16. impetrare non potuit. Leuis enim satis & mitis videbatur ista correptio pro peccati magnitudine. Baculo verò cædebatur,cùm post populi dinumerationē,septuaginta milia hominū ex populo sibi charissimo,pro suo peccato percuti vidit pestilētia:item ,cùm grauissimā sibi persequutionem à filio suo Absalon susciatari conspexit. In vtroq; autem susciipiens patienter Diuinam correptionem, H emendatus est & cōsolatus est.Quod autē per virgam dicamus intelligi correptionem mitiorē,per baculū verò duriorem,ex communi cōsuetudine accipimus parentū, qui filios donec in ætate sunt minori,virga corripiunt:quos iā grandiores factos,omissa virga,baculo corrigunt,si cōmeruerint. Est autem præter virgam & baculum, etiā gladius domini, quo corripit reprobos, qui de numero filiorum non sunt.Atq; hic potius ad vltionem,quàm ad disciplinam spectat.Non enim ad patrem,
Rom.13. sed ad iudicem spectat gladius. Gladius ergo domini metuendus est, & semper præcauendum ne veniat nobis. Cæterum virga & baculus cùm aduenerint, etiam in consolatione sunt habenda, atque inter præcipua Dei beneficia hominibus spiritalibus sunt æstimanda.

XXIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste in initio & in fine Christum dominum respicit:in medio autē eos qui dignos se Christo per iustitiam & vitam bonam exhibuerint. In principio itaque Christi domini vniuersale super omnem terram dominiū proponitur,propterea q̄ ipse orbē terrarū fecerit et creauerit.Est enim iustū,rationabile,atq; necessariū,eundē esse orbis dominū qui creauit illū,atq; omnes habitātes in eo.Versu autē 3.incipit describere qui digni habēdi sint vt admittātur in orbē illū vēturū,in ciuitatē supernā:posteaquā cōstat nō omnes illic admittēdos absq; discrimine,quēadmodū in hoc orbe sine distinctione habitāt boni et mali,et omniū secundū̄ naturalem

A *ralē subiectionē(ratione creationis)æqualiter Deus est dominus.Describit autē quales isti esse debeāt,qui in illū venturū orbē,in montē sanctū sint admittēdi,versibus quatuor,nimirū à tertio vsq; ad septimū.A quorum sum vsq; ad finē,Christi gloriosum dominiū proponit,nō iam quod ratione creationis rerū habeat:sed quod ratione peractæ victoriæ à patre accepit,iuxta illud,Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.Consideras itaq; propheta in extasi spiritus Christū,accepto hoc dominio cū gloria magnifica ascendentē vnà cū multitudine illius beatæ captiuitatis,quā ascendēs secū ducebat in altū(de quibus in præcedētibus statim prædixerat)tanquā præcurrēs nuncius,angelos alloquitur,vt aperiāt venienti domino portas ciuitatis,secundū omnē altitudinē & latitudinē:causam simul adiungens,magnitudinē gloriæ & maiestatis eius,quē cōtemplabatur aduenientē:sicq; dulcissimo exitu,in suauissima cōtemplatione ingressus Christi,Psalmum hunc terminat.* Matt.26. Ephe.4. Psal.67.

VIGESIMITERTII PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domini est terra & plenitudo eius: * orbis terrarū & vniuersi qui habitant in eo.*

B 2 *Quia ipse super maria fundauit eum: * & super flumina præparauit eum.*

3 *Quis ascendet in mōtem domini? * aut quis stabit in loco sancto eius?*

4 *Innocens manibus & mundo corde:*

C ** qui non accepit in vano animam suam.*

** nec iurauit in dolo proximo suo.*

5 *Hic accipiet benedictionem à domino:*

** & misericordiam à Deo salutari suo.*

6 *Hæc est generatio quærentium eum:*

D ** quærentium faciem Dei Iacob.*

7 *Attollite portas principes vestras:*

** & eleuamini portæ æternales:*

** & introibit rex gloriæ.*

8 *Quis est iste rex glo-*

IErra vniuersa cū omni sua plenitudine, cum omnibus quæ in ea sunt,& in ea sustentantur,creaturis, domini Dei est,qui creauit eam:*vniuersus,inquam,orbis terrarū,totus terræ globus, cum omnibus qui in eo,vbicunq; gentiū,vbicunq; locorū inhabitant.2.Ipse enim est,qui orbem terræ creans stabiliuit, firmauit,constituit,solide posuit super elementū aquæ, super cōgregationes aquarū Gene.1.
quæ sunt maria:* & super vniuersitatem aquarū super elementum totum aquæ,artificio magno & sapientia pręparauit,stabiliuit,firmiterque collocauit eū,quasi globum in medio aquæ.3.An verò omnes qui nunc in hac terra inhabitāt,absq; discrimine boni atq; mali, sic etiam in supernam mansionē sunt absq; discretione admittēdi? Quòd si non omnes:qui ergo digni erūt assumi in montē illum excelsum, atque ad sublimitatem peruenire maiestatis Dei, ante conspectum diuinitatis: * aut qui digni reputabuntur,vt stent,permaneāt,atq; vt ciues inhabitent in ciuitate illa superna,in māsione illa beata, quam ipse dominus sanctificauit sibi in aulam regiam,& glorioſum palatium suum?4. Illi nimirū,qui manibus fuerant mundi,puri,& innoxij, qui nihil operati sunt iniquū,neq; cōtra Deum, neq; contra proximos, sed econtrario opera iustitiæ & virtutis sedulo sunt operati:qui,inquam, non solum opere exteriori innocētes se exhibuerunt, verumetiam cor mundū & affectum syncerum gestauerūt,adeò vt nō solum opere nihil noxium perpetrarint,verum neq; desiderio quicquam tale concupierint:* qui animas suas nō in vanū siue frustra à Deo acceperūt, sed ipsis bene vsi sunt,ad bonū cultum Dei,ipsarū vires omnes diuinis obsequiis dedicando, ad quem finem indubitū est hominibus animam rationalem datam esse:*qui etiam non iurant in dolo,non peierant,& omnino nō mendaciter neq; dolosē agunt cū proximis suis: sed quæ promiserunt aut iurauerunt,implent iustē atq; fideliter:& quæcunq; agunt cū proximis, synceriter absque fraude & dolo peragunt in iustitia. 5. Hi sunt qui in cælestibus benedictionē accipient immortalitatis,& donū beatitudinis æternæ à domino, cuius in hac vita voluntatem peregerunt: *& hi perfectā illā æternæ satis misericordiam consequentur à Deo omnipotente saluatore suo:rigorem autem vltionis, quam illi sentiēt qui contraria fuerint operati,nō experiētur. 6. Hęc atque huiusmodi, qualem suprà descripsimus,est generatio eorum qui timent dominū: tales esse debēt, qui de populo & numero timentium esse cupiūt,atq; cum eis præmij æqualitate participes fieri: * hic est, inquam, populus & generatio eorum,qui ex puro corde requirunt cōspectum Dei veri,qui ambulant tanquam in conspectu domini Dei sui,semper illi cupientes placere: & tales fieri oportet, qui de horum numero haberi velint.Atq; huiusmodi sunt, qui dominum sunt in cælestia scandentem comitaturi, in laudibus, vt hîc ante cōspectū eius semper ambulauerunt in virtutibus. 7. Vox Prophetæ in spiritu exhortantis angelos,vt Christū dominum cū victoria redeuntem susciipiant: Vos verò ô principes,ô sublimes angelici spiritus, attollite, eleuate,& in altum atq; latum aperite portas vestras, redeūti cum victoria magnifica domino:* vos quoq; portæ æternitate stabiles, ciuitatis supernæ, eleuamini alte ,lateque aperimini: * ecce enim aduenit rex gloriosus Christus dominus,peracta militia, regnum in ciuitate superna accepturus, omnibusque angelicis exercitibus præferendus.Cui sane cū innumera multitudine iustorum omnium qui se in vita Deo dignos exhibuerūt aduenienti,cōuenit portas ciuitatis vestræ(in quā ingredietur, accepturus regnum) alte lateque aperiri. 8 Quòd si cognoscere velitis

Universidad de Deusto
Biblioteca

riæ? dominus fortis, & potens, dominus potens in prælio.

9 *Attollite portas principes vestras:*
* *& eleuamini portæ æternales:*

Apoc.19. * *& introibit rex gloriæ.*

10 *Quis est iste rex gloriæ?*
* *dominus virtutũ ipse est rex gloriæ.*

Ioan. 4.5.

quisnam iste sit rex gloriosus, cuius prædico aduentũ, & cui portas iubeo attolli atque eleuari, scitote quoniam ipse est Christus dominus, E
rex fortissimus & potentissimus, eandẽ cum patre fortitudinẽ & coæqualem habens virtutem: ipse, inquam, qui potes & robustus est pugnator, qui potentia sua debellato inimico generis humani, gloriose triumphauit, deuicta morte, infernoque, & inferni principe diabolo superatis. 9. Iterũ vox exhortor, ô principes excelsi, angelicæ potestates, vt portas ciuitatis vestræ late aperiatis venienti à victoria, inque propria redeunti domo, cum innumero iustorũ comitatu, quos secũ à captiuitate inferni poteter liberatos adducit, vestris ordinibus inserẽdos: *vos iterũ moneo, ô portæ æternæ, nunquã confringendæ, ciuitatis supernę, quã nemo vnquã poterit expugnare: vos, inquã, iterum iubeo alte lateque quantum fieri potest aperiri, in tanta gloria & comitatu venieti domino: * Introibit enim per vos rex regum & dominus dominantiũ, rex gloriosus super omnes reges. Nõ debet autẽ qui in tanta maiestate & tãto cum comitatu aduenit, per angustum ostiolum intromitti, sed portas necesse est illi in altum & latũ prorsus aperiri. 10. Neque verò est q̃ miremini quisnã iste tantus sit qui sic ascendit in gloria, qui venit tanto comitatu ingressurus in ciuitatem vestrã vt regnum accipiat: * ecce enim ipse est dominus angelicarum virtutum omniumq; vestrorum exercituum, & omnino omnium vestrum ipse est dominus, filius Dei, patri æqualis, qui olim exiens ad patris implendã voluntatem in terras, nunc reuertitur, peractis omnibus, cum gloria: propter quod cum omni reuerẽtia & obsequio quo potestis, illi debetis obuij procedere, aduenientemque cum omni lætitia & iubilo suscipere generis humani redemptorem, & angelicorum ordinum reparatorem, dominum Iesum Christum, qui patri erat eritque coæqualis, vnà cum spiritu sancto in omnia secula seculorum, Amen. F

ANNOTATIONES IN PSALMVM VIGESIMVMTERTIVM.

VErsu primo, Domini est terra & plenitudo eius. Nota duplex esse Christi dominium: prius quidem, ratione creationis. Est enim ipse creator omnium, & iccirco omnium etiã dominus. Qui enim de nihilo fecit omnia, cælum, terram, & quæ in eis sunt, quidni etiã dominus sit horum omnium? Hoc modo, vt irrationabilium omnium, ita etiã omnium hominum Christus est dominus, siue bonorum siue malorum. Ac de hoc dominio in duobus primis versibus agitur. Alterum est dominiũ quod sibi Christus veluti cõparauit, atque per passionẽ promeruerit, quod post laboriosam militiã ac pugnã cum diabolo (victoria tãdem per propriã mortem obtenta) veluti lucrifecit, iuxta
Philip.2. quod ad Philippenses Apostolus scribit, Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortẽ autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomẽ, quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. Quo dominio licet etiã omnium dominetur, nempe cælestium, terrestrium, & infernorum, tamen peculiari modo super sanctos & electos suos habebit dominium in regno cælesti: intra quod regnum nõ includuntur, & sub quo dominio nõ erunt nisi illi, qui nunc per innocentiã & iustitiã dignos se Deo seruos exhibuerint: quos etiã secum vehet in gloriã suã, regnaturus cum eis in perpetuum. De hoc autẽ secũdo dominio fit sermo in reliqua parte Psalmi: maxime autẽ circa finẽ describitur illius dominij & imperij à Christo susceptio. Huius autẽ duplicis dominij cõsideratio manifestabit Psalmi cõnexionẽ, quę alioqui difficile capitur. ¶ Versu 6. Hęc est generatio quærentium eum. Generatio collectiuum nomẽ est hoc loco, idẽ fere valens
Philip.2. quod populus, vel natio, vel etiã progenies. Et frequẽter tum in Psalmis, tum in Euãgelijs in hãc sig-
Matt.16. & 17. nificationem accipitur, veluti cum Iudæis exprobrat Dominus, Generatio praua, incredula atque H
Psal.64. peruersa. Et apud Paulum, In medio nationis prauę atque peruersę. Atque in alio Psalmo, Quadraginta annis offensus fui generationi illi. Atque etiã in fine præcedẽtis. 21. Annunciabitur domino generatio ventura. ¶ Versu 7. Attollite portas principes vestras. Hic in spiritu Propheta monet angelicos ciues aperire portas venieti Domino: eosque velut interrogãtes de domino, quisnã sit introducit: ac responsionem subdit. Loquitur autẽ hic, cùm portas iubet attolli & eleuari (quæ idẽ sonãt, id est, in altum & latum aperiri, secundum consuetudinem & vsum hominum. Cùm enim ingressurus est in ciuitatẽ nobilis quispiã aut rex magnum comitatum & apparatum secum habens, præcurrunt nuntij, qui portas aperiri iubẽt, nõ tantum iuxta cõsuetudinẽ vsque ad dimidium, sed ad integrum, ita vt desuper omnibus repagulis & obicibus amotis, quãtum possibile est in omni sua latitudine pateãt ad ingressum magnifici regis. Atque hoc etiã vulgo in magnificis domibus cõspicimus, quę cũ cõsuetudinarie nõ nisi angustum habeãt introitum, ingressuro tamẽ ipso domus domino, aut alio quopiã magnæ æstimationis viro, tota patefit porta secundum latitudinem, vt conuenientior illi & honorificentior sit introitus. Iuxta hunc sane modum Dauid in spiritu veluti præcurrens ante ascẽdentẽ & in propria redeuntem dominum, ad eos qui intus sunt principes cælestes clamitat, vt tollãt portas: illisque abintus (vt ipse eos introducit) more humano interrogãtibus quisnam ille sit cui sic portas iubeat patefieri, respõdet adesse fortissimum victorem & glorię regem, Christum dominũ.

A

XXIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste, vt satis est intellectu facilis, ita est & vtilissimus. Est enim forma commodissima ad eleuandum spiritum in Deum. In qua primum ob fiduciam quam in Deum habet homo fidelis, ab inimicis & cõfusione quam illi conantur adducere, petit diuinitus liberari: atq; id vt fiat, petit vias Dei sibi monstrari, inq; eis diuino & superno dirigi ducatu. Et quo moueat efficacius, antiquas miserationes Dei commemorat, sibiq; delicta iuuentutis & ignorantias dimitti, & misericorditer secum agi postulat, ne forte ob peccata pristina, si in districtione iustitiæ cum ipso agatur, in vllo detrimentum sustineat. Post hæc à versu nono, persona mutata, qui hactenus sub secunda, ad ipsum Deum direxerat sermonem, nunc ad tertiam se conuertit: declarans Dei erga seruos suos bonitatem & fidelitatem, & multam ipsi seruientem vtilitatem, vsque ad versum 17. vbi iterum ad secundam personam, quam aliquantulum intermiserat reuertitur, suas tribulationes multas & increscentes Deo proponens, protectionemq; & liberationem postulans: non peculiariter tantum suam, sed in conclusione Psalmi, generaliter totius populi fidelis, qui est Israël Dei.

VIGESIMIQVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Ad te domine leuaui animam meam:* * *Deus meus in te confido, non erubescam.*

B

2 *Neque irrideant me inimici mei:* * *etenim vniuersi qui sustinent te, non confundentur.*

3 *Confundentur omnes iniqua agentes supernacuè.*

4 *Vias tuas domine demonstra mihi:* * *&*

C *semitas tuas edoce me.*

5 *Dirige me in veritate tua, & doce me:* * *quia tu es Deus saluator meus: & te sustinui tota die.*

6 *Reminiscere miserationum tuarũ domine:* * *& misericordiarũ tuarum quæ à seculo sunt.*

7 *Delicta iuuentutis*

D *meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

8 *Secundum misericordiam tuam memento mei tu:* * *propter bonitatem tuam domine.*

9 *Dulcis & rectus dominus:* * *propter hoc legem dabit delinquen-*

AD te ô Domine spiritũ meũ leuaui, mentem, atq; voluntatẽ totã in te, fide recta, spe firma, & charitate pura direxi: *tu es Deus meus in quo omnis mihi spes posita est, & in quo omnẽ meã constitui fiduciã: propter quod & postulo, vt non me permittas cõfundi ab expectatione mea, sed voti atq; desiderij mei fac me cõpotẽ, dãdo mihi quę à te expectaui spiritualia omnia Psal.118.
bona. 2. Neq; permittas super meo lapsu gaudere aduersarios meos, qui quærũt mihi dominari, qui me conantur in peccati lapsum adducere, & in mortis foueã pertrahere: quicunq; enim cũ patientia te expectãt, & sustinẽtes permanẽt in obseruatione præceptorũ tuorũ, non experientur cõfusionem, neq; frustrabuntur à desiderio suo. 3. Qui verò te nõ expectant, qui nõ permanent in obseruatione præceptorum tuorũ, sed iniquè agunt superuacue, absq; vlla vtilitate & ratione, imò contra rationem omnem, & ad maximum suum malũ transgredientes præcepta tua, hi cõfusionem æternã inuenient in nouissimo, cum tuo iusto iudicio suæ iniquitatis pœnas luent. 4. Mihi verò Domine, qui in te cõfido, te expecto, tibiq; placere cupio, demonstra vias tuas, per quas ambulem corã te, vt placeã tibi: & doce me ambulare per semitas tuas, quas cõstituisti nobis, vt per eas recta ingrediar, non declinãs ad dexteram vel ad sinistram: hoc est, mandata atque præcepta tua facme intelligere, & secundum ea diligenter operari. 5. Fac me Domine ambulare in veritate iustitiæ tuæ, & esto mihi director atque doctor in via veritatis & iustitiæ tuæ, quoniã tu es Deus author salutis meæ, teque vt solum saluare me potentem in patientia sustinui iugiter, nulla fructus expectatione, nullo dissolutus tędio. 6. Recordare ô Domine miserationũ tuarum antiquarum, quibus ab initio misereri semper solitus es petentibus misericordiã: *miserationes tuas multas ac magnas, quas te fecisse audiuimus cum patribus nostris, ex quo stetit præsens sæculum, harum (inquam) miserationum tuarum antiquarum tu Domine reminiscere, vt sicut semper misereri es solitus, ita etiã nunc mihi pauperculo tibi humiliter supplicanti misericordiam benignus impendas. 7. Peccata adolescentiæ meæ quibus te multipliciter offendi in temporibus præteritis, dum in me ferueret iuuenilis ardor, & vigeret vis cõcupiscentiæ: item & ea quæ quomodocunque per ignorantiam, aut surreptionẽ cõmisi, quorum mihi numerus determinatus est incognitus, & quę omnia sigillatim non valeo recogitare in amaritudine, tu Domine dimitte mihi misericorditer: proijce omnia post tergum tuum, & noli vltra memor esse eorum, sic vt ea mihi imputes ad vltionem. 8. Secundum multam & magnam misericordiam tuam memento mei in bonum Domine, vt mecum agas secundum dulcedinem misericordiæ tuæ, in peccatorum dimissione & collatione gratiæ tuæ: *idque peto non secundum rigorem seueræ iustitiæ tuæ, sed propter suauissimam & dulcissimam tuam misericordiã, qua promptus es & expositus omnibus, qui te humili corde requirunt. 9. Tu enim Domine dulcis es in misericordia, & rectus in iustitia: sic dulcis, vt etiam rectus: sic misericors, vt nihilominus iustus: tamen præcedit quodammodo & præcellit erga electos dulcedo misericordiæ, rectitudinẽ iustitiæ: atque ob hoc (quòd dulcis simul sis ac rectus, iustus pariter atque misericors) legem ponis peccatoribus in via vitæ huius, in via conuersationis suæ, per quam nimirum auersi à pec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibus in via.

1.Pet.5. 10 *Dirige mansuetos in iudicio: * docebit mites vias suas.*

11 *Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas: * requirẽtibus testamentum eius, & testimonia eius.*

12 *Propter nomen tuũ domine propitiaberis peccato meo: * multum est enim.*

13 *Quis est homo qui timet dominũ? legẽ statuit ei in via quã elegit.*

14 *Anima eius in bonis demorabitur: * & semen eius hæreditabit terram.*

15 *Firmamentum est dominus timẽtibus eũ: * & testamentũ ipsius vt manifestetur illis.*

16 *Oculi mei semper*
1.Cor.8. *ad dominum: * quoniã*
Ioan.14. *ipse euellet de laqueo pedes meos.*

17 *Respice in me, & miserere mei: * quia vnicus & pauper sum ego.*

18 *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: * de necessitatibus meis erue me.*

19 *Vide humilitatem meã, & laborem meũ: * & dimitte vniuersa delicta mea.*

catis à vijs suis malis, cognoscãt viã rectam, quam ambulare debeant, E quid agere, quidue omittere, quid facere, quid declinare. 10. Homines humiles & mansuetos, qui se humiliant sub potenti manu tua, tu dirigis in iustitia, ambulare eos faciẽs per rectitudinem iustitiæ tuæ? * mites ac humiles tu doces ambulare vias tuas, obseruare præcepta tua. 11. In omnibus vijs tuis, Domine, simul cõiũcta sunt misericordia & veritas siue iustitia, ita vt omnibus actionibus, atque dispositionibus quibus agis nobiscũ, simul hæc duo reluceant: sic in omnibus misericordem te exhibens, vt nihilominus inueniaris iustus: sic quoq; ex altera parte iustus: & verax in omnibus existẽs, vt nihilominus & misericors: * peculiariter verò ambo hæc manifestãtur erga electos tuos, qui exquirunt & desiderant testamentũ tuum, quod dispositisti nobis obseruandum, & qui requirunt præcepta tua ad opere implendũ ea. 12 Obsecro ergo te Domine, propter gloriã nominis tui, quoniã bonus es Dominus, quoniã es saluator misericors, vt ꝓpitius fias & clemẽter indulgeas peccatis meis: * quæ cum multa sint & magna, opus habẽt magna propitiatione & infinita misericordia tua: & id etiam vt F postulo, te facturum confido. 13. Quisquis ex hominibus timet, reueretur, ac digne colit Dominum, huic lex à Deo statuta, ac posita est in vijs iustitiæ quã elegit ad ambulandum in ea, vt secundum legẽ illã viuat in via recta, in iustitia quã sectari & operari concupiuit. Qui enim timent Dominum, legem Euangelicam habent à Deo cõstitutam, secundũ quã ambulare debẽt, & sese dirigere in omni via sua. 14. Anima siue spiritus eorũ in bonis domini cõmorabitur, dũ mẽte atq; voluntate cęlestibus ac supernis bonis inhęrebunt, & deliciabũtur in eis, testimoniũ habentes bonæ conscientiæ: & non solũ ipsi ingredientur in hæreditatẽ æternã, verumetiã imitatores eorum & filij secundum spiritum (quos siue verbo doctrinæ, siue exemplo bonæ conuersationis genuerunt Deo) etiam ipsi hęreditate possidebũt terram viuentiũ. 15. Dominus firmamentum est atque stabilimentum omnibus seruis suis timentibus eum, super quo firmati sunt, ædificati, fundati, atque stabiliti, quasi super firmã petrã: cui innitentes, decipi aut frustrari nõ possunt: * & testamẽtum est ipsius Domini, promissiòq; firmissima G quã dispositit seruis suis, vt sese manifestet illis. Qui enim diligit Dominũ, cognoscitur & diligitur ab eo, & (iuxta promissum) familiari dignatione manefestabit illi seipsum. 16. Oculi mei interiores ad Dominum sunt, & aspiciunt omni tẽpore, quasi ad eũ in quo spes mea omnis recumbit: * ipse enim est sol⁹ me saluare potẽs, qui me de laquio peccati & obligatione mortis liberabit, vel pręseruãdo ne incidã, aut certe (si per quancũq; fragilitatem incidero) ex laquei nexu me extrahẽdo. * Euellet quoq; pedes affectuum meorum à laqueo, vt non irretiantur laqueis terrenarum concupiscentiarũ, & nexibus peccatorum, sed liberi in ipso semper rectis gressibus pergant. 17. Aspice ad me benignis oculis tuæ misericordiæ, & misericorditer age mecum: * quoniã tanquam orphanus & solitarius ego sum, quasi ab omnibus derelictus, neminem habẽs adiutorem præter te Domine, in quo spes mea omnis sita est: & pauper sum, multorũ indigus spiritualium donorũ, quorũ nihil ex memetipso habeo: atq; ob hoc opus est mihi modis omnibus, vt tuus me benignus aspect⁹ diligẽter custodiat, & dies H tua misericordia meæ suppleat paupertatis inopiã. 18. En cordis mei angustiæ, afflictiones, atq; tribulationes (quibus me grauiter affligunt aduersarij mei, diabolus, mũdus, & caro propria) vehemẽter multiplicatæ sunt, & vehemẽter insurgunt: dũ illi tanto me fortius oppugnãs, quãto ego tibi diligentius seruire laboro: * tu verò Domine (qui solus potes, & in quo omnem habeo fiduciam) de angustijs istis, quæ me vrgent, libera me: vt non mihi impedimentũ vllum præstent in seruitute tua, in obseruatione præceptorum tuorum. 19. Aspice Domine benigno misericordiæ tuæ intuitu ad omnẽ afflictionem meã qua humilior & premor, & ad omnẽ laborem atque molestiã qua grauor, dum tuis mandatis seruire contendo: aspiciensque humilitatem meam & laborẽ, tanto facilius benigniusque dimitte mihi omnia peccata mea siue grãdia, siue minora, quibuscunq; vllo vnquã tempore te offendi: vt sit mihi humilitas hæc omnis & labor quem nunc pro tuo amore sustineo, veluti ad purgationẽ vitæ peioris anteactæ, atq; etiã in purgationem quotidianorum delictorum: quibus per singulos dies multi pli-

A 20 *Respice inimicos meos, quoniã multiplicati sunt: * & odio iniquo oderunt me.*

21 *Custodi animã meã & erue me: * non erubescã quoniam speraui in te.*

22 *Innocentes & recti adhæserunt mihi:*
B ** quia sustinui te.*

23 *Libera Deus Israël ex omnibus tribulationibus suis.*

pliciter etiã nunc te offendere cõtingit. 20. Vide Domine ad inimicos meos, quemadmodum multiplicati sunt, factique numero plurimi: * & ij ipsi odio crudeli atque implacabili prẽter omnem causam & rationem oderunt me. Neq; enim vnicus est inimicus volentibus in lege tua ambulare, sed multi admodum, qui molestijs affligunt tibi seruire cupiẽtes: neq; parũ inimici sunt quicunq; aduersantur, sed inimici sunt irrecõciliabiles & implacabiles, qui nõ prius cessant ab impugnatione & persequutione, q̃ nos in suũ consensum, id est, in mortem pertraxerint. 21. Aduersus ergo tam multorum tamq; crudelium inimicorum sæuitiam, tu mihi esto custos atq; defensor: & libera me de manibus illorum, vt non mihi prævaleant: * non me patiaris confundi vt illis subijciar, quoniam in te domine, non in proprijs viribus, spem meam omnem constitui. Nequaquam autem tuum est derelinquere Psal. 9. in te sperantes. 22. Et quanquam peruersi se mihi hostes & inimicos exhibuerint, iusti tamẽ & boni adiunxerunt se mihi, & sancto fœdere sociati sunt mihi: adhæsique ego per amicitiã & charitatẽ innocentibus, declinato prauorum consortio: * propterea quòd te sustinui domine, ꝓ te expectaui, ꝓ in te speraui, quòd tibi volui placere. 23. Libera ô Deus & salua fidelem populum tuum, qui te agnoscit & debito colit famulatu, ex omnibus afflictionibus & angustijs, quibus in hoc mundo, in hac lachrymarum valle premimur, conforta, vt non succumbamus: patiẽtiam dona & perseuerantiam, ne deficiamus, donec saluos nos facias in regnum tuum cæleste, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM VIGESIMVMQVINTVM.

VErsu 6. Remi. miser. tu. dom. Qui vere magnanimus est atque munificus, ex cõmemoratione priorum beneficiorum, adeò non cõmouetur ad continendum vlteriora, vt etiã extimuletur magis & inuitetur ad plura exhibenda, prioribus vel similia vel potiora. Atque hoc modo sancti patres, Deum magnificentissimum itemque munificentissimum considerantes, hunc seruant morem, vt volentes Deum ad cõferenda beneficia excitare, atq; efficaciter vt obtineant commouere, priora exhibita patribus proponant. Hoc ipsum nunc diligens orator hoc in loco obseruasse conspicitur, cum antiquas miserationes replicat, vt nouas impetret. Inter misericordias autem & miserationes, C nulla videtur esse secundum rem aut sensum diuersitas. Videntur enim quotiescũque misericordiæ inueniuntur plurali numero, accipi debere pro miserationibus: quemadmodum cùm dicitur in alio Psalmo, Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ domine? Et apud Paulum, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Alioqui non misericordiæ multæ sunt domini, sed vna est perfecta misericordia. Miserationes autẽ, nõ vna tantùm, sed plurimæ, nouæ & antiquæ. Miserationes enim eius super omnia opera eius, vt habet alius Psalmus. ¶ Versu 9. Dulc. & re. dom. Dulcedo diuinæ misericordiæ & iustitiæ rectitudo, causa sunt quur legem ponat Deus peccatoribus in via huius vitæ, per quam à peccato volentes se auertere, & pœnitentiam agere, cognoscere valeant quomodo ad Deum debeant conuerti, & quid agere debeant ad placendum illi. Magnæ enim indubie est misericordiæ, ꝙ nobis per legis Euangelicæ, & illius quidem dulcissimæ & facillimæ traditionem, dignatus sit suam indicare voluntatem, quid à nobis exigat, quid velit fieri, quid postulet à nobis. Rectitudo quoque iustitiæ eius seruos rectitudine & iustitia sibi similes postulat: atque ob hoc legem nobis iustitiæ constituit, secundum quã & ipsi iustificemur, sicut ipse iustus est. Et exigit hoc iustitiæ rectitudo, vt tales sint eius serui, qualis est ipse dominus: iuxta illud Euangelicum, Estote vos perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est. Non ergo solùm quia rectus, neque solùm quia dulcis est dominus, sed quia dulcis pariter & rectus, ob hoc legẽ dat ijs qui in via sunt, cæcis peccatoribus, vt D habeant quomodo pœnitentiam agãt, & ad Deum se cõuertant. Si enim dulcis tantum esset dominus, nõ etiã rectus, videretur nõ esse illi curę vt iustitiæ vacarent serui eius, sicq; lege opus nõ esset. Et si tantum rectus ac iustus esset, non etiam dulcis ac misericors, non illi curæ esset iuste an iniuste nos ageremus. Habet enim ipsius iustitia modum, quo etiã in impijs nouit glorificare potentiam suam. Quoniam verò & dulcis est & rectus, ob hoc legem ponit: quam custodientes, secundum quã ambulantes, & iustitia ipsi assimilemur, & dulcedinem eius æterna remuneratione percipiamus. ¶ Versu 11. Vniu. viæ dom. mis. & ver. Videntur viæ domini in hoc versu alia accipi significatione, q̃ in versu mox præcedenti, cùm dicitur Deus docere mites vias suas. Viæ enim domini in scripturis dupliciter intelliguntur. Primum quidem præcepta & cõsilia Dei, quæ frequentissime via nuncupantur, cùm alijs in locis, tum præcipue Psalmo 118 Propterea ꝙ per ea nos ambulare, & secundum ea viuere non declinando, Deus constituit & præcepit. Altera acceptione viæ domini intelliguntur opera, dispositiones, aut consilia Dei, quibus agit omnia, iuxta quam acceptionem apud Esaiam ait dominus, Non enim viæ meæ, viæ vestræ. Et quantum distant cæli è terra, sic distant viæ meæ à vijs vestris. Hoc est non sunt actiones meæ & cogitationes, quibus ago & dispono omnia, similes actionibus & cogitationibus vestris. Et alibi, Non esse æquam viam domini blasphemant impij, id est, actiones Dei & consilia, cogitationes & dispositiones quibus agit, non esse æqua ac iusta, neque eum iuste agere in operibus suis. Videtur autem in versu priori rectius cõpetere prima acceptio.

Psal. 88. 2. Cor. 1.
Psal. 144.
Matth. 5.
Esaiæ 55.
Eccle. 18. Iob 19.

ptio. Docet enim Deus mansuetos & humiles præcepta sua & testimonia, eos illuminando, & ad im- E
Psal.118. plendum gratiam dando iuxta illud, Declaratio sermonũ tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. In hoc autem. 9. versu cõuenientior videtur altera posterior significatio, iuxta quod in Eluci-
datione expressimus. Possent nihilominus etiam hic viæ domini intelligi præcepta eius. Sunt enim
præcepta eius, per quæ nos ambulare præcipit, misericordia & veritas, id est in misericordia & veri-
Psal.110. tate siue æquitate dispositæ: quemadmodum alibi opera manuũ eius dicũtur esse veritas & iudiciũ, id est in veritate & iudicio facta, vera & iusta. Itẽ & in priori versu nõ esset incõmodus sensus, si iu-
xta secundam acceptionem daretur intelligentia. Docet enim Deus mites & humiles vias suas, cõsi-
lia sua & opera facit eos intelligere, quæ superbi (propter tumorem cordis) capere nõ valent. Super-
1.Pet.5. bis enim resistit, humilibus autem dat gratiam. ¶ Notan. autem, cùm subditur in hoc versu vndec. Requirentibus testamentum eius & testimonia eius, non ita hoc accipiendum, quasi rei veritatem viæ domini iis qui non requirunt, non sint misericordia et veritas. Vere enim, etiam erga pessimum quemque & alienissimum à testamento Dei & præceptis eius, viæ domini misericordia & veritas erunt. De veritate quidẽ nihil dubium erit, quando promissa præuaricantibus pœna illa persoluetur, & iusta vindicta reuelabitur. Misericordia autem apparet, primum quidem præuia, dum illũ pri-
ùsquam ad vltionem adducit, tam multiplici miseratione præuenit. Imò & in ipsa condemnationis
sententia non deerit prorsus misericordia, cùm lõge infra condignitatem accipiet pœnam. Verun- F
tamen quia omnis misericordia præuia malis exhibita, in illa vltima districtione & condemnationis
sententia per iustitiam contra eos proferenda, videtur absorberi (dum nullam ex prioribus illis mi-
serationibus vtilitatem tenebunt, imò etiam grauius ob eas accipient iudicium) & quia pondus il-
lud intolerabile iustæ sententiæ tantum erit, vt quod simul aderit misericordiæ, non sentiatur: hinc
quodammodo erga illos videbuntur viæ domini carere misericordia, & videbitur hæc abesse, dum
Iacobi 2. illa nimium aperte atque clarissime superlucebit: quemadmodum Iacobus dicit, Iudicium sine mi-
sericordia futurum illi qui non fecit misericordiam: cùm tamen secundum veritatem nullus omni-
no hominum sit, qui iudicium prorsus absque misericordia sit susceptus.

XXV. PSALMI ARGVMENTVM.

*HOminis iusti & ad perfectionem innocẽtiæ sedulo conãtis, hic Psalmus est: qui in testimonio bonæ con-
scientiæ sibi bene conscius, contra inimicos petit à Deo fieri iudicium pro sua innocentia, quam etiam à
Deo probari & tẽtari (ne fortè vlla subsit fictio, & vt gratiæ prioris mereatur augmentum) postulat. Enar-
rat autem particulatim suam iustitiã, quomodo veritatẽ dilexerit, iniquitatẽ autem detestatus fuerit, odio hã-
bẽs iniquorũ cœtus & conciliabula, innocentem societatem diligens, quòd in tẽplo Deo sacro sit assiduus ad
audiendũ laudes domini, in quibus oblectatur. Atq; hæc quidem vsq; ad versum nonum: vbi deinde, enarrata G
sua iustitia, postulat à Deo nõ simili cum impijs perditione puniri, posteaquã ab illis vita sese & actibus differ
rentẽ ante conspectum eius exhibuit. Constat autem hunc Psalmum nõ satis competere ijs, qui adhuc in imper-
fectiori sunt gradu, qui nõdum totis viribus ad innocẽtiæ perfectionẽ contẽdunt: neq; adhuc validi satis vi-
dentur huiusmodi ad huius Psalmi pronunciationẽ. Nondum enim illi dicere valent: In innocẽtia mea ingressus
sum, in domino sperans nõ infirmabor. Proba me, &c. Et quod in fine subiungitur, Ego in innocentia mea in-
gressus sum: &, Pes meus stetit in directo. Quæ tamẽ in medio Psalmi sunt, fere omnes qui non prorsus impij
sunt, vtcũq; possunt fidẽter de se dicere. Imò & priora & nouissima (quæ secũdum cõstantẽ pronuntiationem
nõ nisi perfectis competũt) possunt nihilominus ab ijs, qui imperfectiores sunt, sed bonæ voluntatis, dici cũ for
midine, & diminutione, & quodam pudore, quasi agnoscentibus imperfectum: hoc ipsum autem quod in se
aduertunt boni, Deo ferentibus acceptum. Sunt enim (vt non dubium est) innocentiæ atque iustitiæ gradus.*

VIGESIMI QVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Iudica me domine,*

* *quoniam ego in innocentia mea ingressus sum:*

* *& in domino sperans non infirmabor.*

2 *Proba me domine, & tenta me:*

* *vre renes meos, & cor meum.*

DOmine Deus, qui iudicas iuste, & facis vindictam innocentum, te oro fieri mihi iudicem: tibi meam causam contra aduersarios committo, vt pro me contra H
illos facias iudicium, qui sine causa me persequuntur: * ego enim (te teste, simul & testimonium perhibente mihi conscientia mea) sedulo conatus sum in iustitia ita conuersari, vt nemini quantum ex me nocumentum inferrem, nemineмque offenderem eorum qui nunc me persequũtur: & in te domine sperans, ab innocentia mea non deficiam, non frangar, non dis-
soluar, nõ infirmabor à virtutis & innocentiæ proposito, sed stabilis & fortis perstare in te cõfido, quãtumuis me vrgeant aduersarij. 2 Et ne forte mihijpsi falso adblandiar, placet mihi domine, vt secundum voluntatem tuam probes me ac tentes, quantum & sicut tibi expedi-
re videbitur, ad eum modũ, quo in igne probantur & purgantur metalla, ne forte aliud mihi de me videatur, quã sit in veritate: quẽadmodum metalla priusquã probentur, sæpe id esse existimãtur, quod pòst conspiciuntur nõ fuisse, dum probantur: vtque per hanc probationem purior fiam, quemadmodum aurum verum igne probatum: * vre tu domine, & igne probationis tuę examina cuncta mea intima, affectiones

A nes meas & intentionẽ cordis mei: ita vt ad purum excoquas omnem scoriam, & omnem vitiosam cõmixtionem absumas: quemadmodũ
per * ignis examinationẽ & vstionem probatum & purificatum effici- Psal.16:
tur aurum. 3. Est enim misericordia tua mihi semper ante oculos, in eam iugiter intendo, ad illam aspicio, propter quam etiam non dubi-
to spem meã omnem in te coniicere, & propter quam probari à te nõ
1.Cor.10. formido, sperans & sciens quoniam fidelis tu es qui non patieris me tentari supra id quod possum: * & veritas atque iustitia tua compla-
cuit mihi, in ea mihi bene placuit, dilexi eam, & elegi ad custodiendũ eam, inque ea ad finem vsque perseuerandum. 4. Ad hanc autem cu-
stodiendã veritatem, declinaui malorum consortia, recusans federe in concilijs iniquitatis, conciliabulis hominum peruersorum (qui vani-
tatem tractabant) nolens præbere consensum: * & cum hominibus peruersis, cum operarijs iniquitatis nolui habere commercium, nolui illis cõmorari, neque cum eis, tanquam consentiens eorũ malitiæ, in-
gredi & egredi, aut cum eis non introibo in cõcilium, neque consen-
tiam malis eorũ actibus. 5. Congregationes & cœtus eorum qui ma-
la cogitant, & iniquitatem tractãt, ego odiui & detestatus fui, ex affe-
ctu cordis mei: & cum hominibus, in quibus nõ est timor Dei, in qui-
bus non est pietas, nolo considere, nolo vllo pacto vel consentire, vel subscribere illis in malitia: sed quãtum potero, elongabo me & sepa-
rabo ab illis, ne quo modo contingat me coinquinari ab illis. 6. Cum hominibus autem Deum timentibus, qui in iustitia sese innocẽtes cu-
stodire studeant, cum his ego cõmunicabo, illis adhærebo, cum his fa-
miliariter agã: inter quos non solùm nõ coinquinari, sed melior etiã
posim fieri: * & in locis, in quibus tuum nomen colitur, in quibus tu laudaris circum altaria, in quibus tuo nomini offertur sacrificiũ lau-
dis, ero assiduus, & tanquam circundans illis adhærebo. 7. Ad hoc (in-
quam) circum altaria tua ero assiduus, in tabernaculo & templo tuo nomini sanctificato, vt illic voces laudantium atque psallentũ tibi au-
diam, ministrorum tuorũ: quæ mihi omnibus cantilenis & omnibus
musicis sonis longe sunt gratiores: * vtque cum psallentibus tibi etiã ipse pariter enarrẽ & eloquar pro mea virili omnia mirabilia tua, quã-
tum potero ea pronũtiando ad gloriam tuã: idque vel corde interius, vel etiã exterius oris sono, me pariter laudantibus ministris adiũgen-
do, & quasi vnum ex psallentibus cõstituendo. 8. Dilexi domine affe-
ctu magno decorem & splendidissimũ templum tuum, quod est tuo nomini dedicatum, in quo tu inhabitas vt in ornatissima domo tua:
& huius sancti templi tui (in quo tu habitas & coleris) decorem multò amplius quàm propriæ domus ornatum dilexi: * & locum, in quo tu
dignanter inter homines Deus inhabitas, secundum magnificentiam gloriæ tuæ, valde dilexi, adque eius decorem & ornatum (quantum in me fuit) promouendum, diligenter semper laboraui & laborabo. 9.
Ne itaque domine Deus animã meam in perditionem venire sinas, in qua impij sunt peruenturi, qui innocentiam contempserunt, teque & cultum tuũ ignorauerunt: * & cum hominibus peccatoribus mul-
tis cõmaculatis fœdissimis peccatis, interfectoribus & oppressoribus innocentum, ne perire sinas vitam meam. 10. Quorum manus plenæ sunt iniquitatibus & operibus pessimis, quæ patrarunt, & donec vi-
uant patrare sunt parati: * qui in dextris suis accipiunt munera indif-
ferenter ab omnibus, adsubuersionem iustitiæ: ita vt quasi plenæ sint muneribus manus eorum, pro quibus vendunt & subuertunt iusti-
tiam. 11. Ego verò huiuscemodi nequaquam in prauitatibus suis consensi, neque assimilatus fui, neque operatus similia, sed in iusti-
tia innocenter conuersari sedulo conatus fui: * ac proinde, ne si-
mili cum illis pœna me inuoluas vt perdas, sed econtrario libera me,
à perditione, & misericordiam tuam perfectam ostende mihi in vi-
ta ætetua. 12. Ex munere enim gratiæ tuæ pedes mei steterunt in iustitia & in rectitudine, ambulaueruntque in ea, & perseuerant vs-
que modo, perseueraturi quoque (vt confido) in finem: * & ego pro gratiarum actione laudem tibi & benedictionem reddam, in omnibus congregationibus sanctorum, in conspectu omnium ti-
mentium te, donec me perducas ante conspectum vultus tui, vbi te sine fine collaudabo cum omnibus sanctis tuis in secula seculorum, Amen.

*3 Quoniã misericordia tua ante oculos meos est: * & complacui in veritate tua.*

*4 Non sedi cum concilio vanitatis: * & cum iniqua gerentibus non introibo.*

B *5 Odiui ecclesiam malignantium: * & cũ impijs non sedebo.*

*6 Lauabo inter innocẽtes manus meas: * & circundabo altare tuũ domine.*

7 Vt audiam vocem laudis:
** & enarrem vniuersa mirabilia tua.*

C *8 Domine dilexi decorem domus tuæ:*
** & locum habitationis gloriæ tuæ.*

9 Ne perdas cũ impijs Deus animam meam:
** & cũ viris sanguinũ vitam meam.*

D *10 In quorũ manibus iniquitates sunt: * dextera eorum repleta est muneribus.*

*11 Ego autẽ in innocentia mea ingressus sum: * redime me, & miserere mei.*

*12 Pes enim meus stetit in directo: * in ecclesiis benedicam te domine.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANNOTATIONES IN PSALMVM VIGESIMVMQVINTVM.

VErsu 2. Proba me domine, & tẽta me. Nota homines iustitiã tenẽtes in triplici esse distinctione. Infimus enim gradus est eorum qui aduersa toleratu leuia patiẽter ferunt, vbi aduenerint: nondum tamen eo peruenerunt, vt grauiora ferre sint parati pro iustitia. Qui enim prorsus nulla ferre cum patientia sustinent, clarum est eos (vt prorsus mundanos & carnales) extra iustitiam esse. Secundus est gradus eorum qui non leuia tantum, verumetiam quantumuis grauia, vbi aduenerint, sustinent patienter, potius q̃ iustitiam & veritatem deserant: veruntamen passiones & toleratu difficilia horrent, neque appetunt, mallentq; absque tribulatione prorsus vitam agere. Et serũt quidẽ, facientes (quod dici solet) ex necessitate virtutem: nondum tamen eò peruenerunt, vt afflictionem vel ipsi vltroneam assumere, vel à Deo postulare velint. Tertius verò gradus est eorum qui nõ solũ ea quæ accidunt, quadam necessitate cogente, volunrariè tolerant, verumetiam in tribulationibus gaudere, easque secundũ Dei voluntatem exoptare & concupiscere didicerunt. Tales legimus beatissimos Apostolos, qui ibant gaudentes à conspectu cõsilij, quòd digni essent pro Christi nomine pati, qui docuerũt in tribulationibus gloriandũ: & omne gaudium existimandũ, cùm in tentationes varias inciderimus. Talem in Actibus Lucas describit Paulũ, qui rogatus obnixè à fratribus ne Hierosolymam ascenderet, vbi tribulationes & vincula per omnes Ecclesias illi spiritus prædicebat, nequaquam consensit. Talis erat Ignatius, qui Romanos obtestabatur ne suam passionem impedirẽt, cupiens Christi frumentum dentibus moli bestiarum, & cum eis fœlicem depugnare pugnam. Talis quoque erat Psalmista, qui dicebat, Proba me domine, & tẽta me, vre renes meos & cor meũ. Et tales nos esse cõuenit, cùm ista proferimus cupiẽtes videlicet, quantũ ex Dei voluntate fuerit, & quantum ipse nobis expedire viderit, modis illi placitis probari & vri: vt cũ Augustino dicamus, Hic vre domine, hic seca, vt illic parcas. ¶ Versu 7. Lau. int. innoc. ma. me. Lotio ista manuum potest intelligi ad literam, corporalis, & ita cùm ait se lauare inter innocentes manus suas, significat suã se conuersationem cum innocentibus habere, illisque familiarem se fieri, cum illis ad mensam accedere, illisque conuiuere, assidere, & adhærere: quemadmodum econtrario peruersi cum peruersis lauant manus, id est, cum peruersis conuiuunt, habitant, & cõuersantur. Solent enim pares sociari paribus. Aut lotio ista intelligi potest emundatio à peccato & macula, Qui enim manus lauat corporaliter, sordes abluit, & fit candidior. Ita quoq; ijs, qui inter innocentes & bonos habet conuersationẽ suã, illisque assidue conuiuit, illorum bona conuersatione, si in eius vita est vlla macula, emundatur, & fit continuo profectu (conuictorum exemplis allectus) mundior atque candidior. Impij ergo inter impios polluant manus suas, easque sordidiores indies reddant, proficientes in peius: Iustus autem in medio innocentium lauabit manus suas. ¶ Versu septimo, octauo, & nono. Circ. alta. tuum dom. Quæ hic dicuntur de altari domini, de vocibus laudis, & de decore domus Dei, ad literam intelligi possunt commodissime de altari atque domo materialibus, & laudibus cantorum voce factis, quomodo exponit Elucidatio. Vir enim iustus, & vere in innocentia sua timens Deum, nõ solùm in spiritu ipsum veneratur, verumetiam vniuersa quæ ad Deum propinquius spectant, & velut è vicino ad ipsum attinent (quemadmodum sunt loca Deo dicata, & laudes sacræ quæ Deo exhibentur in templis, ornatusque templorum honestus & decens) tametsi corporalia & externa, peculiari tamen reuerentia veneratur: quemadmodum econtrario illi in quibus vera non est pietas, nullam prædictis impendunt reuerentiam, sed aut negligunt, aut contemnunt planè & irrident. Posset nihilominus mystice intelligi altare & domus Dei & voces laudis, in spiritu. Siquidem altare nostrum, Christus est: quem amoris affectu circundamus, dum inter innocentes manus lauamus. Illud altare circundantes, in cælestibus psallentium angelorum voces spiritu audimus, ipsique iam in cælis positi nostras laudes adiungimus: decorem quoque illius domus diligimus, cum mente ad cælorum gaudia aspiramus. Aut ad Ecclesiam militantem hæc omnia referantur. Hoc enim modo decorem domus Dei diligunt omnes perfecti, & iusti, dum pro Ecclesiæ bono statu zelant, & quantum in se est, omnem deformitatem errorum, hæreseum, atque vitiorum auferre laborant.

Actu. 5. Rom. 5. Iacobi 1. Act. 12. Ignatius in Epist. ad Rom.

XXVI. PSALMI ARGVMENTVM.

HOc Psalmo Dauid protectionis & auxilij diuini virtutem primum describit sex versibus, dicens neque castra hostium fortissima se timere, vbi Deum habuerit adiutorem. Deinde vsq; ad versum duodecimũ quomodo vnam petitionem postulans, diuinam protectionem & super inimicos victoriam sit consequutus enarrat: & pro percepto beneficio, laudem & gratiarum actionem proponit. Post hæc verò vsque ad versum penultimum, vt nondum securus, pomini misericordiam deprecatur, vt ab ea nunquam deseratur: sed cõtra inimicorum malitiam, diuina misericordia, in omnibus recta via dirigatur. At demum versibus duobus nouissimis, in domini fiducia setpsum stabilit atque confirmat, credens videre bona domini, & paratus expectare aduentum ipsius.

VIGESIMISEXTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Dominus illuminatio mea & salus mea: *quem timebo?*

DOminus est illuminator atque saluator meus, qui me in omnibus agendis illuminat, vt sciam quid & quomodo agere oporteat, & saluando protegit, vt sim in omnibus per eum securus: *& quis est, propter quem ego conturbabor, talem habens saluatorem: cùm nemo prorsus neque hominum neque dæmonum inueniatur tam ad nocendum potens, quàm sit

A 2. *Dominus protector vitæ meæ: * à quo trepidabo?*

3. *Dũ appropriant super me nocentes, vt edant carnes meas.*

4. *Qui tribulãt me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt.*

5. *Si consistant aduersum me castra: * non*
B *timebit cor meum.*

6 *Si exurgat aduersum me prælium: in hoc ego sperabo.*

7. *Vnam petij à domino, hanc requiram: * vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.*

8. *Vt videam voluptatem domini: * & visitem templum eius.*
C

9. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * & in malorum protexit me, in abscondito tabernaculi sui.*

D

10. *In petra exaltauit me: * & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.*

11. *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis:*

sit hic meus dominus ad saluandum. 2. Dominus (cui nomen est omni potens) ipse protector est vitæ meæ, & defensor animæ meæ, aduersum eos qui eam quærunt interficere: *& quis siue hominũ, siue dæmonũ tam potẽs aut validus, à cuius timore ego conturbari debeam: aut qui mihi tam potenti defensore confirmato possit prævalere? . Cum appropinquauerint cõtra me nocere quærentes inimici mei, dum aduersus me insurrexerint ad oppugnandum animo crudeli, ad interficiendum, tanquã comedere quærẽtes carnes meas, vt me interficiãt ac deuorent. 4. Qui tribulant me, & affligunt isti inimici mei, ipsi Deo me protegẽte defecerũt viribus, & frustrati sunt à proposito ac desiderio suo, nõ potẽtes implere malitiã quã cõtra me conceperãt: & quantũuis conati fuerint, non potuerũt malitiæ suæ adhuc cõplere propositũ. 5. Etiamsi cõtra me cõgregẽtur inimici in multitudine maxima, castrametãtes in circuitu meo, & me obsideant validissime ex omni parte, circumcingantque in modũ coronæ: * non timebit tamen neq; cõ turbabitur pro hoc spiritus meus, in cælesti sperãs auxilio. 6. Etiamsi aduersus me omnes hi in prælium cõsurgant, incipiantq; aperta oppugnatione me inuadere, nõ cõturbabor, nõ deijciar animo, sperãs semper, nec sperare desinens in Deo illuminatore, saluatore, & defensore meo, qui semper adest in opportunitatib⁹, & propè est ijs qui tribulato sunt corde, inuocãtes eum in veritate. 7. Vnã rẽ, vnã petitionẽ præomnibus & ante omnia postulaui à domino Deo meo, quã eandẽ etiã perseuerãter exquirã, & instãter postulabo: ad hanc contendã donec perfecte obtineam, quã mihi denegari nullatenus patiar: & quam vnam si obtinuero, facile paruipendam alia omnia quæ desiderari possunt: * hæc autẽ vna petitio est, vt inhabitare possim in sempiternum in domo domini, semperq; Dei domesticus permanere: ita vt & nunc in gratia confirmatus, donec viuã in Ecclesia militante (quę est domus Dei) tã numero quam merito permaneã, & post vitã corporis, ciuitate ac mansione superna, in æternitate inter domesticos tuos merear inueniri, sicque columna fiam in domo tua immobilis & firma, vt foras nunquã proijciar à cõspecto tuo. 8. Vt experiri percipereque merear iucundissimã voluptatem, & suauissimas domini delicias: & nunc quidem secundum præuiã degustationem supernę dulcedinis, ex parte aliqua, & plenus in futuro, secundum perfectam satietatem: * & vt peruenire merear ad templum sanctum ipsius in cælestes mãsiones, in quibus De⁹ inhabitat gloriosus, tanquã in templo sancto suo, vbi delicijs ęternis perfruar cum electis. Hanc enim vnicã petitionem si merear obtinere, pro nihilo reputo omnes aduersantium turmas, quę ab illa petitione me, quantumuis conẽtur, nõ poterunt facere alienum. 9. Idcirco autẽ huic vni rei inhærens, in nullo timeo neque cõturbor, neque illi mihi possunt prævalere, quoniã abscõdit me dominus à facie inimicorũ meorũ, & quasi in tabernaculo occultauit me ipse per præsentiam auxilij sui, ita vt sub eius protectione quasi in tabernaculo & domo securus agam: * in die belli, in tempore quo me oppugnare, vellent, in tempore periculorum cum ipsi mihi mala meditarẽtur, protexit me ab inimicis meis veluti in abscondito tabernaculi sui: ita me diligentissime custodiẽs, cõcludens, & cõseruans, vt ex nulla parte ad me patere possit aditus aduersarijs meis: quomodo ea quæ habent homines charissima, & quæ nulla ratione auferri sibi patiuntur, solẽt in absconditis & occultissimis lõcis domus suę abscõdere, ne furibus vllus ad ea pateat accessus. Sic enim dominus cũ preciosam & charissimã habeat animã meã, quasi in abscondito sui tabernaculi diligẽtissime solicitissimeque eã custodit. 10. In firmamento suo atque fortitudine qua me stabiliuit & sustentauit, tanquam in fortitudine petræ, ipse dedit mihi victoriã, & glorificauit super inimicos meos: *& nunc ex Dei beneficio exaltatũ est caput meũ super inimicos meos: nondũ succubui, nondum deiectus sum à statu aut proposito virtutis, in quo me Deus in celsitudine constituit, sed perstò adhuc victor & superior omnibus inimicis meis. 11. Propter hoc in gratiarum actionẽ circuiui per omnia mihi facta à deo beneficia, mente ea reuoluẽdo, & per singula diligenter recogitando: & quasi sacrificiũ gratissimum obtuli in tẽplo eius, ante conspectum eius hostiã laudis & gratiarum actionis ex animo deprompte, cum magno clamore & vociferatione, præ affectu gratitudinis: quẽadmodum clamare solent & vociferari homines,

Exod. 15. Psalm. 9. Psal. 33. 1. Tim. 3. Psalm. 5. Psal. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*cantabo, & psalmum dicam domino.

12. Exaudi domine vocẽ meã, qua clamaui ad te:* miserere mei & exaudi me.

13 Tibi dixit cor meũ. exquisiuit te facies mea:* faciẽ tuam domine requiram.

1.Cor.13.

14. Ne auertas faciem tuam à me:* ne declines in ira à seruo tuo.

15 Adiutor meus esto, *ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

16. Quoniã pater meus & mater mea dereliquerunt me:* dominus autẽ assumpsit me.

Psal. 8. & 66.

17. Legem pone mihi domine in via tua: *& dirige me in semita recta,* propter inimicos meos.

18. Ne tradideris me in animas tribulantiũ me: quoniã insurrexerunt in me testes iniqui:* & mentita est iniquitas sibi.

19. Credo videre bona domini:* in terra viuẽtium.

20. Expecta dominum

prę nimia lætitia:* neque cessabo in posterum à laude ipsius, sed canta E
re eius nomini propono, & psalmos dicere (vt est æquissimũ) pro plurimis ijsdeque maximis quæ ab eo percepi beneficijs. 12. Tu verò domine me cum gratiarũ actione & laude te deprecãtem benignus aspice, vocẽq; orationis meæ qua ad te clamare nõ desino, clemeter exaudi, vt tibi sit accepta laus mea, & exaudita fiat deprecatio:* miserere mei, misericors domine, & exaudi deprecantem, vt vnam illam quam petii mihi non deneges. 13. Tibi testificatur domine & loquitur cor meum, qui vides cordis mei intima, quòd te desiderem: facies quoq; mea item te exquisiuit, semper ad te intenta, ad te directa & eleuata, tanquã ad id quod omniũ maxime desidero.* tuam faciem ò domine Deus meus, ego toto corde & omnibus viribus requirã, tuã præsentiam, ruum benignum & gratiosum aspectũ, quo aspicis electos filios tuos, ego semper tota affectione exquirã, & præ omnibus desiderabilibus concupiscam & petam, donec mihi demonstres eã, donec perueniat facies mea ad contuendã faciem tuam, donec eò peruenia vt F
facie ad faciem te merear cõtueri. 14. Noli domine, noli auertere à me benignum aspectum tuũ, quem exquiro, sed econtrario magis illũ ad me misericorditer conuerte:* ne iratus aliquando discedas vel paulũ à me pauperculo seruo tuo, qui sine te neque sum aliquid, neq; possum aliquid: sed in benignitate tua mihi placabilis semper existas, & semper mecum permane in defensionem atque auxiliũ meũ. 15. Esto mihi auxiliator in omnibus necessitatibus meis aduersum omnes oppugnãtes me: neque aliquãdo destituas me auxilio præsentiæ tuę:* neque despicias, derelinquas, aut abijcias me imperpetuũ, ò Deo, in quo tota mihi spes est posita salutis. Si enĩ tu me relinqueris, vel ad momẽtũ per subtractionẽ gratię aut protectionis tuę, mox prævaluerint mihi in impetu aduersarij mei, & tam facile me sine te prosternent, quã donec tu mecũ esses, prævalere omnino non poterãt. 16 Tu (inquã) domine, ne me deseras. Ecce enim parẽtes mei carnales, omnesque cognati & noti dereliquerunt me, non potentes mihi ferre auxilium, aut salutem dare, contra tam potentes inimicos, qui me impugnãt. neque G
omnino quisquã est in hominibus, à quo expectẽ cõtrà eos auxilium:* tu ergo domine qui solus me adiuuare potes, ad quem solũ sunt oculi mei, assume me paupere & orphanum, derelictũ ab omnibus, in protectionem & curam tuam. Tu enim pater es pauperum orphanorum atque derelictorũ, & iudex ac defensor eorũ qui humano sunt destituti auxilio. Assume (inquã) me in filium pater, in discipulũ præceptor, in ouiculã pastor, in seruum dominus, in clientem patronus, vt sis mihi vnus tu in omnibus sufficiẽs, quæ sunt meæ saluti necessaria. 17. Pone Domine mihi legẽ in via tua, firma eã in corde meo, dans mihi intelligentiam præceptorum tuorum, secundum quam ambulem corã te, vt placeam tibi, & ad te merear exoptatissimum terminũ peruenire:* & dirige me per ducatum sanctiꝰ spiritus tui in via recta, in obseruatione perfecta præceptorũ tuorum, vt ea non trãsgrediar, declinãs ad dexterã vel ad sinistram:* idque ego peto abs te, & tu mihi domine impendas propter inimicos meos, qui maximo studio me conantur à H
via recta abducere, & morti tradere: vt quãtum illi soliciti sunt in malũ meum, tãto tu in bono me cõfirmes amplius: vt sic ipsi confundantur, & ego ab illorum malitia nullum accipiã nocumẽtum. 18. Ne permittas domine me venire in potestatẽ aduersariorũ meorum, qui tẽtationibus & persequutionibus suis affligũt spiritũ meũ: neque permittas illos prævalere animæ meæ, aut super eã consequi dominiũ:* Ecce enim insurrexerũt aduersum me testes iniquitatis & iniustitię, qui male de me loquũtur, & falsa aduersum me pronunciat atque testatur, vt ad mortẽ me valeat perducere:* & iniquitas eorum cõfinxit sibi mendacia, ipsi sibi per iniquitatem confinxerunt falsa ac vana, quibus me innocente ad mortis mala perduceret. 19. Quãtumcunque autem illi mentiantur, & fingãt falsa ac vana, eaque aduersum me proponãt: ego tamẽ spero & cõfido visurum me bona sempiterna, quæ seruis suis dabit Dominus Deus meus:* nõ vtique in hac terra, quam mortalis homines inhabitant, sed in terra illa cælestis patriæ, in terra absque mortis sensu æternaliter viuentium. Illuc me spero bonis sempiternis perfruiturum, in perfecto gaudio. 20. In hac autem spe confortatus, temoneo ac hortor, anima mea, vt cũ aduersorum tolerãtia & ęternorum

A
*viriliter age:

*& confortetur cotuum, & sustine dominum.

rum desiderio, expectes dominum Deũ tuum, quasi parata semper occurrere illi:* expectans autem non otio torpeas, neque cesses ab operando bonũ: sed fortiter operare opera Dei, prælia domini aduersum hostes præliando, & in operatione omnis boni, dum tempus est, non Galat. 6.
deficiendo:* confortetur in confidentia diuini auxilij & spe bonorum cælestium, cor tuum: cõfortare in spiritu, & roborare, sicque secure sustine dominum, & corde eum diligens, & expectans aduẽtum ipsius: donec aduenies, de tabernaculo militiæ huius te educat in habitationem gloriæ suæ: in qua triumphabunt vniuersi qui prælia domini in finem vsque fortiter fuerint præliati, in gloria & delicijs sempiternis, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM VIGESIMVMSEXTVM.

VErsu sexto, In hoc ego sperabo. Facilĩ est iuxta sentẽtiam in Elucidatione expressam, vt pronomen hoc siue referat, siue demõstret id quod præcesit initio Psalmi, protectorẽ videlicet.
B illuminatorem, & saluatorem: quasi dicat, In eodem hoc quem ab initio dixi illuminationem & salutem meam, & protectorem meum, semper ego sperabo, quantumuis illi insiliant & ferociant contra me. Posset tamen etiam hanc habere intelligentiam, Si exurgat aduersum me prælium, adeò non turbabor, adeò non deiiciar animo, vt etiã ex hoc sperem diuinæ gratiæ maiora mihi, aduentura munera. Qui enim fortiter in prælijs domini rem gesserit, restiteritque viriliter impugnantibus aduersis potestatibus, meretur ampliora à domino accipere dona gratiarum. Et quemadmodum milites bellicosi non solum non detrectant pugnam, sed etiam gestiunt quodãmodo, & velut anhelant ad pugnam, tum propter lucra & spolia, tum qnòd suas vires gaudeant exercere, & duci suo suam fidelitatem commendare: ita spiritualis domini bellator in domini virtute confidens non tantum nõ debet fugere aut timere prælium, & tentationes diaboli omnino exhorrescere, verumetiã quodammodo cum lætitia suscipere, & aggredi animo prompto, confidens ex hoc suo domino probatior & acceptior fieri. Atque iuxta hanc sententiam legimus perfectiores quosdam ex patribus, vtpote magnum Antonium, & simplicem Frãciscum, dæmonum exercitus etiã inuitasse, & velut prouocasse atque extimulasse ad pugnam. ¶ Versu. 7. Vnam petij à domino. Vna est petitio, vna res est, quam quilibet iustus & petere debet & requirere: id est, sedulo postulare, & velut pro ea contendere, ita
C vt omnino nolit illa priuari. Hæc est æterna & perpetua nostri spiritus humani cum Deo coniunctio, & vnio beatitudinis æternæ. Multa quidem postulamus & varia, sed in hoc vno summatim includuntur omnia, quæcunque ad salutẽ nostrã postulare possumus. Cętera autẽ quę ad hãc vnã non spectãt, vt temporaria siue corporalia bona, possunt quidem vtcunq; ab hominibus peti & postulari, quatenus videntur fore commoda & conducibilia spiritui (vtpote necessaria corpori, & ad virtutis exercitia opportuna adiumenta) verum requiri ista non debent, id est non omnino quis pro illis debet cõtendere vt à Deo accipiat, sed submittere magis huiusmodi petitiones diuinæ voluntati, vt si expedire non iudicet quod postulatur, nõ prestet. ¶ Versu octauo, Vt videam voluntatẽ domini. Videtur hoc in loco facta deprauatio vulgatæ lectionis, ex mutatione vnius literæ, nempe p, in n: videturque pro voluntatem, legendũ voluptatem. Primùm enim sensus magis quadrat proposito. Deinde vtraque lectio & Græca & Hebræa voluptatem habet, & nequaquam voluntatẽ. Nã ex Hebræo vertit beatus Hieronymus pulchritudinem domini. Alij amœnitatem vel iucunditatem vel dulcedinem interpretantur, quæ omnia voluptatẽ sonant. Habet similiter & Chaldæa Paraphra. Quin & beatus Augustinus in suo Psalterio manifeste legit, & clarissime exponit delectationem domini. Græca verò litera (ex qua immediate nostri Psalterij versio facta est) habet τερπνότητα, quod manifeste sonat voluptatem. Cum itaque in vna litera apud Latinos stet mutatio (quæ facile admodũ fieri potest) & vtraque consentiat originalis lectio, atque ipsa etiã faueat sententia, satis probabĩ
D le est factam esse mutationem. Nos tamen, licet in Elucidatione ita expresimus, ob hoc noluimus ex nostra autoritate publicam mutare lectionem, scientes non hoc esse nostri officij: satis esse putamus, si id admonuerimus quod videtur probabilius. Potest nihilominus, si voluntatem legamus, conueniens dari intelligẽtia, imò eadẽ penè cum altera lectione quæ habet voluptatem. Cùm enim datum nobis fuerit videre voluptatem domini, id est, frui voluptate & gaudio beatitudinis æternæ, tunc pariter & videbimus voluntatem domini, illam videlicet qua nos summe vult, & cupidissime optat fieri saluos: hanc tunc videbimus plenissime impletam in nobis. Hæc est (inquit Christus do- Ioan.6.
minus) voluntas eius qui misit me, vt omnis qui credit in me, non pereat, sed habeat vitam ęternam. Proinde eadem ex vtraque lectione sententia potest accepi: ¶ Versu vltimo, Expecta dominum, viriliter age. In Elucidatione ita exposuimus hunc versum, vt sit exhortatio hominis, siue ad animam suam, iuxta quod in alio Psalmo dicit, Conuertere anima mea in requiem tuam, siue ad semetipsum Psal. 114.
se conuertentis, atque seipsum ad patientiam & perseuerantiam exhortatis. Potiet nihilominus accipi vt exhortatio generalis, quam Propheta postquam suam proposuit fiduciam, dicens, Credo videre bona domini, etiam cæteros ad idem inuitando, generaliter facit: tanquam si dicat, Ego confido visurum me bona domini in terra viuentium. Et tu quisquis es, qui eadem cupis assequi, & à Deo similiter auxilium & salutem obtinere, expecta dominum, & viriliter age: spiritu confortare, & esto robustus, & ita securus expecta dominum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXVII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste aptam præbet fidelibus orandi formam. In quo considerans fidelis pessimam quæ manet impios retributionem, ad Deum clamorem orationis dirigit, vehementer & multis verbis postulans, vt cũ illis in retributionem non veniat, neque similem cum illis mereatur accipere sententiam, qui dolose agunt cum proximis suis, atq; ob hoc iustam accipient secundum opera sua condemnationem. Atq; hæc primis septem versibus. Hinc verò concepta in Deo fiducia, & interno testimonio confortatus, consurgit ad gratiarum actionem, dominum suum protectorem & adiutorem, carne resplorescente, & animo hilari collaudare paratus: cui omnẽ victoriam & omnem salutem tam suam quàm populi totius ascribit: nouissimo versu, pro vniuerso populo Dei fundens orationem, vt illum saluum facere & benedicere dignetur, atque in æternum exaltare.

VIGESIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Ad te domine clamabo.* * *Deus meus ne sileas à me, nequando taceas à me,* * *& assimilabor descendẽtibus in lacum.*

2. *Exaudi domine vocẽ deprecationis meæ, dum oro ad te:* * *dũ extollo manus meas ad tẽplum sanctum tuum.*

3. *Ne simul tradas me cum peccatoribus:* * *& cũ operantibus iniquitatem ne perdas me.* Matt. 7. Lucæ. 13.

4. *Qui loquuntur pacẽ cum proximo suo:* * *mala autem in cordibus eorum.*

5. *Da illis secundum opera eorum:* * *& secundum nequitiã adinuentionem ipsorum.* Rom. 6.

6. *Secundum opera manuum eorum tribue illis:* * *redde retributionem eorum ipsis.* 1. Cor. 3. Matt. 16. Matt. 25.

7. *Quoniam non intellexerunt opera domini:* * *& in opera manuum eius:* * *destrue illos, & non ædificabis eos.* Psal. 35.

AD te domine leuabo vocẽ orationis meæ, & ex affectu magno te inuocabo, qui sol⁹ mih potẽs es præstare quę postulo:* tu vicissim domine me clamante ne taceas, ne despicias te deprecantẽ, ne tanquã surdus, tanquam qui nõ audieris, à responsione sileas: sed exaduerso loquere mihi verbũ miserationis, & respõde verbũ exaudi tionis:* alioqui enim (si tu silere & tacere volueris, neq; responderis mihi) similis fiã ijs qui degunt in inferno, & quasi vnus ero de numero illorũ qui iã descenderũt in illũ. Quos enim tu nõ exaudieris, quos tu responsione nõ fueris dignatus, hi iam inter mortuos deputati sunt, & quasi desperati atq; reprobi à conspectu tuo: quemadmodũ qui iã in infernum descẽderunt, quãtumcũq; clamẽt responsionẽ abs te nõ merentur, sed quasi surdus nõ attẽdis clamorẽ illorũ. 2. Ne ergo domine mihi sic obsurdescas, sed exaudi benignus vocem deprecationis meæ, qua oro ante conspectũ tuum:* cũ ex affectu piæ deuotionis atque ex desiderio imperationis in oratione positus, eleuo manus meas, siue spirituales mentem atque affectum: siue etiam corporales, versus cæleste tabernaculum tuum, in quo vt in tẽplo sancto tuo inhabitas. 3. Ne me simul in eandem portionem tradas cum ijs qui sese peccatis maculãt, tuamque sanctissimã voluntatem multipliciter transgrediuntur absq; pœnitentia: ne eadem me cum illis retributione præmies, neque cũ illis in eandem punitionem venire patiaris:* & ne me in eãdem perditionem venire sinas, ad quã venturi sunt operarij iniquitatis, quos à te iubebis maledictos in ignẽ æternum abire. 4. Qui duplici corde existentes, ore quidem & verbo simulant pacem & dilectionem cum proximis suis:* cum sint mala in cordibus eorũ, & mala meditentur aduersus proximos in cordibus suis, sicque lõge diuersum est cordis desiderium atque propositũ à sermone oris, & loquuntur in dolo ꝓximis suis quod tibi est abominabile. 5. Atque ijs quidem huiusmodi sunt, tu Deus, secundum ordinem iustitiæ tuę, reddes præmia operibus talib⁹ condigna:* & mercedẽ persolues conuenientem nequitię atque praui tati astutarum cogitationũ suarum, quas adinuenerunt & effinxerunt ad deceptionem proximorum, nimirum ęternã mortem, quæ est peccatis debitũ stipendium. 6. Mercedem congruã dabis illis iuxta ordinẽ iustitiæ tuæ, secundum opera sua, quæ in vita egerunt:* retributionem congruã & præmium cõdignum, quod suis malis actibus iustè cõmeruerũt, persolues eis. Vnusquisq; enim secundũ suum laborem à te accipiet mercedem: & tu reddes vnicuiq; secundũ opera sua: ijs qui bõna egerunt, vitã ęternam: illis verò qui mala, ignem æternum. 7. Idcirco autem præmio pessimo, morte æterna punies illos, quoniã noluerunt intelligere vt bene agerent, noluerũt intelligere opera Altissimi: nõ cognouerũt opera tibi grata & placita, nec intenderunt eiusmodi operibus, quibus tibi placere possent:* neq; intelligere studuerũt opera manuũ tuarũ, quę tu fecisti, facis, & facturus es in nouissimo: sed adeò fuerunt immersi terrenis rebus, & adinuẽtionibus suis malis adeò intenti, vt nõ cõuerterent se ad cognoscendũ te in mirabilibus operibus tuis, neq; ad intelligẽdum quibus operibus tibi placere deberent:* atq; ob hoc, quia te noluerunt dum tẽpus fuit cognoscere, te nõ studuerunt bene operando sibi placare, ob hoc in nouissimo die perdes eos sententia dãnationis æternę, & non saluabis eos: nõ videbunt salutem iustorũ, nec coædificabuntur cum illis à te in ædificio ciuitatis tuæ. Sũt enim lapides inutiles, & igni æterno sua prauitate præparati.

A 8. *Benedictus dominus,* * *quoniã exaudiuit vocẽ deprecationis meæ.* 9. *Dominus adiutor meus & ꝓtector meus:* * *& in ipso sperauit cor meum, et adiutus sum.* 10. *Et refloruit caro mea.*

8. Ego verò testimonio tuo interno bene sentiens, & bene confidens in horum numerum non venturam animam meam benedico te domine Deus meus, laudo & glorifico:* propterea quòd exaudieris vocem orationis meæ, qua deprecatus sum, & iugiter deprecor faciem tuam, ne similem me fieri illis permittas, aut in eandem venire perditionẽ. 9. Tu domine adiutor meus es & eris, atq; item protector, & à te erit semper adiutoriũ meũ, atq; mea protectio:* & in te domine spem omnem cõstitui ex corde meo, ex pleno affectu bonæ voluntatis meæ, & ita accepi abs te auxilium. Qui enim tibi fidunt, sentiunt tuum adiutorium. 10. Adueniente autem adiutorio gratiæ tuæ in animam meam, non solum spiritus ipse interius inhabitans cõfortatus est, sed & caro exterior quasi particeps facta internę visitationis & lætitię nouum accepit vigorem, & quasi refloruit atq; reuiguit: depositóque senectutis velut torpore, iterum cœpit reuirere & reiuuenescere, quasi noua accepta fortitudine, parata in omne opus bonũ: quẽadmodum is qui lassatus ex itinere, fameq; & siti exhaustus flaccescit in ambulatione cum panis & vini vel paululum degustauerit, noua assumpta fortitudine: ve luti reflorescit atque reuirescit exterius, paratus iam ad pergendum viam quã cœperat alacritate pristina:* & sic tuæ gratiæ adiutorio cõfirmatus, paratus sum ex bona & prompta voluntate, ex corde læto & alacri, spiritu prõpto & hilari, tibi cõfessionem laudis persoluere omnibus diebus vitæ meę. 11. Tu domine es fortitudo populi tui in quo populus tuus valet quicquid valet, & sine quo nihil omnino potest:* & specialiter tu es protector atq; author præcipuus omniu n saluationum quas fecit Christus tuus rex populi tui quem super populũ vnxisti, & constituisti loco tui. Omnẽ enim salutẽ quã facio ego Dauid seruus tuus pro populo tuo, omnem victoriã quã cõsequor, nõ ascribo fortitudini populi mei, neque mihiipsi quem super populũ tuũ cõstituisti: neq; nobis ipsis damus gloriam, sed tibi soli domine Deus noster: quo prote gente, defendente, & dante fortitudinem hostes sũt in manibus nostris, & nos saluamur de manib⁹ eorum. 12. Tibi ergo domine vt in omnibus damus gloriam, ita quęso, vt populum tuum (qui tui nominis vnicus est cultor) semper tua celesti propugnatione saluũ facias ab omnibus tã visibilibus quã inuisibilibus inimicis:* & populo huic quem tibi in hæreditatem specialẽ & in peculium ex omnibus gentibus elegisti, vt habitares in medio eius, cœlestis tuæ benedictionis gratiã largiter infunde, vt ab inimicis sint te protegẽte securi, & tuo nomini (benedictione superna interius viuificati) semper sint permaneantque deuoti:* rege quoq; illos, & pasce vt pastor bonus, & dirige eos in omnib⁹ agẽdis, vt semper ambulẽt corã te in corde perfecto: & extolle atque exalta illos super inimicos suos vt nunquam veniant in subiectionem malorum.* Exalta quoque illos, & magnifica in sublimitate gloriæ tuæ æternæ, in qua glorificas omnes electos tuos: vt sicut nunc tibi corde fideli famulantur, ita tecum post laborem operationis sublimentur in requiem gloriæ tuæ sempiternæ, quam tu possides vnus & trinus ante omnia seculorum secula. Amen.

B *et ex voluntate mea confitebor ei.* 11. *Dominus fortitudo plebis suæ:* * *et protector saluationum Christi sui est.*

C 12. *Saluum fac populũ tuum domine:* * *& benedic hæreditati tuæ.*

* *& rege eos, & extolle illos vsq; in æternũ.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM VIGESIMVMSEPTIMVM.

D VErsu primo, In vltima particula versus, Et assimilabor descendẽtibus in lacũ. Nota diligenter nouam acceptionem & significationem coniunctionis, &. Non enim hoc loco simpliciter (vt solet) accipitur, sed posita est quasi pro alioqui quemadmodum & in psalmo. 145. cum dicitur. Non auertas faciem tuam à me, & similis ero descẽdentibus in lacum. Est autẽ sententia & hic & illic similis, tãquam si diceret orans, Non auertas faciem tuam à me: Alioqui, si tu auertas: vel, nam si auertas, mox assimulabor descẽdẽtibus in lacũ. Ita & hic. Ne taceas à me: alioqui enim, id ist, si tu taceas à me, assimilabor descendentibus in lacum. Quãuis autẽ hæc acceptio coniunctionis, & rarò admodum occurrat: cogit tamen his in locis intelligẽtia, vt ad eum modum accipiatur cõiunctionalis illa enunciatio: alioqui nulla haberetur recta sententia. ¶ Versu decimo, Et ex voluntate mea confitebor illi. Ex voluntate confiteri, est corde alacri & hilari laudare. Et iuxta eundem modum dicitur in Psalmo. 53. Voluntarie sacrificabo tibi, & cõfitebor nomini tuo domine, quoniam bonum est. Idem enim illic est voluntarie, quod hic ex voluntate. Quia enim id quod inuite fit, vel ex coactione, vel tantum ex consuetudine, solet cum torpore & pigriter fieri contra verò, ardenter & hilariter, quod ex propria siue bona voluntate. Inde hæc videtur locutio proficisci, vt ex voluntate vel voluntarie dicamur facere, quod hilariter & alacriter ex bono ac prompto corde volumus perficere. ¶ Versu penultimo, Protector saluationum Christi sui est. Intelligitur Dauid loqui de seipso, quasi sub alterius persona. Christus enim domini erat ipse, postquam in regem populi domini secũdum

Ioan. 15. Psal. 145. Psal. 53.

electionem fuerat inunctus. Hoc enim nomine frequẽter inuenimus Saulem ab ipso honorifice no E
1.Reg.26. minatum. Nõ mittã(inquit)manum meam in Christum domini,& aliàs frequenter. Significat ergo hoc verbo omnem victoriã & salutem, quam ipse vt rex populi Israëlitici faceret, nõ ex sẽ esse, neq; ex populi cui præerat fortitudine, sed ex domini magis auxilio & protectione. Sed & si ad Dauid mi sticum, ad Christum dominum patris filium, spiritualiter referamus intelligentiã, etiã sic verum est Deum esse protectorem saluationum Christi sui. Salus enim & victoria quam operatus est Christus dominus in generis humani redemptione, Deo autore facta est: id est, ex virtute diuinitatis est profecta. Verum prior intelligẽtia minus torta videtur, & quadrare aptius. ¶ Versu vltimo. Posset in ver bis huius versiculi assignari iucunda petitionum diuersarum distinctio. Primũ enim petitur saluatio populi, cum dicitur, Saluum fac populum tuũ domine. Deinde, ipsius populi saluati benedictio: Ter tium, vt à Deo regãtur: Quartum, vt extollãtur exaltatione eterna. Primum enim est, vt à peccatis & mortis obligatione saluemur: deinde, vt à peccatis liberati benedictionẽ cælestium gratiarum con sequamur: post hoc, vt Dei semper cura regamur & dirigamur, ne in dimissa peccata iterũ recidam*, aut collata bona perdamus: ac tandẽ post hæc omnia, vt ad exaltationẽ gloriæ æternæ subleuemur.

XXVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

F

Videtur Dauid cum hũc Psalmũ caneret, fuisse singulari & peculiarissima quadã illuminatione edoctus, de cunctis ædificandæ nouæ Ecclesiæ mysteriis: quæ hic ita luculẽter aperit, ac si cõpleta iam ea vidisset mira verborum magnificentia. Estq; Psalmus iste exhortatio fidelium ad laudem Christi domini, propter mul tiplicia & maxima beneficia, quæ ipse in mundum aduenies, per veritatis doctrinam & Apostolicã prædica tionem, electis exhibuit. Monentur itaq; afferre oblationem domino, & sacrificare filios arietũ, & gloriã & honorem, & adorare in cælis regnantẽ, cuius vox (nempe prædicatio Euangelicæ veritatis, quam primũ per seipsum, deinde & per Apostolos prædicauit) effusa est super omnes populos, quasi vox tonitrui super aquas multas, cum magna virtute & magnificentia, in ostensione signorum & prodigiorum mirabiliũ, ita vt etiã e lectissimi plurimi, tanquam cedri Libani, fuerint hac prædicationis voce conuersi, & humiliati atq; cõfracti, per quam prædicationem, credentibus diuisa sunt spiritus sancti dona: concussum est desertum gentiũ, atq; e tiam populus Iudæorum, dum ex vtroq; populo plurimi sunt conuersi: per quã insuper fideles quasi serui sunt parati, & ad omnia alacres facti, cõdensa siue occulta sunt patefacta: per quam multitudo populorum, quasi aquæ inundantes in modum diluuij confluxerunt in alueum Ecclesiæ, in cuius medio residet ipse Christus do minus idem qui ad patris dexteram, populo suo dans fortitudinem & benedictionem, ad pacem æternam.

VIGESIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

G

1. *Afferte domino filij Dei:*

* *afferte domino filios arietum.*

1.Cor.4.

Rom. 12.
2. Cor. 6.
Apoc.22.

2. *Afferte domino gloriam & honorem: afferte domine gloriam nomini eius:* adorate dominum in atrio sancto eius.*

Hebr.13.

3. *Vox domini super aquas:*

Ioan.4.

* *Deus maiestatis intonuit.*

VOs ò fideles omnes, qui per Christum ex filijs iræ facti estis filij Dei, pro summo & multò maximo vobis impenso beneficio, in gratiarum actionẽ, afferte hostias, ad immolationem & sacrificium: *afferte (inquam) prẽstantissima & optima quæque quæ habetis, cuiusmodi sunt in sacrificijs corporalibus filij arietum: id est, oues & agni, quæ sunt in oblationibus & sacrificijs legalibus præ cæteris animalibus acceptiora. * Afferte iterum vosipsos atque vos mutuo, qui estis filij arietum, patriarcharum & Apostolorũ, qui vos in Chri sto, vt arietes oues genuerunt, suntque vobis duces & antecessores in fide Christi, & primi in gregibus Ecclesiæ: vosipsos quidem afferte, vt hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, in omnibus exhibentes vos sicut Dei ministros: vos inuicem quoque afferte, curantes proxi mos ad cultum & seruitutem Dei adducere, vt qui audit, dicat, veni.
2. Afferte ad immolationem & sacrificium Christo domino facienda, H
gloriam & honorem, quæ sunt illi gratissima sacrificia præ omnibus quæ postulat à nobis. Nihil enim tam nos illi debemus pro maximis suis erga nos beneficijs, nihilque vicissim adeò à nobis ipse postulat, quàm vt illi gloriam & honorẽ exhibeamus, & laudis hostias semper offeramus, vitulos labiorum nostrorũ cõfitentium nomini eius: * & si requiritis, quo pacto gloriam illi & honorẽ afferre debeatis. hic mo dus est præcipuus, vt puro corde ipsum in spiritu & veritate adoretis residentẽ gloriosum in aula sancta sua, latriã illi & cultum summum soli summo & primo enti omniũ dominatori debitũ exhibere, residẽ ti & regnãti in amplissimo & augustissimo cælorũ habitaculo, vno eodemque & penitus æquali honore cũ patre Christũ filiũ venerãtes.
3. Si requiritis beneficia quæ sunt & mirabilia ista, pro quibus adora re & gloriã dare exhortor: præcipua quędam breuibus cõmemorabo. Ecce enim vox domini effusa est super aquas multas, super omnes po pulos: quãdo per semetipsum primum, ac deinde per suos Apostolos prædicauit dominus Euangelicę veritatis doctrinã, per vniuersum or bem, in omnibus gẽtibus & populis: * Christus Dominus (qui erat in maie-

A

* *dominus super aquas multas.*

4. *Vox domini in virtute: * vox domini in magnificentia.*

B 5. *Vox domini confringentis cedros: * & confringet dominus cedros Libani.*

6. *Et cõminuet eas tanquam vitulum Libani:*

* *& dilectus quemadmodũ filius vnicorniũ.*

C

7. *Vox domini intercidentis flammam ignis:*

* *vox domini concutientis desertum:*

* *& commouebit dominus desertum cades.*

D

8. *Vox domini præparantis ceruos:*

maiestate & æqualitate patris) ipse quasi tonitrui vocẽ edidit in mundo: quæ apud omnes nationes, in omnibus finibus orbis terrarum bre uissimo temporis spatio audita est: quemadmodum tonitrui sonus lõge ac late diffunditur per vniuersam regionem. * Tonitrui etiam vocem emisit, quia terribiliter insonuit, ita vt cõmouerentur corda infidelium ad pœnitentiam: & ab infidelitate ad fidẽ potenter cõuerteret plurimos in omnibus finibus terræ. Dominus (inquam) hoc pacto su Apoc. 17.
per populos multos (Aquæ enim multæ, populi multi) fortiter intonuit, & vocem fortissimam emisit. Atque hoc maximum est beneficium, quo Ecclesia ex gentibus congregari ad fidem, & in ea edificari cœpta fuit. 4. Vox autem ista domini non fuit infirma & impotens, sed magnæ admodum virtutis, potens valde & efficax ad operandã conuersionem multorum populorum, ad penetrandum intima cor- Marci 1.
dium: * vox ista domini in magnificentia apparuit, virtute signorum atque prodigiorũ sequentiũ confirmata, & mirum in modum glorifi cata, factaque hac cõfirmatione nimium credibilis. 5. Vox illa domini tantæ fuit virtutis, & tam magnifica, vt etiam cedros electas arbores sufficeret cõfringere, id est, sublimes & potẽtes seculi à sua superbia conuertere, atque sub fidei iugo humiliare: * & confregit dominꝰ per virtutẽ huius prædicationis suæ, etiam electissimas cedros, quales sunt quæ in Libano crescunt, id est, magnos etiã & glorioſos tam potentia quã sapientia, aut nobilitate humana (qui sunt tanquam cedri Libani) ab infidelitate & superbia vanitate sua auertit, atque ad humilitatem fidei inflexit. 6. Neque verò magna difficultate cõfregit & humiliauit sublimes illas cedros, sed mira facilitate, quemadmodum pinguem, delicatum, & tenerrimum vitulũ (cuiusmodi sunt qui in Libano pascuntur) facile est cõminuere, & agere quocũque quis voluerit. Fecit enim vox Euãgelicæ prędicationis quasi agnos mãsuetissimos, & quasi vitulos teneros, atque ad omnia facile agitabiles, eos qui priꝰ tanquã cedri per altitudinem superbię, & duritiem feritatis, in superabiles & intractabiles videbantur: * & ipse per quem hæc omnia fiunt, Christus dominus est, patri suo singulariter dilectus, quemadmodum filij vnicornium qui erga suos fœtus probantur dilectionẽ habere specialem. Ita hic speciali dilectione admodum fuit suo patri dilectus, & Matt. 13.
ipsi in suo filio fuit beneplacitum. 7. Ad vocem insuper Euangelicæ prædicationis dispartitus est fidelibus spiritus sanctus, qui est veluti Act. 2.
flamma ignis, corda illuminãs, purgans, & inflãmans: eiusque dona velut diuisa sunt, ac tanquã intercisa distribuendo: dum alij quidem per 2. Cor. 11.
spiritum dabatur sermo sapientię, alij sermo scientiæ, &c. In quorũ donorum multiplicitate, quasi intercisio videtur flãmæ ignis, & diuisio Ibidem.
vnius spiritus, cum hæc omnia operetur vnus atque idẽ spiritus, diuidens singulis prout vult: * & per vocem hanc cõcussus est populus gẽtium, qui erat omnino desertũ, prorsus alienus à Deo: & percussus est Act. 13.
Apostolica prædicatione, quasi malleo, vt salubriter conuerteretur ad pœnitentiam. Est enim verbum domini quasi malleus conterens pe- Hier. 23.
tram: * commouit quoque vox ista Apostolicæ prædicationis non solum populum gẽtium (qui erat velut prorsus desertum, ac perfecta solitudo, omnino à Deo derelicta) verumetiam populum Iudaicum, qui erat quidẽ desertum, quatenus perfecto, vero, ac spirituali cultu destituebatur: sed desertum cades, erat desertum sanctificationis, habẽs legem sanctam, & sancta qualiacunque sacramenta: propter quę nõ sim pliciter, neque omnino (vt gentiũ populus) erat desertum. Atque etiã Act. 13.
hos commouit dominus sua voce, multos ex eis ad veritatem Euange lij inducendo, quotquot ad vitam præordinati fuerant ex eis: & item cõmouebit plures ex eis in fine tẽporum post Antichristi persecutionem. Cæteri verò qui cõuerti noluerunt, qui cõmoti sunt infœlici ter odio & inuidia cõtra prędicatores Euangelicos: & aduersum illos insurrexerunt, prohibentes illos (quantum in se fuerat) loqui in deferto gentium verbum veritatis. 8. Vox domini ipsa sibi parauit fideles suos, quasi ceruos alacres & prompto animo, ad currendum velocissime per vniuersum orbem, ad ascendendum summa montium, fastigia virtutum & culmen perfectionis Euangelicæ, atque ad pugnan Act. 14.
dum cum serpente diabolo, eumque de cauernis in quibus latitat (de cordibus infideliũ) extrahẽdo: quę omnia, sicut ceruis cõpetũt corporaliter, ita fidelibꝰ quos Dei vox sibi pręparat, & suo ministerio aptos

Universidad de Deusto
Biblioteca

*& reuelabit condensa:

*& in templo eius omnes dicent gloriam.

9. Dominus diluuium inhabitare facit:

Ephe.3.

*& sedebit dominus rex in æternum.

Ephe.2.

10. Dominus virtutẽ populo suo dabit:

Apoc. 19.

*dominus benedicet populo suo in pace.

facit, spiritualiter recte conueniunt:*& reuelabit dominus per vocem E
Apostolicæ prædicationis occulta & abscondita fidei Christianæ & veritatis Euangelicæ mysteria, quę antè multiplicitate figurarum & inuolucris ceremoniarum erant velut tecta & occulta, quemadmodum ea quæ foliorum densitate sunt operta:* atque his peractis, patefactis fidei Christianæ mysterijs, quæ antè fuerant occulta, fideles omnes in Ecclesia (qui huius veritatis reuelatæ facti fuerint participes) dabunt gloriam omnipotenti domino, qui ista in plenitudine temporis dignatus fuerit manifestare, quæ seculis præteritis non erat agnita. 9. Dominus per vocem Euangelicæ prædicationis multitudinem copiosissimam populorum ex gentibus conuersorum, tanquã aquam copiosam & in modum diluuij inundantem, fecit inhabitare in hoc templo suo, in vnitate sanctæ Ecclesiæ ciues sanctorum eos faciens: & domesticos Dei, ex hospitibus & aduenis, quales prius fuerant: * & ipse vt omnium dominator, & super omnia tenens i nperium, vt rex regum & dominus dominantium, sedebit, & regnabit sine fine in secula secu
lorum in vtraque Ecclesia, tam militante, quàm triumphante, immo F
bilis manens in sua quiete, hæc omnia in temporis plenitudine operatus est pro nobis. 10. Ipse quoque sedens in maiestate sua, curam gerit populi sui, dabitque ei fortitudinẽ, qua & inimicis resistere valeat, & ea quæ recta ac bona sunt operari.* Dominus benedictionem multiplicem spiritualium omnium gratiarum dabit populo suo, dans illi pacem, temporalem quidem, quantũ ipsi expedire videbitur: spiritualem verò atque internam, nunc in gratia, post in gloria sempiterna: cuius pacis & nos quoque participes facere digneris domine Deus noster, qui trinus & vnus viuis per æterna secula, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXVIII.

ILlud aduertendum est, per totum hunc Psalmum frequenter eadem replicari: veluti cum in ipsius principio verbum, afferte, tertiò ponitur: & cum toties vox domini, vox domini, pene ad finẽ vsq; replicatur. Item versu tertio particulatim, & quasi concise, singulæ particulæ efferuntur. Vox domini super aquas: &, Deus maiestatis intonuit: & iterum, Dominus super aquas multas, vbi partes in- G
completæ sunt. Iterumque versu quinto, Confringentis cedros, vbi mox subditur, Et cõfringet dominus cedros libani. Hæc (inquam) omnia, sic vel replicata, vel concise atque imperfecte prolata ad magnificentiã faciunt sermonis, & vehementiã exhortationis, quæ in hoc Psalmo ad vniuersos diri gitur qui sunt in Ecclesia fideles. ¶ Versu 3. Vox dom. sup. aquas. Vox illa domini super aquas accipi posset vox paterna, quæ, cum in Iordane baptizaretur à Ioanne Christus dominus audita est, de eo testificans, ac dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Nos tamen in Elucidatione in totius Psalmi processu, per vocem domini intelligimus prædicationem veritatis Euangelicæ:
Matt. 3. cui omnia quæ sequuntur aptissime consonãt: & magis hæc intelligentia videtur proposito cõueni re, quã illa altera de voce paterna. ¶ Versu 5. 7. & 8. Cum per genitiuũ dicitur, Vox domini confringentis cedros, intercidentis flammam ignis, concutientis desertum, præparantis ceruos, viderentur orationes clariores, si genitiui illi mutarentur in nominatiuos, hoc modò, Vox domini confringens cedros, intercidens flammã ignis, &c. Atque ad hunc modum vertit omnia casu nominatiuo diuus Hieronymus ex Hebræo, Græca tamen lectio (quæ nostræ Latinæ vulgatæ respondet, & ex qua ista translata est) habet casum genitiuum, quomodo & nos habemus. Et habet etiã ipsa conuenientem, licet difficiliorem, intelligentiam. Dicitur enim vox domini confringentis cedros, vox domini qui per ipsam confregit cedros, per ipsam concusit desertum, per eam intercidit flammam ignis, per eã H
præparauit ceruos. Diuinitas enim per vocem prædicationis operata est hæc omnia: & fuit vox ipsa exterior prædicationis non nisi ministerialis causa: ipse autem dominus, secundum diuinitatis internam virtutem, causa erat principalis, quæ intime operabatur hęc omnia. Neque tam dici potest vox hæc operata, quàm per vocem dominus, qui emittebat eam.

XXIX. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste spirituali viro rectissime conuenit, & ea quæ intra se spiritualis percipit, optime explicat: neque facile poterit intelligi, nisi ab eo qui modum illum quo Deus agit cum seruis suis (nunc præsentem se exhibendo, nunc absentem se ab illis elongando) intelligit. Videtur autem Dauid, cum istum Psalmum componeret, ex magna & grauissima admodum tribulatione emersisse, quæ illius spiritum vehementer afflixerat, siue corporalis illa siue spiritualis fuerit. Vnde à magna lætitia incipit, laudem Dei commemorans, pro præstita liberatione & ab inimicis saluatione, pro exauditione & quasi ab inferis reductione: considerans q; miram & non satis sibi laudabilem Dei misericordiam, eandemq; omnibus atque expositam generali exhortatione, fideles omnes ad laudem Dei inuitat propterea quòd ipse, tametsi nonnunquam ad tempus modicum videatur irasci, nostris culpis id exigentibus, semper tamen vitam nostram & bonum magis vult, & magis de eo gaudet ex sua voluntate, qui etiam facile lugentes in pœnitẽtia cõsolatur per misericordiã suam. Atq; hæc

vsque

A *vsq; ad versum septimum. A quo deinceps id quod in se expertus didicit, confitetur: quomodo videlicet ipse in abundantia Diuinæ consolationis constitutus, proposuisset quidem nunquam à Deo dimoueri, sed auertente illo paululum conspectum præsentiæ suæ, senserit infirmitatem fragilitatis propriæ: ita vt præ nimia conturbatione cogeretur exclamare ad Dominum, & lachrymabilibus vocibus Dei misericordiã inuocare, donec tandem oratione exaudita rediens, & priorem illam abundantiam reducens, redderet ipsi lætitiam salutaris sui: ita vt per aduentum præsentiæ suæ, omni luctu & sacco depositis, pristinum illi redderet spiritus gaudium: propter quod pollicetur se domino in omni gloria laudem æternam persoluturum.*

VIGESIMINONI PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Exaltabo te domine quoniam suscepisti me:*
nec delectasti inimicos meos super me.

B 2. *Domine Deus meus clamaui ad te: & *sanasti me.*

3. *Domine eduxisti ab inferno animã meam:*
saluasti me à descendentibus in lacum.

4. *Psallite domino sancti eius:* & confitemini memoriæ sanctitatis eius.*

C 5. *Quoniam ira in indignatione eius:*
& vita in voluntate eius.

6. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*

7. *Ego autẽ dixi in abundantia mea:* non mouebor in æternum.*

D 8. *Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem.*

9 *Auertisti faciem tuã à me, & factus sum cõturbatus.*

MAgnificabo te domine, & prædicabo celsitudinẽ glorię tuæ donec viuã, ppterea q; in defensionẽ, & protectionem suscepisti me, perire nõ sinens animã meã:* neque passus es supergaudere mihi inimicos meos, & de meo lapsu, aut mea perditione illos lætari noluisti. 2. Domine Deus meus, in tribulatiõe & periculis posit⁹ ex affectu cordis te deprecatus sum, auxiliũ à te petens, & defensionẽ postulans:* & tu me postulantẽ benignus exaudisti, & saluasti me, atq; liberasti ab omnibus doloribus & periculis meis. 3. Erat iam in infernum descensura anima mea, & in proximo erat vt in peccatum cõsentiens ream dãnationis & inferni se faceret: aut certe iã in peccatum consenserat, iã inferno se addixerat per peccatum mortis, sed tu dñe ab inferno eã eduxisti, atq; saluã fecisti, vel eã præseruando à peccato ne infer ni rea fieret, vel iam ream factã ex inferno extrahendo, per peccati dimissionem:* ita saluasti me à damnatis qui in lacũ descenderunt inferni, priusquã illuc descenderem, vbi nulla est redemptio, benigne me liberando. 4. Propter hanc quam ego in memetipso expertus sum Dei misericordiã, hortor vos omnes quicunq; in sanctitate & iustitia ambulatis coram domino Deo vestro, vt mecũ illum ad gratiarum actionem collaudetis:* confessionem date sanctitati ac bonitati eius, com memorando, & magnificando illam: scientes eandẽ hanc misericordiã quam mihi exhibuit æque omnibus, etiam vobis esse expositam, & æque paratum (absque personarum delectu) vniuersis. 5. Quãuis enim irascatur aliquando ad tempus, & iram suã erga nos nonnunquã ostendat, nimirum in indignatione sua: cum videlicet nostris culpis vel peccatis id exigentibus, aduersus nos iustã habet indignationem zelus iustitiæ eius:* vita tamẽ nostra & omne bonum nostrũ est in voluntate & beneplacito eius. Nequaquã enim vult mortem etiam peccatorũ, Ezec. 18.
neque oblectatur in perditione aut punitiõe nostra: sed vult magis vt & 33.
conuertatur peccator & viuat: & in vita nostra atque bono nostro est ipsi beneplacitum. 6. Imò tam facilis est Dei iræ in misericordiam cõmutatio, vt nonnunquã qui ad vesperam in fletu demorati fuerint, & pœnitentiã egerint, mox summo mane percipiant redditam sibi lætitiam salutaris sui: ita statim adest pœnitentibus ipsius misericordia, ita eueſtigio lugentes subsequitur cõsolatio, modo ex vero corde doleãt atque lugeant commissa sua, quibus contra se eius indignationẽ prouocauerunt. 7. Et ego cum essem aliquando in abundãtia consolationis internæ constitutus, cum essem in latitudine deuotionis spiritalis positus, corde interius per Diuinæ visitationis præsentiam dilatato, dicebam intra memetipsum, & ita proposui:* iam amodo non mouebor à domino Deo meo vsque in æternum, amodo illi adhærere volo vinculo indissolubili: ex nunc me nemo poterit separare vel paululũ à domino Deo meo, nulla res me poterit pòsthac ab illo diuellere. 8. Ego quidem ita dicebã: & verè, donec in illa abundantia positus essem, ita quoque existimabam. Verùm subsequens experientia hoc me docuit, non esse in hominis potestate absque te propositum cordis sui perficere, neque sine te illud posse hominẽ pro voto in effectũ deducere: & hoc cognoui, quod tu domine sol⁹ esses, qui decori spirituali & ornatui gratiæ tuæ, qui intra me est, præstas virtutem in bona & benigna voluntate tua: qui ornatum omnẽ & pulchritudinem quæ est in anima mea, ex tua gratia corroboras, & tua virtute, donec placitum est tibi, custodis, vt in me permaneat, & ego in illo persistã. 9. Vbi verò auertis faciem tuam à me, & vel paululum absconderis, quasi me relinquens: siquando tuæ præsentiæ consolatione destituor, statim conturbatur intra me anima mea, quasi quæ periclitetur de omni ornatu

Universidad de Deusto
Biblioteca

10. *Ad te domine clamabo, & ad Deũ meum deprecabor.*

11. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*

12. *Nunquid confitebitur tibi pulvis:*

* *aut annunciabit veritatem tuam?*

13. *Audiuit dominus, & misertus est mei:*
* *dominus factus est adiutor meus.*

14. *Conuertisti planctum meum in gaudiũ mihi:* * *concidisti saccũ meum, & circundedisti me lætitia.*

15. *Vt cantet tibi gloria mea, & non cõpungar:* * *domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.*

natu quem intra se abs te continet, & vehementi angitur solicitudine: E
scies tum me in magno periculo positum, & facillime à te posse decidere. 10. Sed quid faciam, cum me ita derelictum sensero, cum te percepero auertisse faciem tuã? Nõ cessabo domine lachrymis, fletibus, & precibus ad te clamare, teq; totis affectibus intentissime deprecari cum amaris singultibus, donec exorẽ, & obtineã ad me reditum præsentiæ tuæ, donec reddatur mihi lætitia salutaris tui. 11. Flens quoque & plorans clamabo, in hunc modum. Quæ tibi erit vtilitas, pijssime Deus, ex vita mea? quis tibi honor, quæ tibi gloria, ex eo quòd viuere me fecisti super terrã? quid etiã mihi profuerit vita mea, si in corruptionem mortis æternę descendero? si à te derelictus, descendam in sepulchrum inferni, cum damnatis in corruptione sempiterna? Nunquid ad hoc me creasti, Deus optime, vt in corruptionem mortis venirem, & non magis ad hoc vt vita fruerer coram te, & laude sempiterna glorificarem faciem tuam? Ad hoc quomodo faciam, quomodo exequar, ad quod creasti me, si me permittas derelictum in putrefactionem peccatorum deuenire? 12. Nunquid impij (qui sunt tanquam F
pulvis, quem proijcit ventus à facie terræ) aut nunquid ij qui in pulvere dormiunt, qui sine spe gloriosæ resurrectionis ad vitam, in terræ pulverem resoluuntur, semperq; vt pulvis aridi & vigore Diuinæ gratiæ destituti permanebunt? nunquid hi (inquam ego) dabunt tibi confessionem laudis gratam & placitam? * aut nunquid ipsi annunciabũt & prædicabunt cum laude & gratiãrum actione veritatem & iustitiã tuam? Imò per hos blasphemabitur potius, quam laudabitur veritas tua. Noli ergo permittere domine, vt in numerum horum aliquando deueniã, neque illis assimiler (quod certe facile fiet, si diutius a me auertas faciem tua) sed quantocyus ad me cõuerte benignum aspectum tuum, vt non illi assimiler arido pulueri: redeatque mihi decor ille & ornatus quem tu præstitisti mihi, in beneplacito tuo. 13. Cum verò ita orarem, audiuit dominus orationem meã, & misericordia motus est ad exaudiendum deprecationem meã: * factusque est mihi ipse dominus, respectu misericordiæ suæ & auxilio gratiæ, adiutor, defensor, & liberator. 14. Commutasti tu domine luctum meum in gaudiũ: & mœ G
rorem pœnitentiæ quo affligebar pro peccatis meis, atque etiam propter pericula, in quibus me constitutum videbam per tuam absentiã, conuertisti in lætitiam spiritualem, quæ mihi reddita est te redeunte, iterumque me dulci tua consolatione visitante: * abijcere me iussisti habitum lugubrem, ad me lætificandum rediens. & saccum pœnitentiæ quo operiebar, velut concidisti atque rupisti, nolens me vltra lugere, iubensque me à luctu cessare in aduentu tuo: sed magis gaudere, epulari, & iucundari in spiritu me voluisti, cum iam mecum esses tu spõsus animæ meæ: & mira, noua, atque insolita lætitia me abunde lætificasti in aduentu tuo. 15. Idque fecisti, dulcissime domine Deus meus, vt ego tibi iam laudem canam in omni gloria mea, in omni ornatu meo, & in omni virtute mea, omni depolita tristitia: & nequaquam vltra doloribus stimuler, aut in tristitia agam: * & ita sane domine deus meus, omni nunc abiecta tristitia, omni timore foras per charitatem misso, concepta spe salutis meæ & damnationis timore pulso, ex toto cordis affectu volo æterna tibi confessione laudẽ persoluere, & nunc H
quidem in vita corporis quantum patietur humana fragilitas, & perfectius in futura vita in æternitate seculorum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXIX.

NOn ignorans hunc Psalmum quosdã fidelium doctorum Christo domino totum accommodare, qui à patre susceptus fuit atque custoditus ne vel à morte vel ab inferno teneretur, qui à plaga mortis temporalis in sua resuscitatione à patre fuit sanatus, & ab inferis reductus, cui pater velut ad momentum, ad tempus modicum, ob culpã generis humani (quã in se suscepit) visus fuit irasci: voluit tamen ad vitã eum resurgere, & ab horrore mortis ad resuscitationis lætitiã redire. Sed & cætera quæ sequuntur, non ita difficile fuerit ad Christum applicare, in passione humiliatũ, atque in resurrectione glorificatum. Quam intelligentiam in aliorum Commentarijs promptum est requirentibus inuenire. Neque nos illam damnamus aut abijcimus, tametsi in hoc Psalmo quædam sint quæ intelligentiam huiusmodi non nisi coactius ferre posse videantur. Ea autem quam in Elucidatione latius expressimus, nobis visa est considerantibus singulas huius Psalmi partes, aptius quadrare. ¶ Versu. 5. Quoniam ira in indignatione eius. Notandum pro huius versus intelligentia, quòd cum Deus erga suos nonnunquam ostendit iram, hoc profecto non in voluntate neque ex beneplacito

A neplacito ipsius est, qui omnes cupit viuere, & saluos fieri: sed ex indignatione est, quam contra nos 1. Tim. 2.
nosipsi peccatis nostris prouocamus: atque ob hoc, quãtumuis irascatur, ad indignationem à nobis prouocatur, mox tamen vbi nos per pœnitentiam placauerimus indignationẽ eius, cessabit ira quæ non est in voluntate eius, redibitque nobis vita & salus, quæ in eius beneplacito est: quæ res indubie maxima est materia magnifice laudandi tam pijssimum dominum. ¶ Versu 11. Quæ vtil. in san. meo. In sanguine dicitur vita animalium conseruari: & sanguine deficiente, deficit animalium vita. Atque ob hoc, cum dicitur, Quæ vtilitas in sanguine meo, idem est ac si dicatur, Quæ vtilitas in vita mea? hoc est, quorsum profuerit me vixisse, si in corruptionem mortis, in damnationem inferni descendam? Ad hoc enim creati sumus, vt bene viuendo in hoc seculo, ad vitam æternam (quæ Deus est) peruenire mereamur, ibique illius perpetuo frui cõspectibus: ad quem finem qui sua culpa nõ peruenerint, certe nulla erit in sanguine eorum vtilitas, nihil illis proderit vixisse, dum in corruptionem proijci meruerunt. Vnde de suo traditore loquens Saluator, dicebat, Bonum erat ei, si natus nõ fuisset homo ille. Applicando autem hunc versum Christo, erit ista sententia: Quæ erit vtilitas, ò pater Matt. 26.
cælestis, in effusione sanguinis mei? quid proderit fusum esse meum sanguinem, si ego in corruptionem permittor venire, vt anima apud inferos permaneat captiua, corpus putrefiat in sepulchro? Nihil videtur profutura mei sanguinis effusio, nisi à mortuis ego resurgens, omnibus meis fidelibus
B (quos per sanguinem meum redemero) vias vitæ demonstrem, & ianuas aperiam regni tui. ¶ Versu 14. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi. Versus iste, qui de planctu in gaudium conuerso loquitur, respondet illi promisso Euangelico, quo lugentibus Diuina promittitur cõsolatio, tametsi Matt. 5.
præcipua in futuro seculo, nonnulla tamen etiam in præsenti tempore. Atque hoc idem est, quod in posteriori parte versiculi dicitur de concisione sacci & circundatione lætitiæ. Saccus enim lugentibus conuenit. Vnde Mardochæum in libro Hester legimus sacco indutum ploraſſe ante portam regiam, & Niniuitas in sacco & cinere legimus egisse pœnitentiam. Per hoc ergo quòd dicitur saccus Hester. 4. Ionæ. 3.
concisus, significatur tristitiam & luctum pœnitentiæ ex diuina præsentia ablatum, lætitiæ verò indumentum esse redditum. Ad Christum autem accommodando intelligentiam, concisus est in resurrectione saccus mortalitatis, quando à corpore ablata est mortalitas, corruptibilitas, grossities, obscuritas, & multiplex infirmitas: circundatus autem est & indutus vestimento lætitiæ, recipiens corpus glorificatum, agillimum, splendidissimum, immortale, & prorsus impassibile.

XXX. PSALMI ARGVMENTVM.

C PSalmus iste, hominis est plenam in Deo spem habentis: qui sua spe firmissima initio Psalmi decem versibus proposita, deinde suam miseriam magnam & multiplicem quam ab aduersariorum prauitate sustinet, sequentibus octo versibus lamentabiliter describit, vsque ad versum. 18. vbi rursum in Deum sese conuertens, suam liberationem & aduersariorum confusionem postulat, versu 20. ad æternæ fœlicitatis contemplandam dulcedinem (quasi extra se raptus) transcendens, Dominumq; collaudans pro mirifica misericordia. Et quia do Eccle. 11.
nec in hoc mundo sumus, semper gaudia sunt miscenda tristibus, & in die bonorum (iuxta sapientis verbum) tm memores non oportet esse malorum: iccirco versu 28. animi sui desolatorium quendam excessum (in quo fuisse se aliquando recordatur) commemorat, à quo tamen diuina miseratione statim se fatetur liberatum. Nouissimis autem duobus versibus ad fidelem Dei seruitutem & dilectionem, vniuersalem ponit exhortationem, cupiens eius quam ipse expertum se nouit Dei benignitatis & misericordiæ fideles omnes fieri participes.

TRIGESIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1. *In te domine speraui, non confundar in æternum:* * *in iustitia tua libera me.*

2. *Inclina ad me aurem tuam:* * *accelera vt eruas me.*

3. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt saluũ me facias.*

4. *Quoniam fortitudo mea & refugiũ meum es tu:* * *& propter nomen tuum deduces*

IN te domine deus meus spem meam omnem constitui, nõ me patiaris ab expectatione mea vnquam confundi, neque in æternum sinas frustrari desyderiũ meum: * sed propter iustitiam, veritatem, & fidelitatem tuam libera me ab omni periculo & confusione, quemadmodum in te speraui. Expoſcit enim hoc tua iustitia (quod verax es, quod fidelis in promissionibus (vt sicuti pollicitus es, tuo auxilio non destituas in te sperantes. 2. Inclina Deus auditum tuum ad precem meam, & dignanter attende orationi meæ: * festina, ne tardaueris, vt eruas ac liberes animam meã de periculis, angustijs, & necessitatibus, siue spiritualibus siue corporalibus, in quibus versor. 3. Talem te mihi exhibe domine Deus, vt sis mihi defensor atque propugnator, pariter & asylum siue tutus refugij locus, vt ita me facias saluum ab inimicis meis, quatenus protector pro me tua potentia contra aduersarios meos dimicans ac pugnans: quasi asylum verò atque tutus locus refugij, me ad te confugientem veluti abscondens, concludens, atque diligenter custodiens, accessum ad me habere non valeant nocere parati. 4. Tu enim domine es mea omnis fortitudo, & in te est robur meum omne, per cuius propugnationem spero ab inimicis fieri saluus: & tu es meum tutissimum refugium, ad quem semper in omnibus periculis confugiens, spero inimicorum rabiem effugere: * & hoc de te optime confido, quòd propter tui nominis gloriam eris mihi ductor & enutritor, qui me per

peri-

me, & enutries me.

1.Cor.1. 5. *Educes me de laqueo quē abſconderunt mihi:* * *quoniā tu es protector meus.*

6: *In manus tuas commendo ſpiritum meū:*

* *redemiſti me domine Deus veritatis.*

7. *Odiſti obſeruantes vanitates, ſuperuacue.*

Eccle.1.

8. *Ego autem in domino ſperaui:*
* *exultabo & lætabor in miſericordia tua.*

9. *Quoniam reſpexiſti humilitatem meam:*
* *ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.*
10. *Nec concluſiſti me in manibus inimici:*

1.Cor.10. * *ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.*

Pſalm.17. 11. *Miſerere mei domine, quoniam tribulor:*

Pſal. 18. * *conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea & venter meus.*

periculoſiſſima huius mundi itinera deduces, vt abſq; nocumēto inſidiantium in via pertranſeam, atque ad optatum æternæ vitæ terminū pertingam: quique me in hoc deſerto vaſtæ ſolitudinis, vbi multi fame pereunt, educabis & enutries, ita vt nihil mihi deſit in vlla gratia ſpiritali: paſceſque & enutries me pane verbi tui, & pabulo internæ gratiæ tuæ: in quo etiam pane duplici educabis me, donec euadam in virum perfectum. 5. Educes quoque me, & liberabis ab inſidijs omnibus iſtis quas ponunt mihi callidiſſimè, & occultant inimici mei, mihi eas notas faciendo, & ne in eas incidā, aut eis illaqueer diligenter prēſeruando: * tu enim domine fieri voluiſti protector meus, propter quod me nō patieris in laqueos inimicorum incidere: præcipue cum tu omnes illorum quantumuis callidiſsimas fraudes, quas contra me moliuntur, plenisſime habeas cognitas & facillimum ſit tibi illas mihi patefacere, aut certe etiam neſciētem ſaluare, vt illorum machinationes tua potentia atque ſapientia pro me diſſoluas. 6. Et ego domine optime, tibi fidens, & corde integro omnem ſolicitudinē in te proijciens, quem ſcio mei ſolicitiſſimam gerere curā, commendo, & committo tibi id etiā quod pretioſiſsimum habeo, nempe ſpiritū meū: illumq; tibi protegendum, cuſtodiendum, & ſaluandum cōmitto, vt tu de illo & cum illo agas per omnia, iuxta beneplacitū ſanctiſsimæ voluntatis tuæ: multo verò magis corpus hoc, & corporis omnia (quæ æſtimationis minoris ſunt) tibi etiam committo: * tu enim domine qui es Deus verax, Deus fidelis, fallere neminem potens, primaque & ſumma veritas, redemiſti me hactenus de morte & miſerijs plurimis, neque hactenus tibi fidens ſum cōfuſus, etiā in grauiſsimis periculis: atque ita eadem fiducia volo pro futuro tempore omnia mea tibi in manus dare, atque in tuę diſpoſitionis arbitrio ſpiritum meum & mea omnia audaćter conſtituere, vt in omnibus non mea, ſed ſanctiſsima tua voluntas fiat. 7. Habes tu quidem domine odio, & diſplicent tibi omnes qui inhærent vanitatibus, qui vaniſsimæ idololatriæ, aut ambitioni, aut voluptatibus carnis, aut cæteris peccatorum vanitatibus ſeſe dedunt, & illis inhiant atque inſeruiunt: qui has (inquam) vanitates ſuperuacue, abſque vtilitate & fructu, abſque omni vero commodo, contra omnē rationem turpiter obſeruant ac diligunt, tu merito odiſti & deſpicis: neque ſaluos facies eos qui perſeuerant in huiuſmodi. * Odiſti quoque eos qui ad vana hominum auxilia attendunt, qui in rebus caducis ſpem conſtituunt (quæ omnia vanitas ſunt) qui hæc obſeruant fruſtra, cum vere non poſſint iſta ſalutē dare, niſi tu ſolus domine Deus. 8. Ego verò nequaquam obſeruaui vanitates, non inhęſi iniquitatibus, neque attendi vanis illorum auxilijs qui ſaluare nō poſſunt, ſed ſpēm meā omnē in te collocaui, qui es dominus Deus meus, & tibi tota fiducia inhæſi, qui ſolus potēs es ex tua voluntate ſaluum me facere ab omnibus inimicis meis: * magnifice gaudebo, & quaſi exultabo præ letitia in dulciſsima miſericordia tua, quam me neque raro neque tenuiter expertum recordor atq; profiteor in gaudio, ſperans item & in poſterum quæ occurrerint, per eandem mala ſuperare. 9. Quoniā tu domine benigne aſpexiſti humilitatem & afflictionem qua me premebant aduerſarij mei: * ſaluam feciſti miſericordia motus animam meam de anguſtijs & neceſsitatibus quibus vrgebant me aduerſarij. Eſt enim hoc tibi proprium, miſerorum aſpicere & ſubleuare miſerias. 10. Neque concludi me aut cōſtringi paſſus es in manibus inimicorum, nō me paſſus es victum & captiuum venire in poteſtatem hoſtibus meis: neque permiſiſti tentari me ſupra id quod poſſem, ſicq; adeō coanguſtari, vt nō poſſem effugere manus tētatorum: ſed feciſti cum tentatione prouentum, vt poſſem ſuſtinere, vt poſſem exitum habere, & effugere poteſtatem perſequentiū: * ſtatuiſti pedes meos in loco admodum lato & amplo, eduxiſti me in latitudinē extra omnem anxietatem animi & periculorum anguſtiā: eduxiſti me in libertatem animi & cordis latitudinē, vt ſecure poſſem currere dilatato corde latam viam mandatorum tuorum. 11. Miſerere ſemper mei domine, vt hactenus non defuiſti mihi miſericordia tua, quoniam vehementer affligunt & perſequuntur me inimici mei: * & tam graui tamque diuturna ac longa perſequutione, adeō me nonnunquā fatigant, vt præ indignatione cōturbentur quęcunque intra me ſunt, ſenſus mei exterius, interius anima, atque etiam interiora corporis mei præ-

A 12 *Quoniam defecit in dolore vita mea:* * *& anni mei in gemitibus.*

13 *Infirmata eſt in paupertate virtus mea:*
* *& oſſa mea conturbata ſunt.*
14 *Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis*
B *valde:* * *& timor notis meis.*
15 *Qui videbant me, foras fugerunt à me:*
* *obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde.*

16 *Factus ſum tanquā vas perditum:* * *quoniā audiui vituperationem*
C *multorum commorantium in circuitu.*
17 *In eo dū cōuenirent ſimul aduerſum me, accipere animam meam conciliati ſunt.*
18 *Ego autē in te ſperaui domine: dixi Deus meus es tu:*

D * *in manibus tuis ſortes meæ.*

19 *Eripe me de manu inimicorū meorum, & à perſequentibus me.*
20 *Illuſtra faciem tuā ſuper ſeruum tuum:*
* *ſaluum me fac in miſericordia tua:*
* *domine non confundar, quoniā inuocauite.*

præcordia & cor, quæ ſunt in medio ventris mei, in parte corporis ſuperiori. 12. Neque mirum, ſi ita cōturbor. Ecce enim cōtinuo decurſu deficit, & ad finem tendit vita iſta quam viuo, in dolore nimio, ſpiritu triſti mihi cōtinuo exiccante oſſium vigorem: * & anni vitæ meæ iſtius corporalis trāſeunt & abſcedunt in gemitibus, fletibus, & ſuſpirijs, quæ mihi extorquent moleſtiſsimi atq; implacabiles hoſtes mei, non dantes dolori requiem. 13. Robur corporis mei imminutum eſt, & decreuit paulatim in humilitate iſta nimiæ afflictionis meę, & veluti emarceſsit omnis vigor qui intra me eſt: * & oſſa mea (quæ latēt interius) deſtituta ſunt viribus, quaſi medullis intrinſecus conſumptis, vt ſolet grauiter & diu afflictis accidere. 14. Propter omnes aduerſarios meos, qui & numero tanto & tanta ferocitate aduerſus me inſurgunt, & tam grauiter me perſequuntur, factus ſum vicinis meis in opprobrium & cōfuſionē, ita vt ex me confuſionem ſuſtineāt, qui mihi propinquos aut vicinos fuiſſe ſe dixerint: * & terror factus ſum cognatis & notis meis, quibuſcum aliquando vixi familiariter: dum metuunt ipſi ne propter me aliquam ab inimicis meis ſuſtinere cōtingat moleſtiā: atque ob hoc nō audent mihi vllum obſequium impēdere, aut vllam moſtrare humanitatem. 15. Etiam ex vicinis & notis meis, qui me forte cōſpiciebant, qui me alicubi reperiebant, foras aufugerunt, & abſceſſerunt à me, vel nō volentes, vel nō audentes verbo aut facto cōmunicare mihi, ne fortè ex me vllum periculum incurrerent, aut nulla iuſamia ex meo cōſortio notarentur: * ſicque factum eſt (dū nemo mihi audet præſtare humanitatē) vt obliuioni datus ſim à corde, etiam ijs qui vicini prius & familiares fuerant, tanquam ſi plane eſſem mortuus, vt nemo de me ac mea conſolatione quicquam vltra cogitaret, ſed prorſus à corde deductus ſim in perfectam obliuionem: quemadmodum à corde penitus obliuioni dari ſolent mortui: ſicque viuens etiamnum erā mortuus omnibus amicis & notis meis. 16. Aeſtimatus ſum tanquam vas inutile, quod non niſi oneri eſt, dum nulli vltra deſeruit vſui, & locum tantum occupat: ſic & ego videbar iam prorſus inutilis & abiectus, & quocunque veniebam, quaſi oneri erā omnibus, omnes me pellebant, nemo meum volebat cōſortium: * audiui etiam (præter omnem afflictionem corporalem & anguſtiā perſequutionis) vituperia multorum circumquaque contra me loquentiū, & exprobrationes, quibus de me diuerſi diuerſā, quiſque pro ſuo erga me affectu, loquebantur, vt fieri ſolet de ijs quos publica aut principis poteſtas perſequitur, & ad mortem quærit. 17. In conueniendo ipſos aduerſum me, hoc eſt, tunc cùm conuenirent in concilium, vel in exercitum pariter contra me vno animo, vno deſiderio, vnaque voluntate nocendi, tractauerunt pariter & concilium fecerunt quomodo raperent animam meam, quomodo vitam à me auferrēt, quomodo me morti traderent. 18. Ego autē in tantis perſequutionibus, in tam multiplici miſeria poſitus, quid agerem? Hoc habui conſilium, vt mihi ipſi diffidens (qui me imparem ſciebam tantæ aduerſariorum potentiæ & ferocitati) in te omnem fiduciam conijcerem: ac proinde ad te direxi clamorem orationis meæ, ſupplici voce clamans, & dicens, Ecce domine tu es Deus meus, cui ſeruio, cui ex toto corde etiam in deſperatiſsimis rebus confido. * ſortes meæ ecce in tuis manibus poſitæ ſunt, omnis fortuna mea (ita vt humano more loquar) omnis mea ſpes in te vno ſita eſt, in manibus tuis, in diſpoſitione ſanctiſsimæ tuæ voluntatis: tibi omnem meam fortunam & ſalutem committo, tu fac quod bonum ac rectum videtur in oculis tuis. 19. Eripe me domine de poteſtate aduerſariorum meorum, & ab illis qui me ad mortem perſequuntur, tu me tua protectione facias ſaluum, vt mihi non præualeant, vt quod moliuntur non perficiant, vt fruſtrentur contra me omnes machinationes eorum. 20. Lucere fac ſuper me ſeruum tuum irradiatione vultus tui, cōuerte ad me benignum aſpectum faciei tuę, & quaſi te aduenięte ſplēdeat ſuper me fulgor preſentię tuæ: quomodo ſol aduenięs ſuper terrā, præſentia aſpectus ſui refulget ſuper eā: * ſaluum me fac ab omnibus inimicis, propter miſericordiam tuam, quæ ſemper patet miſeris, eſtque poſcentibus ſemper opem ferre parata: * neque permittas pijſsime domine confundi me ſeruum tuum, vt in ſubiectionem non veniam hoſtibus meis: quoniā te ego aduoco in auxilium meum, qui non ſoles te inuocantes, relinquere confuſos.

Prou. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

21 *Erubescant impij, & deducantur in infernum:* * *muta fiant labia dolosa.*

22 *Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem:* * *in superbia,*

* *& abusione.*

23 *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine:* * *quã abscondisti timentibus te.*

24 *Perfecisti eis qui sperãt in te:* * *in conspectu filiorum hominum.*

25 *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ;*

Psal.90. * *à conturbatione hominum.*

26 *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.*

27 *Benedictus dominus quoniã mirificauit misericordiã suã mihi:* * *in ciuitate munita.*

Esaiæ 64. 1.Cor.2. 28 *Ego autem dixi in excessu mẽtis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum.*

29 *Ideo exaudisti vocẽ orationis meæ, dum clamarem ad te.*

30 *Diligite dominum omnes sancti eius:*

21 Impij illi & iniqui persequutores, qui sine causa mihi machinati sunt mortem, hi ex vltione iustitiæ tuæ accipiãt cõfusionem, & temporalẽ modo, vt irrita fiant eorum contra me cõsilia, & in futuro vltionis die æternam, ex terribili sententia tua: & proijciantur à facie tua in damnationem inferni: obstruantur ita per sententiam tuam labia eorum qui dolose & inique loquuti sunt, & egerunt cõtra proximos: sicque muti fiant in damnationem protrusi, & æterna confusione perfusi, vt non vltra valeant suam in quenquam innocentem exercere malitiam. 22. Illi (inquam) confundantur qui labiis suis loquuntur iniqua, falsa, calumnias & deceptiones cõtra proximos suos, cõtra iustos & innoxios, vt eos morti tradant: * idque in superbia & inani timore, quasi semper ipsi victuri sint, quasi supra se superiorẽ alium nõ habeant iudicem, quasi nõ sit qui de operibus corũ rationem possit exigere, aut cui sint rationẽ reddituri: * & in magna item abusione atque contemptu, proximos suos ad eandem Dei imaginem creatos (ipsis quantum ex naturæ cõditione nihilo inferiores, imò secundum iustitiam multo meliores) contemnentes, & quasi pro nihilo æstimantes: * Potestate F etiam & diuitijs, quæ abs te illis concessæ sunt, pessime abutentes, ad innocentũ oppressionem, quibus ad illorum defensionem vti debuissent. 23. Veruntamen, vt his omissis quę animum aggrauant, respirem aliquantulum in spe bonorum cęlestium (quæ aduersus omnia occurrentia mala sufficiens est consolatio) in primis consideranda occurrit illa immensa & infinita iucunditas cælestis dulcedinis tuæ: * quam præparasti ab æterno, & dare disposuisti diligentibus te, electis tuis, tametsi nunc in hoc tẽpore abscondita sit, neq; nunc eã detur hominibus in hoc mortali corpore constitutis plene experiri. seruas autem eam, & differs in tempore suo manifestãdam, quãdo à spe electi tui ad fruitionem & possessionem transibunt. 24. Operatus es eam, & velut perfecisti, iamq; perfectã habes apud te, pro illis qui in te sperauerunt electis tuis: * perfecisti (inquam) perdendam & manifestandam, palam omnibus angelis & electis tuis, in cõspectu filiorum hominũ, sanctorum tuorum. 25. Illic eos absorptos in te, & iam totos in te transformatos, abscondes & occultabis quasi in tutissima custodia, recluſos, G in aspectu vultus tui, in præsentia diuinitatis tuæ: dum te illis facie ad faciem præbebis contuendum: * ita (inquam) abscondes eos, vt nulla hominũ cõturbatio ad illos possit accedere, nullũ ad illos malũ possit introire, nullum flagellum ad tabernaculum illud appropinquare: sederunt eis absque vlla conturbatione omnia salua, læta, & prospera. 26. Illic quoque protectione tua, in tabernaculo (in quo tecum inhabitabunt) securos facies eos, & tutos reddes à contradictione linguarum: quibus donec in hoc mundo viuimus, vexamur & tribulamur, ita vt illic nullam vltrà contradictionẽ, siue calumniæ, siue deceptionis, siue malæ suasionis, sint audituri, quã in hoc mundo passim (velimus, nolimus) ferre oportet. 27. Benedictus per omnia & laudatus sit dominus Deus meus, qui erga me mirabilem ostendit misericordiam suã, mire misericorditer agens mecum: * in Ecclesia sua sancta, siue militante, siue triumphante: quarum vtraque est quasi ciuitas fortissima atque optime munita, ciuitas inexpugnabilis, cùm habeat vtraque in medio sui fortissimum custodem omnipotentẽ dominum. In Ecclesia H quidem militante mirificauit mihi misericordiam suam, in qua tanta mihi cõfert beneficia gratiarũ suarum. In triũphante verò, dum in ea mihi præparauit, & iã veluti custodit præparata, quæ nec oculus vidit nec auris audiuit, & quę nunquã in cor hominis ascenderunt. 28. Et quanquã nunc ita exultem & lætẽr in spiritu, in cõsideratione venturorũ bonorum: memini tamen in tali aliquando me statu fuisse adductum in talem ecstasim, in talẽ stuporis excessum, vt mihi viderer proiectus ac reprobatus à conspectu præsentiæ tuę, quasi de numero electorũ nõ essem: ad quẽ excessum stuporis me perducebat, q; cõsiderarẽ me tã grauibus affligi malis, & interius ita aridũ cordis deuotione, vt prorsus videreris iam me abiecisse, atque omnino mei existimareris oblitus. 29. Tu verò cùm me videres ita animo deiectũ, ita humiliatũ corde, & contribulatũ spiritu, ne forte diutius abs te derelictus corruerẽ in desperationẽ, statim vbi ad te clamaui, supplici prece misericordiã postulans, exaudita oratione mea quantocyus adfuisti, per subuentionẽ & consolationẽ misericordiæ tuæ. 30. Concludens tandem

A * *quoniam veritatem requiret dominus:* * *retribuet abundanter facientibus superbiam.*

31 *Viriliter agit, & confortetur cor vestrũ, omnes qui sperats in domino.*

dem, hortor vos omnes, quicunque fideles estis serui domini, & illi in sanctitate placere vultis, vt toto corde diligatis dominum Deum vestrum: * Dominus enim veritatem & iustitiam requirit in seruis suis, volens eos in veritate, id est, in sanctitate & iustitia ante conspectum Luc. 1. suum fideliter conuersari, sicuti ipse est fidelis & verax: * iis autem qui superbe egerint, contemnentes aut transgredientes sanctissima & æquissima præcepta sua, ipse copiosa reddet pro sua iniquitate condigna præmia. 31. Propter hæc, vel qui diligitis dominum, electi eius, qui in ipso speratis, confortamini, & estote robusti, ad fortiter operandum opera domini, vt veritas quam requirit dominus, inueniatur in vobis, atque ita serui digni inueniamini in aduentu ipsius, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXX.

B VErsu tertio, Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij. Duo simul postulat vir fidelis à Deo: primum quidem, vt Deum habeat protectorem. Deinde, vt eundem habeat in domum siue locum refugij. In his enim duobus firma custodia est: cùm quis & locum habet bene munitum, in quo se valeat concludere, & protectorem habet atque propugnatorem, qui ab impugnantium insultibus ipsum valeant defendere. His verò duobus partibus satis accommode respondent particulæ duæ versiculi sequẽtis. Nam quod dicitur, fortitudo mea, ad protectionem infertur: quod verò refugium dicitur, ad domum spectat refugij, pro quo alia translatio habet locum munitum. ¶ Versu sexto, In manus tuas commendo spiritum meum. Ex Euangelijs didicimus Christũ in cru- Luc. 23. cis arbore pendentem, versiculum hunc protulisse, cùm emitteret spiritũ. Propter quod nõ incongrue totus hic Psalmus Christo domino à plerisq; sanctorum doctorum solet applicari: potissimũ cum cætera omnia, quæcunq; in hoc Psalmo dicuntur, cõuenienter admodum ad idem propositũ valeant accõmodari: id quod attendenti cuilibet facile potest fieri manifestum. Nos tamen ita temperauimus Elucidatione, vt Psalmus totus & personæ Dauid, & Christo domino, & fideli cuilibet in simili necessitate atque derelictione posito, libere valeat applicari. Quãtum verò ad huius versiculi intelligentiam attinet, notandum q; (secundum communem loquendi consuetudinẽ) in manus commendare dicimus, duplici ratione. Primum quidem committere in potestate, & in arbitrio cõstituere, vt is, cui res commendatur, agat in ea & de ea, prout ei visum fuerit: quemadmodum in ma-
C nibus habere, vulgato more dicimur, illud quod habemus in potestate. Idq; ob hoc, quoniam quod in manibus tenemus, cum illo agimus pro libito. Dicimur etiam illud cõmendare in manus, quod alicui in custodiam & protectionem committimus: quemadmodum fideles homines commendare debent suas animas in manus Dei: & subditus omnis in manus regis sui sese commendat. Iuxta hanc verò duplicem cõsiderationem versiculus hic & plenissimæ resignationis indicium exprimit, & superni auxilij expectationem. Cùm enim in manus potentioris rem aliquam cõmendamus siue committimus, partim quidẽ in illius potestate, plena resignatione eam constituimus, partim verò illius auxiliũ expectamus, & imploramus, velut agnoscentes propria virtute non sufficere nosipsos ad tantæ rei custodiã. Quanquam autẽ expresse in in hoc verbo solũ fiat de spiritu mentio, oportet tamen sub eo quod præstantissimum est, alia quoque inferiora comprehendi, corpus videlicet & omnia quæ ad corpus attinẽt. Quemadmodum enim spiritum patri commẽdauit Christus moriens, ita cõmendauit & corpus: vt quemadmodum ille non teneretur in inferno, sic neq; hoc in sepulchro: sed patris operatione, die tertia simul redirent in corporis nouã compositionem. Idem dicẽdum, si ad personam Dauid, aut alium quẽlibet fidelem Psalmi intelligẽtia accommodetur. Ad perfectam enim iustitiã pertinet, corpus, animã, spiritum, & omnino omnia quęcunque habuerit homo, in manus Dei cõmendare, inq; illius potestate plena resignatione cõstituere, & eius fidei seruanda com-
D mittere. Si enim, quod omniũ maximum, eum (nempe spiritum nostrum) Deo cõmendamus, multo magis ea quæ sunt inferiora. Sed & illud aduertendũ est, quòd secundum vsitatam consuetudinẽ libenter solent homines, si pretiosum aliquid habeant cui metuunt, talibus cõmendare custodibus, quos potẽtes satis & sapientes norunt, vt possint & sciãt depositũ custodire: & simul etiam bonos, fibiq; benignos & amicos, vt cõmissum diligenter seruare velint, solliciteque curare. Nemo enim sanæ mentis, rem pretiosam quã diligit, tali commendat homini, qui vel nõ est potens seruare, vel nõ satis sapiens est aut prudens vt sciat, aut denique etiamsi prudens sit & potens, non est tamen bono erga committentẽ animo, neq; bene amicus, vt velit adhibere curã & operam pro rei custodia. Cùm enim tali homini res cõmittitur, stultus est qui sic male commẽdat, quod seruatum cupit. Atque ita Psal. 145. sane omnium hominum stultissimi sunt, qui suas animas cõmendant in manus hominũ, seq; & sua omnia filiis hominum (in quibus nõ est salus) cõmittũt. Neq; enim potẽtes sunt, neque sapientes, vt vel corporis, aut etiã fortunæ bona cuiquam custodiant: quantominus vt ea quæ spiritus? Deinde, etiamsi potentes essent aut vsqueadeò prudẽtes, vt hoc possent ac scirẽt, quod certum est eos nec posse nec scire cõstat tamen aut paucissimos, aut omnino nullos inueniri tam benigno affectu, tam amico animo, tam stabili cordis bonitate, quibus tuto possimus nostra pretiosissima quæ habemus cõmittere. Cùm videamus eos etiã, quos natura arctissimo vinculo colligauit, inuicem sibi fraudẽ facere, nec satis tuto fidere: fratres videlicet fratribus, parentes filiis, quodque amplius est, etiã con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hier.17. iugibus coniugos. Recte proinde maledictum pronunciauit Propheta, hominẽ illum, qui carnẽ po- E
nit brachium ſuũ, hoc eſt, qui in manus hominis ſua commendat. At verò per cõtrarium, Quiſquis
in manus Dei ſe ſuaque cõmendat, is demũ ſibi optime conſulit. Neque enim fruſtrari poterit eiuſ-
1.Tim.1. modi: cùm ſit Deus ſua omnipotentia potentiſsimus ſeruare quæcũque illi commiſerimus, etiamſi
pretioſiſsima & maxima omnino fuerint: quemadmodũ de illo Paulus teſtatur, dicẽs: Scio cui credi-
di, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meũ ſeruare. Eſt item ſapientiſsimus, vt periculũ no-
bis eſſe nõ debeat, ne per vllã fraudis circũuentionẽ perdere nos cõtingat quæ illi commiſerimus.
Et denique perfectè & ſtabiliſsime bonus, affectu in nos optimo, benigniſsimo, ſuauiſsimo, amiciſ-
ſimo, & vere paterno, vt metuendũ nobis nõ ſit, quin quicquid illi commendauerimus, ſit ex animo
& ex Bona volũtate diligentiſsime ſeruaturus, & noſtra omnia, quæcunque in eius manus obtulerimus, ſit pro ſui nominis gloria & noſtro ſempiterno ſalutis cõmodo diſpoſiturus. Recte ergo Chriſti exemplũ imitantes, tam in vita, q̃ in morte dicamus Deo ſalutari noſtro, In manus tuas cõmendo ſpiritum meũ. ¶ Reſiduum autẽ huius verſiculi dimidiũ, quod ſubſequitur, Redemiſti me domine Deus veritatis, poteſt ad liberationẽ à periculis præteritis referri. Facit enim experientia fidelitatis in præteritis teporibus, vt ſecure, & in poſterũ fidamus. Atq; ita ex beneficio liberationis præteritæ, quã aliquando, imò frequenter admodum experti ſumus, recte fiduciã concipimus, vt ſecuri F
cõmittamus Deo etiã in venturis omnia noſtra. Si verò redemptionem illam peculiariter intelliga-
mus, qua totum genus humanũ redemptũ fuit à morte & faucibus diaboli, dulciſsima eſt & omni-
no ſuauiſsima huius ſermonis cõnexio: tanquã ſi dicat fidelis domino, Quidni ego commendem in
manus tuas ſpiritũ meum? Quur tibi illud etiã, quod pretioſiſsimum habeo, dubitem aut verear, cõ-
mittere, qui genus humanum vniuerſum, atque in eo meipſum miſere perditũ, tã mirabili conſilio
& tam magnifico pretio redemiſti? Quomodo enim non cõmendatos illos benigniſsime ſuſcipies
fideliſsimeq; defendes, quos adhuc inimicos tantis laboribus placuit redimere? Verũ hæc latius di-
ximus, latiusque adhuc meditanda deuotis mentibus relinquimus. Abyſſum enim inexhauſtæ dul-
cedinis continet iam tractatus verſiculus, quam nullis ſermonibus explicare ſufficimus. ¶ Verſu
14.15.& 16. Super omnes inimicos meos. &c. Legimus hæc in perſona Dauid omnia bene impleta:
1.Reg.20. aduerſus quem tanta perſequutione Saul egit, vt nemo quicquam auderet cum eo habere commer
1.Reg.22. cij. Nam & Ionatham filium proprium carnis ſuæ, fœuiſsima obiurgatione pro amore & ſtudio er-
ga Dauid confudit, voluitque percutere lancea: & Achimelech pontificem, qui illi panes dederat &
1.Reg.23. gladium, totius negotij ignarus, cum omnibus ſacerdotibus cauſa illius interfecit: ſimulque, & pa-
uulos, & mulieres, & omnem ciuitatem eorum percuſsit in ore gladij. Ceilam quoque cum omni
virtute Iſraël voluit oppugnare, propterea quod in eam ingreſſus fuiſſet Dauid. Non iniuria igitur
refugiebant omnes conſortium eius, ſuæ ſaluti metuentes. Conſequenter quoque de obliuione il- G
lud clarum eſt, quòd ſiqui amico animo fuerant erga Dauid (quales non dubium eſt plures extitiſ-
ſe) qui eius vicem dolerent: tamen ob longam ac diutinam abſentiam, quaſi mortuum ac deſperatę
ſalutis) videbant enim Saulis iram implacabilem, & ſpem nullam de reditu Dauid) ab illorum me-
1.Reg.25. moria excidiſſe: quemadmodum facile obliuiſci ſolemus eorum quæ diutius abſunt ob oculis, etiã
ſi fuerint aliquando chariſsima. Porro de vituperatione multorum in circuitu, docet Nabal illius,
Ioan.9. iuxta nomen ſuum ſtulti, ſtulta & blaſphema reſponſio. Et veriſimile eſt, non hunc ſolùm fuiſſe,
Ioan.12. qui ita indigne contra Dauid fuerit loquutus. Rurſus in Chriſtum dominum hæc apte conueniunt,
Ibidem. aduerſus quem à principibus populi & ſacerdotibus legimus ſæpius data edicta publica, vt ſiquis
Ioan.9. eum confiteretur, extra ſynagogam fieret. Et ſiquis noſſet vbinam eſſet, indicaret, vt apprehende-
ret eum. De Lazaro quoque legimus, q̃ eum cogitabant interficere, propterea q̃ à Chriſto reſuſci-
Ioan.7. tatus, Chriſti gloriam magnificabat. Cæcus natus extra ſynagogam cum probro eiectus fuit, non
niſi quia expertum ſanationis beneficiũ confitebatur, ſuumque curatorem nolebat blaſphemare.
Nicodemus quoque, ob hoc tãtum quòd legis proceſſum pro Chriſto requirebat, dicens, non eſſe
Ioan.7. conſuetudinem legis quenquã iudicare, donec auditus fuerit, & cauſã examinata acri obiurgatione
Ibidẽ. 11. & ironia valde amara, in concilio publico fuit redargutus. Obliuioni quoque datus fuit, quando
propter edictum principum nemo de illo palàm quicquam in bonũ loqui audebat: quando ad de- H
Ioan.7. clinandam perſequutionis rabiem in deſertis agebat, quando à mane ad veſperã vſque prædicatio-
Ioan.9. nis laboribus fatigato, nemo cibum vel hoſpitium præbere ob principum metum audebat. Cæte-
Matth.11. rum, vituperationem multorum per circuitum, ſatis indicant illæ tumultuantis vulgi voces, Malus
Luc.7. eſt, & ſeducit turbas, Nos ſcimus, quia homo peccator eſt, homo vini potator, amicus publicano-
rum, &c. ¶ Verſu decimoſeptimo, In eo dum conuenirent ſimul, &c. Clarior eſſet oratio, ſi ita ver-
ſum haberetur, In conueniendo illos ſimul aduerſum me: quemadmodum alibi dicitur, In conuer-
tendo dominus captiuitatem Sion. Vel ſimpliciter, Cùm conuenirent ſimul aduerſum me. Atque
ad hunc ſenſum accipi oportet propoſitum ſermonem. ¶ Verſu decimooctauo, In manibus tuis
ſortes meæ. Ex cõmuni loquendi conſuetudine ſumptus hic ſermo indicat, nos noſtraque omnia,
omnemque de nobis & noſtris diſpoſitionem in Dei voluntate pendere. Omnia enim ſiue aduerſa,
ſiue proſpera, ſiue læta, ſiue triſtia, in illius prouidentiſsima diſpoſitione & benigniſsima voluntate
poſita ſunt. Poteſtque ſubintelligi indifferenter verbum vel indicatiui modi, vel imperatiui. Atque
hoc poſteriori modo erit verbum, reſignationis tanquam ſi dicat anima fidelis, In manibus tuis ſint
ſortes meæ, tibi me meaque omnia commendo, vt ſic mihi cedat in omnibus, ſicque agatur me-
cum, quomodo tu cuncta euenire, & quomodo tu de me fieri volueris: quemadmodum inter
hominem qui ſortes tenet in manibus iaciendas, in eius iactu eſt vel lucrum vel damnum, vel proſ-
peri-

A ſperitas vel aduerſitas eius, ad quem ſortes attinent. Si enim iactus illius cadat fœliciter, habebit lu-
crum & gaudiũ: ſin aliter, damnum atq; dolorem. ¶ Verſu vigeſimo tertio. Quàm magna multitu-
do dulcedinis. Quod dicitur, magna multitudo dulcedinis, magnã habet emphaſim, ad exprimendũ
vtcunq; immenſam & ineffabilem æternæ fœlicitatis dulcedinem. Alioqui ſufficiebat alterũ, dicen-
do, magna dulcedo, vel multa dulcedo. In altera autem parte, cùm dicitur, quã abſcondiſti timenti- 1.Pet.1.
bus te, abſconſio illa ſic accipitur, quomodo in Epiſtola Petri priori dicitur de hæreditate æterna, 1.Ioan.3.
q̃ conſeruatur in cælis. Et in Canonica Ioannis, Filioli, nondũ apparuit quid erimus. Et iuxta Pro- Eſa.64.
phetã, Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus dili- 1.Cor.2.
gentibus ſe. Quod enim præparatum eſt, nondum tamen manifeſtatũ, proculdubio recte abſcõditũ
dici poteſt, & debet. Et ſic præparare atq; perficere, vt tamen lateat adhuc occultum, hoc in loco vi-
detur eſſe abſcondere. Longe autẽ alio modo accipitur abſconſio, quum Dei gloriã dicimus abſcõ- Pſal.115.
ditam impijs. Sic enim illis eſt abſcondita, non q̃ ſeruetur aliquãdo manifeſtanda, ſed quia prorſus Pſal.67.
nunquam ſit illis manifeſtanda. ¶ Verſu 28. Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ. Exceſſus aliquis
in bonũ legitur, qualis eſt ille de quo alio in loco dicitur, Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mẽ-
dax. Et rurſum, Ibi Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu. Hoc autẽ in loco videtur exceſſus
iſte referri, nõ quidem planè ad vitiũ, ſed potius ad ſtuporẽ qui ex admiratione nimia ſolet accidere
B iuxta quod in Elucidatione monſtrat intelligentia. Vnde in tranſlatione beati Hieronymi ex He-
bræo habetur, In ſtupore meo. Pſalteriũ verò Romanũ habet, In pauore. Alij (de quorum numero
ſunt Ioãnes Reuchlinus & Felix) putant rectius vertendum, in prœcipitatione vel feſtinatione, id eſt,
dum ſubito conturbatus ſtuperem, videlicet non bene conſiderata ex altera parte tua miſericordia.

XXXI. PSALMI ARGVMENTVM.

*In numero pœnitentialium Pſalmorum, ſecundum hic locum ex antiqua conſuetudine obtinere dignoſcitur eſtq; pœnitentibus, & ad Deum ſeſe conuertentibus valde accommodus. Videtur autem illi maxime cõpe-
tere qui poſtquã in peccato aliquo diutius perſtitit, ipſumq; vel excuſando, vel (quod frequentius eſt) diſſi-
mulando tacuit, agnoſcereq; & emendare neglexit, tandẽ conſcientiæ ſtimulo cõpunctus, & diuina qualibet
vltione tanquã compulſus (vexatione dãte intellectũ) agnoſcit iã & cõfitetur aperte, quod prius diſſimulaue-
rat peccatũ, ac veniã & remiſſionẽ quãto ocyus accipit, Ac de his quidẽ, vſque ad verſum ſeptimũ, ſatis ma-
nifeſtum eſt fieri ſermonẽ, Dehinc verò dicitur, quemadmodum omnes ſanctitatem ſectari & tenere cupiẽtes,
pro peccatorũ remiſſione iugiter debeant in hoc tẽpore orare, ne forte ſi illa negligãtur, excreſcãt in modũ
aquarum diluuij, ſicq; ab eis obruti & oppreſſi, in profundum dãnationis mergãtur, quomodo impijs ſolet cõ-
C tingere. A quo periculo ſanè maximo, quoniã ſolus potens eſt ſaluare Deus, in illum trãſilit verſu nono, vt in
ſuum refugiũ, & ab omnibus circundãtibus malis ſecurũ munimentũ. In verſibus autẽ duobus ſequentibus, id
eſt, decimo & vndecimo, Deus ipſe veluti acceptãs pœnitentiã & confeßionem pœnitentis, rẽſponſionem bo
nã reddit, promittens quærentibus viã iuſtitiæ præſtare intellectũ & inſtructionem, ſuãq; ſuperintentionem
prouidã & ſollicitam curã: ſimul, generali exhortatione, homines à vitæ carnalis & ſenſualis illecebris auo-
cãs atq; dehortãs. Verſu autem duodecimo, Propheta in ſpiritu quaſi diuinã exhortationem adimpleri exop-
tans dominum orat, vt ad peccatorum conuerſionem eorũ qui pœnitere aßimulãt, neq; fræno neq; chamo par-
cat hoc eſt, vt per aduerſa eiuſmodi cogat & compellat. Poſtremo, deſcribens diuerſam ſortẽ iuſtorum atque
peccatorum, exultãs in eleuatione ſpiritus, iuſtos omnes generali exhortatione ad lætãdum & gloriãdum in
domino exhortatur, ſicq; (vt pœnitentialibus Pſalmis mos eſt) qui à triſtibus cœpit, terminatur in lætitia.*

TRIGESIMIPRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.

D

** & quorum tecta ſunt peccata.*

*2 Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum: * nec eſt in ſpiritu eius dolus.*

3 Quoniã tacui, inueterauerunt oſſa mea.

ILli verè beati ſunt (nunc quidem certa ſpe, pòſt futuri in perfecta fruitione) quibus Deus per ſuã miſericordiã omnia peccata dimiſit, indulgentiamq; & veniã conceſsit omniũ peccatorũ, quibus illum offenderãt, & quibus rei tenebantur ad perditionẽ mortis æternæ: * illi (inquam) quorum peccata per remiſsionem plenariã ita ſunt tecta & operta, vt ea Deus vltra nõ aſpiciat, nõ recordetur amplius, ſuntque veluti poſt tergum proiecta, & per obliuionẽ deleta. 2 Beati ſunt homines illi, quibus Deus ita perfectam conceſsit peccatorum omnium remiſsionem, vt nullum omnino peccatum in eis ipſe agnoſcat: * illi (inquam) qui non ſolum exterius nullum habent apparens crimen, ſed neque latentis prauitatis quicquam habent in corde abſconditum. Nam qui exteriorem tantũ iuſtitiæ apparentiam cuſtodiunt, ita vt illis homines (ea quæ foris patent ſolum videntes) nullum queant imputare peccatũ, hi verè beati 1.Reg.16.
non ſunt (tametſi falſo ſibi id perſuadeant) eo q̃ in corde interius lateant in ſpiritu, quę illis Deus cordiũ inſpector imputauit in peccatũ. 3. Ego verò quoniã tacui, diſſimulans agnoſcere & cõfiteri peccatum meũ, quo onuſta erat conſcientia, conſenuerunt & aruerunt oſſa mea omnes vires defecerũt, robur omne abſceſsit, & omnis vigor ſpiritus qui in me erat aſſumptus eſt, quẽadmodum cùm homo ad oſſa vſque

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum clamarem tota die.

4 *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: * conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

5 *Delictum meum cognitum tibi feci:*

** & iniustitiam meam non abscondi.*

6 *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*

Esaiæ 30.

7 *Pro hac orabit ad te omnis sanctus:*

Psal. 50. Esa. 49. 2.Cor. 6.

** in tempore opportuno.*

1.Ioan. 1.

8 *Veruntamen in diluuio aquarum multarũ ad eum non approximabunt.*

9 *Tu es refugiũ meum à tribulatione quæ circundedit me: * exultatio mea, erue me à circundantibus me.*

10 *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris:*

consumitur: *tametsi iugiter per omnem diem absque cessatione ad dominum clamarem, poscens auxilium. Donec enim tacemus, donec dissimulamus, donec excusare volumus, donec aperte nolumus cõfiteri domino quæ latent intrinsecus in abscondito cordis nostri, non est Deo exaudibilis nostra oratio, quantumuis clamemus voce, quantumuis ore & exteriori gestu Deum postulauerimus. 4. Veruntamen tu domine, qui de salute mea semper es sollicitus, vt me ad pœnitentiam peccatique agnitionẽ & confessionem perduceres, aggrauasti super me manum tuã, graues mihi afflictiones ex tua ordinatione siue internas siue externas immittendo: *& ego in afflictione huiusmodi positus, agnoscẽs vltricẽ manum tuã, conuersus sum de peccato pœnitentiam agens, ad te dominum Deũ meum, à quo per peccatũ fueram auersus, dum remorsus ille malæ conscientiæ ad modum spinæ continuo pungit mentẽ, ac veluti infigitur ad pungendũ: quomodo infigitur carni spina rubi, vt eam diuexet ac laceret, 5. Itaque velut compulsus hac tortura atque carnificina malæ cõscientiæ, & tali compunctus stimulo, agnoui, quia tu domine esses qui me requirebas ad pœnitentiã: sicque meum peccatum, quod vsq; tunc vel excusando vel dissimulando tacuerã, per agnitionem & confessionẽ ipsum tibi manifestaui: *& iniustitiã, quam aduersum te commiseram, non vltra celaui, neque reticui, sed palàm eam ante conspectum tuum proposui, & accusaui. 6 Mox verò vbi peccatum agnoui, tanta fuit erga me tua pientissima misericordia, vt statim ad propositũ cordis mei, cùm iam proposuissem in corde meo peccatum cõfiteri, ac memetipsum accusare, tu statim adesses, dimittens mihi impietatẽ peccati mei, tanquã si stes expectans ad miserendũ mei. 7. Pro hac autẽ impietate peccati, quemadmodum mihi fuit necessarium pœnitere, & remissionem postulare: ita necesse est omnem eum, qui se sanctificare voluerit in hoc mundo frequenter orationem facere ad te domine, cui soli peccant homines: *donec ad exorandum est tempus opportunum, donec in hoc tẽpore acceptabili, in hoc die salutis exaudibilis est oratio. Quisquis enim in hoc mundo viuit, non sine quotidianis degit offensis, pro quibus per singulos dies (donec tempus est miserendi) in recollectione mentis positus, lachrymas & orationem fundere debet, remissionemque petere qui in sanctitate & iustitia tibi domine cupit placere. Siquis enim dixerit quia peccatũ non habet, pro quo oret, seipsum seducit, & veritas in eo nõ est. Atque etiã si propriam quis impietatem non habeat, pro cuius remissione debeat orare, habet nihilominus peccata proximorum, quæ tanquã propria quilibet verè sanctus debet in oratione deflere, proque eis remissionem abs te postulare. 8. Qui tamẽ sanctus est, dum ita per quotidianam orationem sese continuo purgare studet, & sanctificari adhuc, per hanc continuã bonam exercitationẽ seruabitur, vt nunquã pondere peccatorũ prorsus valeat obrui atque demergi in profundum: ita vt etiamsi inundantes tentationes in modũ copiosarum aquarum magni diluuij excreuerint, nõ sint ad illum appropinquaturę, sic vt illum obruere valeãt, aut prorsus in perditionem demergere. Qui enim à quotidianis delictis sese cõtinuo emendare satagunt, hi nõn facile vel grauissimis tentationibus prorsus succumbunt: quẽadmodum ecõtrario, qui minima negligunt agnoscere & confiteri, ac quotidiana delicta tacẽt, & ante cõspectum tuum domine Deus cõfiteri dissimulãt, paruipendunt, & emẽdare nõ laborãt, propter peccandi cõsuetudinem & prauam habitudinem, cùm graues tentationes illis aduenerint, facile etiam peccatis mortis obruuntur, imò etiam leuibus tentationibus, facile succumbunt. 9. Tu es, ô domine, ad quem confugio in omni tribulatione, quęcunq; me circundederit & apprehenderit: tu es meum tutissimum refugium, ad quẽ semper in aduersis omnibus habeo recursum, nihil dubitans de tuæ misericordiæ fidelitate, modo ego fideliter tibi cõfitear iniquitatẽ meã: *tu domine, qui es meum gaudium, in quo exulto & glorior in spiritu meo, libera me ab inimicis meis, qui me ab omni parte & plurimi & ad decipiendum solicitissimi circumcingunt. 10. Respõsio diuina. Non quidem hoc tibi ego polliceor, ab omni tribulatione & malo sic te liberare postulãtem, vt nihil omnino mali persentias: sed hoc dabo, quod tibi ad salutẽ satis erit. Dabo tibi ego ipse intelligentiã præceptorum meorum, atq; eorum quę tibi erunt ad placẽdum mihi necessaria, & docebo te (siue vnctio-

A

** firmabo super te oculos meos.*

11 *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.*

B

12 *In chamo & fræno maxillas eorũ constringe, qui nõ approximant ad te.*

13 *Multa flagella peccatoris:*

C

** sperantẽ autem in domino, misericordia circundabit.*

14 *Lætamini in domino, & exultate iusti:*

** & gloriamini omnes recti corde.*

vnctione mea interna, siue etiã doctrina exteriore) in via ista iustitiæ quam tu ambulare proponis: & in lege mea, secundum quã tibi viuẽdum erit, si mihi placere velis: *ponã etiam super te, & firmiter ponam benignum aspectum meum, neq; illum à te amouebo, donec perstare volueris in hoc proposito iustitiæ tuæ: habeboque semper ad te pium aspectum, vt sim tibi quasi custos, protector, & prouisor in omnibus ne quicquam tibi possit aduersum contingere: quemadmodum solet bonus pastor super gregem firmatos habere oculos, & pater super filiam dilectũ. 11. Propterea, ô filij hominum, cùm ego tã parato sim erga vos animo ad benefaciendum, ne vestro vitio, via veritatis relicta, similes efficiamini irrationalibus animantibus, ne vestro honore contẽpto, in quo creati estis, vosipsos comparetis iumentis insipientibus, equis atque mulis, in quibus nullus est intellectus quo ducantur, nulla rationis regula qua dirigantur: quæ solo agitata affectu sensuali, quocunq; ille pertraxerit, pergunt: sed intelligite magis dignitatẽ cõditionis vestrę, & tãquã rationales creaturæ, ratione ac spiritu nõ carne viuere curate, secundum ducatum rationis, illuminationisque & eruditionis meæ. 12 Vox prophetę. Quia verò multi iã suæ dignitatis obliti, iumẽtis assimilati, ad vocẽ exhortationis tuę obsurdescunt, nec audiunt te domine dulciter monentẽ, suauiterq; vocantẽ, obsecro te domine, vt eiusmodi qui ad te cõuerti dissimulãt, neq; dulcibus tuis exhortationibus & policitationibus ad pœnitentiam commouentur, vt eiusmodi (inquã) vel aduersitatum pressuris ad te cogas, ac veluti per vim cõpellas reuerti, ad eum modum quo equi & muli solent frænis & chamis cõstringi, & cogi ad faciendum opera hominum, quæcunq; ipsi voluerint, ad quæ alioqui induci nõ possunt. 13. O si cognoscerẽt qui Deo approximare nolunt, quãto iuxta veritatẽ sit melius homini iusto, quàm peccatoribus. Nam homines quidem peccatores, tametsi florere videantur in hoc seculo, multa tamen expectant flagella & tormenta varia, eaque æterna, quibus cruciabuntur in seculo futuro: atque etiam modò ex mala conscientia, veluti perpetuum sustinent flagellum, pugionem ac stimulum: & omnibus obuenientibus necessitatibus atq; aduersis multum torqueri illos videmus, dum consolationẽ interiorem diuinam nesciunt, propter quod etiã minima regula facile cõmouentur, & vehementer affliguntur: *qui autem domino seruiũt, & norunt sperare in eo, atque in eo consolationem accipere, hos misericordia ex omni parte circumcinget, & in futuro quidem seculo perfecta atque plenissima, & in præsenti nihilominus sufficienter admodum, quantum præsentis vitæ conditio patitur. 14 Proinde vos ô serui Dei excelsi, quicunquẽ in sanctitate & iustitia Deo vestro seruire laboratis, lætari merito debetis in eo, & perfecta lætitia exultare: *& vos quicunque estis recti corde, mundi spiritu, in rectitudine iustitiæ & mandatorum Dei ambulantes, omnia deuia, omnia tortuosa malorum fugientes, vos (inquã) decet iure in domino magnifice gaudere, in misericordia eius qua circundabimini, & à peccatorum flagellis saluabimini in vitam sempiternam, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXI.

D VErsu 1. Quor. tect. sunt pec. Nota quòd peccata dupliciter dici possunt tecta siue abscondita. Quorundam enim peccata, bene & feliciter tecta sunt & operta: quemadmodum de charitate dicit sanctus Petrus, quòd multitudinem peccatorum ipsa operiat. Et ista quidem vere tecta sunt atque operta, eo q̃ à facie Dei sunt abscondita, qui ea non videt vltra ad imputationem & punitionem, sed (ob veniam & indulgentiam) est eorum oblitus, quomodo per Prophetam pollicetur ijs qui se à via mala auerterint, quòd omnium iniquitatum præteritarum nõ recordabitur amplius. Et in cantico. Ezechias confitetur, Deum post tergum proiecisse omnia peccata sua. Iuxta autem hunc modum peccata dimissa dicuntur tecta, quia ea quæ tecta sunt & operta, non videntur. Quorundam verò peccata tecta quidem sunt & occulta hominibus, quorum oculos per exteriorem sanctitatis simulationem fascinant & decipiunt: Deum autem (qui scrutatur renes & corda) non latet interior turpitudo, atque ideo vere tecta non sunt. Et hi sane qui sic tecta habẽt sua peccata, ab hominibus quidẽ beati dicuntur, sed apud Deum maledicti potius inueniuntur: in quorum hypocrisin, sacra Euangelia ex ore domini multiplex admodum væ detonant & defulminant. Sunt etiam nonnulli, qui propter cordis cæcitatem sic tecta habent peccata, vt etiam ipsos lateant factores. Nec hi quidem sub beatitudine inueniuntur, cuius hic Psalmus meminit: quoniam non bene tecta habeãt peccata sua. Rursum & alij sunt, qui non ignorant quidẽ peccatum suum, tamen ob cõplacentiã vel dissimulant quasi ignorent, vel etiam excusare conantur excusationes in peccatis. Hi tametsi quan- 1.Pet.4. Ezech.18. Esaiæ 38. Matt. 23. & 24. Psal. 140.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum in ipsis est, conantur ea tegere & operire excusationis velamine, aut operculo dissimulationis: E
non possunt tamē efficere vt ante Deum vere recta habeant, qui nullis excusationibus vanis potest
decipi: atque ob hoc, ne ipsi quidem huius beatitudinis valent esse participes. ¶Versu 3. Quo. tac.
inueter. ossa mea. Quæ hic atque in sequentibus dicuntur, non sunt de solis peccatis mortalibus
intelligenda, quibus omnimoda inimicitia inter Deum & animam hominis constituitur, verumetiā
ex aliqua parte de lenioribus, quæ venialia vocamus. Oportet enim eos, qui sanctè viuere volunt, &
fideliter Deo in fine vsque seruire, nihil dissimulare, neq; grāde, neque paruū, quicquid se vitiosum
deprehenderint, sed pro sua virili conari debent, vt etiam ea quæ parua admodum reputantur ob-
seruent, ne committant: commissa deplorent, vt dimittantur: dimissa autem, emendare satagant, ne
recidant in eadem. Nam qui minima negligit, facile sibi continuo malitiæ profectu (vt est malum
omni bitumine viscosius) & plura & maiora agglomerabit. Et id quidē satis apertè docet experien-
tia, eos qui diuinæ seruituti serio atque fideliter intēdunt. Nam si quando vllum peccatum, tametsi
leuius, in eis cœperit residere, & mansionem facere, cœperintque ad illud assuescere, negligereque
ipsum, & velut dissimulare, aut etiam excusare, sibi persuadentes parum esse si in vno illo (maxime
cum mortiferum non sit) offendant paululum, modo alia præcipua & maiora custodiant: si quando
(inquā) ista seruis Dei incipiāt insidere animo, statim sentient se veluti flaccescere in solitis Dei ob-
sequijs, & à priore ardore atque spiritus robore deficere: efficienturque velut languidi spiritu, & F
incipient clamare ad dominum pro recuperanda fortitudine solita, & deuotionis gratia: verum non
sentient pro voto respondentē, donec in proposito perstiterint sui peccati. Et vix in principio mor-
bi agnoscere valent, aut magis volunt causam morbi sui, donec tandem aggrauata super ipsos ma-
nu domini, & cōscientiæ stimulo compulsi, agnoscant, confiteantur, & emendare cupiant peccatū
suū: quod vbi primū animo conceperint mox adest Dei consolatio. Si verò pergant incœpto erro-
re, & pugnantem conscientiam, monentemque Deum omnino recusent audire, periculū est, ne cō-
tinuo fluxu ad alia diffluentes, prorsus dilabantur, cadātq; resoluti in nihilū, ac tepescente in eis cō-
Apoc.3. tinuo ardore, tandē euomantur ab ore domini. Quapropter seruis Dei valde abhorrenda est, etiam
in ijs quæ parua æstimantur, dissimulatio & excusatio. Et diligenter insequendū est hoc in loco pœ-
nitentis nostri propositum exemplū, vt minima quoq; non taceamus, neq; dissimulemus quicquam
eorum in quibus offendimus, quin potius si peccauerimus (vt non potest absque offensis transigi
hæc vita miserabilis) ad eum statim pœnitentes & confitentes confugiamus, quem apud patrem ha-
1.Ioan.1. & 2. bemus aduocatum Iesum iustum: qui fidelis est, vt dimittat nobis peccata nostra, si confiteamur (in-
quam) non ore tantum, sed ex animo, cum desiderio & proposito stabili vitæ melioris. Prolixe nos
quidem ista deduximus: prolixius tamen & exactius te quisquis es Christiane lector, hęc ipsa medi-
tari ac ruminare optamus, & in domino pro tua ipsius salute exoramus. ¶Versu 7. Pro hac ora. ad G
te om. san. Pronomen, hac, relatiue accipitur: referturque non ad vocem, sed ad rem intellectam, de
qua facta est mētio in versu mox præcedenti. Pro hac, id est, pro dimissione peccati. Quāuis posset
etiā accipi vt referat iniquitatē, sicq; relatio erit ad nomen, eritque sententia, Pro hac, id est, iniqui-
tate, orabit omnis sanctus, videlicet vt dimittatur. Et est in vtroque prorsus eadem sentētia. Quod
autem dicitur, In tempore opportuno: intelligendum est de opportunitate ad exauditionem & im-
petrationem postulationis, quod est tēpus vitæ præsentis. Nam post hoc tempus, frustra erit omnis
oratio, cùm nulla erit exauditio. Atque hanc intelligentiam aperte indicat Felicis ex Hebræo trāsla-
tio, quæ habet, In tempore inueniendi, hoc est: donec tempus est inueniendi & impetrandi remis-
sionem peccati, Neque dissonat, quod vertit beatus Hieronymus, tempus inueniens. Iuxta hanc au-
tem expositionem, apertum est, idem hīc dici tempus opportunum, quod Apostolus ex Esaiæ testi-
monio vocat tempus acceptabile, diemque salutis. Posset nihilominus & aliter ista temporis oppor
tunitas intelligi, ad tēpus discussionis & recollectionis, cùm ad cor ingredientes qui se sanctificare
2.Cor.6. studēt serui Dei, ad examen omnia cogitata, dicta & facta reuocantes, si quid inuenerint, quod Deo
existiment displicere, mox per pœnitentiam deflent: ne si peccatū quod agnoscitur, per pœnitentiā
non deleatur, suo pondere (iuxta Grego. sententiam) mox ad aliud pertrahat. Ad quem sensum non
incongrue accipi potest quod vertit Hieronymus, tempus inueniens: quasi dicat, Omnis sanctus tē- H
pus inueniens: id est, cùm tempus commodum inuenerit, orabit pro peccati remissione. Eandemq;
habet intelligentiam, si verteretur ex Hebræo, In tempore inueniendo: id est, quod inuentum fuerit
commodum ad orationem. ¶Versu 10. Particula illa, In via hac qua gradieris, in medio duorū po-
sita, potest vel cum præcedenti, vel cum sequenti coniungi. Rectius tamen cum præcedenti, ad illū
sensum quē in Elucidatione expresimus. Cui apertè etiam consonat versio beati Hieronymi ex He
bræo, quæ sic habet. Docebo te, & monstrabo tibi viam per quā ambules. Cæterum quod in altera
parte dicitur, Firmabo super te oculos meos, iuxta communem loquendi consuetudinem dicitur:
quomodo ponere dicimur oculos super eos, quos benigno fauore amplectimur, & pro quibus soli-
citudinē bonā gerere volumus. Et est hic loquendi modus scripturis sanctis nō infrequens: quēad-
modum in alio Psalmo dicitur, Oculi domini in pauperem respiciunt. Et alibi, Oculi domini super
Psal.10. metuentes eū: & alijs pleriſq; in locis. Plus autem est, super aliquem firmare oculos, quàm simplici-
Psalm.38. ter ponere. Contingit enim eos qui super quempiam oculos ponunt, rursum oculos auertere, & id
quidē frequēter absq; omni ratione iusta: quod vt Deus excludat, ait se non simpliciter positurum
Rom.11. oculos super seruos suos, sed etiam firmaturum, id est, stabiliter firmiterque positurum, ita vt nun-
Num.23. quam absque illorum culpa sit eos auersurus ab illis super quos semel posuerit. Sine pœnitentia
Malac.3. enim (vt ait Apostolus) sunt dona Dei; neque temere mutari nouit, vt homo.

A

XXXII. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste exhortatorius est ad laudem Dei, ex consideratione multiplici ipsius perfectionis. Et principio quidem versibus tribus primis, iusti ad laudē Dei inuitātur: mox verò deinde laudis materia proponitur ex rectitudine in verbis, fide in operibus, ex iustitia & misericordia qua plena est vniuersa terra, ex potentibus operibus creationis rerum omnium, quas solo verbo creauit, ex præpotenti consilio sapientiæ eius, cui nulla potest as potest obsistere, quiq; etiam principum & populorum consilia facit irrita, ex omni scientia deinde, & omnium humanarum rerum inspectione & cognitione. Atque hæc quidem, vsque ad versum.16. Hic verò iterum replicans de potentia fortitudinis Dei, proponit, quemadmodum non sit in vlla aliare salus constituēda, nisi in sola Dei misericordia, quæ quos voluerit, potens est à morte & omni malo seruare in æterna satietate. Ob quòd in persona iustorum omniū loquens Propheta, dicit se dominum sustinere adiutorem & protectorem suum, atque in ipso letari velle & sperare: postulans in conclusione, sperata misericordia non frustrari, eámque iuxta expectationem suam experiri.

TRIGESIMI SECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

B *1 Exultate iusti in domino: * rectos decet collaudatio.*

CAudete & exultate in domino Deo vestro omnes qui sectamini iustitiā, & diligitis æquitatē, syncera sanctaque & immaculata lætitia: * eos enim qui recto sunt corde, bene vti oportet cum Deo compositi, huiusmodi (inquam) decet laudare dominum. Nam & iure pos- Eccle.14.
sunt, & meritò debent. Possunt quidē, eo quòd in ore ipsorum sit laus Dei speciosa, quemadmodum contrario non est speciosa laus in ore peccatoris. Debent verò, quia quāto amplius Dei bonitatem cognouerunt, eiusque beneficia sunt experti, eo magis debēt prædicare laudabilem dominum. 2 Date illi cōfessionē & laudem ex corde hilari, in lętitiæ euidentis testimoniū etiā instrumēta adhibētes musica, citharas & psalteria decē tensa chordis: atque huiusmodi psalmos illi canite, in iubilo cordis pariter & vocis. 3. Cantate ei canticum nouitatis in nouo & insolito gaudio, quēadmodum noua cantica solent peculiari iucunditate decantari, & gaudio maiori quā vetera & trita carmina: * psallite & canite illi solicite, diligenter, ac sapienter in iubilo & exaltatione vocis, in protectionē magni gaudij ita vt vox animo per omnia respondeat. 4. Laudis autē ratio & canticorū materia, sit vobis ista, quoniā rectū est omne verbū quodcūque egressum fuerit ex ore domini, plenū veritate & fidelitate, iustitia & æquitate: estque fidelis ipse & verax in omnibus verbis suis, sicut in præceptis æquissimus, ita in promissis fidelissimus: * & omnia opera eius quæ ipse facit fidelia sunt, in veritate & æquitate dispositā, nihil omnino vel in fraude vel in dolo vel in instabilitate agens. * Et sic agit ipse nobiscū in omnibus operibus suis, vt de eius fide nemo debeat aut possit merito dubitare, sed quilibet illi securè possit absque metu fidere. 5. Psal.110.
Diligit ipse misericordiā & iustitiā, duo hæc pariter coniūcta, & in seipso, & in seruis suis. In seipso quidem, dum in omnibus operibus suis semper duo hæc pariter iuncta vult adesse, ita in omnibus seruās iustitiam, vt nusquā prorsus absit misericordia, atq; iterū econuerso sic in omnibus tenens misericordiā, vt nusquā absit iustitia. In seruis autem suis hęc diligit, dum in eis ista pariter requirit, & in quibus hæc inuenit, eos habet acceptos: * quanquā autem & iustitiā & misericordiam simul diligit: peculiarius tamen relucet in operibus ipsius misericor- Psal.118.

2 Confitemini domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.

*3 Cantate ei canticum nouum: * bene psallite ei in vociferatione.*

C *4 Quia rectū est verbum domini:*
** & omnia opera eius in fide.*

5 Diligit misericordiā & iudicium:

** misericordia domini*
D *plena est terra.*

dia, qua plena est vniuersa terra, quæ in omnibus creaturis orbis terrarū clarius effulget, & erga omnes homines (vbicūque tandē locorū habitātes) sese monstrat apertius. 6 Per verbū domini cælorū orbes
6 Verbo domini cæli firmati sunt:
** & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*
conditi sunt in principio, quando dixit Deus, & facti sunt ab initio. Gene.1.
Pater enim per suum filiū coæternum (qui est verbū, virtus, & sapien- 1.Cor.1.
tia ipsius) creauit omnes cælorum orbes: * & omnis eorum virtus atque perfectio, in spiritu sancto illis donata est atque infusa, qui est spi- Ioan.15.
ritus à patre spirāte procedens, atque itē à filio, quemadmodum spi- & 16.
ritus & flatus corporalis ab ore spirātis procedere cōspicitur. Hic siquidē spiritus, amor est, bonitas, atque suauitas, in quo omnia virtutē atque perfectionē suam accipiunt, sicut per filium creata sunt omnia.

7 Congregans sicut in vtre aquas maris:
** ponens in thesauris abyssos.*
7 Qui aquas maris quæ sub cęlo sunt congregauit in vnum locum, vt appareret arida: suisque terminis & limitibus concluſit, & cōclusas te- Gene.1.
net quemadmodum aqua in vtre aut vase concluditur & continetur: * qui profunditates immensas in locis occultis cōstituit, vbi tanquam in thesauris hābet cōclusas aquas, ventos, & alia in maxima abundantia, quæ educit quoties voluerit: quemadmodum in tempore generalis di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gene.7. Ionæ 2.

8 *Timeat dominũ omnis terra:* * *ab eo autem*
Psalm.71. *commoueantur omnes inhabitantes orbem.*
9 *Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mãdauit, & creata sunt.*

10 *Dominus dissipat consilia gentium:*
* *reprobat autem cogitationes populorum:*
* *& reprobat consilia principum.*

11 *Cõsilium autem domini in æternũ manet:*
Hest.13. * *cogitationes cordis*
Esaiæ 47. *eius in generatione &*
Prou.21. *generationem.*

Apo.21. 12 *Beata gens, cuius est dominus Deus eius:*
Deut.14. * *populus quem elegit*
Psal.134. *in hæreditatem sibi.*
13 *De cælo respexit dominus.*

Iob 22. * *vidit omnes filios hominum.*

14 *De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.*

15 *Qui finxit sigillatim corda eorum.*
Iob 21.

lis diluuij rupti fuerunt omnes fontes abyssi magnæ ex mãdato Dei: E
& ad Ionæ susceptionẽ de abyssis maris cętus prodijt: & aliàs frequẽter de profunditatibus aquarũ cæte grãdia apparere facit, & de abyssis terræ dracones terribiles, nonnunquã quoq; & ventorum magnã vim educit ad ostẽsionẽ terroris sui. 8. Timeant proinde magnificum in operibus suis dominum omnes inhabitatores terræ, eumque digno reuereantur honore: & commoueantur à facie eius omnes qui habitant super terram: atque ex consideratione magnorum mirabilium eius quæ ipse facit solus, paueãt omnes, & sancto timore cõmoueantur ad reuerentiã illius. 9. Ipse nãque est, qui solo verbo creauit omnia, sola iussione voluntatis suæ ex nihilo produxit vniuersa. Nullum enim laborẽ in rerum creatione exhibuit, neque exterius operari aliquid debuit, neque temporis mora indiguit vt creationem faceret, quomodo necesse est homines artifices suis operibus (quæ secundum artem operantur) plurimum & laboris & solicitudinis & temporis insumere, nonnunquam & aliorum complurium vti ministerio siue auxilio. Ipse enim absque labore & solicitudine, absq; tẽporis mora, abs- F
que omni adiutorio, absque pręiacẽte materia, solo verbo suo potentissimo, & iussione efficacissima, de nihilo creauit omnia. 10. Ipse est in cuius dispositione & voluntate cuncta sunt posita, in cuius manu est dissipare consilia hominum, eaque ad nihilũ redigere, & à suo effectu impedire, quoties ipsi fuerit placitum: * cogitationes populorum quas proposuerint, animoque conceperint, ipse tanquam inutiles reiicit, prohibetq; impleri, cũ voluerit: nec potest populorũ multitudo vnius Dei potentiæ contrauenire, vt aduersus ipsius voluntatem, vllam suarum cogitationum in effectũ perducant: * sic neque principum vniuersa potestas prævalere potest virtuti Dei, vt contra ipsius voluntatem sui cordis possint proposita atque decreta perficere: sed dissipat ea, infringit, & euacuat regum dominus, quotiescunque & quomodocunque voluerit. Neque quicquã ipsorum valet potentia, nisi quantum magnus dominus sua voluntate permiserit. 11. Consilium autem atque propositum Dei, & definita voluntas eius nulla aliena potentia, nullo consilio impediri potest: sed impletur absque vl- G
lo impedimento, & permanet in æternum: * voluntates, consilia, atq; decreta eius quæ cogitauit, & definita voluntate voluit operari, in omnibus generationibus impleta sunt ab initio, & perficientur vsque in seculum. Neque enim vnquam aut fuit, aut erit, aut esse potest vlla potestas, quæ possit resistere voluntati Dei, aut eam à suo effectu prohibere. Siquidem non est sapientia, non est prudentia, non est cõsilium contra dominum. 12 Proinde, populus ille verè beatus est, qui hunc potentissimum dominum habet Deum suum: vt ipse Deus, sit eorum Deus, & ipsi sint populus eius: * verè beatus populus ille, quem dominus tantus & tam omnipotens, per electionem suæ bonæ voluntatis elegerit sibi in hæreditatem, quam sibi adoptauerit in peculium & in possessionem æternam, vt habitet in medio eorum, eosque possideat & custodiat in sempiternum. 13. Neque tamen populi illius tantum ipse est Deus & dominus, sed etiamvniuersorum. De cęlorum enim altitudine eminus prospicit, attendens & considerans quid agatur in terris. Neque enim circa cardines cæli tantum perambulat, ne- H
que solùm quæ aguntur in cælestibus, sed etiam quæ in terris geruntur, considerat: nimirum vt cæli, ita & terrę dominus: * prospiciens autem de cælo, specialiter considerat & attendit filios hominum. Nam cùm omnes creaturas quæ in terra sunt noscat & cõsideret, speciali tamen modo filios hominum contẽplatur, quibus æterna præmia (cęteris in corruptionem abituris) proposuit. 14 De habitaculo cælesti, quod sibi ipse præparauit in mansionẽ & aulã regiã, attẽdit ad omnes qui habitãt in terra, siue bonos siue malos. Ad illos quidem, vt eorum bonos conatus ac pia studia adiuuet, & in quibus imperfecta fuerint, sua gratia perficiat, ac post beata fœlicitate remuneret. Ad hos verò, vt eos à vitijs suis malis auocet ad pœnitentiam: etsi quidem conuerti voluerint, auxilietur pœnitentibus: sin autẽ in obstinatione sua obdurati permanserint, digna eos vltione in mortem æternam proijciat. 15 Ipse est pater spirituũ vniuersæ carnis, qui miro artificio secundũ infinitã sapientiam suã creauit singulorum hominum singulas animas ac spiritus; singulisque vitam omnem & motum, & quicquid est in ipsis

A * *qui intelligit omnia opera eorum.*

16 *Non saluatur rex per multam virtutem:*

B * *& gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.*
17 *Fallax equus ad salutem:* * *in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.*
18 *Ecce oculi domini super metuentes eum:*
* *& in eis qui sperãt super misericordia eius.*
C 19 *Vt eruat à morte animas eorum:*
* *& alat eos in fame.*

20 *Anima nostra sustinet dominum:* * *quoniam adiutor & protector noster est.*
D 21 *Quia in eo lætabitur cor nostrũ:* * *& in nomine eius sancto sperauimus.*
22 *Fiat misericordia tua domine super nos:*
* *quemadmodum speramus in te.*

ipsis vitale, miro artificio indidit, estque vitæ author & dominus: * & quoniã sic & intime omnia fecit, & occultissimas quoque potentias ac vires tam corporis q̃ animæ in homine constituit, nihil mirum si ipse singula cognoscat hominum opera: neque solùm exteriora, verumetiam cogitationes & affectiones, & quæcunque sunt homini intima. Imò hoc ipsum ratio monstrat, vt multo melius, multoque exactius & intimius ipse cognita habeat nostra omnia, quam habeamus nosipsi: quandoquidem ipse fecit nos & intima nostra, non autem ipsi nos. Quis autem melius & intimius cognitum habere possit opus quodlibet artifice qui fecit illud? 16 Dum verò respicit dominus super filios hominum, non attendit ad temporalem põtestatem vel potentiã, siue ad corporis robur. Non enim reges salutem consequi poterunt corã Deo per multitudinem exercitus & roboris sui. Primum quidem, non spiritualem: quia ad hanc salutẽ eiusmodi corporalia per sese nihil adiuuant. Deinde, neque corporalem in bellis & prælijs, vbi dominus per suam potentiam voluerit obsistere: quoniam in manu domini est victoria, & cui vult donat eam. Neque est illi differentia, in multis vel paucis salutem dare * ne gigantes quidem, in omni robore suo & magna corporis fortitudine saluari poterunt ante faciem domini: cui non est differentia inter immanem gigantem & pusillum nanum. Hæc enim (nempe potestas magna & corporis robur) nos Deo nõ commendant. 17 Illi quoque qui in equis confidunt, decipiunt seipsos in ista vana fiducia equorum, qui saluare non possunt de manu Dei: quoniam non minus facile est Deo, cùm voluerit, siue equitem siue peditem prosternere: * in omni abundantia suæ fortitudinis non saluabitur de manu domini, neque equus ipse, neque sessor illius. Nã vno ictu vtrosque prosternit, quemadmodum olim equum & ascen- Exod.15.
sore proiecit in mare. 18. Vis autem audire vnde vera salus tibi proueniat? Ecce oculi domini (id est, benignus atque misericors eius respectus) aspiciunt ad seruos eius, qui timent eum, atq; obediunt ei: * & in bonum aperti sunt, & attenti erga eos qui spem habent in misericordia Dei, eamque inuocant, & in ea saluari cõfidunt. 19. Ad hoc autem oculi domini aspiciunt super metuentes eum, vt ipse eos qui eiusmodi sunt, per potentiã virtutis suæ, & propter misericordiam suam, saluet à morte æterna in regnum suum cæleste: & vt in tempore famis, in tempore egestatis, eos pascat suo cælesti pabulo: hic quidem præsenti tempore (dum nihil deesse eis patitur, quod ad veram vitam spiritus sit necessarium) pascens eos copiosè atque reficiẽs, cũ impij fame siue defectu verbi Dei, & spiritualium bonorũ egestate consumantur & pereat. In futuro quoq; seculo, cum fame æterna affligentur impij, epulabuntur iusti: & satiabuntur pane vitæ æternæ in aspectu vultus Dei, inebriabunturque ab vbertate domus eius. Nam impijs esurientibus serui Dei comedẽt: & illis siti cruciatis, hi in ebrietate sua gaudebunt. 20 Quoniã itaque solus est dominus, à quo vera salus sit sperãda, volumus in spiritu sustinere & præstolari dominum, atque ab eo solo salutẽ expectare: * ipse enim est auxiliator atque defensor noster: ipse est saluator animarum nostrarum: quo nos adiuuante sua gratia, & ab nostibus protegente, salui erimus ab omni malo, & consequemur vniuersa bona. 21. Et quidem in hac spe & expectatione lætabitur in ipso spiritus noster, nihil metuens, nihil de promisso solicitus: * & in nomine eius, quod est sanctum & admirabile, spem nostram omnem collocauimus: ad eius inuocationem sperates omnia semper bona consequi, & ab omnibus malis liberari. 22 Nunc itaque pijssime domine, qui tã magnificus cõprobaris in omnibus operibus tuis, tã misericors erga omnes seruos tuos, fac experiamur in nobis sanctã hanc quã prædicamus, quam psalmo laudamus, misericordiam tuam: * sicuti semper in te speraumus, vt non cõfundamur ab expectatione nostra: sed per beneficium misericordiæ tuæ ab omnibus malis liberemur, & in bona introducamur sempiterna, Amen.

Pſal. 93. & 99.

2.Mach.5. 2.Re.14.

Pſalm.16. Pſal.35. Eſaiæ 65.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXII.

VErsu 1. Rectos decet laudatio Dei. Impios autem nõ decet laudare Deum, donec in sua impietate secundum voluntatẽ persistunt: Omnis enim qui laudat Deum, quasi præsens assistere debet Deo quem laudat, & cum eo velut colloqui: Non est autem decens, vt is qui sordibus peccatorum est inquinatus, Deo assistat, illiusq; maiestati se obiiciat ante oculos. Vnde & in alio loco scriptum est: Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per Pſal.49.

os

os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum,&c. Quapropter,si is E
qui peccator est,cupiat vnà cum iustis laudare dominum,curet primum illis se similem reddere,per
pœnitentiã abluens immunditiam peccatorum: atque ita demum speciosam laudem Deo proferet
in ore suo. ¶Versu 11. Consilium autem domini in æternum manet. Consilium & cogitatio si secun-
dum proprietatẽ significationis accipiantur,non competunt Deo. Non enim est in Deo consilium
neque cogitatio:quæ sunt ex imperfectione,& includunt ratiocinationis quendã discursum. Tunc
enim cõsulit homo,quando varia perpendit,& simul confert:sicque deliberat,vt eligat quod visum
fuerit melius. Et tunc,cogitat cum multa mente voluit,& varia coagitat,vnde etiam nomen accipit
cogitatio. Pro cuius intellectu sciendum est cogitationẽ & cõsilium dupliciter accipi. Primò, vt co
gitatio sit ille discursus,quo per diuersa discurrentes multa coagitamus:& consilium sit ipsa delibe
ratio,qua plura eligibilia simul cõferimus. Secundò,accipimus minus propriè cogitationẽ pro cõclu-
sione quæ per ratiocinationis discursum tandem acquiritur,& post illã coagitationem in mente
relinquitur. Consilium verò pro electione illa quæ terminat deliberationis collationem,& est velut
cõclusio prioris cõsilij. Cùm ergo in Deum ista nõ cõpetant,neque discurrere ratiocinãdo,neq; cõ-
sulere deliberãdo,qui omnia simplicissima intelligentia cõtuetur, & simplici volutione eligit:patet
neque cogitationem neque consilium in Deo inueniri, secundum eum modum quo in hominibus
ponuntur. Cùm autẽ Deo in scripturis attribuuntur,fere secundo modo accipiuntur,imperfecto ta F
mẽ secluso. Accipiturque cogitatio pro definitione & iudicio mẽtis eius,quã sine discursu habet ra-
tiocinationis. Consilium autem pro definita voluntate & proposito voluntatis eius quod in eo est
absque omni deliberatione,& collatione vnius ad aliud. Atq; hęc sunt cõsilia,& hæ sunt cogitatio-
nes domini,quæ manent in æternum. ¶Versu 10. Beata gens cuius dominus Deus eius. Non talis
est in hoc versu cõstructio dictionum,qualis esse videtur prima facie secundum positionis ordinem:
sed intelligere oportet nominatiuũ,dominus,vt suppositum verbi, est: alterum autẽ nominatiuum,
Deus,vt à posteriori parte rectum,à verbo substantiuo,ad hunc modum, Beata gens, cuius domi-
nus est Deus eius. Quemadmodum enim maledicti sunt,quorum idola & dęmonia sunt dij eorum:
ita beati asseruntur à Propheta,quorũ dominus est Deus eorum. Sed & pronominis illius posterio-
ris additio diligẽter notãda est: q̃ nõ sit quantum ad emphasim & plenitudinẽ sentẽtiæ superfluum,
tametsi Latinitatis & grãmaticę ratio nõ vsqueadeò cõstet. Si enim omitteretur illud pronomẽ no-
uissimum,diceretuŕque tantum,Beata gens, cuius dominus est Deus,sententia haberet beatam esse
gentem illam quæ dominum habet Deum. Cùm verò additur eius, sententia est beatam esse gentẽ
illam quæ dominum habet Deum suum. Quanquam autem in vtroque horum secundum rem ea-
dem sententia indicetur, maiorem tamen emphasim habet illa posterior eloquutio, cum sua sen-
tentia:atque ob hoc magis oblectat pios animos, tametsi forsitan minus sit grata linguis distertis,& G
delicatis auribus. Sancta enim scriptura,mentium non aurium delicias spectat.

XXXIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PRopheta in hoc Psalmo,corde & ore Deum laudare proponens,inuitat ad idem vniuersitatem iustorum, eã in spiritu alloquens,tã quoad absentes,quàm præsentes:quibus domini proponit benignitatẽ, in exaudiendo orationes sanctorum suorum,pro laudis materia & incitamento gratiarum actionis: peculiariter verò suæ exauditionis exemplum proponens,atque ex illo cæteros exhortãdo inuitans, vt gustent,& videãt quòd suauis sit dominus,vtq; illum timeant,qui suos seruos(seculi diuitibus penuriam patientibus)omnibus verè bonis abundare facit. Atque hæc quidem decem primis versibus. Post hoc verò,ad instructionem sese conuertẽs, in quo iustitia & timor Dei consistãt,edocet:& de domini erga iustos benigno respectu,specialiq; custodia, protectione,& prouisione,impiorúmque ex aduerso punitione pluribus versibus late disserit, eademq; subinde replicans propter spiritus plenitudinem. Atque hæc ad finem vsque Psalmi perdurant.

TRIGESIMITERTII PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Benedicã dominum in omni tẽpore: * semper laus eius in ore meo.*
2 *In domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, & lætentur.*
3 *Magnificate dominũ mecum:*
** & exaltemus nomen eius in idipsum.*
4 *Exquisiui dominum*

BEnedicere ego volo,& ex bona voluntate laudare do- H
minũ Deũ,omnibus diebus quibus viuã,pro tã immẽ-
sis suis,quæ in me collocauit,beneficijs:* nunquã defi-
ciet laus eius ab ore meo,sed erit ipsa mihi vt in corde,
ita & in ore,perpetua. 2 In domino magnifice lætabi-
tur,atque gloriabitur cũ laude anima mea, & spiritus
meus:*qui mites sunt & humiles corde, in mãsuetudine domino ser-
uientes,cupio vt meã hanc audiãt, cognoscãtq; lætitiã,vt pariter & ip
si mecum lætẽtur. 3 Magnificate,prędicate, & laudibus ac psalmis vnà
mecũ celebrate omni laude digniss imum omnipotentẽ dominũ,qui-
cũque fideli estis & mãsueto corde:*& exaltemus atque glorificemus
eũ pariter,vos mecũ,& ego vobiscũ,vno studio,eodẽ animo,eodẽque
conatu & feruore:vt quia ex memetipso nequaquã sufficio dignã vllã
magnificẽtiæ & beneficẽtiæ illius gratiarũ actionẽ persoluere, saltem
vestro auxilio,& communi charitatis studio,fiat illi laus nostra acce-
tior. 4 Ecce ego primũ quid ipse sim expertus,ꝓponã,quo vos ad col
laudandum reddã alacriores. Cum magno cordis affectu ego requisi-
ui do-

A ** & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*
5. *Accedite ad eum, & illuminamini:*
** & facies vestræ non confundentur.*

6: *Iste pauper clamauit & dominus exaudiuit eum: & ex omnibus tri*
B *bulationibus eius saluauit eum.*
7. *Immittit angelus domini in circuitu timentium eum:*
** & eripiet eos.*

8. *Gustate & videte, quoniam suauis est dominus:*
** beatus vir qui sperat*
C *in eo.*
9. *Timete dominũ omnes sancti eius:*
** quoniam non est inopia timentibus eum.*

10. *Diuites eguerunt & esurierunt:*
** inquirentes autẽ dominum non minuentur omni bono.*
D
11. *Venite filij, audite me:*
** timorem domini docebo vos.*

12. *Quis est homo, qui vult vitam?*
** diligit dies videre bonos?*

13. *Prohibe linguam tuam à malo:*

ui dominum in oratione mea,& ipse me exaudiuit orantẽ:* & ex om
nibus tribulationibus meis vndecũq; mihi obuenientibus,ex omnibus
necessitatibus & angustijs ipse me sua consolatione & protectione li
berauit. 5: Et quoniã ita in memetipso Dei beneficia largiter sum ex-
pertus,sciens non esse personarũ acceptorẽ Deũ:iccirco etiã vos,qui
cunque estis fideli & mansueto corde ac bonæ voluntatis,vrgente me
summa charitate fidẽter exhortor,vt accedatis cũ fiducia ad thronum
gratię eius. Accedẽtes enim illuminabimini à respectu vultus ei⁹,quẽ
super vos faciet illuscescere qui fideli corde ad eũ accesseritis:* & nõ
eritis cõfusi,neq; repulsam patiemini,sed benigne donabit vobis pe-
titiones cordis vestri,honorabitque faciem vestrã in benignitate sua.
6. Quis verò hoc possit iure metuere, ne accedẽs ad dominũ cõfusus
recedat? Ecce enim hũc pauperculũ & vilissimũ hominũ(meipsum)di
co,qui pauper sum,egenus & mẽdicus,& ex memetipso nil nisi nihil
clamantẽ & orantẽ nequaquã despexit,neque confudit aut abiecit ad
se accedentẽ:sed exaudiuit benigne,& ex omnibus angustijs atq; ne-
cessitatibus liberauit. Quur ergo quisquã metuat accedere,aut cõfun
di timeat? 7. Per circuitũ timentium dominũ angelus illius ad eorum
auxiliũ & protectionẽ deputatus atq; destinatus sese immittit, sese q;
diffundit,& velut castrametatur per circuitũ eorũ, ne possint ad illis
nocendum accedere aduersarij:* Immittit etiã angelus domini terro-
rẽ & timorẽ per circuitũ seruorũ Dei,in aduersarios qui vndequaque
illos obsederint:* & ipse pro illis pugnãs defendet eos ab omni malo, Hebr. 1.
& ex omnibus periculis faciet saluos. Sũt enim angeli Dei administra
torij spiritus,in ministeriũ missi,propter timẽtes dominum,qui here Psal. 90.
ditatẽ accipiẽt salutis ęternę:& hoc habẽt de iustis à Deo mãdatũ, vt
custodiãt eos in omnibus vijs ipsorum. 8. Laborate gustare, & intima
experiẽtia sentire:discite q; & cognoscite,q̃ benignus,dulcis sit & sua-
uis dominꝰ omnibus qui requirit illum: nequaquã amarus,durus,au
sterus,morosus,crudelis aut difficilis,cuiusmodi ferè inter homines
esse solẽt qui vlla potẽtia siue autoritate præeminent:* verè beatus est
vir ille,& securus est de bona salute,quisquis spẽ suã & fiduciã in eo
cõstituit,illiq; ex toto corde suam animã & seipsum in benefactis cõ 1. Petr. 4.
mẽdat. 9. Reuereamini,timete,diligite,& honorate dominum Deum
omnes serui eius,qui creditis in eũ:eiusq; mãdata obseruate diligẽter:
* quoniã ijs qui sic cũ filiali affectu timẽt ac reuerentur,nullius rei est
defectꝰ nulla egestas,nihilq; illis deesse patitur Deꝰ,quod ad salutẽ sit 1. Cor. 1.
eis necessariũ,sed sunt diuites per illum in omni bono,ita vt nihil illis
desit in vlla gratia & bono spirituali: In corporalibus verò bonis, ta-
metsi videãtur egere,habẽt tamẽ omnia,& abũdãt:cũ per internã con Philip. 1.
solationẽ hæc omnia nihil faciũt,& de defectu magis quã abundãtia
gloriari sciũt. 10. Diuites sæculi qui in diuitijs trãsitorijs huius mundi
spẽ suã constituũt,& in illis omne adhibẽt studiũ,ipsi verè egeni sunt,
pauperes & inopes,esuriemq; & defectũ magnum patiẽtes: qui spiri-
tualiũ bonorũ(quę sola vere bona sunt)omnino nihil vel paululũ ad-
modum habẽt,eo quòd nimium intẽti caducis,transitorijs,& proin-
de falsis bonis,negligant ea quæ sola sunt verè bona:* qui autem ex
bono corde seruiunt domino,& illi desiderãt placere,hi non deficiẽt,
non patientur egestatem,& defectum in vllo verè bono,sed abundan
riam consequentur omnium per Deum. 11. O fratres mei & filioli) sic Psal. 110.
enim per amoris teneritudinẽ mihi nũc placet omnes vos seruos Dei Eccle. 1.
& præsentes & futuros tali nuncupatione cõ pellare) accedite huc ad
me,qui vos rem vtilissimam cupio monere:& auribus tã cordis quàm
corporis susc ipite doctrinam meã:* docebo enim vos timorem Dei
qui est veræ sapientiæ initium,& sine quo nemo potest iustificari, ac
proinde ante omnia maxime vobis est necessarius. 12. Quisquis igitur
hominum es,qui veram cupis possidere vitam, eam quæ secundum
Deum est,quã nulla mors subsequetur,vitam animæ & spiritus,nunc
quidem in gratia,post verò in gloria,sempiternam:* quisquis dies bo
nos cupis experiri,dies illos æternitatis beatos in gloria,dies intermi
nabiles,dies sine noctibus,dies qui nunquã occidet, dies gaudij per-
petui & fœlicitatis æternæ:quisquis (inquam) es tu qui ista desideras
erunt tibi quæ subsequuntur diligenter attendẽda,& obseruanda di-
ligentius. 13. Primum quidem linguam tuam compescere stude, ne e-
grediatur per eam quod malum est, ne vllum vel noxium vel mendax

Universidad de Deusto Biblioteca

Iacob.1.

verbum vel etiã vanum & otiosum proferas. Nam qui se existimat religiosum esse, & nõ refrenat linguam suam, huius procul dubio vana est religio: quandoquidem de omni verbo otioso quod loquuti fuerit homines, reddituri sunt ratione in iudicio domini: * potissimum autẽ os tuum custodias, ne quicquã loquatur noxium, aut fraudulẽtũ, aut dolosum aduersus proximos suos. Qui enim dolos loquuntur, Deo sunt abominabiles: Qui autẽ custodit ós suũ, seruat animã suã. 4. Hoc autem iacto fundamento à linguę custodia, sine quo facilime corruet quicquid ædificatum fuerit, sollicitum te deinde exhibeas in fugiẽdo malum, & prosequẽdo bonum: ita vt ab omni vitio abhorreas: & quicquid malum esse didiceris, ac proinde Deo ingratum, id tanquã venenum pestiferum, præsentissimum toxicum fugias: operibus autem virtutis & bonitatis diligenter insistas: & quicquid bonum esse, ac proinde Deo gratum didiceris, id fideliter & sollicite implere festines: * adhæc, diligenter perquire pacẽ & sectare eã sollicite, quæcunque ad pacem faciunt libenter amplectens: pacem (inquam) primum quidem cum Deo, vt nihil in te patiaris inhabitare quod inter te & ipsum ponat iustam diffidij causam: deinde, & cum temetipso, & secundum spiritum & rationis iudicium, turbulentas omnes & seditiosas tã cogitationes, quã affectiones studeas in pacẽ & cõcordiã cõponere: postremo & cũ proximis, vt quãtum fieri potest: & quãtum in te est, cũ omnibus hominibus pacẽ habeas: neque solum habeas ipse, verumetiã in alijs pacem semper studeas cõponere. Beati enim pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur. Et in pace est locus eius, qui est Deus pacis. 15. Nihil verò pigere te debet huius laboris, neque tibi hoc virtutis studium esse debet molestum. Oculi nãque domini (id est, benignus & paternus respectus illius) aspiciunt ad eos qui student iustitię, & curam ipse gerit de illis, vt eos in suis conatibus cõsoletur, adiuuet, atque cõfirmet: * & auditum benignum facilemque præbet illorum præcibus, paratus semper ad exaudiendũ illos, quicquid in oratione petierint, vt ppter hoc nemo debeat à virtutis studio deficere, sciens, liberum sibi in omni difficultate ad dominũ patere accessum & securum refugiũ. 16. Ex aduerso autem, super eos qui studẽt impietatibus, est vultus iracũdię & indignationis Dei, & toruus aspectus eius etiam illorum opera, sed nõ in ipsorum bonum considerãs: * nimirum, vt operarios iniquitatis iusto suo iuditio in perditionem mittat pro suarum iniquitatũ demeritis, sicque eos de terra viuentiũ disperdat, & prorsus auferat memoriã eorum tam de terra ista corporaliter viuentium, vnde per mortẽ auferẽtur, quã de terra illa ęternaliter viuẽtiũ, vbi nulla erit memoria damnatorum qui proiecti sunt à facie Dei. 17. Et quoniã (vt diximus oculi domini super iustos sunt, & aures ad preces eorũ hĩc fit, vt quotiescunq; iusti ad dominũ clamauerint, ipse mox sit ad exauditionem paratꝰ: vt quodcunq; postulauerint, ipse eis (iuxta quod profuturũ & salutare nouerit) concedat: * & ex omnibus tribulationibus, angustijs, & necessitatibus, in quibꝰ fuerint, ipse eos benigne liberabit secundũ beneplacitum suum: nonnunquã quidẽ etiã tẽporali liberatione, semper autem spirituali & æterna: ita sanctos interius in præsenti consolãdo, vt in tribulationibus nõ deficiant: tãdem verò, ex omnibus malis in fœlicitatẽ ęternã eosdem recipiẽdo. 18. Propè est dominus, per suæ misericordię præsentiã, iis qui sunt propter tribulationum & tẽtationum magnitudinẽ animo anxio, ac velut cõfracto atq; cõtrito quẽadmodũ permittit nõnunquã Deꝰ etiã, iustis cõtingere ad suũ exercitiũ & meriti augmẽtum, vt tẽtationum vel magnitudine vel multitudine vel longa nimis ac cõtinua duratione, veluti in anxietate animi veniãt cupiẽtes omnimodis seruare iustitiã, & tamen ppter tentationum vehementiã metuente, ne forte eã cõtingat relinquere; atque his propè adest dominꝰ, bonã voluntatem aspiciens, quo eos sustentet: & nequa quã collabi in desperationem, aut cõfringi per tentationem, patietur: * & eos qui sunt pauperes, spiritu & corde humili, humiliter Deo suas animas cõmendates, ipse humilium saluator faciet saluos ab omni malo, in regnum suum cæleste. 19. Multæ quidem numero, ac variæ admodum vndiquaque obueniunt tribulationes iustis: & necesse est omnes qui pie volunt viuere multiplicem pati persequutionem, Deo sic disponente ad illorum coronam: partim quidem à mundi hominibus, partim à carnis vel prauitatibus vel necessitatibus, partim ab inimicis dæmonibus: * verumetiam si millecuplo plura forẽt ac grauiora Dominus vnus est, qui de omnibus eos liberat, & per varias tribulationes (quasi aurum in fornace) probatos, ad gloriã regni illos perducit. 20. Et licet videantur iusti apud homines nõnunquã male tractari secundum corpus à malis, & vsque ad ossa in illos nonnunquã contingat desęuiri: Illud tamen sciendum est, quòd Dominus omnia ossa iustorum numerata habet, neque vnum ex illis perire finet in nihilum ꝙ non illis diligenter custodiat, & in suo tempore cum magna gloria restituat in resurrectione: quemadmodũ iustorũ omnes capilli numerati sunt, & capillus de capite illorum perire nõ potest. 21. At verò mors peccatorum vere pessima est, & maxime metuenda: tã illa secũda, qua anima morte æterna perditur, quam etiã prior mors corporis, quæ tamẽtsi nonnunquã mitior videatur morte violenta iustorũ, est tamen secundum verum iudicium terribilissima, quoniã per ipsam ad mortem trãsitur ęternã, & damnationem cruciatus perpetui: cum ecõtrario iusti per mortem temporalem pertingant ad ęterna gaudia: * & omnes qui iustos oderũt, atque in eos machinantur mala: tãquam ośores iustitię, peccatores sese cõprobant, & damnationis reos, quã etiam nõ euadent. 22. Dominus autem saluabit animas eorum qui sibi quærũt in sanctitate & iustitia placere: nec patietur, quantum ad animã, quicquam illis ab hostibus accidere aduersi: * & qui in eo spem suã iactatam & bene firmatam habuerint, non cadent in peccatum tale quo prorsus à Deo separentur. Sollicite enim curabunt, ne peccatũ vllum tale admittant: & si forte contingerit incidere, sollicite curabũt, ne in peccato permaneãt, sed resurgẽt quãtocyus in spe misericordiæ Dei.

Matt.12. * *& labia tua ne loquãtur dolum.*

Prou. 21. 14. *Diuerte à malo, & fac bonum:*

* *inquire pacem, & persequere eam.*

Rom. 12.

Matt.5. Psal.75. 2.Cor.13. 15. *Oculi domini super iustos:*

* *& aures eius in preces eorum.*

16. *Vultus autem domini super faciẽtes mala:*

* *vt perdat de terra memoriam eorum.*

17. *Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos:*

* *& ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.*

18. *Iuxtà est dominus his qui tribulato sunt corde:*

& humiles spiritu saluabit.

19. *Multæ tribulationes iustorum.*

1. Tim. 3.

* *& de omnibus his liberabit eos dominus.*

20. *Custodit dominus ossa eorũ: vnum ex his non conteretur.*

21. *Mors peccatorum pessima:*

* *& qui oderunt iustũ delinquent.*

22. *Redimet dominus animas seruorũ suorũ:*

* *& non delinquent omnes qui sperant in eo.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXIII.

VErsu secundo, In domino laudabitur anima mea. Nota verbum laudari in sacris literis solitum vsurpari nonnunquam pro gloriari. Est enim hoc in loco, ac si dicas, In domino gloriabitur anima mea: quemadmodum alibi, Lætabitur iustus in domino, & laudabuntur in eo omnes recti corde, id est gloriabuntur. Non enim videtur hic Dauid loqui velle de laude vel laudatione suę ane Psal. 63.
mę, passiue accipiendo, qua videlicet anima ipsius laudaretur: cum hoc in loco potissimum de laudatione Dei attendat facere sermonem. videtur ergo istud verbum laudabitur, & in hoc loco, & in
C alijs similibus, quanquam voce passiuam habeat terminationem, magis tamen actiuam vel neutram habere significationem, quemadmodum glorior, aut lætor: & significat, cum laude lætari, quod pedicimus confundi faciem eorum quibus denegatur petitio. Vnde 3. Regum 2. loquens pro Adonia 3.Reg.2.
ad Salomonem mater ipsius Bethsabææ, dicebat, Petitionem vnã paruulam ego deprecor à te, Non confundas faciem meam. ¶ Versu sexto, Iste pauper clamauit. Iste pauper cum ait, videtur esse demonstratio suiipsius, cum alium neminem exprimat, neq; certam aliam personam designet. Nam ita fere loqui solemus, quoties de nobis abiectius loquimur. Veluti si dicam Miserere Deus huic pauperculo peccatori, demonstrando meipsum qui loquor. Sed & alias sese pauperem & inopem atq; Psal.118.
contemptum nominat Psalmista, veluti Psalmo. 118. Adolescentulus sum ego & contemptus. Et alibi, Ego vero mendicus sum & pauper. Psal.39.
¶ Versu octauo, Gustate & videte quoniam suauis est dominus. Suauis hic non intelligitur, vt ad gustum referatur, vt significet dulcedinem. Nam Græce est Psal.144.
χρηστὸς, id est, bonus siue benignus: opponiturque fero, aut immiti, aut difficili. Et ita etiam vertit beatus Hieronymus ex Hebræo: Quoniam bonus est dominus. Ad eundem modum accipi etiam debet hæc eadem vox Psalmo centesimo quadragesimoquarto, cum dicitur, Suauis dominus vniuersis, & cætera. ¶ Versu nouo & decimo, Non est inopia timentibus eum. Notandum illud, quod hic dici-
D tur de timentibus dominũ, nihil eis posse deesse, principalius intelligi de bonis spiritualibus iis quę ad salutem homini fuerint necessaria. Nam horum non sinit Deus seruos suos pati defectum, quin 1. Tim.6.
(vt ait Paulus) præstet illis abunde omnia. Habet tamen minus principaliter etiam de bonis temporalibus veritatem: Sancti enim viri, qui propter internas diuitias transitoria ista pro nihilo pendũt, neq; ea requirunt, nisi quatenus ad vitã corporis trãsigendam & satisfaciẽdam naturali necessitati, illis opus habuerint paucissimis, & ijs quidẽ vilissimis contenti, facile habent & adipiscuntur quod cupiunt, id est, victum & vestitum: quẽadmodum ex illis quidã egregius ait. Habentes alimenta, & Ibidem.
quibus tegamur, his cõtẽti simus. Et alibi, cum paucula quædã in necessitates quotidianas ex donatione fidelium recepisset, Habeo (inquit) omnia, & abundo, Imò verò alio rursum in loco nihil ha- Philip. 4.
bens, gloriatur nihilominus omnia se possidere. Tam facit opulentos ea quæ secundum Deum est 2. Cor. 6.
spiritus vera paupertas. Sed & vetus illud misericordiæ, & omnis pietatis exẽplum, sanctus Tobias filium suum erudiens, dicebat: Noli timere fili mi, pauperem quidem vitã gerimus: sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum, & receserimus ab omni peccato, & fecerimus bene sed etsi contingat sanctos Dei interdum vix etiam necessaria inuenire naturali sustentationi, ne hoc quidẽ admodum grauate ferunt, qui in Deo firmati sunt. Vnde ille ditissimus omnium possessor, quem suprà commemorauimus, didicisse se cõfitetur, quomodo cõtentus esse etiam in minimis possit. Ego (inquit) didici, in quibus sum sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare vbiq;, & in omnibꝰ Philip. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

E institutus sum & satiari,& esurire,& abundare,& penuriã pati. Omnia(inquit)possum in eo qui me cõfortat. At verò huius sæculi diuites, qui præter falsas istas temporarias,alias non nouerũt veras & æternas diuitias,ac proinde spem omnem in illis ponunt,& cor totũ ad illas adijciunt,dum sine modo eas expetunt,nullum suę cupiditati cõstituentes terminum,fit,vt post multum laborem,post plurima pericula,quantumuis magnos aceruos congregauerint,nũquam tamen expleri valeat illorum inordinata cupiditas;neq; eo deuenire aliquando possunt,vt eorum quę desiderant,sat habere se dicãt. Quã interminabilem & insanabilem diuitum cupiditatem,Seuerinus Boetius eximius ille Christianorũ Philosophus,imò philosophice magis Theologus,in libro de philosophico consolatu pulcherrime depingit & exprimit metro secundo libri secundi. Quod carmen totum, quoniam lectu & attentione est dignissimum,pariterq; nostro proposito valde accommodum, iccirco huic loco duximus inferendum. Sic ergo apud illum canit sacra Philosophia.

F Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Aut quot stelliferis ædita noctibus
Cælo sydera fulgent,
Tantas fundat opes,nec retrahit manum
Pleno copia cornu:
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.
Quamuis vota libens excipiat Deus,
Multa prodigus auri,
Et claris auidos ornet honoribus:
Nil iam parta videntur,
Sed quæsita vorans sæua rapacitas
Alios pandit hiatus.
Quæ iam præcipitem fræna cupidinem
Certo fine retentent
Largis cum potius muneribus fluens
Sitis ardescit habendi?
Nunquam diues agit,qui trepidus gemens.
Sese credit egentem.

G Cum itaq; sancti Dei homines minimis pauciss imisq ue plenissime contenti, abundent etiam in tenuissima substantia:hi vero etiã in amplissimis possessionibus semper adhuc egeãt,semper eis desit aliquid,ad quod aspirent,imò quo amplius cõquirunt,eo & pluribus & maioribus in dies indigeãt: constat iuxta veritatẽ(etiam quo ad res temporarias)his esurientibus & defectũ patientibus in suis diuitijs, illos in sua tenuitate,vel etiam penuria abũdare. Quis autem dubitet eum qui eget,pauperiorem esse secundum veritatem eo qui abundat? Relinquitur itaque tam de spiritualibus,quam de temporalibus bonis verum esse propositum Prophetæ sermonem.

XXXIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus hic viro iusto competit,qui ab aduersarijs persequutionem grauem patitur,cũ sit ipse innocens,& illi nullam habeant causam hunc persequendi,in quo,De eo more humano loquens,quasi viro pugnatori, ipsum aduocat in suum vltorem,defensorem & saluatorem: confusionẽ imprecans ex aduerso suis persequutoribus,quos ait sibi mortis tetendisse laqueos,quos secundum conformitatem ordinationis Diuinæ iustitiæ,vel precatur vt veniant,vel prædicit venturos super autores suos. Ipse verò in Deo suo lætari promittit, eiq; vt pauperum liberatori confessionis laudem persoluere. Atq; hæc quidem,vsque ad versũ decimumtertium. Hic H *verò iterum reuertitur ad commemorandum peruersitatem aduersariorum & suam ex aduerso humilitatem atq; charitatem,qua se pro illorum peccatis pœnitentiam egisse,atq; humiliter supplicasse profitetur,qua etiã erga illos vt amicos & fratres sese studuit exhibere,ac pro eorum malis cum luctu dolere: cum illi econtrario non solum non doleant super malis eius,verumetiam studio & consilio mala multa aduersus eum excogitent præ nimia indignatione,& obdurata inuidia: ita vt cum ille eis quasi amicis placere fraterno affectu studeat, hi econtrario hostili animo dentibus frendeant in illũ. Atq; hæc vsq; ad versum vigesimũ, De hinc tribus versibus subsequentibus liberationem postulat à Deo,pro exauditione gratiarum actionem & laudis confessionẽ promittens. Mox verò versu 24. & 25. aduersariorum duplicitatem & malitiam replicat,vt ad exaudiendum facilius flectat quem orat. Nam versibus sequentibus,magno affectu à Deo postulat sibi quidem liberationem & salutem,illis verò confusionem pro meritis dignam,vt exultent quibus grata est innocentia atq; iustitia,& ipse per linguam suam liberatori personet confessionem sempiternam. Illud autem in hoc Psalmo aduertendum est,quod & in pluribus aliis,posse videlicet eum pene indifferenter referri vel ad personam Christi domini, vel ad personam Dauid,vel ad vnum quemlibet ex iustis,qui sunt in tribulatione & persequutione ab aduersarijs constituti. Nos autem in Elucidatione ita omnia temperabimus,vt cuilibet etiam iusto aptari facile possit, ad Dominũ secundum hanc formam clamare volenti,aut gratias agere. Siquidem in hoc Psalmo permixtim, nunc diuini auxilij imploratio,nunc pro exauditione gratiarum actio proponitur. In annotationibus autem distinctius quædam vel Christo applicabuntur,vel Dauidi.*

TRI-

A TRIGESIMIQVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Iudica domine nocentes me:* expugna impugnantes me.*
2. *Apprehende arma & scutum:* & exurge adiutorium meum.*
3. *Effunde frameã & conclude aduersus eos qui persequuntur me:*
B ** dic animæ meæ, salus tua ego sum.*
4. *Cõfundantur & reuereantur querentes animam meam.*
5. *Auertantur retrorsum, & confundantur, cogitantes mihi mala.*
6. *Fiant tanquam puluis ante faciem venti:*
** & angelus domini co*
C *artans eos.*
7. *Fiant viæ illorũ tenebræ & lubricũ:* & angelus domini persequens eos.*
8. *Quoniã gratis abscõderunt mihi interitum laquei sui:*
** superuacue exprobrauerunt animam meam.*
D 9. *Veniat illi laqueus quẽ ignorat:* & captio quã abscondit apprehẽdat eũ:* & in laqueum cadat in idipsum.*
10. *Anima autem mea exultabit in domino:*
** & delectabitur super salutari suo.*
11. *Omnia ossa mea dicent: domine, quis similis tibi?*
12. *Eripiens inopẽ de*

EAc pro me domine iudiciũ aduersus eos qui mihi quęrunt nocumenta inferre: eosq; propter suam iniquitatem, secundum iustitiam tuam condẽna: vt quod quęrunt,adimplere non valeãt:* pugna pro me aduersus illos, qui me suis persequutionibus & tentationibus impugnant. 2. Quasi vir pugnator exhibe te mihi,& in pugnam mihi te prepara,quomodo facere solent homines qui ad pugnã sese accingentes arma arripiunt,quibus hostem feriant, & scutũ quo se ab hostium ictibus defendant:* sic (inquam) paratus ad prælium, adueni mihi in adiutorium contra aduersarios meos: qui vt me sunt longe potẽtiores,ita tua potentia multo sunt inferiores. 3. Insuper (vt humano more amplius tibi loquar Domine Deus meus (euagina, & velut extra vaginã effunde gladiũ vltionis tuæ,quem donec dissimulas,donec differs facere iudicium,quasi conclusum intra vaginam seruare videris: & conclude,atque obsidionem pone per circũitum contra eos qui persequuntur me,vt non valeant tuum iudiciũ & tuas manus effugere:* mihi verò interius in spiritu loquẽs, testificare de salute,quod eam tu mihi sis certò præstiturus,quòd videlicet non sim hostium impugnationibus deuincendus,sed tua protectione semper securus ac saluus sim futurus. 4. Illi autem qui animã meam quærebant diripere,qui perdere laborabant vitã meam,& ad mortem me pertrahere,cõfusionem accipiãt,& erubescentia atque pudore impleantur, cum se viderint suo proposito per tuã protectionem fraudatos. 5. Cogantur tua protectione retrorsum reuerti, id est, à cœpto cordis sui proposito desistere,impediti nimirum obstaculo potentiæ & voluntatis tuę: & confundantur,perficere non valentes conceptũ desideriũ, omnes qui cogitabant cõtra me mala,qui consilia faciebãt,& in corde versabant,quomodo mihi mala irrogarent. 6. Fiant huiusmodi,te dissipante eorum conatus quasi puluis terræ aridus ante conspectum venti: vt quemadmodum ob venti impetum nullã habet puluis soliditatem,neque continuitatẽ,sed rapitur atque dispergitur à vento quocunque ille proiecerit: ita tu per vim potentiæ tuæ dissipes & dispergas eos,vt non valeãt quod desiderant: * & angelus tuus, domine,ad auxilium mihi destinatus,sit coartans,persequens, impellens, atq; ad fugam compellens eos,vt cogãtur cœpta relinquere & proposita nequeant perficere. 7. Viæ illorum fiãt obscuræ & tenebricosæ, vt non videant quo vadant: fiãt etiã lubricæ, vt non valeant cõmode per eas ambulare,vel effugere:* & sit angelus tuus domine persequẽs eos,eosque in fugam compellens,ad faciẽdum pro me vindictam & iudiciũ. 8. Sine causa namque,& præter meum omne meritum,in abscondito posuerunt mihi laqueum perditionis, & insidias mortis, per quas me quærebant in perditionem concludere,& morte illaqueare:* sine causa & absque meo omni demerito, opprobrio affecerunt animã meã, loquutique sunt mala contra eam. 9. Veniat illis (quicunque tandem fuerint qui mihi sine causa mala quærunt)laqueus inspiratus, & malum inexpectatũ,quod ipsi mihi meditabãtur: * aut laqueus damnationis æternæ (qui est laqueus inextricabilis) quem modo ignorant, quem nunc non attendunt,qui mala meditãtur cõtra proximos suos: * & rete illud siue laqueus ille ad captionem meã ab illis paratus, quẽ illi in occulto posuerant ad me illaqueandũ, comprehendat eos, ita vt ipsimet qui alijs insidias posuerant, incidãt in laqueũ in laqueum (inquã)ipsum eundem quẽ innocentibus alijs parauerant. Ita enim habet vltio Diuinæ iustitiæ,vt eos qui proximis suis machinãtur mala, & mortẽ meditantur dãnationis æternę,indissolubilibus nexibus inuoluat. 10. Anima autẽ mea Diuino iudicio liberata,vel de liberatione secura,magnifice gaudebit in domino Deo saluatore suo:* & iucũ dabitur de salute sua,quã illi Diuina præstitit benignitas,aut in saluatore suo qui sibi salutẽ præstitit,& ab inimicis liberationẽ. 11. Tãta autem erit exultatio animę meę,vt ex omnibus,viribus te collaudet,ita vt omnes vires quæ in ea & ab ea sunt (quę sunt veluti ossa in corpore)tanquã gestientes cõfessionẽ laudis persoluere,dicãt tibi & cõfiteantur q; nemo sit alius similis tibi,sic omnimodis magnus,sic potens,sic sapiẽs,sic bonꝰ ad saluãdũ humiles. 12. Tu es enim qui liberas eos,qui-

manu fortiorum eius:
**egenū & pauperem à diripientibus eum.*
13. Surgētes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.
14. Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.*

15. Ego autem, cū mihi molesti essent, induebar cilicio.

16. Humiliabā in ieiunio animam meā: & oratio mea in sinu meo conuertetur.*

17. Quasi proximū & quasi fratrem nostrum sic complacebā: quasi lugens & contristatus, sic humiliabar.*

18. Et aduersū me lætati sunt, & cōuenerūt:
**congregata sunt super me flagella, et ignoraui.*

19. Discpati sunt nec cōpuncti: tentauerunt me, subsannauerūt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.*
20. Domine quando respicies: restitue animā meam à malignitate eorum:* à leonibus vnicā meam.*

21. Confitebor tibi in Ecclesia magna: in populo graui laudabo te.*

bus deest humanum auxilium de potentia & violenta manu potentū E
seculi, qui ipsis sunt diuitijs, dignitate, & autoritate potentiores:* qui liberas egenos & pauperes supplices tuos, tibique deuotos, à violetia iniquorum qui eos per vim quærunt opprimere. 13. Volo autem ego ad laudem tuā, meæ oppressionis & persequutionis exponere grauitatem. Ecce consurgentes aduersum me falsi testes, obijciebant mihi, & proponebant quasi reo ea de quibus mihi secundum veritatē minime eram conscius, & à quibus me conscientia & veritas nouit alienissimum: de illis me accusabam, quæ ego nunquā me vel dixisse vel feciſſe cognoueram. 14. Pro bonis quę ego illis impenderā, & impendere non desinebā, reddebant mihi mala, afflictiones & persequutiones grauissimas, quas ab illis sustinui:* ad sterilitatē animæ meæ, ita vt quasi sterilem facerent animam meam, cui præ nimia molestia nihil agere libebat eorū quæ vellet: quemadmodum accidere solet ijs qui nimiis premuntur molestijs, vt quasi steriles & semimortui videātur, dum eis nihil agere libet, vel licet eorum quæ vellent. 15. Ego verò, cū F
illi sic mihi multis modis essent molesti, non me conuerti ad reddendum malum pro malo, aut vt pro meipso vindictam facerē: sed magis ad pœnitentiæ lamenta, & ad humilitatis insignia, vt sic humiliat* & pœnitens tibi cōmendarem causam animæ meæ, simul & pro illis te deprecarer: itaq; ego ad humilitatis & pœnitentię protestationem, operiebā meipsum cilicio vel sacco, quæ sunt operimenta apta pœnitentibus. 16. Humiliabam quoque & affligebam coram te animā meā in ieiunio, quod ipsum etiam pœnitentibus & sese humiliantibus cōuenit: sicq; in hac humilitate tam pro meis quā pro illorum peccatis orabam:* & oratio mea quam pro illis effudi, licet in illis propter impedimentū obstinati cordis eorum non proficeret, non frustra tamen effusa fuit: quia ad me reuertebatur, & ad memetipsum ac meos redibat copiose fructus ipsius. 17. Tanquā ad amicos, & amicitia singulari velut proximos, imò tanquam erga fratres meos, sic placide, mansuete, & benigne in omni gratia conuersabar ad illos, quantum in me erat, cum illis pacem & charitatem quærens & tenens, sicq; meā erga G
illos conuersationem instituens, vt laborarem eis tanquam amicis & fratribus meis cōplacere, si quo modo potuissent emolliri, & ne quo modo ego illis causam præstarem mali odij:* & pro illorum obstinatione atque consummata malitia sic humiliabar & affligebar, quēadmodū solent qui luctū habēt & degūt in tristitia. Quia enim charitas faciebat aliena mala quasi propria reputari, non poteram non contristari & lugere super iniustorū insanabili peruersitate. 18. Ipsi verò ecōtrario in malis meis cōtra me gaudebāt, quū mihi mali aliquid vidissent accidere, imò cōuenerunt ipsi pariter aduersum me vt tractarent quo modo mihi mala inferrent:* sicque per illorum conciliabula iniqua, accumulata sunt super me mala plurima, cum ego ignorarē causam tantorū malorum, & nullius omnino rei mihi cōscius essem, ob quam ita contra me impie & crudeliter agerēt. 19. Dissipati sunt, atq; in diuersa suis cogitationibus distracti, quærentes varia cōsilia & modos diuersos, quibus me affligerent: & his omnibus nō sunt cōpuncti H
corde, neque vlla miseratione cōmoti super innocētia mea, sed absque omni misericordia & cōpunctione pergebant nouā contra me excogitare malitiā:* multis & varijs modis vexauerunt me, irrisionibusq; & illusionibus varijs contumeliam magnam & multiplicem intulerūt mihi insuper & fremuerunt contra me, frēdueruntque dentibus suis prę indignatione nimia, veluti dolentes quod non possent omnē suam malitiam & crudelitatem sufficienter effundere, veluti maiora ac plura adhuc irrogare cupientes. 20. Tu verò domine Deus, cui cōmendaui causam meam, in quo tota mihi spes reposita est, respice tandem oculo misericordiæ tuæ ad me seruum tuum, & mea hæc omnia mala, quæ sine causa patior ab iniquis:* & animam meam, quæ nunc tantis affligitur malis, in libertatem constitue, & eripe à peruersitate illorum:* ab illis (inquam) persequutoribus meis, in modū leonum ferocissimis, animam meam (quæ vt vnica est mihi charissima) restitue in libertatem, & salua, vt ab illis non rapiatur in mortē. 21. Pro gratiarum actione ego tibi confessionis laudem persoluam, in multitudine magna & copiosa fidelium atque sanctorū tuorum, in conspectu omnis Ecclesiæ sanctæ tuæ:* in populo multo & magno valde ego laudabo

A
22. Non supergaudeāt mihi qui aduersantur mihi inique: qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.*
23. Quoniā mihi quidē pacifice loquebantur:
**& in iracūdia terræ, loquētes dolos cogitabāt.*
B *24. Et dilatauerunt super me os suum:* dixerunt euge euge, viderūt oculi nostri.*
25. Vidisti domine ne fileas: domine ne discedas à me.*
26. Exurge, & intēde iudicio meo: & Deus meus & dominus meus in causam meam.*
C *27. Iudica me secundū iustitiam tuā, domine Deus meus:* & non supergaudeant mihi.*
28. Nō dicāt in cordibus suis, euge euge, animæ nostræ: nec dicāt, deuorabimus eum.*
29. Erubescāt & reuereantur simul qui gratulantur malis meis.
D *30 Induātur cōfusione & reuerētia, qui magna loquūtur super me.*
31. Exultent & lætentur qui volunt iustitiā meam: et dicant semper, magnificetur dominus, qui volunt pacem serui eius.*
32. Et lingua mea meditabitur iustitiā tuā:
**tota die laudem tuam.*

dabo te: & coram omnibus fidelibus tuis, quorum futurus est maximus numerus, laudem tibi pro gratiarum actione reddā, cum me ex illorum manibus saluaueris à morte, & in vitam reduxeris. 22. Non patiaris tu Domine, neque permittas fieri, vt gaudeant super me, & de casu atque perditione mea exultent impij illi, qui contra omnem iustitiam & æquitatem innocentem me persequuntur & tribulant:* qui sine causa (cum ego illis nihil nisi bonū ostenderim) me prosequuntur odio, & nihilominus secundum exteriorum signorum iudicium inimicitias dissimulant, & simulant, finguntque amicitiam, oculis mihi & nutibus (vt solent amici amicis) annuentes. 23. Nā mihi hi quidem ore pacem monstrabant, & velut amici loquebantur cum pace & reuerentia, ne prauas eorum machinationes aduerterem:* verum intrinsecus in iracundia terrena & pessima inuidia (quam ipsi ex terrenis affectionibus contra me conceperant) dum mihi loquerentur dolos, & malitias pessimas contra me voluebant in cordibus suis, excogitantes quomodo me in mortem & confusionem pertraherent. 24. Et cum ego in malum aliquod venissem, aut aduersi aliquid mihi contigisset, aperiebant illi in latitudine os suum contra me, ad exprobrandum & illudendum mihi:* resolutique in cachinum, ad se inuicem contra me dixerunt in magna lætitia, euge euge, iam tandem viderunt oculi nostri quod tamdiu desiderauimus, iam oculis nostris vidimus impletum, vel ex parte aliqua cordis nostri desiderium: sic inuicem se ad congratulationem de meis malis excitātes, & meæ miseriæ insultantes. 25. Non te ista latent Domine, qui vides, & nosti omnia: ac proinde oro, vt motus misericordia non dissimules, neque cesses auxiliari mihi:* Domine Deus ne clonges teipsum à me per subtractionem auxilij & defensionis tuæ. Nam si tu vel paululum absceſſeris, facillime illi dominabuntur mihi. 26. Exurge Domine, & quasi de somno excitatus euigila, sisque artentus ad faciendum & exequendum pro me iudicium contra illos persequutores meos:* tu (inquam) qui es Dominus meus & Deus meus, exurge, & intende ad discernendam & iudicandam causam meam, quam tibi commendaui, neque vltra differas iudicium. Tempus est enim, vt illorum malitia confundatur, & serui tui patientia remunerationem accipiat. 27. Fac pro me iudicium, & causam meam iudica contra aduersarios meos, secundum iustitiam & æquitatem tuam: cuius est innocentes liberare, & condemnare noxios:* & non permittas, vt illi de me lætentur, neque patiaris illos sui voti compotes fieri. 28. Non sinas eò rem meam deuenire, vt gaudentes de mea perditione, dicant intra se, lætitia & exultatio sit animæ nostræ: non sinas (inquam) ita illos sefectu potiri possent:* neque eò rem deuenire patiaris, vt vere dicere posint, Iam prorsus deuorabimus & absorbebimus eum, iam illum in mortem & perditionem præcipitabimus. 29. Quin potius confusio & erubescentia illis veniat pariter omnibus, quicunque gratulantur & gaudent de malis meis, aut concupiscunt meam perditionem. 30. Confusione & erubescentia inuoluantur, & velut operiantur, quicunque contra me in malum mugna & superba loquuti sunt, quicunque in superbia aduersum me præsumptuose egerunt. Confundantur (inquam) videntes tuo auxilio omnia ipsorum contra me consilia esse irrita, & per te malum quod mihi fuerant machinati, esse à me depulsum, & in ipsos potius autores retortum. 31. Illi verò quibus beneplacitum est in iustitia mea, & qui amant innocentiam meam, eamque illæsam cupiunt, & saluam ab iniustis persequutoribus, fac tu Domine, vt exultent & lætentur, congaudentes saluti meæ:* & illi qui desiderant & optant pacem atque salutem meam, cum te viderint secundum iustitiam tuam liberasse meam innocentiam, laudem tibi reddentes, dicant semper, glorificetur Dominus, & benedicant nomini sancto tuo propter misericordiam mihi exhibitam. 32. Sed & lingua mea de gratiarum actione solicita, ex corde meditabundo eloquetur, & laudabit admirabilem iustitiam tuam:* & laudem tuam iugiter omni tempore personare conabitur, neque deficiet laus tua de ore meo in æternum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXIIII.

VErsu 1.2.&3. Iud. dom. noc. me. Clarum est in his versibus, ex spiritus abundantia, & velut fiden
ti ac libera familiaritate ad Deum humano more dirigi sermonem: id quod & in alijs pluribus
Exod. 15. locis, maxime in Psalmo, subinde solet occurrere. Consonat autem hæc descriptio bellica satis cum
eo quod in Cantico Moysi dicitur: Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius, Viri e-
nim pugnatoris est, cum prælium fuerit ineundum, ad inuasionem hostium arma apprehendere, ad
propriam verò protectionem clypeum assumere, gladium euaginare, & hostem circuncingere, sicq;
cum expugnare atque deuincere. Quod autem in 2. parte tertij versus dicitur, Die animę meæ, salus
Psal. 84. tua ego sum: illi vtcunque consentit, quod in alio Psalmo ait, Audiam quid loquatur in me dominus
Psal. 50. Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Et alibi, Auditui meo dabis gaudium & lętitiam.
Psal. 142. Rursum alio in loco, Auditam fac mihi mane misericordiam tuam. Tunc enim dicit animæ nostræ
Psal. 34. Deus, Salus tua ego sum: cum eam interius consolando, & timorem hostium repellendo, de libera-
tione & salute securam reddit, & de victoria facit benesperantem. Ac tunc sane loquitur dominus
pacem in nobis, tunc datur auditui nostro interiori gaudium, tunc audita fit nobis Dei misericor-
dia. ¶ Versu 5. Auertantur retrorsum & confundantur. Auerti retrorsum dicuntur ex communi lo-
quendi consuetudine, qui impediuntur quoquo modo ab impletione operis quod proposuerāt aut
cœperant. Orat ergo vir iustus, vt ij qui aduersus se mala excogitant, auertantur retrorsum, id est, vt F
progredi non possint, neque perficere quod vel cogitarant vel cœperant. Hanc autem auersionem
vel prohibitionem in malis (qui Deo cedere nesciunt) euestigio subsequitur confusio & erubescen
tia, eo quod in effectum suas cogitationes perducere sint prohibiti. Nam in viris bonis, etiam si in
te qualibet prohiberi eos Diuina dispositione contingat (quemadmodum in Apostolicis actibus
Actu. 16. Paulo factum legimus, cum in Bithyniā proficisci proponens, prohiberetur à spiritu Iesu) non sub-
sequitur tamen confusio neque deturbatio. Norunt enim Diuinæ dispensationi cedere, & subie-
ctam illi semper suam voluntatem tenentes, non confunduntur, cum illa aliud disposuerit: sed gau-
dent magis, sua voluntate frustrata superiorem illam, quæ omnibus est præparanda, impleri. ¶ Ver-
su 7. Fiant viæ illorum tenebræ. Tria simul mala coniungit, quę deuictis & fugientibus de prælio (sic
enim iam initio Psalmi loqui cœpit Propheta more pugnantium) valde sunt incommoda. Primum
enim incommodum est, si viam habeant tenebrosam, vt non videant quo fugiant. Facile enim tunc
vel in foueas, vel in alia loca periculosa incidunt, aut hostibus etiam nescientes fiunt obuij. Quod si
etiam lubrica est via, geminum malum est: Si verò & persequutor velox subsequatur, qui vrgeat fu-
gientem, & talis persequutor qui agilitate & fortitudine superat fugientem (cuiusmodi est angelus
domini, comparatione ad humanam virtutem) vix effugibile malum est. Videntur autem ista potis- G
simum ad corporalem confusionem & fugam referri, tametsi valeant & secundum spiritualem sen-
tentiam mystice intelligi. ¶ Versu 9: Veniat illi laqueus quem ignorat. Notandum, quod hæc simul
cum præcedentibus quæ per modum imprecandi ponuntur, recte in Christi persequutoribus im-
pleta videntur, Pugnauit enim pro ipso aduocatus omnipotens pater eius, & saluum fecit à morte,
die tertia ad vitam eum resuscitando. Illi verò confusi sunt & impediti ab impletione cogitationum
suarum, quibus Christum cogitabant morti tradere, & eius gloriam (etiā post resurrectionem co-
gnitam) obscurare: facti sunt quasi puluis, dispersi in omnes partes mundi ex vltione Dei, quæ per
angelos administratur: in tenebris ambulant, & lubrica est via eorum (qua secundum legis literam
currunt) nihil habens solidum, in quo pedem valeant figere: & Diuina vltio vsque ad tempus consti-
tutum consummationis sæculi, quasi subsequitur & coangustat illos: denique laqueus mortis & dā-
nationis, quem Christo tetenderant, apprehendit eos, dum iam propter incredulitatem captiui te-
nentur, & temporali & diabolica captiuitate, post hoc sæculum infœlicius æternæ mortis vinculis
illaqueandi. Ipse verò Christus dominus, & in se, & in membris suis delectatur in domino, & plenæ
laudis ei reddit confessionem. Sed & quæ sequuntur de iniquis testibus. Christo apertissime ex E-
uangelica historia conueniunt, & quòd mala ei pro bonis impij retribuant. Personę quoque Dauid H
1. Re. 24. hæc omnia non incommode applicari facile videt, quisquis historiam libri Regum memoria reti-
net. Neque enim semel pro illo Deus, aut angelus eius pugnasse legitur, hostesque in fugam vertisse
per vias tenebrosas, & pluuia ac grandine lubricas factas, persequente eos ad hęc angelo domini no
uis terroribus, & laqueum mortis, quem innocenti Dauidi tanto studio tetenderat Saul iniquus,
quomodo idem ipse tandē susceperit, inque eodem perierit, manifeste docet prætata historia. Quæ
vero de iniquis testibus dicuntur, intelligi possunt de his qui apud Saulem falso accusabant Dauid,
in ijs in quibus reuera erat innoxius. Fuisse enim eiusmodi aliquot, qui apud Saulem falso detrahe-
bant Dauidi, ipsius verba satis dilucidè monstrant, quæ post Saulem egressum è spelunca, abscissa
chlamydis ipsius ora, clamauit dicens, Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit ma
lum, aduersum te? ¶ Versu 13. Quæ ignorabam, interrogabant me. Attende nouam acceptionem ver
bi interrogare, quod hic ponitur pro obijcere. Alioqui, testes non proprie interrogant quærendo
sed asserunt potius testificando. Dicuntur autem testes hic interrogare, forsitan propterea quod si-
cut is qui interrogat responsionem expectat ab eo quem interrogat: ita testes dum suam accusatio-
nem proponunt, velut responsionem expectant eius aduersus quem obijciunt, vt vel consentiat, vel
abneget accusatus. Vnde cum de saluatore nostro falsi testes dixissent, Hunc audiuimus dicentem,
Matt. 26. &c. statim adiunxit princeps sacerdotum. Nihil respondes ad ea quæ isti testificantur aduersum te?
Marci 14. ¶ Versu decimoquarto, Retribuebant mihi mala pro bonis. Cum Psalmus iste Christo domino ac-
Matt. 26. commodabitur, sterilitas hæc animæ referri commode poterit ad illum statum in quo erat, cum immi-
nente iam passione pauere inciperet & tædere, contristari & mæstus esse: cum factus in agonia, Lucæ. 22.
sanguinis guttas sudaret. Aut intelligatur sterilitas ista animæ, cessatio ipsius ab opere, ad quod mis
sus fuerat. Constat enim frequenter Iudæos sua ingratitudine (dum mala pro bonis nimis ingrate &
improbe redderent (Christum ab opere prædicationis & sanationis cessare fecisse, ita vt aliquando
lateret, cedendū putans malitiæ, & illorum insaniæ locum dare volens. Ac tunc velut sterilis videba-
tur anima & vita eius, cum tamen secundum veritatem nullo vnquam momento apud patrem esset
nobis sterilis, tametsi foris videretur sterilis, cum nihil exterioris operis ageret. ¶ Versu 15. Indue-
bar cilicio. Quæ hic dicuntur de cilicio & de ieiunio, non certo videntur ad literam in scriptura vs-
quam vel de Christo, vel de Dauid legi: quod videlicet in persequutione inimicorum ista fecerint.
Vnde possumus per ista simpliciter intelligere humiliationem & afflictionem, qua & Christus domi
nus, & Dauid ipse pro inimicis sese afflixerunt: id quod de vtroque est ex scripturis satis manife-
stum. ¶ Versu 16. Et oratio mea in sinu meo conuertetur. Oratio dicitur in sinum orantis conuerti,
quando pro alijs effusa, & velut foras emissa, in propriam vtilitatem redit eius à quo fusa est. Ex cō-
muni autem loquendi consuetudine hic sermo accipitur. Quod enim in sinu habemus, nondum pe-
rijsse dignoscitur. Et quod in sinum nobis reuertitur, nondum perijt fructus eius. In sinu enim ser-
uabitur. Atque per hunc modum econtrario dicimus, in ventum, vel in aërem abire orationem il-
B lorum, qui nec sibi, nec alijs fructum orando faciunt: quemadmodum sunt superborum & impiorū
inacceptabiles preces. Quæ enim in ventum effunduntur, pereunt. ¶ Versu 17. Quasi prox. & quasi
fra. nost. sic comp. ac deinceps, manifestum ex Euangelica historia, Christo hæc omnia competere.
Manifestissima enim & amicabilissima eius erga omnes conuersatio fuit: & tamen sæuissima fuit
rabies persequutorum eius, tam in cruciatibus & flagellis, quam in irrisionibus & opprobrijs. Sed
& versus 22. manifeste indicat, hunc Psalmum de Christo potissimum intelligi. Nam apud Ioannē Ioan. 15.
legimus Christum sibiipsi huius scripturæ partem applicasse, cum post enarratam Iudæorum ferita
tem conclusit, dicens, Sed vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt
me gratis. Versus quoque mox sequentes, Christo optime quadrant. Pacifice enim Iudæi loqueban
tur Christo, vocantes eum magistrum, præceptorem, & à Deo missum, vt ex diuersis Euangelij locis
claresci: & cætera item quæ sequuntur, ex Euangelica lectione aperte Christo videntur conuenire.
¶ Versu 21. In popu. gra. laud. te. Populus grauis non significat grauitatem morum, quam maturita-
tem possumus nuncupare, vt sit sensus. In populo maturo laudabo te. Tametsi enim hæc sententia
habeat veritatem (liquidem in maturis & bene compositis laudatur Deus, non in ijs qui leues sunt
& incompositis moribus) non videtur tamen ista hoc in loco esse scripturæ huius intelligentia. Sig-
nificat autem grauitas ista potius copiosam multitudinem. Nam & vulgo, sic loquimur, multitudi-
C nem, & magnitudinem admodum copiosam volentes significare. Veluti cum dicimus, Rex cum ex-
ercitu graui inuasit hostes. Congregat imperator aduersum Turcas grauem exercitum. Sic primi li 1. Mach. 1.
bri Machabæorum primo capite de Antiocho dicitur, quòd ingressus est Aegyptum in multitudi-
ne graui, id est, in magna exercitus multitudine. Et Esaię 21. cap. dicitur à facie grauis prælij, pro prę Esaiæ. 21.
lio grandi & magno. Vnde ex Hebræo quidam vertunt, In populo multo. Beatus verò Hierony. In
populo forti: quod ad eandem potest sententiam reduci. Populus autem iste multis, est fidelium po
pulus, qui ex Dei gratia mirum in modum auctus est, & excreuit per vniuersum orbem, in quo sane
populo, per vniuersam Ecclesiam, laudat filius patrem, vt hoc in loco pollicetur. ¶ Versu 23. In ira-
cun. terræ loqu. dolos cogitabant. Iracundia terræ dicitur mala iracundia, qualis erat iracundia per-
sequutorum Christi. Exarserunt enim & indignati sunt contra eum, non secundum Deum, neque
propter Deum (tametsi falso illud suæ impietati prætexerunt) sed secundum carnem & terrenas af-
fectiones: quoniam videlicet veritatem prædicabat, & cælestia annunciabat, vitia autem illorum ar-
guebat, in quibus perstare eligebant. Sed & in illo solemni suo consilio, quod aduersus Christū pon Ioan. 11.
tifices collegerant, quid aiunt? quam proponunt indignationis causam? Si dimittimus eum sic (in-
quiunt) omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Videlicet
manifestum est, iracundiam hanc non nisi terrenam fuisse, quo loquentes dolos aduersus illum co-
D gitabant. ¶ Versu 24. Dilata. sup. me os suum. Dilatare os solent, qui irridentes & exprobant alijs, aut
qui contra aliquem gloriātur. Vnde Anna Samuēlis mater, in Cantico suo dicebat, Dilatatum est os 1. Reg. 2.
meum super inimicos meos, &c. nimirum significare volens, iam se gloriari posse contra suam æmu
lam, & habere iam quod illi respondeat, quæ antè ipsam crebris exprobationibus solita fuerat affli-
gere. Particula autem, euge euge, partim quidem exprobrantis & insultantis esse videtur, quatenus
contra ipsum dirigitur, super quo profertur: partim verò exhortantis ad gaudium, quatenus sibiin-
uicem loquuntur, qui pariter gloriatur aduersus alium. Et similem fere vim habet cum dicitur, vah
vah, quod beatus Hierony. ex Hebræo vertit, pro euge euge. In Hebræo habetur heach heach: quod
est aduerbium gaudendi atque etiam illudendi.

XXXV. PSALMI ARGVMENTVM.

*In profunda meditatione rerum duarum diuersissimarum, id est, humanæ prauitatis & Diuinæ bonitatis, cō-
stitutus Propheta, hunc sequentem Psalmum composuit. In quo primis quatuor versibus, hominum in mali-
tia obstinatorum depingit peruersitatē, qui Dei timore abiecto, dolose agunt corā Deo, tā verbis tā operibus,
ad omnē impietatē faciles semperq; parati. Mox verò in 5. & 6. versibus, quasi ab extremo in extremum aliud
subito trāsiēs, saltu magno, ad diuinæ bonitatis, & omnimodæ perfectionis cōsiderationē trāsilit: misericordiæ
eius*

eius in cælis altitudinem, veritatis ac fidei plenitudinem, iustitiæ firmitatem, & iudiciorum inexhaustã profun E
ditatem considerans. Ac deinde specialius magnificentiam misericordiæ eius prosequitur, per quam etiam in-
fimos, vilißimos peccatores, à sua salute Deus non repellit: sub cuius alis sperant omnes fideles, de cuius dulce-
dine reficiuntur atq; potantur electi, tanquam de fontali origine vitæ & omnis boni. Quam etiam misericor-
diam simul cum vera Dei iustitia prætendi & exhiberi fidelibus postulat, suam meditationẽ concludens: & ne
impedimentum vllum aut obstaculum inueniat operatio Diuinæ misericordiæ, malũ superbiæ deprecatur, per
quod ceciderunt omnes operatores iniquitatis. Facit autem hanc contemplationem admodum iucundam
& delectabilem illa rerum diuersißimarum comparatio (opposita enim sibi inuicem iuxta posita magis eluces-
cunt) dum primũ profunditatem malitiæ hominum obstinatorũ considerat, mox verò ex opposito Dei omnimo-
dam & sublimißimam perfectionem contemplatur: à qua deinde, ordinato progressu, descendit ad considera-
tiones beatitudinis & fœlicitatis bonorum, qui sperant in illa.

TRIGESIMIQVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

1. Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso:
** non est timor Dei ante oculos eius.*
2. Quoniam dolose egit in conspectu eius:
** vt inueniatur iniquitas eius ad odium.*

DIxerunt homines impij in cordibus suis intrà semetipsos, & propositum fecerunt, vt absque remorsu male agãt: sicque ex electione & proposito malæ voluntatis præeligunt iniquitatem virtuti:* nõ habent Deum præ oculis neque timorem eius: atque ita sine fræno, sine retinaculo sese libere dedunt omnibus iniquitatibus, quas cogitauerunt in cordibus suis. 2. Non habere autem illos timorem Dei ante oculos, hinc euidens est, quoniam dolose, nequiter, & duplici corde agunt in conspectu Dei, quasi existiment se posse latere Deũ, vel quasi non sit ipse iniquitatũ iudex & vltor futurus:* ita (inquam) dolose & nequiter agunt, vt inueniatur iniquitas eorum odibilis, detestabilis, & abominabilis Deo, fiantque ipsi propter suam dolosam malitiã Deo prorsus odibiles & abominabiles, & reprobi à cõspectu ipsius. Qui enim ex infirmitate qualibet peccant, sic tamen vt non prorsus timorẽ Dei abijciãt, neq; dolose agunt in cõspectu Dei, in impœnitentia absq; remorsu perseueranda quasi ipsum latere possint, aut eius manus effugere, sed post cõmissum peccatũ ad cor reuertuntur, horum iniquitas nõ omnino inuenitur ante Deum ad odium: neq; ipsi Deo per hoc prorsus odibiles fiunt & reprobi, quemadmodũ illi priores. 3. Verba oris impiorũ illorum quæ loquuntur, plena sunt malitiæ & fraudis: malitiæ quidẽ contra Deũ, fraudes cõtra proximum. Ex abundãtia enim cordis (quod in proposito malitiæ firmatum est & obduratum) os illorum similia loquitur: * neglexerunt, imò contempserunt & recusauerunt intelligere veritatẽ, & ea cognoscere quę ad vitam benigne agendã essent necessaria, à veritate auditum & intelligentiam auertentes, dicẽtes Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. 4. Iniquitatem meditantur in cubilibus, in penetralibus cordis sui: atq; etiã in conclauibus suis, cum fuerint solitarij, nihil aliud reuoluũt, quã quomodo suas iniquitates valeant perficere:* assistunt iuxta omnes vias malas, prompti eas perambulare, ad mala quælibet operando faciles atque parati:* nullã horrescunt impietatem, prompti ad exercendam quamlibet malitiã, vbi primum sese obtulerit occasio. 5. Verum his in sua peruersitate relictis, ad te potentissime domine Deus transeo contẽplandum. Ac primum quidem offert sese mihi immensa tua misericordia, quę tãto mihi est admirabilior, quãto illorum est impietas profundior, quã tu ita benigne sustines, ita toleras patienter. Relucet autem eadẽ hęc misericordia tua, potissimum in cælo, & beatis incolis eius: * veritas autem & fides tua totam replet terram, estq; altissima & excelsa, quasi vsque ad nubes, quoniam tu veritatem & fidem seruas altissimã atq; certissimam omnibus inhabitantibus terram, omnibus verax existẽs, & fidelis in omnibus verbis tuis. 6. Iustitia tua per quam vnicuique reddis secundum opera, & per quã iudicas omnia, ipsa est alta nimis firmaq; stabilissima & immobilis, ad modum montiũ Dei, id est, altissimorũ & immobilium, quã nemo poterit à rectitudine sua in alteram partẽ deflectere:* iudicia autem tua, quibus omnia dispensas, gubernas, & dijudicas, profunda sunt & imperuestigabilia, quę nullus valeat humanus intellectus perscrutando inuenire: quemadmodũ abyssus immensa, cuius profunditas cognosci nõ potest. 7. Tu domine secundum occulta tua consilia atque iudicia saluos facere decreuisti, non solum homines præcipuos, qui secundum legẽ tuam vel scriptam, vel naturalẽ rationabiliter vt homines viuũt, te colẽtes, & tibi operibus bonis sẽcun-

3. Verba oris eius, iniquitas & dolus:
** noluit intelligere vt bene ageret.*
Matt. 12. Lucæ. 6.
4. Iniquitatem meditatus est in cubili suo:
** astitit omni viæ non bonæ: * malitiam autem non odit.*
2. Tim. 4. Iob. 21.
5. Domine in cælo misericordia tua:
** & veritas tua vsque ad nubes.*
Psal. 144.
6. Iustitia tua sicut mõtes Dei:
** iudicia tua abyssus multa.*
7. Homines & iumenta saluabis domine.

A cundum rationem & legem præscriptã seruientes, verumetiã infimos & despectissimos hominum, qui iumenta potius quã homines appellari meruerũt, assimulat per vitã irrationabilẽ iumẽtis irrationabilibus, similesq; facti equis & mulis, in quibus nõ est intellectꝰ, cuiusmodi populꝰ gentium erat idololatrarũ, & peccatorũ omnium carnaliũ, quorum bonã partem à suis vitijs & irrationali vita cõuersam tu saluabis:* & in hoc mirabili opere misericordię tuę, ò bone Deus, quomodo & quãtum magnificasti atque glorificasti sanctã misericordiã tuã. Nã quod etiã nos infimos & sordidissimos peccatores dignatus es vocare & suscipere ad gratiã atq; salutẽ, est hoc profecto maxime & inæstimabilis misericordiæ certum indicium. 8. Atque ob hanc tuã præclaram misericordiam, filij hominum de sua salute soliciti, & tibi seruire cupientes, spem suã cõstituent in protectione tua subq; alas misericordiæ tuę velut ad tutissimũ refugium cõfugient, vt sub eis foueãtur in profectu spiritualium virtutum, & ptegantur ab aduersitate persequentium. Nusquã enim nisi ab his tuis alis tutum est electis refugium. 9. Sub his autem alis tuæ misericordiæ habitãtes, copiosè pascentur atq; reficiẽtur de vbertate, de abundãtia, de pinguedine domꝰ tuæ:* & tu domine potabis eos, atque reficies de limpidissimo illo torrẽte iucunditatis tuæ: in hac quidem præsenti vita, de pinguedine & torrente gratiæ spiritus sancti, qua in Ecclesia sancta reficiuntur, consolantur, & abunde implentur animæ fidelium tuorum: in futura autẽ patria, de illa abundãtissima plenitudine omnis boni, qua satiãtur omnes beati, cum apparuerit illis gloria tua. 10. Nam apud te, siue tecum, est fontalis origo omnis vitæ: eisque ipse tu fontalis vena, à qua omnis vita effluit, & à qua incessanter & indeficienter vitæ profluit atque emanat in omnes in quos volueris, atque ob hoc, potens es voluptatẽ vitę æternę cõmunicare filijs hominum, adhęrẽtibus tibi, qui es vena aquarum viuentium:* in lumine tuo quod in nobis tu infundis, datur nobis videre & cognoscere teipsum, qui es lumen increatum, infinitum, & immensum. Nã & nunc in via, quod te vtcunque cognoscimꝰ per speciem, ex beneficio est tui luminis siue naturalis siue fidei, quod tu vtrunque infundis in nobis: In patria autẽ, cũ te facie ad faciem cõtuebimur, erit in nobis refulgentia gloriæ & claritatis tuæ, quã in nobis recipiemus tanquã in speculo, quando ad imaginẽ tuã transformabimur à claritate vultus tui. 11. Oro autem te domine, cõcludẽs meditationem hãc meã, vt misericordiam tuã extendas ad illos omnes qui in te credunt, qui te per fidẽ cognoscunt & sciunt:* & iustitiam tuam exhibe ac prætende ijs qui sunt tyncerę & bonę volũtatis, è quorũ numero me quoque ex tua gratia vnũ esse cõfido. 12. Ne autẽ vllum mihi misericordię atque iustitiæ tuę eueniat impedimentũ, obsecro domine, vt non patiaris in mentis elationem me incidere, & superbiã in me venire, qua pręceps ferar in malum, & dimouear à rectitudine status mei:* neque permittas, vt peccatorũ potentia atque potestas (siue diaboli, qui peccat ab initio, siue hominum malorum, qui imitãtur illum, & sunt ex parte illius) suis tẽtationibus & persequutionibꝰ, extra veritatis viã me pertrahãt in deuia iniquitatis, & à soliditate virtutis dimouear in instabilitatem peccatis. 13. Neq; verò sine causa est quod mihi metuo. Illic enim (id est, in superbia & per superbiã) ceciderunt omnes operarij iniquitatis: primum quidẽ spiritus magni, qui per superbiam corruerunt à sublimitate conditionis suæ in infima baratri: deinde & oẽs qui peccauerũt in hominibus, quoniã initium oĩs peccati superbia est, & per illã apostatare siue auerti à Deo:* per illã expulsi sunt, & eiecti à suis sedibus (quæ illis præparatæ fuerant, si in superbiã non fuissent elati) & nõ potuerunt perstare in ea gloria, in qua conditi fuerant ab initio postquã venisset illis pes iste superbię qui si illis non venisset, nunquã expulsi fuissent, sed perstitissent vsque in hodiernum diem: & in sæculum sæculi. Atq; hanc ob causam, cupiẽs ego imperpetuum sentire misericordiã tuã, atq; in tua iustitia semper perstare, merito hoc à te omni instantia postulo, vt ab illo pede superbiæ pessimo, & peccatorum manibus, me custodias in sempiternũ, Amẽ.

** quemadmodũ multiplicasti misericordiam tuam Deus.*
8. Filij autem hominũ in tegmine alarũ tuarũ sperabunt.
Psal. 48. Psal. 31.

B
9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ:
** & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*
10. Quoniam apud te est fons vitæ:
Psalm. 16
** & in lumine tuo videbimus lumen.*
Hier. 17.

C
11. Prætende misericordiam tuã scientibus te: * & iustitiam tuam his qui recto sũt corde.*
1. Cor. 13. 2. Cor. 3.
12. Non veniat mihi pes superbiæ: * & manus peccatoris non moueat me.*
Ioan. 8. 1. Ioan. 3.

D
13. Ibi ceciderunt, qui operanturiniquitatem:
** expulsi sunt, nec potuerunt stare.*
Eccle. 10.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXV.

VErsũ primo, Dixit iniustus vt delinquat in semetipso, Iuxta sententiam in Elucidatione explanatã particula, in semetipso, copulari debet cum verbo primo loco posito, ad hunc modũ. Dixit

xit iniustus in semetipso,vt delinquat. Videntur autem hoc enunciandi modo significari illi,qui peccant ex proposito cordis,ex peruersa & obstinata malitia. Nã qui ex infirmitate aut fragilitate peccant (quod est humanum) hi in semetipsis in spiritu,priusquam peccent,dicunt vt bene agant,id est, proponunt bene agere: tametsi obueniente tentatione,iuxta propositum non agant. Atque hi sane, cum vt homines peccent,nõ penitus statim reprobantur à Deo,sed per pœnitentiam redeũtes post peccatum,recipiuntur & saluantur ab eo. Atque huiusmodi ex infirmitate,vel etiam ex ignorantia peccantes,iumenta illa commode intelligi possunt,de quibus fit mentio in versu septimo. Vt enim priorum illorum propter obstinationem insanabile peccatum est,& iccirco sub odio Dei sunt & reprobi: ita horum econtrario propter infirmitatem sanable malum,neque reprobi sunt à conspectu Domini,qui non solos agnoscit innocentes, verumetiam suscipit & saluat peccatores pœnitentes.

Psal. 116. Psalm. 118. ¶ Versũ 3. Cum dicitur, Verba oris impij,iniquitas & dolus,similis modus loquẽdi est, quo alibi de Deo dicitur,quod opus eus sit confessio & magnificentia,id est, magnificum & cõfessione dignũ. Et alio in loco,mandata eius dicuntur veritas & æquitas,id est,vera & æqua. Ita sane & hoc in loco, verba impiorum dicuntur iniquitas & dolus, quoniam iniqua sunt & dolosa,siue fraudulenta,impietate nimirum & fraudulentia plena. In secunda autem parte versus,verbum noluit,accipiatur nõ vt dicat merã negationem,quasi non voluit,sed potius cõtrarietatem,pro recusauit & voluntatem auertit. Nam obstinati illi in impietate sua (de quibus manifestum est hoc loco fieri sermonem) non solum non volunt intelligere quę bona sunt,verumetiam recusant intelligere,& planè sua praua voluntate auertunt intellectum. ¶ Versu 5. Dom. in cælo miser. tua. Ne discriminatim & diuisim istas huius versus partes intelligas,quasi solum in cælo sit Dei misericordia & veritas,solũ vsq; ad nubes.

Actu. 10. Nã & in cælo est veritas,& est in terris vsq; ad nubes misericordia. Illo tamen distincto loquẽdi modo vti voluit Propheta,propterea quod in cęlo specialius relucet dei misericordia, & vbiq; fidẽ & veritatẽ ipse custodit omnibus,vbicunque locorum fuerint,absq; personarũ acceptione: quemadmodum in Apostolicis actibus ait Petrus,In veritate (inquit) comperi,quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente,qui timet Deum,& operatur iustitiam,acceptus est illi. Potest etiã per hanc distinctionem sermonis accipi tantum super excellentia Diuinæ misericordiæ,secundum manifestationem & apparentiam: eo quòd multo maior appareat erga nos Dei misericordia,quam

Psal. 114. Iac. 2. iustitia. Vnde in alio Psalmo dicitur,Miserationes eius super omnia opera eius. Et Iacobus Apostolus in sua Canonica Epistola,Superexaltat (inquit) misericordia iudicium. Hanc autem præcellentiam misericordiæ conuenienter accipimus,in eo quod dicitur,misericordiam esse etiam in cęlo,id est,pertingere vsque in cælum,iustitiam autem vsque ad nubes. Manifestum est enim,nubes sub cælis esse inferiores. Secundum veritatem tamen,& vsque in cælum pertingit iustitia,& illic est: oportetque eam æqualem esse cum misericordia,cum vtraque infinita sit,& æque immensurabilis: cum sint iustitia & misericordia Dei, vnus & idem ipse infinitus Deus & incommensurabilis. ¶ Versu 7. Homines & iumenta saluabis domine. In Elucidatione spiritualiter quæ sint iumenta exposuimus. Non enim incongruum est,neque nouum in scripturis,vocari res illorum nominibus quibus

Esaiæ. 35. Apoc. 5. Ibidem. 1. Cor. 10. Esaiæ. 8. assimilantur secundum aliquam proprietatem: quando & Christus, propter mansuetudinem & tolerantiam passionis,ouis vel agnus: propter fortitudinem atque victoriam,leo: propter firmitatẽ, petra inuenitur appellatus. Ita nihil inconueniens,si homines honorem sibi à Deo datum non intelligentes,ac seipsos iumentis insipientibus assimilantes,iumenta etiam appellentur. Quod autem etiam iumenta huiusmodi velut saluare Dei misericordia,apertissime testatur ipsa vox filii, dicentis in Euangelio,Non veni vocare iustos,sed peccatores ad pœnitentiam. Quid enim hoc est aliud,

Matt. 9. quàm,Non solum homines,verumetiam iumenta veni saluare? Nam publicani & peccatores (de quibus loquebatur dominus) indubie ex his iumentis erant. Verum hinc nemo ansam sumat erroris,nemo aliter quàm oportet ea quæ hîc dicuntur de saluatione iumentorum intelligat: quasi dicere velit Propheta,æquæ omnes à Deo salutem consequuturos,siue bonos siue malos: & tam esse

Matt. 23. Ioan. 5. vniuersalem Dei misericordiam,vt neminem sit repulsura à salute æterna in damnationem. Manifeste enim hoc aduersatur Euãgelicæ doctrinæ,quę bonos in vitã æternã docet ituros in die iudicij, malos verò in æternum ignem. Non ergo illa est sententia Prophetæ,quòd vniuersaliter omnes etiã irrationabiliter & male viuentes sit Deus in salutem æternam admissurus,eos qui in morte & in die iudicij iumenta inuenti fuerint: sed hoc tantum vult sermo propheticus, quòd multos peccatores in suis peccatis sordidos,à peccatis in hac vita saluos facit Deus & mundat: sicque qui erant iumenta,homines facit,atque in salutem æternam perducit. Possent tamen iumenta ista intelligi corporaliter irrationales bestiæ: ac tunc verbum,saluabis,non debet accipi,vt solet in scripturis, pro saluatione iustorum,vel à peccatis,vel in vitam æternam,sed referri ad nutritionem,& sustentationem in sua essentia: Est enim tam magna Dei misericordia,vt non solum hominibus quæ ad vitam sunt necessaria subministret,verumetiam irrationabilibus bestijs,& infimis animalibus,iuxta illud alterius Psalmi,Omnia à te expectant,vt des illis escam in tempore opportuno. Et iterum,Qui dat

Psal. 144. escam omni carni. Verum prior intelligentia magis videtur esse ex mente Psalmographi. ¶ Versu

Psal. 105. eodem,Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Istud legi potest diuisim,secun-

Psal. 135. dum sententiam à priori parte: vt sit admiratio quædam ex consideratione magnæ misericordiæ Dei. Et hanc sententiam in Elucidatione sequuti sumus. Cui etiam consentit beati Hieronymi ex Hebræo translatio,quæ sic habet,Quàm pretiosa est misericordia tua, domine, Ad quem modum concorditer vertunt etiam cæteri ex Hebræo interpretes. Posset tamen iuxta nostram lectionem legi coniunctim cum priore parte, ad hunc sensum, Homines & iumenta saluabis domine. secundum

dum quod,vel iuxta quod multiplicasti seu magnificasti misericordiã tuam: hoc est,secundum multitudinẽ,vel potius secundum magnitudinẽ aut magnificentiam misericordiæ tuæ. ¶ Versu nono, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Illud mirãdum de libertate sanctarum scripturarum, q̃ illis etiam vocabulis quæ apud homines vitium sonãt & fœditatem,in rebus sacratissimis vtitur. Veluti

Psal. 16. cùm hîc inebriari dicuntur sancti ab vbertate domus Dei,& cùm alibi satiãdum se dicit Propheta, apparente gloria domini. Manifestum autẽ est, in huiusmodi sermonibus omnẽ crassitiẽ semoueri debere,nihilq; crassum,corporale aut fœdum oportere intelligere. Inebriatio enim hoc in loco,sicut & illic satietas, non aliud q̃ plenitudinem & perfectam abundantiam significat: quẽadmodum apud homines pleni sunt cibo aut potu absq; defectu,qui satiati sunt aut inebriati. Potest verò ista vbertas domus Dei,vel ad Ecclesiam militãtem,vel ad triumphantẽ referri,quemadmodũ & sequẽs particula de torrẽte voluptatis: quãuis magis videatur de Ecclesia triumphãte sermo haberi. Quòd autẽ torrens voluptatis dicitur quo potantur sancti, satis illi consonat quod apud Ioannem de aqua

Ioan. 4. spiritualis gratiæ dicitur, Omnis qui biberit ex aqua hac, fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitã æternam. Non enim est aqua hæc stagnalis,sed impetu perpetuo illuc recurrit vnde egreditur: iuxta

Eccle. 1. illud, Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur. Quemadmodum enim aqua spiritualis gratiæ à throno procedit omnipotentis,ita ad eundem magno impetu redire semper festinat,secum rapiens

B cor humanum,& cogitationes atq; affectus illius: quemadmodum fluxus aquarum torrentis secũ rapit folia,arenam,lapillos atque alia quælibet,quæ forsitan fuerint immixta. Sed & in Canticis de his

Cant. 4. aquis dicitur, & impetu fluunt de Libano, quod sanè ad torrentem spectat. Et quoniã nõ dedignantur sacræ literæ in rebus tam maximis,tam vilissimis vti vocabulis, illam æternæ beatitudinis sufficientiã ebrietas & satietatis,appellationibus significantes,age & nos aliquantulum illam qualis & quãta sit futura,ex horum consuetudine cõsideremus, & quãto seruis Dei sua sit ebrietas & satietas futura suauior, q̃ huius sęculi ebriosis aut voratoribus,paululũ degustemus, siue potius delibemus. Primum quidem,illud sibi in magnã felicitatis partem reputant voratores & ebriosi huius sęculi,si plurimum valeãt ingurgitare: & cùm ingurgitauerint plurima,si non inde grauamen aut nocumentum persentiant: optarentque,si fieri posset,perpetuo ingurgitare,& nunquam cibum ori abesse,potumq; nunquã deesse gutturi,si capacitas ventris ita permitteret. Hinc & esurię vehementer amant & sitim. Imò si forte hæc non adsint pro voto,mille modis sibi procurant vorandi aut potandi appetitum: nõ certè vt esuriant aut sitiant,sed vt cibum ori, aut potum gutturi cum delectione immittere valeant. Dolent quoq; & cõqueruntur,nõ maiorem sibi ad edẽdum & bibẽdum esse appetitum. Deinde & illud eorum fœlicitatem perficit,si tam sint abundãtes, vt quantumcunque ingurgitent, sciant nunquã sese defectum passuros. Alioqui non admodũ magnam adferret voluptatẽ hodie ine-

C briari aut satiari,cras verò penuriã pati. Est autem his cõsiderationibus sanctorum in patria admodum beata futura satietas atque ebrietas. Semper enim mẽsæ illi beatissimę in æternitate assidebũt, nunquã imperpetuũ recedent à cõuiuio illo delitiosissimo, ad quod semel si fuerint admissi,conuiuio opulentissimo,vbi omniũ rerum indeficiens est copia, vbi nihil non erit eorum quæ desiderari possunt,& tãtum erit quantum desiderari potest: vbi perpetuo comedentes mel dulcissimum,& vinum electissimum mulsumque amabilissimum perpetuo bibentes, nullum vnquã grauamen sustinebunt,nullã sentient aut repletionis aut tædij aut nauseæ molestiã. Neq; metus nobis esse poterit, ne deficiat aliquando in quo reficiamur, mel videlicet ab ore, aut vinum à gutture. Erit enim illic omnis boni indeficientia. At verò seculi voratores ac ebriosi, nõ perpetuo inijcere possunt vel cibũ vel potum: sed cessare aliquãdo eos oportet à sua delectatione,eamq; intermittere. Neq; enim perpetuo comedere valent,vel perpetuo potare. Et quidẽ cùm multũ biberint, infirmantur, & magno dolore nonnunquã torquentur: subinde etiam cum amaritudine euomere compulsi,quæ cum modica delectatione fuerant ingurgitata: & cùm in conuiuio aut cõpotatione ad diem sederint,fatigati coguntur recedere,& somno sese dare: rationeq; ita destituuntur,& eius vsu priuãtur vt neq; proximos sibi,neq; etiã seipsos cognoscãt: cùm beati illi semper comedentes,semperque bibentes,absque omni intermissione,nullo inde vel minimo incõmodo afficiãtur: ita vt post mille annorũ mi-

D lia tam recens & tam plena sit illis futura suę ebrietatis atq; satietatis voluptas,quã primo ipso momento,quo ad ea perfruendũ fuerãt admissi. Et licet semper ebrij,semperq; saturi sint futuri, nunquam tamen impedientur à perfecta cognitione,imò visione aperta Dei,& rerum omnium in eo cõtemplatione. Denique illud expende, quam beatum se putaret ebriosus quispiam,si illi liceret iuxta vas maximum & indeficiens optimo liquore plenum perpetuò adiacere, absque nocumento, semperque ex vasis plenitudine in guttur suum liquor optimus copiose influeret, ipse verò nullũ inde grauamen,nullam molestiã,nullã torquentẽ sentiret repletionẽ. Talis profecto erit beatorũ ebrietas,& infinito quã cogitari possit admirabilior. Hæc de sanctorũ beata fœlicitate,ex vilissima secularium ebrietate,nos quidem prolixius forsitã quã necesse erat deduximus. Te tamẽ quicunq; huic annotationi lector obtigeris,putamus recte facturum si in istis ruminandis etiã longius diutiusque demoreris: vt vel ex parte aliqua,quantum ex humanis rebus possunt capi cælestia, discas, quæ te

Psal. 129. maneant in futuro beata præmia. ¶ Versu decimo, Quoniã apud te est fons vitæ. Apud Deum esse fontẽ vitæ,idem est acsi dicatur,ipse est fons vitæ, quemadmodũ & alibi, Apud dominũ est misericordia,cùm ipse sit misericordia. Quod autem de lumine dicitur, In lumine tuo videbimus lumen: præter eam quæ in Elucidatione ponitur intelligentiã,potest etiam ita accipi,vt sit sensus, Teipsum, in teipso videbimus te,qui lumen es. videbimus in tuo lumine. in teipso, qui es lumen,aut in tua illuminatione. Te enim nos illuminante,ad tui cognitionẽ perfectã, tunc te videbimus. Sed & altiori

adhuc cōtemplatione, ad patriā & filiū distincte ista referre possumus. Est enim filius lumen, est lu- E
men & pater lux: quia de lumine quod est pater, procedit lumen quod est filius (nimirū lumen de lu
Matt.11. mine) iccirco lætatione filius dici potest lumen patris. In tuo ergo cōsubstantiali lumine te videbi-
Luc.10. mus, ô pater ingenite, ô lumē beatissimum, in tuo coæterno filio te videbimus, æternū patrem lumi-
Hebr.1. num. Nemo enim nouit te patrē, nisi tuus filius, & cui voluerit ille reuelare. Insuper & splendor est
glorie, imago quoq;, figura, & character substātiæ tuæ. Manifestum est autē, in imagine illud videri
cuius est imago: potissimum in tali imagine, q; eandem habeat cum eo, cuius est imago, substantiā.

XXXVI. PSALMI ARGVMENTVM.

*Psalmus iste (vt alij nonnulli) secundum alphabeti Hebraici literas contextus est, hac ratione, vt quælibet litera geminos complectatur versus: ita vt primus versus, Noli æmulari, incipiat à litera Aleph: tertius, Spera in domino, à Beth: quintus, Reuera domino à Duleth, atque, ita deinceps. Tractat autem totus ferè hic Psalmus discretionem malorum (qui plerūque florent temporaliter, sed cōdemnabuntur æternaliter) & bonorum, qui nunc quidem despecti sunt plerunque & egētes in hoc tēpore, sed in venturo sæculo æternæ fœlicitatis sunt hæreditate ditandi. Estq; Psalmus vehementer consolatorius iustis, & impijs terribilis: quem quisquis legit, & sic legit vt intelligat, mirum, si temporalē prosperitatē, non dico, nō appetat, nō dico, pro nihilo ducat, sed etiamsi non adhorreat quodāmodo & abommetur: huius verò temporis egestatē, paupertatē, & F
patientiam, mirum, non solum si non ferat, sed etiā si nō desideret potius, & gaudēter amplexari quærat. Tanta ferè per vniuersum hunc Psalmum dicuntur, & iterū iterumq; replicātur de cōmutatione admirabili temporalis fœlicitatis in æternam miseriam, & tēporalis miseriæ in æternā fœlicitatem. Suntq; hæc eo magis terribilia, q; per omnia eis subscribat, eaq; cōfirmet Euāgelicus sermo. Quid enim aliud sibi vult, q; saluator noster tonat in Euāgelijs. Væ vobis diuitibus, qui habetis cōsolationem vestrā. Væ vobis qui saturati estis, quo-
Luc.6. niā esurietis. Væ vobis qui ridetis nūc, quia lugebitis & flebitis, Væ cùm benedixerint vobis omnes homines,
Luc. 16. & c. Iterum quid aliud sibi vult Euāgelica parabola pauperis Lazari & diuitis epulonis? Quid sibi vult ille
Ibidem. Abrahæ ad diuitē sermo, Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autē
hic cōsolatur, tu verò cruciaris. Deniq; & illud quod Esaias multo ante prædixerat, Ecce serui mei comedent
Esaiæ 65. & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce
serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ cōtritione spiritus
vlulabitis, nunquid aliam spectat sententiā, quàm eam quàm totus hic Psalmus clamat, & iterum iterumq; inge
minat? Proinde attente admodū hic Psalmus legēdus est, ijs potißimum ad consolationē, qui tēporali egestate
affliguntur. Sed & illis ad salutarem timorē non minus intime legendus atque intelligendus est, qui sibi vident
sæculi pompas, omnium rerum abundantiā, & temporales omnes prosperitates vndiquaq; affluere: Quoniam
autē totus penè Psalmus continuato nexu super his atque huiusmodi contextus est, speciali alio vel argumēto G
vel epitome mihi videtur non indigere. Nam attento seipsam clare satis monstrabit consequutio versuum.
Proinde, pro argumento hæc à nobis dicta sint satis. Tu verò nunc prophetæ attende beatis sermonibus, vt
consolationem spiritus aut salutarem cordis timorem, vitæq; institutionem inde percipias.*

TRIGESIMISEXTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris faciētes iniquitatem.*

2 *Quoniam tanquā fœnum velociter arescēt.*

* *& quemadmodum olera herbarum cito decident.*

Iacob.1. 3 *Spera in domino: &*
1.Petri 5. *fac bonitatem:*

NOli, quisquis iustitiā diligis, æmulationem tuā apponere ad malignantes, neq; zelum tuū apponas ad operarios iniquitatis: noli indignari, noli conturbari, si in hoc mundo eos videas temporali prosperitate, & omniū rerum bono successu florentes, noli illis inuidere temporalem suam fœlicitatem, neq; commouearis intra temetipsum, vt illos imitari aliquando velis, dicens cū impijs in corde tuo: Ex quo cœpi seruire domino, apprehēderunt me multa mala: volo proinde similis fieri peccatoribus, vt possim cum illis & ipse temporalibus frui prosperitatibus. Sed neque indignatione mouearis, vel contra ipsos impios florētes, vel contra do- H
minum ita res humanas dispensantem. Ne (inquā) hisce modis, æmulatione aut zelo in illorum prosperitatibus cōmouearis. 2. Verè enim nō nisi vanitas est illa appparens eorum fœlicitas, neque vllam habet stabilē durationē: sed quēadmodum gramē virēs nō diu suum virorē obtinet, breui exiccandū: ita & ipsi qui nunc virere & florere conspiciuntur, secundū sæculum mundi huius, breui & citius q; quis credat suo priuabuntur virore: * & quēadmodum herbæ latis folijs pulchrè virentes ad tēpus aliquantulum, breui intereunt, dum aut abscinduntur, aut flacceſcunt & arescunt solis defectu, ita illi breui decident ab omni ornatu suo, in quo nūc gloriātur. Quomodo enim exardescēte sole exarescit gramē, & decidit flos eius, ita & diues marcescit in itineribus suis. 3. Tu verò qui iustitiam diligis, noli ad illorum attendere tē
poralem fœlicitatem, neque assimilari cupias illis: sed studiosus esto vt in domino Deo totā spem tuā constituas, inque eū sollicitudinem tuam omnem proiicias: sperans autem in domino, studiosè operare opera illius, & quæ bona cognoueris, ea perficere sedulo contendas:

sic

A * *& inhabita terram & pasceris in diuitijs eius.*

4 *Delectare in domino:*
* *& dabit tibi petitiones cordis tui.*
5 *Reuela domino viā tuam, & spera in eo:*
B
* *& ipse faciet.*

6 *Et educet quasi lumen iustitiam tuam:*
* *& iudicium tuū tanquam meridiem:*
C
* *subditus esto domino, & ora eum.*

7 *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.*
8 *Desine ab ira, & derelinque furorem:*
D * *noli æmulari vt malignēris.*
9 *Quoniam qui malignātur, exterminabuntur: * sustinentes autē dominum, ipsi hæreditabunt terram.*
10 *Et adhuc pusillum & non erit peccator:*

* *quæres locum eius, & non inuenies.*

sic autem in domino sperans, & bonis operibus intentus, inhabita cū Psal. 38.
fiducia (vt peregrinus tamen & aduena (super terram istam, in qua te
dominus posuit, vsque ad tempus translationis tuæ, donec illi erit pla
citum peregrinandi tibi tempus concedere: & copiosè sustētaberis ex
fœcunditate eius & abundantia fructuū, quos ad sufficiētiam produ- Matt.26.
cit omnibus mortalib⁹. Qui enim volucres cæli pascit, ipse etiā te in-
dubie pascet seruientē & fidentē sibi: licet forsitan non ita delicate, vt
impij illi florentes in sęculo inebriantur, satiantur, & delitiātur in vo-
luptatibus suis. 4. Sit tibi studium delectari in domino Deo tuo, ipse
sit tuum gaudium, ipse tuę delitię: vt nunquā in vlla re, nisi in eo, & se-
cundū eū delecteris, & ipse sit omnis tui gaudij oblectationisq; prin- Ioan.15.
cipium, & regula. * & si autē fideliter hoc obseruaueris, quæcunq; pe- Iacob.1.
tieris in nomine ipsius, quæ tibi verè fuerint salutaria atque vtilia da-
buntur tibi ab eo, qui omnibus in fide firma nihil hæsitando petenti- Thob.4.
bus præbet affluenter, & non improperat. 5. Manifestas fac domino
vias tuas, & corā illo aperi cōsilia tua omnia, & actiones tuas illi pro-
pone atq; cōmenda, tanquā optimo, fidelissimo, & securissimo consi-
liario: & ab eo pete, vt vias tuas dirigat atq; cōsilia tua: nihilq; illū cę-
les omnium cōsiliorum tuorū, quin os eius semper interroges, auxi-
liumq; implores: quod cū feceris, esto securus, & fidēter spera in illū:
* ipse enim pro te, rerū sibi commissarum curā sollicitā geret: & ipse
perficiet atque adimplebit pro te, quæ tu ipse per te nunquā proprio
cōsilio vel proprię prudētię innixus potuisses expectare. Est enim ipse
nobis infinitò & potentior, vt valeat, & sapiētior vt sciat, & melior vt
velit perficere quæcūq; nobis sunt ad salutē necessaria: & (quod super
omnia est (cū tata potentia & sapiētia, nostri etiā est q̄ simus nosmet-
ipsi multo amantior: & pro ijs quæ nobis salutaria sunt, ipse nobis est
multo sollicitior. 6. Si verò teipsum ita illi toto corde commēdaueris,
ipse suæ gratiæ cooperatione exurgere & effulgere faciet iustitiā tuā,
id est, omnis virtutis in te perfectionē, quasi lumē præclarum: * & iu-
dicium tuum, id est, rectitudinē & æquitatē tuā faciet exoriri & efful-
gere, quasi lumē meridiei clarissimū: ita vt non solùm tu ipse totus ab
eo illumineris, verumetiā vt luceat lumē perfectionis tuæ corā homi-
nibus, vt videāt bona opera iustitię tuę, & glorificent patrē qui in cæ- Matt.23.
lis est: valeantque & ipsi aliqua ex parte ambulare in lumine tuo, exē- 1.Petri 5.
plum imitātes tuæ iustitiæ, quomodo in lumine meridiano tutò solēt
homines ambulare: * tu verò subde teipsum domino, sub potenti ma-
nu eius te humiliās, patiēterq; ferens quicquid ille immiserit, & quic-
quid de te disposuerit, nihil remurmurans: in humilitate hac tua, in-
stāter eum orans, vt tecum faciat iuxta sanctissimā voluntatē suam in
omnibus, vtque te in bono cōfirmet atque promoueat. 7. Iterum di-
co ac moneo, quisquis iustitiā diligis, ne æmulationem tuā apponas
ad homines impios, qui prosperātur in viis suis malis, in viis huius sę-
culi, aduersum homines, qui per opera iniustitię subleuātur ad florē &
gloriā huius mundi. 8. Caue indigneris aut cōturberis super fœlicita-
te tēporali illorum, & noli cōtra illos sic de causa exacerbari animo,
aut inuidentia stimulari: * noli ad illos sic tuā æmulationē apponere,
vt respectu & intuitu temporarię huius & momētaneæ prosperitatis
teipsum illis velis assimilari ad malefaciendū, quo per fas & nefas (vt
illi faciunt) tibi cōparare possis similia: * Neque ita etiā cōtra illorum
fœlicitatē indigneris, vt propter hoc tu male agas, aut Deū offendas:
quemadmodū nonnulli faciunt, qui dū bonos vident affligi & penu-
riā pati, malos autē abundare & florere, Deum quasi rerum humana-
rum nō bonum dispensatorē, blasphemāt. 9. Noli (inquā) ita contur-
turbari ad male agendum, quoniā omnes male agentes, in perditionē
sempiternā condemnabuntur: * Illi autē qui in humilitate & patientia
dominū expectāt, illius iudicia nō discernentes, in omnibus bene cō-
tenti quęcunque ille disposuerit, illi toto corde fidentes, ipsi sunt qui Apoc. 22.
hæreditate possidebunt terrā viuentium, eāq; inhabitabunt in sem-
piternum, in qua reges etiā sunt futuri. 10. Vis autem cognoscere, cu-
iusmodi sit flos ille prosperitatis impiorū? Ecce paululū iustine, expe-
cta tēpus modicū, & videbis ante oculos tuos, quomodo per mortē
deperdet peccator omnia, ita vt qui prius in impietate sua florere vi-
debatur in maxima gloria, per mortem velociter, & admodū cito ad
non esse deueniat: * adeò vt si quæsieris locum eius, vbinā sit qui ante

11 *Mansueti autem hæreditabunt terram:*

Matt.11. * *& delectabuntur in multitudine pacis.*

Esaiæ 57. 12 *Obseruabit peccator iustum:* & stridebit super eum dentibus suis.*

Psal.13. 13 *Dominus autem irridebit eum.*
**quoniã prospicit, quod veniet dies eius.*

14 *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcũ suum.*
15 *Vt decipiant pauperem & inopem: * vt trucident rectos corde.*

16 *Gladius eorum intret in corda ipsorum:*

** & arcus eorum confringatur.*

17 *Melius est modicũ iusto, super diuitias peccatorum multas.*

18 *Quoniã brachia peccatorum conterentur:*
** confirmat autem iustos dominus.*
19 *Nouit dominus dies immaculatorum:*

** & hæreditas eorum*

paululũ tã glorioſus extiterat, non queas vltra illum inuenire, quoniã E
morte abſumptus eſt. 11. Qui verò mites ſunt, & humiles corde in patientia & benefactis Deo cõmendantes animas ſuas, ipſi ſunt qui hæreditate poſſidebunt terrã: & hãc quidem corporalem donec placitũ erit altiſsimo, in ea habitãdo, & ex ea quãtum ſat erit accipiendo: pòſt verò, terrã illã æternaliter viuentium, quã expectãt omnes animæ iuſtæ: * & verã accipient delectationem in abundantia pacis, in requie & trãquillitate animarum ſuarum: quã inueniũt, quicunque mites ſunt, & humiles corde. Iuſti enim & in hac vita pacem habẽt cordis, & plus veræ delectationis, q̃ habere poſſunt impij in omni proſperitate ſua: cùm nõ poſsit pax eſſe impiis, neque proinde vera vlla ac ſolida delectatio. 12. Laborãt quidam impij modis omnibus, vt noceant iuſtis, & attente obſeruant illos: vt occaſionem captãtes, & anſam aliquam inuenire deſiderantes, ad inferendum eis nocumentum: * & præ nimia ira, indignatione, atque inuidia, etiam dentibus ſtridebunt cõtra eos, vel in ſignum conſummatæ aduerſus illos indignationis, vel præ cupiditate nocendi, eo q̃ pro voto & deſiderio ſuo nõ ſatis valeant nocere. 13. Dominus verò, qui de cælo proſpicit ſuper filios hominum, ipſe miſeros illos fruſtra molientes in pernitiem animæ ſuæ, pro nihilo F
ducit, & tanquam irridet vanos conatus eorum: videns illos tam multum male cupere iuſtis, & tam minimum poſſe: * proſpicit enim dominus, q̃ ventura ſit dies vltionis aduerſum illos, qui nunc proximis ſuis cogitant malum: quãdo in eos omnis hæc iniqua cogitatio & machinatio retorquebitur, illi autem aduerſus quos fruſtra machinati fuerant, abſque omni nocumento apparebunt. 14. Parauerunt ſe quidem impij ad oppreſsionem iuſtorum, omni vi & virtute qua potuerunt, arma ſumentes ad eam rem accommoda, gladios videlicet euaginantes, & arcus intendentes, tanquam mox ferire parati, & omnem armorum ſuorum virtutem aduerſus iuſtos apparauerunt. 15. Ad hoc vt humiles ſpiritu, & & ſanctos Dei, mundo deſpectos (qui omnis auxilij humani ope deſtituti, in ſolo Deo habent fiduciam) deciperent, & in mortẽ caute præcipitarent, prius etiam q̃ ipſi percipiant. Nam
qui gladium euaginatum tenet, facile ſimplicem etiam ignorãtem & G
inaduertentem perimet: * & vt crudeliter per malitiã trucident atque perimant innocentes, quibus nulla eſt in corde iniquitas. 16. Verum ex diuinæ iuſtitiæ diſpoſitione eueniet in vltionẽ impietatis eorum, vt mors illa quã innocentibus parauerãt, ad ipſoſmet voluatur impios, qui alijs eam fuerãt meditati: imò hoc ipſo q̃ in alios gladium parant, & mortem meditantur, ſeipſos crudeliter in anima perimunt prius q̃ reipſa vllum intulerint iuſtis nocumentum: * & arcus eorum, hoc eſt, omnis eorum virtus & poteſtas qua bonis nocere cogitauerant, diuinæ iuſtitiæ diſpoſitione, non habebit fortitudinem: euacuabiturque praua eorum machinatio, & Deo impediente ad effectum nõ pertinget. 17. Illud autẽ certiſsimũ ac veriſsimũ verbum eſt, ac iuſtis in mediocritate vel etiã tenuitate rerum temporalium viuentibus admodũ conſolatoriũ, longe melius eſſe, ſalubriusq̃, ac beatius homini iuſto, modicum illud quod ei obtigerit cum iuſtitia, quãtumcũq̃ tandẽ tenuiſsimum vel minimum fuerit, q̃ ſint peccatoribus multæ ac magnę H
ipſorũ diuitiæ & amplæ poſſeſsiones cũ iniquitate coaceruatæ, aut in peccato poſſeſſę. Longe nãq̃ quietius & melius vir iuſtus ſua mediocritate cõtentus viuit, q̃ peccatores in abundãtia diuitiarũ ſuarum. Et multo prẽſtat, pauperem nunc vel mediocrẽ vitã degere in iuſtitia, cũ ſpe futuri regni, quã nunc in iniquitate diuitẽ, in expectatione æterni ſupplicij. 18. Tametſi enim nunc videãtur ad tempus terribiles in potentia diuitiarũ ſuarum impij: futurum eſt tamen breui, vt fortitudo eorũ omnis cõteratur & cõſumatur: neque quod valere modo videntur, valebunt imperpetuũ: * iuſtos autẽ dominus corroborat, confortat, & confirmat in omni bono, vt nunquã à ſpirituali ſua fortitudine deficiãt. 19. Nouit dominus, & quaſi deſcriptum habet in ſcientia prædeſtinationis ſuę numerũ dierũ vitę hominũ bonorũ, qui nũc cõuerſantur ſine macula: & vniuſcuiuſq̃ eorũ dies, quibus victurus eſt ſuper terrã, omnes apud dominũ numerati ſunt, neque cõſtitutũ à Deo tẽpus vitæ ipſoum, vlla humana potentia poterit anteuertere atq̃ ob hoc, qui in domino ſperant, metuere nõ debẽt impiorum potentiam: * hæreditas quoq̃ illa ventura vitæ æternę in terra viuẽtium, perdura-

bit

A *in æternum erit.*

20 *Non confundentur in tempore malo:*
** & in diebus famis saturabuntur:*

** quia peccatores peribunt.*
21 *Inimici verò domini*
B *mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*
22 *Mutuabitur peccator: & non soluet:*

** iustus autem miseretur, & tribuet.*
C

23 *Quia benedicentes ei hæreditabunt terrã:*
** maledicentes autem ei disperibunt.*
24 *Apud dominum gressus hominis dirigetur:*
D ** & viam eius volet.*
25 *Cùm ceciderit, non collidetur:*
** quia dominus supponit manum suam.*

26 *Iunior fui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum:*

bit illis in ſempiternũ, nunquã ab eis auferẽda, vbi ſemel ad eã poſsidendã fuerint admiſsi. Atque ob hoc conturbari non debent, ſi tẽporaria proſperitate permittat Deus florere impios, ipſis nunc in hoc tẽ
pore egẽtibus. Seruãtur enim ad meliora gaudia, vt illi ad peſsima ſup Matt.25.
plicia. 20. In diæ iræ, calamitatis, & miſeriæ, in tempore quando male Soph.1.
erit omnibus operarijs iniquitatis, nõ male ſentient cum impijs: neq; participes erunt cõfuſionis illorum: * & in tempore illo quando fame æterna cruciabuntur impij, comedent, & ſatiabuntur ſatietate perpetua ſancti. Quapropter æquo animo ferre debent iuſti, ſi in aliquanto Esaiæ 65.
honore & qualibuſcunque delitijs nunc florere permittantur impij, Luc.16.
ipſi verò deſpectiores nunc ſint, eſuriemq̃ & egeſtatẽ patiantur. Vult enim hoc diuinæ iuſtitiæ prouida ac iuſtiſsima diſpenſatio, vt ij qui nunc in vita ſua bona recipiunt, in venturo ſęculo recipiãt mala: ecõtrario autẽ qui nunc mala, illic bona: * peccatores enim pro modico flore & breui gaudio, in perditionem æternã cõdemnabuntur. 21. Ita quidẽ iuſti amici & ſerui Dei honorabuntur & glorificabũtur in diebus æternitatis. At verò ex aduerſo impij, inimici domini, & ſerui diaboli, non perſtabunt in gloria ſua: ſed mox vbi honoribus ac diuitijs exaltati fuerint, poſt paululũ ſubito deficient, quemadmodum fumus ſubito euaneſcit & auolat: neque relinquent vel vllũ ſuæ gloriæ veſtigium, cùm prorſus in cineré redigentur & puluerẽ, & omnis ornatus auferetur ab eis. 22. Et vt etiam, quantum ad huius vitæ tempus aliquam faciamus comparationem, illud ante oculos quotidie cernimus, homines iuſtos in ſua mediocritate multo magis eſſe liberales, & ſibi atque etiam alijs ſufficientes ad benefaciendũ, q̃ ſint impij homines in omni abundantia ſua. Vidimus enim nõnunquã peccatores etiam ea quæ mutuo accipiunt ab alijs, nolle reddere aut perſoluere, propter malitiã & auaritiã, etiamſi plurimum abundent, & ſine incõmodo id poſsint: ſicque auare nõ ſolùm ſua non cõmnicant, ſed alie
na inſuper per rapinam occupãt, frequenter etiã mercedes operariorum ſuorũ, & depoſita pupillorum detinẽtes: * iuſtus verò non ſolum Tob.4.
alienum non retinet, verumetiam de eo quod habet, miſericorditer impartitur ijs quos viderit pati egeſtatẽ, iuxta conditionem facultatis ſuæ. Eſt enim vt potuerit, miſericors. Et quidem ſi abundãter illi fuerit, tribuit abundãter: ſi verò exiguum, & hoc ipſum libenter impartiri ſtudet. Sed etſi à quopiã miniſterij, obſequij, aut commodi quicquã acceperit, pro ſua facultate retributionem aliquam facere ſatagit. Vſqueadeò ditior eſt iuſti mediocritas, q̃ impij abundãtia: & ſuffi
ciẽtius eſt modicum iuſto, q̃ impio ſua plurima. 23. Et quidem benedicentes dominum ſerui ipſius, qui illũ cordis affectu & ore ſimul & opere benedicunt atque glorificant, hæreditate poſsidebunt terrã: de hac craſſa ac temporali, ad æternã facturi trãſitum, vnde nunquã expellentur: * impij verò qui affectus ſui impietate, oris blaſphemia & conuerſationis fœditate maledicunt dominum, ipſi mittentur in perditionem & interitum ſempiternũ. 24. Greſſus viri iuſti apud dominum diriguntur, & ab eo in via recta bene inſtituuntur, vt non ambu- Psalm.1.
let per deuia, neque declinet ad dexteram vel ad ſiniſtrã: * & viã eius bonam, per quam ambulat, habebit beneplacitum, complacebitque ſibi in via eius. Nouit enim dominus, & amat viam hominum iuſtorum. 25. Si quando contigerit vt ex humana fragilitate ad caſum decli
net, præſeruatus erit ne collidatur ſiue confringatur, vt non omnino cadat ad mortem: atque etiã ſi iã cecidiſſe contigerit, non erit tamen ei ad mortem & læſionem irrecuperabilem, ſed quantocyus reſtituetur in ſtatum priſtinum: * dominus enim illum præſeruat ad modum eius qui manum ſupponit: vel ei qui iam caſurus erat, vt caſum impediat: vel ei qui iã ceciderat, vt ipſum à caſu eleuet. Sic enim per manũ ſuam benignam, per ſuam potentiã benigniſsimam, iuſtos dominus, cùm in diſcrimen lapſus veniunt, ſuſtentat gratia ſua, ne cadant: atque etiãſi cecidiſte cõtigerit, ex humana fragilitate vel ſuperueniẽte abũdantia malitiæ, rurſum gratia ſua erigit iacentes per pœnitentiam. 26. Neq; in ſpiritualibus ſolũ prouidet ſuis Deus, verumetiã in corporeis neceſsitatibus ad ſufficientiã: id quod ego per experientiã lõgã manifeſte didici. Fui enim ego puer aliquãdo, & adoleſcẽs ac iuuenis, ac nũc in ętate ,quecta viuo ſenex: & nõ vidi ego toto hoc tẽpore vitę meę virum iuſtum, quẽ Deus deſtituiſſet omnibus vitę neceſſarijs: cui

Universidad de Deusto
Biblioteca

* *nec semen eius quærens panem.*
27 *Tota die miseretur*
Luc. 9. *& commodat:*
* *& semen illius in benedictione erit.*
28 *Declina à malo, & fac bonum:*
* *& inhabita in sæculum sæculi.*
29 *Quia dominus amat iudicium:*
* *& non derelinquet sanctos suos, in æternũ conseruabuntur.*
Apoc. 22. 30 *Iniusti punientur:*
* *& semen impiorum peribit.*
Colos. 1. 31 *Iusti autem hæreditabunt terram:* * *& inhabitabũt in sæculum sæculi super eam.*
Matt. 12. Luc. 6. 32 *Os iusti meditabitur sapientiam:*
* *& lingua eius loquetur iudicium.*
33 *Lex Dei eius in corde ipsius:* * *& nõ supplãtabuntur gressus eius.*
34 *Considerat peccator iustũ:* * *& quærit mortificare eum.*
35 *Dominus autem nõ derelinquet eũ in manibus eius:*
* *nec damnabit eum, cũ iudicabitur illi.*
36 *Expecta dominum, custodi viam eius:*
1. Pet. 5. * *& exaltabit te, vt*
Luc. 14. *hæreditate capias terram:* * *cùm perierint peccatores videbis.*

37 *Vidi impium su-*

nõ tantum ipse subministraret de cibis corporeis, quantũ erat ad vitã E
sustentandam necessarium: neq; filios iustorum vidi prorsus deficiẽtes nutrimento, sicq; alimenta requirẽtes, vt inuenire nõ possent quæ vitæ sustẽtandæ sufficerent. 27. Imò verò iugiter ad omnẽ occasionẽ, vbi poterũt, & quantum poterunt, viri iusti aliorum quoque miserijs & indigentijs studeant succurrere, nunc sua misericorditer egentibus impartiendo, nunc ijs qui egestatẽ patiuntur mutuũ dando absq; fœnore, nihil inde sperando: *& semen ipsorum, filij ac filiæ, qui iustitiæ & misericordiæ paternæ fuerint imitatores, benedicẽtur à domino in benedictionibus gratiæ sanctæ. 28. Tu quisquis diligis iustitiam nihil metuas, neque cõturberis de vlla re, neque metuas quicquã: tantum fuge malitiam, & sectare bonitatem: * atq; securus inhabitabis apud dominum in domo eius in ęternum: primũ hic quidẽ super terrã, donec illi erit placitum: deinde in sæculo venturo in terra viuentium. 29. Diligit enim dominus per rectitudinem iustitiæ: & omnes qui secundum iustitiam & æquitatem cõuersantur, cum iudicio mala decli- F
nantes, & facientes bona, ipse gratos habet & acceptabiles: *eosq; qui ita sibi seruierint, ipse non derelinquet in finem, tametsi ad tẽpus nõ nunquam videatur illos relinquere: imò in sempiternũ custodiet, cõseruabit, & saluabit eos ab omni malo, in regno pacis suæ. 30. Homines impij pœnas luent de sua impietate in æternis cruciatibus: * filij quoque & filiæ eorum, qui imitatores sese præstiterint paternæ iniustitiæ, simili perditione interibunt cum illis. 31. Iusti verò cum semine suo (quemadmodum sæpe iam diximus) hęreditate possidebunt terrã: *& inhabitabunt super eam in æternitate. Erunt enim reges in terra viuentium, & cum suo rege (cui in hac vita seruierunt) dominabuntur super eam in sæcula. 32. Vir iustus meditatur cum sollicitudine, vt loquatur verba sapientiæ per os suum: curabitque, vt sermo quem profert, semper in gratia sit sale conditus, vt prosit audiẽtibus: *& per linguã suã ipse loquetur quod rectum ac iustũ est: cùm econtrario impius meditetur insipientiam & iniquitatem, quæ nihil valent proficere audientibus. 33. Neq; verò in ore solum & lingua vir iustus quæ recta sunt & iusta loquitur, sed intus etiam in medio cordis legem Dei G
sui semper portat absconditam, & ita quicquid foris per linguã eloquitur, de bono thesauro qui intus est ꝓfert: * & quoniã sic in corde semper legem Dei gestat, ita fiet, vt non valeat supplantari, prosterni, & ad casum inclinari in gressibus suis. Qui enim legem Dei in corde iugiter gestãt absconditam, illiq́ue attendunt, & cum illa confabulãtur interius, nõ facile possunt in lapsum præcipitari: neque facile vlla inimici vel violẽtia vel fraudulẽtia possunt à recto dimoueri: quẽadmodum econtrario impij (qui legem Dei in corde non portant, sed impia sua desideria reuoluunt) in omnes vias malas & omnia peccata sunt faciles. 34. Considerant & obseruant impij iustos, propter iram, & inuidiam occasionẽ quærentes & opportunitatem, vt eis noceant: *imò siquãdo offeratur opportunitas, conantur etiam morte afficere innoxios. 35. Dominus tamen (cui cura est de iustis in se sperantibus) non permittet illis potestatem contra seruos suos faciendi quæ cogitauerint aut voluerint, sed per auxilium suum saluos faciet eos: *& cũ iudicabitur aduersus illos impios, cùm à Deo proferetur contra illos H
iudicium vltionis, nõ eandem condemnationis sententiam accipient iusti, neque pariter cum illis hos dãnabit Deus, sed aliã longe sententiam proferet erga eos, pacis & beatitudinis æternæ. 36. Sustine tu dominum, quisquis iustitiam diligis in humilitate & patientia, totum te illius voluntati submittens & committens, quicquid ex illius voluntate tibi acciderit, patienti ac grato animo susc̃ipiens, nihilq́ue obmurmurans, & viam mandatorum Dei diligenter obserua: * si ita nunc te humiliaueris sub potenti manu eius, indubie magnificabit, glorificabit, & exaltabit te in die visitationis & retributionis: ita vt accipias terram viuentium in possessionem hæreditariam & sempiternam, in qua victurus sis pariter & regnaturus imperpetuum. Omnis enim qui se nunc humiliat, exaltabitur: * & si forte id creditu difficile videatur, propterea ꝙ florere cõspiciantur impij, despectis iustis in humilitate & patientia sua: expecta paululum, & crede interim, donec post modicum oculis tuis videas, cùm in perditionem missi fuerint iniqui. 37. Vidi ego nonnunquam in hoc sæculo, supra modum magnificatos & glo-

A *perexaltatum:*
* *& eleuatum sicut cedros libani.*
38 *Et transiui, & ecce non erat:*
* *quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.*

39 *Custodi innocentiã, & vide æquitatem:*
B * *quoniã sunt reliquiæ homini pacifico.*

40 *Iniusti autem disperibunt:*
* *simul reliquiæ impiorum interibunt.*

41 *Salus autẽ iustorũ*
C *à domino:* * *& protector eorum in tempore tribulationis.*

42 *Et adiuuabit eos dominus, & liberabit eos, & eruet à peccatoribus: & saluabit eos, quia ſperauerunt in eo.*

& glorioſos in honoribus, diuitijs, fortitudine, & poteſtate magna, ad quam altitudinẽ per iniquitatem conſcenderant: * vidi (inquam) illos non ſolùm re, ſed etiam corde vehementer eleuatos, & ſuperbos extento collo in magna põpa gradientes, ad modum cedrorum Libani, quæ & proceræ ſunt, & altiſsimę ſtaturę, pulchriq; viroris. 38. Tranſiui ego, mecũ admirans huiuſcemodi magnitudinẽ & celſitudinem: & poſt paululum vbi tranſiſſem, mox diſparebat omnis illa põpa & celſitudo, quæ prius viſa fuerat: neque iã apparebant vſquam locorum, qui ante paululũ ita magnificos ſeſe exhibuerant triũphatores: *quæſiui eos, & cõſideraui diligẽter, quidnam actum eſſet de eis, aut vbi remanſiſſent illi tam floridi, tam glorioſi: & nemo cõmonſtrare potuit: ſed prorſus vt fumus euanuerant cum omni gloria ſua, quaſi nõ fuiſſent, iamq; in perditionem fuerant abiecti, vnde nunquam ſunt imperpetuum redituri. 39. Tu itaque horum fœlicitate ſic tranſitoria nihil cõmotus, cura ſemper quoad potes, vt innocens ſis, immaculatus ante dominum Deũ tuum, & attende ad iuſtitię rectitudinem, vt in ea permaneas, eam in omnib⁹ cogitationibus, affectionibus, ſermonibus, & operibus ſollicite cuſtodiens, ne vnquam cõtra illam agas: * hominibus enim pacificis, qui nunc ita per iuſtitiam pacẽ ſectantur, erunt reliquię pretioſę: & nouiſsima eorum erunt optima atq; fœliciſsima, ta metſi nunc modica admodũ videantur proſperitate gaudere, ſed magis aduerſis affligi. 40. Impij autem poſt modicum florem, & momẽtaneum quod delectat, pariter omnes in perditionem mittentur, proijcienturq; in ignis æterni cruciatum, nec apparebunt in numero aut prẽmio ſanctorum: *neq; illis tales erũt poſt mortem reliquię quales ſunt iuſtis, neq; erunt nouiſsima horum illis ſimilia: omnes enim impiorum reliquię ſimul cum ipſis interibunt, id eſt, ex omni proſperitate qua in hoc mũdo freti ſunt, nihil eis erit poſt hanc vitam reliquũ, niſi mors tantum & interitus ſempiternus: ſicque eorum reliquiæ diſperibunt, quia nullæ erunt, quemadmodum iuſtorum ſeruabuntur reliquiæ, quoniã pretioſę ſunt futurę. 41. Salus verò iuſtorum à domino Deo eſt, qui eos ſecundum ſuam voluntatẽ ſaluos facit: & tẽporaliter, quando & quantum voluerit de manibus impiorum, & vniuerſaliter, a damnatione mortis ęternę: *& ipſe eſt defenſor atque propugnator illorum, quoties tribulatio aliqua & perſequutio eis obuenerit: quo protegente, & ſua gratia aſsiſtente, ſeruantur ab omni malo. 42. Ipſe eos adiuuabit auxilio ſuę ꝓtectionis, & per gratiam ſuam eos ꝓ ſuo placito liberabit, eripietq; eos de manu peccatorum, & ſaluos eos faciet: quoniã ſpem ſuã omnẽ in ipſo fidẽti corde collocauerunt, ac proinde (quoniam fidelis eſt) cõmiſſos ſibi nequaquam patietur in perditionem abire. Quanquam enim ſanctorum ſuorum corpora, & facultates huiuſmodi permittat Deus nõnunquam in poteſtatem venire impijs, vt ea diripiant, & interficiant pro ſuo placito: animam tamen non illis cõcedit poſſe occidere, quæ eſt hominis pars præcipua: quam ipſe ſuſcipit in ſinum ſuum, cum iuſtorum occiduntur corpora: ſed neque corpus illis annihilare datum eſt, quod ſuis ſeruis iterum reſtituet in die retributionis in gloria cæleſti, Amen. Luc. 12. Matt. 10.

D

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXVI.

VErſu 1. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris, &c. In Græco (vnde pſalterium noſtri vſus tranſlatum eſt) in priori parte habetur: μὴ παραξήλου quod ſignificat, Ne zelum, ad indignationem, ad iracundiam prouoceris, vel ne irriteris. Nam παραξηλόω: ſignificat ad zelum prouocare, ſiue irritare, ſiue excitare, quod vocabulũ Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Romanos, aliquoties vſurpat, primum quidem. cap. 10. allegans illud ex cantico Moyſi. Ego ad ęmulationẽ vos adducã in nõ gentem, &c. Deinde cap. 11. cùm ait, Honorificabo miniſterium meum, ſi quo modo tandẽ ad æmulandum prouocem carnem meam. In vtroque enim horum locorum, ſupradictum vocabulum in Græcis habetur. Et quia zelus plura ſignificat, hinc fit, vt vtraque huius verſiculi pars multiplicem ſimul includat intelligentiam. Significat enim zelus feruorem iræ vel indignationis vel inuidiæ, vel ardẽtem affectum ad rem aliquam: quemadmodum cùm Apoſtolus ait. Æmulor enim vos Dei æmulatione: ſiue ad aliquem diligendum, ſiue etiam ad imitandum & aſsimilandum: quæ omnia propoſito huic accommoda, breuiter in Elucidatione attacta, per ſeipſum occaſione data ſapiens ac prudens lector plenius poterit intelligere. Nos, breuitatis cauſa, ſingula perſequi omittimus. Deut. 32. Rom. 10. Rom. 11. 2. Cor. 11.

¶ Verſu tertio, Spera in domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Frequenter admodum in hoc Pſalmo mentio fit de terra à ſanctis hæreditanda atque inhabitanda, atque etiam in regnum eis ſubigenda, cùm econtrario dicantur impij eam non poſſeſſuri hæredi-

reditate, neque inhabitaturi, multo minus super eam regnaturi. Quibus pulchre admodum respõ- E
det, quod à domino in promissione beatitudinum dicitur, Beati mites, quoniã ipsi possidebunt ter-
rã. Nos in Elucidatione vbique terrã hanc, partim ad istã corporeã retulimus, in qua sancti, quãdiu
Heb.13. placitum est altissimo, in pace cordis viuunt, contenti præsentibus, hoc est victu & tegumẽtis. Quia
1.Tim.6. enim sciunt domini esse terrã & vniuersam eius plenitudinem, eã quasi terrã domini & patris sui fi-
Psal.23. denter inhabitant: & de iis quæ illa protulerit (quę hic vocãtur diuitiæ eius) quasi de prõptuario &
cellario domini & patris sui viuunt cum fiducia. Præcipue tamen ad illam beatissimam terram vi-
Psal. 26. uentium refertur intelligentia, de qua alibi dicit Propheta. Credo videre bona domini in terra vi-
uentium. Præter hæc tamen, cõmode admodum etiam de terra cordis proprij intelligi possunt hæc
omnia, quemadmodum & venerandus pater Augustinus, supra adductum illud domini verbum ex-
posuisse inuenitur. Vnicuique enim homini Deus cor suum dedit: expurgatione viciorum & inser-
tione virtutum diligenter & fideliter excolẽdum: sicque singulos hominum veluti colonos & agri-
colas in huiusmodi agro constituit. Atque hãc quidem terrã, & hunc agrum cordis, omnes mali æ-
Psal. 32. que atque boni dono acceperunt à Deo, qui finxit sigillatim corda filiorum hominum. Verum est
mirabilis quædã hac in re distãtia inter bonos & malos. Boni enim cupientes ex sibi data terra fru-
ctum bonum accipere, habitationem sibi in ea constituunt, & ad seipsos sese conuertunt, vt in illo
agro laborent assidue: quæcunque pullulare cõspexerint mala zizania, sollicite euellendo: quęcunq; F
verò bona & salutaria nouerint virtutum semina, in eo seminãdo. Atque in hoc sane negotio totam
vitam super terram istã transigunt. Nunquã enim ab hac terra colenda cessare cõuenit fideles ope-
rarios virtutis. Sicque ad modum coloni, hæreditatem suã corporalem incolentis, inhabitant boni
omnes terrã cordis sui, donec viuãt super terrã. Deus verò qui singulorum attendit opera, & vni-
2. Cor. 3. cuique reddit secundum suum laborem, eos quos sic diligenter conspexerit, non desertã reliquisse
suã terrã, sed inhabitasse eã, & fideliter excoluisse: ipse de labore agriculturæ huius trãsferet in ter-
rã viuentium, vbi tum illos de pinguedine & fructibus terræ suæ absque labore in æternum iubebit
refici, satiari, & inebriari: hoc est, de dulcedine æternæ fœlicitatis, & plenitudine gaudij sempiterni,
quod in corde ipsorum erit pro piorum remuneratione laborum. Contra verò, impij datam sibi
terrã nolunt inhabitare, nolunt ad cor cõuerti, nolunt intra se habitare: sed per diuersa desideria sæ-
culi huius, per cõcupiscentias & auaritias foras semper euagãtur, & se intra se cõtinere recusant, ar-
que ita desertã relinquunt, & proinde incultam terrã suam, quã ad excolendam à suo conditore ac-
ceperant. Ex quo deinde consequitur, vt fructum nullum dignum inde recipiant. Cùm ergo domi-
nus agri illius viderit colonos istos pessimos infideliter excoluisse, imò penitus incultam reliquisse
terram, quam illis tradiderat atque locauerat, putas quid faciet agricolis istis? Iusto suo iudicio pro
negligẽtia & infidelitate eos cõdemnabit, simulque cum eis terram iã spinis & vepribus plena, nul- G
lisque bonis onustã segetibus proiiciet in perditionem, & combustionem camini ignis. Ita fiet, vt
hanc terrã non sint hæreditate possessuri impij, quæ simul cum illis in perditionem æternam mi-
tenda veniet. His verò apte admodum & manifeste nimium consentiunt, quæ cap. 6. Epistolæ ad He-
Heb.6. bræos, de terra fructificante ac benedictionem accipiente, & de terra sterili maledictioni obnoxia,
scribit beatus Apostolus in hæc verba, Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & ger-
minans herbã opportunã illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spi-
nas ac tribulos, reproba est & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. ¶Versu
8. Desine ab ira, & derelinque furorẽ: noli æmulari vt maligneris. Secunda pars duplicem (vt in Elu-
cidatione monstratur) recipit intelligentiã. Prior est, Noli sic illorum prosperitatem considerans ad
æmulationem prouocari, vt malignari proponas, seu male agere, illisq; assimulari in impietate, quo
similiter vt illi floreas. Et tales sane nonnullos conspicimus infirmiores, qui cùm vident se, donec in
iustitia & innocentia permanent, pauperes & despectos haberi, & ab aliis calumniam & oppressio-
nem perpeti: iniquos autem conspiciunt florere & abundare omnibus, esseque honorabiles, & om-
nibus acceptos, incipiunt dicere sibi in cogitationibus suis, Vt video, nihil proficiam, donec in hac
simplicitate perseuerauero: sed vt sum, ita permanebo pauper & contemptus omnibus. Ibo ergo, & H
faciã iniustitiam, fraudabo proximos, mentiar, furabor, opprimã quotquot potero, vt ipse hactenus
oppressionem sustinui: peierabo, si lucrum occurrat: fidem violabo, adulabor magnatibus, iniustã lu-
cra sectabor, & absque discretione quicquid mihi vel pauxillũ lucri adferre quiuerit, aut vllum ad-
ducere fauorem, exercebo libere. Atque his rationibus experiar, an non etiam ego, vt cæteri, ad diui-
tias & honores valeam pertingere, atque ex hac paupertate & despectione emergere. Isti sane sic æ-
mulantur in miserijs miseri, vt malignentur, atque à iustitia excidãt. Posterior autẽ intelligẽtia est,
Noli sic ad æmulationem, ad iracundiam, ad indignationem, aut ad stimulantẽ inuidiam prouocari,
vt male agas: idque vel Deum blasphemando, qui ita dispensat humanarum rerum statum, vel etiã
contrà illos nimium & irrationabile atque iniustũ odium gerẽdo in pectore, quemadmodum non-
nulli inueniuntur rebus pauperes, qui propter hanc inæqualitatẽ vsqueadeo magnum erga diuites
odium concipiunt, vt gaudeant si quid illis mali euenerit, doleant verò illis rem bene cedere, & ob-
sunt in quibus possunt: & si opere non possunt, certe corde nocere concupiscunt. Hi verò non sunt
ex mansuetis illis, qui terram inhabitabunt. Sunt enim animo diuites & immites, tametsi rebus foris
appareãt pauperes, & gestibus quandam prætendant mansuetudinẽ. Prior autem intelligẽtia versui
mox subsequẽti aptius quadrare videtur. ¶Versu 13. Dominus autem irridebit eum. Quòd dicitur
dominus irridere impios proximis mala meditantes, vt more humano dictum accipi oportet: quẽ-
admodum si rex videat quempiam ex ministris suis infimis, callidas insidias excogitare, & iniquas
machi-

A machinationes struere suorum magnatum alicui, quem ipse vnice diligat, & præ cæteris habeat fa-
miliarem, atque præcipue charum, ridet ille impias machinationes iniqui insidiatoris, differens tamẽ
& dissimulãs, donec dies opportunus adueniat, quo innocentem à malitia liberet, ipsum verò im-
pium dignas iubeat pœnas luere. Sic enim & nunc dominus cũ electis suis agit. Ridet enim peruer-
sorum malitiã, quę quãtum potest nocet, & multum quidem se nocere putat bonis, cùm reuera pa-
rum admodum sit, quod aduersum hos illi valent. Sed veniet, quãdo dominus qui nunc dissimulat,
pro suis faciet aduersum illorum prauã voluntatem vindictam: pro horum autem innocentia, salu-
tem. In secunda autem parte, pronomen eius ancipitem habens relationem, duplicem effecit intelli-
gentiam: ita tamen, vt ambæ in vnã coincidant. Potest enim relatiuum eius referri ad dominum: vt
sit sensus, Prospicit dominus venturum esse diem suum, hoc est, diẽ iudicij, quo ipse adducet omnia
in iudicium, & quo de impietatibus iniquorũ exquiret vindictam. Diem autem iudicij vocari diem
domini etiã in Apostolo didicimus, qui Thessalonicensibus scribens in prima epistola, Dies domi- 1.Thes.5.
ni (inquit) sicut fur in nocte, ita veniet. Et apud Prophetã, Donec veniat dies domini magnus & hor Ioël. 2.
ribilis. Aut referri potest relatiuum eius, ad impiũ, hoc modo, Dominus irridebit impium, quoniã
prospicit venturum esse diem ipsius, nempe impij, id est, diem quo ipsius malæ impietates, quas nunc
meditatur, omnes palãm fient, & iustam suo authori adducent condemnationem. Sic enim & vulgò
B loqui solẽt homines, Heri dies nostra erat, cras forsitã vestra erit: cùm significare voluerint, idipsum
miseriæ vel infortunij quod ipsi sustinuerunt priores, proximis suis adhuc esse venturum. Atq; hãc
posteriorem intelligentiam sequuta est Elucidatio. ¶Versu 17. Melius est modicum iusto. Tametsi
quod hic dicitur, modicum iustis melius esse, q̃ diuitias peccatorum multas, præcipue intelligatur
de bonitate & vtilitate spirituali: habet tamen etiã veritatem de vtilitate & bonitate temporali. Nã
& temporaliter melius plerunque est iusto ex sua mediocritate, cum sua sorte contentus viuit, in se- Prou.15.
cura mente (quæ iuxta sapientis verbũ, est quasi iuge conuiuium, perpetuã habẽs oblectationem) cũ
impij cupiditate sua insatiabili, etiã maxima abundãtia non valeãt suos animos quietos reddere, sed
perpetua torquentur amplius habendi solicitudine. De hac autem re plenius diximus in annotatio-
nibus Psalmi 33. ¶Versu 26. Iunior fui, etenim senui, &c. Miretur forsitã quispiã, quonã pacto ita fi-
denter Dauid hoc audeat asserere, & vsque ad senectutem iustum non viderit derelictum, aut semen
eius quęrens panem. Certe nos plurimos iustorum videmus, sãlté panem quærentes mendicatim, &
hostiatim pro colligẽdo pane circũeuntes: imò & derelinqui videtur nõnulli, & deficere iis quæ su-
stẽtationi sunt necessaria. Neque enim dubium est quin multos fames passim extinguat: & si nõ sem
per subito, ita vt ad oculum appareãt exhalare animã, certe paulatim, dum præ defectu cõuenientis
pabuli, destitui incipiunt viribus, sicque paulatim prorsus intereunt. Pro hac autẽ obiectione dissol
C uenda, primũ est attendendum, improprie admodum accipi hoc in loco, quærere panem. Non enim
panem quærit, qui mendicatim panem sibi colligit: sed panem quærere hoc in loco, potius est pane
deficere, panem nõ inuenire, quasi panem requirere siue desiderare secũdum eum ferme modũ quo
dici solet, in prælijs illos desiderari qui interfecti sunt. Vnde hoc loco Psalterium Romanũ habet,
Nec semen eius egens pane, pro quærens panem. Alioqui quis est ex operarijs, qui nõ quærit panẽ?
Et quomodo non quæret panem homo, cui præceptum est, in sudore vultus tui vesceris pane tuo?
Cæterum, quod adducitur de multis fame pereuntibus, hoc aduertendum est diligenter, plures esse Gene.3.
hominum qui derelinquuntur & destituuntur necessarijs: verum à seipsis derelinquuntur, non à
Deo. Et multi fame cõsumuntur, quos nõ dereliquit Deus, sed ipsi sese interimunt. Neque solum se,
sed & suos liberos multo miserius. Sunt enim nonnulli (quod dolendu est) crudeles sui suorumque
interfectores: qui cum honesta & satis diuite sint familia prognati, si ad paupertatẽ deuenerint, ma-
lunt extremã pati penuriã, seque ac suos fame crudeliter & impie perimere, q̃ suã paupertatem pro-
palare, & eleemosynę gratiã verecunde postulare. Et dum foris nonnunquã vestimentorum decore
satis splendent, interius membra corporis tabescere sinunt, & esurire familiam: quo (vt ipsi aiunt)
suam non dehonestent progeniem. Hos sane Deus neque derelinquit, neque perimit, sed potius ip-
sa illorum vana superbia. Atque huius rei vehementer expedierit eos qui pascendo & erudiendo po
D pulo præsunt, illos cõmonefacere: quoniam satis compertum est, multum hominum numerum ita
sese perdere. Neque sua tantum & suorum corpora (quod forsitã vtcunque fuerat tolerandum) ve-
rumetiam crudelius proprias suas animas, crudeli homicidio, æternæ dãnationi reddere obnoxias.
Quomodo enim sui suorumque non est crudelis interfector, qui ob humanã verecundiã, imò verò
ob vanam superbiam, seipsum & suos domesticos interficit? imò verò non vnius est homicidij reus,
qui cum mendicando possit alere creditam sibi domum, fame perire sinit. Quid enim refert, siue
breui horulæ spatio gladio animam tibi tuisque eiicias, siue lõgiore cruciatu necessarij pabuli sub-
stractione, cogas emigrare? Hi ergo nõ vt iusti nõ derelinquuntur, cùm nec iusti sint, qui sunt crude-
les homicidę. Deinde, neque à Deo, sed à semetipsis derelinquuntur. Si enim media ad hanc rem ac-
commoda quærerent, vel laborantes manibus: vel (si id non valeant, aut si id non sufficiat) verecun-
de suã necessitatem exponentes, & eleemosynæ gratiam, quam etiam Dei filius non est dedignatus
agnoscere, postulantes, nequaquã neque ipsi, neque domus eorum fame deficerent. Quemadmodũ
enim (iuxta domini vocẽ) semper pauperes habiturus est mũdus, ita eiusdem ordinatione & dispo-
sitione nunquam deficient viri misericordiæ, qui non patientur fame perire iustos. Et si quando om- Matt.26.
ne humanum subsidium deficeret viro iusto, nihil dubitanti & fidenter postulanti procul dubio rẽ-
pestiue adesset diuinum: id quod de pluribus sanctorum virorũ atque mulierũ certissimæ prodide-
runt historiæ. De Helia quidem in torrente à coruo pasto, liber Regum: per quẽ Sareptana quoq; 3.Reg. 17.
mu-

mulier(cuius oleum iam & farina defecerant)plurimo tẽpore sustentata est,alioqui iamiam cum filio cocto aeuorato vltimo pane,fame moritura.Item & de huius discipulo Elizeo,per quem reges tres periclitantes in solitudine,cũ omnibus exercitibus suis refocillati sunt. De Daniele in lacu leonum,liber Danielis refert.De Paulo quoque eremita scribit sacer Hieronymus. Sed & de alijs plurimis in noua lege viris sanctis,dignissimæ fidei hoc ipsum tradunt historiæ. E

4.Reg.3. Dani.14.

XXXVII. PSALMI ARGVMENTVM.

HIc Psalmus(qui in ordine pœnitentialiũ tertius ponitur) formam conuersionis ad Deum præbet,illis qui de graui iniquitate sese toto corde conuertere volunt ad dominum. Videturq; hominis propter cõmissam iniquitatem supramodum conturbati: qui intra se sentit grauissimam miseriam, diuini scilicet iudicij horrorem,& afflictiuos admodum malæ conscientiæ stimulos,mirabilem in corpore indispositionem, & conturbationem,ac motuum diuersorum tumultum,quæ sibi ex peccatorum multiplicatione,aggrauatione,& reiteratione fatetur venisse,propter suã insipientiã:quibus omnibus vehementer affligi se dicit & cõtristari,præcipue verò dũ à lumbis oriri intra se sentit fœdos concupiscentiæ motus,quibus ita præmitur,vt totũ corpus fiat mirabili confusione prorsus deproportionatum: sicq; vehementer afflictus, sentiens manum vltricem domini,gemitus,suspiria,atque etiã clamorem fundit pro miseria ad dominum. Hæc autem omnia, vsque ad versum vndecimum,per ordinem pœnitus confitetur.Debine exprimit graue certamẽ,quod sustinet extrinsecus, ab illis qui noti amici & proximi ei fuerãt,donec in peccatis illis extitisset socius.Nam hi cum vidẽt pœnitẽtem velle veteris vitæ viam relinquere, eligere verò arctas vias pœnitentiæ , multis modis aduersantur bona proponenti:partim suasionibus blandis,partim comminationibus asperis infirmum animũ,& alioqui mala cõscientia satis onustum,vehemẽtius affligentes, A duersum quos,quo vsus fuerit consilio,exponit versu 14.& deinceps,dicens,aduersus illos suas aures prorsus se obturasse,quasi nihil audiret,nihilq; voluisse illis respondere ad consentiendum,tanquã si mutus fuisset:posuisse verò in domino spem suã, & illum contra inimicorum sæuitiam accepisse defensorem:offerens quidem se ad correctionem & disciplinam domini paratum, propter iniquitatem quam agnoscit:ab inimicis tamen istiusmodi,qui bonitatem sectanti detrahunt & obsistunt,orans liberari:& contra illorum rabiem,diuinum sibi recte poscit auxilium. F

TRIGESIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine ne in furore tuo arguas me:* neque in ira tua corripias me.*

DOmine in implicabili illo furore, quem exhibebis atque demonstrabis in omnes impios in die iudicij tui,à quo nemo saluare impium poterit, ne tum simili cum illis sententia arguas me: * & in seuera illa vltione tua , in terribili illa vindicta iræ tuæ,ne sentiam correptionem & formidabilem sententiam tuam , quam experientur omnes qui in impietatibus suis perseuerauerunt. 2. Idcirco autem iram tuam formido & deprecor domine , quoniam punctura tumoris tui iam stimulare cœperunt animam meam,dum reuoluo peccatorum meorum magnitudinem: quemadmodum sagittæ cùm infiguntur in carnẽ,stimulant vehementer & affligunt eam:*& tu extẽdere iã cœpisti atq; aggrauare super me vltricẽ manum tuam,ex qua etiã nunc istos male conscientię stimulos atque torturas graues me sentire percipio : quæ si modo ita mihi grauis est, vt affligar vehementissime,quãto erit intolerabilior tunc, cùm in immensum vltionem facit grauiorem? Merito ergo domine iram tuam ego formido, & à facie implacabilis tũ furoris tui, iure ego(dũ tẽpus est miserẽdi)expauesco.Ecce iã nunc in carne mea,non est sanitas,nihil est integrum propter iram tuam & indignationẽ, quã per peccata mea scio iuste contra me prouocatã:sed totus quasi languidus,& mala distẽperantia animi ægrotans,deficio ita, vt præ dolore & languore,vix mihi libeat vltra viuere: * nullam pacem habent ossa mea, vniuersæ vires corporis & animæ cõmotæ sunt , & conturbatæ propter peccata mea: per quæ cùm me sentiã tuã iram iuste commeruisse,non possum vllam præ timore & horrore habere requiẽ : & omnia prorsus quæ intra me sunt, per istam pessimã peccati deordinationem, velut in magna conturbatione & indispositione sunt constituta : & tumultu insolito , atq; inordinatione mirabili voluuntur intra me imaginationes,cogitationes,& affectiones meæ, absq; vllo ordine & cõpositione solita, nullã mihi permittentes pacem cordis mei. 4. Ecce enim peccata mea quę hactenus dissimulaui,quę hactenus operui aut excusaui, confiteri quoq; & emẽdare neglexi, iam eo excreuerunt,vt etiã supergrediantur caput meum: ita vt iam spiritum habeant (mentem dico & voluntatẽ) pessundatum, illumque velut superauerint, & ad sensualis appetitus concupiscentia inflexerint , imò huius seruituti illum velut subiecerint: * & paulatim crescentia , facta sunt super me grauiora & põderosa valde , quẽadmodum onus magnũ dorso alicuius G H

2 *Quoniã sagittæ tuæ infixæ sunt mihi:*

* *& confirmasti super me manum tuam.*

3 *Nõ est sanitas in carne mea,à facie iræ tuæ.*

* *non est pax ossibus meis , à facie peccatorũ meorum.*

4 *Quoniã iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.*

* *& sicut onus graue grauatæ sunt super me.*

ius aut capiti impositum, ita vt dissimulare vltra non possim,nec ferre vltra valeam. 5. Insuper & cicatrices vulnerum meorum renouatæ sunt , & semel sanatis vulneribus iterũ cœperunt periculosius subtus carnẽ exurgere:hoc est,peccata mea aliquando dimissa, & per pœnitentiã sanata reiterauí,& recidiuo mihi nõ cauens , factus sum quàm antè fueram deterior,& ægrotans periculosiori vulnere: * idque propter insipientiã meam , quoniam videlicet ita insipienter vulnera illa priora feci recrudescere,& quę semel planxeram, stultus ego iterũ resumere nõ metuebam.6.His modis vsque ad finem(id est, nimium & vehementissime , quantũ ferre poteram , miserijs varijs & magnis afflictus fui,& totus incuruatus sub pondere miseriarum,vsque in finẽ, ita vt mihi viderer amplius ferre non posse: * atque ita horrore conscientiæ perturbatus,& peccatorum turpitudine conterritus, iugiter versabar in magna mœstitia & desolatione. 7. Nam lũbi mei (in quibus luxurioſi affectus est sedes)pleni erãt fœdissimis motibus,quibus mirum in modũ mihi illudebatur: & qui magna me afficiebant ignominia,dum ex eis fœdas,bestiales,& omnino inordinatas commotiones exurgẽtes,& tyrãnizantes persentirem in meo corpore:* & plane non est sanitas in carne mea,nulla est debita compositio,nulla est rectitudo,nulla rectitudinis ptoportio:sed distemperata, incomposita, confusa,& inordinata sunt omnia. Postea enim quàm spiritus meus eam,quam tecum habebat,ô Domine Deus, rupit cõfœderationem, cœperunt non solũ quæ in anima:sed & quę in corpore omnia cõfundi,suã compositionem dissoluere,à sua confederatione discedere, tumultibusq; misceri:quod malũ indies augmentum sumens, vehemẽter iam aggrauatum sentio.8. Ita ego malis multis & magnis afflictus sum,& vltione tua Domine in magna humilitate, despectione atque miseria cõstitutus:*atque ita vexatione dãte intellectum,recogitãs in amaritudine animę meę peccata quibus te offendi,in spiritu cõtribulato & corde cõtrito atq; humiliato cœpi edere gemitus atq; suspiria, ita vt præ gemitu clamorem etiã magnum per os in modum rugitus emitterẽ , affectu maximo te veniã precando peccatorum meorum. 9. Domine qui omnia nosti, qui inspicis & probas corda filiorũ hominum,qui desiderium pauperũ exaudis:tibi apertũ est omne desiderium cordis mei,quo desidero vitam in peccatis male actã tuæ gratię auxilio corrigere, tibique amodo fideliter seruire: * gemitus meus ac crebra suspiria ex imo cordis educta pro peccatis,quibus te ita multũ & multipliciter offendi, non te latent, non sunt coram te abscondita: sicut tu ea nosti,ita ea tibi absq; dissimulatione confiteor,suppliciter poscens veniam. 10. Conturbatus est præ horrore in me spiritus meus,& omne robur meum discesit à me , vixque in me quicquam remansit virium:ablata est à me fortitudo mea ad bene agendum, & ea quam habere solitus fuerã,& quam habere debueram: * ipsum quoq; lumen mentis meæ,quo videre solebã, & alios etiam illuminare (siue ipsum lumen naturalis iudicij , siue etiam lumen gratiæ tuæ),non vltra in me est sicuti solet:sed magna ex parte per peccatorum fœditatem obscuratum,obnubilatum atque obtenebratũ est:ita vt non solum iam quæ bona sunt non valeã agere,sed vix etiam cognoscere & iudicio discernere.11.Præter hæc verò,quæ intrinsecus patior, grauia nimium tormenta, etiam extrinsecus mihi afflictio accedit, cùm me à peccatis voluero ad te conuertere. Illi enim qui prius me diligebãt, tanquã amici & proximi mei, cum illis essem in peccato socius,videtes quòd me velim à vijs ipsorum prauis separare, facti sunt mihi aduersarij,appropinquauerunt̃que mihi,& statuerunt se ex aduerso cõtra me,vt obsisterent meo proposito , illudq; valenter quantum possent impedirent.12.Et qui prius mihi proximi erãt,noti atque amici, elongauerunt se à me,& elongati ita steterunt contra me: * quærẽtesque animam meam perdere,& in mortem me trahere,vim intulerunt mihi,& grauem susciuauerunt persequutionem. 13. Et qui mihi male cupiebant, qui me in peccatis fouere laborabant, & à proposito bono ex tuæ manus visitatione concepto auertere, ipsi proposuerunt & suggesserunt vanitates:iterum mihi proponentes peccata pristina,læculique pompas & delicias:ex aduerso autem,difficultates in Dei seruitute obuenturas,aggrauantes: * & iugiter tota die dolos & fraudes astutias excogitabãt,quib' me possent decipere,& à recto dimouere. A B C D

5 *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ:* à facie insipientiæ meæ.*

6 *Miser factus sum,& curuatus sum vsque in finem:* tota die contristatus ingrediebar.*

7 *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus:* & non est sanitas in carne mea.*

8 *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis:* rugiebam à gemitu cordis mei.*

9 *Domine ante te omne desiderium meum:* & gemitus meus à te non est absconditus.*

10 *Cor meũ conturbatũ est in me , dereliquit me virtus mea:* & lumen oculorum meorum & ipsum,non est mecũ.*

11 *Amici mei & proximi mei,aduersum me appropinquauerunt & steterunt.*

12 *Et qui iuxta me erant, de lõge steterunt:* & vim faciebant,qui quærebant animã meã.*

13 *Et qui inquirebant mala,mihi loquuti sunt vanitates:* & dolos tota die meditabantur.*

Esaiæ 28. Esaiæ 38. Psal. 50.

Prou.17. Esaiæ 16. Psal. 9.

14 Ego

Universidad de Deusto
Biblioteca

14 *Ego autem tanquã surdus non audiebam.*
** & sicut mutus non aperiens os suum.*

15 *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.*

16 *Quoniam in te domine speraui: * tu exaudies me domine Deus meus.*

17 *Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei: * dum cõmouentur pedes mei, super me magna loquuti sunt.*

Luc.1. 18 *Quoniã ego in flagella paratus sum:*
** & dolor meus in cõspectu meo semper.*

19 *Quoniã iniquitatem meã annunciabo:*
** & cogitabo pro peccato meo.*

20 *Inimici autẽ mei viuunt, & confirmati sunt super me:* & multiplicati sunt qui oderunt me inique.*

21 *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: * quoniã sequebar bonitatem.*

22 *Ne derelinquas me domine Deus meus, ne discesseris à me.*
23 *Intende in adiutorium meum domine Deus meus salutis meæ*

14 Ego verò (vtpote qui iam tuæ manus visitatione edoctus essem, & E
tuo timore medullitus cõfixus) in proposito pœnitentię persistẽs, immobilis obsurdescebã ad omnia quæ illi proponebãt, & quasi surdus fuissem, ita nihil permotus illorum dictis, siue blãdis, siue cõminatorijs, qui illos dicere quæcunque voluissent: * & quẽadmodum mutus omnino loqui nesciens, ita nihil illis responsi dabã ad vllum consensum. Iam enim firmo virtutis & pœnitẽtiæ proposito, animum meum contra illorũ impias obiectiones & propositiones penitus obfirmauerã. 15. Sicq; meipsum feci, propter virtutis propositũ, quasi surdum & mutũ: perinde acsi nihil audirem eorum quæ ipsi proponebant, nihilque haberem quod illis respõderem, aut quo illorum vanas propositiones confutarem. 16. Atque hæc quidem idcirco feci Domine, quoniam in te iam cœperam constituere spem meam: propter quod, ab omnibus illorum vanitatibus volebam prorsus auertere animum: * neque dubito, quin tu misericordiarum pater, pro tua benignitate sis exauditurus me pauperem & afflictum seruum tuũ, spiritu cõtribulato ac humili, cõritoque corde tibi supplicãtem, & totum se tibi ple F
na fiducia committentem. 17. Dixi enim in corde meo: volo, dum tẽpus est, in Domino ponere spem meã, vt per eum possem fieri saluus à rabie inimicorum meorum, nequando ipsi de mea gaudeãt. si mihi prævaluerint, suamque de me videant impleri voluntatem: * cùm enim vel modicum incipiunt moueri à recto pedes mei, statim exultãtes magna & superba loquuntur aduersum me, quasi suo voto potiti: sed ante victoriam (vt spero) canentes triumphum. 18. Et quidem, quod ad te attinet Domine, ego conscius magnitudinis peccatorum meorum, paratum me offero ad disciplinã & correptionem sufferendam, prout misericors iustitia tua dictauerit, & expediens cognouerit: non refugio à te, Domine, pro peccatis meis disciplinam suscipere correptionis, sciẽs q̃ grauiter peccauerim in cælum & coram te, vt iam nõ sim dignus lætari tecum adhuc vt filius, sed potius flagella sustinere vt seruus malus & fugitiuus: * imò & ipse volo propter iniquitates meas dolore iusto & pœnitẽtia meipsum affligere, & dolorem meum seruare volo semper, donec viuam, nunquam prorsus obliuione daG
turus iniquitatem meã: voloque in hoc dolore & afflictione hac pœnitentiæ persistere, vsque dum tu me tua consolatione ab eo releuare dignaberis. 19. Nam iniquitatem meã ego ipse confiteri paratus sum, & celare non volo, sed meipsum in aperta confessione paratus sum accusare: * & recogitabo in amaritudine turpitudinem peccati mei, & pro eo me affligam: * Ero quoque memor, donec viuam, peccati mei: atque etiam postquam tibi placitum fuerit dimittere, mihi tamen iustum erit subinde recordari & recogitare, quàm à te olim fuerim elõgatus. 20 Quanquã autẽ ita per omnia tuę voluntati me subiiciam, & à te paratus sim quicquid decreueris correctionis, libenter suscipere: inimicorum tamen meorum rabiem metuo, & ab illis per te saluari oro: melius iudicãs in manus tuas incidere, tuaque manu corrigi, quã illorum potestati tradi, vt per eos morte interficiar. Ipsi autem hi inimici mei adhuc supersunt, neque desistunt me male persequi, & cõtra me fortitudine & violentia eõfortati sunt atque corroborati: * insuper & numero multiplicati sunt qui me falso & sine causa oderunt H
& persequuntur, malum quęrentes pauperculæ animæ meæ. 21. Ecce homines ingrati qui pro bonis mala retribuunt, ipsi mihi aduersati sunt in pietatis negotio: & cùm ego nihil illis nisi bonũ exhibuerim, nunc vicissim mala mihi repẽdere laborãt, detractionibusque & cõtumelijs molesti fuerũt mihi: * propterea q̃ ab illorum prauo consortio meipsum segregans, viam eligerem virtutis, eamque deinceps ambulare vellem. 22. Quanto verò illi magis mihi aduersantur, tanto te pijssime Domine Deus meus precor mihi fieri propitium, vt in tantis malis (quæ ego partim intrinsecus fero, partim foris sustineo) miserum me, & tam multimodis, afflictum nũquam derelinquas: neque teipsum à me sic elonges, vt absque tuo auxilio in tantis me periculis relinquas. 23. Quin potius vt tuam misericordiam decet, intentus esto ad auxiliandum mihi, & cogita de impendendo mihi adiutorio tuo, Domine deus saluator meus: vt qui mihimetipsi in tantis difficultatibus prorsus diffido, neque posse me inde eluctari scio, tua gratia valeam exitum bonum, & finem beatum inuenire. Amen.

ANNO-

A ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXVII.

NOn ignoramus quosdã totum hunc Psalmum Christo applicare, in persona generis humani peccata confitenti, & miserias, quas pro illis perpessus est (tum ab horrore interius, tum ab inimicorum rabie, extrinsecus) proponenti. Quã interpretationẽ nos sane non dãnamus: tametsi cõsideráti singulas huius Psalmi partes quædã occurrãt, quę non recte admodũ Christo videãtur competere, quibus etiã non optime consonat tota Psalmi cõnexio & cõsequutio. Proinde talẽ in Eluci datione mõstrauimus intelligentiã, quæ in pœnitentiæ statu cõstitutis cõueniat potissimum cũ Ecclesiastica cõsuetudine, & septẽ pœnitẽtialibus vnus iste ponatur. Pœnitentiales autem hos Psalmos nominari cõstat, eo quod pœnitentibus aptã prębeãt formam sese cõuertendi, & illorũ statim exprimãt. Et quanquã illum Elucidatio accõmodauit ijs solũ, qui post diu transactã peccatis vitã, ad pœnitentiã sese conuertunt: posset tamen paucis secundũ intelligentiã immutatis etiã, iustis accõmodari, qui grauissimis tẽtationibus ad peccata sollicitantur (quemadmodũ cum quis iustus probationis gratia, aut gratia humilitatis conseruãdæ, aut alia quauis de causa) permittitur grauibus æstibus torqueri malæ concupiscentiæ, & libidinis carnalis ardoribus vehementer vti: id quod etiã sanctis viris legimus nonnunquã Deo permittente accidisse: Qui enim in tali statu fuerit, etiã si iustus sit, præ
B horrore periculi & abominatione mali peccata sua præterita rememorãs, apte poterit hunc Psalmũ pronunciare, diuinum iudicium formidãs, & liberari exoptãs. Ac sic quidẽ ira ista Dei, à facie cuius dicit nõ esse sanitatem in carne sua, intelligenda est secundum apparentiã. Videtur enim Deus tunc iratus, & quodãmodo (si ita loqui licet) iratum ipse se simulat, quando à iustis se elongans, grauius eos tentari permittit, maxime fœdioribus eiusmodi & magis abominabilibus tentationibus. Quoniam verò in hominibus etiam iustis, vbi paululum se subduxerit præsentia Dei, permissa inimicis potestate, graues statim incipiunt insurgere motus, qui totum videtur corpus inuidere, & etiã ossa corripere, recte tales conqueruntur non esse sibi sanitatẽ in carne, neq; pacẽ in ossibus. Et quia piarum mentiũ est, quicquid patiuntur suis peccatis ascribere, iccirco recte pati se hanc miseriam dicũt à facie peccatorũ suorum, i. propter peccata sua, quæ deinde etiamsi mũdi iam sint à mortalibus, accusant, vel præterita mortalia rememorando, vel præsentia venialia propter multitudinẽ & quotidianã reiterationem exaggerando. Atq; ita consequẽter non difficile erit lectori cordato, tali modo Psalmũ pariter, & Elucidationẽ totã huiusmodi tentatis accõmodare. ¶ Versu 1. Domine ne in furore tuo arguas me, &c. Corripit siue arguit Deus aliquãdo correptione misericordię aliquãdo correptione iustitiæ. Correptione misericordiæ arguit, siue flagellat nonunquã etiã innocẽtes, tantum ob probationẽ & meriti accumulationẽ: nõnunquã vero propter vltionẽ cõmissę iniquitatis, à quo
C per correctionẽ eiusmodi quærit eũ qui peccauit, sed prędestinatus est, à prauitate retrahere. Vtrũq; autẽ hoc flagellum, misericordiæ est, & paternæ disciplinę. Pater enim nonunquã seuerius agit cum filio: solum vt probet animũ eius, & bonum faciat meliorẽ, vel certe in virtute cũstodiat: iuxta illud Ecclę. 7.
Sapiẽtis. Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia eorũ. Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & nõ ostendas hilarem faciem tuã ad illas. Nonnunquã verò, vt peccatum filij puniat, & castigatũ emendet. Correptione autẽ iustitiæ arguet Deus in futuro iudicio, & flagellabit impios vniuersos: Eod. 14.
nõnullos verò ex eis, etiã in præsenti tepore: quẽadmodum obduratum Pharaonẽ, impium Antio- 2. Mac. 9.
chũ, & superbũ Herodẽ. Atq; hoc est argui in ira & furore. Prius autẽ est in misericordia & dulcedi- Act. 12.
ne paterna. Non ergo simpliciter orat vir iustus omnino non argui, omnino nõ corripi. Quis enim Hebr. 12.
filius, vt ait Apostolus, quẽ non corripit pater? Etsi extra disciplinam estis, ergo adulteri & non filij
estis) sed tantum non argui in ira & furore. Argui autem in misericordia, etiã optare debemus iuxta Psal. 140.
quod in alio Psalmo dicitur, Corripiet me iustus in misericordia, & saluabit me. ¶ Versu 4. Quoniã iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Per caput, non insolitum in scripturis, quod in homine supremũ est intelligi, id est, spiritum siue mẽtem & voluntatem. Tunc ergo iniquitates supergrediuntur caput, quando vsqueadeò excrescunt, siue multitudine siue magnitudine, vt spiritũ pes-
D sundent, vt mentẽ obtenebrent, & voluntatem incuruent ad mali consensum. Facit autem hoc non solum vnius peccati mortalis grauitas, verumetiã nonnunquã nimium excrescentium quotidianorum multitudo: vbi neglecta vel contepta, non fuerint quotidianis lachrymis expurgata. Secundum hunc autẽ modũ & in alio Psalmo postulat Propheta, caput suum nõ impinguari peccatoris oleo, hoc est, adulationis blanditia non pertrahi aut seduci mẽtem & voluntatem in peccati consensum. Ibidem.
¶ Versu 5. Putruerunt & corruptę sunt cicatrices meę. Cicatrix, vulneris præcedentis sed curati indicium est. Vbi autem cœperit semel curatum vulnus & iam clausum, intus sub pelle reputrescere, plerunq; maius est periculum, quã fuerit in primo vulnere. Ita secundum similitudinem, per cicatrices, putrefactionẽ & corruptionem, peccati dimissi reiteratio (quam recidiuationem nuncupãt) significatur. Recte autem dicit pœnitens, à facie insipientiæ computruisse cicatrices. Vere enim insipiẽtia magna est & aperta stoliditas, quę semel propria voluntate & affectu plãxisti, ea propria iterũ voluntate resumere: quẽadmodum cum reuertitur canis ad vomitum. ¶ Versu decimoquarto, Ego Prou. 26.
autẽ tanquam surdus non audiebã. Quemadmodum (iuxta Saluatoris verbum) inueniuntur Eunu- 2. Petr. 2.
chi, qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei: ita sunt & surdi, qui seipsos surdos faciunt pro- Matt. 19.
pter regnum Dei, similiter & muti: illi videlicet, qui propter regnum Dei interdixerunt sibi, ne cum
voluptate & cõsensu audiant vel dicant aliquid eorum quæ contra Dei gloriam faciunt, atq; virtu- Iob. 31.
tem. Atq; hoc modo & cæci inueniuntur propter regnũ Dei, qui pepigerũt fœdus cum oculis suis Matt. 5. &
vt nõ videant in quo offendant, sicque oculos sibi eruunt, vnde scandalum paterentur. Similiter & 15.

claudi, qui pedem scandalizantem abscindunt & proijciunt propter regnũ Dei. Imò & captiui hoc E
modo inueniuntur, qui seipsos cõcluserunt in carcere: quẽadmodum beatus Hieronymus in Epistola quadã ad Eustochiũ, se fatetur à semetipso propter gehẽnæ metum carcere damnatum, cum propter Dei seruitutẽ in eremi solitudine sese concluſisſet. ¶ Versu eodem, Et ſicut mutus nõ aperiens os ſuum. Quod in 2. parte dicitur, Factus ſum ſicut mutus non aperiens os ſuum: & deinde, ſicut homo non habens in ore ſuo redargutiones, forſitan mirabitur quiſpiam, quid ſibi velit. Videtur enim expediẽs interdum, vt redarguatur impij, & aperiamus os noſtrũ aduerſus ſtultas impiorum propo
Matt.4. ſitiones: quẽadmodum & Saluatorẽ legimus vana proponenti diabolo reſpõdiſſe, & redargutioni-
Lucæ. 4. bus aptis confutaſſe. Sed ſciẽdum eſt, ex ſerie Pſalmi totius, loqui hîc eũ qui recens eſt in bono propoſito, & adhuc inexercitatus atque infirmus. Huiuſmodi autẽ præſtat, vt prorſus in ſilentio diſcãt vanã obiicientium inſipientiã contẽnere, quã multis verbis cum illis miſceri in diſputationem. Cũ
Lucæ. 16. enim illi in ſua prauitate admodum ſint exercitati (quemadmodum & dominus teſtatur, filios huius* ſæculi prudẽtiores eſſe filijs lucis in generatione ſua) ipſe verò rudis adhuc ſit in eo q̃ cœpit negotio Dei, tutius eſt nouitio militi obmuteſcendo, quã hinc inde argumentando & reſpõdendo, aduerſus malos ſuaſores agere, ſi firmus velit in eo quod cœpit vel propoſuit perſtare. Quę regula, in fidei dogmatibus cõtra impiarũ aſſertionũ autores vel propugnatores, ſimplicioribus fidelium diligẽtiſſi-
Heb.5. me etiã conſeruãda eſt. Nihil enim periculoſi* eſſe poteſt, quã ſimplices (qui nõdũ pro cõſuetudine exercitatos habẽt ſenſus ad diſcretionem boni & mali) cum illis diſputatione cõtendere, qui pro ſui ingenij prauitate & aſtutia, ſimul & exercitatione longa in ſuis vanitatibus parati ſunt ad impugnãdã valide ædmodum veritatẽ. Neque niſi in regula orthodoxæ & catholicæ fidei fundatiſſimis, & in ſcriptura ſancta exercitatiſſimis viris, tuta eſt huiuſmodi congreſsio. ¶ Verſu 19. Et cogitabo pro peccato meo. Cogitare debemus de peccato multipliciter. De eo quidẽ quod in præſenti nos adhuc grauat, vt de ipſo agamus pœnitentiã. De præterito autẽ quod iam dimiſſum cõfidimus, cogitãdum nobis eſt nihilominus, vt à recidiuo cauentes, non iterum in illud ipſum incidamus, vel in aliud ſiue ſimile, ſiue maius. Nonnunquã etiã de præteritorũ peccatorum magnitudine, multitudine, & fœditate non inutiliter cogitamus: vt magnitudinem Diuini beneficij, quo ex illis nos liberati & ſaluati ſumus, melius valeamus per huiuſmodi conſiderationem cognoſcere (Non enim plene cognoſcitur medici curantis beneficiũ, niſi morbus ipſi fuerit ęgrotãti bene cognitus) ſicque ad gratiarũ actionẽ Deo digne perſoluendã excitemur. Atque hac arte Paulus frequẽter apud ſuos diſcipulos vtitur:
Rom.1. Veluti ad Rom.1.cap. quanta gẽtium facinora cõmemorat. & ca.2. quomodo Iudęorum male glo-
Rom.2. riantiũ in lege præuaricatione exaggerat, vt tandem monſtraret, omnes peccaſſe, & eguiſſe gloria
Rom.3. Dei. Similiter & in Epiſtola ad Corinthios, 1.cap.6. poſt enumerata turpiſsima facinora, ſubdit: Et
1.Cor. 6. hæc quidem fuiſtis aliquãdo: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Et cap.12. Cum gẽtes eſſetis, ad ſi- G
1.Cor. 12. mulachra muta prout ducebamini, euntes. Ad Epheſios. Eramus natura filij iræ. Et aliàs plurimis in
Ephe.2. locis, quales ante conuerſionẽ fuerint, eis poſt cõuerſionem proponit: idq; facit vt vel gratiarum actionẽ, vel ad cautelã illos inducat. De futuris verò peccatis, aut etiam poſsibilibus, cogitare oportet nonnunquam metuendo, & pro noſtra ab illis præſeruatione deprecãdo: quẽadmodũ in oratio-
Matt.6. ne dominica quotidie facimus cum oramus non induci in tentationem, ſed à malo liberari.

XXXVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Poſitus in tribulatione malorum vir iuſtus firmat in animo propoſitum, nolle ſe contra tribulantes os aperire, neq; contramutire, ſed in ſilentio patienter ferre quæcunq; placuerit Deo, vt patiatur ab illis, tametſi id graue ſit ac permoleſtum, nec ſine vehementi æſtu multiplicum cogitationum facile valeat impleri, vt non ſaltem bonis ac rationabilibus ſermonibus aduerſarijs obſiſtatur iniuſte tribulantibus. Cõpeſcit tamen ſe hac in parte, Deum habens ante oculos: ad quem mox conuertit ſermonem, à quo etiam numerum dierum vitæ ſuæ interrogat, velut tædiũ habens vitæ præſentis, & deſiderium liberationis ab hac miſeria. Atq; hæc quidem 6. primis verſibus. In ſequentibus autem 4. verſibus, hominis vanitatem (partim ex nimia naturæ mutabilitate & breui vitæ duratione, partim ex ſtulta & vitioſa actione) proponens, ad dominum ſeſe totum conuertit, in illo H ſuam omnem ſpem, & omnem ſubſtantiam poſitam confitendo. Atq; hæc, vſq; ad verſum vndecimũ. Hinc verò conſiderans afflictus omnem ſuam perſequutionem, non vt ab hominibus, ſed vt à Deo permittente & diſponente propter peccata ſuper ſe venientem, eundem orat pro peccatorũ remiſsione: atq; ita conſequẽter recto ordine, & pro flagelli amotione, attenta & humili oratione ſupplicat, iam defatigatus aſsiduis malis: allegans etiam, aduenam ſe eſſe & peregrinum ſuper terram, vt hac ratione facilius impetret exhiberi ſibi miſerationem. Aduenis enim & peregrinis debetur vel ex naturali lege commiſeratio.

TRIGESIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

1. Dixi, cuſtodiã vias meas: vt non delinquã in lingua mea.
2. Poſui ori meo cuſtodiam.

PRoposui in corde meo, & pactũ feci cũ ſpiritu meo ita ſollicite cuſtodire & obſeruare vias meas, ſicque diligenter ad actiones meas omnes attendere, vt nec per linguã meam peccatum vllum committerẽ quic quam vel malum, vel noxium, vel otioſum loquẽdo quod loqui non conueniret. 2. Atque vt hoc propoſitum, ſalutare perficerem, os meum ſub diligenti obſeruatione conſtitui, quaſi ſub clauſura quadam: cauens, ne inde ſermonẽ vllum, niſi poſt

A **cum conſiſtiret peccator aduerſum me.*

3. Obmutui, et humiliatus ſum, & ſilui à bonis:

** & dolor meus renouatus eſt.*

4. Concaluit cor meum
B *intra me:*

** & in meditatione mea exardeſcet ignis.*

5. Loquutus ſum in lingua mea:

C **notum fac mihi domine finem meum.*

6. Et numerum dierũ meorũ quis eſt: vt ſciã quid deſit mihi.
7. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos:
** & ſubſtantia mea tãquam nihilum ante te.*

D *8. Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens.*

9. Veruntamen in imagine pertranſit homo.

** ſed & fruſtra conturbatur.*

poſt diligens examen & diſcuſsionem naturam paterer egredi: * tunc etiam cum contra me ſtarent ex aduerſo peccatores, cum illos viderem ante oculos meos iniquitatem aduerſum me perficere. Proposui enim permittere illos pro ſuo placito agere, nec velle cõtradicere, ſed in ſilẽtio potius ſuſtinere, dominoq; cauſam omnem cõmendare. 3. Itaq; iuxta hoc conſiliũ atq; propoſitum cordis mei, cũ illi aduerſum me ſtarent ad peragendũ ſua malitiam, & mihi perſequutionem inferendã, ego obmuteſcebã & humiliabar, in patientia & humilitate ſuſtinendo, quæ illi inferebant mala & opprobria: & tacui etiã à bonis, ita vt non ſolum blaſphemias, cõuicia & iurgia non rependerem me moleſtãtibus: verũ neq; rationabiles ſermones vllos, per quos à propoſito malo illos forſitan potuiſſem inflectere: * me verò iſta agente, atq; in hoc propoſito me exercitãte, ſenſi intra me renouari dolorem cordis mei, & velut ingeminari. 4. Concaleſcere enim cœpit intra me cor meũ, & veluti feruore quodã accẽdi: partim quidẽ ab innata humano affectui ſuperbia & impatientia, ob quam difficilimum eſt pati iniuriã ab aduerſarijs, maxime coram ſtãtibus, & eã nõ ſaltem verbo Prou. 15.
retaliare: partim verò, propter zelũ, & cõſcientiæ teſtimoniũ quo vrgeri videbar, vt illis ſaltẽ rationabilem reſponſionẽ redderem, ſi forte molli reſponſione irã frangere, & à cœpta eos malitia prohibere poſſem: partim etiã, quòd mea iſta nimia patientia illos videbã in ſua malitia firmiores fieri, eamq; exercere licentius: quæ omnia vehementer affligebant cor meum: * et in hoc ſollicita anxiaq; meditatione poſitus, ſenſi velut igne quodã anxiæ ſollicitudinis æſtuare ſpiritum meũ, multa atq; ea quidem diuerſa et contraria meditantem: dum mecum ipſe fluctuarẽ, vellem ne iuxta propoſitum prorſus obticere, an facto propoſito aduerſum illorum malitiã meipſum defendere illoſque de ſua prauitate ſaltem verbis bonis arguere. 5 Poſt multã verò fluctuationẽ, loqui tandem cœpi etiã in lingua mea: verum non illis ad ſatisfaciendũ cupiditati vindictę, ſed tibi domine, ad conſolandã cõtra iniurias animam meã, tibiq; dixi, cũ ab aduerſarijs premerer in oratione mea, prę deſiderio liberationis à præſenti miſeria: * quamdiu adhuc me premet ò domine, iſta hominum prauorũ malitia? Fac mihi domine cognitũ finem vitę meæ, qua in medio huius malitiæ ſum victurus ſuper terrã. Iã enim tædet animã meã vitæ huius, & cupio magis diſſolui, & tecũ habitare, vbi nulla eſſe poteſt malitia perſequẽtis, atq; hoc Iob.10. Philip. 1.
ſane deſiderio, requiro in libertate cordis cognitionem exitus mei. 6. Et numerũ dierum meorum, quibus viuã in medio huius malitiæ, face me cognoſcere: vt ſcire valeã, quãtum mihi adhuc temporis ſuperſit in vita tranſigendũ, & quãdiu hîc mihi ſit in iſta peregrinatione & afflictionibus perſequutorum perſeuerandum. 7. Ecce enim certũ ego illud habeo, quod dies omnes vitæ meæ tu conſtitueris ac definieris in certo numero, qui tibi eſt cognitus: & certã cõſtituiſti mihi periodum ac terminũ vitæ, antequã vt liberari ab hac miſeria non potero, ita poſt eã indubie hinc me ſcio migraturum: * & ſubſiſtentia mea ac vita, qua in hoc corpore in terra ſubſiſtã & viuã, modicæ admodũ & quaſi nullius durationis eſt in conſpectu tuo: cuius duratio eſt æterna, principium nõ habẽs neq; finẽ, cum tẽporis mei duratio quaſi heri incœperit, eras finiẽda. 8. Imò certè omnis homo donec in vita hac corporis viuit, donec in hac tẽporis duratione permanet in hoc mundo, nihil aliud quã vanitas, imò vniuerſa & integra vanitas. Eſt enim omnis homo in hac vita viuẽs, præ omnibus creaturis, maxime mutabilitati & inſtabilitati ſubiectus: tã mire inſtabilis, tam nimis variabilis, per ſingulas horas & momẽta ſingula immutationibus ſubiectus, vt merito dici poſsit ipſum eſſe vniuerſam perfectamq; vanitatem. 9. Quin & in vmbra quadã, tãquã in imagine, ſiue ad imaginis modum, pertrãſit homo per ſæculũ vitæ præſentis: ita velociter tranſiens, atq; ita nihil ſubſiſtẽs, vt trãſit vmbra: quæ & nullã habet ſolidã ſubſiſtentiam, & facillime citiſsimeq; diffugit, nullũ relinquens ſui veſtigiũ: * ac proinde vanũ eſt hominẽ conturbari aut tumultuari pro vllis rebus, tẽporarijs & tranſitorijs huius mundi (quibus nulla duratione, nulla ſtabilitate frui poſsit) ſiue quis ea quæ videntur bona auferat, ſiue quę videntur mala inferat. Omnino enim ſtultum atq; ridiculũ eſt, multũ animo cõmoueri pro rei cuiuſlibet ablatione, quã poſt breue momẽtũ velis nolis neceſsario es perditur*. Et nihilominus vanũ eſt, ꝓpter

Universidad de Deusto
Biblioteca

10. *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea:*

* *& nunc quæ est expectatio mea, nonne dominus?*

Iob.17. Psal.7. * *& substantia mea apud te est.*

11. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me:*
* *opprobrium insipienti dedisti me.*

12. *Obmutui, & nõ aperui os meum, quoniã tu fecisti:*
* *amoue à me plagas tuas.*

13. *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus:*
* *propter iniquitatem corripuisti hominem.*

14. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius:* veruntamẽ vane conturbatur omnis homo.*

15. *Exaudi orationem meam domine, & deprecationem meam:*
* *auribus percipe lachrymas meas.*

16. *Ne sileas:* quoniã aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.*
Heb.13. 2. Cor. 5.

modicum incõmodum vehementer conturbari, quod mox post momentum diffugiet. 10. Inter omnia autẽ quę vanitatis sunt hominum, illa est vel præcipua, vel apertissima, quòd magno studio, cura, labore sollicitudine thesauros magnos homines cupidissime congregant, in aceruos congerẽtes aurum & argentũ, & cætera huiusmodi (pro quibus & corpora periculis exponunt, & animas suas perditioni æternæ mãcipare non formidãt) & tamẽ ignorant, quibus ista sic congregent. Incertum est enim, ad quẽ huiusmodi rerũ sit deuẽtura possessio: neq; sciunt homines, ad quẽ sit post mortẽ, suarum rerũ venturum dominium. Et de hærede quidẽ frequẽter omnino ignorãt, dum sic cupidissime cõgregant, quisnã ille sit futurus: Aut si personam vtcunq; sciũt, certe qualis ille scit futurus, & quomodo partis vsurus, ignorant, aut in quos vsus ipse cõgregata sit expensurus, aut quo animo (gratone an ingrato) erga eũ qui thesaurizauit futurus. Sic autem in incertũ tantos labores pro nihilo, imò in detrimentum æternũ insumere, quis non videat esse vanissimum? *Quę verò est, ò pijssime Deus, mea expectatio? quod est meũ desideriũ? quid est quod ego expeto, quod quero? Certe nõ aliud, nisi tu ipse dominus & Deus meus. Tu enim es præstolatio mea & patiẽtia mea, quẽ solum expecto cum desiderio: vt te aliquãdo possideã, propter quem talia omnia tẽporaria pro nihilo contẽno, & omnia aduersantia patiẽter ferre volo: * & substãtia mea omnis apud te est: id est, meas omnes diuitias in te vno positas habeo, teque reputo omnes diuitias & totã possessionẽ meã, in quo vno habere me omnia cõfido. 11. Tu domine, quo te dignus fiam, ab omnibus peccatis meis me libera: * tu permisisti me fieri opprobriũ, & illusionẽ hominibus insipientibus, aduersarijs meis, quẽ contẽptum & afflictionẽ patiẽter fero, modo tu tantũ sic humiliatũ me à peccatis meis absoluas. 12. Cum autem illi mihi illuderẽt, & irrogarent iniurias, obmutescebã ego iuxta quod dixerã ac proposuerã in corde meo, neq; ad responsionem, defensionẽ, aut exprobrationẽ aperui aduersum illos os meum, sinẽs illos agere cõtra me quicquid esset collibitũ: quoniã sic ista accipiebã tanquã à te illata & facta, id est, à tua prouida dispositione & prudẽti permissione, propter exercitiũ patiẽtię & purgationẽ peccati mei: * & quia hæc omnia quæ patior, nõ vt ab insipientibus hominib⁹, sed vt à tua prouida dispositione accipio, iccirco non illis respondeo, nõ cum illis cõtendo vt cessent: sed te domine deprecor, vt tu à me ista tua verbera, ista tua flagella amoueas, cum tibi ita placitũ & vtile visum fuerit. Te enim volẽte, cessabunt plagę aduersatiorũ meorum, quorum ministerio ad meã disciplinã vti te cõsidero. 13. A fortitudine vltricis manus tuę, quã super me grauiter extentam experior, ego quasi defeci in castigationibus & flagellis tuis: & iam totus videor exhaustus præ grauitate persequutionis & afflictionũ, quæ super me ex tua dispositione venerũt: * tu enim domine corripere solitus es homines, arguere & castigare propter iniquitatẽ: quẽadmodum pius pater filium corripit peccantẽ, partim, vt quod per iniquitatẽ iustitiæ subtractum est, per vindictæ pœnalitatem restituatur: partim verò vt correptus offendisse se sciat, & quem offenderit agnoscat, agnoscens verò emẽdare studeat, ne iterũ vel eadem, vel prioribus peiora non castigatus cõmittat. 14. Et facis tu domine tabescere animã meã, atque in nihilum vitã defluere, ad eũ modum quo aranea exhausta omni vigore & exiccata tabescit: quæ sane correptio & pœna toti etiam generi hominũ propter originale peccatum infligitur: * veruntamẽ vanũ est hominẽ pro vlla re tẽporaria commoueri animo, & vel nimia delectatione affici⁹, vel immodico dolori torqueri propter q̃ mihi consultius videtur in nullõ cõturbari, tibique in patiẽtia omnia cõmittere. 15. Tu tantum domine exaudi orationẽ meã, quam fundo ante cõspectum tuũ, & deprecationẽ qua te deprecor pro remissione peccatorũ: * lachrymosas orationes meas, & preces quas cum lachrymis ex dolore pœnitẽtiæ effundo, auribus percipe, & clemẽter exaudi. 16. Ne taceas, neq; obsurdescas, sed magis attentus esto ad orationem meã, & benigna exauditione respõde deprecationi meę: * quoniã ego ante te sum quasi aduena, & quasi peregrin⁹ in hoc mundo, stabilem hic nõ habens mãsionẽ: quomodo oes maiores mei, non nisi aduenas & peregrinos esse se cõfessi sunt super terrã. Nõ enĩ habem⁹ hic manẽtẽ ciuitatẽ, sed futurã inquirimus: & donec in corpore viuim⁹, à domino peregrinamur, per fidem ambulantes nõ per speciem. 17. Quoniã ergo aduenis & peregrinis debetur misericordia & cõsolatio, precor te domine, vt remittas aliquantulum super me manum tuã: paululum quę si ita tuę voluntati placitum & expediens visum fuerit, eã alleuies, & à me subtrahas: vt qui pene mihi videor iã exhaustus, atque destitus internis viribus, respirẽ & refocciller aliquantulũ, accipiamque vel modicam cõsolationem & requiem, priusquam ab hac terra miserię, & peregrinatione egrediar, quando amplius nõ ero super terrã, neque vltra redibo, posteaquam semel abcessero: vt etiam modo in peregrinatione, aliquid illius superplenissimæ consolationis velut pregustare valeam, qua apud te spero in æternum frui, Amen.

A 17. *Remitte mihi vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXVIII.

VErsu quinto & sexto, Notum fac mihi domine finem meum. Quod petit Propheta, notũ sibi fieri finem suum, & numerum dierum vitæ suæ, non aliud quam exprimit tædiũ præsentis vitæ, & desiderium futuræ, in qua se liberandũ credit ab omnibus malis. Mos enim est, cum ad aliquã rẽ vehementer aspiramus, siue vt finiatur, siue vt inchoetur, vt supputatis diebus expendamus, quando hæc res desinet, aut illa incipiet. Et aliàs diximus, cum ita loquitur Psalmista: Vsquequo domine obliuiscẽris me: quousque, quandiu, aliisque consimilibus modis, non aliud indicari nisi magnũ desiderium, nullam autem expectari certam responsionem. Atq; ita & in proposito, petens vir iustus à domino vt notum sibi faciat finem & numerum dierum, nequaquam responsionem expectat sed tantum suum desiderium vehemens, sic loquendo, insinuat. ¶ Versu sexto, Quid desit mihi, id est, quantum desit mihi temporis vitæ meæ: hoc est, quantum adhuc mihi superfit dierum, aut temporis, quo viuendũ mihi est super terram. Illud enim tẽporis dicitur nobis deesse, quod nondum vximus, quod adhuc super est in vita transigendũ. Vnde & vulgo loquentes dicere solent homines, tot annos se habere, quot annos viuendo transigerunt. Illos enim qui nondum transacti sunt, habere se non dicunt. Verbi gratia, qui. 30. annos vixit, ex loquendi vulgata consuetudine dicit se. 30. annos habere. Eos autẽ quibus victurus est nondũ se dicit habere. Et secundum hunc modũ, ãnos residuos qui supersunt transigendi, sibi dicit Propheta deesse: eo q̃ nondum eos habeat. Quamuis forsitan secundum aliã considerationẽ rectius dicere possumus iuxta veritatẽ, illos annos habere nos qui adhuc supersint: illos verò iam deesse, iam non haberi, qui præterierunt. Nam secundum veritatẽ nihil minus habemus, q̃ id quod omnino præteriit, & ita præteriit, vt nullo modo reuocari possit: cuiusmodi est tẽpus quod iam præteritum est. Illud verò quod adhuc habendum est, saltẽ spe habemus, & expectatione possidemus. ¶ Versu. 7. Et substãtia mea tanquã nihilum ante te. Substãtia in hoc Psalmo bis ponitur, & iuxta Elucidationis declarationẽ, non eodẽ modo accipitur. Nam prius quidẽ, pro substantia seu vita ponitur. Vnde & ex Hebræo vertit beatus Hieronymus: Et vita mea quasi non sit in conspectu tuo: pro quo alius vertit tempus, eandem prætendens intelligentiam: videlicet de tempore vitæ, & subsistendi in hoc corpore. In secundo autẽ loco, videtur substantia aliud esse quàm subsistentia, vel tempus vitæ: nimirũ ipsum in quo omnes suas diuitias, possessionẽ omnem, atque omne suum bonum positum iudicat. Nam quadrat hæc intelligẽtia rectè ad id quod præcessit de vanitate hominum auarorũ. Quasi dicat propheta, Hi quidẽ thesaurizant, & ignorant cui congregant illa tẽporalia bona. Mea verò expectatio non alia est, q̃ dominus: & substantia mea omnis, meæ omnes diuitiæ, & omnes mei thesauri apud te sunt, ita vt cũ te vnũ habuerim, omnia sim habiturus, quæ ego expecto & desidero. Atque his rectè satis Hebręũ cõsentit, quod hoc in loco habet, Præstolatio mea, vel spes meas in te. ¶ Versu octauo. Verũtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuẽs. Hunc versum ita explanat Elucidatio, vt vniuersa & vanitas regimine adiectiui & substãtiui copulentur, sitque sensus, Omnis homo viuens, est vniuersa vanitas. Atque huic cõstructioni cõsentit Felicis translatio ex Hebręo, quæ habet. Certe omnis vanitas, omnis homo permanens, in vita scilicet ista corporis, Et videtur hæc esse Psalmistæ sentẽtia qua omnẽ hominẽ, donec hic viuat super terrã, facit esse vniuersam vanitatem: significans nimirum illã maximam & summã mutabilitatẽ atque instabilitatẽ, cui prę cęteris omnibus creaturis, donec in corpore degit, amplius subditus est homo. Nã sicut (iuxta beati Gregorii demõstrationem) omnis creaturæ aliquid homo, nimirũ esse cõmune habens cũ inanimatis omnibus, viuere & vegetare cũ plantis, sentire cũ animalibus, intelligere, & velle cum angelis, ita similiter & omniũ creaturarũ mutabilitati cõmunicat homo: & est omnis creaturę mutabilitas in humana specie velut agglomerata. Cũ inanimatis enim cõmunicat homo, quãtũ ad corp⁹ mortale quod modo inhabitat, in mutabilitate ab esse, ad nõ esse: quoniã corruptioni subiectus est, atq; etiã aliis mutationibus secundum locum, & secundum varia accidẽtia corporalia. Cũ viuẽtibus, secundum mutabilitatẽ augmentationis, diminutionis, nutritionis. Cum sentientibus, secundum omnes mutationes sensuum & sensualium affectionum atque passionum. Cum angelis verò secundum volubilitatẽ cognitionum & volitionũ. Quomodo ergo iuxta magni illi⁹ Gregorii sententiã, rectè omnis creaturæ nomine intelligitur homo, eo q̃ omnis creaturæ aliqd habet homo: ita & in proposito dicimus hominem rectè vniuersa, siue omnem vanitatem nominari, quoniã omnis vanitatis omnium creaturarum aliquid habet homo. Et quę in aliis sunt dispersa, in hoc vno simul inueniuntur. Non fuit autem Prophetæ satis dicere, vniuersa vanitas homo viuens: sed addere voluit etiã secundum vniuersale signum, Omnis homo viuẽs. Nã si omisisset signum illud vniuersale, forsi

B C D

tan existimaretur de tota specie tantum loqui,quasi non in singulis indiuiduis speciei humanę inue E
nire sit vniuersam vanitatẽ,sed in tota solum specie,quantũ ad diuersa indiuidua:vtpote in vno hãc
vanitatis partem,in altero alteram. Nunc verò in singulis quoque indiuiduis vniuersa vanitas est, &
perfecta,plenaeque eiusmodi mutabilitas. Atq; iccirco dixit,vniuersa vanitas,omnis homo viuẽs. Vi-
detur autem primafacie huic nostræ expositioni repugnare lectio Græca,quæ ita habet, πλὴν τὰ σύμ
παντα ματαιότης πᾶς ἄνθρωπος ζῶν, hoc est,Veruntamen omnia vanitas omnis homo viuens . Atq; huic
etiã cõsonat Hieronymi ex Hebræo trãslatio quę sic habet,Omnia enim vanitas,omnis homo stans
id est,permanẽs in vita. Vnde apparet,quòd non recte secundum priorem expositionem iunxerim⁹
vniuersam vanitatẽ per modum adiectiui & substãtiui,& aliam esse à supraposita sententiã. Verum
aduertẽdum est etiam hanc lectionem ad supradictum sensum facile posse reduci,tantum præposi-
tione per,aut in Græco κατὰ (id quod apud Græcos non est nouũ)subintellecta,ad hunc modũ,per
omnia vanitas est,omnishomo viuens. Et quid aliud esse potest per omnia vanitas,quã vniuersa aut
omnia vanitas? Si autẽ omnino nihil placeat intelligere:quæ nos coniunximus,lege diuisim,& talem
accipe sententiam: Veruntamen vniuersa sunt vanitas, omnia sunt vanitas quæ in hoc mundo sunt,
etiã omnis homo viuẽs:vel,præcipue autem omnis homo viuens. Verũ prior sententia & cõiunctio
multo cõuenientior est,precipue cum neq; Græco aut Hebræo repugnet. ¶Versu 12.& 13. Ab om-
nibus iniquitatibus meis erue me,&c. Saluberrimum nobis in tribulatione malorum positis,hoc in F
loco proponitur consilium videlicet cum affligimur,omnia tanquã de manu domini suscipiamus.
Iob.2. Quemadmodũ eximium illud ac celeberrimum patientiæ exẽplum sanctus Iob,cum à Satan tãtis af
fligeretur malis,ad domini manum respiciens,dicebat,Si bona de manu domini suscepim⁹:mala cur
non sustineamus? Dominus dedit,Dominus abstulit. sit nomen Domini benedictũ. Quod cõsilium
si sectemur,& nõ oculos nostros ad hominem persequentem,atque iniuriã inferentem, sed ad Deũ
(cuius permissione & prouida dispositione pro nostra salute id fieri credendum est) intenderimus,
non faciles erimus ad murmurationem aut retaliationem iniuriæ,aut exactionẽ vindictæ,neq; pec-
cabimus in blasphemijs vel maledictionibus:quemadmodũ de illo legim⁹,quod in omnib⁹ illis(ma
Iob. 1. & 2. ximis indubie)aduersitatibus non peccauit labijs suis,neq; stultum quicquam contra Deum loquu
tus est:Contra Satan verò ministerium horum malorum,aut cõtra vllum aliorum hominum,ne ver
bum quidem murmurationis aut iniuriæ emisit de ore suo. Sic & Dauid rex fugiens à facie filij, cũ
2.Re.16. maledicereturab homine Belial,oblatã de manu Abisai vltionem cõpescuit, dicens, Dimitte eum,
vt maledicat. Dominus enim præcepit ei,vt malediceret Dauid. Et quis est,qui audeat dicere,quare
sic fecerit? Et rursum, Dimitte eum vt maledicat,iuxta præceptum domini,si forte respiciat domin⁹
afflictionem meã,& reddat mihi dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Illud autem nos G
prudentiæ cautelã docet,quod oraturus Propheta dominum pro flagellorum amotione,prius orat
versu præcedente pro omnium peccatorum dimissione. Prius enim dicit,Ab omnibus iniquitatib⁹
meis erue me:ac deinde subiungit versu sequenti,Amoue à me plagas tuas. Est enim ille ordo rect⁹,
vt prius causa tollatur,ac deinde effectus. Sunt autem plurimi, qui orant quidem Deum labijs pro
afflictionum amotione,sed ad radicem nõ ponunt securim,neq; prudenter petunt,quia nõ curãt de
suorum peccatorum(in quib⁹ stare eligunt)dimissione . Et cum hęc plerũq; causa sint flagellorum
Heb.13. Dei,stultum est pro affectus amotione orationem facere,& de causę ablatione nihil curare. ¶Versu
Actu.6. penultimo. Ne fileas quoniã aduena ego sum apud te & peregrinus. Omnes quidem homines,eque
boni atq; mali,non aliud in hoc mundo sunt,quàm aduenę & peregrini:Omnes enim tãtum transi
tum facimus per viam huius vitæ:neque habet hîc quisquam hominum manentem ciuitatem, imò
neq; passum pedis proprium & vere hęreditarium,sic vt perpetuò illum valeat tenere in possessio-
Heb.11. nẽ suam. Verùm est inter bonos & malos differentia,quòd boni affectu hîc se peregrinos faciunt &
sunt:idq; & ore agnoscunt & cõfitentur:quẽadmodum pulcherrime admodum de sanctis Patriar-
chis scribit beatus Apostolus, quòd à longe tantum aspicientes & salutantes factas sibi promissio-
nes,confitebantur,quòd peregrini essent & hospites super terram repromissionis,tãquam alienam H
Philip. 3. inhabitantes in casulis,eo quòd patriam meliorem expectarent,nempe cælestem,& ciuitatem fun-
Coloss. 3. damenta habentẽ,cuius artifex & conditor Deus . Quia enim affectu & mente non inhęrent rebus
Ioan.17. huius mundi,sed conuersationem suam in cælis habere studeant:quia non quæ super terram,sed quę
2.Cor. 4. sursum sunt,sapiunt & quærunt:quia in mundo existentes,non sunt de mundo: quia non contem-
2.Cor.5. plantur ea quæ videntur temporaria,sed quæ non videntur,æterna: quia corpore absentes à domi-
Ephe.2. no,spiritu & desiderio præsentes se ei exhibere & placere cõtendunt. Iccirco hîc quidem super ter-
Gen.47. ram non nisi aduenæ sunt,hospitesque & peregrini,ciues autem sunt sanctorum & domestici Dei.
Vnde & egregius ille Patriarcha Iacob interrogatus à Pharaone ,quot essent anni vitæ ipsius, Dies
(inquit) peregrinationis vitæ meæ,centum triginta annorum,sunt parui & mali:& non peruenerũt
vsque ad dies patrum meorum,quibus peregrinati sunt. Impij verò & terreni homines, licet reipsa
velint nolint,aliud quàm aduenæ esse non possint,neque aliud quàm peregrini,affectu tamen nihil
sunt minus. Ita enim rebus huius mundi inhęrent,ac si perpetuo hic in terra sint permansuri:& qui-
dem affectu cupiunt,si fieri id posset,perpetuo in terrenis his possessionibus vitam agere, libentis-
sime Deo(vt ipsi stulti stultissime effutire solent)sua regna superna concessuri,si pro illis terrã vellet
ipsis dare perpetuam. Et cum hinc adueniente statutò tempore , migrare compelluntur, ægerrime
reddunt animam,nimirum hoc ipso monstrantes,quòd affectu super terram non aduenæ , sed vere
ciues fuerint,& quòd patriam veterem morientes relinquant,non nouam requirant. ¶Versu vl-
timo,Amplius non ero. Cum dicit Propheta. Amplius non ero : nemo hinc ansam accipiant male
opi-

A opinandi,quod per mortem prorsus homo intereat , tam secundum corpus , quàm secundum ani-
mam,& quod non sit post mortem aliquando futura resurrectio . Nequaquam enim hoc volebat
Propheta sanctus,sed tantum de incolatu suo & peregrinatione loquitur:quasi dicat,Sine me pere-
grinum & aduenam refocillari atque respirare aliquantulum,priusquam abeam hinc ex isto inco-
latu atque peregrinatione,& vltra hic non ero in hoc incolatu , in hac vita mortalis corporis,quo-
modo iam viuo,donec tibi erit placitum finire peregrinationem meam.

XXXIX. PSALMI ARGVMENTVM.

*PSalmum istũ de Christo intelligendũ manifeste docet Paulus Apostolus in Epistola quã scripsit Hebræis, cap.9. vbi aliquot versus (nonum videlicet,decimum,& vndecimum) ex eodem profert,quos Christo ap-
plicat de legalium consummatione & nouæ hostiæ immolatione loquendi. Videntur tamen prima facie primũ
& finis Psalmi non vsqueadeò conuenire Christo:potissimum vbi versus finem peccata sua confitetur, & im-
quitatum suarum multitudinem,qui Psalmum profert:Christus autem agnus existens sine macula , peccatum* 1. Petr. 2.
omnino non fecit neq; inuentus est vnquam dolus in ore eius. Veruntamen,sic Christum aduertimus pro suis
membris confitentem & deprecantem,id est,pro nobis peccatoribus(qui licet eius redempti sanguine,& per
B eum liberati,tamen multipliciter quotidie offendimus)nihil prorsus videbitur absurdum,si ipsum,qui quantum
ad suæ personæ singularitatem vere est sine peccato,audimus aliena peccata tanquam sua,confitentem,& pro Iacob.5.
membrorũ delictis capitis deuotionẽ videamus exorantẽ. Atq; hac de causa in Elucidatione quæ subsequitur,
explanando principiũ atq; finem Psalmi,in quibus loqui videtur in persona mẽbrorum suorum,vsi sumus ter-
tia persona,quo clarior esset intelligentia:ita vt ipse intelligatur de nobis loqui,sub persona tertia,cũ in Psal
mo videatur de se loqui sub primam personam. In medio autem, vbi ad Christi personam quæ dicũtur sunt ac-
cõmodanda,primam personam(vt in textu)seruauimus:vt sic manifeste lector hac diuersitate diudicare va-
leat,quid ipse secundum personã fidelium,atq; membrorum dicat,quidue secundũ personam suam propriã. His
itaq; præmissis,ad cõmotionem legentium,nunc breuiter solito more,Psalmi totius sententiam complectamur.
Commemorat itaq; in primis illud de suis membris Christus dominus, quomodo post longuam & vehementem
patrum expectationem,humanum genus tandẽ respiciens Deus pater omnipotens,de captiuitate mortis, lacu
inferni & fœditate peccatorũ,tã originalis quã actualiũ,saluũ fecit, atq; in viam iustitiæ reduxit : vbi gau-
dentes liberatori suo canunt dulcia gratiarũ actionis & læta cantica,ita vt mutuis exẽplis multi ad Dei timo-
bus. Dehinc verò,Christi ad patrẽ de semetipso sermo dirigitur,enarrantis quæ per ipsum erga genus huma-
C num ille voluit secundũ consilium sapientiæ suæ mirabiliter operari,quomodo videlicet mirabilia Dei secreta
consilia annunciare venerit hominibus,quomodo in carne humana patri factus est obediens vsq; ad mortem
vt hostia placabilis fieret pro peccatis hominum,posteaquã alia nulla oblatione aut hostia corporali potuit
patris ira placari:quomodo deinde patris voluntatem diligentissime impleuerit, neq; ipse solum impleuerit,
verum fidelibus vniuersis publice & palàm annunciauerit,nihil celans eorum quæ à patre sibi tradita fuerãt
docenda. Atq; hæc vsq; ad versum 15. Ab hoc autem versu, vsq; ad finem, transitum facit ad deprecandum pa-
trem pro infirmis membis suis,quorum iniquitates & miserias vt proprias reputat,pro illis tanquam pro se-
metipso patrem rogans,vt illos ab omni malo eripiat,& sic adiuuet per confirmationem gratiæ suæ,vt malis
non succumbant illi vero qui ad ipsorum laborant perniciem , vt confusione æternæ damnationis absorbean-
tur,vt liberati fideles patrem magnificent,in quo sibi repositum habent omne adiutorium.*

TRIGESIMINONI PSALMI ELVCIDATIO.

1. Expectans expectaui dominum:

D ** & intendit mihi.*

2. Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ,& de luto fœcis.*

3. Et statuit supra petram pedes meos: & direxit gressus meos.*

4. Et immisit in os meũ canticum nouum.

MAgno & vehementi desiderio , longaque expectatione,ante perfectam generis humani redemptionem expectauerunt patres ad salutem domini patri mei,vt iuxta consilium & propositum suum æternum ipsos aliquando faceret saluos,ab ea in qua iacebant captiuitate:* & tandem propitius factus pater meus oculos misericordiæ suæ posuit super illos,vultuque placabili misericordia motus aspexit illos. 2. Et exaudiuit preces eorum , & clamores multos magnos & longos,quibus pro sua liberatione ad ipsum exclamauerunt:* & eduxit eos de profunda fouea inferni,à morte æterna & dãnatione illos liberans,cuius per peccata facti fuerant debitores atque item à luto cœni, & sorditie à fœditate peccati, tam eius quod ex origine contraxerant, quàm eorum quæ per propriam voluntatem sibi superiecerant: saluos eos faciens à peccatis eorum, & à regno mortis transferens ad vitam. 3. Eductos autem de lacu & cœnoso luto peccatorum,Ipse constituit super viam bonam mundam & firmam , cuiusmodi sunt viæ lapidibus stratæ & petrosæ , id est , in via iustitiæ & virtutis gratia sua confirmauit eos,vt vltra in lutum & fœcem peccati non immergerentur:* ipse director illis ac ductor fuit per viam iustitiæ , operari eos docens iustitiam, & in operando sic dirigens , vt non deflecterent neque ad dexteram neque ad sinistram. 4. Eductos verò è tantis miserijs dehinc lætificauit interius in vnctione spiritus sui sancti,atque ita canticum nouum dedit in ore eorum:* carmen(inquam)

*carmen Deo nostro.
5. Videbunt multi, & timebunt:* & sperabũt in domino.
6. Beatus vir cuius est nomẽ domini spes eius: * & non respexit in vanitates & insanias falsas.

7. Multa feciſti tu domine Deus meus mirabilia tua:* & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.
Ioan.17. 8. Annunciaui, & loquutus sum:

* multiplicati sunt super numerum.
Heb.2. Marc.10.

9. Sacrificium & oblationem noluisti:

* aures autẽ perfeciſti mihi.
Philip. 2.

Gene.3. 10. Holocauſtũ & pro peccato non poſtulaſti:
Esaiæ.1. Heb.10. * tunc dixi, ecce venio.

1.Cor.13. Rom.8. 11. In capite libri scriptum est, de me vt facerem voluntatem tuam: * Deus meus volui, & legem tuam in medio

letitiæ & gratiarum actionis ad laudem Dei saluatoris sui, quod illos interior exultatio & lætitia spiritus docuit decantare liberatori suo. 5. Videbunt multi aliorum exempla, & lumen iustitiæ atque virtutis eorum refulgebit multis proximorum in exemplum qui inducent exemplo bono timorem domini: * discentque ponere in domino spem suam, vt cum proximos suos, tanta viderint à Deo misericordia affectos, & tanta consolatione repletos, animentur & ipsi spe simili, ad istiusmodi bona consequenda. 6. Et verè beatus est homo ille, qui spem habet & fiduciam in nomine domini, qui dominum Deum ponit spem suam, & omnem fiduciam habet in eo, toto ei corde & tota mente inhærens:* ad ea verò quæ sunt huius mundi temporaria & caduca bona, itemque ad vitia & peccata, quibus plenus est mundus, non intendit oculis mentis suæ, vt cor suum poneret super illa, fiduciaque & amore eis inhæreret: quæ reuera nihil aliud sunt, quam vanitas, & meræ insaniæ atque dementiæ, quibus homo velut dementatur, imò efrenatur, & prorsus ab humanæ conditionis nobilitate elongatur: quæ cum multa polliceantur, & eximiã quandã promittere videantur fœlicitatẽ, secundum veritatem tamen nihil præstare possunt suis amatoribus, eorum quæ pollicebantur: sicque fallunt plane & decipiunt, apparentia quadam, ostentatione, ac specie boni, amatores suos. 7. Multa admodum sunt opera tua, quę tu feciſti domine Deus pater meus, & magna, & admirabilia: partim in rerum omnium potenti creatione, partim in generis humani magnifica redemptione, & electorum tuorum saluatione: * non est quisquam neque in cælo, neque in terra, neque alicubi gentium, qui similis sit tibi, aut æqualis in cogitationibus tuis: qui secundum cogitationes atque consilia sapientiæ tuæ valeat tibi comparari. 8. Ego assumpta carne in mundum adueniens, annunciaui & prædicaui hominibus, ad quos missus fueram, istas mirabiles cogitationes & magnifica consilia tua: omnia quæcunque à te patre meo audiui, nota faciens eis, ea potissimum quæ tu de humani generis redemptione, electorumque glorificatione, & damnatorum reprobatione cogitaueras, atque decreueras, & annuncianda mihi commiseras: * me autem super terram annunciante (partim quidem per memetipsum, partim per meos Apostolos, atque ministros, in orbem vniuersum destinatos) submiserunt se veritati quam plurimum in omnibus gentibus & populis: sicque multiplicati sunt vehementer fideles, qui totam, contemptis omnibus vanitatibus, in te solo ponerent fiduciam. 9. Eorum autem quæ illis ex tua voluntate annunciaui præcipuum erat, opus miserationis illius, quod eis per meum in mundum aduentum exhibuisti. Tu enim pater, sacrificia corporalia, & corporales oblationes, non propter seipsa requisisti, neque vnquam vt per se placita, & propter se grata offerri tibi voluisti, neque hisce corporalibus rebus placari voluisti iram tuam erga genus humanum: * sed mihi filio tuo ad operis illius perfectionem, aures perfeciſti, & corpus aptasti, hoc est, corpore me induisti, in quo perfecta tibi obedientia, etiam vsque ad probrosissimam mortem obediens fierem atque subiectus, vt sic per summam illam meam obedientiam restituerem, quod per inobedientiam fuerat collapsum genus humanum. 10. Oblationes illæ corporales, siue quæ pro peccatis offerebantur, siue pro holocaustis non tibi fuerunt per se gratæ, neq; tu ea propter seipsa requisiuisti de manibus seruientium tibi, nisi quatenus figuræ & vmbræ erant venturorum, quæ in carne mea erant adimplenda: * tunc in tempore quo illa consummari debeant, & finiri vetera, adueniente temporis ad hoc constitui plenitudine, dixi ego tibi, Ecce pater paratus sum iuxta æternam prædestinationem tuam venire in carne humana, in serui forma, vt placitum tibi offerã sacrificium, & hostiam vere placabilem: quo sic adimpleam in memetipso consilium redemptionis humanę, quod illis corporalibus perfici non potuit. 11. In libro enim vitæ & æternæ prædestinationis tuæ, de me præordinatum est & prædestinatum, tanquam de primogenito in multis fratribus, tanquam de præcipuo ac primo omnium electorũ, in salutis gloriã ex hominibus venturorum, sicq; in libri illius capite, id est, in primo atq; dignissimo loco: vt ego voluntatem tuã etiam vsque ad mortis ignominam, in perfecta obedientia perficerem & adimplerem. Ita enim pater ab æterno dispoſuisti,

cordis mei.
12. Annũciaui iustitiã tuã in ecclesia magna: * ecce labia mea nõ prohibebo, domine tu scisti
13. Iustitiam tuam nõ abscondi in corde meo: * veritatem tuam, & salutare tuum dixi.
14. Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam, à concilio multo.
15. Tu autem domine, ne longe facias miserationes tuas à me, * mia tua & veritas tua semper susceperunt me.
16 Quoniam circundederunt me mala, quorũ non est numerus, * comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.
17. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, * cor meum derelinquit me.
18. Cõplaceat tibi domine vt eruas me: * domine ad adiuuãdũ me respice
19 Cõfundãtur & reuereãtur simul qui q̃runt aãam meã, vt auferãteã
20. Cõuertãtur retrorsum, & reuereãtur qui volunt mihi mala.
21. Ferant cõfestim cõfusionem suam, qui dicunt mihi euge euge.
22 Exultẽt & lætẽtur super te oẽs quærẽtes te * & dicant, semper magnificetur dominus, qui diligũt salutare tuum.
23. Ego autẽ mendicus

sti, vt per me tuum filium, in persona serui assumpta, voluntatẽ tuã de generis humani reparatione perficeres: * & quia ita à te dispositũ cognoui, iccirco & ego mi pater, voluntatem meam sanctissimę tuæ voluntati conformem feci, paratus in omnibus, non meam, sed tuam adimplere voluntatem, & quæ tibi sunt placita, facere semper, sicque legem tuam ego accepi, & reposui in intimo cordis mei, mente pariter & affectu eam diligentissime amplexans, vt eam totis viribus perficiam. 12. Iustitiam fidei, iustitiam veram, quæ coram te iustitia est: * atque ipsam etiam tuam iustitiam, qua in teipso iustus es, ego prædicaui: partim per memetipsum, partim per meos discipulos, in cœtu magno fidelium, in multa ac magna congregatione populorum credentium: * ecce tu nosti domine, quomodo non continuerim os meum, neque tacuerim, quin tuam iustitiam vbique palàm & aperte prædicauerim. 13. Non celaui, neque occultaui, sed continui in corde meo iustitiam tuam, quasi erubescens aut formidans eam confiteri propter malorum persequutiones: * sed absque omni metu in te habens fiduciam, tuam veritatem & tuam salutem prædicaui in ore meo: * & præcepta omnia iustitiæ tuæ diligenter eis cum seuera interminatione proponendo: & quam tu eis miseras per me salutem constanter euangelizando. 14. Non occultaui, neque celaui consilia misericordiæ tuę, & rigorem iustitiæ tuæ, à consilio frequenti: sed etiam in publicis cõsilijs, in conspectu multorum nihil reueritus, fideuter confessus sum veritatem, ad quam testificandam ego à te missus veni in mundum. 15. Tu verò domine mi pater, posteaquam ego pro electis, pro fidelibus & membris meis tanta egi diligentia, quæso, vt miserationes tuas ab eis nunquam elonges, sed serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, & quos tanta humilitate tantoque pretio redemi: * & quemadmodum misericordia tua atque veritas, siue fidelitas iustitię tuæ semper me suscepерunt atque seruauerunt, ita & ipsi per misericordiam & veritatem tuam semper seruentur à malo, vt mihi non pereant electi mei, quos tam charissimo pretio mihi comparaui. 16. Ecce enim mundus iniquitatibus & in omni malitia plenus est, totus in maligno positus: ita vt pauperculos fideles meos ex omni parte circundet abundantia malitiæ, absque numero & mensura: * plurimi quoque ex illis qui in numero sunt fidelium, partim ob humanam fragilitatem, & ad mala pronitatem, partim ob tentantium violentiam, partim ab abundantia malitiæ, quæ in mundo est, grauantur peccatis & delictis tam multis, vt nec videri singula aut dilpici possint. 17. Excreuit numerus eorum valde, ad modum capillorum qui in capite sunt innumerabiles, ita vt vix videatur quomodo possint effugere electi mei: * pro quib⁹ ego summa teneor anxietate, ne consentiãt malo, ne impietate seducantur peruersorũ, ne abundãte & excrescente nimium iniquitate refrigescat, aut pereat eorum charitas. 18. Placeat ergo tibi, pater sancte & domine, vt meos pauperculos fideles quos elegi, eruas à periculis tantæ malitiæ, & tua protectione custodias: * aspice ò mi benignissime pater in auxilium membrorum meorum, quos tibi ego perinde atque memetipsum commendo, cum sint membra corporis mei. 19. Confusio & erubescentia sempiterna apprehendat illos in nouissimo die, qui quærunt animas illorum, vt eas perdant & interficiant: qui laborant vt in mortem pertrahant animas, quas magno pretio & summa mea humilitate mihi comparaui. 20. Cogantur auerti retrorsum, & non possint in effectum perducere praua sua pro posita atque consilia: sicque confusione & pudore afficiantur omnes qui nocere cupiunt, & mala inferre fidelibus seruis meis. 21. Accipiant pro præmio & retributione meritis condigna, confusionem damnationis perpetuæ, omnes qui insultantes meis fidelibus, aut de eorum malis gaudentes, dicunt exultando & insultando euge euge. 22. Qui autem de bono & fideli corde requirunt, qui tibi placere cupiunt, ipsi super te exultando gaudeant, & magnifice lætentur, cum se viderint tuo auxilio liberatos: * & qui tuam salutem diligunt, eamque fide & bona voluntate cum gratitudine acceptant, eiusque fieri participes contendant, ipsi tuo nomini iugiter dent gloriam, & cum lætitia te semper magnificent. 23. Ipsi autem egeni sunt & pauperes, humiles & despecti, & tanquam mendici ante conspectum tuum, suam infirmitatem & impotentiam agnoscentes & confiten-

Ioan.4. 5.& 6. Ioan.8.
Ioan.18.
Ioan.17.
1. Ioan. 5.

sum & pauper:
** dominus sollicitus est mei.*
24. Adiutor meus & protector meus tu es:
** Deus meus ne tardaueris me.*

fitentes,sibiipsis nihil fidentes,sed in te spem suam omnem collocantes: quomodo & ego, tanquam pauper eram & mendicus ante conspectum tuum,cum in mundo conuersarer:* & tu domine de pauperibus & humilibus tuis curam geres,quemadmodum & de me semper fuisti sollicitus.24. Adiutor eorũ & liberator eorum tu es, à quo necesse est vt veniat illis adiutorium & saluatio,& à quo omne suum bonum ipsi expectant: * Deus meus ne elongaueris ab eis auxilium tuum,neque nimium differas:sed tempestiue succurrere ijs,qui in tanta iniquitatis abundantia grauiter periclitantur,vt sic tuę gratiæ auxilio à peccatis nunc præseruatos, in vitam sempiternam, iuxta consilium tuum æternum introducas. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XXXIX.

VErsu 1.2.& 3. Expectans expectaui dominum,&c. Nota diligenter ordinẽ sermonis. Expectaui (inquit) & intendit,& exaudiuit preces: Exaudiuit,et eduxit de lacu et de luto,et statuit supra petram pedes:Statuit pedes,& direxit gressus. Parum enim esset de laeu & luto nos fuisse erutos,nisi super viam lapidibus stratã ac paratam (id est,super viam bonã & securam)constituerentur pedes nostri. Quid enim prodesset de luto semel fuisse erutos, si iterum eodẽ in luto esset volutandum? Deniq; non vsqueadeò multum prodesset super viam firmam consistere, nisi esset director & dux viæ,qui vacillitantẽ & viam ignorantem deduceret. Iam verò qui in via bono comite securi ambulant,ad itineris leuamen,in exaltatione vocis cantare solent cantica gaudij:ita vt qui obuiã processerint canentibus,pariter & ipsi in hilaritate eorum oblectentur. Ita sanè per omnẽ modum & nobiscum agit benignus dominus noster. Cum enim attento desiderio & oratione exaudita,nos educit de inferni damnatione & fœditate peccatorum,super viam iustitiæ nos constituit,vt mundi ambulemus in ea,nec vltra inquinemus vel baptismo vel pœnitentia lota vestimenta nostra. Et ne in via aut deficiamus propter infirmitatem,aut aberremus propter ignorantiæ cæcitatẽ,donat nobis con-
Psal. 50. firmatorem et directorem spiritum suũ sanctum:de quo,quantum ad confirmationem,psal. 50. po-
Psal. 142. stulat Propheta,Spiritu principali confirma me. Quantum verò ad ducatum viæ,Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Sic autẽ ambulantes per vias iustitiæ,ad consolationem la-
Psal. 118. boris,docet nos cantare cantica lætitiæ in iubilo cordis & confessione oris,iuxta quod Psalmo 118. dicitur,Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Videntes autẽ proximi,qui vel nondum conuersi sunt,vel nondum plenè conuersi sunt ad dominum,ita seruos Dei cum iucunditate & alacritate seruire domino,animantur & ipsi ad seruiendum eidem,& sese illis adiungunt atq; associant: pariter & ipsi cantantes in vijs domini,eandem à domino misericòrdiam consequuti iucundissima omnino et spirituali homini ista hic pulcherrime descripta partium consequutio. ¶Versu 6. Et non resp. in van. & inf. fal. Adiectiuum falsas,referri potest simul ad vtrunque præcedentium,videlicet ad vanitates & insanias: vt dicamus falsas vanitates,& falsas insanias. Dicuntur
Eccle.11. autem bona temporaria & caduca (cuiusmodi sunt diuitiæ,honores, pompæ voluptates, et cætera huiusmodi)vanitates et insaniæ falsæ,non quòd non verè sint vanitates(verissimè enim nil nisi vanitas sunt,& vanitas vtiq; vanitatũ)sed false ab effectu,quòd fallat omnes suos amatores,minimè præstantes quod promittũt. Sunt ergo insaniæ et vanitates falsę,id est,fallaces et deceptoriæ. Possumus autem etiã vitia et peccata intelligere,quæ multo magis sunt vanitates & insaniæ, quàm tẽporaria bona. Siquidẽ hęc talia sunt,vt eis qui bene vti possit,& ad bonũ sibi conuertere, qui nouerit quomodo sic illis recte vtatur,vt non spẽ in eis cõstituat. Illa autẽ nihil nisi mala esse possunt,neq; aliud
Esaiæ. 55. quicquã nisi vanum hominẽ reddunt,& animum dementant. ¶Versu 7. Et cogitationibus tuis non est qui similis;sit tibi. Non esse quenquam similem Deo in cogitationibus,pulchre declarat Esaias, dicens,Non enim cogitationes meæ,cogitationes vestræ:neq; viæ meæ, viæ vestræ, dicit dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra,sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris,& cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Deniq;,quis non ex hominibus,si inobediẽtes fiãt serui,& in inobediẽtia perseuerent,vindictã meditabitur aduersus illos,& tormenta excogitabit quibus rebelles digne puniat? Deus autẽ noster, de nobis inobediẽtibus,& multimodis suo mãdato repugnãtibus,cogitat nihil-
Hier.29. ominus cogitationes pacis,& non afflictionis,quemadmodũ per Hieremiã attestatur:Et cum essemus natura filij iræ,cogitauit de nobis in gratiã reuocandis. Et vbi quęso inuenietur in hominibns,
Ephe.2. vt pro liberandis seruis sua iniquitate carceri adiudicatis,vnicum filium suum mittat paterfamilias; vt hic quidẽ morte moriatur,illi autem vitã eius morte accipiant? Attamen ista fuit vna ex cogitationibus Dei,quã opere perfectam denunciat S. Apostolus, dicens: Proprio filio suo non pepercit
Rom.8. Deus,sed pro nobis omnibus tradidit illum. In abyssum descendimus, si in hæc altius cœperimus ingredi. Tantum dixisse sufficiat,ad indicandum verè dixisse sanctum Prophetam, quod cogitationibus non sit quisquam similis Deo. Nam & vulgo dici solet, Qualis quisque est,talia & cogitat. Proinde cum Deus reuera summe & immense bonus sit, & item sapientissimus atque potentissimus, ita vt nemo in his illi valeat assimilari: consequens est, vt & in cogitationibus suis talis inueniatur longè omnibus superior. ¶Versu octauo, Multiplicati sunt super numerum. In parte secunda versus,quoniam Græcum verbum ἐπληθύνθησαν ambiguum est, & ad omne genus indifferens, masculinum, fœmininum, atque neutrum; putant nonnulli legendum esse potius, Multiplicata sunt

A sunt super numerum,genere neutro,vt fiant relatio ad mirabilia. Alii malunt genere fœmineo dici, Multiplicatæ sunt,videlicet cogitationes Dei mirabiles,super numerum. Vtraque harũ lectionum bonam quidem habet intelligentiam. Videmus tamen etiam vetustissimos Latinorũ codices concorditer habere genus masculinum:atque ita potius arbitramur tenendum,posteaquã & Græca lectio non repugnat (quæ omne genus patitur)& cõmoda admodũ sententia inueniri possit,quemadmodũ monstrat inspecta Elucidatio. Neque enim temere cuiuslibet iudicio arbitramur esse commutanda aut innouanda,quæ sunt plurimorum sæculorum vsu confirmata,nisi vbi vel ratio vel autoritas id fieri debere manifeste edoceat. ¶Versu 11. In capite libri scriptum est de me,&c. Manifestũ est ex vsu scripturarum,sanctorum esse librum quẽdam vitæ apud Deum,dicente Moyse,cũ zelaret pro remissione culpæ,quã patrauit durę ceruicis populus,Aut dimitte eis hanc noxam,aut dele me Exod. 32.
de libro quem scripsisti. Et in Psalmis orat propheta sanctus,Deleantur de libro viuentium,& cũ iu Psal. 68.
stis nõ scribantur. Imò & ipse dominus in Euãgelio,cum ad gaudendum & exultandũ suos hortaretur,gaudij causam proponit inscriptionẽ libri: In hoc(inquit)gaudete,ꝙ nomina vestra scripta sunt Lucæ. 10.
in cælis. Nã qui in terra scribuntur(iuxta Hieremiã)impij sunt,qui recesserunt à domino. Hic autem Hier. 17.
liber vitę,nihil aliud est,quã ordo diuinę dispositionis,& scientia prædestinationis beatorum omnium,eorum qui sunt ad vitã ęternam præordinati atq; prędestinati. Nunc itaque quia Christ⁹ quaB tenus homo,& ipse ex illis vnus est,qui sunt ad gloriã assumẽdi,recte & ipse se fatetur in hoc libro scriptum. Quia verò ipse primogenitus est fratrum suorum,& præcipuus eorũ omnium qui in illã sunt gloriam sublimandi,per quem etiam vt filium naturalem & cõsubstantialem, in gratiam eiusRom. 8.
modi vocati sumus & susceptι a patre,omnes nos qui secundum adoptionem sumus in spe filiorum Apoc. 1.
Dei:iccirco recte ipse (iuxta humanum loquendi morem)tanquã dignior & primus omniũ, in capite libri,quasi in primo libri folio,scripturis dicitur. Ipsum enim libri caput dignior est locus. Nõ dicit autẽ simpliciter,In capite libri scriptus sum:sed de me scriptũ est,vt facerẽ voluntatem tuam. Nam omnes qui in libro ad gloriam conscribuntur possidendam,necesse est mediis cõgruis ad eũ pertingere,adimpletione videlicet diuinæ voluntatis. Vnde sicut in libro illo scriptũ est,ꝙ ad gloriã æternã sint peruenturi,ita similiter & quod Dei voluntatẽ implere debeant (per quam ad illã pertingitur fœlicitatem)eodem in libro describitur. Vnde ipsemet Saluator dicebat in via ambulantibus discipulis,Nonne oportuit Christum pati(quod erat paternæ voluntatis) & sic introire in glo Lucæ.24.
riam suam? Tanquam si diceret,De me quidem scriptum erat in libro,vt in gloriam introirem: sed & hoc in eodem scriptum erat,quod passionem & mortem antè eram passurus. Sciendum tamen est,plerosque hunc locum simplicius intelligere de principio libri Psalmorum. In primo enim Psalmo,in descriptione viri beati dicitur,quod in lege domini debeat esse voluntas eius: quẽ Plasmum
C nõnulli Christo peculiariter accommodant. Atque etiã si ipsi non peculiariter soli aptetur, constat tamen ad ipsum vt caput omnium fidelium,& primum beatorum præcipue pertinere. Itaque,cui illa superior expositio forsitan videbitur altior,poterit hac simpliciore contentus abscedere. ¶Versu 12. & 13. Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna. Ex Paulo manifestum est,iustitiam Dei duplici ter. Primum eam qua ipse in se iustus est, quæ est ipsemet Deus iustus, quemadmodum & omnia quæ Deo attribuimus,nõ aliud sunt quã ipse Deus,& secundum rẽ cum essentia ipsius sunt idem. Alio modo dicitur Dei iustitia,vt distinguatur contra iustitiã quæ ex lege est. Atque ita accipitur pro iustitia quę coram Deo est,quam Paulus etiam appellat iustitiam fidei siue ex fide,de qua plurima disserit Epistola ad Romanos. Quod ergo hic dicit Christus,iustitiam tuam annunciaui,iu Rom.13.
stitiam tuam non abscondi,vel ad priorem,vel ad posteriorem iustitiam referri potest. Nam iusti- &.4.
tiam,qua pater iustus est,annunciauit filius,quando finalem nos retributionem iustorum atque impiorum,cuique pro meritis venturam edocuit. Iustitiam nihilominus fidei etiam docuit,cum ad credendum sua prædicatione omnes inuitabat,dicens,Qui credit in me,flumina de ventre eius fluent Ioan.7.
aquæ viuæ. Qui credit in me filium Dei,habet vitam æternam. Qui crediderit,& baptizatus fuerit, Ioan.3. &
saluus erit:qui verò non crediderit,condemnabitur:& huiusmodi permulta. Deinde nec hoc absur 1. Ioan. 5.
dum foret,si iustitiã Dei intelligeremus præcepta illius,quæ filius aperte proposuit mundo,& ob- Marc.16.
D seruanda cum distinctione,promissionibusque,& interminationibus tradidit. Illud autem aduertendum est diligenter,quòd non iustitiam solam, neque misericordiam solam ànnunciasse se dicit Christus,sed misericordiam semper coniungit cum iustitia & veritate: vt quemadmodum terrorẽ incutiebat,detonando iustitiæ rigorem:ita & animos demulceret,suauis misericordiæ Dei,& æternorum bonorum proponendo consolationem. Quæ res omnibus veritatis prædicatoribus diligenter & sollicite imitanda est,vt neque semper blandiantur dulcedine misericordiæ,neque solum fulminent terrore iustitiæ:sed prudenter ista tanquam boni pharmacopolæ,adinuicem commisceant, vt fiat ex hac commixtione audientibus salutare antidotum: vbi si solum præberetur alterutrum, forsitan in nocumentum cederet accipientis.

XL. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus sequens in Christo domino agit,quemadmodum ex Euangelij Ioannis capite 13. fit manifestum, vbi partem decimi versus manifeste ipse sibi dominus accommodat, significans Iudæ proditionem à Psalmista prophetice prænunciatã. Attamen versus tres Psalmi priores non videntur à Christo pronunciari, sed potius ab ipso propheta, qui in spiritu Christũ contẽplans, de Christo loqui incipiat, beatos illos pronũciãs, & beatitudinem

dinem illorum particulatim declarans, qui in Christum egenum & pauperem venturum essent crediturí, ita vt ipse quasi à præfatione incipiat. Mox verò, à versu quarto vsq; in finem, personam introducit Christi loquentis, pro suis membris primum deprecantis, ac deinde aduersantium rabiem, ac maleuolentiam patri aperientis, & peculiariter Iudæ peruersissimam proditionem. Post quæ omnia sic enumerata, patris misericordiam implorans, orat non derelinqui, sed à morte resuscitari: de quo certificatus, in Deo patre suo gloriatur.

QVADRAGESIMI PSALMI ELVCIDATIO.

2. Cor. 8. Ioan. 1. Philip. 2. Esaiæ. 53. Sapien. 1.

1. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem:*

BEatus atq; fœlix est homo ille, qui intelligit & sentit vt oportet de paupere illo: qui cum esset diues, & nullius rei indigus, propter nos egenus factus est, vt nos sua inopia faceret diuites: qui cum esset excelsus in sinu patris, pauper & humilis factus est, exinaniendo semetipsum, accepta serui forma: in qua tanquam pauperrimus, despectissimus, atq; nouissimus hominum videri voluit: qui super hunc (inquam) pauperem intelligit, qui de eo sentit in bonitate, creditque in illum, & toto affectu ei adhæret, is vere beatus est futurus: nimirum particeps eius beatitudinis, quam ille humano generi sua miseria voluntarie assumpta parauit: *hunc enim Deus pater omnipotens liberabit, & saluũ faciet ad vitam æternã in die terribili, in die mortis, in die iudicij & vltionis, quãdo male erit omnibus, qui super illum pauperẽ noluerunt intelligere: *Insuper in tẽpore quo venerint super ipsum mala, siue peccatorũ tentationes & animæ pericula, siue aduersitates aliæ quælibet etiam corporales, dominus eum faciet sua protectione & consolatione saluũ, & de omnibus constituet sua gratia victorem. 2. Dominus conseruabit eum, & custodiet ab omni malo, & viuere faciet illum nunc quidẽ vita gratiæ in hoc tempore: post verò, vita gloriæ in æternitate: & faciet eũ beatum in terra, primum quidem in ista crassa atq; corporea terra secundum spem & securam expectationem, deinde plena atq; perfecta fruitione in terra viuentium, quæ expectatur in possessionem à fidelibus: * & non tradet eum voluntati inimicorũ eius, neq; patietur venire in manus & potestatẽ inimicorum, vt faciant ei iuxta suum desideriũ, & quicquid voluerint mali adimpleant. 3. Etiam cum morte appropinquãte super stratum doloris sui conscenderit, dominus leniet atq; cõsolabitur dolorẽ infirmitatis consolationibus suis: aderitque laborãti, & velut pro ministro atq; consolatione astabit illi: *& quemadmodum solet ad infirmorum consolationẽ lectus illorum diligenter versari ac reuersari, vt molliter cubent, & aliquod habeãt sui doloris lenimentũ: ita tu eris huiusmodi homini quasi minister, versans stratũ ipsius, dum illum in bona conscientia & lætitia interioris cõsolatione facies velut suauiter quiescere. 4. Vox egeni & pauperis, In afflictione & humiliatione mea positus ego filius tuus, ô mi pater, pro iniquitatibus populi mei (quas tu super me posuisti, vt pro eis tibi satisfacerẽ, & quas ego in memetipso libenter accepi ob amorẽ salutis eorũ) clamaui ad te in oratione mea; dicẽs, Domine pater, miserere mei atque meorum: * sana animas pauperũ meorũ, sana animas mẽbrorum meorum, quoniã agnosco & cõfiteor peccasse eos aduersum te: quorum peccata quo tu facilius remittas, ego in memetipso suscipiens, vt propria confiteor: * Animam etiã meam & vitam fac saluã ab omnibus malis, quæ propter istorũ peccata ex tua voluntate suscipiã, vt neq; in morte, neque in inferno permaneã. 5. Ecce aduersarij mei loquuti sunt aduersum me, mala dixerunt adinuicẽ, & in cordibus suis contra me. Quando ad mortẽ illum poterimus perducere, & quomodo nomen eius poterimus delere de terra, & de cordibus, atq; memoria hominum? Huiusmodi sermonibus conceptũ atq; firmatum contra me mortale odium protestãtes. 6. Et quidem si ad me ingrediebãtur (vt me viderent, vel audirent docentem, aut miracula facientem, vel aliud quidlibet agentem) considerantes me, & diligenter contemplantes in omni cõuersatione & doctrina mea, vt aliquid possent in calumniam & reprehensionem trahere, obseruantes nonunquam diligentissime & callidissime os meũ, vt aliquid ex eo possent rapere in calumniam: si (inquam) sic ad me ingrediebantur, meam frequentantes præsentiam, vana loquebantur, calumnias videlicet & opprobria: vtputa cũ ante oculos viderent me potẽtissima signa edere, dicebant, me ea facere in Beelzebub dæmoniorũ principe: * cõgregauerunt & accumulauerũt sibi in cordibus suis iniquitates, dũ ita per odiũ quomodo

** in die mala liberabit eum dominus.*

2. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra:
** & non tradat eum in animam inimicorũ eius.*

Esaiæ. 53.

*3. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: * & vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.*

4. Ego dixi, domine miserere mei:
** sana animam meam, quia peccaui tibi.*

5. Inimici mei dixerũt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius?
6. Etsi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur:

Lucæ. 14.

Matt. 12.

** cor eius congregauit iniquitatem sibi.*

7 Egrediebatur foras:
** & loquebatur in idipsum.*
*8 Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: * aduersum me cogitabant mala mihi.*
9 Verbũ iniquũ constituerunt aduersum me:
** nunquid qui dormit nõ adijciet vt resurgat?*

10 Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos:

** magnificauit super me supplantationem.*

11 Tu autem domine, miserere mei:
** & resuscita me:*

** & retribuam eis.*

12 In hoc cognoui, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

13 Me autem propter innocentiam suscepisti:

** & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.*
14 Benedictus dominus Deus Israël, à sæculo & in sæculum:
** fiat, fiat.*

tidie excrescerent malitiosæ cogitationes eorum. 7. Cùm verò foras à me egrederentur, similia loquebãtur, detractiones & blasphemias impudentissimas: *congregatiq; cũ pariter tractare cœperunt, quomodo me perderent, quomodo suas de me pessimas volũtates adimplere possent. 8. Aduersum me in meã pernitiem & in malũ meum, in occulto, in cõciliabulis suis tractabãt pariter, quomodo me dolo tenerent & interficerent: *cõtra me excogitauerũt mala in cordibus suis. 9. Firmauerunt cõtra me sermonẽ impium, crudele decretum, & iniquissimã sententiã: certa definitione statuẽtes, me sine causa interficere: hoc tanquã irreuocabile, & firmiter, quacunq; tandẽ via, quocunq; tandẽ consilio adimplendũ, ita firmauerant. * Sed quid, vos ô miseri, frustra molimini, quid tũ erit vobis, si hoc vestrum desiderium complere vos permittam, & vestrã iniquitatem quam concepistis perficere? Nonne qui sua voluntate ad quietẽ se componit similis mortuo, postquã dormitionis tempus finitum fuerit, iterum à somno resurgit ad opera solita? Quare nõ intelligitis, sic & mihi esse hãc potestatem, ponendi ad tẽpus animam meã: & cùm voluero, cùm resurrectionis tempus constitutum aduenerit, iterum resumendi eã? Ac tum quidam, cùm à somno mortis resurrexero, videbitis omnes machinationes vestras iniquas esse frustratas. 10. Et certè illud ô mi pater, inter cætera graue admodum ad ferendum, & durum toleratu fuit, ꝙ Iudas ille vir pacificus mecum, imò domesticus meus familiaris discipulus & Apostolus, is cui præ cæteris maiora ostenderã familiaritatis & honoris indicia, in quo etiã præ omnibus me fiduciam habere demonstraueram, dum illum velut dispensatorem mei sodalitij constitui, portatoremque & custodem eorum, quæ mihi dabantur in vsus quotidianos assignaueram: qui mecum panes comedebat in mensa mea, qui de eleemosynis mihi donatis sustentabatur, mecum semper accumbẽs, vt cæteri Apostolorum, vbicunque inuitabar: *ꝙ hic (inquam) contra me fraudem, deceptionem & malitiam suam magnificauit, hic ita apertè, ita ignominiosè sine causa in me insurrexit, vt in mortẽ me traderet, vẽderetq; vili pretio sacerdotibus & principibus populi Iudaici: ꝙ hic, inquam, leuauit cõtra me calcaneũ & plantã pedis sui, ita contra me insurgẽdo ferociter ad me supplantandũ, & morte opprimẽdum. 11. Tu autẽ domine videꝭ omnes meas, quas pro generis humani salute ex tua voluntate suscepi miserias, videns quoque cõsummatã & crudelissimã hãc militiã aduersariorum meorum, age mecũ misericorditer: * & ne permittas me (quod illi sperãt) à morte teneri: sed post paululum dormitionis meæ, tua potentia ad vitam fac me redire, atque à mortuis resurgere: * ac tunc accepta abs te iuxta decretum voluntatis tuæ potestate iudiciaria, illis aduersariis meis in obstinatione sua perdurantibus ego retributionem condignam & iusta reddã præmia prauitatis suæ. 12. In hoc autem ego cognoui ꝙ diligas me, ꝙ tibi sit in me beneplacitum, ꝙ non permittes inimicos meos plena lætitia gaudere contra me: ꝙ non patieris illos sui voti omnino fieri compotes. Quanquam enim ad tempus modicum habebunt lætitiam, dum me viderint morientem: non perdurabit tamen, neque perficietur hæc eorum lętitia, sed confundetur, cùm me cognouerint à morte resurgentem. Nam si quidẽ in manus inimicorum me dediſſes, & plenum eis feciſſes suum gaudium, indicasses vtique non fuisse tibi in me beneplacitũ. 13. Nunc verò tu me suscepisti in defensionem tuam, non relinquendum in manibus illorum, sed custodiendum ab inferno, & resuscitandum tertia die: idq; propter innocentiã meã, quã tu mi pater optime nosti. Nam pro peccatis generis humani suffeci, ꝙ morti memetipsum ad tẽpus subdiderim. Innocentia autẽ mea hoc apud te promeretur, vt à morte propter alienam tantum offensam suscepta, tua potentia resuscíter: * & tu me cõfirmasti à morte resuscitatum, ante conspectum tuum, in præsentia maiestatis tuę in sempiternũ: ita vt vltra non moriar, mihiq; mors nõ dominetur amplius, sed viuã in dextera tua inęternũ. 14. Pro tua immẽsa misericordia, quã per me prędistitisti generi humano sis benedictus, sis laudatus & glorificatus inęternũ, ô mi pater, qui es Deus verus, Deus totius fidelis populi tui: * ita fiat: ita fiat: ita fieri dignũ & iustũ est, ab omnib⁹ quicũq; sunt de populo sancto tuo, & nũc donec subsistunt in vita prędentis corporis pro modulo eorũ: & post huius vitæ terminum, in venturo sæculo, laude perfecta in æternum, Amen.

Rom. 6.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XL.

VErsu primo, Beatus qui intelligit super egenũ & pauperẽ. Nota in hoc Psalmo simile aliquid esse, quale & in secundo prius admonuimus. Primum enim Propheta in spiritu contemplans ea de quibus in posterioribus sermo habẽdus est, quasi sub sua persona loquitur: ac deinde post tres versus, Christum de quo prius sermonem fecerat, loquentem introducit de semetipso ad patrẽ, quẽadmodum in Psalmo 2. versibus aliquot, ipse Propheta indignabundus inuehebatur aduersus Christi occisores, & gloriæ eius osores: pòst verò, Christum facit de seipso loquentem suamque gloriam à patre sibi datam magnifice proponentem. Et quemadmodum in psalmo isto secundo, circa finem, rursum Propheta finitis Christi verbis ad suã personã repetit sermonẽ, dicens: Et nunc reges intelligite, &c. ita posset & in hoc præsenti Psalmo, versus vltimus accipi, quasi à Propheta post finitos Christi sermones pronunciatus: videlicet vt ipse qui initium Psalmi proposuerat, vltimum quoque versum, velut cõcludendo, dictis Christi adijciat: vt cùm Christus cõsiteatur à patre se susceptum & confirmatum inæternũ, ille quasi auribus cordis hoc audiens, præ gaudio respondeat versum benedictionis & gratiarum actionis, dicens: Benedictus dominus Deus Israël, à sæculo & in sæculũ: fiat, fiat. Aduertendũ tamẽ est, quãtum ad primos versus (quos in Elucidatione peculiariter ad Christum accommodauimus) posse illos etiã generaliter ad omnẽ pauperem & egenum accõmodari. Eritq; tũ sensus, beatũ esse omnem illum qui super egenis & pauperibus (quos mundus despectos habet) ita intelligit, ita sentit, quique ita eis afficitur, vt oportet: vt eorum & miserijs cõdoleat, & egestatẽ suppleat, in quibus potuerit. Et reuera ijs, qui sic intelligunt super egenũ & pauperem, euenient omnia bona illa quę in sequentibus duobus versibus describuntur. Nam iuxta domini vocem) beati misericordes pronunciantur, eo ꝙ & ipsi sint misericordiã consequuturi. In die enim mala liberabuntur misericordes per misericordiam suã, & conseruabuntur atq; custodientur à malo, nec in manus venient hostium suorum, & in tẽpore accipient consolationẽ per eã. Quę omnia respondentur ad huius Psalmi particulas, pulchrè explicat vir ille misericordiarum Tobias, filium suum instruẽs, in hũc modum: Quomodo (inquit) potueris, ita esto misericors. Si multũ tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguũ tibi fuerit, etiã exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniã eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat: & nõ patietur animã ire in tenebras. Fiducia magna erit corã summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. Veruntamẽ propter totius Psalmi cohærentiã, magis congruum videtur, & de paupere & egeno Christo potissimum intelligantur ista priora. ¶ Versu 6. Etsi ingrediebatur. Anceps in hoc versu distinctio est. Potest enim particula, cor eius cõiungi vel cum præcedentibus, ad hunc modum, Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur cor eius: ac deinde separatim cõgregauit iniquitatẽ sibi. Aut cũ sequẽtibus iuxta quod in Elucidatione distinximus, secundum communiorẽ virorum Ecclesiasticorum usum. Verũ vtro modo distinctio fiat, parum admodũ refert: cùm sit vtriusque distinctionis cadẽ sere sententia. ¶ Versu 8. Aduersum me cogitabant mala mihi. Videtur esse hic manifesta negatio, ac superfluitas vnius pronominis. Sufficiebat enim alterum, vel aduersum me, vel mihi: cùm vtrũque idem velit. Sed nihil dubium est, quin propter emphasim non inutiliter facta sit hæc repetitio: quẽadmodum & aliàs solet non rarò in scripturis inueniri. Veluti in Psalmo mox præcedenti, Beatus vir, cuius est nomen domini spes eius. ¶ Versu. 10. Etenim homo pacis meæ in quo speraui Iudam Christus vocat hominem pacis suę, id est, hominem pacifice secum conuersantem, tanquam vnum è familiaribus & discipulis suis, nihilq; verbo vel signo nisi quod pacis erat prętendentem: adeò vt ipso traditionis momento, osculum cum salutatione offerret, dicens: Aue rabbi. Quod autem dicit Christus, se speransse in Iuda, non sic accipiendum est, quasi spem in eo posuerit. (Maledictus enim homo, qui spem suã ponit in homine) sed intelligi debet, in quo fidebam, & cui confidebam. Planè enim Iudę confidebat dominus, cui etiã loculos credidit, in quibus ea portaret quæ ex fidelium deuotione Christo offerebantur, Neq; tamẽ hoc sic intelligendum est, quasi reipsa dominus illum fidelẽ habuerit, & vt talẽ reputauerit. Ipse enim multo ante (vt dilectus ait discipul⁹) noscebat omnes: & nõ opus erat, vt quisquam ei indicaret de aliquo, propterea ꝙ sciret ea quæ sunt in homine. Neq; dubiũ erat, quin quod postea apparuit, antè pręcognouit dominus: ꝙ fur erat & auarus animo. Vndẽ referẽte Ioanne cognouimus, diu ante passionis tempus à Christo Iudę malitiã in genere perstrictã. Cùm enim multi verbis domini scandalizati abscessissent retro, loquens discipulis duodecim, ait ad illos, Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Quod exponens Euangelista Ioannes, secretorum Christi optime cõscius, subiungit, Hoc autẽ dicebat de Iuda Simonis Iscariotis. Hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim. Itaq; nõ sic in Iuda speranit Christus, nõ sic illi fuit cõfisus, vt nõ prescriret fraudulẽtum animum: sed fictum illi se dicit, quantum ad exterioris operis exhibitionẽ. Cui enim præ cæteris credimus rerum nostrarum custodiã, apud nos esse bonã fidem hoc ipso mõstramus. Atque hac parte erat execrabilius Iudę facinus, ꝙ sic à domino suo honoratus, accepta rerum omnium cura, talem proditionẽ excogitauerit. Grauius enim est malum, & toleratu difficilius, cùm ij quos beneficio nobis obstrinximus, pro bonis mala referunt. Hinc in lib. Geneseos, Ioseph ab vxore domini sui ad concubitum sollicitatus, cõstanter æque ac fideliter respõdit, Ecce dominus meus, omnib⁹ mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec, quicq̃ est quod nõ in mea sit potestate, vel no tradiderit mihi, pręter te, quę vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malũ facere, & peccare in dominũ meũ? Recte ergo humano more conquerens: illud exaggerat Christus dominus, quod ab homine domestico, cui se bene fidere demõstrauerat, quẽ corã cęteris Apostolis bonę fidei testimonio honorauerat, talẽ sit passus proditoriã supplãtationẽ.

Matth. 5.

Tob. 4.

Psal. 39.

Matt. 29. Mar. 14. Hiere. 17.

Ioan. 12.

Ioan. 3. Ioan. 12.

Ioan. 6.

Ibidem.

Gen. 39.

XLI. PSALMI ARGVMENTVM.

FAtigatus qui corpore peregrinatur in terris, spiritu autem in cælis habet conuersationem, multiplicibus quæ in hoc mundo occurrunt tentationibus, distractionibus, diuisionibus, atq; molestijs hoc Psalmo ad cælos, mittit suspiria, fonte perenni refocillari (ad modum cerui) desiderans, ac diuinis aspectibus quantocyus re- Philip. 1.
præsentari exoptans: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo: quod desiderium donec differtur pascit interim sese, & consolatur lachrimis: subinde totus in sese effundens animam, vt in cælestia transiens, etiam nũc in terra positus, aliquem percipiat gustum illius perfectæ, quam postea consequuturum se sperat fœlicitatis, sicq; semetipsum in peregrinatione consolatur, animamq; aduersum inordinatam tristitiam, & superfluam cõturbationem confirmat. propter spem in sæculo futuro repositam. Atque ista quidem, septem versibus primis. Debinc autem conturbationem quam in hoc mundo patitur, intra angustos limites conclusus ante dominum (quem ab initio se dixerat sitire) proponit & tribulationes graues pariter & multas, quibus velut abyssis & immensis fluctibus obruuntur non rarò corda fidelium: contra quos, remedium est gaudere in domino, & sicut in prosperis, ita & in tristibus æque in domino lętari: specialiter autem orationis studium, quod admodum singulare & promptum valde refugium est aduersus omnia, ijs qui sibi illum familiarem student efficere. Quæritur tamen rursum apud dominum de sua derelictione, & debilitatione virium, potissimum inimicis cum gaudio sibi exprobrantibus. Verum contra hanc quærimoniam, in spe bona Dei, & salutis expectatione, seipsum confirmat animo, & quærulantem tristemq; animam consolatione corroborat.

QVADRAGESIMIPRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum:*
* *ita desiderat anima mea ad te Deus.*

2 *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum:*

* *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.*

3 *Fuerunt mihi lachrymæ meæ, panes die ac nocte:*
* *dũ dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?*

4 *Hæc recordatus sum:*
* *& infudi in me animam meam:*
* *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.*

5 *In voce exultationis & confessionis, sonus epulantis.*

QVemadmodum ceruus, cùm à venatoribus diu multumque agitatus, & canibus insectatus fuerit, vehementi desiderio anhelat ad fontes aquarum, vt in eis se saluet, in eis sese refrigeret, quo ad cursum vires nouas recuperet: * ita anima mea in hoc sæculi deserto, tentationibus pluribus ac varijs fatigata, insectationibusque multiplicibus (partim à dæmonum atque hominum peruersorum malitia, partim à carnis praua concupiscentia) molestata, ad te anhelat desiderio, cupiens in te oblectari, cõsolari, & refocillari. 2. Sitiuit anima mea, & magno affectu anhelauit ad te domi- Psal. 35.
num, qui es fons vitæ æternæ, & vena prima omnis vitalis gratiæ, de Hiere. 2.
qua hauriunt in gaudio omnes qui pia affectione ad te accesserint: ad Esa. 12.
te (inquam) sitiuit anima mea, tuis fontalibus & vitalibus aquis gratię spiritalis cupiens refocillari & cõfortari: vt nõ in cursu atque insectatione aduersariorum deficiam: ô domine, quãdiu in hoc degam exilio, quãdiu hisce fatigabor laboribus, quãdo dabitur mihi ad te venire, & exhiberi cõspectui tuo, vt facie ad faciem te videã, illicque satier 1. Cor. 13.
in aspectu glorię tuę. 3. Interim verò donec in peregrinatione ista cõ- Psalm. 16.
sisto, consolor me lachrymis, quas iugiter die ac nocte præ desiderio præsentiæ tuæ, absens tamen, effundo: atque his, nempe lachrymis, suspirijs, singultibus, quibus ad tuã præsentiã iugiter aspiro, quibus veluti panibus me pasco, me cõsolor, & conforto in spiritu meo: * dum interim dicitur mihi ab exprobrantibus incredulis & peruersis, Vbi est quẽ expectas Deus tuus? quãdo veniet? vbi apparet, ob cuius amorẽ ita te affligis, ita lachrymas fundis? sic mihi exprobrantes, quasi vana sit expectatio mea, & inane meum desiderium quo te expecto & desidero dominum Deum meum. 4. Reuolui in memoria, & recogitaui in corde meo ista, quæ ab exprobrãtibus per singulos dies me molestantibus, atq; à spe mea auertere cupiẽtibus, audio: atque ex aduerso illas venturas æterni fontis delitias, quas concupisco: * & ista sic recogitãs, effudi in memetipso affectũ animę meę, velut habenas ei liberas cõcedens, vbi quantũ posset ad te currere, plenoq; desiderio memetipsum excitaui, vt quantũ valerem, memetipso atq; omnibus quæ in hoc mundo sunt temporarijs relictis, totus in te transirem: * Spe enim Hebr. 8.
iam certus, quod transibo ex hoc peregrinationis loco, ex hac valle laboris, in locum illum quietis sempiternæ, in mansionem cælestẽ, in tabernaculũ nõ manufactũ quod fixit Deus, & nõ homo, tabernaculum verè admirabile perfectis delitijs, & omnium bonorum abundãtia: in domum domini Dei mei. Atq; ob hoc, quoniã illic stabilem & firmã ciuitatẽ me habere cognosco, interim etiã donec in terra pere- 2. Cor. 5.
grinus ago, eã si nõ corpore, certè spiritu & desiderio frequẽtare volo. 5. Ibi sonus auditur dulcissimus & suauissima melodia, in vocibus exultantium atq; collaudantium pariter beatorum, qui in summa illic charitate, & vnitate permaxima, in vno summe bono (quo omnes perfruuntur) compaginati & coadunati, pariter exultãt in eo pariterque collaudant, quasi festũ celebrãtes perpetuũ, quasi iucundum cele-

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 *Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?*

7 *Spera in Deo:*

* *quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.*

8 *Ad meipsum anima mea conturbata est:*

2.Cor. 13. 1.Ioan 3. Colloss.3.

Eccle.1. * *propterea memor ero tui de terra Iordanis et Hermoniim à monte modico.*

Psal.68. 9 *Abyssus abyssum inuocat:*

* *in voce catha ractarũ tuarum.*

10 *Omnia excelsa tua & fluctus tui, super me transierunt:*

11 *In die mandauit dominus misericordiam suam:*

brãtes cõuiuium. fœlices nimium conuiuæ: inter quos tãta est in exultatione, confessione, & lętitia vnitas, & quasi vna vox tantum esse videatur vnius conuiuę, mirifice apud sese lætãtis, exultãtis, atque (vt in iucundis epulis fieri solet) in hilaritate gaudioque canentis. 6. Et tu ô anima mea, ô mi spiritus, qui ista nosti, qui eandẽ hanc (cui etiam modo datur nonnunquã velut à longe assistere) expectas lætitiã & fœlicitatem, tu (inquam) mea bona anima: quare non in his accipis cõsolationem? quare tristitia grauaris & deprimeris? & quare me varijs cogitationibus, atque affectionibus sine ordine diuersis, cõturbas & cõtristas? An nõ tibi merito tantorũ bonorum expectatio, & tantę pacis secura spes, atque etiã ex parte aliqua in hoc tẽpore nonnunq̃ delibatio, sufficere debeãt ad consolationem & fiduciã. 7. Noli igitur conturbari, ô mea anima, si te insectentur venatores: noli canes rabido ore insequẽtes formidare, vt desperes, sed spẽ habeto in fonte aquarũ viuentiũ, in domino Deo tuo in illo refrigerare, quoties fatigaris: in illũ te immerge, quoties æstu atq; siti torqueris, infectata à malis venatoribus: *adhuc enim illi cõfessionẽ dabo in iucũditate cordis mei, quoniã ipse est salus faciei meæ, qui meã faciem honorabit, sublimabit, glorificabit & beatificabit ante faciem suã, cùm meã faciem suæ faciei opposuerit, vt à facie eius fulgeat in meã aperta clãritas splendoris æterni. sicq; trãsformer in imaginẽ eius, vt similis ei fiã, & apparcã in sempiterna gloria, & ipse est Deus saluator meus. 8. Quanquã autem, pijssime Deus, hisce modis cõsolari studeam memetipsum & quietã reddere desiderãtẽ animã: tamẽ quoties ad memetipsum cõuertor, cùm ad meipsum redeo ex contẽplatione horum cęlestium, quoties ab his auocor (per corporis necessitatem aut fragilitatẽ, aut aliter quomodocunque) mox mihi oritur cõturbatio: & quemadmodum, donec sic in desiderio æternorum defixus persisto, vtcunque cõsolationem & quietẽ percipio: ita ecõtrario quoties ad me redeo, & ad ea quę circum me sunt corporea ac tẽporaria, rursum cõturbationẽ, tristitiã & afflictionẽ inuenit anima mea: quoniã nihil aliud sunt omnia quę sub sole sunt, nisi labor & dolor & afflictio spiritus: * ac ꝓpterea iugiter ego studebo memor esse tui de terra ista corporea, quam nũc peregrinus inhabito: quæ iuxta Iordanẽ corporale fluuium sita est, & iuxta montem Hermoniim, qui iuxta adiacet. à mõte (inquã) paruulo & modico qui hìc in Iudęa est, in qua ego nunc in dolore peregrinationis vt aduena viuo, donec ad illos fluuios æternos paradisi tui, & mõtes æternitatis immẽsos perueniã. Nũc enim inter Iordanẽ fluuiũ paruulũ & Hermoniim mõtem paruulũ, cõclusa est terra angusta habitationis meę, dum interim suspiro ad cælestẽ illã tuæ domus amplitudinem. 9. Donec autẽ hìc ita in angusto terræ velut conclusus viuo, multę quotidie tribulationes occurrũt, etiã graues admodũ, & (quãtum humanitus videtur) impertransibiles insuperabiles: à quibus nisi diuino adiutorio liberati, indubie absorberemur & demergeremur in profundũ, quę sanè tẽtationes grauissimæ profundissimę, tot sunt, & ita cõtinue fideles obruũt, ita sese eueſtigio subsequuntur, vt videatur alia aliã velut aduocare, adducere, siue attrahere post sese: ita vt vel simul irruãt plures, vel abeunte vna mox succedebat altera, ita vt frequẽter ne respirare quidẽ liceat: *veniunt autẽ super nos hi tẽtationũ abysi, quasi impetu per catharactas tuas, quasi tu super nos eos effundas per canales tuos, cũ impetu: dum ex tua dispositione & voluntate ad nostrã vtilitatẽ eas in nos finis irruere. 10. Omnes sublimes tuæ inundationes, & feri fluctus grauium tentationum) quibus ex tua vltione pro peccato, & etiã ex tua dispositione, pro salutari exercitatione atque probatione solent homines obrui & grauari) etiã me tetigerunt, & trãsierunt velut gurgites aquarum super caput meum omniũ vitiorum tentationes, & impetus pulsarunt animum meum, nonnunquã etiã in altum sese accumulantes in modum diluuij, vt me demergerent in profundum: neque tamen me demerserunt, sed absq; nocumento tantum transierunt. 11. In tempore prosperitatis, quando læta, iucunda, & serena sunt omnia, cum prẽsente in nobis Dei visitatione nihil sentimus tenebrosum, triste, aut nubilum: sed sunt in corde pacata & trãquilla omnia, tunc mãdauit nobis Deus misericordiã suã, prẽcepitque memores esse misericordiæ suę, vt illã tũ maxime collaudemus, ac pro spiritali gaudio illi gratias agamus, quæ nobis ita diem in cor-

* *& nocte canticum eius.*

12 *Apud me oratio Deo vitæ meæ:*

* *dicam Deo, susceptor meus es.*

13 *Quare oblitus es mei?*

* *& quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?*

14 *Dum confringũtur ossa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulãt me inimici mei.*

15 *Dum dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus?*

* *quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

16 *Spera in Deo:*

* *quoniam adhuc confitebor illi:*

* *salutare vultus mei & Deus meus.*

in corde facit: * in tempore verò aduersitatis & tristitię, cum obruentibus tentationibus cœperit obnubilari atq; obscurari serenitas cordis, tunc mãdauit nobis Deus ad cordis nostri consolationem, orare æquo animo & psallere, hoc est, canere sibi carmina lætitiæ, & cãtica gratiarũ actionis, quibus nos vult ingruentem tristitiã & nubila depellere, ne tristitia aut acedia absorbeamur, aut nimia cordis obnubilatione obscuretur lumẽ spiritus nostri. 12. Atq; ob hęc semper ego paratam apud me habere volo orationem ad dominum Deũ, qui est vita mea; semper in promptu habere volo orationis refugium atque illius studiũ mihi conabor facere super omnia familiare, vt in omnibus obuenientibus tristibus eque ac lætis, aduersis atq; prosperis, semper ad illã securum habeam recursum: illa, meę peregrinationis miseriam studebo mitigare, & per illã interim corpore absens, spiritu me Deo prẽsentem sedulo exhibere conabor: *dicã in oratione mea, & confitebor domino, ꝙ ipse sit defensor meus atq; protector, ad quem statim per orationis deuotionem confugiã, quam mox affectu apprehẽdam, quoties vlla mihi difficultas aut aduersitas aduenerit. 13. Et cùm tu sis domine, quẽ ego elegi, & habeo in meum protectorem: quid est ô dulcissime defensor, ꝙ ita mei obliuisceris, ꝙ ita nonnunquam te mihi subtrahis, & sic absens (diu nimium iuxta meum desiderium) te abscondis, quasi prorsus mei videaris oblitus? * quare me pateris ita afflictum & tristẽ incedere, dum me tribulãt grauiter & affligunt inimici? quare ita permittis me tuum pupillum, tuę fidei cõmissum, ab illorum prauitate tribulari? 14. Cum infringi cœperint atq; deficere ossa mea, dum paulatim quasi flaccescunt vires animę meæ, spiritu tristi ossa mihi exiccante, statim gaudẽtes & exultãtes insultãt mihi aduersarij, homines carnales & amatores huius sæculi, atque etiã dæmones peruersi exprobrãdo loquẽtes contra me superba & inania. 15. Exprobrant (inquã) mihi per dies singulos absq; intermissione, cùm me vident in tristitia & afflictione incedentẽ, quasi desolatum, dicentes in modum exprobrantiũ, velut irridẽtes & insultẽtes mihi. Vbi nunc est Deus tuus, in quo habes fiduciã, propter cuius spem refugis nostra cõmercia, propter quẽ cõsentire recusas cõsilijs nostris, aut vias nostras sectari? quare nunc ita tristem te videmus incedere & desolatum? Videsne, quoniã vana est spes & expectatio tua? Hęc certe & alia his maiora, per singulos dies, propter omnẽ tẽtationẽ, audire me necesse est, ô domine defensor meus, ab insultãtibus: * Attamen ô tu mea anima, noli absorberi tristitia, noli conturbatione deijci, noli illorum terreri vanis exprobrationibus, neque vel tantillum commouearis ab eis. 16. Quin potius spem tuã figito in domino Deo tuo, sicque ea tibi velut anchora firma & immobilis, quam nulla tibi neque serenitas diei, neque turbulentia aduersæ noctis auferat: * tametsi nunc in peregrinatione agamus, elongati ab eo plurimum: veniet tamen, neque lõge abest tempus, in quo laudẽ plenæ confessionis ei persoluam: * ipse est enim salus mea, qui glorificabit sua bonitate vultum meũ: & ipse est Deus meus, cui adhęrebo, quę desiderabo donec viuã vsque dum me introducat in locum suum sanctum cum gloria cælesti, Amen.

Iacob.5. 2.Cor.5. Heb.6.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLI.

VErsu 1. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum &c. Non est vsitatus loquendi modus, vt dicamus desiderare ad fontes, aut sitire ad Deum, cum adiũcta præpositione Proinde, quod hìc dicitur, Ceruus desiderat ad fontes aquarum, & anima mea ad te sitit, atque desiderat: ita accipiendum est, vt sit sensus. Ceruus desiderio fertur, aut trahitur, aut anhelat ad fontes aquarũ. Item anima desiderio & siti fertur ad te, siue desiderãdo & concupiscendo tẽdit atque anhelat ad te. Notandum verò hoc in loco (quemadmodum & in alijs nonnullis scripturæ locis) per ceruos recte intelligi & figurari homines spirituales, quemadmodum per equum & mulum significari solent homines carnales. Vt enim equos, mulos, & asinos, qui in humana sunt seruitute, & ignobilioris sunt conditionis, venatores non persequuntur, sed ceruos maxime, qui extra humanã sunt seruitutem tãquã libertate à natura donati, nimirũ in spatiositate & virore syluarũ geniti, quorum etiam caro ad deuorãdum est delicatior alijs domesticis & seruilibus mãcipijs: ita similiter sunt inter homines nõnulli, tanquã equi & muli, quos diabolus velut quieta possidet seruitute, homines terreni animales, intricati, & desperati in cõcupiscentijs suis. Atque hos, quoniã pro sua voluntate secure possidet impius venator, nõ opus habet venatione persequi. Cæterum qui nobiliori animo ac meliori corde, in libertate sunt progeniti filiorum Dei, qui sui generis & originis nobilitatem attendentes, & libertatem

Psal. 31.

Universidad de Oviedo Biblioteca

Iohan.1. Ioan.3. tate (in qua à Deo per spiritualé regenerationẽ sunt cõstituti, vt filij Dei esse mereãtur) semper habẽtes ante oculos, ab impia & vilissima diaboli seruitute quam maximè abhorrẽt, cupiẽtes in ea ad qua generati sunt libertate persistere: hi nimirũ ceruis sese assimulare studẽt. Nã vt illi venatorum cornu expauescãt, ita & hi semper sunt bene pauidi, & ad omnẽ sonitũ malũ salubriter sibi prospiciunt, & ad mõtes cõscendunt quãtocyus: cursu velocissimo & admirãdis saltibus, cuncta obuiãtia mira agilitate trãsiliunt: quo sane cursu rapidissimo, & admirãdis saltibus, fit plerunque vt venatorũ atque insequentiũ canũ ora effugiãt, nisi löga fatigatione deficiant. Huiusmodi autem ceruos impij venatores nocte ac die persequi nõ desinunt, vt interficiãt ac deuorẽt. Et cùm fortassis aliquem venatione ceperint, quasi festum agunt diem: & multo gratior illis est esus carnium istorum, q̃ priorũ illorum quibus in pace fruuntur pro suo libito. Nam cùm vnum aliquem ex spiritualibus hominibus, post multum laborem dentibus apprehẽdere ac deuorare contigerit impios dæmones, tanquã magnas nacti delitias, gaudent & oblectantur multo amplius, q̃ super perditione hominum carnalium, qui illis sunt velut cibus quotidianus, ac proinde vilior. Illorum verò eius & perditio, tãto impijssimis his venatoribus gratior cibus, quãto minus expectatus, & quanto maioribus partus laboribus. Luc.15. Quomodo enim (Saluatore nostro omniũ ceruorum progenitore atteststãte) maius est gaudiũ angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, q̃ super nonagintanouem iustis qui non indigent pœnitentia: ita credendum est ex aduerso, maius esse gaudium angelis diaboli super vno iusto & perfecto in peccatum cadente (id est, super vno ceruo venatione capto) q̃ super nonaginta nouẽ peccatoribus, qui nunquam fuerunt in iustitia, id est, q̃ super nonaginta nouem porcis, equis, aut mulis, qui semper fuerunt in impœnitentia. Neque verò hoc tantum in loco, sed & in alijs cõpluribus, inuenimus perfectiores, & sublimiores propositos homines per ceruos designari: quemadmodum Psal.17. supra Psalmo.17. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me. Et rursum Psalmo 103. Montes excelsi ceruis, petra refugium erinacijs. Et in Cantico canticorum, assimilatur dilectus capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bethel. Causam autem quare per ceruũ Psal.103. Cãnti.2. & 8. signetur vir spiritualis (quemadmodum econtrario per equum & mulum homo carnalis) & per se quisq, facile intelligit, & ex præcedentibus insuper sufficienter colligi posse existimamus. ¶ Versu 2. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, &c. Apparet in vulgatis codicibus male legi hoc loco, Ad Deum fontem viuum: legendum autem esse, pro fontem, fortem. Nam & in Græco apertum est haberi ἰσχυρὸν: quod vocabulum, notum est non fontem, sed fortem significare. Et beatus Hieronymus ex Hebræo similiter fortem vertit: Sitiuit anima mea (inquit) Deum fortem viuentẽ. Atque ita videtur verisimile, propter similitudinem dictionum factam esse transmutationem, vnica tantum litera commutata, n, videlicet pro, r: quod sane facillimum est fieri, maxime cum sententia, prima facie magis fauere videantur fonti. Quid enim aptius potuit verbo sitiendi adiungi, q̃ quod aquas continet? Atque ita duplici hac ratione verisimile est factam esse immutationem. Similem locum indicauimus versu 8. Psalmi. 26. vbi pro voluptate legitur voluntas. Nos tamen in Elucidatione vulgatam lectionem explanauimus, & in textu (iuxta quod legi cõsuetum est) relinquimus. Vtraque enim lectio commodam habet intelligentiam. Ad Deum enim fontem viuum sitit fatigata anima, vt potu aquarum viuentium refocilletur, atque ita innouetur viribus. Sitit verò ad Deum fortẽ viuentem anima, petens ab eo fortitudine spirituali corroborari, & à forti postulans adiutorium, cõtra persequẽtes rabidos venatores. Atque ita in idem fere vtraque lectio coincidit. ¶ Versu 2. Quãdo veniam, & apparebo ante faciem Dei? Particula secunda huius versus, Quando veniam, potest legi vel per se absolute, vt sit sensus: ô quando veniã, & apparebo, vt sit quasi cum suspirio emissa vox desiderantis, Dixerat enim, desiderare & sitire animam suam ad Deum: ac mox subdit huius desiderij expressionem, dicens: O quando veniam. Aut legi potest coniunctim cum priore parte, ad hunc sensum, Anima mea ad Deum sitiuit, quando veniam & apparebo ante faciem domini: quasi dicat. Desiderio anhelaui ad Deum, donec veniam & exhibear ante conspectum ipsius. Per quod significat, suum desiderium non pœnitus complendum, neque extinguendam sitim, donec veniat ante cõspectum domini, vt illic de ipsius plenitudine inebrietur. Huic autem connexioni, licet prima facie vtcunque officere videatur, quòd mutata persona dicitur, quando veniam, cùm præcessisset, sitiuit anima: secundum veram tamen considerationem, cùm homo & ipsa eius anima ad idem spectent, nihil impedit quo minus recte ista valeat acceptari sententia. In Elucidatione verò, nõ nisi prioré expressimus. ¶ Versu tertio, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, Audi spiritualis homo, audi qui ceruus esse cupis: quẽ tibi panẽ quærere debeas, quo debeas pane in via peregrinationis huius sustentari. Fuerũt mihi (inquit Propheta sanctus, ceruorum exẽplum) lachrymæ meæ panes die ac nocte. Ecce lachrymas in panẽ habet rex & Psaltes domini, lachrymæ in viaticum sunt regi peregrino ad patriam tendenti. Et vere dulciores sunt hæ lachrymæ homini totis præcordijs Deum sitienti, quas pro absentia & peregrinationis dilatione effuderit, omnibus impiorum delitijs & voluptatibus. Neque potest sæculi conuiuis tam esse suauis cuiuscunque liquoris per os & guttur ingurgitatio, quàm est peregrino Dei, per natantes oculos, lachymarum effusio. Neque vllus cibus ingrediens in ventrem tam potest oblectare voratoris gulam, quàm refocillat mentem vel vnum ex imo Psal.101. corde eductum suspirium. Et forsitan iste panis est de quo alibi conqueritur pœnitẽs percussum se esse vt fœnum, & exaruisse corde, eo quòd oblitus fuisset, comedere panem suum. Et nos itaq; hunc panẽ nunquam obliuiscamur, interim dum peregrinamur in corpore lachrymis ac suspirijs nostrã peregrinationem atque exilium consolantes. ¶ Versu quarto, Et effudi in me animam meam, Hic dicit Propheta, Effudi in me animam meam. Alibi hortatur sperantes in domino effundere coram illo

A illo corda sua. Videtur autem duplicis huius sermonis non eadem omnino esse sentẽtia. Tunc enim effundimus intra nos animã nostram, quando (vt ita loquar) plenam nostro desiderio concedimus libertatem, quando penitus illi laxamus habenas, ita vt currat, imò volet quantum possit, illuc quo anhelat. Tunc sane corda nostra effundimus, intra nos quidem, aut ad nos, sed magis ad Deum: quẽadmodum ex aduerso effundi dicimus impiorum hominum corda ad sæcularia desideria, ad quę sine retinaculo ardentissime anhelant & festinant. Cùm verò iubemur siue monemur, vt libere ante oculos eius cuncta velut profundamus, nihil omnino illum celantes, sed nos, & omnia nostra, omnem miseriam, angustiam, egestatem, & omne nostrum imperfectum, ante conspectum illius nude proponentes, & quasi ante pedes illius proijcientes, & pleno cordis affectu illi commendantes: quomodo etiã vulgo dicere solemus, amicum effundere coram amico cor suum, quando illi omnia secretissima quoque & occultissima denudat, auxilium & consilium poscens, suamque causam amico amice cõmendans, Debet ergo vir iustus hoc modo corã Deo cor effundere, debet nihilominus (iuxta præsentis Psalmi textum) etiam interdum in sese animam suam effundere, atque liberis datis habenis pati, vt tota in cælestem transmigret fœlicitatem: vbi tanquam præsentialiter assistens, audiat voces collætantium ciuium supernorum, vnde consolationem hauriat animæ suæ, contra voces exprobrantium, atque ad sęculi voluptates ipsam sollicitantiũ. ¶ Versu 8. Ad meipsum anima mea cõturbata est. Nota, & cùm ad Deum sitimus, donec ad illum effundimus animam, donec præ desiderio lachrymas fundimus, donec cęlestibus cõuiuijs spiritu assistimus, non cõturbatur anima nostra, sed consolatur semetipsam, in tantorum contemplatione & expectatione bonorum: quę tanta vtiq; sunt, vt nõ tantum in fruitione, verumetiam in expectatione animum fidelem mirifice oblectent. Verum cùm ab his anima recedens ad semetipsam conuertitur, id est, cùm se apud se rursum inuenit. (Neque enim diu permittimur corporis fragilitate, & persequentium malitia, talibus interesse delicijs) tum verò tãto amplius cõturbatur & anxiatur paupercula anima, quãto iã dulcescere ei cœperant, quibus ad modicam morulam permissum fuerat oblectari. Et quemadmodum qui à somnio magnæ fœlicitatis euigilat, torquetur, nihil inueniens eorum in quibus paulo antè gaudere videbatur: ita multo amplius ad solitas miserias relapsa à tam sublimibus anima vehementer cõturbatur. Non tamen quiescit, sed rursum quoad potest ascendere conatur, vnde cecidit. Et si non semper ita in sublime volare possit, ad illum quem desiderat, vt eius assistat beato conuiuio: memoriam tamẽ eius & recordationem nequaquã abijcit. Nouit enim anima, quæ fidelis est Dei amatrix, etiam in sola Dei memoria semetipsam oblectare: iuxta quod alio in loco in desolatione positus ait: Memor Psal. 76. fui Dei, & delectatus sum. Quid enim? Si ij qui secundum carnem amore fœdo se diligunt, nõ solùm in præsentia mutua delectãtur, sed & in recordatione sciunt inuenire qualécunque oblectationem,
C si sic amantibus iucunda est, vel recordatio mutua, vbi nõ datur frui præsentia: quãto amplius putamus purissimum illum Dei amorem (qui nequaquam secundum carnem est, sed secũdum spiritum) sufficientẽ ex sui dilecti haurire posse sola recordatione lætitiã, qua se consoletur, ne tentantium vocibus cõsentiat, aut post alienos amatores proprio relicto discedat? Atque hanc ob causam ait sitiẽs ad Deum, postquã conturbari sentit animã suam, velle se Dei memorem esse de terra ista miserię, de angustia mũdi huius. ¶ Versu eodẽ, Mem. ero tui de ter. Iord. &c. Hoc tametsi habeat mysticas intelligentias, quas apud alios qui ante nos in Psalmis elucidãdis laborarunt, promptum fuerit inuenire: nos tamen maluimus secundum literam intelligere, vt per hoc significetur angustia & vilitas huius mundi, & terrenæ huius habitationis, quam ille non ignorat cui ad superna nonnunquam conceditur accessus. Est autem (vt crasso exemplo manifestam aperiam intelligentiã) talis fere hic Psalmistę in terra promissionis consistentis, atque eius etiã regna tenentis sermo, tanquam si ego in hoc Loua mensi solo positus (in quo nunc mihi peregrinationẽ constituit omnipotens) dicam iuxta formã huiusmodi, ad meipsum, Domine, anima mea conturbata est, dum humana audio, humana video, humana sustineo, dum corporalia sese & crassa ista vbique ingerunt: propterea ad consolamen animæ meæ volo tui iugiter esse memor, de terra hac (in qua mihi dedisti peregrinandi locum) fluuij Diliç & montis Roselani, qui mons & paruulus & modicus est: id est, de terra angusta quę fluuio Dilia &
D monte Roselano (qui modicus admodum est) cõcluditur. Illud verò mirum, Prophetę cęlestia desideranti, totam ludeæ terram videri angustam & modicam, Iordane fluuio & monte Hermoniim cõclusam: cum terrenis & terrena amantibus, etiam pedis vnius spacium tãti æstimetur, vt pro eo nõnunquam acerrime depugnent atque digladientur, interdum vsque ad vitæ pericula, & maxima discrimina. Ita videlicet, qui non nisi terram norunt, nunquam contemplati superna, mira putant quæ hìc videt omnia. Contra verò, quibus familiare est, aut certe quibus nonnunquã conceditur relictis his infimis ad superna euolare, quorum pedes in amplissimis illis atrijs supernæ Hierusalem aliquãdo constiterunt, quibus videre datum est, quàm iuxta Prophetam magna sit domus Dei, & quàm Psal.121. ingens locus possessionis & regni eius: hi nimirum, etiam regiones & patrias totas reputare norunt Baruch 3. angustissimas: imò totam mundi quæ videtur latitudinem, non nisi angusti carceris æstimant locũ. ¶ Versu nono, Abyssus abyssum inuocat, &c. Quòd abyssus abyssum inuocet, alij ad duorum testamentorum (quorum vtcunque abyssus est impenetrabilis) consonantiam malunt referre. Alij abyssum vnam dicunt esse, humanæ miseriæ & multiplicis iniquitatis profunditatem interminam: alteram verò ex aduerso, Dei misericordiam, quę similiter est abyssus altissima & prorsus inexhausta, quam tantorum sæculorum decursus neque adhuc exhausit, neque exhaurire poterit vnquam. Huius autem duplicis abyssi, illa quidem hanc inuocat: prior illa, ad hanc posteriorem clamat (quoniam profunditas iniquitatis humanæ, profunditatem inexhaustam postulat Diuinæ misericordiæ)

vt ab hac illa absorbeatur. Neque enim potest aliũde absorberi abyssus & profunditas humanę malitiæ, nisi ab abysso Diuinæ misericordię. Nos tamen in Elucidatione, quod ad cõtinuationem literæ, & præcedentium atque sequentium consonantiã magis nobis videbatur accommodum explanauimus, per abyssos intelligentes tentationes profundas, & quantum ex nobis impertransibiles: de
Psal. 123. cuiusmodi in alio Psalmo legimus. Cùm iraſceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitã pertransisset anima nostra aquam intolerabilem: Huiusmodi enim intolerabilẽ, id est, impertrãsibilem & ineuasibilem aquam, nos maluimus in proposito abyssum nuncupare. Verum iuxta hanc sententiã, forsitã difficile videbitur intelligere, cur de abyssis istis dicatur, quòd adducat siue aduocet alia aliã, in voce cataractarum Dei. Quæ enim sunt istę cataractę Dei, & quę est ista vox cataractarum? Sed attendendum est sermonẽ fieri metaphoricum, secundum respectum ad defluxũ aquarũ copiosarum in tempore pluuiæ. Congregãtur enim pluuiales aquæ, & descendunt per cataractas siue canales, & ita irruunt super trãseuntes nouo cõtinuo gurgite aquas copiosas cum sono magni impetus effundẽte. Per cataractas itaque Dei, fidelis sibi venire asserit inundationes aquarum, quas super se venire sentit: quoniã tribulationes atque tẽtationes quas experitur plurimas, tanquam à Deo desuper missas acceptat, attendens ex ipsius iudicio & dispositione ita hæc sibi euenire, ac velut desuper super se emitti. Quæ enim in nobis in præsenti tempore perferẽda obueniunt, vel à Diuinæ iustitiæ vltione procedunt (veluti cùm in vindictã & vltionem peccati, Deus famem, pestilentiã, aut bellum, aut etiam alias interiores animæ vltiones immittit) vel à Diuinæ misericordiæ benignitate, quæ electis suis aggregare volens cumulos meritorum, multis illos aduersis & tristibus, tam quoad corpus, q̃ quoad animã exercitari permittit: vt
1. Pet. 1. (iuxta Petrũ Apostolum) probatio fidei & virtutis eorum multo pretiosior inueniatur auro, quod per ignem probatur: quibus modis, sanctos viros Iob atque Tobiã etiã legimus exercitatos. Non-
Iob 1. & 12. nunquam verò desuper nos obruunt tentationum atque tribulationum gurgites, pariter ab vtroq; id est, simul à misericordiæ benignitate & vindicta iustitiæ. Quemadmodum omnia pene corporis
Tob. 3. incõmoda & necessitates plurimæ, in pœnam & vindictã primæ inobedientiæ humano generi sunt
Rom. 8. inflicta: ita tamen, vt ex dispositione supernæ clementiæ diligentibus Deum cooperentur in bonũ, qui ea de manu Domini susceperint, atque pertulerint cum patientia. Recte ergo vir fidelis, tanquã à Deo cuncta suscipiens quæ patitur, & propter ipsum libenter omnia sustinens, dicit abyssos vnam post aliam super se venire in voce & impetu catharactarum Dei: eo quòd videantur vt à Deo effusa, cum impetu decurrere. Quomodo autẽ viri iusti in omnibus quæ patiuntur malis, semper ad Dominum respiciunt, & tanquam ab eo venientia acceptant in annotationibus Psalmi 38. satis apertè declarauimus in pertractatione illius sententiæ: Quoniã tu fecisti, amoue à me plagas tuas. ¶ Versu 10. Omnia excelsa tua & fluctus tui, &c. Per excelsã, intelliguntur sublimes & eleuati gurgites, siue altæ aquarum inundationes. Vnde alia translatio habet pro excelsis, suspensiones, id est, aquas altas, & quasi in alto suspensas. Beatus verò Hieronymus ex Hebræo vertit gurgites: alius autem, inundationes (quæ omnia consensu in Elucidatione explanato, recte consentiunt. Hoc tamen notandum est, quòd gurgites isti inundantium aquarum & fluctuum, id est, magnarum tribulationum atque tentationum, dicuntur fluctus & excelsa Dei. Sic enim ait, Omnia excelsa tua & fluctus tui. Quod eadem ratione accipiẽdum est, quę iã statim nobis exposita est: quoniã videlicet ab eo descẽdunt, & vt ab eo demissa suscipiuntur. Quemadmodum cùm dicimus plagas Dei, non intelligimus eas quas Deus susceperit, sed quas à Deo nos suscipimus, & quæ ab illo super nos veniunt. Quoniam verò hoc in loco tentationum aduentus per abundantiam aquarum desuper per cataractas aduentãtium significatur, considerandum est, quod sicut irruentibus huiusmodi aquarum fluctibus quidam tantum abluuntur corporaliter, ita vt transeuntes aquæ nihil afferant corporalis nocumenti, ijs super quos transierint, alij verò in ijsdem suffocantur: ita & in spiritualibus videmus quosdã quãtumuis magnis tentationum gurgitibus non solum non vitæ detrimentum accipere, verumetiam per ablutionem fieri mundiores, cùm alij sub ijsdem conspiciantur perire, & si quid habebant vitæ spiritualis deperdere. Nam vt sub canalibus domorũ cùm vehemens pluuiæ impetus descenderit, qui erecto cõstiterit corpore, caput verò in partem alterã declinãs, aut manibus alióue commodo operelo cõmuniens, diligenter custodiat, ita vt omnis aquæ cadentis impetus in robustas ad perferendũ scapulas feratur, detrimentum vitæ non accipiet eiusmodi, etiãsi tempestuosa valde & longa fuerit pluuia) transibit enim aqua, & mox vt illum tetigerit, diffluet ab eo) contra verò qui sub canali cõsistens adueniente pluuiæ impetu, motu in terram corruit, necessario suffocabitur ab irruẽte aquarũ impetu: sic & in tentationum aduẽtu, qui forti & inuicto animo perstiterint, perseuerãtes in sua rectitudine, & infracti corde, ex tentationũ incursu non accipient vllũ detrimentũ, sed trãsibunt tẽtationes: ipsi verò, illis diffluentibus, etiã mundiores apparebunt. Qui verò tentationũ impetu in terrã prosterni se patiuntur, cõtinuo desuper cadẽtibus aquis necesse erit hos suffocari. Noster autem cælestia sitiens Propheta, fluctus super se quidem confitetur irruisse, sed gaudet transisse: quomodo
Abac. 3. etiam Abacuc Propheta, finem considerans persequutionum populi Dei canebat, trãsisse aquarum gurgitem. ¶ Versu 14. Dum confringuntur ossa mea, &c. Quemadmodum confractis ossibus nihil est in homine stabilis virtutis, ita vt nec ambulare quicquã valeat (iuxta quod etiam vulgo per ironiam dicere solemus, pigros in operibus, aut in gressu tardo sic operari aut ambulare, quasi ossa habeãt omnia confracta) ita & spiritualiter dicuntur ossa confringi, cùm incipiunt vires ad bene agendum deficere. Contingit autem nonnunquã homines etiã iustos, tentationum vel grauitate, vel nimium morosa prolixitate, adeò vehementer conturbari & frangi, vt videatur quasi viribus destitu-

ti, &

A ti, & collabi in nihilum: cùm se videlicet sentiunt & grauissimis vrgeri tentationibus, & nullo diuinarum rerum feruore tãgi, ita vt nihil illis ex animo libeat agere, dum nullã percipiunt internã cõsolationem. Atque in hoc statu cùm inuenerint impij dæmones, atque homines sæculi, eum qui Deo seruire cupit tanquam occasionem bonam nacti, incipiunt tam exprobrare illi, ac dicere, Quid ita ambulas tristis, desolatus atque deiectus animo? Videsne iam Deo nullam esse tui curam? Necdum percipis frustra te illum expectare? Nónne es tu ex electis illis, quos ad vitam prædestinauit? Illis enim sunt gaudia, tibi verò perpetuus cruciatus. Iam tantos dies, tantos menses, ecce tristis & desolatus obambulas, & nihil omnino consolationis persentis. Vel hoc ipsum euidens est testimonium, Deus (in quo speras, propter quem delicijs huius mundi frui recusas) te abiecerit. Veni ergo nobiscum, & fruere ijs quæ offeruntur, & lætare in diebus vitæ tuæ, ne vtraque pariter cõsolatione prioris. Hæc (inquam) atque huiusmodi iustis in illa quã dixi ariditate & deiectione positis, solent inimici proponere, partim quidẽ ad eorum illusionem, partim verò ad ipsorum in malum sollicitationem. Verum attendendum est, quid aduersus horum exprobrationes obiecerit consilij Propheta sanctus. Mox enim ad animam suam sese conuertens, blanda increpatione eam redarguit contristatam, hilarique exhortatione consolatur eãdem, spem firmam bonorum cælestium proponens. Hoc enim est, quod post inimicorum exprobrationem statim subiungit, Quare tristis es anima mea, &
B quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, &c.

XLII. PSALMI ARGVMENTVM.

ARgumentum Psalmi sequentis non aliud est, quàm quod habuerit præcedens: est q; velut continuo materiæ Psalmi præcedentis. Vnde & in Hebræo ἀνεπίγραφος est, id est, tituli nullius inscriptionem habens. In illo nãque circa finem dixerat vir spiritualis Deum sitiens, de aduersarijs sibi exprobrantibus seq; affligentibus. Contra hos nunc, non mala tantum exprobrantes, sed dolos etiam meditantes & mala inferentes, Diuinum implorat iudicium, suam derelictionem & desolationem in afflictione ab aduersarijs, per querimoniã proponens. Postulat autem aduersus omnia huius vitæ discrimina, de cælo sibi dimitti lucem & veritatem, quibus comitibus per viam secure deduci se posse confidit, & ad optatum pertingere terminum, vsque ad altare Dei, vsque ad præsentiam Diuinæ maiestatis. Nouissimis autem versibus duobus, in spe beatæ confessionis & salutis seipsum consolatur atque confirmat.

QVADRAGESIMI SECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

C 1 *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: * ab homine iniquo & doloso erue me.*

2 *Quia tu es deus fortitudo mea: * quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

3 *Emitte lucem tuam*
D *& veritatem tuam:*
** ipsa me deduxerunt & adduxerunt in mõtem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

4 *Et introibo ad altare Dei.*

** ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.*

IAc pro me Deus iudicium, discute, discerne diligenterque considera causam innocentiæ meæ, aduersus populum impium, contra turbam malorum qui me persequuntur: vt pro me, aduersum illos, facias iudicium: * ab hominibus iniquis & fraudulentis qui impietatem & dolos meditantur contra me in cordibus suis, & exercent in operibus, tuo iusto iudicio libera me, vt quod desiderãt non obtineãt, neque voto suo valeãt potiri. 2. Tu enim Domine es meum robur omne, & tota fortitudo mea, in quo Philip. 4.
possum quicquid possum, imò in quo omnia possum, & sine quo ni- Ioan. 14.
hil possum, atque ideo Domine non confidens nisi in te forti auxiliatore meo, ad te cõfugio: * & cùm in te spẽ meam omnẽ constituerim, quid est pijssime Domine, quod me ita derelinquis, vt quasi repulisse & abiecisse videaris, quasi nulla sit tibi cura mei: cùm ab inimicis iniuste me sustines affligi? & quare sic mœstum atque desolatum permittis incedere, affligentibus & tribulantibus me aduersarijs meis, qui mihi sunt suis tentationibus admodum molesti & infesti? 3. Respice tandem ad me multimodis afflictum, & demitte mihi de cælis in cor meum lucem spiritualis gratię tuę, & pręclaram veritatem tuam: per quam tam credenda q̃ agenda valeã cognoscere: * hæc enim sunt, quæ me inter tot miserias, anguſtias atque tentationes secure deducẽt per vias huius vitæ, ducatumque certum præstabunt, ne vllum ad patriam tendenti obueniat nocumentum, & adducẽt ad optatum terminum, nempe in locum habitationis gloriæ tuæ, qui est vt mons altissimus atque stabilissimus, ad sanctum & firmissimum habitaculum tuum, in
quo sunt mansiones plurimæ, in quo cum tuis ministris omnibus in- Ioan. 13.
habitas in tua magnifica gloria. 4. Atque his ducibus, perque viã comitibus, introgrediar ante præsentiã Diuinę maiestatis tuę, palamque
accedã ante conspectum gloriæ tuæ, vt te facie cõtempler ad faciem, 1. Cor. 13.
vt tibi hostias sempiternas plenæ laudis corã te assistens indesinenter
offerã: * ad te inquã mi suauissime Deus, qui meã vetustatem consu- Psal. 102.
mis & conteris, ac iuuentutem restituis: qui renouas vt aquilæ iuuentutem meam, qui me quotiescunque nunc per defectum vigoris spiritualis veterasco, benigno aspectu tuo & interioris gratiæ infusione, in pristinum, imò in meliorem statum restituis: & cùm per tri-

stitiam

Prou. 17. & 25. Psal. 50.

5 Confitebor tibi in citharа, Deus Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*
6 Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.*

Psal. 149.

stitiam ossa consumentem, animiq; deiectionē ad interitum tendo, tu E mihi lætitiā reddens salutaris tui, & spiritu principali iterū me confirmās, facis velut reiuuenescere: vt non solum peream, sed etiam ad virtutum exercitia alacrior fortiorque reuertar. 5. Proinde cōfessionem tibi dabo in maxima lætitia cordis mei, etiam in citharis alijsque musicis instrumentis, ad plenioris gratiarum actionis testimonium tibi laudē cātaturus, tibi (inquam) ô mi Deus, ô mi suauissime Deus: quod nomen, quō frequētius replico, eo dulcescit amplius: * tu verò ô mea bona anima, quur contristaris ista nō ignorans, tātarum rerum spem habens, & quare tua tristitia atq; deiectione me conturbas? quur non in his teipsam potius consolaris? 6. Firma spem tuam in domino, & in illo temetipsam oblecta, dum in alijs omnibus nihil nisi vanitatē inuenis & afflictionē spiritus: * adhuc enim illi dabo confessionē laudis in gaudio, adhuc illi plenis buccis concrepabo, adhuc erunt exultationes & cantica eius in gutture meo: ipse enim est salus & gloria vultus mei, & Deus meus verus ac viuus, cuius laudem nunquam ego eripi patiar de ore meo, sed spero mihi fore perpetuā, donec ad locū F laudis plenissimæ me adducat, ante conspectum suum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLII.

HVnc Psalmum habet consuetudo Ecclesiasticorum plurimorum sacerdotum, ante missæ initium, quasi in præparationē accessus ad altare sanctum præmittere: nimirum quòd eos qui ad sacrosancta illa mysteria dominici corporis & sanguinis celebranda & percipienda sunt accessuri, non conueniat esse spiritu contristatos, aut deiectos animo sed alacres & hilares corde, ob præsentiam Diuinæ maiestatis, ad cuius venerandum altare accedit, qui sacrificium Ecclesiæ est oblaturus. Petit itaque hoc Psalmo præparatorio sacerdos, sancta Domini sacramenta celebraturus, auxilium Diuinæ miserationis, & aduersum contristātes, affligentesq;, spiritum suum, postulat fieri iudicium, lucem quoq; & veritatem desuper mitti, quibus comitatus secure, munde, & digne possit ad Dei altare accedere, fructumque sacrificij percipere. Et licet principaliter de altari spirituali intelligatur versus quartus, ad quod videlicet mente & affectu introgrediemur, siue in hoc mundo constituti, siue in futuro sæculo (vt pòst dicimus) potest nihilominus commode ad hanc intentionem sacerdos Psalmum vsurpans, per altare Dei, ipsum illud materiale altare intelligere, ad quod sacrificij causa parat accedere. Atque ita sperat lætificari suam iuuentutem, non quidem ab ipso materiali altari, nō G à lapidibus & cæmento: sed ab ipso, quem offerre parat, & cui offerre parat, Deo, id est, à patre, verbo, & spiritu sancto, Atque ideo nō dicit simpliciter, Introibo ad altare Dei, quòd lætificat iuuentutem meam: sed adijcit dicens, Ad Deum, qui lætificat, Ad Deum autem accedit qui sacrificare parat, siue ad totam beatam trinitatem, vt illi sanctissimā saluberrimamque hostiam offerat & consecret, & in eius conspectu oblatam sumat: siue etiam Christum hominem & Deum, vt illum offerat patri, atque adeò (quatenus secundum humanitatē hostia est) toti superbenedictæ Trinitati. Confidit autem lætificari suam iuuētutem, quoniam ex Ecclesiastico dogmate nouit, quisquis sacrificium illud non indigne celebrauerit, & sacramentum non indigne manducauerit, accipere eum per virtutem mortis Christi (cuius est memoriale) spiritualis gratiæ confirmationē siue augmētum, & pignus vitæ æternæ, iuxta quod in festo altissimi illius sacramenti, canit sancta Ecclesia, O sacrum conuiuiū, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ glóriæ nobis pignus datur. Et quia in accepto pignore æternæ fœlicitatis non potest non bene sperare & lætari fidelis, ideirco hac spe suam animam tentationibus fatigatam consolatur. Hæc diximus, propter vsum venerabilium dominorum sacerdotū: vt sciāt quemadmodum hunc Psalmū præparatorium sibi debeāt adaptare. Sicut vniuersi Christi fideles (iuxta Apocalypsis testimonium) spiritualiter sunt Dei sacerdotes, offerētes per Christum (iusta quod Hebræis scribens ait Apostolus) hostias H laudis semper Deo patri, ita & vnicuique potest Christi fidelium spiritualiter etiam secundum hūc vsum cōpetere, cùm suum animū voluerit ad offerēda orationum laudumque suarū sacrificia præparare. ¶ Versu 1. Iudica me Deus, & discerne causam meam. Discernere pro dijudicare positū est, siue potius attendere. Nam dijudicatio & discretio, comparationem quandam vnius ad alterum, & ex comparatione eiusmodi, cognitionem, secundum propriam acceptionem, videntur significare: quod manifestum est Deo nō conuenire, qui non per eiusmodi comparationem causæ ad causam, sed absq; omni collatione, sola causæ attētione & inspectione cognoscit, cuius sit innocētia. Quòd ergo dicit, Discerne causam meam, more hominum iudicum loquitur: quos necesse est causam causæ comparare, atq; ita quis reus, quis innocens, perdiscere. Est autem sententia: Attende ad causam meā, cognosce eam, respice ad eam: videlicet, vt propter innocentiā meam, cùm tibi fuerit perspecta & bene cognita, ab aduersantium infestinatione me liberes. Quantum verò ad particulam illam, de gente non sancta, aduertendum est, ancipitem eius esse constructionem. Solemus enim vulgatiori vsu eam coniungere præcedētibus, quomodo & in Elucidatione exposuimus, hoc modo: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: vt petat sibi fieri iudicium de gente nō sancta, & quantum ad illos suā causam discerni. Ac deinde subsequitur: Ab homine iniquo & doloso erue me, quasi prioris partis clarior explanatio. Nihil enim aliud, Iudica pro me de gente non sancta, q̄ ab ho-

Apoc. 1. & 5. Heb. 13.

A ab hominibus iniquis eripe me. Sunt tamen qui particulam supradictam cum sequentibus connectunt, præcedentia absolute legentes, ad hunc modum, Iudica me Deus, & discerne causam meam. Ac deinde, De gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me. Atque huius quidem lectionis non est difficilis intelligentia, conuenientior tamen videtur prior distinctio, quæ & vsitatior est. ¶ Versu tertio, Emitte lucem tuam & veritatem tuam, &c. Per lucem & veritatem intelligimus in Elucidatione dona, quæ desuper mittit Deus in cordibus nostris per spiritum suum sanctum, qui est spiritus lucis & veritatis, interius nos illuminans, & veritatem docens de omnibus tam credendis, quàm agendis, iuxta quod promisit suis discipulis Dominus Iesus, ipse prima veritas. Recte autem Ioan. 16. dixit Propheta, emitte, quasi desuper de cælo sancto tuo mitte: quoniam (secundum Apostoli Iacobi. 1. Iacobi sententiam) Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à patre luminum. Vnde & Sapiens orans Dominum pro sancta sapientia, Tecum (inquibat) est sapientia tua, quæ nouit opera tua. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ. Et forsitan non aliud est quod hic nunc Propheta postulat quàm lux & veritas. Ipsa enim cælestis atque Sap. 9. diuina sapientia, vera est lux cordis nostri, & ipsa est veritas. Cui etiam illud quod sequitur aptissime consonat: Ipsa me deduxerunt & adduxerunt, id est, deducent & adducent (Siquidem iuxta non inconsuetum scripturarum morem, præteritum propter euentus certitudinem pro futuro proponitur) in montem sanctum tuum &c. Vnde in oratione Sapientis suprapositа consequenter adiun-
B gitur, Vt mecum sit, & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & Ibidem. intelligit: & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potentia, & erunt accepta opera mea. Ac post pauca, Sensum autem tuum quis sciuit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum de altissimis, & si correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines? Hæc omnia habet Sapientis oratio: quæ quàm clare cum huius Psalmi postulatione consentiant, est per se manifestum. Recte ergo lux & veritas desuper nobis missa, nos deducent & adducent in montem sanctum Dei, ad ciuitatem supernam: quæ quam ob causam mons dicatur, supradictum est Psalmo tertio. Diligenter autem contuenda est differentia inter duo illa verba, deducent & adducent. Magis enim significatione differunt, quàm vocis sonus præ se ferat: id quod in Græco est aliquanto euidentius, quàm in idiomate Latino. Vnde in Græco priore loco habetur ὡλκήσουσι quod verbum ab ὁδὸς: id est, via, deriuatum, significat per viam deducere, siue ducatum præstare: quæ significatio, pulchre admodum expressa est in Sapientis prænarrata oratione, Sap. 9. Psal. 142. cùm diceretur, vt mecum sit, & mecum laboret. Atque hoc ipsum vocabulum etiam Psalmo. 142. Psal. 118. inuenitur positum, dicente Propheta, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Et Psalmo. 118. Deduc me in semita mandatorum tuorum: atque in alijs plerisque locis, vbique fere tantam valens, quantum, Dux esto mihi per viam, & ducatum præsta. Verbum autem quod secundo loco ponitur, est ἤγαγον, id est, adduxerunt vel introduxerunt. Vnde beatus Hieronymus ex Hebræo
C vertit, introduxerunt. Inter autem deducere per viam, & introducere ad terminum, clarum est nonnullam esse differentiam. ¶ Versu quarto, Et introibo ad altare Dei. Introimus etiam nunc, donec Ioan. 14. in corpore sumus, ad altare Dei (id est, ad præsentiam diuinæ maiestatis) quoties in spiritu & veritate adorantes, coram illo procidimus, aut sacrificium facimus. Verum posteaquam ad montem sanctum Dei illum excelsum & cæleſtem fuerimus adducti, tunc ad altare Dei, id est, præsentiam & ante conspectum Diuinæ maiestatis, introgrediemur perfectius, ita vt nunquam ab eo simus diuellendi neque separandi, Semper enim illi astabimus sacrificantes, quod iam per corporis fragilitatem perpetuo facere non possumus. Altare autem istud, idem est de quo Psalmo 50. dicitur, Tunc Psal. 50. imponent super altare tuum vitulos. Per altare autem Dei intelligimus præsentiam & conspectum diuinæ maiestatis: eo quòd soleamus in materialibus altaribus Diuinam præsentiam specialius honorare, sicuti & vere peculiariter ibi honoranda est. Nihil enim dubium est, specialius illic Deum adesse, & præsentem se facere, vbi colitur, adoratur, inuocatur, & sacrificia accipit. Possemus tamen altare istud intelligere etiam Christum dominum, qui est altare nostrū, sacerdos & hostia. De quo Heb. 13. Paulus Hebræis scribens ait, Habemus altare de quo potestatem non habent edere qui tabernaculo
D deseruiunt, nimirum Christum Dominum designans, cuius non sint participes veteres Iudæi. Ad hoc enim altare, & modo per fidem accedimus, vt innouetur iuuentus nostra: & introgrediemur (cùm terminus aduenerit) per speciem, vt perficiatur beatitudo nostra. Versu eodem, Lætificat iuuentutem meam, sic mihi videtur accipiendum, quasi lætificando renouat iuuentutem meam: iuxta quod Psalmo 102. dicitur. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, Per iuuentutem autem, quum in Psal. 102. bonam partem vsurpatur in scriptura sancta significatur alacritas, robur, agilitas & fortitudo, quæ in iuuenibus maxime inueniuntur: sicut per pueritiam cùm in partem vsurpatur, significari solet innocentia & simplicitas, quæ maxime relucet in pueris: & per senectutem maturitas atque reuerentia quæ senibus competit, & mortificatio carnalium concupiscentiarum. Contrarium autem significant, cùm in malam significationem vsurpantur: senectus videlicet, desidiam, tarditatem ad bene operandum, defectum quoque ad declinationem in interitum: iuxta illud, Quod antiquatur & Hebr. 8. senescit, prope interitum est. Iuuentus, impetum & sequelam concupiscentiarum malarum. Pueritia, ruditatem & ignorantiæ malam supplicitatem. De senectute in malam partem dicitur, in Psal- Psalm. 31. mo. 31. Inueteraverunt ossa mea. Et Psalmo. 6. Inueteraui inter omnes inimicos meos. De iuuentute monet Apostolus Timotheum, iuuenilia desideria fugere. De pueritia idem ipse Corinthios mo- Psalm. 6. 2. Tim. 2. 1. Cor. 14. net, ne pueri efficiantur sensibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XLIII. PSALMI ARGVMENTVM.

IN Psalmo sequenti difficultas occurrit, ex eo q̃ principium atq; finis non satis videantur respondere versibus aliquot mediis, id est. 6. 7. 8. 9. & decimo. Hi enim omnino videntur gaudiũ prosperitatis, & pro victoria gratiarũ actiones, præ se ferre: cũ residuũ totius Psalmi in summa afflictione & humiliatione positũ esse videatur. Cùm enim dicitur, Tu es ipse rex meus & Deus meus, qui mãdas salutes Iacob. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Saluasti nos de affligentibus nos, et odientes nos cõfudisti. In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo cõfitebimur in sæcula: hæc sane populi in maxima afflictione positi verba nõ videtur, sed potius in tali prosperitate, qualis erat sub Dauidis & Salomonis regno, cum de hostibus in nomine Domini triumpharent. At verò versus mox sequẽtes vsq; ad finẽ manifeste summã designãt miseriã & oppressionẽ grauissimã: qualis fuit in captiuitate Babylonica, vel in persequutione Antiochi illustris. Hæc autem minime videtur in eodem Psalmo consonare. Ad huius ergo dissonãtiæ cõcordiã mihi videtur necessarium, vt sicut de diuersis tẽporibus duæ illæ partes loquuntur, altera quidẽ de tẽpore prosperitatis gratulatoria, altera verò de tempore aduersitatis qnærulatoria: sic & ex populo Domini, pro diuersis tẽporibus loquentes diuersi introducãtur, vt videlicet illos versos prosperitatis, loqui intelligatur populus Domini sub Dauide & Salomone, aut sub alijs temporibus prosperis, aut ipse intelligatur Dauid in persona sui populi prospere agẽtis in omnibus loqui. Quæ verò à versu 11. sequuntur, ad finẽ vsq; populus loquitur sub hostibus in oppressione degẽs, in maxima miseria, qualis multo post tẽpore Dauidis aut Salomonis fuisse legitur: qui populus afflictus, à principio quoque Psalmi loqui cœperat. Et videtur totus hic Psalmus à Psalmista compositus pro temporibus afflictionis & desolationis, vt tũc esset filijs Israël ad Dominũ sese cõuertẽtibus, & misericordiã poscere volentibus, debita orationis formula. Satis enim verisimile est, Prophetã sanctũ, illas subsequuturas populi desolationes præuidisse, quẽadmodum & Moyses populo similia prædixerat, & Iosue famulus Domini. Itaq; cùm scriberet Psalmista, Nunc autem repulisti & cõfudisti nos, vẽdidisti nos, posuisti nos opprobrium, parabolã, &c. non ad suum tẽpus (in quo ipse cum populo floride regnabat, tametsi multas pateretur molestias) sed ad illa quæ præuidebat, vẽturæ desolationis tempora respiciebat, futura, quasi præsentia in Psalmo plãgens. Hæc præmissa omnino oportuit, priusquã tota Psalmi vis & cõnexio sufficienter potuisset intelligi, Nunc ad breuiter summã eius perstringendũ pergamus. Conuenit itaq; hic Psalmus populo Domini in maxima desolatione posito, qui volẽs ad misericordiã Deũ inflectere, primum antiqua Dei opera, quæ pro patribus suis legerunt, & audierunt ab illo misericorditer exhibita, proponunt: illud nominatim recensentes, de introductione per manũ validã in terrã promissionis, & expulsione atq; delectione habitatorũ eius: quæ nulla humana virtute, sed sola Diuina potentia facta fuisse confitentur. Atq; hæc quidẽ. 5. primis versibus. Dehinc versibus quinq; sequẽtibus, Dauid ipse, qui Psalmũ cõscripsit, pro vẽturis tẽporibus seipsum cũ populo suo introducit loquentẽ, de prosperitate status sui sæculi fidenter admodũ in spe Domini, & contẽptim valde cõtra inimicos populi Dei. Mox verò post versum 10. vsq; ad finẽ totius Psalmi, cõtinuat populus afflictus cœptũ ab initio sermonẽ, & ex oppposito proponit suæ desolationis miseriã, eandẽ multis verbis & sententijs exaggerãs, & Dominum humiliter orãs, vt misericordiã valeat percipere, & de grauissima tribulatione salutare auxiliũ. Illud autẽ est aduertendũ, Psalmũ præsentẽ commodissime posse applicari fidelibus nouæ legis & populo Ecclesiæ sanctæ, quotiescunq; ab alienigenis (vtpote à Turcis, alijs infidelibus) opprimũtur, persequutionẽ patiuntur: in captiuitatẽ ducũtur, & in seruitutẽ subijciuntur, aut alias quomodocunq; crudeliter & ignominiosè tractãtur: quẽadmodũ isto nostro sæculo (hac sane in parte infœlicissime) per singulos annos misere cernimus. Rectè enim vetera Dei beneficia proponentes, quæ patribus nostris filijs Israël (quorum nos Christiani verum semen & veri filij sumus) Deus exhibuit, nostrã autem oppressionem quærulis affectibus & vocibus aperientes, cũ lachrymis deposcimus eius misericordiã, in qua sola confidimus liberari.

QVADRAGESIMITERTII PSALMI ELVCIDATIO.

VOX FIDELIVM IN TRIBVLATIONE CLAMANTIVM.

1 *Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis.*

2 *Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.*

3 *Manus tua gentes disperdidit.*

DEotissime Deus nos auditu accepimus, auribusque nostris tanquã certissima & indubitata audiuimus, nimirũ edocti à patribus ac maioribus nostris, qui ea nobis partim verbo, partim scripto, nota fecerunt per successionẽ generationum, prout illi quoque à suis maioribus acceperant, vsque ad eos qui ipsimet viderunt ea quæ nos audiuimus, & in seipsis ea sunt experti reali exhibitione, quæ nos tantum cognoscimus verbali relatione. 2. Audiuimus (inquam) & annunciauerunt nobis patres nostri opera tua magnifica & mirabilia, quæ operatus es in diebus eorum in temporibus antiquis, & longe ante multa sæcula præteritis: videlicet in diebus captiuitatis filiorum Israël in Aegypto, quanta feceris prodigia terribilia atq; glorioſa pro patribus nostris, aduersus Pharaonem & seruos eius: itemq; in deserto, & in introductione in terram promissionis ac deinceps, signa multa & magna. 3. Vt cętera transeamus, illudq; solum loquamur de introductione in terrã promissionis. Nonne tua potentia, & omnipotẽs virtus tua erat, quæ patres nostros filios Israël eductos de Aegypto, introduxit in terrã ꝓmissionis? Ipsa enim omnipotens

A tens & validissima dextera tua est, quæ gentes septem peccatrices, quę inhabitabãt promissionis terrã, Chananęum, Euæum, Iebuseũ, Etheũ Amorrhæum, Gergezæũ, ac Pherezæũ, atq; circumiacẽtia loca & regna eiecit, expulit, ac deleuit de terra sua, vt fierent in possessionẽ populo tuo: * his autẽ expulsis de terra, patres nostros tu loca illorum inhabitare fecisti: & quomodo arbor in terra, manu agricolæ in loco alterius infrugiferę plantatur & radicatur, ita tu eos illic vt in firma & stabili mansione tua manu plantasti, & radicare fecisti, ac germinare, filios & filias procreare, iumenta quoq; educare, vt in firmo propriæ habitationis loco: * grauiter afflixisti vltrice ac pugnatrice manu tua populos illos terræ promissionis, vsque ad exterminium & totalẽ deletionẽ de terra sua. 4. Et rectè quidẽ dico, manu tua hæc omnia perfecta. Nequaquã enim potentes erant patres nostri, sua virtute absq; te, tantã facere victoriã: neq; ipsi per virtutẽ aut experiẽtiam bellicam quæ in ipsis erat, pertigerunt ad possessionẽ terræ promissionis: * neque propria virtus eorum ad tantæ salutis victoriã eos perduxit, vt de tãtis tamq; fortissimis & ditissimis gẽtibus possent reportare triumphũ: imò nunquã manus illorũ euadere potuissent, sua propria tantũ fortitudine suffulti. 5. Sed tua fortis dextera, & tuũ validissimum brachiũ (i. omnipotẽs fortitudo tua) & benignus aspectus vultus tui, quo lucere fecisti & splẽdere super eos lucẽ misericordię tuę, ipsa sunt, quę patres nostros introduxerũt in possessionem terrę suę: * fuit enim tibi in illis beneplacitum, & dilexisti eos: quoniã elegeras eos in tuũ populum, & in peculiũ præ vniuersis populis atq; iccirco complacuit tibi in eis glorificare nomen tuum. VOX POPVLI DAVIDIS TEMPORE PROSPERE AGENTIS INTERPONITVR. 6. Tu es rex noster, & dominus Deꝰ noster, & non es alius, neq; in vllo mutatus: * qui præcipis etiam tunc de salute populi tui fidelis, qui saluationes præcipis populi tui: quo iubente atq; mandãte, & ex cuius voluntate salus est populo tuo. 7. In spe auxilij tui animati, & tua fortitudine suffulti atq; confortati, deijciemus, humiliabimus, & expugnabimus inimicos nostros pro libito, eosq; vẽtilabimus & prosternemus quocunq; voluerimus ad modũ bouis: qui quod cornibus suis rapit, in ventum proiicit & dissipat, quocunq; voluerit: * & in fiducia atq; inuocatione nominis tui, in confidentia auxilij tui pro nihilo æstimabimus, imò conculcabimus & expugnabimus eos qui insurgũt contra nos, ad nos expugnandos, quantæcunque tandẽ fuerint fortitudinis, aut quantacunq; fuerit eorum multitudo. 8. Nequaquã enim spẽ habere nos volumus in arcubus nostris, aut reliquis bellicis armis quibuscunque: & gladius noster nõ per se potẽs est absq; te, ad saluandũ nos de tã potentissimis inimicis, & plurimis per circuitũ aduersarijs nostris: sed potẽtia virtutis tuæ cũ voluerit aduenire in auxilium, ipsa nobis potens erit cõferre salutẽ, atq; iccirco non timebimus hostiũ multitudinem vel ferocitatẽ, scientes, quoniã nõ est apud te differetia, saluare de manu multorum siue paucorũ. 9. Nõ enim à nobisipsis salus nobis prouenit aut victoria, sed tu es qui nos fecisti saluos & victores de persequentibꝰ nos aduersarijs nostris per circuitũ: * & eos qui nos oderũt atq; persequuti sunt, tua potentia cõfudisti, primũ quidẽ eorũ malas cogitationes, quibus nos putabãt opprimere ad nihilũ deducens: deinde etiã pro nobis aduersus eos pugnas, eosq; ante nos in fugã conuertens, atq; sub nobis humiliãs, nostrę q; ditioni subiiciens. 10. Et pro tã tis operibus omnipotentiæ tuæ, partim quę pro patribus nostris, partim etiam quę pro nobis operari dignatus es, iugiter volumꝰ in te domino Deo saluatore nostro lætari, & cũ laude in lętitia gloriari: * & in fide atq; cultu nominis tui confessionẽ dabimus tibi laudis sempiternæ. CONTINVATVR VOX FIDELIVM DE TRIBVLATIONE CLAMANTIVM. 11. Ista quidem quæ suprà iam expressa sunt, audiuimus & cognouimus, patres nostros in præteritis sæculis, tanta & tam miranda abs te accepisse superni tui auxilij beneficia. Nũc verò in nostro hoc tempore miseriæ & tribulationis, longe in diuersum cõmutata sunt omnia. Videris enim nos iam à cura & protectione tua abiecisse, & nõ vltra ad nostras afflictiones attendere: & in confusionem maximã deuenire permisisti nos in subiectionẽ hostiũ & afflictionem magnã, quã sustinemus ab eis: * & videris vltrà nõ velle egredi nobiscum in exercitibus nostris ad auxilium. Ipse enim effectus nostræ miseriæ

Iosuæ. 24.

Deut. 7.

Deut. 28. Iosuę 23.

B * *plantasti eos:*

* *afflixisti populos, & expulisti eos.*

4. *Nec enim in gladio suo possederunt terrã:*
* *& brachium eorum*
B *non saluauit eos.*

5. *Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui:*
* *quoniam complacuisti in eis.*

6. *Tu es ipse rex meus & Deus meus:*
* *qui mandas salutis Iacob.*

C 7 *In te inimicos nostros ventilabimus cornu:*
* *& in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

8. *Nõ enim in arcu meo sperabo: et gladius meus non saluabit me.*

D 9. *Saluasti enim nos de affligentibus nos:* * *& odientes nos confudisti.*

10 *In Deo laudabimur tota die:*
* *& in nomine tuo confitebimur in sæcula:*

11. *Nunc autẽ repulisti & confudisti nos:*

* *& nõ egredieris Deus in virtutibus nostris.*

12 *Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros:* & qui oderunt nos diripiebant sibi.* Deut.28.

13. *Dedisti nos tanquã oues escarum:* & in gẽtibus dispersisti nos.*

14. *Vendidisti populũ tuum sine precio:* & non fuit multitudo in cõmutationibus eorum.*

15. *Posuisti nos opprobriũ vicinis nostris subsannationẽ & derisum his qui in circuitu nostro sunt.*

16 *Posuisti nos in similitudinẽ gẽtibus:* cõmotionẽ capitis in populis.*

17. *Tota die verecundia mea contra me est:* & cõfusio faciei meæ cooperuit me.*

18. *A voce exprobrantis & obloquentis:* à facie inimici & persequentis.*

19 *Hæc omnia venerũt super nos, nec obliti sumus te:* & inique nõ egimus in testamẽto tuo.* 20. *Et non recessit retrorsum cor nostrum:*

& declinasti semitas nostras in via tua.* 21. *Quoniã humiliasti nos in loco afflictionis:* & cooperuit nos vmbra mortis.*

seriæ & expugnationis mõstrare videtur, q̃ nõ sis nobiscũ in pugna, quomodo olim soles cũ patrib⁹ nostris exire ad pugnã, & pariter cum eis pugnare desuper, sicq; victoriam illis parare. 12. Inimicos nostros priores feciſti nobis, eis cõcedens victoriã, & super nos dominationẽ nos verò per illos deuinci, atq; in fugã verti, & in subiectionem venire illis permisisti: vt simus iam in caudã, quorum patres olim erant in caput: posteriores, qui olim priores: victi, qui olim victores: subiecti, qui olim dominantes: & qui capitali odio semper nos sunt persequuti, semper nobis bella & persequutionem mouere nõ desinunt, iam tua permissione potestatẽ acquirunt super nos, & sibi nos atq; liberos nostros & nostra omnia pro libito diripiũt, faciuntq; de nobis quicquid voluerint. 13. Permisisti nos fieri tanquã oues ad occisionem & esum depuratas, quæ grægatim ad vænundãdum ducuntur de loco ad locũ, vel portãtur in humeris: quæ morti sunt proximæ, ita vt quacunque hora libuerit dominis vel emptoribus: iugulenter: passus es nos populum tuũ abduci captiuos ab infidelibus, & idololatris gentiũ populis, atq; inter eos per miserandam captiuitatem dispergi. 14. Populũ tuum quem olim vt peculium tuum, habuisti tibi charissimum, iã passus es venundari, quasi pro nihilo & absq; vllo precio: imò tu ipse videris populum tuũ alienigenis vendidisse, siue potius pro nihilo dedisse, dum nihil ab eis accipiendo nos illis tradis: & non fuit in cõmutationibus emptionibusq; eorum multitudo precij, sed modico admodum precio, velut iumenta vilia, vili emebatur: idq; propter nimiã copiam abductorum in captiuitatem, & expositorũ ad vęnundationẽ nimiam multitudinem. 15. Feciſti nos in opprobrium & contemptum fieri gentibus alienigenis quæ adiacent nobis, ita vt subsannent & derideant nos omnes populi impij qui habitant per circuitum nostrũ. Hue enim res nostras deuenire tu Deus permisisti, vt qui prius eram omnibus per circuitum alienigenis gẽtibus terrori & venerationi, iam nos habeãt ludibrio, simulq; facti eis in despectum & publicam illusionẽ. 16. Permisisti nos fieri alienigenis & incredulis nationibus in parabolã & in prouerbium: hoc est, in publicum despectum ita vt de nobis nostraq; miseria passim omnes publice & priuati loquantur, iocãtes & illudentes: ac velut similitudo & exemplum simus positi omnis confusionis: tãta quoq; est cõfusio & miseria, ad quã tua permissione deuenimus, vt populi alienigenæ insultantes & exprobrantes moueant super nos capita sua. 17. Iugiter nunc confusio nostra coram nobis est, & non recedit erubescentia atq; verecundia à nobis: & confusio atque ignominia ista, ad quã deuenimus, operit faciẽ nostrã, ita vt sit plena confusio ignominiæ nostræ: propterea quòd in tantã subiectionẽ & miseriam maximam venimus, illis fœdissimis idololatris subiecti. 18. Idque maxime, propter voces oppressorum nostrorũ, quibus blasphemias atque cõuicia aduersum nos proferunt, exprobrãtes nobis derelictionẽ hanc nostrã & humiliationem, sicque etiã in blasphemiã tui nominis impie prorumpẽtes: propter rabiem aduersariorũ atque persequutorũ nostrorum, qui dum tãta nos humiliatione prostrauerunt, confusione maxima perfuderũt. 19. Omnia hæc mala quæ cũ dolore recogitauimus, & enarrauimus ante cõspectum tuum, ecce apprehenderunt nos: iã sub his omnibus tantis malis degimus: noluimus tamen obliuisci tui domine, neque tui memoriam à nobis abijcere, tuique nominis cultum & fidem abnegare: neque inique agere voluimus contra testamentum tuum quod disposuisti nobis, vt recederemus à te, tuoque cultu derelicto idololatriã sequeremur, & alias gentiũ coinquinationes. 20. Et non est auersum, neque recessit retrorsum à te cor nostrum: sed fidenti corde tibi permanemus, etiã in tantis difficultatibus adherentes, parati etiam in summo discrimine tibi seruire: Et cum nos ita tibi permaneamus adhærentes, tu tamẽ cõtrà videris à nobis auerti, dũ gressus nostros quasi declinare videris à via præceptorum tuorũ, ac nos quasi extra viã tuam expellere & eiicere. Dũ enim tã magnis opprobrijs ab idololatris nos pateris affici, quasi nos à tua seruitute videris velle dimouere. 21. Permisisti enim humiliari valde in loco captiuitatis, vbi multipliciter affligimur. & in magnã obiectionem atque despectum deuenire: imò in tantis terroribus, angustijs, periculis, & persequutionibus egimus, vt nobis videremur sub vmbra mortis detineri: mortiq; proximos nos arbitrãtes, iam

22. *Si obliti sumus nomen Dei nostri:* & si expandimus manus nostras ad Deum alienũ.*

23. *Nonne Deus requiret ista?*

ipse enim nouit abscõdita cordis.

24. *Quoniam propter te mortificamur tota die:* æstimati sumus sicut oues occisionis.*

25. *Exurge, quare obdormis domine?*

exurge, & ne repellas in finem.

26. *Quare faciem tuã auertis?* obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ?*

27. *Quoniã humiliata est in puluere anima nostra:* conglutinatus est in terra venter noster.*

28. *Exurge domine, adiuua nos:* & redime nos, propter nomẽ tuũ.*

lam, quasi desuper venientẽ assidue expectaremus. 22. Nos tamẽ interim, quanquã tot malis angustiamur, & propter tuum nomẽ etiam in mortis periculis sic ageremus, noluimus obliuisci, neq; abnegare, aut relinquere nomẽ tuum, vt a tuo cultu recederemus: neq; expandere voluimus manus nostras ad deos alienos, ad deos & idola, gẽtiũ, vt ea adoremus, aut ea te relicto coleremus. quẽadmodum faciunt alienigenæ isti, quos tu passus es dominari nostri: & ne tantis quidem malis vexati, adduci potuimus, vt gẽtium abominationibus coinquinaremur. 23. Nos enim sciebam⁹, quòd tu inspector esses & item iudex omniũ, quem latere non posset, si quid tale faceremus, & qui ista ad iudicium adduceres, & exquireres ad vltionẽ æterni supplicij: propter quod, etiam si videremus nobis tẽporaliter posse melius esse in abnegatione tui nominis, & in cultu deorũ alienorũ: noluimus tamen abs te recedere, ducẽtes meli⁹ esse teporaliter affligi, quã ęterna punitione cũ infidelibus illis abs te ferири: tu enim es quem nullum latet secretum, ne abscõdita quidẽ & occultissima cordis nostri. 24. Ecce enim ob hoc sustinere malẽtes quęcunq; obuenerint pro tuo nomine aduersa, quãte relinquere, multis grauibus malis affligimur iugiter absq; intermissione, persequutoribus nostris nullam dantibus requiẽ: sumus facti quasi oues occisioni deputatæ, quibus iugiter mors imminet, quęque de tẽpore vitę nullã habẽt securitatem: quę mortẽ expectant, cum voluerint qui emerunt eas: sic & nos quasi morti addicti continuo in periculis mortis agimus, continuo expectantes impetũ inimicorum, vt in nos irruant, nosq; interficiant. 25. Ecce mala multa & magna, quibus tuus populus affligitur, tibi domine Deus noster propoſuimus: quæsumus ergo, vt cõmoueantur viscera misericordiæ tuæ super populo tuo, & exurge, acceleransq; festina ad ferendam opem oppressis tuis. Videris enim dormire populo tuo, dum absq; vindicta & vltione tãta mala euenire pateris populo te colẽti: dum dissimulas, dũ permittis, qui facillime, si velis intendere, possis impedire, sicuti & olim corã patribus facere es solitus: exurge (inquam) à somno isto, & ne vltra dissimules, neque populum tuũ derelinquas pœnitus vsque ad cõsumationẽ: sed vel reliquis saluandis tandẽ intende, ne prorsus deficiãt, & deleãtur de terra cultores tui. Iam enim abunde multa mala persentiunt serui tui, & iam tempus videtur, vt eis tuam misericordiã ostẽdas. 26. Quare enim tu domine vultũ tuum non cõuertis ad pauperes seruos tuos: & quare tanquã auerso vultu ab eis, neq; vidẽs quę eis inferãtur mala, permittis hostes nimiũ crudeliter in eos desæuire? quare negligis, & nõ attẽdis ad inopiã & afflictionem nostrã: in qua nos sumus serui tui, omni ope destituti, neque aliud pręter te habẽtes auxilium, & grauissime ab hostibus afflicti. 27. Iam enim vsque ad puluerem humiliati sumus, & ad terram proiecta est vita nostra plena laboribus & miserijs, & conculcatur vita nostra ab impijs opressoribus: & in tãtis angustijs constituti procidimus super terram ante faciem tuam, humiliantes coram te animas & corpora nostra, ita vt adhereat venter noster terrę, eiq; velut conglutinetur prę lõgitudine moræ super eam: vt per hãc humiliationem tuam, misericordiã supplices inuocaremus. 28. Euigila domine Deus, ne vltra dissimules: sed in adiutoriũ populi tui intende, & ad adiuuadũ fideles seruos tuos festina: & saluos nos facias de manibus aduersariorum nostrorum, propter inclytum & gloriosum nomen tuum: propter temetipsum & immensam misericordiam tuam: vt quam in omnibus generationibus ita copiose experti sunt patres nostri, nos etiam posteri iuxta promissa tua aliqua ex parte sentiamus, Amen.

2. Mac. 7.

Psal. 9.

Psal. 9. Tren. 5. Iudic. 8.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLIII.

VErsu 2. Opus quod operatus es in diebus eorum, &c. Potest accipi singulare pro plurali, opus pro operibus. Neque enim vnicum opus est memoria dignum, quod Deus pro antiquis patribus exhibuit: sed multa sunt & magna valde. Neque est inconsuetum vsu scripturarum, numerum pro numero ponere. Qui tamen singulare singulariter intelligere maluerit, dicet singulariter hic fieri mẽtionem de illo opere quod nominatim commemorat, introductionis videlicet filiorum Israël in terram promissionis, & expulsionis inhabitatorum ab ea, Forsitan autem requirat aliquis, quur hoc opus præ cæteris, & solum proponat, verbisque pluribus exaggeret, quur non potius illas Aegyptiacas plagas, & Pharaonis submersionem in mari, quæ videntur magis nominata prodigia, Qui hæc requirit, sciat conuenientius aliud non potuisse ad propositã rem adduci opus Dei spectabile,

bile,ex omnibus quæ Deus pro populo illo olim exhibuit,quàm sit istud de expulsione inhabitãtiũ E
terrã promissionis,& introductione patrum. Nam hoc posterorum querimoniã valde rationabilem
& miserabilem reddit,q; ipsi ab alienigenis Diuina permissione sinantur expelli à locis suis, & in ca
ptiuitatem abduci,cum patres eorum sola diuina virtute,nõ propria virtute armorum in ea fuerint
potenter expulsis alienigenis,introducti. Multa siquidẽ in his differentia est. Nam pro illis Deus for
tissimus plurimas & ditissimas gentes extirpauit suæ deitatis virtute,vt locũ eis daret habitationis:
& gentes quę illis nihil nocuerant,sed nec nocere cupiebant,imò quæ se in seruitutem etiam offer-
re parate erant,seuerissimo edicto diuinę volũtatis trucidatæ sunt, vt illi loca eorũ inhabitarent,&
acciperent terram repromissam:quam hi tamen,atq; horum patres,plurimis æculis anteactis inha-
bitauerant,vt solũ natale. Neq; tot regibus,tantisq; populis & regnis parcitum est,vt vnus pupulus
filiorum Israël locum amplissimum acciperet. Populus autem iste desolatus & oppressus,cui dixim⁹
hunc Psalmum competere,ab illa terra in quam tam potenter introducti fuerãt patres,expelluntur
Deo permittente:nonnunquã etiam ad hoc specialiter adiuuante atq; procurante, idque ab alieni-
genis & infidelibus. Et quos pro patribus expulit Deus.i.infideles,& idolorum cultores, hi nunc vi
cissim dominãtes filiorũ,expellunt eos de terra patribus data,iterum introductis gentibus quę eam
polluant. Ista enim manifestum est in transmigratione Babilonica contigisse,atque etiã sub illustri
Antiocho. Et nunc similia quotidie videmus in terris fieri Christianorũ,qui de suis locis crudeliter F
abducuntur,& cõmiscentur impijs Mahometicis,& idololatris gẽtibus. ¶Versu 4. Nec enim in gla
dio suo possederunt terram. Poterat ad illud,quod de patrum suorũ introductione in terrã promis
sionis versu statim præcedente adduxerãt afflicti filij,exaduerso objici:non mirũ esse,si illi hoc po-
tuissent propter maximã multitudinem & exercitum earum fortissimum. Nã cum ad ingressum ter
Num.26. ræ promissionis pararentur filij Israël(sicut.26.ca.libri Numerorum legimus) summa eorum qui à
viginti annis & supra recensiti sunt per manum Moysi in cãpestribus Moab super Iordanẽ, erat sex
centa milia & mille septingẽti tringinta:qui omnes erant ad bella apti,exceptis paruulis,qui infra vi
ginti annos erãt,neq; inter prędictos fuerant cõnumerati. Itaq; videri posset, quòd per hãc nimiam
multitudinẽ deuicissent gentes,quæ in montanis habitabant. Verum hanc obiectionẽ dissoluunt &
longe abijciunt,cum in proposito versu quarto apertè testantur, quòd non suo gladio aut arcu pa-
tres ingressi sint in terrã promissionis, sed operatione diuinæ virtutis quæ antecedebat eos pugnãs
pro eis:id quod manifestissimum est ex sacris historijs. Quia ergo hoc certũ est, Deũ sua virtute pa-
tres introduxisse,gentes vero expulisse:iccirco rationabilis videtur eorũ quęrela, cum idem sit nũc
domin⁹ qui etiã ipsos similiter(si vellet)posset de manib⁹ inimicorũ liberare:etiamsi ipsi non in tan-
to sint numero,aut non ex se tã valentes. Nõ enim est Deo differentia,saluare in multis vel in paucis G
si modo voluerit. ¶Versu 6. Tu es ipse rex meus & Deus meus,&c. Versus iste cũ quatuor sequenti-
2.Re.14. bus(vt in argumento tactum est)difficultatẽ facit cõtinuationi huius orationis:propterea quod hic
non videntur iã loqui qui cœperãt ab initio,& qui sunt finituri orationem afflicti & desolati poste
ri:sed ipse Dauid cum suo populo,sese facit sub sua persona,de suorum tẽporum prosperitate bene
fidenter loquentem. Et quidẽ clarus esset huius orationis processus,si isti versus à supplicãtibus mi
seris ita proponerentur. Tu quoq; qui primos patres in terram introduxisti,ipse idem es,qui post in
subsequentibus generationibus & seculis(vtpote tẽpore Iudicum & Regũ multorũ,maxime Daui-
dis & Salomonis(tanquã Rex & Deus illorum,præcepisti illis fieri,& dedisti salutẽ: qui illis dedisti
inimicos qui per circuitum relicti fuerãt,& non pœnitus à principio introductionis expulsi,affligere
,ventilare cornu,cõculcare & subiugare:idq; rursum non per suum arcum & gladium,sed per tuã
misericordiam & potentiam:vnde tibi confiteri debent,& laudem dare in secula. Si(inquã) ad hunc
modum ipsos qui cœperant loqui ab initio continuato sermone fecisset Psalmista loqui,de prẽteri
torũ tẽporum fœlicitate,aptissimo ordine & congruentissima cõnexione sequeretur querimonia,
Nunc autẽ repulisti:nec vlla esset difficultas cõtinuationis Nunc autẽ dum suum sermonẽ interpo-
nit Psalmista,vbi prius loquentes introduxerat suos posteros, quos etiã posterius rursum facit lo- H
quentes,ista interpositione sic cõfundit vnitatẽ cõtinuationis. Verũ hæc res neminẽ turbare debet,
quæ & aliàs non raro solet in sacris libris occurrere,videlicet vt cõmutentur personæ loquentium,
quemadmodum nominatim indicam⁹ Psalmo secundo & quarto. ¶Versu decimo,In Deo lauda-
bimur tota die. De verbo laudari,in ea significatione,in qua hic ponitur,require supra, Psalmo tri-
gesimo tertio. ¶Versu 1. Nunc autem repulisti & cõfudisti nos. In hoc versu,atq; item in cõsequen-
tibus,quod dicitur Deus feciſſe omnia illa,nempe repulisse populũ,cõfudisse,auertisse retrorsum,
dedisse tanquam oues escarũ,dispersisse,vendidisse,posuisse in opprobrium & parabolam,& cæte-
ra: accipi potest dupliciter. Primo secundum permissionem tantum,eo quòd Deo permittente hæc
omnia euenerint illis,cum facillime(si modo vellet,& si sic ei esset placitum)prohibere posset:quẽ-
admodum à patribus antiquis hæc mala,sua dextera & brachio auertit,eo quòd fuisset ei beneplaci
tum in illis. Et notũ est,in scripturis hũc esse sermonis vsum nõ infrequentẽ,vt dicatur fecisse Deus
Rom.1. quod factum est ipso tantum permittente,non etiã ad rem ipsam cooperante. Quẽadmodum est il-
Exod. 10. lud apud Paulum,Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, in desideria cordis & in sensum re-
11.&.14. probum. Itẽ in Exodo, Obdurauit dominus cor Pharaonis. Altero modo possunt prædicta accipi
non secundũ permissionẽ tantum,verumetiã secundum efficientia. Quia enim quæcũq; hic ponun-
tur,mala sunt non culpæ,sed pœne:eiusmodi autem malorũ Deus author,& efficiens causa esse po-
test,absurde poterunt etiam secundum efficientiam intelligi,vt Deus ista feciſſe dicatur. Et consо-
nabit valde hæc intelligentia illi quod in annotationib⁹ Psalmi.38. prolixe deduximus,circa versum

duo-

A duodecimum:quẽadmodum videlicet iusti,dum affliguntur temporaliter,& mala sustinent, omnia
illa tanquã à Deo suscipiunt,& ad ipsum vt liberatorem in humilitate cõfugiunt. Et plane huic sen-
tẽtiæ astipulantur plurima Prophetarum testimonia,in quibus admodum frequenter legimus com
minationes de adducendis à domino malis,& afflictionibus varijs:quẽadmodũ videlicet Hieremiæ Hier.4.
quarto,ex ore domini dicitur,Malum ego abduco ab Aquilone,& contritionem magnam. Et ca.5. Ibidem.5
Ecce ego abducã super vos gentem de longinquo,gentem robustam,&c. Et per Moysen in conte- Deut.32.
stationibus,palàm fatetur, omnia hæc mala se operaturum in eis, si ipsum dereliquerint. ¶Versu
14. Et non fuit multitudo in commutationibus eorum. Sensum quem Elucidatio mõstrauit, expri-
mit clarius versio beati Hieronymi ex Hebræo,quæ habet,Nec grandis fuit cõmutatio eorum.i.nõ
magno cõmutasti siue vẽdidisti eos,sed quasi pro nihilo. Cui etiam accedit Felicis translatio,Et non
multiplicasti in cõmutatione eorum:quod est,non abundasti,nõ factus es ditior in venditione eo-
rũ:hoc est,non magno vendidisti. Quæ satis aperte coincidũt,in eandem sententiã. Nam ex re quam
non magno vendis,non potes ditari,neque multum proficere. Potest tamen vulgatæ nostræ lectio-
nis accipi etiam alia intelligentia,huiusmodi: Tanta fuit multitudo eorum qui venditi sunt,vt in cõ
mutationibus eorum siue vẽditionibus non esset certa multitudo,aut certus numerus:quemadmo
dum illa quæ vilissimo precio vẽduntur,& quorum plurima ad venundandum exponuntur dicere
B solemus,sine numero vendi.i.sine certo numero. ¶Versu 19.& 20. Hæc omnia venerunt super nos,
&c. Quæ hic de sua innocentia loquuntur afflicti,supplicantes pro misericordia, quantũ ad bonos
intelligi debent, qui ne in tãta quidem desolatione, etiã cum in captiuitatem essent abducti, obliti
sunt domini Dei sui,Sic enim de Daniele cum socijs Anania, Azaria,Misaële legimus,quòd consti- Danie.1.
tuta de mensa regis cibaria optima,& vina,propter cultum Dei respuerint: præeligentes legumina
ad vescendum,& aquã ad bibendum,omnibus cibis regijs. De Tobia quoq; legimus,quòd in capti Tobiæ. 1.
uitate positus,veritatis viam non deseruit: ita vt alijs ad vitulos aureos abeuntibus, ipse cõsortia fu
geret eorum,cultumq; domini requireret:& cum omnes ederẽt de cibis gentilium, ipse custodiuit
animam suam,& nunquam contaminatus est in escis eorum. Neq; est ambigendum,eiusmodi plures
extitisse tum tẽporis,qui etiam in dispersione sua impollutos se custodierunt ab omni inquinatione
gentium. ¶Versu 20. Et declinasti semitas nostras à via tua. Secunda pars huius versus,absque nega
tione affirmatiue posita videtur:atque ita sensum habes in Elucidatione expressum. Sunt autem qui
repetere malunt negationem ex priore parte,ad hunc modum,Et nõ recessit retro cor nostrum,&
non declinasti semitas nostras à via tua. Eritque tum hæc sententia,Tu nõ feciſti,neq; passus es gres
sus nostros deuiare à via tua recta. Hoc est,Licet tantis nos temporalibus malis afflixeris,nõ tamen
permisisti nos à via tua discedere,sed hac in parte nos custodisti. Et huic intelligentiæ cõsonat lectio
C beati Hieronymi ex Hebræo,Nec declinauerunt gressus nostri à via tua. Sed Felicis translatio aper-
te pro vulgata lectione facit. Sic enim absq; negatione vertit, Et declinasti gressus nostros à via tua.
Similiter habet & Chaldaica. Para. Et tu declinasti gressus nostros à recta via tua. ¶Versu 24. Quo- Rom.8.
niam propter te mortificamur tota die. Hunc versum beatus Apostolus in octauo capite epistolę ad
Romanos,applicat etiã nouæ legis sanctis & fidelibus,qui pro Christi nomine patiuntur persequu-
tionem,loquens de se suisque similibus,in hunc modum,Quis nos separabit à charitate Christi? tri-
bulatio?an angustia?an fames?an nuditas?an periculum? an persequutio?an gladius? Sicut scriptum 1. Cor. 4.
est,Quoniam propter te mortificamur tota die,estimati sumus sicut oues occisionis,Sed & in ca.4.
prioris Epistolæ ad Corinthios,videtur ad præsentem locum respicere, cum ait,Puto autem,quòd
Deus nos Apostolos nouissimos ostendit,tanquam morti destinatos:quia spectaculum facti sumus
mundo,& angelis & hominibus. Et quæ consequenter enumerat,magnæ humiliationis opprobria,
apertissime quadrant ad omnia quæ hic enumerantur,ad declarationem oppressionis & multiplicis
miseriæ. Manifestum itaque est ex Pauli testimonio,Psalmum istum commode posse applicari san-
ctis nouæ legis,temporaliter ab impijs pro Christi nomine patientibus, qui merito conqueri vi-
dentur de sua derelictione, & poscere à Deo auxilium: cùm patribus illis antiquis Dei culoribus
tanta cognoscantur exhibita beneficia.

D

XLIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

*Psalmus iste qui sequitur,dulce canticum est & suauissimum epithalamium,id est,nuptiale carmen quod di-
uinus Psaltes dulcissimarum nuptiarum multo ante rei exhibitionem factus contemplator, de plenitudine
cordis,ad sponsi sponsæq; gloriam eructauit. Canit autem nuptiarum Christi cum Ecclesia iucundissima gaudia,
ad fœlicem illam copulã filij Dei cum humana natura & vniuersa Ecclesia aspirans,simul & exhortans. In pri
mis itaq; versibus duobus,quasi præfationem præmittit suo carmini:indicans,quod de inhabitantis sancti spiri
tus plenitudine & dono,canticum istud bonum esset decantaturus,per quem suam linguam sic asserit agitari,
quomodo calamus in manu velocis scribæ agitatur,ita vt à laude sese continere non posſit,posteaquam ille scri
bere voluit. Mox verò à versu tertio suum carmen inchoat:primũ quidem sponsi decorem,gratiam,& benedi-
ctionem collaudans:eundemq; ad prælium cum principe tenebrarum,pro sua sponsa sancta Ecclesia exhortãs,
prosperum successum & triumphum in virtute omnipotentis dexteræ promittens:ita vt nationes populorum,
sagittis doctrinæ salutaris salubriter vulneratæ, sub eo casuras, inq; eius subiectionem venturas pronunciet:
regni quoq; eius stabilitatem & æquitatem,ac plenitudinis spiritualis præcellentem vnctionem, atq; ob hanc
suauissimarum laudum super illum à fidelibus Ecclesijs effusionem,ad sponsi laudem,mira verborum festiuita-
te,simul & sententiarum atq; comparationum dignitate prædicans. Atq; hæc quidem,vsq; ad versum vndeci-
mum,A quo deinde,ad sponsam conuertit suæ laudis canticum,quam à dextris sponsæ aureo vestimento indue-*

Universidad de Navarra Biblioteca

tam vidit astare: quam suauiter in spiritu alloquens, monet propheta, ac velut dulciter instruit, qua ratione suo E
sponso valeat chara semper permanere, nec repudij debeat metuere periculum: si videlicet audiat, videat, in-
clinet aurem, & populum diaboli atq; opera eius detestetur. Sic enim futurum ait, vt ipsius decorem amplecta
tur dominus Deus omnibus adorandus, quoniam ornatum interiorem potißimum diligit & requirit, simul cum
exterioris bonæ operationis exemplo, & virtutum omnium vario ornatu, per quem ornatum futurum dicit, vt
multæ filiæ ad sponsam regem cum lætitia post illam currentes, adducantur in thalamũ eius. Huius autem nego
tij promotores, sanctos dicit Apostolos futuros: qui loco primorũ illorũ patrũ & patriarcharum, Christo na-
to, principes sunt constituti super omnes populos vniuersæ terræ: vt per illos sanctæ Ecclesiæ sponsæ Christi
decor monstretur, & ad sponsi nuptias per illos virgines adducantur: id est, ad fidem & cultum Christi. Tan-
dem duorum versuum conclusionem ponens, vt præfationem fecerat similiter duorum, se dicit velle in sempi-
ternum memorari nominis domini, & populos laudem sempiternam reddituros prænunciat, pro reuelatis atq;
exhibendis immensis beneficijs.

QVADRAGESIMIQVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1. Eructauit cor meum verbum bonum:

** dico ego opera mea regi.*

2 Lingua mea calamus scribæ velociter scribẽtis.

Can.1.10. *3. Speciosus forma præ*
Ioan.1. *filijs hominum:*
Ioan.3.
Ioan.1.

** diffusa est gratia in labijs tuis.*

Ioan.11.

Ioan.6. ** propterea benedixit te Deus in æternum.*

4 Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentißime.

Ephe.6. *5. Specie tua & pulchri*
Heb.4. *tudine tua, intende:*

Onsiderans spiritus meus sponsi cælestis cũ sua sponsa sancta Ecclesia mirandam copulam, continere se nequiuit: sed F
præ plenitudine internæ dulcedinis, effundere gestijt verbũ cantici longe optimum: & ad nuptiarum huiusmodi congratulationem, sponsiq; ac sponsæ laudem, dictauit bonum nuptiale carmẽ:* opera mea, & quæcunq; siue loquor, siue scribo, siue operor, ecce loquor & profero ante conspectum regis sponsi, cuius gloriam spẽcto in omnib⁹: & cui semper ego dico ac depromo omnia mea opera, ei nunc de cordis plenitudine dulce eructabo canticum. 2. Non erit autem hoc mihi verbum à memetipso, neq; per semetipsam hoc eloquitur lingua mea: sed erit ipsa tantum instrumentum diuini spiritus, qui eam suauiter mouebit ad decantationem nuptialis huius cantici: eritq; lingua mea velut calamus aut stylus in manu scriptoris velocis, qui in scribendo peritus est, exercitatus, & expeditus. Quomodo enim nõ ipse calamus scribit, sed scriba potius per stylum: ita nõ ipsa erit balbutiens lingua mea, quæ hoc subsequens cantabit epithalamium, sed ipse spiritus scriba admodum velox, qui eam pro suo placito mouebit, ad canẽda tantis nuptijs digna. 3. Tu ò Christe, rex & spõ- G
se suauissime, speciosus es forma, id est, totus formosus, amabilis, pulcher & decorus, super omnes filios hominum: tãtus est decor tuus, & ornatus internæ veræq; pulchritudinis tuæ vt nullus filijs hominũ tibi valeat cõparari. Es nãque plenus gratiæ & veritatis, & nõ ad mensũ rã accepisti spiritũ, qui te facit sine mensura speciosũ, ita vt omnes de plenitudine pulchritudinis tuæ oporteat accipere: *multa gratia, sunt adornata labia tua, suntq; admodum grata, iucunda, & accepta. primũ quidem tuo patri Deo, cui tam sunt grata ac placita tua labia, vt quicquid per ea tu pronuncies, ipse ratũ habeat, & suum cẽseat esse sermonẽ: & quicquid per ea postulaueris, ipse placitũ habeat, & velit implere: cuius etiã iram aduersus tuã sponsam humanum genus per tua gratiosa labia placasti, apud illum loquẽs pro nobis bona: sunt etiã labia tua plena gratia in cõspectu sponsæ tuæ Ecclesiæ, ex quibus verba vitæ æternæ se nouit haurire, ex quibus gratiã salutẽ, & omne bonũ sibi à Deo patre prouenire agnoscit: * & ob hoc, q⁹ ita eximie decorus es, & propter gratiã istam labiorum tuorum, benedixit te Deus pater, ſi- H
mulq; & tua sponsam & omnia mẽbra tua benedictione sempiterna, & tibi, & tuis omnibus benedictionẽ cõferens gloriæ sempiternæ. Impetrasti enim tuis gratiosis labijs, vniuerso humano generi pacem & salutem æternã: & maledictionẽ quæ super nos erat, gratia labiorum tuorum in benedictionem commutasti. 4. Nunc itaq;, ò potẽtissime sponse, qui saluator es assignatus, liberator atque redẽptor spõsę tuę, ò gigas fortissime: quasi vir pugnator accinge gladium super fœmur tuum, ad pugnam te para, veni ad prælia dum prælium pro tua spõsa, contra oppressores eius malignos, qui eã sub sua tyrannide crudeliter subiectam detinent: assume tibi corpus, quo pugnes aduersus principem mundi: * Assume etiã verbum sanctum tuum quod prædicaturus es mundo, quod penetrabilius est omni gladio ancipiti, in quo tãquam in gladio electo caput es amputaturus serpentis antiqui, qui hactenus tuã sponsam sub vanitate detinuit. 5. In tuo illo plenissimo decore, & tua summa illa omnis gratiæ & veritatis perfectionẽ, aggrede rem, attenta, intende incipe opus quod tibi mandauit Deus pater

tuus

A ** prospere procede, & regna.*

6. Propter veritatẽ & mansuetudinem & iustitiam:
** & deducet te mirabiliter dextera tua.*

7. Sagittæ tuæ acutæ,
B *populi sub te cadent in corda inimicorũ regis.*

8. Sedes tua Deus in sæculum sæculi:
** virga directionis, virga regni tui.*
C

9. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem:

** propterea vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præconsortibus tuis.*

D

10. Myrrha, & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis:

** ex quibus delectauerunt te filiæ regum, in honore tuo.*

tuus de redemptione sponsæ tuæ: * & cũ aggressus fueris, ne cesses donec perfeceris victoriã, sed perge & progredere prospere: & iudicato, forasq; eiecto huius mũdi principe, regnũ quod illi sibi iniuste vsurpauerat, tibi vindica: vt pro illo crudeli tyranno, tu regnes, rex ver⁹ & mansuetus, in populo tuo. 6. Facies autem hæc per tuã veritatem, mãsuetudinem & iustitiã. Tua enim veritate, imò quia tuipse es veritas, debellare poteris, deuincere atq; fugare illum omnis mẽdacij & vanitatis parentẽ, mansuetudine tua summa crudelem tyrannum: perfecta autem iustitia furem illum & homicidã, iniustũ alieni regni vsurpatorem: * & deducet te in opere isto redẽptionis & saluationis humanæ, atque (vt ita dicã) adiuuabit, siue potius traducet ad optatũ vsque terminum, tuæ diuinitatis omnipotentia. Hęc nãque sub tua humanitate abscõdita magnifice, mirabiliter, & glorioſe te faciet de hoſte triumphare. Regnabis nãq; vt homo, sed vinces vt Deus. 7. Eloquia illa veritatis, quæ tu ad pugnandum veniens tecum adferes, verba Euãgelicæ prædicationis, quæ erunt velut acutissimæ sagittæ, dirigentur, iaculabuntur, & infigetur in corda inimicorum tuorum, ò rex potẽtissime: ita vt sub te vulnerati salubriter cadãt populi, & per pœnitentiã quasi se tibi subijciant. Tu enim sicut in gladio pugnabis contra principem tenebrarum, vt illum in manu valida suo regno expellas, ita in sagittis pugnabis cõtra populos illi prius subiectos, id est, eloquijs Euãgelicæ prædicationis, quæ tu velut sãgittas acutas, partim per temetipsum, Heb.2.
partim per missos à te pugnatores Apostolos ac prędicatores tuos ia culaberis, & infigi facies in corda eorũ, qui prius donec diabolo seruiebant, inimici tibi fuerãt: vt ita salubriter vulnerati, quasi sub manu tua cadẽtes, sub ea se humiliẽt, tuæq; fidei, ditioni, & seruituti se libẽter subijciant. 8. O Deus, rex & sponse nimium amabilis, tua regia sedes æterna est, thronus & soliũ regni tui in sempiternum perdurabit. Regnum enim tuum, regnũ æternum erit: neq; superueniẽs vnquam Lucæ.1.
fortior quisquã tibi illud auferre poterit, vt tu superueniens, à diabo Matt.3.
lo illud es ablaturus: * sceptrum quoque regni tui, sceptrũ est rectitu- Luc.11.
dinis, æquitatis, & iustitiæ: quonia non in iniustitia regnabis, vt ille im Heb.1.
pius homicida mundi rector tenebrarũ, harum cuius sceptrũ est, scep- Ioan.8.
trũ curuitatis & iniustitiæ: sed in rectitudine & æquitate, secundũ quã Ephes.6.
vt pater & pastor bonus, diriges & gubernabis in pace subiectos tibi Ioan.10.
populos. 9. Dilexisti, ò sponse merito amabilis, iustitiã, & odio habuisti iniquitatẽ, atque ob hoc, corditibi fuit diabolum, omnis iniquitatis principem & autorem, omnis autẽ virtutis & iustitię oſorẽ, ac pro sua virili oppressorem, expugnare: quo sic populos ab iniquitate quã odio habes emũdares, & in iustitia quã diligis, erudires: * propter hoc enim, & ad hoc, nempe vt iustitiã diligeres, & odisses iniquitatẽ: propterea (inquam) ò Deus, vnxit te Deus pater tuus oleo lætitiæ & exultationis, vnctione spiritus sancti, super omnes cõsortes & cohæredes Rom.8.
tuos, super omnes electos, quos tibi placuit habere cohæredes & cõ- Ioan.3.
participes regni tui. Quemadmodũ enim super omnes homines spiritu sancto te pater vnxit non ad mensuram: ita & super omnes te fecit iustitiam diligere, & iniquitatẽ odio habere. Atq; ob hoc, dignũ duxisti (propter iniquitatis subuersionem & iustitiæ promotionem) huiuscemodi inire prælium. 10. Myrrha, & gutta & casia, & omnis generis bene odorifera aromata atque vnguenta, à vestimentis tuis defluent: idque ab eburneis domibus, à cordibus deuotis fidelium, & conscięntijs sanctorum tuorum: quæ sunt velut domus eburneæ bene tersæ, politæ, candide, mundæ, nitidæ, & pretioſæ, & sunt velut pyxides pretioſorum aromatum, quæ sunt sanctæ orationes, laudes, benedictiones, & gratiarum actiones, carnis quoq; pro tuo amore mortificationes, & spirituales exercitationes: quas velut super caput tuum effundent, & quibus tibi caput suauiter delinient, ita vt videantur quasi per vestimenta tua decurrere: quemadmodũ cũ corporali vnguento quis perfunditur, per vestimenta liquor decurrit: * ex quibus pretioſis vnguentis te oblectabunt animæ deuotæ, quibus uis temporalium regnorum filiabus nobiliores: nimirũ per principes populorũ & reges terrę, sanctos Apostolos tuos, regeneratę. Hę autẽ talium regũ filiæ te oblectabunt illis aromatibus & liquoribus odoriferis, tibique magnas exhibebunt delitias ad honorem tuum, ad implenda tibi honoris obsequia. Valde enim tu oblectaberis in ciusmodi liquoribus: neque alius

Psal. 112. 11. *Astitit regina à dextris tuis:*
in vestitu deaurato, circundata varietate.

12. *Audi filia:*

& vide, & inclina aurem tuam:

& obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.

13. *Et concupiscet rex decorem tuum:*

quoniam ipse est Dominus Deus tuus & adorabunt eum.

14. *Et filiæ Tyri in muneribus:*

vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

15. *Omnis gloria eius, filiæ regis abintus:*
1.Pet.5.

in fimbris aureis,

circumamicta varietatibus.
Galat.5. Matt.5.

est honor, quo malis honorari. 11. A dextris autem constituisti tibi E
sponsam reginam tuam, Ecclesiam sanctam tuam: quam inopem &
pauperē de terra & stercore subleuare, atq; ad fastigium regni tibi cō
placuit exaltare, ita vt tecum esset regni tui æterni particeps: *quā tu
quidem sordidis exutā vestibus, deaurato siue aureo vestimento in-
duisti, circundatā & circumamictā varijs ornatibus, vt tanti regis spō
sam merito decet. Vestimentum enim aureum dedisti ei, fulgentē san
ctam charitatem tuā, & vario ornatu omnium cœlestiū virtutum eā
mirifice adornasti. 12. Liceat mihi, ò sponsa nobilis, & filia altissimi re
gis, te paululum alloqui, & admonere quomodo placere valeas dile-
cto & nobili sponso tuo. Primum quidē auditū adhibere debes maxi
me sollicitū, ad ea quæ tibi loquitur amabilis sponsus tuus, & quid in
te loquatur diligenter attēdere: *deinde, tibi sollicite est prouidendū
quod ille dixerit aut iusserit, quomodo, quā intergerrime valeas iuxtā
eius voluntatem & credere & perficere: & ad obediendū illius volun
tati auditum tuum diligenter accommoda, vt nō in vanū transeat vox
dilecti sponsi tui siue interius siue exterius loquentis: *& ne recorda- F
tione impediaris vitæ veteris, obliuiscī te oportet populum, de quo
egredi te iusit, cum te vocaret spōsus tuus: & domū atq; cognationē
prioris patris tui, id est, mundum vniuersum te oportet contemnere,
& omnia quæ in mundo sunt, qui domus est diaboli patris omnium
male agētium: ita vt nihil vltra quicquā desideres aut cōcupiscas eorū
quæ sunt in mundo, neq; vltra manducare desideres siliquas porcorū,
quibus te ille pascere solebat, donec in eius familia misere viueres: &
ne vltra reuerti velis ad populum tuū, vnde diuinę voci obediens exi-
isti. i. ad vitam & conuersationem peccatorum. 13. Hæc autē si obser-
uaueris, nō est quod timeas vnquā te repudiandā à nobili sponso tuo:
non est quod metuas, ne aliquando tædere eum incipiat tuæ vilitatis
& ignobilitatis: imò oblectabitur ipse in pulchritudine tua, quam ab
eo accepisti: critque ei in te beneplacium: *iustum autē omnino est vt
ita attentissima sis, quomodo dixi, ad vocē illius, diligēter audiens &
vidēs, auremque inclinans, & aliorum obliuiscens: quoniā licet te in
sponsam sua dignatione elegerit, tamē meminisse te semper oportet, G
quam sis illi impar, & quanto te sit nobilior, qui te dignanter elegit: vi
delicet non mortalis: homo purus, similis tibi, sed dominus Deꝰ tuus,
qui te creauit & regenerauit: vnde & ipsum adorabunt vniuersi fideles
& omnes nationes populorum. 14. Adorabunt (inquam) etiā filiæ hu-
ius sæculi ditissimæ & nobilissimę: cuiusmodi sunt, filiæ Tyri, opulen
tissimæ & nobilissimæ vrbis: quæ cum muneribus magnis & precio-
sis venient ad adorandum dominum Deum tuum, cupientes & ipsę in
sponsas recipi, & cum eo nuptijs copulari: * Populi quoque gentium
(inter quas admodum nominati sunt Tyrij) venient cum muneribus
ad adorandum dominum Deum tuum: * imò propter tui sponsi ma-
gnificentiam & præcellentem gloriam, etiam tuum vultum ò sponsa
nobilitata, ò sancta Ecclesia Deo coniuncta, deprecabuntur omnes di
uites populorum & gentium: magni etiam & glorioſi in populis pro-
cident ante faciem tuam, & te deprecabuntur, vt eos tibi velis adiun-
gere, & in sponsi tui communionem tibi vnitos perducere. Scient e-
nim, quoniam non poterunt nisi per te & in te tuo sponso copulari: H
atque iccirco tibi sese adiungere etiam gemebundis præcibus suppli-
cabunt. 15. Omnis gloria eius, nempe ipsius huius filiæ altissimi regis,
intrinsecus est: omnis ornatus filiæ & sponsæ magni regis, quem ipse
quærit, quem ipse amat, quem concupiscit, non exterior est in vesti-
mentis corporalibus multi pretij, sed interior: ille videlicet qui intrin
secus latet in corde fideli, aurea charitate pulchre rutilante, cuius
Deus attendit & concupiscit pulchritudinem: * neque tamen in inte-
riore ornatu sic oblectatur, vt exteriorem omnino vel non curet, vel
etiam non exquirat. Vult enim & aureas fimbrias (quæ foris promi-
nent hominum conspectibus) habere sponsam suam, & vult eam cir-
cundari quasi vestimento variegato, & varijs coloribus intertexto,
hoc est, vult interius latentem spiritus ornatum & charitatis fulgorē,
in operibꝰ etiā exterioribus (quę charitas exigit) apparere. Vult enim
sponsus, vt per dilectionē fides sponsæ operetur: & lumen in quo ipse
interius oblectatur, foras etiam vult proximis in exeplum bonum ra-
diare ad suam gloriam: * Circumamiciri quoq; eam vult varietate co-
lorum

A lorum multiplicium, quoniā omnium virtutum studio suā sponsam
vult honestari: quę sic sunt charitati interius rutilāti intextæ, quomo-
do in pretiosis operimentis diuersos colores filijs aureis videmus in- Cant.6.
tertextos. 16. Hanc autem spōsam sic castę, munde, & tamen pulcherri
mę à sponso ornatam videbunt filiæ Sion, virgines, complures animæ
deuotæ electorum, & capientur desiderio pulchritudinis spōsę huius,
cupientq; & ipsæ huius spōsæ fieri pediſſequæ: adhærebuntque & ad-
iungent se illi, illectæ pulchritudine eius, sicq; per illam ad regem spō
sum, quasi post ipsam insequentes, adducentur ad fidem & cultū eius:
vt etiam ipsæ illi iungantur, & ad nuptias similiter recipiātur: *proxi-
mas multas suo exemplo prouocatas, & sua gratiosa pulchritudine
attractas, ipsa adferet ò rex, & adducet ad cultum tuum tuasq; nuptias.
Cōplures enim fidelium animę, quę prius diabolum sequebantur pa-
trē & amorem suum, sancta ornatu proximorum prouocatæ, seipsas
detestari discunt, mundumq; abnegare, & ad sponsi regis nuptias pro-
perare. 17. Adducentur autem huiusmodi in magna lætitia & mirifica
exultatione, tam ipsius sponsi, qui maxime in earum aduentu gaudet,
q̄ ipsius sponsę, quæ nescit inuidere quotquot aduenerint: sed eo gau
det amplius, quo magis multæ accesserint: magna insuper lætitia san- Lucæ. 17.
ctorum angelorū, quibus gaudiū est super vno peccatore pœnitentiā
agente, quiq; ad has procurādas nuptias perpetua sollicitudine elabo
rant, & sunt velut paranymphi aut pronubi nuptiarum istarum: * ad-
ducentur (inquam) in aulam sanctam, & in thalamum siue templum
summi regis: nunc quidem, per fidē, in Ecclesię sanctæ vnitatem, quæ
est templum Dei regis summi: post verò, in cęlestem mansionem, vbi
cum beatissimis ciuibus suis Deus glorioſe inhabitat: vt illic primum
imperfectius, deinde & hic plenius suo sponso nuptijs indiuiduis co-
pulentur. 18. Quòd si requiras, per quos ita post sponsam adducentur
regi virgines, ecce loco patrū illorum primorum atq; Patriarcharum,
Abraham, Isaac, & Iacob, tibi ò sponsę amabilis nascentur filij eorum
sancti Apostoli, atque horum etiā loco successores illorum, viri Apo
stolici: * hos tu, ò sponsę nobilissime, principes cōstitues populorum
per vniuersum orbē terrarum. Mittes enim illos in virtute tua, & in co Marci. 16.
mitatu atque operatione spiritꝰ tui sancti, in omnes fines orbis terræ,
vt populos eruant de potestate principis tenebrarū, & ad tuę veritatis
regnum adducant: quos tu velut tuo loco constitues, faciesque esse
perfectos & principes Ecclesiarum, atque omnium populorum, quos
tibi intra eas congregabunt. 19. Memor ero ego, & recordabor nomi
nis tui, ò domine ò sponsę nimium amabilis: & memorabile faciā in
canticis nomen tuum, per omnes generationes sęculorum, ita vt nun-
quam tui nominis memoria deficiat de corde meo, neque posterorū
meorum. 20. Propter hæc omnia tam magnifica & admiranda (quæ ti
bi cecini in iucunditate spiritus mei) populi ipsi quos eliges tibi intra
Ecclesiam sanctam sponsam tuam, quosq; tuis nuptijs dignos habe-
bis, confessione laudis celebrabunt te, laudem sempiternam & perpe
tuam gratiarum actionem persoluent tibi in sæculum sæculi, Amen.

B 17. *Afferētur in lætitia & exultatione:*

adducentur in templū regis.

18. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij:*

C *constitues eos principes super omnem terrā.*

19 *Memor ero nominis tui in omni generatione & generationem.*

20. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in sęculum sæculi.*
D

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLIIII.

VErsu 1. Eru.cor meum ver.bon. Nonnulli ad patrem referunt hoc Psalmi initium, vt ipse pater de æterna verbi à se & ex se generatione loquatur, dicens: Eructauit cor meum verbum bonum: quem sensum hymnus quidam à nonnullis Ecclesijs in natali domini cantari solitus indicant cuius initium. Corde natus ex parentis, ante mundi exordium. Et id quidem admodum recte. Nam pater æternus de corde suo, id est, de sua substantia, gignit de se filium, quasi verbū eructans: cui verbo eandem communicat bonitatem, quam & ipse habet, imò quæ est ipsemet Deus. Et hāc quidem sententiam libenter ipsi quoq; sequeremur, si ea quæ mox subijciuntur, tam consonarent, atque responderent eidem intelligentiæ. Verum hæc magis Prophetæ loquenti videntur competere, quā Deo patri: dicere videlicet opera sua regi, linguam ipsius esse calamum scribæ velociter scribentis. Sed & totus Psalmi processus indicat non loqui Deum patrem, sed prophetam spiritualiter nuptias istas contemplantem. Nam de Deo patre sub tertia persona Psalmus loquitur, dicens: Propterea benedixit te Deus in æternum. Et iterum, Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lętitiæ. Nos itaque, quanquam nulli præiudicantes, talem elegimus intelligentiam, quæ ab initio ad finem vsque Prophetali voci conueniat. Notandum verò, in verbo eructauit, indicari similitudinem hominum corporaliter eructantium: quod maxime fieri solet, vel cum nimium pleni sunt, vel cum pinguia nimium manducaueruut. Atque ita & viri sancti, cum pleni sunt cœlestium mysteriorū cognitione (quæ pinguia sunt & delicata) eructant de plenitudinis profundo. Sic & alio loco dicitur,

Me-

Psal.144. Psal.77. Memoriam abundantiæ suauitatis tuę eructabunt. Et rursum, Eructabo abscondita (dicit filius) à cõ E
stitutione mundi. ¶ Versu eodem, Dico ego opera mea regi Cauendum, ne quis putet verbum dico
(id quod prima facie aptius ad intelligentiã videri posset) primæ esse coniugationis, pro dedico aut
nuncupo. Nequaquam enim ita accipiendum est, cum Græce sit λέγω, quod dico tertia coniugatio-
ne significat, similiter & in Hebræo participium est verbi amat loco verbi præsentis positum quod
valet dico vel loquor. Est enim sensus, Opera mea ego propono, ego profero regi, tanquam ad glo-
riam eius facta. Et loqui intendit potissimum de opere carminis huius, quod nunc canit ad laudem
nuptiarum. ¶ Versu 2. Lingua mea calamus scribæ. Quòd hic de seipso confitetur Propheta, idem
necesse est faceamur & de omnibus quicunque non humana voluntate, sed spiritu sancto inspirati
quippiam vel loquuti sunt vel descripserunt. Non enim fuerunt scribentes ipsi aut loquentes nisi si-
cut calamus siue stylus in manu scriptoris, id est, non nisi instrumenta: ipse verò spiritus sanctus, pri
marius operator, à quo sicut eloquuta aut descripta veritas, sic & autoritas dictorum scriptorumq;
2. Petr. 1. procedit. Vnde & beatus Petrus Apostolus ait, Non voluntate humana allata est aliquando prophe-
tia, sed spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines. Et quemadmodũ de bona scriptu-
ra per calamum facta, laus præcipua, & prima gloria ipsius est scribę qui calamum sua peritia dirigit,
& sua agilitate atque habilitate modo congruo per chartam transuebit: ita si quid recte dicunt scri
buntúe sancti Dei homines, præcipuam laudem & primam gloriam sancto spiritui directori tõce- F
dunt. Nos tamen posteros conuenit, non solum scriptorem habere in veneratione, verumetiam post
scriptorem & calamos, quibus spiritui sancto vti ad ministerium placuit. In factis enim insignibus,
non solum ipse qui principalis est autor, debitam accipit gloriam, verumetiam instrumenta ipsa suũ
1. Re. 17. quendam accipiunt honorem. Vnde cum Dauid, caput Philistæi, proprio ipsius abscissum gladio
victor ingrediens in eo gestaret, non solum choros ipse audiuit sibi triumphalia cantãtes carmina,
1. Reg. 21. verumetiam gladius iste, in quo absciissum fuerat caput conuitiatoris, debito est honore in sacris re
conditus. Vnde 1. Reg. 21. legimus à sacerdote Abimelech eundem Dauidi postulanti exhibitum. Hu
iusmodi ergo calamos & stylos, qualem hic se confitetur Propheta sanctus, digna veneratione iu-
stum est nos honorare: per quos ea nobis sunt descripta, quib⁹ ad perpetuã nostrã salutem proficimus. Præcipua tamen gloria, Deo & spiritui sancto est debita. Quod autem spiritus sanctus scribæ
veloci cõparatur, satis apertum est ob hoc dictum esse, quòd in scribendo, temporis mora nõ indi-
get: sed mox vbi voluerit, & quantũ voluerit, & quomodo voluerit, calamum mouet. Quemadmo-
dum in sermone quodam de Apostolis beatus Papa Gregorius pulchre attestatur, cum in multis cõ
templans spiritus huius merito admirandam potentiã, tandem subiungit, Qualis est autem iste arti-
fex? Nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit: mox vt tetigerit mentẽ, docet: solũq; G
tetigisse, docuisse est. Nam humanum cor subito illustrat, & immutat. Neque verò illud est absque
consideratione prætereundum, ꝙ sicut scriba peritus etiam calamo inepto vti nouit ad recte scribẽ-
dum, tametsi plerunque bonis & aptis soleat vti instrumentis: ita spiritus sanctus quanquam fere so
leat tales eligere per quos vel scribit vel loquitur, qui per vitam bonam apti sint & digni eius dire-
ctione atq; impletione: nonnunquam tamen etiam per malos & peruersos homines dicit scribitúe
Ioan. 11. quæ voluerit. Vnde & per Caypham, in Iudæorum cõsilio, apud Ioannem illum legimus loquutum,
Num. 22. & per Balaam malum Prophetam magna quædam protulisse. ¶ Versu 3. Speciosus forma præ filijs
hominum. Quòd hic de speciositate formæ dicitur, nihil dubium est, quin ad spiritualem pulchritu
dinem potissimum debeat referri: secundum quam constat, neminem hominũ Christo sponso po-
sse comparari. Atq; hæc est pulchritudo, de qua toties in Canticis & sponsus de sponsa, & vicissim
Cant. 5. de sponso sponsa loqui solent. Dilectus meus (inquit sponsa) candidus & rubicũdus, electus ex mi-
Cant. 4. libus. Tota pulchra es (inquit ex aduerso sponsus) & formosa amica mea, & macula nõ est in te. Si-
cut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: & alia huiusmodi multa. Veruntamẽ non male etiã
ad corporis pulchritudinem poterit præsens versiculus minus principaliter referri. Verisimile enim
est, Christum hominem sicut corpus optime compositum, siue (vt dicere solent) complexionatum H
& proportionatum assumpserat, ita & colorem & formam & totam corporis habitudinem, electis-
simam accepisse. Non tamen accipienda foret hæc pulchritudo, secundum vulgi æstimationem, &
carnalium hominum iudicium. Solent enim homines, illam formam fere pulchram iudicare, quæ
facilius ardentiusque potens sit commouere libidinem. At verò nequaquam in hoc speciosa forma
consistit, nequaquam ista est recta naturæ pulchritudo. Nam & beatam virginem, nostri sponsi
huius speciosi matrem, ferunt pulcherrimam secundum corpus & speciosissimam extitisse, sic ta-
men, vt nemo vnquam hominum per eius pulchritudinem fuerit ad vllum illicitum affectum exci-
tatus siue inflammatus. Accipienda ergo est vera pulchritudo, secundum proportionem naturalem
coloris & formæ eius quæ ab interna complexione naturali procedit, quæ sese potissimum mõstrat
in facie, ex qua proinde pulchritudo ipsa attenditur prouenire. Admodum autem dulcis sese hic of
fert contemplatio, dum Absalonis recordamur corporalem pulchritudinem: quam tantam fuisse
2. Re. 14. legimus, vt etiam capillos cæsariei capitis sui magno venderet, cum semel in anno tonderetur. Sic e-
nim legimus in historia libri Regũ, quòd eos ponderabat ducentis siclis auri pondere publico. Iux
ta hoc autem exemplum, secundum mysticam intelligentiam, à nostro isto speciosissimo Dauidis
filio accipere nos oportet, & emere pulchritudinem, id est, de eius plenitudine accipere, vt nos
quoque ad mensuram speciosi simus, quomodo ipse est sine mensura speciosus. Tondet autem no-
ster speciosus non semel in anno tantum, sed quotiescunq; volumus de sua nobis pulcritudine ven-
dit. Vendit autem non pretio ducentorum auri siclorum, sed prece & postulatione sola. Iuxta illud,

Quĩ

A Qui non habetis argentum, venite, & emite absq; vlla cõmutatione. Omnis enim qui petit, accipit. Esaiæ. 55.
¶ Versu eodem, Dic. est gra. in lab. tu. De diffusione gratiæ in labijs spõsi, multiplex & copiosa intel Lucæ. 11.
ligentia in Elucidatione posita est. Et tamen super ea dignum considerare, quanã ratione hic de spe
cioso nostro sponso dicatur, ꝙ diffusa sit gratia in labijs eius, potius quã in genis, in fronte, maxillis,
barba, oculis, aut palpebris. Solemus autẽ vulgo dicere, eos qui splendide nouerunt causas perora-
re, & efficaciter ipsa vocis aptitudine persuadere, magnam in lingua habere gratiam. Et iuxta hũc
fere modum hìc dicitur, ꝙ diffusa sit gratia in labijs sponsi. Quomodo enim tantã causam, ad quam
expediendam missus fuit à patre, potuisset peragere, & legationem tam arduam adimplere, de sar-
cienda videlicet inter Deum & humanum genus concordia, de veteri illa & obfirmata tot sæculis
simultate componenda: quomodo (inquã) Deum patrem, qui tam grauiter & toties hominum ma-
litia offensus fuerat, placare potuisset: quomodo item hominibus tam in idolorum cultibus radica-
tis, & in omnibus vitijs enutritis, persuadere potuisset recedere ab institutis paternarum traditionũ,
ad cultum veri Dei patris sui: hæc (inquam) tam difficillima, quomodo iuxta æternum consilium in
temporis plenitudine perfecisset, nisi fuisset diffusa gratia in labijs eius? Aduocatus enim, in cuius la
bijs & lingua non est gratia, qui linguæ facundiam nõ habet, & labiorum gratiam, nõ est aptus sua
B aduocatione grauibus rebus transigendis: potissimum antiquis odiis & obfirmatis inimicitijs ter-
minandis. Oportet enim, vt suæ linguæ facundia valeat vtriq; parti persuadere cõditiones pacis, &
animos diuisos ad vnum flectere, & in concordiã redigere: quod cum sit admodum difficile, necesse
est, vt magnam habeat linguæ gratiam qui hoc sit facturus. Atq; ita sanè dominus noster Christus,
cõstitutus mediator Dei & hominum, & apud iratum Deum aduocatus pro peccatis generis huma
ni, necesse habuit primum quidem patris sui aduersum nos irã placare, & illius animum ad se flecte- 1. Tim. 2.
re, ita vt cõsensum pręberet in cõpositionem & pactum, quę ipse cum altera parte cum humano ge 1. Ioan. 2.
nere erat initurus. Atq; hoc quã fuerit difficile, tunc intelligimus, cum Dei irã quàm iusta, quàm ma
gna, quàm generalis, quàm diuturna fuerit, attentius cõsideramus. Ex altera autem parte, quasi cum
irrationabilibus bestijs illi erat negotium, eratq; ei hoc in efferatis hominibus laborandum, vt eorũ
animos obstinatos sua persuasione & prædicatione ad pœnitentiam adduceret, & cõfessionem pec-
catorum, ac fructus pœnitentiæ dignos: vt alienatos à Deo, diaboloq; ac mundo seruientes, ad Deũ
conuerteret, vt à terrenis rebus & vanitatibus (quibus assueti fuerant) eos auerteret. Et hæc, altera
ex parte, quantæ difficultatis sint facile cognoscimus, si humanæ naturæ inditam illam originis per-
uersitatem, & ad omne malum procliuitatem, contra verò ad bonum tarditatem, attendimus. Hæc
C itaq; duo, quanquam maxima & difficillima, ita tamen (gratia patri filioq; & sancto spiritui) videm⁹
per Christũ adimpleta, vt nullam vltra habeat inimicitiam patris maiestas aduersus genus nostrum,
sitque oblitus omnis iræ suæ, & veterum inimiciarum vltra non recordetur: homines verò non
paucos videamus toto conatu fructus agere pœnitentiæ dignos, seq; ipsos abnegantes fortissime, &
toto corde quomodo Deo placeant intendentes. Quis non dicat, hunc aduocatum & mediatorem,
maximam linguæ habuisse gratiam? quis non dicat, plena fuisse gratia labia eiusmodi, per quæ, res
tantæ intra temporis modicum spacium (id est, annorum. 33.) cõpositæ sunt? Dicamus ergo sponso
nostro, quod verè magna & multa gratia sit diffusa in labijs eius: diffusa vtiq;, id est, procedens à pa
tre, à quo habet omnia: dicamus & hoc, quòd per gratiam istam labiorum suorum à patre benedi-
ctionem impetrauerit sempiternam, non sibi tantum (secundum humanitatem) sed etiam vniuerso
semini suo, id est, toti Ecclesiæ & omnibus fidelibus. Nã & ipse pro re bene composita à patre acce-
pit glorificationis præmium, à nobis vero laudem & gratiarum actionem: quomodo solent media-
tores & pacis compositores vtrinque recipere gratiam & præmium: suo semini autem, quæcunque
voluit, à patre similiter impetrauit. ¶ Versu 4. Accingere gladio tuo super fœmur tuum, potentissi-
me. Christum more humano, Propheta virum pugnatorem alloquitur, postulans vt exurgat, ac ci-
D to veniat ad perficiendam generis humani suæ sponsæ liberationem: Cum autem in priori versu
tantum de gratia labiorum dixerit & superexcellenti pulchritudine, quod hic etiam gladium iubet
assumere super fœmur suum, dulcissimum in hoc latet sacramentum. Videlicet, quoniam non so-
lum cum Deo patre & humano genere illi erat pro sua sponsa negotium: sed insuper & cum prin-
cipe tenebrarum illi res erat, non alia via quàm ferro (id est, vi gladij, & virtute dexterę) peragenda.
Neq; enim cum tyranno diabolo suasionibus agendum erat, aut gratia labiorum aduersus illum
vti debuit: sed gladij virtute erat ille regno (quod sibi per fraudem vsurpauerat) pellendus: & in bra
chio valido erat sponsa sub tyranni vinculis alligata, liberanda. Cuius rei gratia consequenter sub-
iungitur, Deducet te mirabiliter dextera tua, id est, Diuinitatis tuæ potentia, quæ in te secundum
plenitudinem habitabit, in cuius fortitudine opus tuum quantum ad principem mundi mirabiliter
& terribiliter perficies, & ad optatum effectum perduces. Hoc enim est, Deducet te mirabiliter
dextera tua, Triumphauit in virtute diuinitatis suæ. ¶ Versu quinto, Intende, prospere, procede,
& regna. Cauendum est, ne (vt ferè fieri solet) aduerbium prospere iungatur cum priori verbo inten
de, sed cum sequenti procede: vt sic legatur, Prospere procede, iuxta intelligentiam in Elucidatio-
ne positam. Hanc enim distinctionem manifeste demonstrat editio Romana, quæ legit, Intende, &
prospere procede & regna. Clarius etiam in Græco, vbi præter coniunctionem, verbo vnico di-
ctum habetur, quod Latine per aduerbium cum verbo redditur. κατευοδοῦ enim Græce est, quòd
valet, prospere procede, habe successum bonum & prosperum, siue prosperare: quod vocabulum
etiam Paulus aliquoties vsurpat, nominatim primo capite Epistolæ ad Romanos, Si quo modo
tandem aliquando prosperum iter habeam veniendi ad vos. Totum enim hoc quod nos per cir- Rom. 1.

cum

cum loquutionem dicimus, prosperum iter habere, vnico vocabulo apud Græcos dicitur. ¶Versu 6. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam. Notandũ, quod cõtrarijs modis ad diabolum Christus sibi suum regnum vindicauit de manu illius, ad pugnã aduenies. Diabolus enim per mendacium dominatum acquisierat super hominem. Christus autem per veritatem recuperauit. Diabolus per feritatem & crudelitatem, vt tyrannus sub sese captiuum detinebat genus humanum, ad eũ modum quo Pharao filios Israëlis in Aegypto: Christus autem mansuetudine, obedientia, & patientia vicit, factus obediens vsq; ad mortem, & similiter in mansuetudine imperat rex mãsuetissimus. Postremo, diabolus per iniustitiam, generis humani vsurpauit possessionem. Neq; enim ipse hominem condiderat, neque comparauerat sibi vllo pretio, neque vllum habuit ius verum, quo dominaretur illius. An verò hæc iusta erat possessionis causa, quod hominẽ decepisset? An ob hoc ipse sibi ius comparauit regni super hominem, quod eum à Deo auertisset? Non vtiq; quicquam veri iuris ipse sibi per hoc comparauit, nisi quod diuina permissione, ob culpã, Deus hominẽ reliquerit in manibus eius, cui male in transgressionem consenserat. Iuxta illud Petri Apostoli, A quo quis superatus est, huius & seruus efficitur. Et iuxta illud beati Pauli, Cui exhibuistis vos seruos ad obediendũ, serui estis ei⁹ cui obedistis. Atq; ita sanè, quantũ ad nos attinet, iuste nos ille occupabat, Veruntamẽ, quantum ex parte Dei, nullũ diabolo super hominem ius erat, nisi solum quòd sua voluntate permittebat dæmonẽ homini dominari. Possidebat ergo hominem secundum iniustitiã. At verò Christus, perfectissima, imò (si dici possit) plusquã perfectissima iustitia, hominem sibi restituit. Nã cum potuisset secundum absolutã suã potentiã, solo verbo diabolum abigere, & sibi restituere genus humanum, quemadmodũ solo verbo illum cõdiderat ab initio: voluit tamen ad hęc, pretio iusto quasi alienum populum emere gen⁹ humanum, & pretio vtiq; maximo, & in infinitum mercis emptæ valorẽ superexcedente. i. pretioso sanguine suo. Iuxta illud Apostoli Pauli, Empti estis pretio magno. Et illud Petri Apostoli, Nõ enim corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra cõuersatione paternę traditionis, sed pretioso sanguine agni quasi incõtaminati. ¶Versu 7. Populi sub te cadent, &c. Quod dicitur, Populi sub te cadent, videtur interiectum per modum parenthesis, vt hęc sit sententia, Sagittę tuæ acutæ in corda inimicorum regis, supple infigentur vel trãsibunt: vnde fiet, vt sub te cadent populi. Istas autem sagittas, secundum Elucidationis intelligentiã accipim⁹ pro eloquijs veritatis, iaculis Euangelicæ prædicationis: quas partim per se ipse, partim per alios sagittarios iaculatus est per vniuersum orbem. Misit enim spõsus rex noster in fines orbis terrę viros sagittarios, pharetras plenas habentes sagittis acutis, ad vulnerãdum in loco cordis nationes gentium. i. sanctos Apostolos emisit, alioſq; viros Apostolicos plenos eloquijs veritatis ardentibus & acutis, ex virtute Dei: vnde habebãt, vt penetrarent intima cordium. Atq; hæ sunt sagittę, quas alibi postulat, qui inter odientes pacem, laborat in exilio cõtra linguas dolosas. Has sagittas emittebat ille, qui in Apocalipsi super equum album sedens, tenebat in manu arcum, exijtq; vincens vt vinceret. Cuneus enim prędicatorum primitiuę Ecclesiæ (qui per equum illum cãdidum significabatur, Christum sessorem portãtem) per sagittas huiusmodi, quasi ex manu & virtute Dei emissas, gentes & regna sessori suo Christo subiecerunt. Beati verò, quibus istiusmodi sagittis acutissimis cõtigerit vulnerari: & fœlices, qui sic eis vulnerãtur, vt sub regis manibus occisi cadant. Notãdum verò, q⁹ sagittæ istæ nõ in manum ferãtur, aut caput, aut pedem, sed in corda inimicorum regis: quoniã videlicet quem diuinorum eloquiorum iacula verè cõtigerint, cui verè infixa fuerint, hunc mori necesse est vitę veteri & affectib⁹ pristinis. i. (vt Apostolus ait) peccato: viuere autem Deo, cui pri⁹ fuerat mortu⁹. Vnde & quidã ex his vulneratis, sagitta percussus, dicebat: Christo cõfixus sum cruci, Viuo autem iam nõ ego, quoniã videlicet in corde mihi infixa est sagitta: viuit verò in me Christus, sub quo vulneratus cecidi, cui meipsum totum amodo subieci. Sed & illud clarum per se esse potest attẽdenti, quod dicitur inimicorum regis, secundum tempus præteritum debere accipi, pro ijs qui antequã sagitta ferirentur, inimici fuerant regis. Dum enim sagittantur, desinunt esse inimici. Vulnerantur enim inimici, vt vulnerati cadant sub vulnerante, sicque amici fiant ex inimicis. ¶Versu 8. Virga directionis, virga regni tui. Notanda est secundæ partis constructio: quoniam non secundum localem situm, sed contrario ordine est accipienda, hoc modo: Virga regni tui, est virga directionis: quæ constructio, in Græco clare se manifestat, dum posteriori loco articulus apponitur, non priori hoc modo: ῥάβδος ἰυθύτητος, ἡ ῥάβδος τῆς βασιλείας σου. Pro virga autem directionis, translatio Romana habet, virga recta: beatus Hieronymus, ex Hebræo, virga æquitatis: quæ omnia eandem volunt sententiã. ¶Versu nono, Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Propterea non hic accipiendum videtur, vt id quod præcessit, innuat causam esse, eius quod subsequitur, vt sit sensus, Christum propterea vnctũ esse oleo letitiæ præ participibus, quòd dilexisset iustitiam, & odisset iniquitatem. Non enim videtur veritatem habere ista sententia: cum certum sit, Christum primo ipso momento sui conceptus, fuisse plenum gratiæ, & huius vnctionis spiritus sancti absque mensura. Ac tunc quidem, nondum secundum humanitatem dilexerat iustitiam, neq; iniquitatem oderat, cum antè homo non fuisset. Sed accipiendum est, propterea (secundum faciliorem intelligentiam) vt significet quasi rationem finis, vt sit sensus: propter hoc, vt videlicet diligeres iustitiam, & odisses iniquitatem, vnxit te Deus oleo præ participibus. Habet enim hoc in se istud oleum, id est, charitas Dei per spiritum sanctum in cordibus diffusa: vt quisquis eo vnctus fuerit, non possit non diligere iustitiam, neque non habere odio iniquitatem. Vnde & Psalmista hic noster, hoc oleo indubie vnctus, alijs in locis clamat, iniquos odio habui, & legem tuam dilexi, Facientes præuaricationes odi. Qui oderunt te domine oderam, & huiusmodi alia multa. Et quo quisq; oleo hoc fuerit magis perunctus (si-

Gene. 3. Philip. 2.
2. Petr. 1. Rom. 6.
1. Cor. 6. 1. Petr. 1.
Psal. 119. Apoc. 6.
Rom. 6. Galat. 2.
Rom. 5.
Psal. 118. Psal. 100. Psal. 138.

quidem alius alio magis vngitur) eo magis, feruentiusque diligit iustitiam, & exosam habet iniquitatem. Propter quod, velut à posteriori, cognoscere non ita difficulter possumus, an hoc oleo vncti simus. Qui enim inuenit non displicere sibi iniquitatem, sed eã potius diligit, iustitiam autẽ fugit & horrescit, sciat ille huius vnctionis se esse expertẽ. Qui verò in se (testimonium perhibente fideli cõscientia in spiritu sancto) senserit contrariũ, gaudeat ille in vnctione sua. Oleum enim lętitiæ est, nẽpe charitas Dei in cordibus credentium diffusa, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Resudat autẽ nobis hoc oleum, & stillat de plenitudine vasis huius, quod hic præ omnibus impletum dicitur id est, de plenitudine Christi filij Dei, qui hic dicitur vnctus præ consortibus suis. ¶Versu eodem, Præ cõsortibus tuis. Nota præ præpositionem, hîc idem valere, quod supra, Præ participibus, id est, supra participes: quẽadmodum huius eiusdem Psalmi versu tertio, Speciosus forma præ filijs hominum. sic per contrarium, præpositio à vel ab, pro infra nonnunquam vsurpatur. Vt Psalmo octauo, Minuisti eum paulominus ab angelis, id est, infra ab angelis. Quemadmodum enim præ vsurpatur pro super, ita ab, pro infra accipitur. Participes autem (vt alia habet translatio) hic vocat Propheta, omnes adoptionis filios, quos Christus vt primogenitus sui patris hæredes fecit, & sibi cohæredes, iuxta illud Apo. Quòd si filij, & hęredes: hęredes quidẽ Dei, cohęredes autẽ Christi. Nõ sic autẽ participes nos dicimur Christi, quasi, nos partẽ simus accepturi regni eius, aut quasi per nos adoptionis filios, ipse primogenitus & naturalis filius aliquid sit minus habiturus in regno, quã absque nobis erat habiturus: aut quasi partẽ aliquã nobis ipse cessurus sit, quemadmodum fieri solet in terrenis regnis, cum primogenito placuerit etiam alios fratres amplitudinis regni sui facere participes. Illic enim nulla omnino futura est partitio, nulla futura regni scisio: sed vnum erit indiuisum omnium regnum quod omnibus satis erit. In quo tamen Christus regnabit vt primogenitus, præ omnibus eminẽter. Dicimur ergo participes, id est, cõsortes cohæredes, & communicãtes in adoptione regni. ¶Versu 10. A domibus eburneis. Per domos eburneas. Elucidatio intelligit conscientias sanctorũ: qui dum de intimis affectibus Deo laudes & gratiarum actiones, piasque meditationes quaslibet aut affectiones offerunt, quasi pyxides eburneas aperiunt, & super sponsi caput effundunt. Atque in huiusmodi obsequio plurimũ cõstat oblectari dominum: iuxta illud, Sacrificium laudis honorificabit me. Et iterum, Immola Deo sacrificiũ laudis. Huiusmodi enim aromatibus vult à nobis reungi, pro suo lętitiæ oleo, quo nos vngit interius. Possent tamen (fere secundum eandem intelligentiam) per eburneas accipi sanctæ particulares Ecclesiæ, per orbem terrarum Christo aduenięte ædificatę. Est enim Ecclesia, Domus Dei: quæ ex candidissimis & solidissimis lapidibus, fidelibus hominibus ædificatur. Ab his autẽ domibus eburneis, sponsus vnus omniũ Ecclesiarum suauiter perungitur suprædictis aromatibus atq; liquoribus: dum illi vbiq; terrarũ ab omnibus Ecclesijs canuntur laudes, gratiarũ actiones & pia sacrificia offerũtur. In secunda autem parte, tametsi filias regum exposuerimus spiritualiter filias Apostolorũ, qui sunt principes terrarum constituti à Deo: possumus tamen etiã ad literã intelligere de filiabus regũ, id est, magnatũ, diuitum, atq; nobilium. Nam & harum nõ paucæ, ad huius sponsi nostri cultum cõueniunt, ac bonis odoramentis Christum perfundunt. Cęterum, quod in fine versus dicitur, in honore tuo, perinde videtur valere, acsi dicatur, in honorando te, vel ad honorem tuum, vel ad honorandũ te: ac si dicatur, Ex quibus te lętificauerunt, honorare te cupientes, & debita honoris obsequia tibi præstare volentes. ¶Versu 11. Astitit regina à dextris tuis. Valde iucundum est, quod hic dicitur, astare reginã à dextris sponsi. Nimirum hoc illud est, quod in carne veniens pollicitus est filius, Vbi sum ego (inquiens) illic & minister meus erit, multo magis ibi erit & sponsa mea. Ipse itaque quemadmodũ à patre locũ accepit in ipsius dextera, sic cõsimili honore & suã sponsam à dextris sibi constituet: volens nimirũ eadem illam gloria sublimari & lætari, quam ipse à suo patre accepit. Hoc enim est, quod suis quoq; discipulis, iam abscedens, ac testamentum constituens dicebat. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno patris mei. Et apud Ioannem in oratione nouissima: Pater, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum: vt videãt claritatem meam. Et claritatem quã tu dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum in me, sicut & ego in te. Non ergo quasi ancillã vilem ad pedes illam cõstituet spõsus iste generosus, licet nobilissimus: neq; vt ignobilem despiciet, ipse incõparabiliter nobilior: sed cõsidere secum faciet in cælestibus, in maiestate æternæ gloriæ. Vnde & in Apocalypsi ex sponsi iussione, spiritus pręconizat Ecclesię. Qui vicerit, dabo ei sedere mecũ in throno meo: sicut & ego vici, & sedeo cũ patre meo in throno eius. Hanc autem reginæ Ecclesię in Christi dextera sublimationem præsignabat olim thronus ille Bethsabeæ matris Salomonis, qui illi ad regẽ filium suum ingressæ iussus est collocari, in quo & cõsedit ad dexterã regis. Cęterum, deauratum hic pro aureo dictum videtur. Vnde & B. Hieronymus ex Hebræo vertit, in diademate aureo: & alius, in massa auri ophir. Qui tamen malet distinctionem inter deauratum & aureum assignare, potest intelligere, secundum hoc quod spõsę ornatus & gloria inferior est glorię spõsi, ita vt spõsi aureum, sponsæ vero deauratum vestimentum applicetur. ¶Versu. 13. Et concupiscet rex decorem tuum. Non est istud sic accipiendum, quasi aliquid in nobis sit quasi ex nobis, in quo oblectari possit sponsus. Quicquid enim in nobis est amabile, siue concupiscibile, ex ipso est: neq; sumus, quantum ex nobis, nisi sordidi, cęci, nudi, & prorsus miserabiles, Proinde quod spõsę dicitur, Cõcupiscet rex decorẽ tuum, intelligitur de decore & ornatu quo ipse eã adornat: aut ad hunc sensum, amabit te & diliget, vt te decoram faciat, & suis diuitijs adornet. Qui enim se Christo obedienter submiserint, & eius mandata implere sunt solliciti, hos ipse concupiscit suarum gratiarum adornare decore. ¶Versu. 14. Et filię Tyri in muneribus. Per filias Tyri intelliguntur, vel cõuersi ex gentibus. eo quòd Tyrus vna

Ioan. 12. Luc. 22. Ioan. 17. Apoc. 3. 3. Reg. 2. 2. Cor. 3. Apoc. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat ex nominatioribus & vicinioribus Iudeæ,gentiũ ciuitatibus:aut diuites & nobiles, cuiuſmodi E
in hac ciuitate cõplures erant.Hi autẽ vtrique cum muneribus,& ſpiritualibus & etiã corporalibus veniunt ad adorãdum dominum.Putant verò quidam, pro numero plurali hîc legendum ſingulare pro filiæ ſcilicet,filia.Atque ita ſane in Græco legimus,καὶ θυγάτηρ τύρου ἐν δώροις,hoc eſt,Et filia Tyri in muneribus.Similiter & beatus Hieronymus ex Hebræo ſingularem numerum vertit.Atque hoc modo eadem poteſt accipi ſententia,quæ in Elucidatione ex numero plurali poſita eſt, videlicet iſta: Etiam filia Tyri,id eſt,populus gentium,in muneribus adorabunt dominum Deũ tuum.Per filiam enim Tyri(quę ciuitas eſt nominata gentium)recte intelligimus populum gentilem:quemadmodũ per filiam Sion,populum Iudaicum non paucis in locis accipimus. ¶Verſu 15. Omnis gloria eius filiæ regis.Difficultatem facit,& multis deceptionem, pronomen eius hoc in loco adiectum præter ſententię(vt videtur)neceſsitatem,atque etiam commoditatem.Putant enim huius pronominis occaſione plerique nomẽ filiæ eſſe nominatiuũ pluralis numeri,vt ſit hic ſenſus, Omnis gloria eius ſcilicet ſponſi,ſunt filiæ regis abintus.Scire autem oportet,hãc non eſſe verã ſententiam. Nam filię, genitiuus ſingularis eſt,id quod tã ex Græco,quàm ex Hebræo eſt manifeſtum. Nã Græce habetur abſque pronomine,πᾶσα ἡ δόξα τῆς θυγατρὸς τοῦ βασιλέως,id eſt.Omnis gloria filię regis,abintus.Et ſimiliter beatus Hieronymus vertit,Omnis gloria filiæ regis,intrinſecus. Accipiendum ergo eſt pronomen eius,ſecundũ hanc ſententiã,vt ſimul cum genitiuo filiæ iungatur quaſi per appoſitionem:hoc F
modo,Omnis gloria eius,nempe filiæ regis,intrinſecus eſt,ſiue abintus eſt Hæc autẽ ſententia,illud ipſum dicere videtur,quod beatus Petrus in prima ſua Canonica Epiſtola de mulieribus ſcribit, dicens,Quarũ non ſit extrinſecus capillatura,aut circundatio auri,aut indumenti veſtimentorum cultus:ſed qui abſconditus eſt cordis homo,aut incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus,qui eſt in cõſpectu Dei locuples. Ac cõſequenter exemplũ proponẽs Saræ, maximũ ornatum mulierum docet eſſe ſpẽ in Deo,& venerationem,ſubiectionem atq; obedientiã erga proprios viros.Quod huic loco accõmodantes dicimus,ſummum Eccleſię ornatum quem ſponſus requirit,eſſe obedientiã & fidelem ſubiectionẽ ad ipſum.Vnde nec dicebat Propheta ſpõſæ,Veſtire auro & indumẽtis pretioſis,aut ſtybio depingas faciem tuam,aut ſimilia huiuſmodi:ſed tantum,audi,vide inclina aurẽ,& obliuiſcere domum patris tui,Hæc enim ſunt,quæ à ſponſa ſua requirit dominus Deus,fidem ſcilicet & obedientiã. ¶Verſu eodem,Circumamicta varietatibus.Varietates iſtæ quibus circumamicta dicitur ſponſa,intelligantur veſtimenta pretioſa & elegantia, magno artificio & multiplici intertextione,variiſque interſertionibus diuerſorũ colorum elaborata:quas ſolent phrygianas vel phrygianicas veſtes nuncupare. Beatus autem Hierony. ex Hebræo vertit ſcutulata. Tranſlatio Chaldaica habet,indumẽta diuerſarũ figurarum.In Græco autẽ dicitur numero ſingulari ποικιλμίᾳ:quod ſonat,acſi Latine dicas veſtem variegatã,vel diuerſicolorẽ: quæ omnia in eandẽ recidunt ſententiam. G
Quid autem ſecundum miſticam intelligentiã iſte varius ornatus ſibi velit, ſatis monſtrat Elucidatio. ¶Verſu.16. Adducentur regi virgines poſt eam. Quotidie poſt ſponſam ſanctã Eccleſiam regi Chriſto adducuntur virgines,quãdo poſteri priorum fidem & vitam inſequentes, ad Chriſti fidem accedunt,eíque copulantur nuptijs. Dicuntur quidem poſt ſpõſam adduci:& tamen intra ſponſam fiunt,& pars ſponſi, dum adducuntur. Sponſa enim iſta ex vniuerſis fidelibus tanquam ex membris compoſita eſt.Attamen poſt ſponſam adducuntur,quatenus priorũ patrum(qui in Eccleſia præceſſerunt)fidei & morum regulã inſequentes, ſponſo merentur coniungi. Videmus enim nos poſteri pulchritudinem ſponſæ,& complacet nobis puritas fidei atque ſecundum vitam integritas prædeceſſorum in Eccleſia:atque ita & nos poſt eã,ad regem ſponſum currimus. Sancti verò Apoſtoli & prædicatores,dum plurimos ad fidei veritatẽ & vitæ iuſtitiam ſua prędicatione inducũt, quaſi ante regem virgines & proximas adducunt. Atq; hi ſane vſq; ad cõſummationẽ ſæculi non deficient,ſed naſcentur ſemper pro patribus filij.Quod autem non ſolum puellæ dicuntur,quæ adferuntur regi, verumetiã virgines,illi reſpõdet quod ait Apoſtolus, Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhi- 2.Cor.11.
bere Chriſto.Decet enim ſponſo virgini,ſponſas virgines adduci in coniugium. ¶Verſu.18.Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Notandum, q; ſicut in locum Patriarcharũ ſucceſſerunt ſancti Apoſtoli,quos conſtituit Deus principes ſuper omnem terram:ita & in horum locum ſuccedere faciet H
Deus,vſque in ſæculi cõſummationẽ,viros Apoſtolicos,per quos Eccleſię ornatus promouebitur, & in ſuo decore conſeruabitur,vſque dum ipſa transferatur in locum quietis ſempiternæ.¶Verſu penultimo,Memor ero nominis tui.Tametſi libri vulgatiores habeant,Memores erunt, plurali numero & tertia perſona: verior tamen lectio Gallicani Pſalterij (quod nos ſequimur)habet numero ſingulari,Memor ero.Nã memores erũt,ſumptũ videtur ex ęditione Romana.Quapropter in textu primã perſonã & numerum ſingularem (iuxta probatiorum codicum fidem) poſuimus. Cui etiam Græca cõſentiunt:in quibus habetur μνησθήσομαι,id eſt,recordabor,memorabor,vel memor ero.Similiter & ex Hebræo beatus Hieronymus vertit,Recordabor. Veruntamẽ propter vſum Romanæ Eccleſiæ,nõ eſt omnino repudianda altera lectio(Habet enim & ipſa facilem & optimã intelligentiam)ſed tantũ dicimus,ipſam nõ eſſe ex veritate Gallicanę æditionis,quã ſequimur,& Elucidandã ſuſcepimus. ¶Subiungendum verò in fine huius Pſalmi, quod in vſu Eccleſiaſtici officij multa ex hoc Pſalmo vſurpari ſolent,atque decantari in laudem virginum.Verũ in hoc vſu,neceſſe eſt vt multa ex ijs ſecundum longè aliam intelligentiam accipiantur, quam ſupra in Pſalmi Elucidatione expreſsimus.Vt(verbi gratia) cùm illud,Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum,de virgine qualibet canitur,quod in Pſalmo manifeſtũ eſt de ſpõſo fuiſſe dictũ: clarũ eſt debere aliter in vſu illo accipi, quã ſuprà fuerit expoſitum. Sic item & de illo, Specie tua & pulchri-

1.Pet.3.

Ibidem.

A chritudine tua.Et,Propter veritatẽ.Item, Dilexiſti iuſtitiam.Similiter & in ſequenti Pſalmo, Deus in medio eius non commouebitur,adiuuabit eam Deus mane diluculo, vel ſecundum aliam lectionem,vultu ſuo, cani ſolet de vna qualibet ſancta virgine: cùm ſecundum intelligentiam Pſalmi de tota Eccleſia videatur intelligi.Sed facile eſt pijs animis, iſta ſecundum proportionem ad prædicta, congrua aliqua intelligentia aptare vſui Eccleſiaſtico,& prærogatiuæ virginum:quæ nos tamen,ne vltra modum efficiamur prolixi,particulatim declarare omittimus.

XLV. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iſte,populi fidelis eſt,in domino Deo ſpe firmati,inq; eius fiducia nullam pertimeſcentis conturbationem.Poterit autem conueniẽtiſsime intelligi de illa immani & generali perſequutione, quæ in primordijs Eccleſiæ aduerſus ipſam iã naſci incipientem,vbique terrarum ſæuiebat:in qua perſequutione, eminentes quiq;(vt reges,pontifices,& ſapientes)caput erant atque præcipui.Diuina tamen protectione,Eccleſia ſancta(quæ ciuitas Dei appellatur,ſicuti & vere eſt)inconcuſſa permãſit, neque quantumuis oppugnata hactenus potuit expugnari.Adeò verò ipſa non anguſtiabatur Eccleſia,neque opprimebatur,vt etiã interius,profecta virtutum & ſpiritualium chariſmatum irrigatione,tanto lætificaretur à Deo vberius, quantò exterius, ab aduerſantibus ſæculi poteſtatibus perſequutiones grauiores ſuſtinebat.Tandem autem, Deo iubente,etiam
B *pax reddita eſt populo Dei,& omnis aduerſariorum illa impugnatio, Deo diſponẽte ſuppreſſa eſt.Sed & ad Antichriſti illam nouiſsimam perſequutionem conuenientiſsime hic Pſalmus aptabitur: quæ tametſi ſæuiſſima erit,ita vt etiam montes deuoret in profundum malitiæ, ita vt vniuerſus pene mundus contra Eccleſiam conſurgat:tamen in domino fidentes electi non abſorbebuntur fluctibus, neque timebunt deſperationis terrore, neque ſinet Deus commoueri electos ſuos: ſed adiuuabit eos in tempore opportuno, ac tandem etiam pacem reſtituet,quando palàm Chriſti nomen in vniuerſo orbe prædicabitur,& gloria eius vbique terrarum fiet manifeſta. Aduertendum autem eſt,per vniuerſum hunc Pſalmum loqui populum fidelem, præterquam in verſu penultimo,in quo Deus ipſe de ſua gloria loquens introducitur:ſed vno tantum hoc breui verſiculo. Nam vltimus ſubſequens,eiuſdem eſt populi qui loquebatur ab initio.*

QVADRAGESIMIQVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

C *1 Deus noſter refugiũ & virtus:*
** adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

2 Propterea non timebimus,dum turbabitur terra:
** & transferentur mõtes in cor maris.*

3 Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum:

D ** conturbati ſunt montes in fortitudine eius.*

4 Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei:

** Sanctificauit taber-*

DOminus Deus noſter in quem credimus, qui nobiſcũ Matt.28.
eſt vſque ad conſummationem ſæculi, ipſe eſt tutiſsimum noſtrum refugium & noſtra fortitudo per quẽ ab obuenientibus quibuſcunque periculis ſperamus ſaluari, ipſo tanquã aſylo nos intra ſeſe concludente, & tanquam forti pugnatore pro nobis propugnante: adiutor eſt nobis magnus valde, ſemper paratus & fidelis in omnibus tribulationibus & malis: quæcunque nobis obuenerint, nunquã derelinquens ſeruos ſuos in afflictionibus atque periculis. 2. Propter fiduciam eius non deſperabimus, neque deijciemur aut conſternabimur animo, neque timebimus quicquam, etiam tunc cum vniuerſa terra,& terreni atque peruerſi fuerint commoti, atque cõturbati aduerſum nos: * neque cum montes, id eſt,potentes & eminentes ſuper terram,abſorpti fuerint in profunditate malitiæ ſæculi huius:etiam ſi omnes potentes & eminentes (ſiue potentia, ſiue ſapientia ſæculi) adiungantur infidelium populis ad nos tribulandos non tamen timebimus aut deſperabimus,in Deo noſtro fidentes. 3. Impetum magnum fecerunt, & conturbatione vehementi conturbatæ ſunt contra populum domini multitudines terrenorum hominum,& ad populi Dei oppreſsionem vndiquaque confluxerunt in modum aquarum multarum,vt vno impetu vnanimes irruerent in populum domini,ſicque eum poſſent abſorbere penitus: * tantus quoque fuit hic impetus & tanta conturbatio,vt etiam eminentes quique(ſiue ſęculi potentia,ſiue mundana ſapientia) conturbarentur à fortitudine multitudinis illius,& impetu,ac violentia perſequutionis eius grauiſsimæ.4.Ciuitas autem Dei ex tanto aquarum impetu adeò nihil accepit nocumenti, adeò opprimi non potuit,vt etiã magis inde profecerit. Nam impetus ille fluminis & maris(id eſt,perſequutionis grauiſsimę in modum maris aut fluminis per circuitum ipſam aggredientis & cõcutientis) etiã lætificat Dei ciuitatem: quæ quo magis exterius affligitur & coanguſtatur,eo magis intra ſe reficitur in ſpirituali conſolatione,& dilatatur intra ſemetipſam. Nouit enim in tribulationibus gaudere & gloriari:ſciens,quoniam tribulatio patientiam operatur, & ſpem inconfuſibilem: & quoniam ſicut abundant paſsiones in eo, ſic & per eum pro quo tribulatur,id eſt,ciuitatis ipſius dominum,abundat cõſolatio.Nam quo magis exterius quatiunt ciuitatem fluctus maris & alienorũ fluminum,eò qui intra ciuitatẽ ſunt fontes,copioſius aquarum viuentium dulciſsimos riuulos effundunt: * ipſe enim altiſsimus Rom.5. 2.Cor.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

naculum suum altissimus.

5 *Deus in medio eius non commouebitur:*

* *adiuuabit eam Deus mane diluculo.*

6 *Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna:*
* *dedit vocem suam, mota est terra.*

7 *Dominus virtutum nobiscum:*
* *susceptor noster, Deus Iacob.*

Mach.16. 8 *Venite, & videte opera domini, quæ posuit prodigia super terram:*
* *auferens bella vsque ad finem terræ.*

9 *Arcum conteret, & cõfringet arma, & scuta comburet igni.*

10 *Vacate: & videte quoniã ego sum Deus:*

Psalm.7.

* *exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.*

11 *Dominus virtutum nobiscũ: susceptor noster Deus Iacob.*

& potentissimus rex regum & dominus dominantium, suam Ecclesiã E
(quã in ciuitatis modum ædificauit atque circummuniuit) etiam sanctificauit in firmitate fidei, & stabiliuit eã in habitationem sibi, quasi tabernaculum & castrum suum: ita vt ipso protegente, nunquã valeat hostili impetu vel quomodocunque expugnari. 5. Deus fortissimus est in medio ciuitatis & tabernaculi huius, tãquã dominus, prouisor, custos, & protector eã habitãs: & iccirco talem habens protectorem in medio sui, ipsa nõ poterit cõturbari: quoniã tali protectore se nouit bene securam: * & siquando videatur graue aliquod periculum ei imminere per noctẽ, in tempore aduersitatis & desolationis, apparebit tamen opportune, aderitque tempestiue dominus custos eius primo mane antequã quicquã valeant hostes oppugnãdo efficere: & ab omni periculo eã suo opportuno adiutorio saluabit. 6. Vidimus cõturbari: & ira insana nonnunquã cõmoueri cõtra ciuitatẽ Dei, populos multos: vidimus etiã regna amplissima & reges fortissimos inclinatos & commotos cum suis populis, ad oppugnationẽ ciuitatis Dei
* etiã terra vniuersa velut cõiuratione facta & cõspiratione, cõclamauit cõtra ciuitatẽ Dei, & vno impetu cõmoti sunt ad oppugnationem eius. 7. Quid verò valebunt, etiamsi in vnum fuerit agglomerata vniuersa terra, & omnis infidelium natio? Ecce enim Deus noster, qui est cęlestium exercituum dominus, nobiscum est, ac nostras partes tueri nobis pollicitus est, & nostrã nobis ciuitatẽ custodire securã: * Deus verus, fideliũ ipse est defensor atq; protector noster, qui nos susceptit in defensionẽ suã: cuius vnius virtutem omnib⁹ alienis incursibus opponimus, super quem ciuitas nostra fundata est, & ita firmata, vt nec portæ inferi aduersus eã possint præualere. 8. Venite ô fideles animæ & cõsiderate opera domini Dei nostri quæ pro suo populo exhibuit F
estq; exhibiturus super terrã, in cõspectu omnium populorum, quasi prodigia, id est, magna mirabilia, & vsq; ad miraculum stupenda: * in eo potissimũ, ꝙ sua voluntate Ecclesiam ciuitatẽ suã (quæ prius tãtis quatiebatur fluctibus persequutionum, ita vt vno impetu totus terrarum orbis aduersus eam pugnaret) nõ solũ custodierit, sed etiã in pace cõstituerit, & securã ab omnibus oppugnationibus in medio ter- G
ræ, ita vt iã ex eius voluntate habeat etiã protectores, quos prius habuerat acerrimos impugnatores, nimirum montes sæculi, id est principes & potentes. 9. Arcus contriuit, & confregit arma, & scuta combusit igni, id est omnia arma, quibus prius oppugnabatur Ecclesia, ipse contriuit sua virtute: & cùm esset ipsi placitum, cessare fecit omnẽ oppugnationẽ populi sui, eãq; ab omni fecit persequutione quietã. At ita in omni tribulatione, opportuno tẽpore, post pugnam solet dare requiẽ. In quo sane mirabile est cõsilium eius, quod & arma permittit moueri cõtra ciuitatẽ suã, ad exercitationem ciuium suorum, & eadem suo tempore prohibet, ad custodiã & præseruationem electorum. 10. VOX DIVINA, VNO HOC VERSV INTERPONITVR. Cessate ô populi, desistite ab impijs vestris aduersum me ac populum meum machinationibus, omnibusque vacui prauis affectibus & cogitatibus, emundatis cordibus, videte, considerate, & discite, ꝙ ego verè sim Deus & dominus, qui aduersus omnem mũdi malitiam potens sum populum meum seruare: * ego qui olim in Iudæa tantum H
notus eram, cùm mihi placitum erit, magnificabor in populis multarum gẽtium, & adorabor atque glorificabor vt Deus per vniuersam terrã. RESVMVNT SERMONEM, QVI LOQVEBANTVR AB INITIO. 11. Concludentes in lætitia illud repetimus, in quo summã nostri boni constitutã arbitramur, ꝙ nobiscum habemus potentissimum dominum cælestium exercituum, ꝙ defensorem habemus deũ fortissimum, Deum Iacob, Deum viuum & verum: in cuius fiducia, omnem terrenam potentiam, & quantoscunque insultus, nihil pertimescimus, per ipsum in omnibus saluari confidentes.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLV.

VErsu primo, Quæ inuenerunt nos nimis. Aduerbiũ nimis, quod in fine ponitur, licet secundũ situm localem videatur pertinere ad verbum inuenerunt, vt sit sensus, Quæ tribulationes inuenerunt nos valde, aut nimis: posset tamen non incommode construi etiam cum nomine adiutor vt sit sensus, Nimis adiutor, valde adiutor, hoc est, fortis & validus adiutor, in tribulationibus quæ nos inuenerunt. Iuxta hanc enim sententiam, beatus Hieronymus ex Hebræo vertit auxilium vali-

A validum. Atq; hanc intelligentiã vtrãque similiter etiã Græca lectio admittit. ¶ Versu 3. Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum. Aquas istas intelligimus, secundum quod in Apocalypsi dicitur, Aquę multæ, populi multi. Hæ nãque aquæ sonuerunt propter imperium persequutionis & turbatæ sunt ira & cæco furore contra populum Christianum: quemadmodum & amplius facient in nouissima Antichristi persequutione, quando omnes gentes pariter confluent in modum aquarũ, & sua multitudine ciuitatem sanctorum circumfluent, suisque persequutionibus atq; insultibus concutient eam: & erit tunc quidem tantus sonitus harum aquarum, tanta violentia, tam terribilis impetus & cõmotio, vt plurimos etiã potẽtes sit illa persequutio absorptura, & demersura in malitiæ profundum. Attamen quos elegit Deus, hi in ciuitate munita, quanquã angustiati valde, tamen non erunt conturbati: quomodo de Ecclesia primitiua legimus, ꝙ quantumlibet grauibus persequutionum fluctibus quassaretur, cõmoueri tamen non potuit neq; expugnari. ¶ Versu 4. Fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. Flumen istud potest vel in bonã partem accipi, vel in malam, Siquidem in malam, idem erit flumen, quod priori versu mare dicebatur, id est, abundantia malitiæ & persequutionis impiorum, cuius impetus crudelis adeò ciuitatem Dei non conturbat, vt etiam per occasionem lætificet: dum eo amplius ciuitas Dei interius spiritualibus bonis reficitur. Vnde & Paulus in hac ci- 2.Cor.7.
uitate positus, cùm circumquaque fluminis impetus alloueret, ita vt intus pugnas, foris sentiret ti- Rom.8.
mores, ita vt tanquam ouis morti destinata videretur, dicebat tamen in tribulatione se gaudere at- Rom.5.
B que etiã gloriari, sciens, quoniam per varias tribulationes, oporteret ingredi in regnum Dei. Si verò Actu.14.
in bonã partem accipiatur fluminis istius impetus, ita opponetur maris fluctibus, de quibus in præcedenti versu dictum fuit: vt quemadmodum fluctus aquarum maris: conturbat & affligit exterius, sic fluminis qui intra ciuitatem est dulces impetus, econtrario eam lætificet. Erit autem flumẽ istud lætificans, spiritus ille sanctus, de cuius plenitudine reficiuntur corda fidelium. Huius fluminis impetus, dulcissimus est ille influxus cælestiũ donorum, & spiritualium charismatum, quæ ex eo quasi ex vitali fonte scaturiunt. Et hæ sunt aquæ quæ impetu decurrunt de Lybano: de quibus & Esaias Cant.4. Esaiæ 12.
dicit, Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris. Fontes enim Saluatoris qui ciuitatem nostram inhabitat, septiformis est plenitudo spiritus sancti. ¶ Versu 5. Deus in medio eius non commouebitur, Duplex huius versus potest esse sententia. Prior erit, vt post pronomen eius, fiat per punctulum diuisio, & verbo substantiuo subaudito diuidatur sententia. Atque ita sensus erit, Deus est in medio eius, nempe ciuitatis aut tabernaculi Dei: non commouebitur ipsa ciuitas aut tabernaculum: quem sensum expresit Elucidatio. Posterior verò sententia erit, si tota hæc oratio absque diuisione coniunctim sic legatur: vt Deus supposítum sit verbi cõmouebitur, ad hunc sensum, Deus qui in medio ciuitatis inhabitat, ipse non commouebitur. Neque omnino male proposito conue-
C nit, quòd dicitur Deus in medio ciuitatis non commouendus. Bonum enim ciuitatis quæ vel obsidetur vel oppugnatur, ex eo maxime pendet, cui credita est ipsius cura & protectio, Vnde donec ille peruigil est, & bono animo, atque ad defensionem sufficiens, non est ciuitati periculum. Quòd si ille incipiat vel viribus, vel animo deficere, aut consternari animo, siue desperatione tangi, actum erit de ciuitatis salute. Cùm itaque (iuxta hanc sententiam) in proposito loco dicitur, quòd Deus in medio ciuitatis vt protector & custos inhabitans, est imperturbabilis, quem terrere aut conturbare non possit quantuscunque hostium vel numerus vel impetus: quis non videt recte hoc sermone ip- Psal.120.
sius ciuitatis firmam custodiam significari? Neque valde dissimile est huic sententiæ quod Psalmo 120. ad securitatem populi domini idem scribit Psalmista, Ecce nõ dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël. Dominus custodit te, dominus protectio tua super manum dexteram tuam: ac deinceps, Dominus custodit te ab omni malo. ¶ Versu penultimo, Vacate, & videte quoniam ego, &c. Apto admodum ordine dicitur prius, vacate: deinde, videte. Prius enim est, vt desistamus ab impietatibus, vt per pœnitentiam abijciamus propositum malum, & expurgemus omne inquinamen- Matth.5.
tum quod posit oculum mentis à sua contemplatione impedire. Vnde & Saluator dicebat, Beati 1.Ioan.3.
mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et Ioannes in priore Epistola, Qui facit iniquitatem, inquit, non cognouit Deum. Donec enim malis actibus pleni sumus, antequam desistamus peruerse agere, impeditur oculus mentis, vt Deum quomodo oportet nequeat videre. Vacate (inquit) er-
D go, & videte, ꝙ ego sim Deus: & quantumuis vos ô rebelles contra nitamini, ego tamen exaltabor in gentibus, & adorabor in omnibus populis, Valde autem magnam gratiam addit cantico, & multam indicat magnificentiam, ꝙ ita subito breui sermone (id est, vnico versu) dominum ipsum introducit gloriam suam prædicantem, moxque versu vltimo reuertitur persona populi fidelis, qui per vniuersum loquitur Psalmi processum. Hæc autem personæ commutatio, & vocis Diuinæ interpositio, similis est cum ea quæ in Psalmo secundo annotata fuit.

XLVI. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste populi fidelis est, siue totius Ecclesiæ, alloquentis in spiritu, & exhortantis vniuersas gentes ad lætitiam & laudem in domino. Et plurimum quidem Dei in semetipso sublimitas & magnificentia proponitur, omni dignissima laude: deinde, ipsa eius erga Ecclesiam dignatio, qua nimirum gentes plurimas subiecit, & ipsam in speciosam & amabilem hæreditatem elegit. Iterum versu 6. Christi magnificentiam in gloriosa ascensione in laudis materiam proponens, monet omnes sapienter psallere tanto regi: quem, regno accepto, confitetur residere super sedem sanctam suam: ad quem dicit etiam populorum principes congregari per efficaciam Apostolicæ prædicationis.

QVADRAGESIMI SEXTI PSALMI ELVCIDATIO. E

1 *Omnes gentes plaudite manibus: * iubilate Deo in voce exultationis.*

2 *Quoniam dominus excelsus, terribilis, rex*
Apoc.22. *magnus super omnem terram.*

3 *Subiecit populos nobis & gentes sub pedibus nostris.*

Deut.7. 4 *Elegit nobis hæreditatem suam:*
** speciem Iacob, quam dilexit.*
Ioan.16. 5 *Ascendit Deus in iubilo:*
** & dominus in voce tubæ.*
6 *Psallite Deo nostro, psallite:*
** psallite regi nostro, psallite:*
7 *Quoniam rex omnis terræ Deus:*
** psallite sapienter.*
Esa. 29. Matth. 15. Titum 1.

8 *Regnabit deus super gentes: * Deus se-*
Marc.16. Actu.10. Matt.28. *det super sedem sanctã suam.*
9 *Principes populorum congregati sunt cũ deo Abraham:*

** quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.*

OMnes gẽtes, tribꝰ, linguę, & populi vniuersi, in maximi gaudij testimoniũ etiã manꝰ ad plausum cõcutite:* in maxima lætitia cordis vestri canite Deo per voces exultationis & gaudiosa cãtica. Iustũ enim est, vt absq; exceptione illũ nũc collaudẽt in cãticis populi vniuersi, posteaquã ipse omnes absq; personarũ acceptione participes effecit misericordiæ suæ. 2. Iccirco autẽ plaudendũ, & merito illi est iubilãdum, quoniã dominus Deꝰ noster sublimis est & excelsus, totꝰ quoq; terribilis & venerãdus, omnibusq; colẽdus & adorãdus, nimirũ rex magnus, & imperator potẽtissimus, nõ vnius alicuius partis terrę,* sed generali imperio super vniuersam terrã, rex regũ & dominus dominantiũ: cui proinde vniuersæ nationes populorũ vt suo regi, laudẽ offerre debẽt & honorẽ. 3. Ipse nobis sua bona voluntate subiectos fecit populos multos, & gentes multas perfecta obediẽtia nobis fecit subditas: dũ ex omnibus gentibus, tribubus & linguis, sub fide nominis sui cõgregauit plurimos, & sanctæ matri Ecclesię pleno corde obedientes & fideles filios fecit. Vnde factũ est, vt nõ solũ in Iudęa iã notũ sit magnũ nomen eius, verũ & in diuersis mũdi partibus, quas sub Ecclesię suę obedientiã subegit. 4. Elegit nos in hæreditatẽ suã, in peculium ex omnibus infidelibus & omnibus nationibus, in populũ peculiarẽ quẽ possideat, & in quo inhabitet inæternũ:* speciem atq; pulchritudinẽ Iacob, id est, pulchrã & speciosam hęreditatẽ fidelis populi sui, quã ipse singulari amore vnice dilexit: nimirũ pro qua sibi cõparãda, maxima omnino & admirãda facere atq; pati elegerit. 5. Ascẽdit ipse rex magnus ex mortalitate hęreditatis huius, post exhibita dilectionis opera, peractis omnibus quę p hac hęreditate sua venerat operari: ascẽdit, inquã, relinquẽs mundum, & ad patrẽ rediẽs in magnifica gloria, magna iubilatione angelorum sanctorũ, qui illũ comitabãtur ascẽdentem in sublimia:* & dominus noster gloriose ascẽdit, quasi in voce tubę, in laude & cõfessionę fortissima angelorũ sanctorũ, quorũ laudes & cantica omnẽ tubarũ magnificentiã atq; concentũ superabãt. 6. Vos proinde omnes qui ex gentibus in illũ creditis, in psalmis & hymnis & cãticis spiritualibus canite laudes ascendenti Deo nostro: * regi nostro magno vniuersæ terræ psalmos & laudes indifferẽter cãtate, corde, ore, & opere. 7. Neq; mirũ, si tã sollicite omnes vos ad laudes exhorter, quandoquidẽ Deus ipse rex est, & princeps magnus vniuersæ terræ, cui proinde merito omnes habitatores eius laudẽ debent & honorẽ:* atq; iccirco moneo, vt illi psallatis apte & sapiẽter, quomodo tãto regi dignũ est psallere, id est, nõ impudẽter & insipienter sola voce, quẽadmodũ irrationabilia pecora clamãt: sed cũ intelligẽtia & attẽtione animi, vt hoc ipsum voluatur in corde, quod sonat in ore, sitq; etiam operatio & vita cõsona voci. Nã labijs Deũ honorare, corde autẽ ab eo lõge euagari, aut ore quidem Deum confiteri, factis autẽ negare, profecto insipienter psallere est, neque huiusmodi laus est, qua psallere debemus Deo nostro. 8. Ecce enim iã regnum accepit Deus noster super omnes gentes, iã in maiestate sua, deuicta humilitate mortis regnat gloriosius:* iam locum habet & requiem in throno sancto glorioſæ maiestatis suæ, ad dexteram patris, in cælestibus: tanquam iudex constitutus à patre vniuorum atque mortuorum, sedet paratus ad iudicandum populos, omni in cælo & in terra accepta potestate. 9. Iam etiam populorum diuersorum rectores & præsides, vna cum sibi subiectis populis, cõgregati sunt cum Deo vero, quem coluerunt Abraham Isaac & Iacob Patriarchæ, semen eorum: & qui olim ab vna gente colebatur, huic iam se reges & principes orbis terrarũ adiungunt, per fidei & cultus eius acceptationem huic se couniunt, atque coniungunt, atque subijciunt cum suis populis: * idque per hoc quod sancti Apostoli atque Apostolici viri, prædicatores gloriæ eius (qui velut dij fortes terræ positi sunt à Deo, & principes ac iudices constituti sunt super omnem terram) magnifice ex ipsius virtute exaltati sunt, & sublimati: mirabili accepta à Deo potestate, in verbo & in opere, in efficacia doctrinæ, & virtute signorum atque prodigiorum ex virtute spiritus sancti. Per horum siquidem magnificam exaltationem, etiã principes orbis terrarum iugo fidei sese submittentes, conuenerunt in vnius Dei cultũ, quem prius contempserant, atque etiam fuerant persequuti.

AN-

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLVI.

A VErsu 4. Ele. nob. hæred. suam. Iuxta sensum in Elucidatione expressum, videtur in hoc versu esse incommodum sermonis. Ad efficiendam nãque illam sententiam, videtur potius debuisse poni casus accusatiuus, hoc modo, Elegit nos in hæreditatem suam, quemadmodum habet Romana editio aliquanto etiam clarius, hoc modo, Elegit nos in hæreditatem sibi. Et ad hanc sententiam videtur nostra lectio Gallicana accipienda. Neque magni æstimandum est huiusmodi in sermone incommodum, potissimum cùm & in Græco similiter inueniatur. Nam & ipsi datiuum habent. In secunda autem parte versus, diuersitas lectionis inuenitur. Quidam enim codices masculino genere habent, quem dilexit: atque ita relatio fit ad Iacob, quod difficile non est intellectu: quoniam Iacob, id est, populum Israël, populum fidelem, Deus habet dilectum. Veruntamen fœminino generi correctiores codices fauent: similiter & lectio Græca, quæ habet ἣν ἠγάπησεν id est, quam dilexit, genere fœminino. Sed & ex Hebræo beatus Hieronymus legit, gloriam Iacob quam dilexit. ¶ Versu 5. Et Dom. in voce tubæ. Per hanc vocem tubæ, in qua Dominus dicitur ascendisse, præter magnificam laudem & iubilationem angelorũ cantantium atque deducentium (quam in Elucidatione diximus) potest intelligi etiam vox prædicationis Apostolicæ, quæ Christum ascendentem est prosequuta. Post Christi enim ascẽsionem, Apostoli voces suas (iuxta Esaiæ vaticinium) leuauerunt quasi tubas, clamaueruntque, nec cessarunt euangelizantes Sion Ecclesiæ sanctæ, donec in omnem terrã
B exisset sonus prædicationis eorum, & in omnes fines orbis terræ peruenissent verba doctrinæ eorum. Per huius autẽ tubę clamorẽ atq; concentum, gloria ascendentis Christi longe lateq; in omnibus gentibus manifestata est: quemadmodum solent principum aduentus, tubarum clangore manifestari. Veruntamen in hoc differentia apparet, ꝙ sæculi principes, tubæ antecedãt: hunc autẽ nostrum principem & regẽ ascendentẽ, tubę huiusmodi subsequebatur. subsequebãtur (inquã) corporaliter in cęlum ascendentem, præcedebãt tamen spiritualiter ad Ecclesiarum inhabitationem aduenientem. Notandũ tamen est, ꝙ partes istę duę huius. 5. versus, quas nos ambas exposuimus de gloria Christi ascendentis, ad diuersa cõmode possunt applicari: vt in priori parte intelligatur (sicut diximus) ascendentis gloria, in posteriore verò redeuntis ad iudicium terror & magnificẽtia. Atq; ita secundo loco subintelligi debebit verbum futuri tẽporis, ad hunc modum: Ascẽdit Deus in iubilatione, & Dominus iterum veniet, vel apparebit in voce tubæ: iuxta quod in actis Apostolicis angelos dixisse legimus spectãtibus discipulis, Viri Galilęi, quid statis aspicientes in cęlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Nam ꝙ in voce tubę iudex aduenier, Paulus Apostolus indicat, dicens, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Et iterũ alio in loco, Ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descẽdet de cælo, & mortui qui cum Christo sunt, resurgẽt primi. Manifeste
C quoque idipsum sermo Euangelicus testatur, cũ apud Matthęum ex ore Saluatoris dicitur, Mittet filius hominis angelos suos cum tuba, &c. ¶ Versu 7. Psallite sapienter, Psallere sapienter Græce dicitur συνετῶς quod sonat intelligibiliter, id est, prudenter, cum intellectu, siue attenta mente, quod beatus Hieronymus ex Hebræo vertit erudite, quasi cum prudentia & bono intellectu. Huic autem opponitur, psallere insipienter, vel imprudenter, vel inerudite & inattente, absque intellectu videlicet in attentione eorum quæ canuntur: quemadmodum (proh dolor) passim fieri videmus tam in lectione, ꝙ in cantionibus Diuinorũ carminum, in quibus (quantum ad oris operationem & labiorum motionem) tam legendis ꝙ decantandis totos dies insumunt miseri, nihil prorsus eorum quæ labijs terunt, & toties per linguam vane effundunt, intellectu considerantes. Verè autem non est hęc laus quæ Deum nostrum decet: non est hæc decora in eius oculis laudatio, qui tota attentione mẽtis, optimo iure laudandus venit. Est tamen hoc loco attendendum, posse fieri, vt quis sapienter psallat & intelligibiliter, iuxta Psalmi monitionem, qui tamen eorum quæ profert ore, nihil distincte intelligat: modo Deum iugiter habeant ante oculos, illique tota mentis acie intendat. Sit enim (verbi gratia) simplex aliquis aut idiota, qui Psalmos quidem memoriter ediderit (quemadmodum fa-
D cere solent Aegyptij monachi) vt Diuina carmina, & in quibus maxima contineantur summi Dei præconia: non intelligit tamen distincte Psalmorum verba, sed tantum nouit ex doctrina patrũ, huiusmodi cantica, altissimas domini laudes & veneranda continere mysteria. Hanc autẽ ob causam, quoties Deo laudes magnas dicere gestit, cantica ista recitat, sciens quoniã in his laudes magnæ cõtineantur ab illuminatissimis Prophetis, & viris Deo plenis compositæ: cuiusmodi ipse intellectu rudis & hebes nunquam posset conficere aut proferre. Qui autem ista sic recitat, & licet quid dicat distincte non intelligat, tota tamen mẽte Deum spectat, & quasi ante oculos Diuinę maiestatis consistens, eumque spectatorẽ, & laudum harum acceptatorem cõspiciens, sic illi offert quæ ore pronũciat quasi pretiosissima & ipsi acceptissima dona, hunc nihil dubito ego sapienter psallere. Quòd enim ore sonat, hoc ipsum in corde habet, nimirum Deum & eius præconia: imò nec hoc dubito, huiusmodi Psalmorum & canticorum pronunciatores subinde Deo sapientius psallere, ꝙ plerique faciant eorum qui singulos pene Psalmorum apices excusserunt & intelligunt. Atque hæc res magnæ debet esse consolationi Deo sacratis virginibus, quas ex patrum documentis, & traditione maiorum, videmus in sacris conuentibus decantare idiomate Latino Psalmos, & alia omnia quæ ad Ecclesiasticum spectant officium: cùm pleræq; ex eis ne verbulum quidem intelligant eorum quæ legunt ac canunt in tẽplis. Quarum quidem virginum deuotum erga Deum obsequium, impudentes nonnulli homines plus sapere volentes, ꝙ sapere oportеat, & in iudicando temerarij, velut stultum

& vanum laborem irridere nō verētur, neque quid dicāt scientes, neque quid dānent intelligentes. E
Quod si quis obiiciat, quonam pacto fieri possit, vt huiusmodi sapiēter siue intelligibiliter psallāt, cùm nihil eorum quæ legunt intelligāt? Dicimus, vtique intelligere eos quod psallunt. Deum enim intelligūt, & in mente habent, cuius laudes se ore proferre cognoscunt, neque aliud mente tenent, q̄ voces sonant: tametsi non distincte intelligant, quid verba illa sonent quæ proferunt laudantes. Alioqui, quotusquiq; est etiam eorum qui optime latinum idioma callent, qui cum sacros Psalmos & Prophetarū oracula, aliaq; quæ sunt ex sacris libris Ecclesiastico officio inserta, ex Ecclesiæ præscripto recitat, distincte omnia intelligat? aut quis illud ad prudēter sapienterq̄ psallendum putet necessarium? Nā si hoc quis dixerit, nō video quomodo beatus Antonius, quomodo hoc vetustior ille ex Paulus, quomodo alij sancti eremitæ & anachoritæ sapienter potuerint in Psalmorū decantatione Deo psallere: quos nequaquām putamus singula penetrasse, quę sunt in sacris libris mysteria. Huiusmodi enim viros arbitramur magis in primo illo suprapositō sapienter psallendi modo fuisse exercitatos: tametsi non sit dubitàndum, Diuina dignatione plurimos etiam scripturarum difficiles passus illis fuisse patefactos ad intelligentiā, quātum Domino placuit, & expedire visum fuit. Hæc autem pro simplicium cōsolatione sint dicta: minime tamen ad illorum excusationem qui sola verba recitare contenti, corde diuagantur per castra, ciuitates, & regna, imò & per vniuersi orbis latissima spatia, à Deo quem ore laudant, corde & mentē plurimum elōgati. Quibus recte illud cōuenit Propheticum, ex ore Domini: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. F
Psalm.29. ¶ Versu vltimo, Princ. popul. cong. sunt cum Deo Abraham. Huius versus potest, prēter eam quę in
Matth. 15. Elucidatione posita est, etiā alia dari intelligentia, secundum quā principes populorum intelligātur ijdē qui mox per Deos fortes, nempe sancti Apostoli: qui (sicut in præcedenti Psalmo. 44. constat) principes & reges populorum recte appellātur, eo q̄ regēdis & moderādis populis à Deo sint propositi. Hi autem principes populorum, iā congregati, iam simul collecti sunt, cum rege Messia Christo domino iam associati sunt, iam beatitudinis eius intra cælestem patriam sunt facti participes, & illic iam vehementer eleuati sunt, magnifice exaltati cum eo cuius gloriam in hoc mundo prædicauerunt. Aut ad iudiciariam potestatem, sanctis Apostolis vt principibus populorum cōcessam sermo referatur. Sunt enim Christo domino ad iudicium exercendum associati, & quasi assessores illius facti: quoniam sic mirifice eos ad tam sublimem dignitatem eleuare illi complacuit, vt sicut ipse super sedem sanctam suam residet, ita & illi sedeant super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et est hoc sanè vtrumque, magni gaudij materia, & iusta ratio plaudendi manibus præ
lætitia: siue quòd iuxta priorem intelligentiam, iam isti sint introgressi ad Dominum, eiq̄ue in beatitudinis participatione associati (Spem enim dat nobis, quòd & nos similiter illuc simus congre-
Matt.19. gandi, qui obedientes fuerimus doctrinæ eorum: quomodo illi obedierunt doctrinæ Domini, & ad G
ipsum collecti sunt) siue quòd iuxta posteriorem intelligentiam, ipsi Apostoli Domino sint in iudices & assessores sociati, Magnam enim hoc nostræ fragilitati prębet fiduciam, qui in illorum patrocinio confidimus. Cæterùm quòd sancti apostoli hīc dij appellentur, id non mirum videri debet, cùm in lege veteri vel iudices solos inueniamus deos appellatos: & ex ore Domini didicerimus deos appellari, ad quos tantum sermo Dei factus est. Quanto magis ergo hi præcellentes Ecclesiarum principes, ad quos incarnati verbi sermo factus est, quibus in carne Deus ipse ore ad os loquutus est, deorum merebuntur appellatione honorari?

XLVII. PSALMI ARGVMENTVM.

Svblimi contemplatione raptus propheta, & illuminatæ mētis oculo futura de ædificatione Ecclesiæ sanctæ quasi præsentia cōspiciens, in laudem diuinā erumpit, magnum Dominum clamās, & nimium laudabilē, in ciuitate quā contēplabatur, magna totius orbis terrarū exultatione ædificari: in cuius ciuitatis domibus aut Deū cognoscendum, sic vt etiā reges terræ à persequutione cessantes, imò de ea pœnitentiā agentes, sint congregandi pariter in fidem & ciuitatem regis magni, regis regum, & Domini dominantium. Atq; hæc quidē sex primis versibus. Hinc verò rursum cōsurgit in Dei confessionē: & quasi iā omnia impleta cōspicies quæ ab antiquis tēporibus fuerāt patribus repromissa, sic magnifice gratulatur, & cōfitetur misericordias Domini, laudemq; eius immensam in omnes fines terræ, & iusta iudicia, ob quæ lætari iubet fideles simul & generalē ponēs exhortationē ad vniuersos, vt cōfluāt ad sanctæ Ecclesiæ amplexus, eiusq; gloriā prædicent, posteris enarrent vniuersam quæ est de Deo Domino veritatem, & quòd ipse director sit populi sui in æternum. H

QVADRAGESIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.*

** in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius.*

VEre excelsus est Dominus Deus noster, & magnus in omnibus, magnus Dominus, magnus Deus, magnus rex: magnus in potentia, magnus in sapientia, magnus in bonitate, magnus in duratione, magnus in gloria, atque ita in cæteris omnibus quæcunque illi possunt attribui: & quemadmodum in omnibus præcellenter magnus est, ita est & in omnibus valde laudabilis: * præcipue autem & singulari quodam modo in ciuitate sua, & in monte suo sancto, nempe fidelium Ecclesia: quæ per ipsum vt architectum est constructa & ædificata, in compaginatione spiritus sancti, ex

A

2 *Fundatur exultatione vniuersæ terræ:*
* *mons Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni.*

3 *Deus in domibus eius cognoscetur:*

B * *cùm suscipiet eam.*

4 *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: cōuenerunt in vnum.*
5 *Ipsi videntes, sic admirati sunt.*

C * *conturbati sunt, cōmoti sunt, tremor apprehendit eos.*
6 *Ibi dolores vt parturientis:*
* *in spiritu vehementi conteres naues Tharsis.*

D 7 *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate domini virtutum in ciuitate dei nostri: * Deus fundauit eam in æternum.*
8 *Suscepimus Deus misericordiam tuam:*
* *in medio templi tui.*

cti, ex fidelibus hominib⁹, qui ciues sunt & domestici ciuitatis huius: quæ etiam quasi mons per fidem atque claritatem altus est, firmus & Ephes. 2.
immobilis. 2. Fundatur autem ista ciuitas, & ædificatur velut à fundamentis, cum magno gaudio vniuersi orbis terrarum: omnibus qui in illa erunt coædificādi gaudētibus, q̄ ciues futuri sint tā glorioſę ciuitatis, & siquis requirat, vbi hæc ciuitas fundetur, & vnde ædificetur: * ecce mōs Siō iunctus cum lateribus Aquilonis: efficiūt ciuitatē istā, quā diximus magni regis, Iudęa & gētilitas, in vnā Christi fidē conuenientes, Ecclesiam sanctam componunt. Ex his enim duobus populis,
in vno angulari lapide Christo coniunctis, & super hunc vt vnicum Ibidem.
fundamentum fundatis, ædificatur sancta Ecclesia, ciuitas Dei viuen- 1.Cor.3.
tis. 3. Et licet olim in mundo existēs nō fuisset agnitus à mundo, nunc
tamen in temporis plenitudine agnitus est Dominus Deus in domi- Ioan.1.
bus ciuitatis huius: in Ecclesijs particularibus (quæ per vniuersum orbē terrarum ædificātur, tanquam domus magnę ciuitatis, id est totius vniuersalis Ecclesię) cognitus est vt verus Deus & Dominus, atque vt talis cœpit adorari: * posteaquam venit plenitudo temporis, quo ipsi complacuit per humanationem ad nos venire, ad suscipiendum hanc ciuitatem suam quando ei placuit fieri in similitudinem hominum,
sicq; Ecclesiam sanctam susc̄ipere inhabitandam, possidendam, regē- Philip.2.
dam, defendendam, promouendā, ad eum modum quo paterfamilias in domum suam aduenientes, digno à familia honore suscipitur, & rex in suo regno agnoscitur, cùm aduenerit ad suscipiendum illud. 4. Ecce enim reges & principes orbis terrarum, vnà cum subiectis sibi populis, iā cōgregati sunt vnanimes, iā pariter conuenerunt & coadunati sunt in vnum, vno corde & animo suo, colla submittere parati iugo fidei, & in Dei nostri ingredi ciuitatem, Ecclesiasticęque vnitatis fieri participes. 5. Modus autem cōuersionis eorū hic fuit: quoniā videntes signa & prodigia mirabilia, quę Dominus per suos ministros sanctos Apostolos operabatur, cùm illi placeret Ecclesiā ędificare, sic mirum in modum admirati sunt, de rebus tā stupendis & insolitis, tā in verbo q̄ in opere, quæ per homines infirmos fieri videbant, simul & de mirabilibus illis quæ hi ex ore Dei annunciabant: * & contemplātes veritatē fidei atq; virtutē Dei, cōturbati sunt intra semetipsos, q̄ sanctum Dei nomen ante veritatis agnitionem ita impietatis viribus oppugnassent, sintq;, ad pœnitentiam commoti salubriter: ita vt quasi timor & tremor in eos irruerit pro horrore patratæ pristinæ impietatis suæ. 6. Apprehendit quoq; eos dolor vehemens contritionis & pœnitentiæ, quasi admodum parturientis: qui & maximus est & tamen admodum vtilis, vtpote per quem homo in vitā spiritualem regeneretur: * in spiritu violento & valido tu Domine contriuisti diuitias & superbiā gentium atque populorum: in magna virtute & efficacia, illos ab infidelitate & vitijs suis auersos, ad te feciſti conuerti, eosque tibi potenter subiugasti: * Insuper & gentium idola ex auro nobili (cuiusmodi à Tharsis per naues afferebantur) facta, itē & auro multo ac preciosis ornatibus onusta, ad modum nauium ex Tharsis aduehentium multas diuitias tu cōtriuisti & confringi feciſti, per virtutē & efficaciā spiritus tui sancti: qui per os sanctorum Apostolorum tuorum magno impetu flās, illa de sua gloria deturbauit, & prostrauit in terrā. 7. Ecce domine iā vidimus impleta omnia, quęcunq; prędicta audiuimus in lege & prophetis de tēpore aduētus tui & ædificationis nouæ Ecclesiæ tuæ: & sicut audiuimus ea ventura, ita iā in temporis hac plenitudine datū est nobis ea impleta conspicere in Ecclesia sancta, quæ est ciuitas illa quā iā diximus magni regis cęlestium exercituum, & ciuitas Domini Dei saluatoris nostri: * quā ędificauit velut à fundamētis, quamq; stabiliuit, & in soliditate sua cōstituit super firmissimam petrā, ipse Deus & nō homo: ita vt in sempiternum nō possit cadere neq; deficere (aduersus quā nec portæ inferi possent pręualere. 8. Misericordiā tuā, ô Deus, quā Abrahę & patribus certissima fide promiſ
sam, anteactis sæculis maximo desiderio expectauerant, & pro qua ita Matt.16.
vehementer suspirauerant patres nostri, hanc nos impletam suscepimus, hanc nos reali adimpletione vidimus exhiberi: * in medio Ecclesiæ, quæ est sanctum templum tuum, ita vt iam quasi in medio exposita sit omnibus in tua misericordia, quicunque per fidem intra hoc templum fuerint, sitque in commune omnibus absque personarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 *Secundū nomen tuū Deus, sic & laus tua in fines terræ:*

Psal.112. * *iustitia plena est dextera tua.*

Matt.25. 10 *Lætetur mons Siō, & exultent filiæ Iudæ: propter iudicia tua do-*

1.Cor.3. *mine.*

11 *Circundate Siō, & complectimini eam:*

* *narrate in turribus eius.*

12 *Ponite corda vestra in virtute eius:* * *& distribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.*

13 *Quoniam hic est Deus Deus noster in*

Psal.99. *æternum & in sæculū*

Psal.22. *sæculi:* * *ipse reget nos*

Ioan.10. *in sæcula.*

narum acceptione proposita, quicunq; per fidem eius voluerint partici- E
pes fieri, neq; quisquā excludatur ab ea, nisi qui seipsum excluserit.
9. Et pro tanta tua misericordia sic in medio templi tui exhibita, tu es
ô Domine Deus summa & immēsa laude vere dignissimus. Quemad
modum enim nomen tuum magnum est, gloriosum, incōprehensibi-
le, & ineffabile: ita & laus tua ô Deus magna est, & gloriosa nimium:
incōprehensibilisque & ineffabilis, per vniuersos fines terrę: quoniā à
solis ortu vsq; ad occasum, sicut magnum est nomen tuum in omni-
bus gentibus, ita & laus tua maxima est, quā nullus sufficiat explica-
re: * specialiter verò laus tibi cōuenit de tua admirabili & æquissima
iustitia, qua plena est dextera tua: quoniā videlicet in summa iustitia
omnibus facis remunerationem, esque in retribuendo æquissimus,
vnicuique reddens secundum opera sua. 10. Lętetur proinde, & meri-
to gaudeat sancta Ecclesia, & fideles quique qui per confessionem fi-
dei habitāt in ea, propter æquissima & iustissima iudicia tua, quibus
tu agis omnia, & iudicas de omnibus, vnicuique reddens secundum
proprium laborem & opera: ita infallibili æquitate, vt neminē sis pro F
merito bonis actionibus prēmio fraudaturus, neque ecōtrario quem-
quā sis cōtra merita indignum prēminaturus. 11. Circundate, ô fideles
animæ ciuitatem regis magni istā beatā, de cuius ędificio multa dixi-
mus, & amorosis amplexibus cōplectimini eā: nimirū in qua sola, so-
lus esse vobis poterit, & à qua omne bonum procedit: eique sic adhę-
reatis fidei firmitate & charitatis dulcedine, vt nunqnā vos patiamini
ab eius auelli amplexibus: * proclamate quoque, ô amatores ciuitatis
huius, laudes & bona eius palā in turribus eius: & super tecta, in pro-
patulo, prædicate eius gloriā, vt ad eius amorem & amplexus etiam
exteros conuocetis. 12. Firmate corda vestra in spiritu sancto, qui est
virtus ciuitatis huius: & in hac eius fortitudine, secura ponite, & quasi
firma collocate corda vestra, semper in eius fortitudine & auxilio cō-
fidentes, in cuius virtute etiam maxima quæque poteritis, * & domos
eius distribuite, Ecclesias particulares in populis & gentibus consti-
tuite, ita vt generationibus sequentibus enarretis, atque ita semper
cōsequenti ordine de progenie in progeniem, de generatione in ge- G
nerationem, narrent alij alijs, priores suis posteris. 13. Quòd hic ipse
quem diximus, dominus & rex magnus, ædificator & susceptor ciui-
tatis sanctæ, sit verè Deus omnium, & specialiter Deus noster, Deus
fidelium suorum: neque id solum ad tempus modicum, quemadmo-
dum reges huius mundi reges sunt temporarij, quorū regnum trānsit
& deficit quàm velocissime, sed Deus æternus in sæcula sæculorum,
sine fine regnum tenens: * & ipse est, qui nos populum suum & oues
pascuæ suæ? id est, sibi credentes) reget, pascet, deducet, & diriget, qua-
si pastor bonus & pater misericors, in sempiternum nunquam abie-
cturus à se curam fidelium seruorum suorum.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLVII.

VErsu 2. Latera Aquilon. ciuit. reg. mag. Per latera Aquilonis recte intelliguntur populi gentiū, qui sunt quasi in circuitu Sion, & velut à lateribus terræ promissionis: quæ in meditullio terræ fertur posita, ac proinde quæ circumiacent necesse est ad latera esse locata, Deinde, quia à Iudæa cœpit Euangelica prædicatio, per quam Ecclesia sancta fuit ædificata, atque hinc deriuata est in gētes per circuitum, etiā hac cōsideratione, nō inepte populos gentium latera appellabimus, cōpara- H
tione ad Iudæā in qua Sion posita est. Vnde Esaias Propheta alloquēs in spiritu Hierusalem, ait, Filij
Esaiæ 60. tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent: loquens indubie de cōuersione populi gentium, quemadmodum ea quæ antecedunt atq; sequuntur aperte demonstrāt. Quod autē latera Aquilo-
nis hīc dicantur potius, q̄ orientis aut meridiei, propter frigus iniquitatis & idololatriæ (quod in lo
cis gentium abundabat plurimum) dictum videtur. Vnde & diabolus per Aquilonaris regionis prin
cipem significatur, de quo apud Esaiam legimus, q̄ sedem suam in Aquilone ponere & in lateribus
Esaiæ 14. Aquilonis sedere elegerit. Sedebo (inquit) in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Et frequen-
Hiere. 1. ter de hac Aquilonari parte apud Prophetas mala proferuntur. Cuiusmodi est illud Hieremiæ, Ab
Aquilone pandetur malum: & alia pleraque huiusmodi. Alioqui non minus ad orientem aut meri-
diem populi gentium idololatriæ dediti erant, quàm ij qui ad Aquilonarem plagam demorabantur, si tantum localem situm attendimus. Necesse est ergo, vt secundum mysticam intelligentiam
ista Aquilonis latera prædicto modo accipiamus. Itaque, non solus mons Sion ciuitas est magni re-
gis illa, de qua hic tam gloriosa loquitur Propheta: sed mons Sion coniunctus cum lateribus Aquilonis, populus Iudaicus cum inhabitatoribus laterum Aquilonis, cum populis, qui prius subditi fuerant principi Aquilonis, cum populis frigori, idololatriæ & omni malitiæ ante subiectis, pariter ciuitatem magni regis componunt. Et erat quidem ante hanc duorum populorum coædificationem

A tionem cœptā fundari huius ciuitatis pars altera, quę erat Iudęorum Synagoga: verum id exultatio- Psal.75.
ne tantum erat partis terræ, nempe solius Iudęæ. Neque enim nisi in Iudęa, tum tēporis noscebatur
Deus. Postea verò quàm istam vnam ciuitatem sic ex monte Sion pariter cum lateribus Aquilonis
Deo placuit ædificare, factum est hoc exultatione maxima vniuersæ terræ: quoniam iam ad omnes
absq; discretione participatio salutis deriuabatur, Apostolica prædicatione in omnem terrā excun-
te. ¶ Versu 3. Deus in dom. eius cogn. &c. Quomodo ciuitas quælibet ex pluribus domibus ædifi-
catur, in Ecclesia vniuersali ex particularibus Ecclesijs consurgit atque componitur: tametsi recte
etiā tota vniuersalis Ecclesia nonnunquam domus Dei appelletur, quemadmodum Paulus ait, do- 1.Tim.3.
mum Dei esse Ecclesiā. Recte enim & domus & ciuitas, domus enim patrifamilias cōpetit: Ciuitas,
potius regi: Dominus autem noster, & paterfamilias, & rex solet nominari populi sui. Possent autē
per domos intelligi etiam singulæ fidelium animæ, in quibus Deus quasi in domibus suis inhabitat.
Quòd autem cognoscendus sit Deus cùm susciperit ciuitatem, ideo dictum videtur, quoniam ante-
quam veniret dominus rex noster in ciuitatem hanc suam, antequam veniret eam suscipere, & quasi
in possessionem atq; regnum suum vendicare, nō agnoscebatur in populis, neq; honore debito co-
lebatur: sed blasphemabatur magis per idololatriā, & omnis generis mala, quibus plenus erat mū-
dus, & summe inhonorabatur Deus. Vnde & Ioannes dicit in Euangelio, In mundo erat, & mundus Ioan.1.
B per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Verum posteaquā placuit ei venire secundum
similitudinem carnis in ciuitatē suam, ad eā suscipiendā, suæ possessioni restituendam, iam agnitus
est in populis, & debito susceptus honore ab omnibus quotquot ad vitam fuerant prædinati: de
quibus subsequenter Ioannes ait, Quotquot autem receperunt eum) nimirum in propria venien- Ibidem.
tem) dedit eis potestatem filios Dei fieri. Nam quod præcesserit, In propria venit, & sui eum nō rece-
perunt, ad eos spectat qui de domo diaboli sunt & Synagoga eius, nō de domibus ciuitatis sanctæ.
Propter quod etiā signanter dictum est, Deus in domibus eius cognoscetur, nempe in domibus ci-
uitatis huius regis magni. Habet enim & diabolus domos siue Synagogas suas, sed in illis nō agno-
scitur Deus, donec illius domus permanent. Potest autē ad pleniorem huius versiculi intelligentiā,
regis terreni & ciuitatum quæ sub eo sunt, fieri apta comparatio, ad regem istum cęlestem & sanctā
eius ciuitatē. Nam sicut rex priusquā regnum suscęperit iuxta ritum debitum, & iura patria, priusquā
ciuitates in suā fidem, possessionem, tutelā, defensionem susceperit, non agnoscitur vt rex, neq;
penitus honorem illi regium homines impendunt. Cùm verò ille aduenerit cui regnum cōpetit, in
ciuitates regni sui, easq; ingressus susceperit (vt prędictum est) in possessionem, fidē atq; defensionē
suam, tum vt rex cognoscitur, tum in honore debito ab omnibus bonæ obedientiæ subditis agno-
scitur. Sic sane dominus rex noster, antequā veniſſet in mūdum, erat quidem vere mundi dominus,
C & omnium mundi partium rex erat verus & imperator, quoniā per ipsum facta fuerant omnia: nō Ibidem.
est tamen agnitus vt rex & Deus ab hominibus, qui in mundo inhabitabant, neque regium illi ho-
norem voluerunt impendere: sed inuisibilis imperatoris loco, visibilem & corruptibilem creaturā
coluerunt cōmutantes (iuxta Apostoli verbum) veritatē Dei in mendacium, & gloriam incorrupti- Rom.1.
bilis Dei in similitudines creaturarum, quibus maluerunt seruire, q̄ creatori, qui est benedictus in
sæcula. Verum vbi in carne aduenies similis nobis apparuit, seque ipsum prędentem in carne mon-
strauit, in similitudinem hominum factus, habituq; inuentus vt homo, Ecclesiam cōgregans, & æ- Philip.2.
dificās ex omnibus populis, tum agnitus est vt rex, Dominus, & Deus verus, ab omnibus quotquot
vere sunt de ciuitate & populo eius: etiāsi plurimi adhuc filij Belial, & de ciuitate diaboli recusent il
lum vt verum Regem cognoscere, donec manum eius violentam in sese perferentes, cogantur cō-
fiteri nolentes, quod modo cōfiteri renuunt. ¶ Versu 4. Quon. ecce Re. ter. cong. sunt, &c. Nemi-
nem turbet confusio temporis, quæ in his versibus conspicitur, cum versu secundo dicitur tempore
prędenti, fundantur: deinde versu tertio, cognoscetur tempore futuro: hoc autem quarto versu ac
sequentibus, tempore prędterito, cōgregati sunt, &c atq; iterum pòst, versu sexto, cōreres. Hęc enim
temporum mutatio, ex libertate est in spiritu contemplātis, quæ temporis differentias solet plerū-
que confundere. Quæ verò hīc dicuntur de Regum commotione, conturbatione, dolore atq; tre-
D more, tametsi in Elucidatione vertantur ad partem meliorem, ad salutarem videlicet commotionē
pœnitētiæ, licebit tamen etiam in malam partem nihilo forte incommodius exponere, de commo-
tione scilicet persequutionis maximæ, quam contra Christi nomen præ ira & furore excitauerunt
in primordijs nascentis Ecclesiæ, rectores populorū: tametsi illorum potestas ac sęua rabies, tādem
spiritus violentia deuicta fuerit atque contrita. ¶ Versu 6. Ibi dolores vt parturientis. Secundum in-
telligentiam, quæ in Elucidatione ponitur, notandum est, dolorem pœnitentium recte comparari
cum dolore parturientis. Est enim dolor parturientium vehemens quidem vsque dum fœtus egres-
sus fuerit, post verò in gaudium commutatur: & cùm sit breuis, multam tamen adfert vtilitatem,
vtpote postquam fœtus viuus egreditur, & per quem inter viuentes proles generatur. Atque ita &
dolor pœnitentium nunc quidem magnus & vehemens est, & multæ afflictionis, propter quod alio
Psalmo de huiusmodi dicitur, Euntes ibāt & flebant: veruntamen breuis est, & fructum multo ma- Psal.125.
ximum parit, vtpote per quem homo regeneratur, & denuo nascitur, ex filio iræ & mortis factus
filius gratiæ & vitæ, ex filio diaboli filius Dei. Est quidē pœnitentiæ tempus, breue admodum: quod 2.Cor.4.
verò inde consequitur gaudium, æternum est: iuxta illud Apostoli, Id quod in prędenti est momen-
taneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur
in nobis. Et quomodo (iuxta verbum domini) partus lætitia omnem qui in parturiendo fuerat do-
lorem facit obliuisci: sic & consolatio quæ subsequitur, partim quidem in præsenti tempore, maxi-

mē

Ioan.16. me tamẽ in futuro, omnẽ doloris priſtini fugabit memoriã. Mulier(inquit Saluator) cùm parit,triſtitiã habet,quia venit hora eius. Cũ autẽ pepererit puerũ, iã nõ meminit preſſuræ propter gaudiũ, quia natus eſt homo in mundũ. Et vos igitur nunc quidẽ triſtitiã habetis. Iterũ autẽ videbo vos, & gaudebit cor veſtrũ, & gaudiũ veſtrũ nemo tollet à vobis. ¶ Verſu eodẽ, in ſpiritu vehementi cõteres naues Tharſis. Per naues Tharſis, in Elucidatione indicauimus intelligi vel ſuperbiã gẽtium, vel vanitatem idolorum: quam vtranque, in ſpiritu vehementi dominum conſtat aduenientem contriuiſſe. Quare autem per naues Tharſis intelligamus gentium vel regum gentilium ſuperbiam cauſa poteſt aſsignari, eo quòd penè omnis virtus, & regum & principum terræ in auro & diuitijs, ſita eſt. Non enim in propria ſua fortitudine aut corporis robore ipſi poſſunt quæ poſſunt, ſed diuitijs, auro, & pecunia ſubiectos ſibi faciunt homines, & miranda poſſe videntur: ita vt ethnicorũ poëtarum quidam cecinerit, reginam rerum eſſe pecuniam, illique obedire omnia. Ex hiſtoria verò libri regum didicimus, ex Tharſis aurum optimum & diuitias maximas adferri ſolita. Vnde & de Salomone & Hirã rege Tyri legimus, quòd claſſes ſuas cõiunxerint ad illinc auehendum aurum copioſum: Atque hinc ſumptum videtur, vt dicãtur naues Tharſis pro ſuperbia diuitiarum pro copioſis diuitijs auri, argenti atque ſimiliũ. Verum ſpiritus domini ſua vehementia, & virtute omnes imperatorũ & principum ſimul atque populorum quantumuis ditiſsimorum diuitias deuicit, omnibuſque ſe potentiorem monſtrauit, dum per homines ſimplices & pauperes, illorum conatus infregit, atq; etiã iugo fidei illos ipſos tandem ſubiugauit. Hic autem loquendi modus, quo dicimus conteri naues Tharſis pro diuitijs gentium, fere talis eſt, quo vulgo dicere ſolemus, euacuari arcas aut crumenas diuitum, cùm ſignificare volumus, exhauriri & conſumi eorum diuitias. Et ſi quidem in bonã partem hanc contritionẽ exponimus, de ſalutari confractione & prædicta ſubiugatione intelligimus. Si verò in malã partem quis poterit accipere rebellium principum fruſtrationem, & irritos factos eorum conatus, aut etiam eorum iuſtam diuino iudicio cõdemnationem intelligat. Cæterũ, idola(iuxta ſecundã expoſitionem) naues Tharſis dicimus? primum quidem, ratione materiæ, q̃ ex auro & pretioſa materia fieri ſolebãt, cuiuſmodi per naues Tharſis(vti diximus)aduehebantur. Deinde, per quandã ironiã ſic appellari poſſunt, eo quòd ita multo ornatu eſſent circũdata, & varijs rerum preciоſiſsimarũ ornamentis ita circumpoſita & onerata, vt naues quæ ex Tharſis aduehebãtur, preciоſis rebus erãt onuſtæ: Qua ratione, etiam reges & principes in nimia pompa & ſuperbia gradientes, non omnino male nuncupare licebit naues Tharſis: eo q̃ tantum videãtur geſtare diuitiarum, quãtum nauis ex Tharſis aduenientes. Poſſet etiã ad literam intelligi iſta contritio nauium Tharſis, & per ſpiritum vehementẽ ventus validus: vt ſignificetur, Deum ſua potentia per ventorum (quos in manu ſua habet) validitatem, poſſe gentium fiduciã & regum diuitias facile cõterere, eorumq; diuitias & poteſtatem in manu ſua habere, & ad nihilum poſſe cùm voluerit redigere. ¶ Verſu 8. Suſ. Deus miſer. tuam in medio tem. tui. Quoniam Dei miſericordia humano generi exhibita, æque vicina eſt omnibus, quicunque habitant in ea, idcirco in medio templi ſuſcepta dicitur. Quòd enim in medio eſt, omnibus qui in circuitu ſunt, æque eſt proximum: quemadmodum centrum in circulo, cõparatione ad omnes partes circunferentiæ per circuitum. Hinc & in alio loco Pſalmiſta dicit, Dominus

Pſal.73. operatus eſt ſalutem in medio terræ. Cui etiam conſonat, quod Simeon iuſtus in manibus tenens

Luc.2. puerulum illum, in quo omnis miſericordia nobis exhibita eſt, canebat dicens, Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Ante faciẽ namque omnium populorũ, id eſt, quod in medio omniũ. A quo neq; illud abhorret, quod dilectus diſcipulus in Epiſtola de

1.Ioan.2. Chriſto domino loquens, ſcribit in hunc modum, Qui eſt (inquit) propiciatio pro peccatis noſtris: nõ pro noſtris autem tantum, ſed & pro totius mundi. Quod autẽ recte ſancta Eccleſia tẽplum Dei dicitur, nemo dubitare debet: quãdoquidem Paulus etiam ſingulorum fidelium corpora templa au

1.Cor.6. det nominare, dicens, Neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti, qui habitat in vobis? Quanto rectius ergo vniuerſam ſanctorum cõgregationem appellabimus templum Dei? Nõ

1.Cor.1. eſt enim aliud templum, q̃ domus Deo ſanctificata, ad inhabitationem, & cultum debitũ in ea Deo exhibendum. Poſſet tamen in hoc verſiculo diſtinctius intelligi per miſericordiã ipſe Chriſtus dominus: qui ſicut (Apoſtolo teſte) datus eſt nobis à patre iuſtitia & redemptio: Ita nihil dubium, quin & miſericordia, atq; vt iã mox ex Ioãne citauim⁹) propiciatio, eo q̃ per ipſum ſimus adepti diu expectatam & multum expetitam miſericordiã. Per medium verò templi accipi poteſt vel ipſa Iudæa ſiue populus Iudaicus, qui recte mediũ totius Eccleſiæ dici poteſt, ea ratione qua diximus verſu ſecundo, latera Aquilonis ſignificare populum gentium, eo quod ſalus (iuxta verbum Saluatoris) ex Iudæis orta ſit, & ex eis omnes gentes proceſſerint per circuitum. Vel ipſum etiã materiale templũ

Ioan. 4. intelligi poteſt, quod in Hieroſolymis domino ſacrum erat. Atque ad hunc intellectum ex antiqua inſtitutione, in ſolemnitate glorioſæ virginalis purificationis verſiculus præſens ſolet pro introitu Miſſæ decãtari, eo q̃ tunc memoria agatur illius admirabilis gaudij, q̃ ea, quã diximus præſens miſericordia (id eſt, verbum factum caro, datum nobis à patre ad miſericordiam) in medio templi illius oblata eſt à parentibus, & ſuſcepta à ſene ſancto Simeone, & altera veneranda vidua, nomine

Lucæ 2. Anna: in quibus tota iam Eccleſia pòſt vẽtura ſignabatur, & in quibus ipſa Chriſtum iam ſuſcipiebat ſuam miſericordiam. ¶ Verſu nono. Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua. Sicut nomen Diuinitatis ſummum eſt, atque etiam nomen Ieſu nomen eſt ſuper omne nomen, ita & laus tam Dei patris, quàm Chriſti filij, ſumma eſt, & ſuperat omnem laudem: atque ideo recte dicitur, quod ſecundum nomen eius ſit & laus eius. Nam & apud homines, ſecundum nomen vnicuiq; laus & honor competit. Qui enim dominus appellatur & pater, huic ratione huiuſcemodi duplicis nominis, duplex

duplex item honor cõpetit. Propter quod apud Prophetã dominus expoſtulat, dicẽs, Si pater ſum vbi eſt honor meus? Et ſi dominus, vbi eſt timor meus? Et verò qui dux eſt, aut rex: aut imperator, aut aliud huiuſmodi, manifeſtum eſt, ſecundum hæc nomina laudẽ & honorẽ cõpetere. Cùm ergo dominus noſter, per quẽ nos tantã miſericordiã ſuſcepimus, ſit nobis pater, dominus, dux, paſtor, ſaluator, defenſor, iudex, põtifex in æternum, Rex regum, & dominus dominantium, & (quod omnium maximum eſt) Deus ſuper omnia benedictus, conſequitur ſecũdum hæc omnia, ipſum eſſe in immenſum laudabilem, neque laudis aut honoris obſequia nos illi poſſe vllo pacto condigna reddere. ¶ Verſu eodẽ, Iuſtitia plena eſt dextera tua. Per dexterã Dei plenã iuſtitia, intelligit Elucidatio Dei retributione, tã erga bonos, q̃ erga malos, ſecundum ſummã iuſtitiam vnicuique pro operibus mercedem diſpenſantem. Idque admodum conuenienter, quoniã per dexteram ſolet fieri datio & mercedis exhibitio. Quicquid enim damus aut reddimus, aut perſoluimus, per dexterã manũ facimus. Et huic expoſitioni manifeſte ſatis cõſentit, quod ſequitur de iudicijs domini, propter quę lætari iubẽtur fideles: Veruntamen poſſet dextera domini etiã hoc loco accipi, ſecundum quod aliàs plerunque ſolet, pro Dei potentia & virtute: quæ dicitur eſſe plena iuſtitia, quoniã ſic Deus potentiſsimus eſt, vt tamẽ ſit pariter & iuſtiſsimus: quod ſane & magnæ laudis materia eſt, & fidelibus omnibus cauſa magni gaudij. Nam hominum potentiam fere iniuſtitia ſolet coinquinare, dum contra iuſtitiã vel innocentes puniunt, vel nocentes abſoluunt: ſicque illorum dextera vacua fit iuſtitia, & in tyrãnidem conuertitur potentia dexterę eorum. Longiſsime autem hoc abeſt à Dei dextera, vt vlla iniuſtitia poſsit in ea contineri. ¶ Verſu 10. Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudę, Merito ſane lętentur fideles, propter iudicia domini, Verè enim maxima eſt cauſa gaudij, omnibus, qui pię ac bonæ ſunt voluntatis, quòd iudicem talem habeant, qui in æquitate & iuſtitia omnes eſt iudicaturus, ita vt neminem hominum ſit abſque demerito per calumniam condemnaturus, neque econtrario quẽquam ſit peruerſum impunitum relicturus. Neque enim tam potens quiſquam, tam immobilis aut terribilis poſsit inueniri, cuius gratia ipſe aliter ſit iudicaturus, q̃ expoſtulet iuſtitia: Neq; quiſquã tam prudens, aſtutus, aut callidus poterit inueniri, qui illum poſsit vel falſa perſuaſione decipere, vel muneribus aut adulationibus peruertere à recto iudicio: vt vel innocens quiſquã ab eo non accipiat bona præmia, vel noxius nõ recipiat iuſta tormenta. Et licet hanc iudiciorum Dei ſummã æquitatem homines impij & peruerſi ſibi male conſcij, faciant ſibi doloris cauſam (ingemiſcunt enim ſiquando iſta attentius recogitant, mallentque eſſe Deum vt hominem, quem vel minis ſuę potentiæ perterrefacere poſſent, ut ſuauiloquentia vel aſtutia poſſent decipere, ne recta iudicaret iudicia. Sic enim ſpem haberent euadendi æterna ſupplicia, quæ iã certò expectãt, & conſequendi bona cæleſtia de quibus deſperãt) filiæ tamẽ Iudæ, fideles animæ ſummã in hac æquitate accipiunt conſolationem nimirum hac ex re certiſsimi, quòd ſuorum laborum præmio non poterunt fraudari, neque pro vlla re quam ipſi non commiſerint, vltionem pati. Nam ſi nõ eſſent iuſta Dei iudicia, ſi nõ eſſet eius dextera plena iuſtitia, ſed ſecundum perſonarum acceptionem iudicaret, non ſecundum opera, ſed ſecundum affectionem, aut quemlibet perſonæ reſpectum, vt homo, verè miſere ageretur nobiſcum, & minimum eſſet pauperculis nobis fiducię: maxime, cum omnibus peractis fideliter, & poſt conſtatem perſeuerationem vſque in finem, necdum certi eſſemus de beato præmio: ex aduerſo verò eos qui in perpetuum vacaſſent iniuſtitiæ, contingeret hoc pacto pœnas euadere, & præmia bona conſequi. Pro hac re, ſi dexterã haberet Deus commixtã cum iniuſtitia, lætaretur quidem Synagoga Satanæ, & exultarent filij Belial. Mons autem Sion lætari debet, & exultare oportet filias Iudæ, propter iuſta iudicia domini. Vnde & in alio Pſalmo, in eandem ſententiã dicitur, Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in ęquitate, & gentes in terra dirigis. ¶ Verſu vltimo, Quoniam hic eſt Deus Deus noſter, &c. Nota quòd hic verſus ſecundum ſententiam coniungi debet immediate cum præcedenti, ad hunc modum, Vt enarretis in progenie altera quoniam hic eſt Deus Deus noſter, &c. Nam, quoniam, nõ videtur accipi vt dicat cauſalitatem ſed tantum continuationem, nõ valens niſi quod continuatiue acceptum: vt indicetur id quod ſequitur, eſſe ipſum quod annunciari velit.

Ioan.10. Heb.7. Apo.19. Roma.9.

Pſal.66.

XLVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Totus moralis eſt hic pſalmus, vanitatem & miſeriã peccatorum pulcherrime ponens ante oculos. In quo præmiſſa exhortatione, & velut ad concionẽ conuocatis omnis cõditionis hominibus, et benęuolẽtia ex dicendorũ vtilitate captata, verſu 4. proponit quæſtionẽ: quid videlicet ſit, propter quod in die mala, in die mortis atque iudicij, debeat homo ſibi metuere, quam & ſtatim (licet ænigmatice & obſcure ſatis) diſſoluit: ſub iniquitate calcanei indicans proximi oppreſsionem & ſupergreſsionem (quæ diuitibus ſæculi & potentibus plurimum ſolet eſſe familiaris) ipſum eſſe propter quod potiſsimum in die illa timere debeat homo, & merito ſane timere, eo quòd ab ira dei illius, qui hac calcanei iniquitate comprehenſi fuerint, nullo precio poterunt redimi, neque vllius auxilio liberari: ſed mortem ſempiternã ſuſtinebunt, abſq; vlla ſpe euaſionis aut liberationis ſuæ. A tq; hæc quidem, octo primis verſibus. A verſu autem nono, vanitatem eiuſmodi hominum deſcribit, qui non conſiderantes ventura æterni interius ſuper ſe tormenta, inſipientes & ſtulte ſibiipſis per iniuſtitiã & oppreſsionẽ ſuperinducunt perditionẽ pro temporarijs diuitijs, quas, velint, nolint, per mortẽ hinc abeũtes relinquere coguntur alijs, ipſi inhabitaturi in ſepulchris & inferni foueæ: cùm eorũ domos, quas magno ſumptu ſibi extruxerãt, de progenie in progeniẽ tranſeãt ad poſſeſſores diuerſos, Vbi obiter verſu duodecimo, quaſi lamentãdo deflet, quòd dignitatis ſuæ obliti homines vtarebus perituris inhiãtes, ſeſe iumentis æ-

quibus ait; noox ad illorum infœlicitatem & vanitatem redieus describendã, quos per vias suas malas dicit ad E
infernum deducendos, & à morte deuorãdos, iustisq; velut scabellum subijciendos, & omni destruendos auxilio. Versu autem decimosexto, ab hac miseria se fore liberum confidenter pronunciat, ac de iniquitate calcanei nihil sibi male conscius: sub sua persona indubie & alios sui similes, id est, fideles & iustos animare volens, ne supra explicita debeant metuere supplicia, simulq; exhortationem facit iustis omnibus, ne magnifaciant quam vident in impio temporalem prosperitatem, ex consideratione eius, quæ post subsequutura est, æterna egestate & miseria: eo quòd neque secum deferet rerum suarum aliquid, neque lumen sit vltra in sempiternum visurus, coniectus in exteriores tenebras. Rursumq; illud quod versu duodecimo de humanæ naturæ indigna à semetipsa vilificatione & conculcatione dixerat, velut rem abominabilem nunquam satis dolendã, replicans, it a terminat Psalmum optimis considerationibus admodum fœcundum, modo spiritalem consequatur lectorem. Nam prudentibus sæculi, aut mundi sapientibus, veniæ magis videbuntur, quæ aduersus illorum pessimas affectiones cum grandi terrore proponuntur.

QVADRAGESIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem.*

2 *Quique terrigenæ & filij hominum: simul in vnum diues & pauper.*

3 *Os meum loquetur sapientiam:* * *& meditatio cordis mei prudẽtiam.*

Psal. 84.

4 *Inclinabo in parabolam aurem meam:*
* *aperiam in psalterio propositionem meam.*

5 *Cur timebo in die mala:*

1. Thes. 4. * *iniquitas calcanei circundabit me.*

6 *Qui confidũt in virtute sua:* * *& in multitudine diuitiarũ suarũ gloriantur.*

7 *Frater non redimit*
* *redimet homo:*
* *& non dabit Deo placationem.*

HAec quæ ego loquar: audite vniuersi populi: vniuersi habitatores orbis non solum auribus corporis suscipite, sed etiã cordis auditu interius percipite, intra pectoris arcana & secreta cordis ea condituri. Erũt enim quæ sum dicturus, vniuersis ad bene beateque viuendum, & salubriter moriendum vehementer conducentia. 2. Audite (inquam) quicunque ignobiles de terra nati homines, & omnes filij hominum, siue plebei, siue nobiles, pariter absque discretione diuites & pauperes, pusilli & magni, & cuiuscunque sitis conditionis. Aeque enim quæ sum dicturus cõducent omnibus, neque minus sunt vt audiantur, diuiti q̃ pauperi, nobili quàm ignobili necessaria. 3. Ecce loquar ego per os meum verba sapientiæ, per quæ in rebus quæ supra hominem sunt instruatur quisquis attenderit: * & ex multa ac profunda meditatione cordis mei ego loquar doctrinã prudentię, per quam in agendis instruentur omnes qui attentis auribus perceperint eam. 4. Quæ autem loquar, non à meipso loquar, sed applicabo prius auditum cordis interius docenti per ænigmata quasi in parabolis, quasi per velamen: cuiusmodi est eruditio omnis interior ex Deo, quæ in hac vita mortali suscipitur; * atque vbi ex vnctione interiori accepero, tum demum proponam quod proponendum fuerit problema meum, aut ænigma, aut eruditionem quam voluero, in cantico Psalmi, quod decanto in instrumento Psalterij. Nam est hæc voluptas cordis mei, in cantico Psalterij apertius proponere vtilitati hominum, quæ ego ex interiori alloquutione quasi parabolas, quasi per speculum in ænigmate, accipio. 5. Propositio autem quam propono, hæc est: quidnã sit ipsum, ob quod merito & iusto timore timere debeat homo in die mala, in die mortis atque iudicij Dei: hanc propositionem, quasi basim & cardinem totius mei cãtici propono, circa cuius dissolutionem totus mei cãtici discursus versabitur: * cui quidem propositioni respondere cupiens, illud in primis asseuero, quòd iniquitas qua homo proximum suum circũuenit & supergreditur, quasi calcaneo ipsum supplantans, ipsa est quæ hominem circundabit in die mala, & in nouissimo cõprehendet, constringet, & obligabit in dãnationem: ac proinde, eadem ipsa est propter quã in die mala merito debeat homo timere. 6. Huiusmodi autem sunt, qui stultã & vanã fiduciã habent in potentia & fortitudine sua, atque eorum quos sibi habẽt subiectos: per quam nimiã potentiam fit, vt neminem metuentes, audacter conculcent, opprimant, & supplantent proximos suos: * & qui vana exultatione lætantur, & gloriantur in abundãtia substantiæ diuitiarum suarum: per quam vanam confidentiã, stulte existimantes neminem sibi posse resistere aut contradicere, audent nequiter pauperes & inferiores suo calcaneo cõterere: hos (inquam) iniquitas calcanei circundabit, & his in die mala est metuendum. 7. Huius autem rei causam (id est, quare huiusmodi in die mala sit timendũ) facile aduertimus, si illius diei districtionẽ diligẽtius cõtemplemur. Ecce enim in die illa, ne frater quidẽ fratrẽ poterit redimere, & de angustijs atq; pœnis maximis (quibus tũ opprimẽtur illi, qui nũc alios suo calcaneo conculcãt) liberare: * & quomodo vllus alius hominũ huiusmodi poterit redimere? Nam cùm frater nõ possit fratrem redimere, quis alienus id poterit? * & nõ poterit huiusmodi proximorum supplantator, quan-

A

8 *Et precium redemptionis animæ suæ:*
* *& laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.*

9 *Non videbit interitũ cùm viderit sapientes*
B *morientes:*

* *simul insipiens & stultus peribunt.*

10 *Et relinquent alienis diuitias suas:*

C

* *& sepulchra eorum domus illorum in æternum.*

11 *Tabernacula eorũ in progenie & progenie.*
* *vocauerunt nomina sua in terris suis.*

D 12 *Homo cùm in honore esset, non intellexit:*

* *comparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis.*

quantumuis diues aut potens, quicquã tunc dare Deo, quo ipsius irã placet, aut manus effugiat: imò neque frater quicquã inuenire pro eo poterit, neque vllus hominum, quo tũc ira Dei placetur, & ipse è manibus iudicis tremendi redimatur, in quas incidit mortuus in iniqui- Heb. 12.
tate sua. Horrendum enim est sic incidere in manus Dei viuẽtis: & his qui sic in eas incidunt, meritò est in die mala timendum. 8. Et nõ potest offerre aut dare Deo vllã rem, per quã possit redimere animã suã de manibus eius, & de sententia ac pœnis grauissimis, in quas incidit per iniquitatẽ suã. * imò laborabit feretque grauia, & cruciabitur in sęcula sæculorum, absque cessatione aut fine, in tormentis sempiternis: & quanquã in æternis cruciatibus sic laborabit, non consumetur tamen, nec deficiet in sempiternũ, neque mortem quærens inueniet eã: sed in sempiternum permanebit in subsũtia, vt imperpetuum crucietur in pœna: neq; vnquã per cruciatus deficiet à subsistentia, vt perpetuo ferre possit tormenta. 9. Miseri autem huiusmodi supplantatores nõ respiciunt neq; attendunt ad interitũ istum æternũ, qui eos manet: istã sempiternã mortem quã experientur, nõ habẽt ante oculos, cùm vident etiã sapientes & bonos viros morientes. Putãt enim, cùm etiã bonos & sapientes cõspiciunt morientes, q̃ omnium sit ęqua cõditio, & æqualis sit mors omniũ: & arbitrãtur hac ratione, quò nihil amplio sit præmij bonis q̃ malis, eo q̃ ad nihil attendãt nisi quod vident oculis corporis, neque sciunt ad ventura respicere, sed tãtum in præsentia defigunt oculos: * scire autẽ hos oportet, q̃ pariter & insipientes atque increduli (qui credunt nõ esse vitam post hanc vitã, neq; bonis, neque Titum 1.
malis dignam remunerationẽ) atque etiã stulti & vani homines (qui licet credere se dicãt, tamen factis negãt, & reipsa ante oculos se nõ habere mõstrant) hi, inquã, pariter in perditionem ibunt per insipientiã & stultitiã suã, cùm per mortem à corpore abscesserint. Aequa enim vtriusque horum erit portio. 10. Ipsi autem in perditionẽ æternã hinc abeuntes, diuitias suas (propter quas cõquirendas & coaceruandas in perditionem & damnationem proiecerunt semetipsos) cogentur alijs relinquere, à quibus iã per mortem sunt prorsus facti alieni: ita vt nullo auxilio, nullo suffragio, ab eis valeãt vltra adiuuari: frequenter etiã prorsus alienis secundum sanguinẽ & cognationẽ, dum ignoti & extranei eorũ substantiã diripiunt, vbi vel hęredes defuerint, vel defraudari eos cõtigerit: certè ipsi nunquã vltra post abscessum, coaceruatis fruentur diuitijs: * & nõ redibunt amplius de sepulchris, in quibus eorum corpora posita fuerint, vt recipiãt relictas diuitias: sed in eis permanebunt quasi in domibus suis & mãsionibus hęreditarijs resoluẽdi in cinerem atque putredinem, donec veniat consummatio sæculi, & tempus generalis resuscitationis omnium: * loca etiã inferni, in quo sepultæ sunt animę eorũ, domus illorum erunt in sempiternum, è qui- Lucæ 16.
bus nunquã emigrabunt. 11. Domus autem & habitacula quę ędificauerãt sibi super terrã (quæ tamẽ ipsi nõ nisi vt tabernacula breui trãscursu inhabitare permissi sunt) permanebunt & perstabunt in plures generationes, & inhabitabunt in eis posteri, cũ ipsi qui ea ædificauerũt in sepulchris suis delitescent: nomina sua magna & solemnia facere studuerunt in terris, suorum nominum appellationes indẽtes ędificijs atq; possessionibus suis: à suis nominibus illa appellãtes, vt sic nomen suum immortale redderẽt. 12. Sic misere seipsos miseri homines per sua vitia perdunt & proijciunt, nõ attendentes ad dignitatẽ cõditionis sue, sic sibi falsam nobilitatem & dignitatẽ quærũt, postquã verã quę in ipsis est proiecerũt. Cũ enim à Deo in magno honore & magnifica gloria esset creati (nimirum ad imaginẽ & similitudinem dei creatoris sui: similes angelis quãtum ad rationalis animæ, quæ in ipsis à Deo infusa est, dignitatẽ secũdum quã etiã immortales sunt, & Deiformitatis atq; Dei filiationis capaces) nõ intellexerut honore in quo eos posuit Deus, neq; cognouerunt gloriã in qua cõditi sunt ab illo: * sicque obliti suæ dignitatis, cõparauerunt, æquauerunt, & assimilauerunt semetipsos iumẽtis irrationabilibus: facti sunt similes equis & mulis in quibus nõ est ratio vel intellectus: dum nõ secundum spiritus ductũ, sed secundũ carnis cõcupiscẽtias bestiarũ more, feruntur in sola tẽporaria & terrena: nõ attendẽtes nisi ad ea quę sensibus exposita Psal. 31.
sunt temporaria, æternorum (quòd sensibus non pateant) prorsus nullam habentes considerationem: quemadmodum irrationabilia bru-

Ioëlis 1.

13 *Hæc via illorũ scãdalum ipsis:*

** & postea in ore suo cõ placebunt.*

14 *Sicut oues in infer-*
Apoc. 20. *no positi sunt:*
1.Cor. 6. Psal. 149. ** mors depascet eos.*

15 *Et dominabũtur eorum iusti in matutino:*

1.Cor. 4. ** & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum.*

Iob 17. 16 *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferni:*
** cùm acceperit me.*

17 *Ne timueris, cũ dines factus fuerit homo:*
** & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.*

18 *Quoniã cùm interierit nõ sumet omnia:*

Iob 1. ** neque descendet cum eo gloria eius.*

Lucæ 12. 19 *Quia anima eius in vita ipsius benedice-*
Lucæ 6. *tur:*

** confitebitur tibi cùm benefeceris ei.*

ta, non nisi in præsentia respiciunt exposita sensibus: *Sunt etiã in hoc E
similes facti iumentis insipientibus, ꝙ sicut cõputrescunt & fœdantur iumenta in stercore suo, sic & hi infœditate concupiscentiarum suarum & sordibus peccatorum semetipsos defœdant, & cõputrescunt ac misere cõsumuntur in eis: & quẽadmodum iumenta per omnia ductum sequũtur sensualis appetitus, vtpote superiorẽ nõ habẽtes rationẽ: sic & homines isti carnis affectũ sequũtur, frustra reclamãte ratione, secundũ quã, appetitũ sensuale frænare debuerunt. 13. Hæc est via, hic est modus operationis & vitę ipsorum, in omni irrationalitate & sensualitate, pecudum more, quæ ipsis erit in scãdalum & ruinã sempiternã, nimirũ causa iustæ condẽnationis eorũ, per quã pręcipites dabũtur, & ruẽt in ꝓfundũ inferni: *& posteaquam ita suã iniquitatis & iniustitię viã cucurrerint, posteaquã suas prauitates bene perfecerint, adhuc in ore suo seipsos iactitant atque collaudant, quasi re bene gesta: propter impœnitẽtiã & obstinationem, in malitijs suis gloriãtes, atq; seinuicẽ etiã in malefactis cõmendãtes. 14. Propter hoc in infernũ detrudentur & cõcludentur, vt esca sint diaboli, & ignis æterni, quo- F
modo oues occisionis in stabulis ponuntur, & conclusæ seruantur, vt mactẽtur atq; edãtur: *illic autẽ non ipsi pascentur, vt in mundo pasti fuerãt terrenarũ rerum abundãtia: sed ecõtrario depascẽtur, vorabuntur, & cõsumentur à morte sempiterna, comedentque eos damnatio, mors & diabolus: morte ęterna mordebũtur, atque cruciabuntur in sæcula. 15. Iusti autẽ quos hìc suo calcaneo oppresserunt, accipiẽt super eos dominiũ & exaltationẽ, etiã iudices cõstituti impiorũ oppressorum suorũ, habẽtes in manibus suis gladios ancipites, vt faciãt vnà cũ domino suo iudiciũ cõscriptũ in eis: ita (inquã) dominabũtur eorũ, tunc cùm exortus fuerit post tenebras huius temporis dies domini clarus & lucidꝰ, qui illuminabit abscõdita tenebrarũ, & occulta producet in lucẽ: quemadmodũ fieri solet, cũ post tenebras, matutino tẽpore, solis fulgor aduenerit: *& auxiliũ eorũ omne quod à gloria sua, potẽtia atque diuitijs habuerãt super terrã, auferetur, atq; deficiet ab eis in inferno positis: neq; vlla res erit, quę ipsis possit vltra ferre auxiliũ, vbi semel in hunc lacũ descenderint, in quo nulla est redẽptio. 16. G
Quanquã autem ita sciã impios homines in has deuẽturos esse miserias, spem tamen firmã habeo in Dei misericordia, & bonę cõscientiæ testimonio securus, ꝙ meã animã liberabit Deus de manu inferni, & saluabit de potestate mortis atq; diaboli: *tũc cùm ei placitum erit suscipere me ex hac vita corporis, & accipere à me spiritũ meum. Firmiſ sime enim cõfido, ꝙ cùm illi placitum fuerit me trãsferre de vita hac mortali, nõ patietur animã serui sui venire in loca tormẽtorum deputata impijs: sed in locum gaudij ęterni magis trãsferet seruos suos. 17. Te verò moneo, quisquis iustitiã diligis, & oppressiones forsitã ab impijs sustines, ne timeas, neq; admireris quasi magnũ aliquid, neq; cõturberis ꝓ hoc, si videas quẽpiam tẽporaliter diuitem factũ abundare rebus omnibus tẽporarijs: *& ne magni æstimes, cùm videris gloriam domus eius (id est, diuitias, possessiones, familiam, & honores ipsius) multiplicatam esse, aut creuisse vehementer: cum multis diuitijs videris abundantem, aut multis ornatum honoribus, & alijs huius mundi prosperitatibus affluentẽ. 18. Ne magni hæc æstimes (inquam) quoniã H
omnia hæc quæ vides, necesse erit illum velit nolit, in hoc mundo relinquere, cùm per mortem emigrabit anima è corpore: neque poterit quicquã eorum secum deferre, quę hic possidet: sed quẽadmodũ nudus ex vtero matris egressus est, ita & nudus reuertetur in terrã, descẽdetque in infernum: *neq; poterit cum eo descendere, siue secundum corpus in sepulchrum, siue secũdum animã in infernum gloria huius sæculi, neque substãtia, neque possessiones, neqne honores, neque fama, neque potestas, neque aliud quicquã eorum in quibus fuerat in vita sua vane gloriatus. 19. Quoniã quidem benedicet animę suę in vita sua, blãdietur animę suę, & inuitabit eã, iubebitque comedere, epulari, bibere, atq; deliciari in parta diuitiarum abundãtia: * suscipiet etiã ab alijs sibi similibus benedictiones, id est, adulationes & blandas assentationes, quẽadmodum facere solent parasiti diuitibus: & benedicẽt eis omnes homines: * confitebitur tibi, & laudabit te quisquis es qui illi benefeceris: tantum laudem & cõmendationem, vel solo verbo gratiarum actionẽ accipies, quisquis es qui illi vel vllius muneris do-

A

20 Introibit vsque in progenies patrum suorum: vsque in æternũ non videbit lumen.*

21 Homo cũ in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

B

donatione, vel obsequij exhibitione, impenderis beneficium. Putant enim ob gloriam diuitiarum suarũ, omnia sibi velut debita esse: propter quod magnum putant, si vel gratias agant, ꝓ accepto beneficio. 20. Licet autem nunc in hac vita sic floreat impius, veniet tamen tempus mortis eius, quando apponetur ad patres suos, & accedet ad illos Matt. 25.
in infernum: quorum in vita imitatus est prauitates: * quando etiam patri suo diabolo & angelis eius in tormentis associabitur: * ac tunc quidem in tenebras exteriores conijcietur, in caminum ignis, vbi inæternum lumen non videat glorię Dei: sed in sempiternis degat tenebris atque horroribus, in damnatione æterna. 21. Concludens hunc Iob 10.
meæ propositionis tractatum & Psalmum, illud gemẽs repeto, quòd non attendentes homines ad honorem & nobilitatẽ conditionis suæ, seipsos nimium deijciunt, dum se misere æquiparant, & similes faciũt bestijs rationis expertibus, & illis se per carnis concupiscentias & rerum temporalium auiditatem assimilant, suæ dignitatis nullam habentes rationem. Hæc etenim res est, propter quam merito in die mala timere oporteat. In huius rei consideratione, vera est sapientia & prudentia, quam ab initio pollicitus sum docere omnes attendentes meo cantico.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLVIII.

VErsu secundo, Quique terrigenę & filij hominum. Inter duas illas copulatiua cõiunctione iunctas particulas, nempe terrigenas & filios hominum, ex Hebræo apparet talem esse differentiã vt primum plębeios designet & ignobiles, quos etiam ethnicorum literę, terrę filios nonnunquam appellare solent, quasi nulla natiuitatis suę origine insignes: secundum verò nobiles & egregios, insignibus ortos natalibus. Aut vt primũ ad malos & terrenos homines, secundũ verò ad bonos, & secundum rationem bene viuentes referatur. Nam in Hebræo priore loco dicitur, Filij Adã: secundo autem filij Isi. Recte autem ad auditum horum quæ in Psalmo isto proferuntur, omnes conuocat cõcionaturus Propheta. Nemo enim est siue diues, siue pauper, nobilis siue ignobilis, ad quem non ista attineant. ¶ Versu 4. Inclinabo in parabolam aurem meam. Per parabolam in Elucidatione intelleximus doctrinã, quam interius magisterio Dei cordis aure accipimus: quæ propter obscuritatẽ 1.Cor.13.
donec non facie ad faciem cõtemplamur quod discimus, sed tantum per speculum videmus in ænigmate, nõ male prouerbium, similitudo, aut parabola dicitur: quamuis alij ob hoc putent diuinã sa- 1.Cor.3.
C piẽtiam dici parabolam siue prouerbium, quod sapiẽtia Dei est stultitia huius mundi. Quasi enim in prouerbium & derisionem sunt carnalibus & mundanis hominibus, quæ docet interior spiritus 1.Cor.1.
vnctio: iuxta quod Paulus ait, verbum crucis pereuntibus esse stultitiã, Iudæis verò etiã scandalum, quẽadmodum econtrario, spiritualibus hominibus sapiẽtia mundi, parabola, prouerbiũ, & stultitia est. Videtur tamen prior intelligentia commodior, quam & beatus Augustinus approbat. ¶ Versu eodem, Aperiã in psalterio propositionem meã. In secunda parte versus, quod Latine habemus ꝓpositionem, Græce habetur problema: ex Hebræo autẽ vertunt beatus Hieronymus, atq; etiam posteriores interpretes, ænigma. Ex quo videtur hìc ꝓpositio vel problema significare quæstionẽ obscuram, & multis ad soluẽdum difficilẽ, cuiusmodi est ea quæ versu quinto statim subiungitur: Cur timebo in die mala? Omnino enim magna & difficilis hæc quęstio est, bene ænigmatica, & obscuritatẽ magnam habẽs: quam sapiẽtum huius sæculi plurimi inuenire nescierunt, dum alij maxime timẽdam tradiderunt egestatem ciborum, potuum, honorũ, possessionum, diuitiarũ, sanitatis, atque aliarũ huiusmodi rerum transeuntiũ: in quibus cũ locarint fœlicitatem, recte cõsequutio infertur, cõtrariam fœlicitati miseriam siue infœlicitatẽ eos in prædictarũ rerũ defectu cõstituisse. Quid autem vere sit timẽdum, & quid sit quod ad verã miseriam, nempe æternã, hominem perducat, minime inuenerunt: atque ita, nec quid vere timendum sit, cognouerunt. ¶ Versu 5. Cur timebo in die
D mala? De die mala, etiam Psal. 40. dictum fuit, eum qui super egenum & pauperem intelligit in die mala liberandum. Dicitur autem dies mortis vel potius iudicij, dies mala, nõ quidem bonis, sed impijs, quibus (iuxta Prophetarum oracula) erit dies vltionis dies interfectionis, dies tribulationis, dies tenebrarum, dies magnus, terribilis & crudelis, dies furoris, indignationis, & cõsummatæ iracundiæ Dei. His enim atq; alijs huiusmodi terribilibus nominibus, passim diẽ istam inuenimus in scripturis nominari. Quod autẽ quęstionẽ proponit sub prima persona, dicens, cur timebo in die mala? & deinde etiã solutionem similiter ponit, dicens. Iniquitas calcanei mei circundabit me, non ita accipiendum est, quasi de sua ipsius persona specialiter moueat quæstionem, aut subiungat respõsiuã enũciationem: sed iuxta modũ cõsuetũ loquẽdi, sub suę persone expresione generalem, intẽdit sermonẽ: quẽadmodum si dicã ego interrogans, Quid est, quod me potest facere acceptũ Deo meo & Quid est, quod me potest facere Deo detestabilem? ac deinde respõsionẽ subiungã. Operationis bonæ studium me cõmendatum faciet Deo, mala autem opera me faciẽt ab illo haberi odio, sic loquens nõ de mea ipsius tãtum persona intendo, neque quęstionem neque respõsionem: sed sub expresione huius meæ personæ, sermonẽ intendo generalem de omnibus hominibus. ¶ Versu eodẽ, Iniquitas calcanei mei, Iniquitatẽ calcanei in secunda parte versus exponit Elucidatio iniustitiã calũnię siue oppressionis, aut deceptionis, qua quis (iuxta Apostoli dictũ) circũuenit aut supergredi-

tur fratrem: eo q̃ hoc modo velut opprimatur, cõculcetur, aut supplãtetur proximus, & quasi sub E
calcaneo teratur atque prematur. Cui intelligẽtiæ apte videntur sequentia omnia cõsonare, in quibus de diuitibus huius sæculi fit sermo, quibus hoc viciũ admodum est frequẽs & familiare. Similiter & illud cõsentit, quod apud Ioannẽ de Iudæ supplantatione loquẽs dominus ait, Qui manducat meum panẽ, leuabit super me, vel cõtra me calcaneum suum: pro quo vulgata Psalmi lectio Gallicana habet, Magnificauit super me supplãtationem. Vnde patet, per hanc calcanei leuationẽ, oppressionẽ, & deceptionẽ intelligi. Similiter loquitur in Genesi fraudatus per Iacob benedictione pater-
Psal.40. na Esau, cùm se à fratre secundo deceptum atque circũuentum, significare volens, eiulãdo dicebat,
Gene.17. Recte vocatum est nomen Iacob. Supplãtauit enim me, en altera vice. Primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meã. Attamen posset generaliter hæc iniquitas calcanei intelligi de omni peccato omnique malitia conuersationis humanæ: vt sic dicatur iniquitas calcanei, iniquitas quã operatur homo, & velut per quam ambulat. Omnis enim iniquitas quã calcat homo siue perambulat, circundabit eum, id est, irretiet, & quasi nexibus quibusdam inuoluet ad æternam dãnationem. Posset insuper per hanc iniquitatẽ calcanei intelligi peccatũ, in quo quis ad finẽ vsque & mortem perseuerat, & in quo quis moritur, eo q̃ calcaneum sit vltimum hominis, quo terrã cõtingimus: quẽadmodũ dicere solemus interdũ, à capite vsque ad calcẽ, pro eo quod est, à principio vsque ad finem. Hæc autem iniquitas calcanei, hæc finalis, & ad finem vsque sine pœnitentia in ho- F
mine perseuerans impietas, ipsum in die mala est indubie circundatura. Primã tamen intelligentiã solam, vt potiorẽ, sequitur Elucidatio. ¶Versu 6. Qui confidunt in virtute sua, &c. Dum hic statim ad tertiam personam transijt, postquã sub prima dixisset, Iniquitas calcanei circundabit me, significat (quod paulo ante diximus) etiam prius sub prima persona generalẽ se voluisse habere sermonem: cuius rei consideratio absurditatem quoque tollit malæ cõnexionis, quæ prima facie videtur inter hunc versum & præcedentẽ. Nam licet secundũ vocem diuersitas videatur esse personæ, cùm in quinto versu sit persona prima, in sexto autem tertia, secundum rem tamen patet esse cõuenientiam, quoniam quantum ad sententiã etiam, in quinto versu de omnibus in genere tacite fit sermo sub expressione primæ personæ. Notandum autem, quod non dicit simpliciter, qui potentes sunt aut diuitias habent, seu tantum qui cõfidunt in virtute sua & in multitudine diuitiarum suarũ gloriãtur. Non enim omnibus diuitibus aut potentibus iniquitas calcanei conuenit in cõprehensionẽ & obligationẽ, sed illis qui spem suam ponunt in eis, sic vt per suã potentiã atque diuitias nihil formident diuina iudicia, neque magni æstimẽt proximis suis iniustitiã & calumniam facere. De huiusmodi enim Psalmus potissimum loquitur. ¶Versu 7. Frater non redimit, redimet homo? Per fratrem intelligunt aliqui peculiariter Christum dominum, qui frater dignatus est fieri totius, generis nostri, quando ipsi placuit similem nobis humanitatis formam assumere, atque ita in filios Dei nos G
promouere. Sic enim frater noster factus est primum quidem, ratione assimilationis suæ nobiscũ in forma humana. Deinde etiam ratione adoptionis nobis collatæ, & ratione assimilationis nostræ ad ipsum secundũ gloriã diuinitatis. Quãdo enim nobis potestatẽ dabat filios Dei fieri, simul & nobis potestatẽ dabat fieri fratres ipsius. Nam eiusdem patris filij, fratres sunt. Christus ergo nos sibi fratres fecit, cùm eiusdẽ patris, cuius ipse est filius naturalis, non secundum adoptionẽ, filios cõstituit.
Heb.2. Propter quod post resurrectionẽ dicebat mulieribus, Ite, dicite fratribus meis. Et iterum, Ascendo
Psal.21. ad patrem meum & patrem vestrum. Vnde & Paulus Apostolus, Nõ cõfunditur (inquit) fratres eos vocare, dicens, Nuntiabo nomẽ tuũ fratribus meis. De hoc ergo fratre sic intelligunt presentem Iesum, Christus dominus qui est frater totius humani generis nostri amãtissimus, ne ipse quidẽ huiusmodi proximorum supplantatores, & charitatis violatores est redempturus à morte aut damnatione. Non enim illis veniet salus Christi, neq; salutis effectum in illis habebit preciosa mors eius: & quis alius homo poterit illos redimere? Certe nemo, posteaquã frater ille non redimit, qui à morte solus saluare potens est, & redimere venit vniuersos credentes. ¶Versu eodem, Nõ dabit Deo placationem suam, In secũda parte versus huius. 7. placatio neutraliter accipitur, pro re qua placare vel placari quis potest. potestque exponi actiue vel passiue. Actiue sensus erit, Nõ poterit homo dare Deo quicquã, quo sibi eum placet, aut placatũ reddat, Passiue autẽ sensus erit: Nõ dabit Deo quie- H
quã, quo placetur sibi Deus. Similiter & suã relatiuum, facit sensum diuersum. Vel ei refert Deum, vt sit sensus, Nõ poterit homo quicquam dare, quo ipse Deus placetur. At sic quidẽ manifestum est quasi passiue accipi debere placationẽ. Si verò referat impium, de quo fit sermo, sensus est, Non dabit quisquã Deo placationẽ ipsius, siue pro ipso: hoc est, nihil dare poterit homo, per quod ipsi impio (in quo iniquitas calcanei inuenta fuerit) Deus valeat placari. Erit enim erga illum ira Dei omnino implacabilis. Quantum autem ad verbum dabit, potest esse sensus, Frater vel homo nõ dabit Deo placationẽ suã, pro impio videlicet circũdato iniquitate calcanei: vel ipse impius circundatus iniquitate calcanei, non dabit Deo placationem pro semetipso, &c. ¶Versu. 8. Laborabit impius in æternum: quoniã & hic in vita temporali sollicitudines, labores, molestias, timores, & mille incommoda sustinet pro rebus tẽporalibus, siue acquirẽdis, siue augmentãdis siue conseruandis, In futuro autem sæculo, tormenta grauissima perferet, & ea quidem nunquã finienda. Notandum enim est, quoniam non solum laborare dicitur homo, cùm aliquid difficilis operis fecit, cui sit adiuncta difficultas & molestia siue fatigatio, verumetiam quoties difficilia perpetimur, eque laborare dicimur, etiamsi nihil agamus operis. Secundum quem modum Ecclesiastes se asserebat comperisse, omnia
Eccle.17. quæ sub sole sunt, laborem esse & afflictionem spiritus: laborem indubie pro molestia, vexatione, & afflictione accipiens. Similiter & Paulus Apostolus, molestias, tribulationes atque persequutiones

A nes sustinere, frequenter laborare appellat. Itaq;, etiãsi ab omni opere essent ociosi impij in hoc sæculo, dicuntur tamen laborare. Et in futuro, cùm ab omni opere erunt ociosi, quia tamen perferendis malis erunt pleni, & superpleni, recte laborabunt in æternum. Et quanquam semper laborabũt, semper mala maxima sustinebunt, viuent tamen in sempiternum: quoniã Dei potentia, semper in vita conseruabuntur, vt semper laborent, vt semper crucientur. Erunt enim immortales, & incorruptibiles, mali æque atque boni: & sicut hi viuent adhuc in finem, in æternum perstabunt immortales, vt semper gaudeãt, semper conuiuentur in mensa agni: ita illi semper viuent, vt semper crucientur, & laborent in lacu serpentis antiqui. Terribile autem est, quod hic de impijs supplantatoribus coniunctim dicitur, quòd in æternum viuent, & in æternum laborabunt. Nam si tãtum diceretur laborabunt, & viuent in æternum, spem possent audientes, cõcipere, q̃ solum ad tempus aliquantum essent laboraturi, ac deinde vita sempiterna absque laboribus victuri: quemadmodum nõnulli errorum magistri, olim commenti sunt, quos satis Euangelicus sermo redarguit, dicens impios in supplicium æternum & in caminum ignis inextinguibilis proijciendos. At si tantum diceretur, Laborabunt, & viuent, existimare possent, de labore in hac vita fieri sermonem, nullam autem post hanc vitam, aliam expectandam, in qua labor ipsis est metuendus, quemadmodum brutales homines plurimi somniant. Atque hinc sanè parũ terrerentur, cùm etiam labores illos, quos supra diximus, impij sibi dulces & suaues reputent. Nunc verò, dum vtrobiq; æternitas determinatur, diciturq;, & la-
B borabunt in æternum, & viuent in æternum, aufertur spes omnis, vel per mortem, vel per temporis longitudinem effugiendi æterni supplicij. Quod si interroget quispiam: si hic impij dicuntur victuri adhuc in finem, id est, in æternum, quur ergo bonis peculiariter in præmiũ addicunt sacrosancta Euangelia vitam æternam? Quomodo enim bonis in præmium proponitur, quod ipsis commune asseritur cum reprobis? Propter huius quæstionis solutionem, præmiserat propheta, laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem, Laborare autem in æternum & viuere, verius in æternum mori est, q̃ in æternum viuere. Nã & ipsa impiorum vita æterna, mors æterna est. Viuent enim in morte: & ad hoc semper viuent corporis & animæ subsistentia, vt semper moriantur dãnatione & cruciatu. Nunquã eis vita deficiet, vt nunquã derelinquantur à morte: vt mortem nequeant effugere, nunquam vita discedet ab eis. Iustorum verò æterna vita ad hoc erit, vt nunquã valeant mori, vtque imperpetuum mors sit elongata ab eis. Neq; quisquam est fide instructus, qui ignoret distinctionem beatæ huius vitæ æternæ bonorum, ab illa infœlici malorum. ¶Versu 9. Simul insipiens & stultus peribunt. Insipiens & stultus in Elucidatione ita distinguntur, vt incipiens eum signet, qui nõ sapit, neque sentit de veritate, de Deo ac diuinis rebus, vt oportet: vt infideles homines, qui non credunt iustitiam Dei: cuiusmodi sunt plerique diuitum, & potentum sæculi, qui sibi persuadẽt, nõ fore post
C hanc vitam talem iustitiæ remunerationem, qualem sacræ literæ testantur. Stultus autem dicitur, quantum ad agenda, qui non agit quæ oportet, etiamsi sciat & sentiat vt debet: cuiusmodi sunt plerique nomine tantum Christiani, qui cum intellectu veritatem agnoscãt, opere tamen vanitatẽ demonstrant, & vani sunt: cuiusmodi etiam erant illi de quibus dicit Apostolus, q̃ cùm cognouissent Rom. 1.
Deum, nõ sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Qui tamẽ distinctionem istam vanam esse contenderet, & idem assereret verbis diuersis ad exaggerationem rei bis positum, hic poterit propositũ sermonem ita accipere, acsi dicatur, insipientes & stulti omnes peribũt: hoc est (quemadmodum iuxta vulgatum loquendi modum dici solet) insipiens vnus cum alio, siue stultus cum stulto, pariter omnes peribunt. ¶Versu 10. Et relinquent alienis diuitias suas. Quomodo alienis relinquant diuitias suas impij, satis in Elucidatione mõstratur. In eo autem quod sequitur, Sepulchra illorum, domus illorum in æternum, notãdum est, duplicem latere intelligentiã. Aut enim de sepulchris terrenis dictum accipimus, quantũ ad corpus, aut de mãsionibus inferni in quibus sepeliuntur damnati, iuxta quod in Euangelio de epulone diuite legimus, q̃ sepultus fuerit in
inferno. Clarum autem est illic sepulchra impiorum esse, vbi fuerint sepulti. Est tamen in duplici Lucæ 16.
ista intelligentia hæc notanda diuersitas, quòd secundum priorẽ oporteat accipere particulatim in æternum improprie: nõ vt significet perfectam æternitatem, sed tempus vniuersum vsque ad consummationem sæculi. Nam si perfectam æternitatem significaret, consequeretur nõ esse impios de
D monumẽtis prodituros in nouissimo die: quod manifeste aduersatur verbis domini, dicẽtis, Amen dico vobis, quia venit hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala, in resurrectionem iudicij. At verò iuxta alteram intelligentiam, quę de mansionibus loquitur inferni, particula, in æternum per- Ioan. 5.
fectam signat æternitatem. Mansiones enim infernales, erunt domus & habitacula impiorum in æternum. ¶Versu 11. Tabernacula eorum in progenie & progenie. Diligenter notandum, q̃ in priore versu dixit impiorum sepulchra esse domos illorum, & domos æternas. Hic verò, habitacula quæ super terram extructa posteris relinquunt, non domos appellat, sed tabernacula. Non enim vacat mysterio, ista in loquendo discretio. Rectè enim habitacula, in quibus super terram homines inhabitant, tabernacula vocãtur: quoniam minimum temporis in eis permittuntur demorari, neque vlla in eis fixa aut stabilis mansio est. Frequenter enim contingit, vt mox postquam ædificata fuerint diuitum palatia, morte absorbeantur, imò nonnunquã, & priusquam ad perfectum structura fuerit perducta: cogunturque, velint nolint, erecta multis laboribus & sumptibus palatia posteris derelinquere: neque eis inhabitandi illa facultas, aut tempus conceditur. Et si conceditur, certè breue nimium est quod cõceditur. Plerunque enim homines ad multam ætatem deuenisse cernimus, priusquam erigãt ædificia; atque ita fit, vt mox post consummationem cogantur loco cedere. Deinde,

quoniam impij, velint nolint, aduenas se confiteri debent super terram & peregrinos, non habent E
Heb.11. autem aduenæ ciuitatem manentem vbi aduenę sunt, neque domum fundamenta habentem. Et ite-
Iob 7. rum, quoniam militia est vita hominis super terram, non habent autem qui in militia degunt fixas domos, sed in tabernaculis agunt: idcirco rectè impiorum domos, non domos, sed tabernacula secundum veritatem appellabimus. Sepulchra verò illorum, siue terrena, siue infernalia, recte illorum domus dicuntur propter stabilem & longissimam in eis mansionem. Nemini enim regum aut potentum concessum est tanto tempore inhabitare suum palatium, quàm coguntur inhabitare sepulchrum, vel infernum. Secunda autem pars huius versus, Vocauerunt nomina sua in terris suis, secundum eam sententiam accipienda est, quam exprimit aliquanto clarius beati Hieronymi ex Hebræo versio, habens in hunc modum, Vocauerunt nominibus suis terras suas. Huius autem rei patet exemplum in regibus nonnullis, quorum nominibus etiam ciuitates, & loca insignia legimus appellata: quemadmodum Cæsarea Philippi (de qua fit in Euangelio sermo) in honorem Cæsaris, Cęsarea nominata est: ab ipso autem eius ædificatore, siue renouatore, Philippi dicta est. Similiter Roma, à Romulo. Ita castra & domus quælibet insignes, à suis ædificatoribus plærunque denominantur: quemadmodum apud Louanienses arx Iulij in hodiernum vsque diem, ab ipso ædificatore Iulio, antiquam obtinet appellationem. ¶ Versu 12. Et homo cùm in honore esset, nō intellexit. Solet
F versus iste plerūque ad totius generis humani naturā, eiusque lapsum, & à statu innocētię dieiectionem, peculiariter applicari: quoniā videlicet cùm in summo honore esset homo, à Deo conditus in originali iustitia, in omnimoda rectitudine, ab omnibus miserijs corporeis, quibus nūc subiacem⁹, alienus, nō attendit ad dignitatem suam, & ad Dei voluntatem vt permaneret in ea: sed oblitus sui, cōparatus est iumentis, & illis assimilatus est, eisdem subiectus miserijs, quibus illa subdita cōspicimus: factus similiter vt illa, mortalis famelicus, sitibundus, fatigabilis, æstu & gelu passibilis, varijsq; morbis, ac corruptionibus obnoxius. Assimilatus etiam est illis, quantū ad sensualitatis peruersum dominium, quę ab ipsa transgressione cœpit suam in hominis corpore exercere tyrānidem, brutales motus frequenter contra rationis imperium in carne exuscitans, & confundens atq; perturbans omnia: cùm ante præuaricationē summa fuisset & iucundissima omnium virium inferiorū obediētia, sub rationis & voluntatis imperio. Deniq;, cæcus factus est homo per transgressionē, & cælestibus rebus capiendis per vitiorum turpitudinem minime idoneus, brutorum more sola spectās prę-
sentia, non attendens in futura. Et hæc quidem recta & bona sententia est. Veruntamen ad propositum Psalmi, rectius ad singulos impios, Dei imaginem, quā in se gerunt, misere fœdantes, refertur
intelligentia, iuxta modum in Elucidatione expressum. ¶ Versu 13. In ore suo cōplacebunt. Complacebunt. videtur improprie accipiendū, pro Benedicent, quemadmodum habet editio Romana,
G id est, blandientur: & adulationes loquentur: vt cōplacebunt in ore suo, idem valeat quod placentia loquentur, vel ad complacendū loquentur: quoniam videlicet inuicem adulantur, & ad cōplacendū loquūtur inuicem, postquam male egerint. Vel potius ipsimet sibi in malis complacendo, se iactitāt de maleactis: quod consummatæ nequitiæ efficax indicium est. De quibus alibi dicit scriptura, Glo-
Prou.2. riantur cùm malefecerint, & exultāt in rebus pessimis. Aduersus quos, alio Psalmo etiam inuehitur
Psal. 51. amara quæstione Psalmista, Quid gloriaris, inquiens, in malitia, qui potens es in iniquitate? ¶ Versu 15. Et dominabuntur eorum iusti, &c. Quomodo iusti super impios accepturi sint dominium in die iudicij, manifeste ex pluribus tā veteris quàm noui testamenti locis est manifestum. Illud tātum hīc singulariter commemorabimus, quod de hac re in sacratissima Apocalypsi spiritus loquitur Eccle-
Apoc. 2. sijs, Qui vicerit, inquit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi stellam matutinam. In sequenti autem parte huius versus, particula illa, à gloria eorum, geminam facit sententiam. Nam si coniungatur cum auxilio, ad hunc modum, Auxilium eorum à gloria eorum, veterascet in inferno, erit sensus qui in Elucidatione expressus est, Auxilium quod à gloria & potentia atque diuitijs suis habere solebant, deficiet in inferno ab eis. Potest & iuxta ordinē localem connecti cum verbo Veterascet, eritque sensus, Auxiliū omne in inferno eis deficiet à gloria eorum quoniam à gloria eorum (id est, diuitijs & potentia) non vltra eis veniet auxilium, vt ve-
H nire solebat cùm agerent in terris: Recte enim deficiet, siue cessabit auxilium à gloria, dum ab ea
vltra non veniet. Prior sensus clarior & conuenientior videtur. Veterascet autem pro Deficiet, &
Hebr.8. consumetur, siue auferetur dictum est quoniam quod antiquatur, & senescit (vt ait Paulus) prope interitum est: Et quoniam eius quod in propinquo est parua distantia est, ad illud cui est propinquum non omnino absurde Veterascere, pro Deficere dictum est. ¶ Versu 18. Non sumet omnia, licet secundum elocutionis vim valeret, quædam non sumet, particulariter, & negatiue enunciando: videtur tamen accipiendum, tanquam si vniuersale signum præponatur, negatio autem subsequatur, id est, Omnia non accipiet, hoc est, nulla accipiet. Neque enim hic loquendi modus scri-
Gene.4. pturis sanctis est infrequens: quemadmodum cum Geneſis quarto capitulo de Cain dicitur, Po-
Gen.14. suit Deus signum in Cain, vt non eum interficeret omnis qui inuenisset eum. Sensus est, vt nullus eum interficeret. Et Geneſis decimoquarto, cùm Abraham dicit se non accepturum ex omnibus quæ de præda & victoria secum tulerat, sentit se ex omnibus non (id est, ex nullis) accepturum. Aut legere possumus hanc partem cum amara ironia, quasi minimum quidem dicentes, sed maximum significare volentes: sicque eadem quæ prius dicta est, habetur sententia. ¶ Versu decimonono. Quia anima eius in vita ipsius benedicetur. Animę impiorum in vita benedicitur, quoniam & si-
Lucæ 12. bi ipsis benedicunt, blandiuntur, loquuntur dulcia: quemadmodum diues ille in Euangelica parabo
la, cu-

A la, cuius ager fructus vberes attulerat, animæ suæ blandiebatur, dicens: Anima mea, habes multa bona in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Verum quæ post mortē, huiusmodi benedictionē sequatur maledictio, subsequens Dei ad hunc diuitē responsio declarat, Stulte (inquit Deus) hac nocte repetēt à te animā tuam: & quæ parasti, cuius erunt? Benedicuntur etiā, & blandas adulatorias q; laudes accipiunt ab alijs, qui eos beatos prædicant, sed decipiunt. Ait enim sacrum Euange-
lium, Væ vobis, cùm benedixerint vobis omnes homines. Quantum verò ad secundā partē, difficul- Lucæ 6.
tas esse videtur propter personæ mutationē. Clarius enim fuisset, si subsequenter continuando sub persona tertia diceretur: Cōfitebitur benefaciēti sibi, aut cōfitebitur illi qui sibi benefecerit. Nunc verò dum subito secunda persona interponitur, incertum est ad quē sermo dirigatur. Et quidē in Elucidatione indicauimus, sermonē referri ad eum qui benefaciat impio potenti, qui propter cordis superbiā, magnā rē se facere existimat, cùm acceptum beneficium vel verbo agnoscit, & pro eo vel gratias agit. Nō enim curāt referre gratiā, qui etiam mercenarijs suis & seruis solēt iustam detinere mercede, nec operariorum suorum labores dignātur persoluere: magnū putātes si nō pro beneficio (quod solent nō rarò) etiā contumeliā reddant. Potest tamen sermo etiā ad Deum dirigi, vt sit sensus, Impius cōfitebitur tibi, & tunc solum te laudabit, cū ei benefeceris, cùm pro voto ei præstiteris
omnia. Nam si aliter illi q̄ postulat euenerit, statim paratus erit in blasphemiam & conuitia. Verum
B hæc sententia non vsqueadeò forsitan vt prior arridebit profundius consideranti, quoniam hi impij, & in peruersitate obstinati, neque cum bona accipiunt, Deo sciunt gratias agere. Non enim attēdunt ad illum à quo manāt quę habent omnia: sed quasi à seipsis habeāt vniuersa, sic sibi placent, & stulti stulte sibiipsis benedicunt. ¶ Versu penul. Introi. vsq; in prog. pat. suo. Progenies patrum hic dicit generationes præteritas priorum ac progenitorum suorum, illorū potissimum quorum imitatores in sua prauitate fuerunt. Malos enim patres sequentur ad pœnā mali filij: & quo illi priores descenderunt, eodem isti aduenient posteriores: vt simul cum malis patribus, mali filij in æternis tenebris crucientur. Possunt etiam diaboli per patres istos accipi, qui patres sunt omnium malorum.
Nam peccat ab initio diabolus, & imitantur eum omnes qui sunt ex parte illius. Ad hos autem in- 1. Ioan. 3.
troibunt impij, vt cum eis æternum lumen non videant: quoniam Diuina sententia compellentur
discedere ipsi in exteriores tenebras, & ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Matt. 25.

XLIX. PSALMI ARGVMENTVM.

INitium huius Psalmi de duplici Christi aduentu loquitur: priore videlicet, quo iam venit, & ex omnibus partibus terræ fideles vocauit incipiens à Hierusalem & Iudæa, vnde pulchritudo Euangelij processit: & posteriori, quo venturus est in manifesta gloria, igne & valida tempestate præcedente conspectum eius ve-
C *nientis ad iudicium, ad quod cælū & terrā (id est, cælestes & terrenos) simul est aduocaturus. & sanctos suos est secum congregaturus qui annūciauerunt eius aduentum. Atque hæc 7. primis versibus. A versu autē 8. ad finē vsq; Psalmi, Deus ipse introducitur loquēs Israēlitico populo suo, siue ille veteri, siue populo nouo, eundem instruens primum de sacrificio acceptabili, quo velit ab ipsis potissimum honorari: videlicet non corporalibus sacrificijs, hircis, vitulis, bobus, ouibus, aut huiusmodi, quorum vsu nec ipse opus habet, neq; si opus haberet, necesse foret cum ista ab hominibus accipere (quandoquidem ipse dominus omnium, & abundat in omnibus) sed sacrificio laudis & inuocationis in aduersis, maxime se dicit honorari. Deinde à versu decimoseptimo, ad ministrum infidelem, sermonem conuertit, qui ipse indisciplinatus existens moribus, & ad omnem impietatem perpetrandam effusus, præsumit tamen Dei præcepta ore suo contaminato alios edocere: quem amara & aspera valde increpatione redarguit, prænuncians illi grauem suæ impietatis vltionem vltimo tādem versu, iterum replicans sacrificij acceptabilis propositionem.*

QVADRAGESIMINONI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Deus deorum Dominus loquutus est:*

D

* *& vocauit terram.*

2 *A solis ortu vsque ad occasum:*

* *ex Sion species decoris eius.*

DEus altissimus super omnes Deos, ipse omnibus superior qui vel secundum hominum falsam opinionē dij existimantur, vel participatione aliqua dij appellātur, qui etiā est vniuersorum dominus: ipse in diebus nouissimis, quando venit plenitudo temporis, aduenies in terras, audiri fecit in mundo Euangelij sui prædicationem, per orbem vniuersum ipsam diffundens: * & prędicatione sua vniuersam terram vocauit ad regni adoptionem quā prædicabat, omnesque fines terræ conuocauit ad vnius fidei susceptionem vniusque corporis & Ecclesiæ compositionem: quod cœpit quidem in semetipso, peregit autem in apostolis, eorumque successoribus. 2. Vocauit, inquam, terram vniuersam & omnes inhabitatores eius, ex omnibus ge- Heb. 2.
tibus & regnis, ab oriente vsque in occidentem, & à septemtrione vsque ad meridiem: per quatuor mundi plagas, vocem suæ prædicationis emittens: * pulchritudo tamen gloriæ eius & decor honoris eius (diuinitatis scilicet manifestatio, & gloriæ eius prædicatio) ex populo Iudaico processit, quoniam salus ex Iudæis orta est, existque de Sion lex, & verbum domini de Hierusalem: eo quòd in Iu- Ioan. 4.
dæa primum audita sit vox prædicationis Christi, ac deinde in om- Esaiæ 2.
nes

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 *Deus manifeste veniet:*

Apoc.1. Matt.16. Esaiæ 3. Apoc.1. * *Deus noster, & non silebit.*

Esaiæ 55. Amos 3. Apoc.5. 4 *Ignis in conspectu eius exardescet:*
* *& in circuitu eius tempestas valida.*
5 *Aduocabit cælũ desursum:*

* *& terram discernere populum suum.*

Matth.13. Ibidem. Matt.25. 6 *Congregate illi sanctos eius:*

Matt. 24.

1.Thes.4. * *qui ordinant testamentum eius super sacrificia.*

1.Reg.15. 7 *Et annũciabunt cæli iustitiam eius:*

Ioan.5. Matt.16. * *quoniam Deus iudex est.*

8 *Audi popule meus, & loquar:*
* *Israël & testificabor tibi:*
* *Deus Deus tuus ego sum.*

Exod.19. Deut.7. & 26. 9 *Non in sacrificijs tuis arguam te:*
* *holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.*
10 *Non accipiam de domo tua vitulos:*

nes gentes sit Apostolico ministerio circunquaque per omnia mũdi climata deriuata. 3. Ipse autem idem Deus noster qui in aduentu suo hoc quẽ modo diximus priore, occulte venit, & quasi sub silẽtio (nimirũ Deus occultus, homo manifestus) idẽ ipse aliàs aduenier manifeste: quãdo iudicaturus viuos & mortuos, veniet cum nubib⁹ in gloria & maiestate sua, cum angelis suis, & cũ senioribus populi suirita manifeste & glorioſe, vt eum videat omnis oculus etiã qui illũ pupugerunt *aduenier, inquã, ipse dominus & Deus noster, in iudicis forma manifeste in oculis omnium, & nequaquã in silẽtio vel occulto: ac tunc etiã futurum est, vt ipse qui olim in aduẽtu priore occulto tacebat coram præside iudicãdus, quasi agnus nõ aperiebat os suum, idẽ ipse tum secundo aduenies quasi leo rugiat, & quasi iudex verus ꝓloquatur pronuncietq; cũ auctoritate sententiã. 4. Cùm autẽ ita secundò aduenerit, præcedet ante cõspectum eius ignis ille cõflagrationis, quo purgabitur mundus, & quicunque sunt in eo: qui vehemẽtia virium suarum fortiter omnia cõflagrabit atque purgabit, iuxta decretũ diuinæ voluntatis: *& erit in circuitu eius cùm aduenier valida tẽpestas, mira cõ F turbatio & cõmotio elemetorum omniũ, & omniũ quę sunt in mundo mirabilis cõmutatio. 5. Sic autem aduenies aduocabit desuper ex cęlis, adducetq; secũ eos qui in cęlestibus secũ degunt, nimirũ angelos ministros suos, cum quibus vnà veniet tanq̃ rex stipatus infinitis militum turmis, atq; etiã Apostolos, aliosq; beatos spiritus, qui iã cum ipso in cęlo inhabitabãt. Et hos enim aduocabit & adducet, vel vt simul cum eo tanquã assessores iudicent impios, vel vt perfectã in corpore iã accipiãt remunerationẽ: *aduocabit itẽ terrã, id est, omnes terrenos & impios, aut homines vniuersos in suis corporibus de terra resurgẽtes: sic, inquã, aduocabit tã desursum cęlum q̃ de deorsum terrã, vt ita in maiestate sua dijudicet atque discernat populum suum: vt videlicet malos seperet de medio iustorum, paleasq; & zizania igne cõburẽda, diuidat & distinguat à tritico cõgregando in horrea: hœdos quoque seperet ab ouibus, illis ad sinistrã, his ad dexterã iusta discretione locatis. 6. Vt autẽ hoc perficiat Deus, exite celeres ô ministri angeli, & congregate illi vestro ministerio electos eius à quatuor ventis terræ, G adducite eos resumptis corporibus ante cõspectum iudicis glorioſi, vt illi obuiã ꝓcedãt in nubibus in aërea, sicq; semper amodo sint cum domino: *qui sancti testamẽtum & pactum eius ordinauerũt ac dispo suerunt super sacrificia, qui dei voluntatẽ & impletionẽ testamẽti eius pluris fecerunt, & priorẽ habuerunt q̃ corporalia sacrificia, qui nõ satis putarunt corporalia offerre sacrificia, sed super omnia studuerunt testamẽtum Dei obseruare, eiusq; voluntatẽ perfecte adimplere: sciẽtes, obedientiã esse meliorẽ victima & holocaustis arietum. 7. Et annunciauerunt atq; prædicaueruntcęli. i. sancti Apostoli, alijq; horum successores cęlestes viri, iustitiã dei, in retributione bonorum atque malorum: *quoniã ipse est iudex cui datum est à patre iudiciũ facere, & cui cõpetit omnimoda perfectaque iustitia, ad reddẽdum vnicuiq; secũdum opera sua. VOX DOMINI INTRODVCITVR POPVLVM SVVM INSTRVENTIS DE ACCEPTABILI SACRIFICIO.
8. Prius q̃ autem hæc sese manifestet iustitia, audi nunc populo meus quẽ elegi mihi in peculium ex omnibus populis, & loquar tibi, instru H ens te ijs quæ saluti tuę erunt opportuna: * audi, inqua, ô Israël electa gens mea, & cũ testificatione ac assueratione firmissima pronunciabo tibi voluntatẽ meã, testamentũ & pactum constituã inter me & te, vt scias quomodo mihi debeas gratam impendere seruitutem: * ecce ego sum Deus omnium, & specialiter per electionẽ gratuitã sum etiã Deus tuus, & te elegi mihi in peculiarem populum. Sed audi nunc, quid à te requiram ego dominus Deus tuus. Nõ habeo quur te arguã in sacrificijs corporalibus, hircorum, taurorũ, ouium, atque vitulorũ, & cæteris quæ secũdum legem institutę sunt oblationibus. Nã, quod ad ista exteriora pertinet, hac sane in parte satis bene obseruantur hęc in vobis, atq; etiam propter se nõ ea requiro: *& de holocaustis corporalibus lege institutis, non est quod te arguam, quoniam rite satis ista obseruas, & proponis ea ante cõspectum meum semper, in omni tempore ad hoc à lege determinato. 10. Non accipiam ego vitulum de domo tua, aut è stabulo tuo, aut de gregibus tuis hircum, aut aliud quodlibet animal immolatitium, sic quasi ego eo egeã ad esum, aut

A * *neque de gregibus tuis hircos:*

11 *Quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum:*
* *iumenta in montibus & boues.*

12 *Cognoui omnia volatilia cæli:*
B * *& pulchritudo agri mecum est.*

13 *Si esuriero, non dicam tibi:*

* *meus enim est orbis terræ, & plenitudo eius.*

C

14 *Nunquid manducabo carnes taurorum?*
* *aut sanguinem hircorum potabo?*

15 *Immola Deo sacrificium laudis:*
D

* *& redde altissimo vota tua.*

16 *Et inuoca me in die tribulationis:*

* *eruam te:*

* *& honorificabis me.*

aut aliũ quẽlibet necessitatis vsum: & si tu nõ offerres, non tanti mihi foret eorum omissio, vt ea raperẽ è stabulis tuis: quandòquidẽ ipsum offerẽtis cordialẽ affectũ & deuotionẽ in illis expeto potius, q̃ ipsum quod offertur corporale sacrificiũ: neque vllã haberem necessitatem à te accipiendi, si eiusmodi requirerẽ, cùm ipse abundem in his omnibus. 11. Nam omnes ferę quæ in syluis vagantur, meæ sunt, tã creationẽ q̃ possessione, & libera de eis dispositione: quæ multo præstãtiores æstimantur & nobiliores hircis & vitulis: *neque hęc solum animalia syluestria sub mea sunt possessione, verũetiã domestica omnia iumẽta, quæ sub hominum custodia pascuntur in mõtibus, & boues atque oues, cęteraque huiusmodi. Quid ergo à vobis debebo requirere, posteaquam nihil ipsi habetis, quod non meum sit, prius etiã q̃ vos mihi donetis: neq; potestis priores mihi aliquid dare, neque nisi quæ de manibus meis accepistis, reddere valetis? 12. Cognoui sigillatim omnia volatilia aëris, & numerum eorũ apud me descriptum habeo, tanquã quæ subsint omnia ditioni meæ, & quæ singula proprijs nominibus possim aduocare, & dicent, assumus: *& tota agrorũ pulchritudo, omnes segetes quę crescunt ac vegetãt in agris, ad me pertinent, & in mea sunt possessione, vt possim de eis quicquid voluero pro mea voluntate disponere, citra cuiuscunque iniuriam & fraudem. Ego enim sum qui terrã creaui, & fœcundã feci, qui semen omne dedi, & pluuiã desuper effundo, vt crescant segetes: alijsque vel arantibus tantum, vel seminantibus, ipse do incrementum & vitã, faciens de semine culmos exurgere, & omne frumentum, omnemque fructum in eis. 13. Et si tãdem fieri posset vt esurirẽ ego aliquãdo, appeteremque in esum vllũ animaliũ, vel domesticũ, vel syluestre, vel volatilia, vel frumenta agri, nõ mihi opus foret à te exposcere quod apppeterẽ, neq; tibi exponere me oportet desideriũ meum, vt ex te impleretur mea egestas: * totus enim orbis terrarum meus est, & omnia quæcunque in eo sunt, à maximo vsque ad minimum, mea sunt, & plenissimę ditioni atque potestati meæ subiecta: & haberẽ abunde à memetipso vnde meo desiderio satisfacerem in omnibus, multo amplius q̃ quiuis hominũ. Nã homines quidẽ multo pretio vel labore vix sibi sufficiẽtia valẽt cõparare. Ego verò solo verbo aduocabo, si voluero, & syluestria & domestica & volatilia: & quęcunq; edi possunt, vno verbo aduocabo semel omnia. 14. Neq; tamen hęc dixerim, quasi his aliquando indigeã, aut quasi eis vnquam vtar in cibum aut potum. Neq; enim ego esurio aliquãdo, aut sitio, vt carnes taurorum, vitulorũ aut ouium, aut aliorum quorumlibet animalium manducem: * neque sitio vnquã, vt sanguinẽ hircorum aut aliorum animalium expetã mihi in potum: multo minus etiam frumentum agri aut vinum in vite mihi vendico in cibum, neque ego, neq; ministri mei qui sunt in cõspectu vultus mei. Proinde, ꝓ istorum oblatio grata fuerit mihi suo tempore, nõ hoc erat ob meam egestatem aut vtilitatem, neque quod per se illa requirerem: sed magis vt cum his cordis vestri deuotionem acciperem quã præcipue quęrebã, & spectabã in illis: simul etiã, vt in eis ventura in temporis plenitudine acceptissima præsignaretur oblatio. 15. Vis autẽ scire, quã oblationẽ ego Deus tuus à te potissimum requirã, & quid sit quo oblecter maxime? Cõfessio laudis ex corde grato & fideli oblata laudatio recti cordis & gratiarum actio à bona voluntate præcedens, gratissimum mihi sacrificium est, quod immolari à te mihi opto: * & vt persoluas mihi altissimo Deo tuo vota tua, id est, pias affectiones, & sancta desideria, atq; etiã pollicitationes Deo sacratas (quæ ex amore Deo obtuleris) diligenter adimpleas. * Aut pro acceptis à me beneficijs, redde mihi tua vota, ex tuo corde pias erga me animi affectiones, atque ex eis, vt pro eis laudationes & gratiarum actiones, ex amore & animi gratitudine ꝓficiscentes. 16. Ad hæc, in tẽpore tribulationis, ex corde fideli inuoca me in auxiliũ, & postula in fide nihil hæsitans: certissimo persuasum habens, quòd ego sum qui tibi possum ferre auxiliũ, etiã in desperatissimis rebus, & ꝓ bonus sum, qui non possim, aut nolim derelinquere pie clamãtes, aut fideliter postulãtes abijcere: * & tu si hoc feceris, si me sic inuocaueris, ego te exaudiã, & eruã atque liberabo de tribulatione de qua clamasti ad me, vel temporaliter liberando, vel certe consolationem internam & virtutem ad ferendum donãdo in confortatione spiritus: * & tu me hac in re valde glorifica-

bis

17 *Peccatori autē dixit Deus quare tu enarras iustitias meas?*

* *& assumis testamentū meum per os tuum?*

18 *Tu verò odisti disciplinam:*

* *& proiecisti sermones meos retrorsum.*

19 *Si videbas furem, currebas cum eo:*

* *& cum adulteris portionem tuam ponebas.*

20 *Os tuum abundauit malitia:*

* *& lingua tua concinnabat dolos.*

21 *Sedēs aduersus fratrem tuum loquebaris:*

* *& aduersus filium matris tuæ ponebas scā dalum:*

* *hæc feci sti, & tacui.*

bis atque honorabis, magis q̄ si millia hircorū aut vitulorū mihi obtulisses. Honorem enim permaximum fieri mihi puto, cùm in tribulatione ad me fidēter & absq; hęsitatione clamāt homines. Nā hoc ipso, me & summe potentē, & summe bonum protestātur. Nō enim inuocarent, nisi summe potentē crederent, qui possem ferre auxiliū, neque iterum nisi optimum, qui nō possem iusta ac pia vota abijcere. 17. Impio autē suo ministro (cuiusmodi illi sunt qui corporalibus tātum insistunt sacrificijs conculcātes testamentū Dei, & neglectores Diuinæ voluntatis, sacerdotes vita & moribus peruersi) loquitur per seueram increpationem Deus, in Spiritu ad hunc modum, Qua frōte, qua audacia, tu ō præuaricator impie testamenti mei, qui ordinas sacrificia super testamentum meū, presumis enarrare præcepta ad iustificationes meas? * & qua audacia tu assumis testamentum meum in os tuum, vt illud tuo cōtaminato ore, & pollutis labijs alios doceas: cū intus tu ipse plenus sis omni spurcitia & immūditia. 18. Quomodo (inquā) tu ista audes, cùm ipse rectā disciplinā, id est bonā vitę ac morum institutionē habeas exosam, neque teipsum secundū eā studens cōponere, neq; eā in alijs amās, tametsi eā ore ad quæstum vel ad gloriā prædices? * & verba atque præcepta mea proiecisti post tergum tuum: nō posuisti ea ante oculos vt obseruares, sed abiecisti ab oculis tuis vt non videres, neque ambulares secundum ea, propter quod & ego te proijciā à facie mea, & à cōspectu meo in æternum. 19. Vbi furē videris aut iniustū quemlibet fraudem facientem proximo, curris cum eo, adiungis te ei, & particeps fieri studes furti ac fraudis illius, idque vel consensum prębendo ijs, quos oportebat ex officio ac ministerio tibi cōmisso arguere & prohibere, vel auaritiæ causa dissimulādo, aut participando cum illis, eosque in hoc propter quæstum inducendo vel cōfortando: & adulteris assimilasti teipsum, factus es in societate & crimine male particeps: fecistique vt eadem tibi cum his portio & merces debeatur, iusto meo iudicio. 20. Os tuum plenum fuit malitia, impudenter & absque fræno loquens mala plurima, blasphemias, cōuitia, fraudes, oppressiones, de corde pleno malitiæ huiusmodi pessima eructās: * & lingua tua magno artificio cōponebat atque coaptabat verba dolosa & trauduleta, vt per ea deciperes simplices, & tuarum captionum inexpertos, per tuam suauiloquētiā, & subtilem, artificiosamq; dictionem. 21. Sedens quasi ociosus ab omni bono opere, cōtra proximum tuum loquebaris detractionem, falso aduersus illum mala dicendo. Solet enim detractio, sicut & murmuratio, fere comitari ociosos eiusmodi sessores: * Aut sedens quasi iudex ex officio cùm secundum legē iuste debuisses iudicare, loquebaris cōtra legē aduersus fratrē & proximum falsum iudicium: pro quo, ad impendendā illi iustitiā, loqui ex officio debueras: * atque his modis, qui alios ædificare debueras, ponebas offendiculum, pessima tua illa conuersatione infirmis fratribus & proximis tuis, filijs eiusdem Synagogę aut Ecclesię, cuius te gloriaris membrum & filium esse: hęc omnia, atque his etiā plura (quæ omnia difficile foret explicare, quę sunt apud me signata in thesauris meis) tu opere nequiter perpetrasti, cum ore enarrares iustitias meas, & alios doceres præcepta mea: & ego dissimulaui, qui te agere pro tuo libito, impunitum hactenus dimisi te in tua malitia, mea benignitate & longanimitate te inuitās ad pœnitentiā. 22. Existimasti impie & pessime tibi persuasisti, ꝙ forem ego similis tui: sic permānisti in impœnitētia & obstinatione tua, nihil horrescēs meā vltionem, quasi persuasum haberes, me oblectari in tua malitia, atque ita quasi similem tibi esse iniquitatis amatorē, vt es tu amator iniquitatis, eo ꝙ hactenus tacuerim, quòd vltionem mox iam non adduxerim: * Veniet tamen dies iudicij mei, in qua non amplius tacebo, nō vltra dissimulabo, non feram longius impunitum: quando te aperte increpabo, & exprobrabo tibi palam omnibus vniuersam nequitiam tuam, & constituā te contra faciem tuam: ita te depinguā, ita singulis occulta tuę iniquitatis patefaciam, vt quasi è regione & ex oppolito tui consistens, cuncta pariter videas per te patrata, aperte & nude omnibus ad tuā confusionem reuelata, ita vt videant vniuersi æque atque tu, ignominiam & iustam damnationem tuam. Cuncta enim quæ modo peruerse operaris, adducam ego in iudicium, & proponam ante oculos tuos: illuminaboque abscondita tenebrarum, & manifestabo consilia cordium: & tunc

Deut.31.

Rom.2. 22 *Existimasti inique, quòd ero tui similis:*

* *arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

Eccle.12.

1.Cor.4.

tunc sicut à me laus erit vnicuiq; iusto, ita econtrario omnibus impijs exprobratio atque confusio. VOX DAVID PROPHETAE, PER EXHORTATIONEM INTERPONITVR. 23. Hæc intelligere curate, & in intimis cordis vestri sollicite reponite: vos qui dominum Deum vestrū non habetis ante oculos, qui illum contemnitis, & quasi post tergum proijcitis sermones illius, eius mādata prætergredientes: hæc, inquam, quæ vobis per spirituum suum ipse loquitur ad prēmonitionem, vos cupiēs reuocare à malitia, modo (dum tempus est bene operandi, & æternā illam confusionem euadendi) cōsiderate & intelligite: * ne vos dies vltionis eius comprehendat, néue in die illa in furore suo ad vos aduenies, per mortē subito auferat, hincque abripiat ad districtum tribunal suum, raptosque condemnationis sententia proijciat in caminū ignis, quando nemo erit qui vos possit de manu eius eripere, aut saluare de lacu iræ eius, in quo nulla est redemptio. VOX DIVINA SERMONEM PROSEQVITVR. 24. Quomodo iam antè monstraui: ita & nunc repetens ad conclusionem eruditionis meæ dico, quòd sacrificium laudis, & gratiarum actionis est, quo ego honorari opto, & quod ego postulo à seruis meis: * & hæc via est, in sic laudando iter est, quo peruenitur ad conspectum vultus mei, quo pertingitur ad prēmia meæ fœlicitatis, ad salutē beatitudinis sanctorū. Qui enim nunc iugiter mihi laudes & gratiarum actiones de bono corde obtulerint, perducam illos ad conspectum apertum diuinitatis meæ, vbi me facie ad faciem videntes, collaudabunt & lætabuntur in salutari meo, in sæcula sæculorum, Amen.

Galat.6.

Matt.13.

Iob.10.

1.Cor.15.

23. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum:

* *nequando rapiat, & non sit qui eripiat.*

24. Sacrificium laudis honorificabit me:

* *& illic iter: quo ostendam illi salutare Dei.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM XLIX.

VErsu 1. Deus deorum dominus, &c. Genitiuus deorum in medio positus, regi potest: indifferenter vel à priore nomine Deus, vt sit sensus, Dominus Deus deorum, loquutus est vel à posteriori, vt sit sensus, Deus dominus deorum. Verum prior cōnexio videtur rectior quam solam ponit Elucidatio. Deos autem hos intelligere possumus, eos de quibus Apostolus ait: Sunt qui dicuntur Dij, siue in cælo, siue in terra. Sunt enim dij multi, & domini multi. Ipse enim Deus, est omniū De⁹, id est, Deus verus super omnes qui dij appellantur. Fingunt (verbi gratia) Poëtę deos, Iouē, Saturnū, Dianam, aut Solem, Lunam, aliudue siue animatum corpus, siue inanime simulachrum: dicunt, illi Deus noster es, quēadmodum olim vetus ille populus à Deo vero aberrans, de vitulo transgressionis dicebat, Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Nos autem vere dicimus quoniā omnium horum deorum, dominus noster Deus est: quoniam ipsius sunt creaturæ: & ipse vnus est, qui in immensum superexcedit hæc omnia. Atq; hi quidem sunt appellatione sola. Sunt verò & alij dij secundum participationem, quomodo videlicet in lege scribitur, Dijs nō detrahes. Et in alio Psalmo, Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Quem locum tractans in Euangelio Saluator, ait, Deos esse dictos ad quos sermo Dei factus est, nimirum per participationem aliquam ad Deum. Atque hoc pacto, iam ante sanctos Apostolos Deos fortes terrę appellauimus. Sié & sancti Angeli Dei sunt & omnes sæculi potentes ac iudices & præpositi, quatenus accepta à Deo primum potestate, alijs vice ipsius præsident. Et horum autem deorum, vniuersi intelligimus & agnoscimus dominum esse Deum: quoniā (iuxta Apostolum) ipse est super omnem principatum & potestatem & virtutē, & vniuersaliter super omnia Deus benedictus in sæcula, Amē. ℂ Versu 4. Ignis in cōspectu eius, &c. Iste ignis est, de quo Petrus Apost. in 2. Cano. sua Epist. loquitur, dicens: Aduenict autem dies domini vt fur, in quo cæli magno impetu transibunt, elementa vero calore soluentur: terra, & omnia quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Et post pauca iterum loquens de aduentu diei Domini. Per quem, inquit, cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardōre tabescent. De quo igne, qualis sit futurus, & quos effectus particulares habiturus, apud Ecclesiasticos doctores solet in 4. Diuinarum sententiarum lib. plenius determinari. ℂ Versu 6. Congregate illi sanctos eius, &c. In priore versu dicitur etiā de terra, quod aduocata sit vel aduocāda ad Dei iudiciū, vt discernatur videlicet, & dijudicetur inter bonos & malos. Verum non nisi de sanctis dicitur hic, quod cōgregantur domino. Non enim impij congregabuntur domino sed in fasciculos alligabuntur diabolo ad comburendum. Sancti autem domino congregabuntur, vt inferantur quasi triticum in horrea eius. Iusionē autem illam quā signat verbum Congregate, sanctis angelis applicauimus, quoniā ipsorum ministerio perficienda creditur corporū resuscitatio, quēadmodum in parabola Euāgelica zizaniorū agri exponitur, ab ore Saluatoris: qui angelos messoribus cōparans, subiungit in hæc verba: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scādala, & eos qui faciunt iniquitatē, & mittēt eos in caminū ignis. Et iterum in parabola sagenæ, Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminū ignis. Sic & in alio loco apud eundē Mathæum dicitur ex ore domini, Mittet filius hominis angelos suos cum tuba & voce magna, & cōgregabunt electos à quatuor ventis, à summis cælorum vlq; ad terminos eorum. Ex quibus verbis apparet resuscitationē vltimā corporum angelico ministerio futuram, & sanctos resuscitandos per ministerium angelicum, gaudenter diuinis cōspectibus in sua nouitate repręsentandos. ℂ Versu eodem, Qui ordinant testamentum eius super sacrificia, ordinare testamentum domini super sacrificia, sic intelligite, vt in Elucidatione explanatum

Matt. 13

Ibidem.

Matt.25.

est:

est, eo idem sit quod constituere Dei voluntatem super corporales victimas, videlicet vt magis stu- E
deat opus Dei testamentum adimplere & eius voluntatem perficere, quam corporales tantum hostias immolare. Tametsi enim & hoc facere oportebat pro tempore veteris legis: illud tamen præcipuum semper fuit, nempe Dei testamentum custodire, & eius voluntatem non transgredi. Qui autem sacrificia ordinant super testamentum Dei, ij sunt qui pluris faciunt exteriores victimas aut
2.Re.15. corporalia sacrificia, quam adimpletionem Diuinæ voluntatis, & obedientiam testamenti Dei. Ex quorum numero Saulem fuisse legimus, cum post longam Samuelis expectationem, tandem quod muneris sacerdotalis erat, sibi cõtra Dei prohibitionem assumpsit. Ordinauit certe sacrificia super testamentum Dei: quia ne corporales illas victimas amitteret, Dei præceptum transgredi maluit: &
1.Reg.13. potius existimauit non obedire testamento Dei, quã holocaustũ & pacifica non immolare. Samuel autem Prophera domini, testamentum Dei longe ordinauit super sacrificia: & illum male ordinantem sacrificia super testamentum, seuera increpatione redarguit, dicens: Quid fecisti? Stulte egisti, nec custodisti mandata domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Nequaquam regnum tuum vltra consurget, eo quod non seruaueris quæ præcepit dominus. Iterum in deletione Amalech, cum accepisset
1. Reg.15. Saul præceptum à Deo per Samuelem, vniuersa illius demoliri, ac prorsus nihil reseruare ex omnibus bonis illius, ipse quanquam iam ante super hac re reprehensus esset, rursum tamen sacrificia super testamentũ ordinauit, quando Agah regi optimisq; gregibus ouiũ & armentorum pepercit sub F
Ibidem. prætextu sacrificiorum: quod scilicet (vt ipse dicebat) ea vellet sacrificare domino in Galgalis. Samuel autẽ sanctus domini qui testamentũ Dei ordinabat super sacrificia, dure admodum hunc male ordinantem redarguit, dicens: Nunquid vult Deus holocausta & victimas, & nõ potius vt obediatur voci domini? Melior est enim obedientia, quã victimæ: & auscultare, magis quàm offerre adipẽ arietum: quoniã quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Ac deinceps: Pro eo ergo quod abiecisti sermonẽ domini, abiecit te dominus ne sis rex. Simi-
Esaiæ.1. liter & Esaias, primo suæ Prophetiæ capite, principes simul & populũ Israël sæuerissime redarguit, quod sacrificia male ordinarent super testamentum domini. Audite, inquit, verbum domini principes Sodomorũ, auribus percipite legem Dei vestri popul⁹ Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarũ vestrarum dicit dominus? Plenus sum, holocausta arietum, & adipẽ pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorũ & hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quęsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis? Ne offeratis vltra sacrificiũ frustra. Incensum abo-
Ibidem. minatio est mihi. Neomœnias & festiuitates alias non ferã, iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solemnitates vestras odit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Quare autẽ hæc omnia? Quoniam (vt subiungit) manus vestræ sanguine plenæ sunt, id est, quia sacrificia ordinatis su G
per testamentum domini. Mox verò eos instruens, quomodo debeat testamentum domini ordinare super sacrificia, subiungit, Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationũ vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Quærite iudiciũ, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduã: & venite, & arguite me, dicit dominus. Si fuerint peccata vestra quasi coccinũ, velut nix alba erunt: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Apud Ezechiẽlem quoq; similia de hac re legimus, & in alijs plerisq; Prophetarum locis. Sunt autem hæc pro præsentis loci clariori explanatione sic latius à nobis explicata, propterea quod hunc passum nõ viderem⁹ pro sua dignitate à prioribus explicatũ. Nonnulli verò sic crude intelligunt disponere testamentum domini super sacrificia, testamentum nouũ præponere sacrificis veteris legis. Verum prior sententia exactius perpendenti mox apparebit commodior. ¶Versu 8. Audi populus meus & loquar Israël, &c. Solent vulgo hunc versum ita distinguere: Audi populus meus, & loquar Israël, ac deinde, & testificabor tibi. Verum & cõuenientior apparet altera distinctio, quam in Elucidatione expressimus,
Gen.25. vt ante Israël fiat distinctio modica, hoc modo, Audi populus meus, & loquar, Israël & testificabor
Gen.32. tibi: vt secundum idem sit quod primum, ad efficacius commouendum: quoniã videlicet secundo loco nomen propriũ repetitur. Nomen autẽ Israëlis, nomen electionis est, & magnificẽtius, quã nomẽ H
Iacob. Hoc enim à natiuitatis exordio à parentibus accepit: illud, multo post ab angelo, postquã fortem sese contra Deum exhibuisset. Sic enim ait ad eum angelus: Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniã si contra Deum fortis fuisti, quanto magis cõtra homines præualebis? Hoc ergo nomine dum cõpellat populum Israël, magis honorifice illum alloquitur, quã si dixisset, Audi Iacob. Erit autẽ secundum hanc posteriorem distinctionem repetendum verbum audi, ad hũc modum: Israël audi, & testificabor tibi. Aduertẽdum autẽ est, quod ab hoc versu vsq; ad 17. Prophera Deum ex sua persona introducit loquentẽ, & suum populum electum instruentẽ de oblatione sacrificiorum corporalium, quomodo non illa acceptet aut requirat propter sese, quasi ipse eis egeat, aut vlla ratione horum vsum habeat necessarium. Et licet vulgo dici soleat, Deũ hoc in loco reprobare veteris legis sacrificia: videtur tamen hoc nõ habere plenam veritatẽ. Non enim hîc aliud dominus indicare videtur, nisi (vt dixi) quod non ista sola sufficerent corporalia sacrificia, sed oporteret etiam laudẽ debitam, & adorationis Diuinum honorẽ illi offerre, ac vota reddere: & quod nõ propter se illa corporalia requirebat, quasi ipse opus haberet, & per se ea habere nõ posset, sed magis vt hæc in laudis protestationẽ & votorum animi perfectionẽ offerrentur. Vnde quod dicitur versu nono, Nõ in sacrificijs tuis arguam te, nõ est sic intelligendum, quasi dicat dominus populo Israëlitico, Etiã si omiseris sacrificia in lege prohibita, non peccabis corã me. Sed in hanc potius sententiã venit accipiendum. Quantum ad exteriora & corporalia sacrificia, non habeo quod te arguam: satis illa obseruatis, Cui sententiæ aperte fauet, quod sequitur, Holocausta tua in conspectu meo

sunt

A sunt semper. Similiter & illa ex Esaia supra adducta increpatio, quanquam videretur valde contra sacrificia inuehi: tamen non aliud volebat, quàm solam illam corporalium sacrificiorum obseruantiam absque misericordia & iudicio, esse abominationem Deo. ¶Versu 15. Immola Deo sacrificium laudis, &c. Per sacrificium, laudis intelligimus in Elucidatione ipsam Dei laudationem, sub qua omnia opera huiusmodi spiritualia (nempe meditationem Diuinarum rerum, earum prædicationem & magnificationem, gratiarum actionem, adorationem, orationẽ, atq; huiusmodi) includimus. Quanquam posset generalius per laudis sacrificium intelligi, omne opus iustitiæ, quo adimplentur mandata Dei, eo quod in illo vere laudetur Deus: sicq; idem hic diceretur sacrificium laudis, quod Psalmo. 4. sacrificium iustitiæ. In secunda autem parte versus, cum de votis dicitur, aduerte, quod votũ non solum dicitur illud, quod nos vulgo appellamus obligationem, videlicet qua Deo rem quamlibet prorsus consecrauimus, & omnimoda obligatione nos ad eam persoluendam addiximus, sed etiam pia desideria, & salutaria proposita, quæ Deo inspirante concipimus. Tametsi enim illa, ad quę nos ipsos plena resignatione voluntatis astrinximus, maxime & diligentissime adimplere debeam⁹: iustum tamen est nihilominus, vt etiam pia desideria & sancta proposita, quæcunq; Deo inspirante concipimus, ad effectum perducere & Deo persoluere laboremus. Alioqui, probatur infirmũ & horarium fuisse propositum atq; desiderium, nisi illud homo reddere, & ad effectũ operis, adimpletio-
B ne, perducere studiose laboret. Inter hæc tamen vota, illa que ex voluntaria obligatione facta sunt, quibus nosipsos Deo secundum propositum obligationis & necessitatis addiximus, ad cuiuslibet obsequij exhibitionem, sic soluenda sunt, vt negligere omnino nõ liceat, quin irã Dei promereatur omissio. Illa verò quæ tantum simplici proposito aut desiderio fiunt, manente libertate faciendi vel non faciendi quod proponitur, non sic reddenda sunt necessario, vt omissio iram Dei indicat. Attamen quãtò illud sic desiderio vel proposito conceptum, fuit ardentius desideratũ, siue firmius propositum, tantò oblata occasione, si negligatur desiderij vel propositi adimpletio, ex maiori imperfectione est. Est enim quasi retrocedere, & quasi aliquo modo addictum Deo non præstare: quod ad mendacium, secundum partem aliquam accedit. Quasi enim secundum aliquem modum Deo quis consecrat & addicit, quod firmo proposito se facturum decernit, etiam si non omnino sibi necessitatem imponat. Ac proinde secundum modũ aliquẽ & mentitur Deo, qui sic firmo proposito Deo addictum, non præstat. Minus tamen est nudum desiderium, quã firmum aut forte propositũ. ¶Versu 16. Peccatori autẽ dixit Deus, &c. Ab hoc loco vsq; ad finem Deus introducitur iniquo legis, siue veteris, siue nouæ ministro, per increpationẽ loquens: nisi quod versus penultimus interijcitur atq; interseritur verbis domini, nouo admodum & iucundo modo: quemadmodũ si paterfamilias increpante & erudiente suam familiã, astans patrifamiliàs amicus quispiam, ad ipsius verba adijciat, Audi-
C te filij hæc verba patris vestri, ne si non audieritis, iuste ab eo exhæredemini, & proijciamini de familia & hæreditate eius. Quòd autẽ versus ille penultimus non proferatur ab ipso domino, satis indicatur ex hoc quòd tertia persona dicitur, Nequãdo rapiat, & non sit qui eripiat. Nam si vox esset Dei, prima persona potius diceretur, Intelligite hæc qui obliuiscimini me, nequando rapiam, & non sit qui eripiat. ¶Versu 17. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, &c. Valde magnum honorẽ sibi reputat Deus, cum quis sic in illo firmatus est, vt in omni occurrente tribulatione mox ad Diuinum confugiat auxilium: ita sibi de Dei sui potentia persuasum habẽs, quod nulla tam magna tribulatio, aut tanta difficultas vlla obuenire possit homini, à quo non sit facillimum Deo liberare in se confidentem: iterumq; tam bene fidens de Dei sui bonitate, vt iudicet nullã rem esse tam magnam (modo sit salutaris) quam nõ libentissimo, promptissimoq; animo ipse sit largiturus suppliciter ex corde poscentibus: imò credens (quod verum est) non posse fieri, vt Deus electorum preces iustas respuat, neq; hoc pati eius misericordiam, neq; iustitiam sustinere. Huiusmodi homo, cum ex tãta fide, tantaq; spei fiducia dominum inuocat, vere honorem magnũ Deo impendit: & omni sacrificio corporali (hoc faciendo) gratiorem Deo offert oblationem. Quemadmodum econtrario, homines illi qui in omnibus necessitatibus mox ad humana confugiunt auxilia, confidentes in diuitijs suis, aut
D in principibus, in quibus non est salus, aut in sua fortitudine corporali, aut eloquentia, os autem domini nunquam interrogant, non illum consulunt, non sunt memores ad inuocandum illum: hos cõstat Deum vehemẽter inhonorare, multo magis quã si sacrificia quæcunq; corporalia Deo subtraherent, Si enim filius in vllam necessitatem, angustiam, aut egestatem venerit, vt ei sit vel consilio, vel auxilio opus: ad quem potius confugiet, quam ad patrem? præcipue si patrem habeat bonum atq; rationabilem virum, simul & potentem, vt filij possit absq; suo incommodo subuenire necessitatibus. Et si filius talem patrem habens, eo in occurrentibus necessitatibus postposito aut non requisito ad alienos, auxilij atq; consilij petendi gratia, recurrat: nonne magnam facit inhonorationẽ optimo & potentissimo & generosissimo patri? Iuste enim cum illo expostulare hic poterit, dicẽs: Quur me habens potentissimum & optimum patrem (qui tibi semper plura quam postulare ausus fueris: soleo impendere, qui nunquam tibi petenti quicquam denegaui, sed affluenter do & non improperro) ad aliena confugis auxilia? alios quæris tibi adiutores? qui neq; tam potẽtes sunt vt possint, neq; tã firmi tibi amici vt velint ferre auxiliũ: me derelicto, qui & possum, & volo, semperq; paratus existo, quotiescunq; postulaueris. Nunquid pro tyranno ego tibi sum, vt non audeas comparere ante faciem meam? Nunquid tibi insipiens videor, vt non sufficiam rerum tuarum consilio? Aut nunquid pauperem me, & rebus tenuem putas, metuisq; ne dando exhaurias meas diuitias, & ad paupertatem me redigas? Aut nunquid morosum me, inuenisti in exaudiẽdo, aut parcum siue auarum in largiendo, vt erubescas amodo apparere ante faciem mea n; vt hac causa, post aliena, me relicto, curras auxi-

 lia?

Matt.5. Luc.æ.12. Matt.6. fiat. An putas tu teipsum saluare absque me, qui teipsum non potuisti facere sine me: sed neque capillum album facere potes aut nigrum, aut ad staturam tuam adijcere cubitum vnum? Ad hunc sane modum iustissimam querelam proponere potest Deus erga illos qui ad se non confugiunt in tribulationibus, sed vel in scipsis fidunt, vel in filijs hominum, aut in principibus siue mundi huius siue tenebrarum, vt aliunde quàm à Deo petant auxilium. Vnde & in scripturis pro hac re grauissimas inuenimus increpationes, per sanctos Prophetas pronunciatas, aduersum illos qui in tempore tribulationis Deum non inuocantes, sic eum inhonorarunt. Nam quarto Regum primo capite, per Heliá Thesbitem dominus Ochozian aeriter valde increpat, qui nuncios miserat ad consulendum Beelzebub Deum Accaron. Nunquid non est (inquit Propheta) Deus in Israel, vt eatis ad consulendũ Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit dominus, De lectulo super quem ascẽdisti, non descendes, sed morte morieris. Sed & per Esaiam dominus terribiliter væ intonat, dicens: Vę filij desertores, qui ambulatis, vt descendatis in Aegyptum, & os meum non interrogastis: sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam. Et iterum, Vę, qui descendunt in Aegyptum, ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia prævalidi nimis: & non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum non requisierunt. Sunt & alia huiusmodi innumera. Ex quibus omnibus manifeste patet, quàm exigat dominus, vt in die tribulationis confugiamus ad eius auxilia. ¶ Versu 19. Si videbas furem, currebas cũ eo. Currere cum fure, est ei consentire, sicque illi communicare in peccato. Vnde B. Hieronymus ex Hebræo vertit, Si videbas furem, consentiebas ei. Felix autem, Si vidisti furem, vel complacuisti, vel voluisti cum eo, vel cucurristi cum eo. ¶ Versu 21. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, &c. Prioris partis in Elucidatione duplex sententia posita est. Prior tamen quæ detractionis meminit & murmurationis, magis consonat æditioni Romanæ, quæ habet, Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas. Non dicuntur autem detrahere iudices iudicantes iniqua iudicia. Sed in Græco ponitur verbum καταλάλω, quod detraho significat. Veruntamen lectio æditionis nostræ Gallicanæ, recte etiam de falso iudicio secundum alteram sententiam exponi poterit, quemadmodum & Hebræa lectio anceps est, & vtramque prædictarum sententiarum recipit. In Hebræo enim simpliciter Inquit habetur, non detrahere. Loquitur autem, contra fratrem non solum qui detrahit, sed etiam qui falsum aduersus ipsum profert iudicium. In secunda autem parte versus, tametsi exposuerimus filiũ matris, mystice referendo ad eandem Synagogam vel Ecclesiam, quæ est quasi mater vna singulorũ qui de ea sunt: potest tamen intelligi de matre carnis. Impij enim isti consummati, quales hic describuntur, ne proprijs quidem fratribus suis carnalibus ex eadem matre progenitis parcunt à calumnia, scandalis, iniurijs, & fraudibus: id quod ad oculum etiam hodie facillimum est videre. ¶ Versu 22. Existimasti inique, &c. Dictio inique, neque in Hebræo, neque in Græco sic inuenitur, neque est in æditione Romana. Vnde incertum est, an debeat vocatiuo casu accipi vt nomen, an vt aduerbium determinans verbum existimasti. Vtraque enim sententia bona est. Siue enim dicamus, Existimasti tu ò impie, quod ero tui similis: siue, Tu peccator existimasti hoc inique, quod ero tui similis, vtraque bona est sententia. Et licet videatur prima facie magis esse nomen vocatiui casus, in Elucidatione tamen exposuimus potius secundum aduerbialem significationem, eo quod videatur illa magis consonare lectioni Romanæ, simul atque Græcæ quæ in hunc habet modum, Existimasti iniquitatem, quod ero similis tui. Cuius lectionis hic est sensus. Tu persuasisti tibi, & iudicasti de me impietatem hanc: videlicet quod ego tui ero similis. Pene autem idem, sed clarius exprimit nostra lectio, si tantum aduerbialiter accipiatur inique. ¶ Versu eodem, Statuam contra faciem tuam. Quod dicitur, Statuam contra faciem tuam: idem est, ac si dicatur, Faciam te tibi manifestum, & denudabo tibi tuam turpitudinem: & tunc ostendam tibi, quàm non sim tui similis, quàm non mihi placeat tua iniquitas. Modo enim homines peccatores seipsos ponunt post tergum suum, quia nolunt intendere in turpitudinem suam, nolunt seipsos quales sint contemplari, nolunt peccatorum suorum fœditatem agnoscere. Donec autem sic homines dissimulant, manẽt peccata eorum ante faciem Dei: & ipse in die, quando manifestabuntur consilia cordium, statuet illos ante oculos suos, ac veluti contra faciem suam. Eos autem qui modo seipsos statuunt contra faciem suam, id est, qui nunc agnoscunt & detestantur peccata sua, dicentes cum Propheta, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, Iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Hos non constituet Deus in nouissimo die ante faciem suam, sed proiecta erunt post tergum ipsius omnia peccata illorum. Si enim nosipsos modo iudicauerimus, non iterum à iusto iudice iudicabimur. Qui autem seipsos iudicare renuunt, ipsi sentient iudicium domini. ¶ Versu vltimo, Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Sententia partis secundæ satis clara est, quod videlicet laudatio Dei, via sit qua peruenitur ad beatitudinem, in qua ostenditur homini salutare Dei: quoniam qui nunc sedulo pro sua virili, & digne pro sua paruitate laudare studuerint, hos Deus ad laudationem sui æternam adducet inter choros angelorum. Attamen ipse sermo videtur difficilior Illic, iter quo ostendam illi salutare Dei. Clarius autem lectio habet, quam ponit sanctus pater Augustinus, Et hæc via est, qua ostendam illi salutare Dei, id est, hæc via per quam eum deducam, vt videat salutare meum: siue, per quam ipse ad talem finem deueniet, nempe vt ostendatur illi salus mea. Et secundum hanc sententiam, accipere oportet sermonem vulgatæ lectionis nostræ.

Esaiæ. 30.

Esaiæ. 31.

Psal. 50. Psal. 37.

Esaiæ. 38. 1. Cor. 11.

L. PSALMI ARGVMENTVM.

EX tituli indicio clarum est, hunc Psalmum à Dauide factum post commissum adulterium cum Bethsabæe & homicidium Vriæ, quando Natã Propheta ex mandato Domini ad illũ accedente, & increpante, agnouit peccatum suum, & pœnitentiam egit, dicens: Peccaui domino. Tunc enim per misericordiam Dei, quasi de pestifero ac mortali sumno excitatus, apertis sibi mentis oculis (quos ante pœnitentiã habebat clausos, & per mortale peccatum modo quodam excæcatos, cõtemplans sui peccati magnitudinẽ sciens se gratia Dei priuatũ spirituq; salutari & internis diuitiis destitutum, timens quoq; ne abijceretur imperpetuum à facie Domini, ad Diuinam (quam frequenter cecinerat, & nedum oblitus fuerat) misericordiã confugit: dimitti sibi peccatũ suppliciter exorans, & sanctum spiritum quem de corde per peccatum effugauerat, sibi reddi, imõ; eo constabiliri, quo resumpto posset (vt ante) Domini laudes decantare. Pro diuinæ autem iustitiæ placatione, suiq; reatus expiatione, sacrificium offert Deo spiritus per pœnitentiã & contritionem humiliati, in quo est Deo, qui bonorũ nostrorum non indiget, super omnia beneplacitum. Attendamus itaq; peccatorem istum fœdissime lapsum, ex amaritudine animi humiliati & contritione spiritus miserabiliter plorantem, ac Diuinæ misericordiæ supplicantem: vt discamus & nos, quemadmodum pro nostris peccatis Deum debeamus deprecari.

2. Reg. 11. 2. Reg. 12. Psal. 15.

QVINQVAGESIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Miserere mei deus*

**secundum magnã misericordiam tuam.*

2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

3. *Amplius laua me ab iniquitate mea:*
**& á peccato meo munda me.*

4. *Quoniam iniquitatẽ meam ego cognosco:*
**& peccatum meũ contra me est semper.*

5. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci:*

** vt iustificeris in sermonibus tuis:*
** & vincas cum iudicaris.*

6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

SI quidem, potentissime Deus, iuxta scueritatem districtionemq; iustitiæ tuæ nunc mihi velles reddere, qui tã fœdissime prolapsus sum, nõ esset reliqua mihi spes vlla salutis. Atq; iccirco, ad benignitatem misericordiæ tuę, subq; eius alas potius confugiẽs, suppliciter te rogo, vt per misericordiam tuam mei nunc misereri, meq; in gratiã receperis: *neq; verò hoc vel impossibile est, vel incongruum misericordiæ tuæ, quoniam sicut magna est mea in qua nunc fœteo miseria, ita magna omnino & maxima est misericordia tua: adeò vt nulla sit tã grauis iniquitas & peccati miseria, quam non purgare valeat humiliter implorata tua suauissima, latissima, & potẽtissima misericordia. 2. Quantas verò à patribus nostris audiuimus miserationes tuas & multas & magnas, quibus pepercisti à sæculo humiliter pœnitentibus, adeò vt sint miserationes tuæ super omnia opera tua. Iuxta multitudinem itaq; istarum miserationũ tuarum nunc hoc vnum abs te humiliter peto, vt peccata mea non recorderis amplius ad iudicium vltionis, sed penitus deleantur à conspectu tuo. 3. Vehementer me polluit & commaculauit turpitudo peccatorũ meorum (primũ quidem adulteriũ deinde multo etiã fœdius innocẽtis occisio) & ideo me pluribus rationibus fœdatum, plurimum ac diligenter laua ab iniquitate mea, *totum me facias mũdum in perfecta remissione peccatorum meorum. 4. Siquidem nollem agnoscere, aut dissimulare vellem, siue excusare peccatum meũ, iuste non inuenirem apud te misericordiam. Nunc autem ecce iniquitatẽ meã nec dissimulo nec excuso, sed agnosco, detego, & accuso ante faciem tuã. * & peccatum hoc meum (quod mihi modo ad tẽpus miserabiliter placuit, & ob cuius complacentiã tua præcepta neglexi) ex nunc odio habere & detestari volo, habeboq; odio, & detestabor omni tẽpore: & quoties recordabor: simul & execrabor illud: *eroq; memor donec viuam, ad mei humiliationẽ, & tui nominis glorificationẽ. 5. Non est neq; in cælo neq; in terra præter te, ad quẽ spectat iudiciũ de peccato meo: hoc est, remittere vel retinere, indulgere vel punire: sed tibi soli, vt iudici & cognitori omniũ humanarũ actionum, peccaui & malũ quod feci, corã te feci cognitore & iudice: qui solus, nemine requisito, si velis, potes dimittere: *itaq; miserere mei, & dele iniquitatem mihi confitenti. Si enim feceris quod postulo, consequetur exinde gloria tua, vt inueniaris & comproberis iustus fidelis ac verax in verbis tuis, quibus pollicitus es misericordiã, reuerentibus ab iniustitia sua: * vincesque tu, ac superabis illorũ calumnias, qui te calumniatur quasi infidelem, iniustũ, aut nimiũ crudelem sceleru vltorem, qui te vt iniustum, infidelem, & in promissis vanũ arguerent, si mihi peccatũ nolles dimittere: vincentur autem & cõfundentur, si postquã mihi iam ita grauiter lapso præstitisti misericordiam, adhuc pergant te vt iniustũ aut nimiũ crudelem aut non veracem calumniari. 6. Quo verò sit etiam iustitia tua ad miserendum figmenti nostri, & ad peccatorũ dimissionem facilior, illud precor cõsidera & attende, quemadmodũ in originali peccato cõcipitur homo in vtero matris suæ (quæ corruptio humano generi cõgenita iniquitatũ omnium fomes est, origo & seminarum) atq; ita in peccatis modo quidam concipitor & nascitur, eo quod ab ipsa

Psal. 144.

Universidad de Deusto
Biblioteca

7. Ecce enim veritatẽ dilexisti:
** incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Leui.14. *8. Asperges me domine hyssopo, & mundabor,*
** lauabis me, & super niuem dealbabor.*

9. Auditui meo dabis gaudiũ & lætitiã, & exultabunt ossa humiliata.*

10. Auerte faciẽ tuã à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.
11. Cor mũdum crea in me Deus,
** & spiritum rectũ innoua in visceribus meis*

12. Ne proijcias me à facie tua:
** & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*
13. Redde mihi lætitiã salutaris tui,
** & spiritu principali confirma me.*
14. Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.*
15. Libera me de sanguinibus, Deus deus salutis meæ:
** & exultabit lingua mea iustitiam tuam.*
16. Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuã.
Psal. 144. Psal. 115.

cõceptione indita nobis est hęc prauitas, & ad malũ omne pronitas. E
7. Rursum verò ex altera parte veritatẽ tibi obijcio, quã & in te diligis, & in seruis tuis requiris, quæ etiã iustitiam tuã modo quodã compellit, misericordiã nõ denegare suppliciter poscẽtibus, quemadmodũ habent promissiones tuę:* tu enim mihi nota fecisti incerta. i. occulta cõsilia, iudicia atq; decreta sapientiæ tuæ, quæ non sunt passim omnibus certa siue manifesta & cognita. Et ob hoc, licet peccauerim, non tamen despero: quemadmodũ faciũt, qui ignorant decreta misericordiæ tuæ. Hæc autẽ quæ olim de misericordia tua te familiariter reuelante cognoui, nunc tibi fiducialiter propono (nẽpe humani generis naturalem infirmitatem, & promissionis tuę infallibilem veritatẽ) ex duabus hisce rebus fiduciam concipiens remissionis peccatorum meorum, sicq; tuam potentissimam misericordiam & veritatem meæ infirmitati patrocinaturam, remedioq; futuram. 8. Quomodo autem iuxta legis ritum qui à corporali lepra mũdatur, hyssopo aspergitur, sic tu me summe sacerdos (ad quẽ spectat istius corruptissimæ lepræ, quæ inuasit spiritum meũ, emundatio) hyssopo tuo asperge. i. sanguine tuo de cruce perfunde, ad emundationẽ animæ meæ:* tu me laua à sordibus peccatorum meorum, & totus efficiar cãdidus, sic quasi nulla in me vnquã fuisset macula: quemadmodum in niue candidissima, prorsus nulla nigredinis valet macula conspici. 9. Fac me audire, quęso te, vocẽ gaudij & lætitiæ, loquere quod oblectet aures animę meę: loquere spiritui qui est intra me, & dic illi Dimittuntur tibi peccata tua, vade in pace. Fides tua te saluum fecit à peccatis tuis:* Atq; hoc si misericorditer mihi præstiteris, reuiescent, vigoremq; & virtutẽ resument, ex consolatione spiritualis gratiæ, omnia ossa corporis, & vniuersæ vires animæ meæ, exilientq; prompta & parata ad laudandum & seruiendum tibi: & quæ velut mortua torpebant, redeunte spiritus gratia, reuiuiscent in gaudio. 10. Noli vltra aspicere peccata mea, aut recordari, quasi nõ dimissa, sed prorsus obliuiscere, & proijce post tergum tuum, penitusq; dimitte omnes iniquitates meas: quas siue modo recenter cõmisi, siue olim cõmissas modo per occasionẽ recordor. 11. Expulsa verò omni peccatorum malitia, cor nouum, animã nouam, G
& spiritum nouum da mihi Deus, pro immundo mundum, pro iniusto iustum:* & animam istam mala peccatorum vetustate consumptã, ac velut nihil factam, in nouã & per iustitiam rectam mihi commutare digneris in intimis meis: spiritumq; meum, qui sub pondere peccatorum, & malæ concupiscentiæ tractu atq; consensu vehementer fuerat incuruatus, ad congruam & tibi placentem restitue rectitudinem. 12. Nõ me permittas, pater pijssime, tic iacere, proiectum à gratia tua, sicq; à te remanere separatum, vt nunc iacco retro tergũ tuum, in numero impiorum hominum, quos nõ respicit benignus aspectus tuus:* & tuum sanctum spiritum (quo tibi iungi & gratus esse solebam) ne vltra mihi deesse patiaris: atq; cum reddideris, amplius auferri mihi non sinas. 13. Restitue nunc mihi lætitiam illam salutarem spiritus mei, quæ mihi olim iugis erat & indeficiens, cum inhabitaret in me lęs tificator spiritus tuus:* & munifico illo, ac regio, potentique, & super admirabili tuo spiritu, me ita in omnibus vere bonis confirma, vt im perpetuum à te non valeã vltra separari: qui sit mihi dux & princeps, H
adiutor, liberator, atq; director in omnibus vijs meis. 14. Cum verò mihi misericordiam hanc præstiteris, id quod tibi gratissimum esse cognouero, pro gratitudine sedulo persoluã, tam verbo salutaris correptionis, exhortationis & eruditionis, quàm exemplo sanctæ cõuersationis docendo eos qui inique agunt, viam præceptorum atq; iudiciorum tuorum:* & qui nunc sunt impij, mea eruditione, per gratiã tuam, ab impietate sua auersi, ad tuam seruitutem, tuorumq; mandatorum obseruationem sese conuertent. 15 Libera me Deus omnium, Deus qui solus me saluare potens es à corruptionibus peccatorum meorum quæ in carne & sanguine inhabitant:* & cum tuero liberatus ab eis præ abundantia gaudij spiritus mei, exultando collaudabit etiam lingua mea iustitiam & veritatem tuam: quoniam iustus, fidelis es & verax in promissionibus tuis. 16. Nunc quidem vinculis peccatorum concluſa fuerunt labia oris mei, vt non valerent tibi cantare speciosam laudem. Sed vbi tu vinculis disruptis, aperueris ea, statim gaudens os meum pro exhibita misericordia, canticũ siue psalmũ laudis decan-

A
17. Quoniã si voluisses sacrificium, dedissem vtiq;: holocaustis non delectaberis.*
18. Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus:
** cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

B *19. Benigne fac domine in bona voluntate tua, Sion,*

** vt ædificentur muri Hierusalem.*

20. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta,
C ** tunc imponent super altare tuum vitulos.*

decantabit tibi. Os enim quod peccator claudit iniquitatem operando, tu peccatorum remissione aperis, vt digne laudetur misericordia tua. 17. Ecce autem paratus sum pro peccatorum expiatione quodcũque volueris offerre sacrificium. Et quidã si corporale sacrificium aliquod præcepisses aut iniunxisses mihi, aut exegisses à me, siue requisisses, libentissimo animo vtiq; obtulissem:* sed holocausta corporalia non sunt quæ tu per se requiris, aut in quibus sit tibi per se placitum, quasi per virtutem illorum expientur peccata pœnitentium. 18. Verũ autem sacrificium, tibiq; per se gratum, quod pœnitens peccator pro remissione consequenda offerre possit, & debeat quod semper tibi erit placitum, anima est pœnitens pro commissis, dolens & afflicta:* & licet in venturo tempore gratiæ futurum sit, vt euacuentur legis corporalia sacrificia, nunquam tamen futurum est vt sacrificium spiritus per cõtritionem & agnitionem suæ culpæ humiliati abijcias: sed permanebit hæc tibi semper acceptissima pro peccatis hostia. Atque hanc ipsam tibi (quando qui iem aliam non postulas, offero pro peccatis meis. 19. Concepta verò tandem fiducia de remissione peccatorum meorum, etiam generalem audeo pro vniuerso populo, electorũ tuorum (& qui nunc est, & quem mihi venturum demonstras) deprecationem facere. Nimirum vt benigne facias ciuitati Sion, id est, secũdum benignitatem misericordiæ tuæ, non secundum seueritatem iustitiæ agas cum populo tuo electo & fideli, qui te cognouit aut cognituras est, tibique seruiturus in hac militante Ecclesia:* Sic enim ædificabuntur muri supernæ Hierusalem, & complebitur cæleste illud ædificium, quod ex viuis componitur lapidibus, qui hic in misericordia Dei aptantur, suo tempore in muros ciuitatis illius cum cæteris beatus coædificandi. 20. Cum verò hoc ædificium consummatum fuerit atq; completum, illic sacrificium acceptissimum iugis gratiarum actionis & laudis indeficientis ab omnibus cæli ciuibus tibi offeretur sacrificium vtiq; iustitiæ, quod tibi æquum & iustum est offerri præ omnibus, quod tu acceptabis vt oblationes & holocausta gratissima:* tunc veros ibi & delicatissimos illos vitulos labiorum confitentium nomini tuo (id est, perpetuam laudem, omnibus vitulis acceptiorem) offerent & præsentabunt super altare ante conspectum tuum sine fine, in sæcula sæculorum, Amen. Hebr. 13.

ANNOTATIONES IN PSALMVM L

VErsu 1. & 2. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Magnam misericordiam postulat, qui magnam iniquitatem suam agnoscit & multas miserationes Dei proponit, qui multa vulnera curanda habet, Sciendum autem est, vnam quidem esse Dei misericordiam, sed miserationes multas, si proprie de misericordia & miserationibus loqui velimus. Nam miseratio à misericordia sic differt, quomodo opus iustitiæ ab ipsa iustitia. Est enim miseratio, opus misericordiæ: & tot sunt miserationes, quot opera misericordiæ. Vna autem misericordia est, à qua miserationes omnes quæ fuerunt ab initio, quæque futuræ sunt vsque ad consummationem sæculi, pariter effluxerunt. Verum tamen contingit nonnunquam, misericordias domini plurali numero in scripturis inueniri: ac tunc
D quidem necesse est misericordias accipi loco miserationum, quemadmodum & miseratione interdum pro misericordia accipi contingit. Hoc tamen in loco patenter fit distinctio, dum priori versu singulari numero dicitur, appositio signanter adiectiuo magnitudinis: sequenti autẽ per numerum pluralem cum nomine multitudinis: illic proponendo magnam misericordiã, hic autem multitudinem miserationum. Quod autem secundo loco hic dicitur de miserationum multitudine, secundũ duplicem considerationem potest accipi: vel vt innuat petens, propter multitudinem peccatorum se egere miserationem multitudine, quemadmodum pluribus eget curationibus & cataplasmatibus qui plura habet vulnera. Dauidis autem peccatum non simplex fuisse constat, qui præter adulterium commisit & homicidium. Vel ad miserationes pristinas in temporibus pristinis exhibitas refertur ista multitudo. Quasi dicat, In multis, ô misericordiarum pater, audiuimus, & vidimus opera misericordiæ tuæ: toties experti sunt in præteritis sæculis patres nostri misericordiã tuã, ad dimissionem peccati pœnitentibus concedendam semper maxime pronam: ita vt semper propriũ te populo tuo ostenderis, posteaquam suarum iniquitatum egissent pœnitentiam. Nunc itaq; & mihi hac vice liceat experiri semel istam misericordiam tuam, vt miseratione tua mihi totum hoc malũ quod iam commisi dimittas, sicq; deleas omnem iniquitatem meam. Quare autem delere iniquitate significet iniquitatem penitus demittere, non est difficile aduertere: quoniam scilicet id quod delemus, vltra non volumus venire nobis in memoriam. Ita cum Deus iniquitatẽ dimittit, vt vltra illius recordari non velit, dicitur peccatum delere. Vnde quodam loco apud Prophetam ex ore domini dicitur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esai. 43. Delebo quasi nubem iniquitatem tuam. i. sic à memoria abijciam & non recordabor vltra quomodo nubes quæ tra. sit ab oculis, & non vltra videtur. Notandum tamen est magnã esse diuersitatem inter delere peccatum & peccatorem: & illam quidem deletionem (peccati videlicet) optimam esse, summeq; exoptandam. Beati enim, quorum remissæ sunt iniquitates. Deletio verò peccatoris de libro viuentiũ, maxime horrenda est: de qua deletione alio in loco Psalmista loquitur dicens, Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. ¶ Versu 3. Amplius laua me ab iniquitate mea. Psal. 31. Psal. 68. Amplius, hoc loco non valet insuper aut præterea, quomodo nonnunquam solet accipi, sed aduerbium est quantitatis, valens multum, valde, vel plurimum. Id quod manifeste tam ex Hebræo quàm ex Græco cognoscimus. Nam ex Hebræo beatus Hieronymus vertit, Multũ laua: alij, plurimum vel admodum laua, aut etiam atq; etiam laua. Græce autem habetur περισσῶς, quod sonat adhuc multum: quasi dicat, etiam atq; etiam laua, aut (vt ita loquar) plus & plus laua. Cui aperte correspondet lectio quam beatus Augustinus sequitur, habens, Etiam atq; etiam laua. ¶ Versu 4. Pec. meũ con. me est sem. Huius versiculi intelligentia multo clarior fiet, si annotationem secundã circa versum vigesimum secundum, mox præcedentis Psalmi aut relegas, aut iam bene lectam reuoces ad memoriam. Illa enim te docebit, quid sit peccatum esse contra peccatorem, vel contra faciem peccatoris. ¶ Versu 5. Tibi soli peccaui, & malum corã te feci: Quæstionem mouere solẽt simpliciores, quomodo dicere potuerit Propheta pœnitens domino, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, An enim non in Vriam grauiter peccauerat, cuius primum sibi vxorem contra iustitiam vsurpauit ad actum non licitum, & deinde vitã sua iniqua traditione perdidit? Peccauit & in Bethsabee, quã ad rem pessimã induxit & cuius maritum interfici curauit. Quomodo ergo nunc dicit, Tibi soli peccaui? Pro huius autem quæstionis solutione, aduertenda est differentia sermonis, quoniã videlicet non idem valent, Tibi peccaui, & in te peccaui. Longe enim aliud sonat in aliquẽ peccare, quã peccare illi. Peccamus enim in illum, quem nostro peccato offendimus, aut potius cui nostro peccato damnum aut iniuriã quãlibet inferimus. Peccamus autẽ illi, ad quem spectat peccati punitio & qui in sua potestate habet vel dimittere peccatum, vel vltionem de eo sumere. Vnde fit, vt non illi semper peccetur in quem peccatur. Non enim est cuiuslibet in quem peccatur, sumere pœnas, & facere vindictam in peccantem. Ait enim dominus, Mea est vltio, & ego retribuam. Atq; hac causa vindictam exercere in peccãtes, non nisi illis competit, qui à Deo acceperunt potestatem: quemadmodum sunt principes & iudices, qui (vt ait Apostolus) non sine causa gladium portant, sed vt sint terror male agentium, & pro innocentibus aduersus noxios exerceant vindicta. Cæterũ, cum aduersus illum delinquitur, qui nulla est potestate præditus, in illum quidem, sed non illi, peccatur. Recte itaq; Dauid cũ rex esset in Israël, omnibus in regno superior, ita vt nullius subiaceret iudicio, neq; quenquã agnosceret inter homines, cuius esset sententiæ subditus, nisi Deum solum (cuius potentiam, dominationem negare nec poterat, nec volebat) dicere potuit domino, Tibi soli peccaui. Quod autem sequitur, Malum coram te feci, expositio est eius quod antecessit. Non enim sic accipiendum est coram Deo, quasi solo Deo inspectore & cognitore se fateatur fecisse malum, quasi præter Deum alius nemo factum conspexerit aut cognouerit. Neque enim Bethsabææ latebat adulterium, neq; Ioab principem militiæ (qui literas acceperat proditionis) latebat Vriæ homicidium. Forsitan & ministri qui illam de domo sua regi adduxerant, non ignorabant adulterium. Similiter Nathan, à domino vtrunque facinus extitit reuelatum, &c. Sed intelligi debet, Coram te solo, tanquam vindice & iudice, cui competat de his meis iniquitatibus facere vindictam, & pœnas sumere. ¶ Versu eodem, Vt iustificeris in sermonibus tuis. In secunda parte versus, particula, vt, diligenter notanda est. Non enim finem significat, vt fere solet, sed tantum consequutionem: in qua significatione & aliàs in scripturis solet vsurpari. Veluti cum dicitur Matthæi 1. cap. Hoc autem totum factum est, vt impleretur quod dictum est à domino. Matt. 1. Ioan. 19. Et Ioannes decimonono, Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur. Simile est & illud Saluatoris apud Lucam, capitulo decimoquarto, Cum (inquit) inuitatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in nouissimo loco, vt veniens is qui te inuitauit, dicat tibi, Amice, ascende superius, In his enim locis non potest particula vt, finem significare, quemadmodum plerunq; solet accipi. Non enim verũ est, Christum vel sic agere, vel sic pati voluisse, ad eum finem vt scripturam impleret. Non enim ideo sic agere, vel sic pati voluit, quia sic scriptum fuerat aut prædictum: sed econtrario magis ideo sic scripta fuerant, quoniam sic futura erant. Iterũ, non suadet dominus humilem locum ad eum finem accipere, sic vt eleuetur homo ad altiorem, & honorem talẽ accipiat. Vana enim est humilitas, quæ ordinatur ad superbiam. Oportet ergo particulam vt, consequutionem tantum significare: estq; præcedentium propositionum ista sententia: Per hoc quòd hæc aut illa facta sunt, consequuta est scripturę huius aut illius impletio. Aut quia ista sic facta sunt, idcirco scriptura, quæ hoc prædixerat, impleta est. Sic & in alio loco Euangelicæ illius exhortationis, sententia verborum Domini talis est, Recũbe in nouissimo loco: & sic fiet, vel ita consequetur, vt veniens qui te inuitauit, dicat tibi, Amice ascende superius. Ita & in proposito loco, Dele iniquitatem meam, domine laua me ab iniquitate, & à peccato munda me, vt iustificeris, sensus est, Dimitte mihi peccatum domine: sic fiet, vel ita consequetur, vt tu iustificeris & vincas, iuxta sententiã in Elucidatione latius explanatam. Hoc tamẽ aduertendũ est, quòd hæc particula, vt iustificeris, & vincas, &c. non cum eo quod immediate ante, sed cum ijs quæ paulo ante præcedunt, iungenda videtur, iuxta modum quem iam nunc expressimus. Nam id videtur connexio sententiæ expostulare. ¶ Versu 6. Et in peccatis concepit me mater mea. Huius versus partem secundam nonnulli ad ipsum conceptus peccatum referunt: id est, ad libidinem quæ est in conceptione prolis, dicentes, ob hoc in peccatis concipi hominem, quoniam libido adest quasi com-

Deut. 32. Rom. 12. Rom. 13.

A commaculans aut vicians conceptum. Verũ non satis apparet, hanc esse sententiam Psalmistę: quoniam vbi nos habemus, concepit me mater mea, editio Romana habet peperit, & similiter vertit ex Hebræo sacer Hieronymus. Translatio autem Augustini habet, in vtero me aluit. Hæc autem nullo modo prædictæ expositioni cõsonant. Quomodo enim verum esse potest, quòd in peccatis nos pariunt matres nostræ, aut in vtero alunt ac fouent, si ad peccatum ipsius matris referatur. i. libidinem Non enim in pariendo libido est, sed dolor & cruciatus maximus, forsitan & prioris delectationis quædam expiatio. Rectius ergo & hæc particula, vt prior, ad peccatum originale ipsius concepti vel partus æditi referetur, vt eandem habeat cum priore sententiam. Quomodo autem dicatur numero plurali, in iniquitatibus & in peccatis, cum non nisi vnum sit originale peccatum in quo cõcipimur, & quam intelligentiam istud requirat, ex Elucidatione lector attentus facile per semetipsum aduertet. ¶ Versu 8. Asperges me domine hyssopo, &c. De hyssopo legimus in veteri testamento, quod ad emundationem ab immunditijs, à Deo instituta erat. Nam capite decimonono libri Numerorum, de emundatione eius qui tetigisset cadauer, præcipitur in hunc modum, Tollent de cineribus combustionis atque peccati, & mittent in aquas viuas super eos in vas: in quibus cũ homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam suppellectilem, & homines huiusmodi contagione pollutos: atq; hoc modo, mundus lustrabit immundum tertio & septimo die. Iterum, Num. 19.

B Exodi 14. cap. de emundatione leprosi dicitur, quòd offerre debebat hyssopum cum duobus passeribus, ligno cedrino & vermiculo, & quòd hyssopum cum altero passere viuo ac ligno cedrino & cocco deberet intingere in sanguine alterius passeris immoti, sicq; aspergi deberet effuso sanguine. Secundum misticam verò considerationem, apta admodum videtur hyssopus ad significandam purificationem. Est enim humilis ac modica, & tamen admodum purgatiua atq; mundificatiua pectoris, præcipue autem pulmonis, & vehementer curatiua: vt per eam vel humilitas vel pœnitentia apte significetur, qua spiritus & affectus humanus optime curatur, tametsi hominem faciat secundum speciem vilem. Notandum quoq;, quòd & aspergi petit & lauari, vt fiat perfecte mundus, qui sese vehementer agnoscit pollutum. In lege enim veteri, hisce duobus modis legimus solitos purificari immundos, nempe aspersione & ablutione. Et de aspersione quidem ex duobus locis iamiam citatis est conspicuum. De ablutione quoq; ex libris legis est manifestum, vbi nunc vestimẽta, nunc locus, nunc totum corpus aqua lauari sæpissime iubentur. Quod autem dicit, super niuem dealbabor, illi respondet quod & apud Esaiam, Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum. Si fuerint peccata vestra quasi coccinum, velut lana alba erunt: & si fuerint rubra vt vermiculus, velut nix alba erunt. Significat autem ista tanta dealbatio integram & perfectam ab omni peccati inquinamento emundationem. ¶ Versu 9. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, dictum est: loco Exod. 14. Esaiæ. 1.

C huius, Facies me audire gaudium & lætitiam: quemadmodum in alio Psalmo dicitur, Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: loco eius, Fac me audire, Fac vt audiam. Secundum quem modum, hoc etiam in loco Beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, Auditum mihi facies gaudium & lętitiãm. Nota verò ordinem, qui in hoc versu simul & statim præcedẽte iudicatur. Primum enim est vt nos aspergat Deus summus sacerdos hyssopo, quasi secundum ritum expiationis nos purificans: sequitur, vt mundemur, & loti dealbemur. Interius auditur gaudium & lætitia, foris exultant ossa, prius humiliata. Sic enim ab intimis ad extrema debet procedere perfecta curatio. Simul & hoc notandum est, in duobus istis versibus, quòd vel accipi possunt secundũ sententiã fiducialiter deprecãtis: sicq; verba futuri tẽporis, modi indicatiui, accipi possunt secundum significationem modi imperatiui, siue deprecatiui, vt sit sensus, Asperges me domine, & munder, laua me, & super niuem dealber. Auditui meo da gaudium, & exultẽt ossa humiliata. Neq; enim rarum est, cũ fiducialiter postulamus, & quasi familiariter supplicamus, vti futuro indicatiui modi pro imperatiuo aut deprecatiuo. Nam hoc modo indicatiuo pustulantes, indicamus, nos non dubitare quin ita sit futurũ vt petimus. Quasi enim humiliter & implicite petimus, cũ id quod volumus, confidenter futurum proponimus. Aut accipi potest quasi secundum cõditionalem enunciationem, vt sit iste sensus, Si tu me asperseris domine mundabor: & si tu me laueris dealbabor. Si tu auditui meo gaudiũ dederis, exultabũt ossa. Psal. 142.

D ¶ Versu 13. Spiritu principali confirma me. Spiritus principalis Græce habetur ἡγεμονικὸς. i. ducalis, vel regius, siue principalis. Nam ἡγεμὼν ducem vel principem significat. Ducalem ergo siue principalem, siue regalem spiritum vocat, quasi magnificum, nobilem, munificum & liberalem: diuitem & potentẽ, vt valeat: bonum, vt velit benefacre, & in omni bono hominem firmare quem inhabitauerit. Sic & secundum vulgatum loquendi vsum, solemus eos qui animo regali sunt (id est, munificos, diuites, atq; potentes, simulq; liberales) nuncupare principes, vel principales siue regales homines. Beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, Spiritu potenti. Felix autem, spiritu munifico vel liberali: quæ omnia in eandem cum nostra lectione recidunt sententiam. Quomodo autem sanctus iste spiritus dicatur, sicq; vere principalis, regalis, ducalis, nobilis, potens, munificus, & liberalis, pulcherrime exprimit prosa illa quam in eius solẽnibus commemorationibus decantare solent fideles, cuius initium, Veni sancte spiritus, in qua multis pulcherrimis & iucundissimis titulis, honoratur principalis iste spiritus. Veni (inquit) pater pauperum, dator munerum, lumen cordium. Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium: in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium, Sine tuo numine, nihil est in lumine. O lux beatissima, & alia multa nunquam satis frequenter iteranda, neque satis diligenter contemplanda. ¶ Versu 15. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: Præter Latini sermonis consuetudinem, sangninibus hoc loco dictum est, numero plurali. Quia tamen in Græco pluralis numerus positus est, maluit interpres (vt inquit

Augu-

Augustinus) minus Latine dicere,quàm minus proprie interpretari. Nã & in Græco & in Hebræo ita habetur:neq; quisquam interpretum aliter vertit,quàm de sanguinibus.Cur autem sanguines(vt ita dicam)appellet peccata, in Elucidatione indicatum est, quoniam videlicet à corruptione carnis & sanguinis peccata procedunt,maxime carnalia,cuiusmodi erat concupiscentia adulterij,quæ radix fuit omnis peccati Dauid.Præter quam rationem adijci posset etiam altera:quia scilicet per peccatum meretur homo mortem,quæ est per sanguinis effusionem.Sicq; liberari a sanguinibus,est liberari à peccatis,per quæ commeruerat mortẽ.Sed & ad effusionẽ sanguinis innoxij referri posset. Verùm prima expositio & vulgatior,& solidior est, & verior: quam etiam beatus Augustinus prolixius prosequitur,& Elucidatio solam ponit.Quæ autem sequitur replicatio Diuini nominis,cum ait,Deus Deus salutis meæ,ad magni affectus testimoniũ sic posita est. Valet autẽ De⁹ salutis meę, ac si dicas,Deus saluator meus. ¶Versu eodẽ.Et exul.lin.mea iust.tuam. Exultabit,capiendũ est,vt plus aliquid significet,quã vulgo solet:neq; mere neutralẽ habet significationem , qualem habet cũ dicimus,Exultate iusti in domino.Nam propter accusatiuum,qui sequitur,nempe iustitiam tuam, necesse est aliquid transitiuæ significationis eo verbo includi , vt commode ab eo possit secundum hanc transitionis vim regi accusatiuus.Valet ergo exultabit,tanquam si dicas,Eultando laudabit,vel exultando cantabit.Sic & verbum iubilare,quod plane neutrum est,& absque casu accusatiuo ferè
Esaiæ.49. semper positum legimus:inuenitur tamen Esaiæ.49.iunctum habens post se accusatiuum,cum dicitur,Iubilate montes laudem,quo in loco similiter non secundum neutralem significationem accipi poterit verbum iubilandi,sed partim transitiue,vt significet iubilando laudate vel canite,vel depromite laudem.Huiusmodi autem verborum solent & Grammatici tractatores facere mentionem,ex Poëtis & oratoribus assignantes exempla . Cuiusmodi est illud Vergilii, Nec vox hominem sonat. Sonare enim per se neutrale est,sed hoc loco valet sonãdo repręsentare. Vanum autẽ est,quod quidam emendandam putant eam lectionem,quæ habet Exultabit,putantq; legendum,magis exaltabit vicioſe factum esse exultabit,propter vicinitatem dictionũ.Qui hoc(inquã)sentiunt,vane iudicant: quoniam in Græco aperte & manifeste non exaltabit habetur, sed exultabit. Est enim ἀγαλλιάσεται: quod nemo ignorat significare exultabit,ὑψώσει,quod valet,exaltabit.Inter has enim dictiones,apertissima differentia est.Deinde beatus Hieronymus ex Hebræo vertit,laudabit:quod nostræ lectioni & expositioni est vicinius . Felix etiam vertit iuxta nostram expositionem , Lingua mea exultando cantabit iustitiam tuam.Versu 16.Domine labia mea aperies.Peccator sibi quasi os & labia claudit,
Eccle.15. quando per peccatum facit,vt digne Deum laudare nõ possit.Siquidem non est speciosa laus in ore
Psal.32. peccatoris:sed recti sunt,quos docet laudatio Dei.Et peccatori dixit Deus,Quare tu enarras iusti-
Psal.49. tias meas,& assumis testamentum meum per os tuum?Neque dubium quin eadem hæc increpatio, etiam Dei laudem indigne per os acceptam simul includat:Sed & si peccator os aperiat,vt Deum laudet,non tamen illam vt suam laudem Deus acceptat:quando cor per iniquitatem elongatum est ab eo.Clausum itaque habet peccator os suum,& concluſa labia,donec in peccato permanet, Deo autem misericorditer peccatum dimittente,reserãtur prius concluſa labia,& os aperitur,vt laudem dignam & speciosam Deo possit offerre:dum etiam cor interius solita diuina illuminatione & visitatione iterum ad eius laudes excitatur,& feruore bono extimulatur.¶Versu 17.Quoniam si voluisses sacrificium,dedissem vtiq;.Huius versus duplex datur constructio . Quidam enim ita ordinant, vt accusatiuus sacrificium regatur à verbo voluisses,aduerbium autem vtique iungatur cum verbo dedissem,ad hunc sensum,Si sacrificium voluisses,vtique dedissem:ac deinde diuisim legatur,holocaustis non delectaberis. Atque hanc sententiam manifeste demonstrat Græca lectio,quæ sic habet, ὅτι ἠθέλησας θυσίαν ἄλωκα ἄν,ὁλοκαυτώματα οὐκ εὐδωκήσεις . In qua sententia , quilibet Græce literaturæ vel tenuissime peritus,clare videt particulam ἄν (quæ valet vtique) non posse nisi cum præcedente copulari.Absurdissimum enim erit, si quis ita velit iungere ἄν ὁλοκαυτώματα οὐκ εὐδωκήσεις.Non enim potest hæc particula recte poni in principio totius sententiæ, quam determinabitur : neque multo minorem absurditatem faceret apud Græcos,quàm si quis dicat apud Latinos,Petrusque Ioannes: cum postponi debeat,dicendo,Petrus Ioannesq;.Itaque,quantum ad Græcam lectionem , apparet omnino necessarium esse,vt particula vtique determinet verbum dedissem.Atque hãc sententiam, vt potiorem,nos in Elucidatione sequuti sumus & expressimus:potissimum cum beatum Augustinum ad eundem modum distinxisse inueniamus.Legunt nihilominus plurimi secundum aliam constructionem,particulam vtique ad ea quæ sequuntur referentes, ad hunc modum, Quoniam si voluisses,sacrificium dedissem:ac deinde,Vtique holocaustis non delectaberis . Quam distinctionem non pauci Latini codices habent. Atque hæc lectio,neque malam,neque difficilem,imò neque aliã, quàm prædicta habet sententiam.Prior tamen (vt ministratum est) rectior videtur . Ex Hebraico autem non potest videri vtra sit verior lectio , quoniam in Hebræo particula ista vtique non habetur.Nam beatus Hieronymus ita vertit, Non enim vis vt victimam feriam , nec holocaustum tibi placet:vbi nusquam particula ista vtique ponitur,quæ difficultatem facit.Quod autem dicitur in fine,Holocaustis non delectaberis,Græce sonat holocausta non habebis accepta aut placita,non cõplacebis tibi in eis: quod Latinus interpres recte expressit,Holocaustis non delectaberis . ¶Versu
Psal. 134. penultimo,Benig.fac,Græce vno verbo dicitur ἀγάθυνον,quod verbum ponitur etiã in Psalmo 124. vbi habemus,Benefac domine,bonis & rectis corde.Habet autem peculiarem quandam emphasim hoc verbum,quæ nullo Latino vocabulo satis appropriate potest exprimi. Nã benefacere proprie exprimit Græcam vocem ἀγαθοποιῆσαι.Vocabulum autem quod hic ponitur & in psalmo.124. valet acsi effecto vocabulo dicas,benignare,vel benignus,aut bonus esto. Est enim sententia, benignare, vel

vel benignus,aut bonus esto ciuitati sanctæ Sion,sanctæ Ecclesiæ:hoc est,benigne age cum ea, bonum & benignum te illi exhibe,sicut exprimit elucidatio. ¶Versu vltimo,Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.Pro verbo acceptabis quod hic ponitur,Græce idem est verbum quod paulo ante versu 17.habebatur pro delectaberis.Vnde acceptabis,valet accepta habebis,possetq; verti iuxta priorem modum:Tunc delectaberis sacrificijs iustitiæ,oblationibus & holocaustis: quemadmodum & illic verti poterat,Holocausta non acceptabis,Sacrificium autem iustitiæ quod hic dicit Deo futurum acceptum ædificatis muris Hierusalem , laudes sine fine offerendas interpretatur Elucidatio: quemadmodum beatus Augustinus quoque interpretatur.Cum autem laudis Dei in Hierusalem sacrificium iustitiæ appelletur,ratio est,quia non pro iniquitate ibi sacrificabitur,vbi nulla iniquitatis memoria,sed tantum iustitia:quoniam dignissimum est & iustissimum illi summo bono (quod videbunt ciues beatæ illius ciuitatis facie ad faciem)laudem & benedictionem offerre in sæcula sæculorum.Iustum etiam est,vt illi sacrificemus quod habemus in nobis optimum. Sacrificium autem Ioan.4.
laudis,adorationisq; in spiritu & veritate,in immensum corporalium victimarum oblationem præcellit,& iustum est,spirituum patrem (qui & ipse spiritus est)in spiritu magis honorari , & immor- Ibidem.
talibus,atque incorruptibilibus hostijs coli,quàm corporalibus & mortalibus victimis.Vituli autẽ
B isti,quos dicit super altare imponendos,illi sunt,de quibus Propheta Osee loquitur , dicens , Om- Osee.14.
nem aufer impietatem,& omne accipe bonum:& vitulos labiorum nostrorum sacrificabimus tibi.
Quos vitulos labiorum:Paulus Apostolus in ea,quam ad Hebræos scripsit Epistola, fructus labio- Heb.13.
rum appellat,dicens,Per ipsum ergo (id est,per Christum) offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius.Hi sunt ergo vituli labiorum,laudes,benedictiones,& gratiarum actiones.Per altare autem Dei,vel simpliciter intellige,ante conspectũ Dei:quoniam altare in conspectu Dei sistitur,& dicimur in altare Dei offerre,quoties coram Deo offerimus.
Vel ipsum illud altare,de quo Paulus in loco iamiam citato loquitur, dicens, Habemus altare , de
quo edere non habent potestatem,qui tabernaculo deseruiunt,Christum dominum significans qui Ibidem.
est altare nostrum, sacerdos , & hostia.Super hunc enim vt altare ponemus nostras laudes, in
conspectu diuinitatis,cum per illum,vt sacerdotem,& pontificem nostrum æternum,acceptas laudes diuinitatis,offeremus in sæcula sæculorum,
qui in trinitate & vnitate perfecta , viuit, regnumque & imperium tenet per
omnia sæcula sæculo-
C rum,Amen.

ARGV-

ARGVMENTVM IN PSALMVM QVINQVAGESIMVMPRIMVM.

EX titulo historico huic Psalmo præmisso, facile cognoscimus, & quæ fuerit componendi occasio, & quis fuerit. Nam sit aduersus quem tanta seueritate per totum decursum Psalmista inuehitur. Titulus talis est. In finem intellectus Dauid quando venit Doeg Idumæus, & annunciauit Sauli, & dixit, Venit Dauid in domum Achimelech. Historia satis nota est ex libris regnorum: quomodo post consummatam Saulis iram fugiens Dauid, venerit ad Achimelech sacerdotem in nobe, tanquã ex iussione regis aliquò proficiscẽs: à quo etiam panes propositionis, & gladium Goliæ accepit. Intus verò in tabernaculo erat Doeg Idumæus, vnus inter primos seruos Saulis, qui hæc ipsa quæ conspexerat, nequiter & odiosè detulit ad Saulem: propter quod sacerdos ipse Achimelech cũ omni domo sua à rege vocatus, post accusationẽ, excusatione nõ recepta, crudelissime interficitur per manum eiusdem Doeg Idumæi: simul & tota domus sacerdotalis, octoginta quinq; viri, vestiti ephod lineo: insuper & tota eorũ ciuitas percussa est in ore gladij, ita vt neq; fœminis, neq; paruulis, neq; lactãtibus parceretur, ne bobus quidẽ & ouibus. Inter hæc verò, vnus tantũ ex filijs Achimelech effugiẽs manus Saulis, Abiathar nomine, hanc cædem crudelissimã renunciauit Dauidi. Qui tactus dolore cordis intrinsecus, atq; indignatione maxima, tã contra illum impijssimũ delatorẽ Doeg Idumæũ, quã contra crudelissimum tyrannum & homicidã Saulem, in spiritu dolenti commotus atq; cõcitatus, Psalmũ præsentẽ videtur cõposuisse, & cantasse coram domino, in sui doloris lenimentum, impietatis illorum descriptionem, & suæ innocentiæ protestationẽ. Possumus tamen Psalmum hunc vniuersis Sauli & Doeg similibus, id est, omnibus pauperum & bonorum oppressoribus, generaliter accommodare. Atq; ita secundum generalem applicationem procedit Elucidatio.

1. Reg. 21.

Ibidem.

QVINQVAGESIMIPRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Quid gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate?*

2. *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua:*
* *sicut nouacula acuta fecisti dolum.*

3. *Dilexisti malitiam super benignitatem:*

* *iniquitatẽ magis quã loqui æquitatem.*
4. *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa.*

5. *Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo:*

* *& radicem tuam de terra viuentium.*

6. *Videbunt iusti, & timebunt:*

* *& super eũ ridebunt.*

QVID tu, ô impie, in peruersitate tua gaudes, ac gloriaris, qui potens es & validus ad operandum iniquitatem? quid tibi complaces, quid teipsum iactas impietatibus tuis (vnde potius erubescere debebas, ac meritò confundi) qui nunc ad tempus in sæculi huius sublimitate, ac prosperitate constitutus, Deo permittente potens es ad perpetrandum iniquitatem tuam? 2. Per omne tempus iugiter cor tuum cogitationes voluit iniustitiæ, & de sua plenitudine similia per linguam eloquitur: dum cum tui similibus cõciliabula celebrans, de innocentũ oppressione pertractas: * facis fraudem, dolosq; & insidias struis innocentibus, vsque ad nouissimam miseriam, vsque ad mortem & omnimodam perditionem fraudibus tuis illos cupis adigere: quomodo acuta nouacula nihil relinquit pilorum, sed totum abripit funditus acutie sua. 3. Ex proposito cordis & deliberata voluntate iniustitiam præelegisti bonitati atque virtuti, iustitiam odio habens & fugiens, iniustitiam verò diligens & prosequens in operibus tuis: magis gaudens in proximorum nocumento, quam in eorundem obsequio: * elegisti quoque loqui magis falsitatẽ & iniustitiam quam veritatem, atq; iustitiam. Cum enim per veritatẽ posses tueri bonorum innocentiam, maluisti per iniquitatem oris tui, illos in perditionem & condemnationem iniustam adducere. 4. Complacent tibi sermones omnes qui faciunt ad pauperum oppressionẽ, simpliciumque perditionem, supplantationem, & in mortem præcipitationem, quos tu loqueris per linguam tuam dolosam, id est, ad dolos componendos, & concinnandã fraudem, atq; deceptionem bene appositam & instructam. 5. Nequaquam verò manebit impunita hæc tui cordis & oris adamata impietas. Iustus enim scelerũ vindex Deus, in vltionem consummatæ iniquitatis tuæ, perdet te perditione sempiterna, prorsusq; te eijciet quasi radicitus euulsum à statu gloriæ tuæ, in quo nunc habitas, à domo & substantia tua, à sæculo hoc præsenti, in quo tibi videris pulchre virens & bene floridus: hinc & te faciet, velis nolis, per mortis sententiam emigrare in regionem ignotam, in locum horroris atq; tenebrarũ: * ita (inquam) te prorsus faciet emigrare, & hinc abscedere, vt nihil omnino tui remaneat, vt etiam radix tua auferatur de terra viuentiũ: omnis videlicet substantia, omnis gloria, omnes deliciæ, omnis spes, omnis fortitudo, omne auxilium: quibus rebus sic te stabilitum in hoc sæculo male credis, quemadmodũ arbores suis sunt radicibus in terra stabiles. 6. At verò boni & simplices, quorum oppressione & malo nunc gaudes & oblectaris, quos tu nunc contemptui habes & ostentui, cum ita te viderint diuina vltione punitũ, mirabuntur, & intra se diuinam reuerebuntur, adorabuntque & prædicabunt rectitudinem: * & super te diuina vltione sic miserum factum atque condemnatũ, risum facient diuinæ iustitiæ rectitudini congaudentes atq; applaudentes, ac de sua liberatione magnifice gloriantes: * & in exprobrationem aduersum te loquentur, ac dicent, Ecce quomodo deiectus humiliatus atq; prostratus est homo iste qui Deum non habuit præ oculis, qui in illo fidem & spem suam noluit reponere, qui donec vixit, timorẽ Dei recipere noluit. 7. Sed timore & fiducia Dei postpositis, spem habuit in abundantia potentiæ atq; substantiæ suæ, & in multis diuitijs suis: quibus subnixus, putabat omnia se posse superare: * quin & præualuit, ac potens fuit, ad oppressionem bonorum, & perficiendum impietatem, in superbia & vanitate diuitiarum suarum, donec deo placitum fuisset illum in sua prosperitate permittere. Ecce (inquient iusti quo nunc proiectus est, quantũ humiliatus & miser factus, qui nos aliquando in derisum habuit, & in similitudinem improperij: ecce quomodo nunc computatus est inter filios mortis, & inter malignos dæmones sors illius est. 8. Ego verò testimonio cõscientiæ in spiritu scientiæ, in spiritu mihi de bona voluntate bene conscius, nemini moliens, imò nec cupiens quidẽ malũ aut vllum nocumentum, & in diuitiarũ vanitate nequaquã confidens, ero in domo Dei, in Ecclesia sancta, sicut oliua virens, fœcunda atq; fructificãs in operibus virtutũ per charitatis & spiritus pinguedinẽ, fructus proferens operationum Deo placitarũ, in Ecclesia quoq; triumphante, perpetua lætitia & satietate æterna semper virens, & stabilis in æternũ, in plenitudine fœlicitatis illius: * spem habui in misericordia & bonitate Dei mei defixã in æternum & imperpetuum: plenissime vi delicet cõfidens, diuinæ bonitatis nunquã mihi defuturum auxilium, quæ spes me in perpetuo virore facit, facietq; persistere inæternum. 9. Laudabo te domine Deus meus in sempiternum, eo quòd fecisti, eo quòd mihi hoc præstitisti per tuã gratiam, vt essem in conspectu tuo quasi oliua fructifera, qui insuper dedisti & fecisti in me quicquid est boni, quicquid laudis, quicquid virtutis: * & ob hoc cum patientia sustinebo & expectabo te domine, qui iuxta nomen tuum optimus es: in tua fiducia perstabo atq; perseuerabo vsq; in finem, nunquã in alio, præterquã in te spem meã locaturus, nunquã alienis occupãdus amoribus: * bonum enim est te domine sic expectare in bona perseuerantia, omnibus seruis & fidelibus tuis. Quicunq; enim te in sanctitate & iustitia viuentes fideliter expectauerint, non frustrabuntur in ætetnũ, neque ab expectatione sua poterunt confundi.

A * *& dicent, ecce homo qui non posuit Deũ adiutorem suum.*
*7. Sed sperauit in multitudine diuitiarũ suarum: * & præualuit in vanitate sua.*

8. Ego autẽ sicut oliua
B *fructifera in domo dei:*

** speraui in misericordia Dei in æternum & in sæculum sæculi.*
9. Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti:
C * *& expectabo nomen tuum:*
* *quoniam bonum est, in conspectu sanctorum tuorum.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM LI.

D CIrca titulum nota, Dauidem non composuisse hunc psalmum tunc, quando Doeg venit, & annunciauit Sauli de Achimelech, neq; propter hanc annunciationem nudam tanta amaritudine & increpatione in eum fuisse inuectum (quanquam id secundum faciem videatur sonare titulus eo quòd dicatur, quando venit Doeg, & annunciauit, &c.) sed propter crudelissimam innocentũ sacerdotũ necem, quando venit ad ipsum Abiathar, qui hanc illi annunciauit. Vnde quòd dicitur, Intellectus Dauid, cum venit Doeg Idumæus, & nunciauit Sauli, sic accipi debet, vt cum potius causam vel occasionem quàm tempus designet, hoc est, pro eo quòd venit Doeg, & nunciauit Sauli. Hęc enim annuntiatio causam dedit tantæ crudelitati, aduersus quàm Psalmus canitur. ¶ Versu 1. Quid gloriaris in malitia? Quemadmodum in argumento indicauimus, secundum specialem tituli applicationẽ, potest Psalmus æque proferri contra Saulem, vel cõtra Doeg Idumæum, vel potius contra vtrunq;. Magis tamen videtur contra iniquum delatorem, & crudelissime sententiæ exequutorem Idumæũ istum dirigi: aduersus quem merito tam acri obiurgatione Dauid inuehitur, quoniã quum sciret sacerdotẽ Achimelech innocenter & ignorãter egisse, dando illi panes & gladium Golię, ipse tamen absq; excusatione crudelem detulit accusationem ad furiosum regem Saulem. Neq; enim ignorabat Doeg iste simpliciter egisse Achimelech, in eo quòd panes dedit & gladium Dauidi, qui se simulabat proficisci ad negotia regis. Nõ enim sciebat Achimelech quicquã grande vel paruũ, de ira Saulis contra Dauidẽ, vel de fuga Dauidis à facie Saul: neq; illi quicquã indicauit Dauid fugies, sed persuadebat se ad negotia regis secreta pergere. Hæc sane Idumæum istũ sanguinolentũ, & iuxta nomen suum) sanctorũ sanguine rufum, nõ latebãt: ob quæ merito accusare non debebat innocẽtem sacerdotem, qui fauentem partibus Dauidis, aut minimũ hãc sacerdotis innocentiam & ignorantiam debuisset accusãtioni cõiungere. Nunc verò accusationẽ grauissimã proponens, & factum ipsum vehementer exaggerans, excusationem silentio premit. Denique etiãsi constitissetsacerdoti Achimelech de fuga Dauidis, cum illi humanitatẽ impenderet: non debebat tamen hoc iste impius mularũ pastor Idumæus ad Regem sæuientẽ deferre: quãdoquidem sacerdotalis officij non est miseros prodere, vt perdãtur, sed misericordiã potius exhibere, & pacem facere, tam erga Deum, quam erga homines. ¶ Versu. 2. Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, Secundum hunc loquendi modũ in alio Psalmo dicitur, Os iusti meditabitur sapientiã. Et alibi, Lingua mea tota die meditabitur

1. Reg. 22.

Psal. 35.

Psal. 34.

Sapien. 5.

iustitiã tuam. Quem autem sensum faciat hic loquendi modus, mõstrat Elucidatio. Similem fere sig E
nificationẽ intendunt vulgo homines, cum de eo qui semper discursibus gaudet, & oblectatur in e-
uagationibus, dicere solent, Huius hominis pedes nihil cogitãt, quàm discurrere atque vagari, dum
sic pedibus secundum tropum loquendi tribuitur, quod cordi de ministerio pedum secundum rei
proprietatem conuenit. ¶ Versu eodem, Sicut nouacula acuta fecisti dolum. Nouacula si bene acu-
ta nõ sit, nequit bene pilorum radices auferre. Quæ verò optime acuta fuerit, vsq; ad fundamentum
pilos radit, & prorsus nihil relinquit aut pertrãsit, quod non secũ abripiat minimo negotio, veluti
imperceptibiliter. Ob hoc, Doeg iste Idumæus, atq; etiã autor malitiæ rex ipse Saul, recte vterq; a-
cutæ nouaculæ comparantur: quoniam vniuersam sacerdotum familiam penitus perdiderunt, & in
1.Reg.22. nullo prorsus illis pepercerunt, etiã fœminas, etiã liberos, etiam iumenta, in ore gladij ferientes, mã
donem quoque ciuitatis eorum subuertentes. Quid enim amplius poterant, aut quomodo nocere
crudelius acutissimæ istæ nouaculæ? Nã quod vnus ille pilus (.i. Abiathar vnus de sacerdotibus) effu
git harum nouacularũ acutiẽ, specialis erat muneris Dei: vt haberet apud sese profugus rex Israël Da
uid, profugum sacerdotẽ Abiathar, Generaliter quoque hæc cõparatio ad omnes spectat pauperum
innocẽtum oppressores, qui eos & externis bonis omnibus, atque etiã vita corporis absque miseri-
cordia spoliant, plus nocituri, si valerent amplius. Potest etiã hęc comparatio acutę nouaculæ aliter
intelligi: quoniam sicut ipsa hominẽ citissime vulnerat, simul & grauissime, eo quòd propter acutiẽ F
maxime penetrat: sic impij hominum bonorum oppressores, per suas fraudulentas linguas, tanquam
per nouaculas acutas, quasi imperceptibiliter lædunt, & grauissime nihilominus nocent. ¶ Versu 4.
Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Orationem illam lingua dolosa, quidã in abla
tiuo casu accipiunt, vt coniungatur cum præcedentibus: vel subaudiendo aliquid, iuxta quod mon-
strat Elucidatio, vel coniungendo simpliciter cum illo, verba præcipitationis, subaudita propositio-
ne in, quẽadmodum habet Psalterium Romanum, In lingua dolosa. Alij accipiunt prædictã oratio-
nem in casu vocatiuo, hoc modo, Dilexisti omnia verba præcipitationis, ô lingua dolosa: vt homo
Psal.11. ipse fraudulentus atq; dolosus, ita per contumeliã vocetur lingua dolosa: quẽadmodum Psalmo 11.
in expositione versus illius, Labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt, de labijs dolosis diximus.
Alij vero per accusatiuum casum legunt, linguã dolosam: quomodo habet psalterium, quo vsus est
beatus Augustinus, quomodo etiã Hieronymus vertit ex Hebræo. Atq; ita accusatiuus iste ad ver-
bum dilexisti, referri debet. ¶ Versu 5. Euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo. Aduerte, emi-
1.Cor.2. grabit secundum impropriam significationẽ positum, pro emigrare faciet, absolutum scilicet ver-
bum pro transitiuo: quomodo apud Paulum dicitur: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos
in Christo, pro triumphare facit. Quod autẽ sequitur, Et radicem tuã de terra viuentium, subaudiẽ- G
do auferet, abscindet, siue euellet, pulchre ad Doeg & Saulem potest accommodari, ad exprimendũ
conditionẽ punitionis eorum. Quemadmodum enim sacerdotẽ Achimelech prorsus innocentem,
Saul radicitus (quantum quidẽ in se fuit) euulsit, & ipsum & liberos omnes vsq; ad lactantes, & cęte-
ra eius omnia interficiens: ita iuxta modum peccati, aduersus ipsum pœna hîc pronunciatur cõdig-
na, quòd sit auellenda radix eius de terra viuentium. Quam quidem radicem in Elucidatione inter-
pretati sumus substantiã, diuitias, & gloriã, ac cætera huiusmodi: quibus veluti radicibus quibusdã
sese fixos putãt impij, & firmos in terra. Posset tamẽ & ad liberos referri, vt prædicatur contra im-
pium Saulem & Doeg, quòd non ipsi soli, sed etiã eorum semen de terra sint) propter commissam
in sacerdotes domini crudelitatem) auferendi: id quod de Saule aperte indicat regnorum historia, &
de Doeg verisimili existimatione est credendum. ¶ Versu 8. Ego autem sicut oliua fructifera. Non
hæc vt iactanter dicta accipi debent, sed vt ad gloriam Dei, in bonæ conscientiæ testimonio pronũ-
ciata. Quæ sub persona Dauidis dicta, ad vniuersos generaliter debent accommodari, qui per inno-
centiã vitæ atq; iustitiam fructificare student in operibus bonis, quorum spes & fiducia in domino
Deo est. Omnes enim huiusmodi, quasi oliuas virentes & semper fructiferas efficit Dei nunquã de-
deficiens misericordia. Attendendum verò, hunc Psalmum (qui secũdæ quinquagenæ iuxta Græco- H
rum atque Latinorum vsitatam distinctionẽ primus est) ordine prorsus contrario procedere, ad il-
lum qui situ loci primus est in quinquagena priori. In hoc siquidem, primum prolixe describitur vi
ri iusti beatitudo atque fœlicitas, ac posteriori ex aduerso breuiter adiungitur impiorum calamitas.
Contrario autem ordine, Psalmus qui iam in manibus est, prius impii prolixe peruersitatem & sub
sequentem calamitatem depingit, atque exaduerso, paucis verbis iustorum perpetuum opponit vi
rorem. Quanquam autem ordo commutatus est, res tamen ipsa quæ tractatur, & Psalmi materia
prorsus eadem est. ¶ Versu 9. Confitebor tibi in sęculum, quia fecisti. Compleda est ad sensus per-
fectionem ista oratio, vel ex eo quod proxime antecedit, Fecisti me sicut oliuam fructiferã in domo
tua, & fecisti me sperare in misericordia tua: vel ex ijs quæ paulo longius distãt, in hunc modũ. Quia
fecisti vltionem & vindictam contra impios, parastiq; eis damnationem suam superius descriptam:
sicque præteritum pro futuro (consueto scripturarum more) videretur commodius accipiendum,
vt sit sensus, Confitebor tibi, quoniam facies pro iustis vindictam de inimicis & persequutoribus
eorum iuxta modum supradictum, de terra viuentium eos auferendo, eradicando, & in confusionẽ
æternam prijciendo. Atque hoc pacto rectè consonabit, quod sequitur, Expectabo nomen tuum,
id est, te expectabo cum patientia, donec tibi placitum erit iudicare causam meã, meque de manibus
iniquorum misericorditer liberare, atq; huic posteriori manifestè cõsonat quòd habet Paraphrasis
Chaldæa. Cõfitebor tibi, quoniã operatus es punitionem siue vindictam iudicij mei: hoc est, vltio-
nem ad iudicandum prome cõtra aduersarios meos. In eo quoq; quod sequitur. Quoniam bonum
est

A est in conspectu sanctorum tuorũ: varia partis illius, in conspectu sanctorum tuorũ, constructio est,
quidam enim referunt ad nomen bonum: vt bonum in conspectu sanctorum tuorum, idem valeat
quod, bonum ipsis sanctis tuis. Quę sententia, tametsi prima facie non occurrat, videtur tamẽ satis cõ
moda, & facilior cæteris. Alij iungunt eam cum verbo cõfitebor, hoc modo, Cõfitebor tibi in con-
spectu sanctorum tuorum, hoc est, corã multitudine fideliũ: iuxta quod dicitur in alio Psalmo, Vo- Psal.115.
ta mea domino reddam coram omni populo eius. Iungi etiam potest cum verbo expectabo, vt sit
sensus, Expectabo nomen tuum in conspectu sanctorum tuorum: hoc est, expectabo te coram
& simul cum sanctis tuis: vel, ita vt proximis etiam meis luceat exẽplum patientiæ & perseuerantiæ
meæ. Potest postremo etiam intelligi: Expectabo nomen tuum, quoniam hoc ipsum (scilicet expe- Tren.3.
ctare cum patientia nomen tuum) bonum est coram omnibus sanctis tuis: id est, te agnoscentibus
atque ita credentibus omnibus sanctis. Omnes enim pij hoc norunt, hoc credunt, bonum esse, prę-
stolari dominum in silentio, & in patientia.

LII. PSALMI ARGVMENTVM.

B *Hic Psalmus abundantiam malitiæ & multitudinem malorum (qui timore Dei postposito operantur quic-
quid libet) versibus quatuor primis describit. Deinde sub persona domini, per amaram interrogationem
insinuat, peruersos pauperũ oppressores cognituros aliquãdo Deũ iudicẽ, quem modo cognoscere atq; inuoca
re noluerunt: quando timore horribili conturbabuntur, iustis ab eo timore liberis, propter domini præsentiã in
eis habitantis. Atq; vltimo tandem versu, fidelium per Christum liberationem, spiritu reuelante, præmonstrat.*

QVINQVAGESIMI SECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

*1 Dixit insipiẽs in cor-
de suo:
* non est Deus.*

DIxerunt filij hominum in quibus non est scientia veritatis neq; sapientia Dei, in cordibus suis, & hanc habent in ani-
mo suo erroneam existimationem: *quod nõ sit secundum veritatẽ Deus, vt à fidelibus creditur, qui res humanas con
sideret ac iudicet, qui iustis pro iustitia fœlicitatem, aut malis pro ini-
quitate reddat damnationem: & hac falsissima persuasione blãdiuntur
sibi in iniquitatibus suis, quo peccent liberius. 2. Hac autem falsa exi-
stimatione & persuasione iniqua præsupposita, sine timore existẽtes,
neq; cuiusquam metuentes iudicium, corruperunt ipsi viam suam, &
computruerunt velut iumenta in stercore impietatum suarum, suntq;
facti, propter multitudinem & magnitudinem facinorum suorũ, de-
testabiles & execrabiles ante Deum & omnes homines pios: per im-
pissima opera sua & actiones corruptissimas, quibus intendunt: * nõ Ioëlis.1.
est ex infidelibus istis qui timorem Dei abiecerunt (quorum est bo-
na, imò maxima pars, in hoc miserabili mundo, qui totus in maligno
positus est) cui sit curæ facere quod bonum ac rectum est: non est ne
vnus quidem ex eis, qui studeat virtuti, sed à maiori vsque ad minimũ
omnes studeant iniustitię 3. Dominus Deus omnipotens, de sublimita- 1. Ioan.5.
te cælorum, in quibus inhabitat, quasi prouidus & diligens humana- Hier.6.
rum rerum curator, attendit & cõsiderat filios hominum, & actiones
eorum vniuersas bonas pariter atq; malas, ad reddendam vnicuiq; vẽ-
turo tempore pro operibus congruã mercedem: * prospexit (inquã)
considerans ad eos qui per fidem rectam verè agnoscunt aut ex animo
quærunt Deum. 4. Et vidit Deus, quòd maxima pars hominum, via re
cta derelicta, ad iniquitatem declinauerunt, suntque facti ad omne bo
num opus veluti reprobi & inutiles, quasi qui iam dedicerint virtu-
tem, nescientes vltra, neque volentes bene agere: * vix inuenitur qui
bene agat, vix inuenitur vel vnus. Tanta est enim malorum copia, vt Titum.1.
vix vllus videatur numerus iustorum, si cum illorum cõferatur immẽ
sa multitudine: & ex ijs ipsis qui bonum facere videntur, vix vnus est
qui solum ac semper faciat quod bonum est, qui non frequenter ad-
modum declinet ad malum, qui non subinde agat aliquid quod mi-
nus rectum est: quãdoquidem in multis offendimus omnes, & septies
in die cadit iustus. 5. Sed nunquid non tandem cognoscent Dei iudi- Iaco.3.
cium omnes qui nunc ex prauæ voluntatis studio operantur malum? Prou.14.
* qui populum domini, hoc est, humiles ac simplices deglutiunt & vo
rant ad eum modum quo vorari solet panis à comedente, sine vllą ci-
bi resistentia, sine vlla comedentis misericordia? Certe cognoscẽt do-
minum iudicia faciẽtem (cuius cognitionem & timorem nunc abij- Psal.6.
ciunt) cum fuerint comprehẽsi in operibus manuum suarum. 6. Cum
in hoc mundo agerent peruersi isti, in dominũ non crediderunt, neq;
eum vt Deũ suum inuocauerunt, neq; in eo spem suam posuerũt, sed

*2. Corrupti sunt, et abo
C minabiles facti sunt in
iniquitatibus:*

**non est qui faciat bo-
num.*

*3. Deus de cælo prospe-
xit super filios hominũ
* vt videat si est intelli
gens aut requirẽs Deũ.*

D

*4. Omnes declinauerũt,
simul inutiles facti sũt:
* non est qui faciat bo-
num, non est vsque ad
vnum.*

*5. Nónne scient omnes
qui operãtur iniquita-
tem: * qui deuorant plæ
bem meã vt cibũ panis?*

*6. Deum non inuocaue-
runt,*

Universidad de Murcia Biblioteca

* *illic trepidauerunt timore vbi nõ fuit timor.*

7. Quoniã Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent:
**confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.*

Matt.25. Psal.9. Psal.145.

8. Quis dabit ex Sion salutare Israël?

**cum conuerterit dominus captiuitatem plæbis suæ:*

Matt.1. Ephe.2. Ioan.1.

**exultabit Iacob, & lætabitur Israël.*

vel in idolis, vel in alijs rebus perituris, in quibus posuerant fiduciam: E
* & iccirco quia nescierunt dominũ, timore magno nõnunquam trepidãt, & vehementer conturbati sunt, quando nulla fuisset eis causa iusta timoris, neq; quicquã periculi, si credidissent in dominum Deum, eumque fideliter inuocassent: quẽadmodum in aduersitatibus temporalibus, in infirmitatibus corporalibus atque similibus, vehemẽter timere solent carnales homines, vbi tamẽ iustis nihil est turbatione aut timore dignum. 7. Deus enim confringit, & ad nihilũ redigit omnes vires, omnemque virtutem eorũ, qui se relicto, ac timore sui abiecto, in hominibus spem ponunt, hominum gratiã quærunt, & ijs placere studẽt quasi auxilium ab illis expectantes, vnde habere non possunt ad Deum autẽ oculos nõ leuãt: *cõfusione ęterna confundentur eiusmodi, neque raro etiam confusione temporali in hoc sæculo: quoniã Deus omnipotẽs abiecit eos, & à se imperpetuũ separauit, iubens eos vt iniquitatis operarios abscedere in ignem ęternum, cum diabolo & angelis eius, cui in vita seruierunt. Cum enim solus hic sit adiutor in oportunitatib⁹ ac tribulationibus, necesse est cõfundatur omnis qui F
huic placere nõ studet, qui non totis viribus hunc sibi cõrendit demereri sed ad filios hominum attẽdit, in quibus nõ est salus. 8. Quis verò erit qui tãtæ poterit mederi malitiæ, quæ abundat in terris? quis de superna illa cælestiq; ciuitate (posteaquã hic super terrã declinauerunt omnes, & maculati sunt in seipsis) dabit salutẽ & saluationem populo Israël, populo fidelium: * indubie nemo, præter dominum Deum saluatorẽ nostrum: qui cum voluerit, & sicuti voluerit, in tẽpore gratiæ, per filium suum auferet captiuitatem illam plæbis suæ, sub qua misere detinebantur, saluumq; faciet populum suum .i. credituros in se, à peccatis ipsorum: dans eis potestatem, ex filijs captiuitatis & irę, filios gratiæ fieri, & filios Dei: * ac tunc quidem exultabit gaudio spirituali omnis fidelis, credens in dominum, vitia supplantãs atque conculcãs, & Dei placita perficiens: * Atque iterum, cum dominus fideles suos ex huius mundi miseranda captiuitate, & ex huius vitæ peregrinatione, eduxerit in patriam supernam tunc perfecto gaudio gaudebunt G
fideles omnes, cunctis iam superatis & prẽteritis malis quibus in hoc mundo iugiter ab iniquis affligebantur.

ANNOTATIONES IN HVNC PSALMVM REQVIRE POST ELVcidationem Psalmi decimitertij. Omnes enim versus Psalmi præsentis iste comprehendit, septimo tantum excepto, cuius in Elucidatione satis clara ponitur expositio.

LIII. PSALMI ARGVMENTVM.

CLamat hoc Psalmo vir iustus in tribulatione positus, ad dominum liberatorem suum, auxilium postulans & saluationem contra sæuissimos hostium insultus, quos sustinet: promittens liberatori cantica gratuitudinis. Valet autem hic Psalmus, tam contra spirituales, quam contra corporales tribulationes.

QVINQVAGESIMITERTII PSALMI ELVCIDATIO.

H

*1. Deus in nomine tuo saluum me fac: * & in virtute tua iudica me.*
2. Deus exaudi orationem meam auribus percipe verba oris mei.
*3. Quoniã alieni insurrexerũt aduersum me, & fortes quæsierunt animã meam: * & nõ proposuerunt Deum ante conspectum suum.*
4. Ecce enim Deus ad-

DOmine Deus, propter nomen sanctum tuum, & per virtutẽ potentissimi nominis tui, salua me ab hostibus meis qui & numero plurimi sunt, & crudelitate, animoque nocendi maxime formidabiles: * & in potentia Diuinitatis tuæ fac pro me iudicium & vltionẽ aduersum illos. 2. Exaudi Deus orationẽ meam, quam fundo in cõspectu tuo, pro liberatione mea: verba deprecationis meæ quæ loquor ex corde pleno amaritudine & angustia, ingrediãtur, domine mi, in aures dulcissimæ misericordiæ tuæ, & ad exauditionem cõmoueant viscera misericordiæ tuæ, vt nõ frustrer ab expectatione mea. 3. Ecce enim hostes & aduersarij, animo prorsus alienato, crudeli & efferato, cõsurrexerunt aduersum me, vt me persequãtur, atq; requirãt ad mortem: & ij qui potentes sunt ad nocendũ mihi, ad mortem me requirunt, meq; vt perdant, hostili animo persequuntur: * non habent te domine ante oculos suos, timore tuo, & iudiciorum tuorum non auocantur à proposito malitiæ suæ. Neq; etiã considerant potentiã tuam, quæ mihi potens est contra omne in illorum virtutem sufficiens præbere auxilium. 4. Et quidem in his angustijs atq; periculis, tu es domine, omne auxilium meũ, tu me adiuua-

bis

A *iuuat me: et dominus susceptor est animæ meæ.*
*5. Auerte mala inimicis meis: * & in veritate tua disperde illos.*

*6 Voluntarie sacrificabo tibi: * & confitebor nomini tuo domine quoniam bonum est,*

B *7. Quoniã ex omni tribulatione eripuisti me, * et super inimicos meos despexit oculus meus.*

bis cõtra inimicos meos: te solũ habeo susceptorem animæ meæ atq; defensorem vitæ meæ. Tu enim solus mihi abunde sufficis cõtra hostium milia, aduersum omnem persequẽtium numerum & apparatũ. 5. Auerte tu domine: & prohibe ne mala mihi veniãt ab inimicis meis tua defensione prohibe, & impedimentum præsta, ne mala quæ mihi proposuerunt inimici inferre, super me veniant: auerte, ne impleatur quod concipiunt ac moliuntur contra me: * & in veritate iustitiæ tuæ dissipa virtutẽ illorum, confringe potentiã, & robur exercituũ eorum dissipe: vt non illis concedatur, tua permissione adimplere, quod sua praua voluntate decreuerãt. 6. Ego verò pro accepto liberationis beneficio, vbi tua misericordia id fuero consequutus, ex bono corde & bona ac liberali voluntate sacrificium offeram tibi: hilari & gaudenti animo, ad præstandam gratitudinem, sacrificabo quę nouero tibi esse Psal. 91.
gratissima: * & cõfessionem laudis dabo tibi liberatori meo: quoniã bonum est cõfiteri & psallere nomini tuo amplius, quàm immolatio Psal. 49.
sacrificiorum quorumlibet corporaliũ. Sacrificium enim laudis te honorificat, & ipsum est quod tibi immolari postulas. 7. Ecce enim ex omni tribulatione tu hactenus liberasti me ex plurimis, ijsque difficil limis periculis tua protectione hactenus saluus cuasi, neque datus sum in manus hostium meorum: * & omnes inimicos meos despexit oculus meus, omnes inimicos in te confidens quasi pro nihilo reputo, minimeque vltra formido: sciens, te vnum plus omnibus valere, teq; multò ad saluãdum, quàm illos ad perdendum, potentiorẽ atq; validiorem.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LIII.

VErsu 1. Et in virtute tua iudica me. Psalterium Romanum habet, libera me: quod secundum rẽ idem valet, quod iudica me. Sic enim tribulatus iudicari petit. i. iudicium pro se fieri, vt liberetur. In Græco autem habetur κρῖνον μέ, hoc est, (vt nostra habet Gallicana lectio) Iudica me. Beatus Hieronymus vertit, In fortitudine tua vlciscere me. Felix, Vindica me. Quæ & secundum vocem, nostræ lectioni quàm Romanæ magis consonant. ¶ Versu 3. Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me. Alieni intelligi possunt, tam quoad Deum, quam quoad hominem iustum. Qui enim aduersum
C iustos consurgunt, à Deo alieni sunt atque extranei: nimirum Dei osores, hostes contradictores, & (quantum quidem in ipsis est) oppugnatores: & insuper alieni atq; extranei à iustis, quos opprimũt, & quibus, quantum prævalent, animum hostilem ostendunt. ¶ Versu 5. Auerte mala inimicis meis. Huius partis multiplex dari potest intelligentia. Primum illa, quam ponit Elucidatio prohibe, vt ab hostibus mala mihi non veniant: Altera hæc est, Auerte mala à me, in inimicos meos, hoc est, con- Psal. 34.
uerte malitiã eorum, & mala quæ mihi machinantur, retorque & refunde super eos. Secundũ quem modum alibi dicitur. Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit apprehendat eũ, Ibidem.
& in laqueum cadat in ipsum. Et iterum, Gladius eorum intret in corda ipsorũ. Et in alijs locis cõpluribus similiter. Atq; huic expositioni consonat quod ex Hebræo vertit Hieronymus, Redde malum insidiatoribus meis. Et Felix in eandẽ sententiã, Redde malum, vel cõuerte malum tribulãtibus me. Chaldaica quoq; translatio similiter, Fac reuertatur malum ad eos qui me agitant, vel persequũtur. Potest addi tertia expositio: Auerte mala ab inimicis meis: vt sit perfectę innocentię deprecatio Lucæ. 23.
pro aduersariorum salute: quomodo Christus pro inimicis rogauit dicens, Pater dimitte illis, quia nescĩunt quid faciunt. Ita auerte mala inimicis meis, ab eis mala amoue, malum cor, malam animã, Psal. 9.
mala vitia, vt pro malis cõferas bona. Verũ non satis consentit huic expositioni quod euestigio subsequitur: Et in veritate tua disperde illos: nisi forte & hanc perditionem salutare intelligamus, in par
D tem æquiorẽ, secundum quem modum alibi dicitur, Increpasti gentes, & perijt impius. ¶ Versu 6. Voluntarie sacrificabo tibi. Habet hoc loco, voluntarie sacrificeare, peculiarem quandam emphasim, Psal. 91.
quã in Elucidatione vtcunq; indicauimus, quam etiam Felix exprimit, dicens, Cum munificentia sacrificabo tibi: vel cum quadã animi liberalitate offerã. Significat enim dictio Hebraica (vt ipse ait) oblationem spontaneæ mentis. Atque huic simile videtur, quod in alio Psalmo dicitur. Ex voluntate mea confitebor illi. ¶ Versu eodem, Cõfitebor nomini tuo domine, quoniam bonum est, Particula ista vltima, quoniam bonum est, dupliciter intelligitur. Primo, quoniam bonum est confiteri nomini tuo, iuxta illud quod in alio Psalmo dicitur, Bonum est confiteri domino, & psallere nomini tuo, altissime: quem sensum in Elucidatione expressimus. Vel secundum alterum sensum, Confitebor nomini tuo, propterea quòd bonum est nomen tuum. Nomen enim domini laudari debet quoniam bonum. Non enim propter vtilitatem aliquam vel commodum, sed maxime quia bonũ. Atque ita secundum rem idem est, acsi dicas, Confitebor tibi domine, quoniam bonus es.

LIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

CLamat in hoc Psalmo vir iustus in graui malorum conturbatione positus, ad auxiliatorem dominum, proponens primum, ex inimicorum persequutione nimiam conturbationem atq; desolationem, animæ suæ postulans sibi ad fugiendum pennas dari columbæ, vt in solitudinem auolans, alicubi requiem queat inueni-

Universidad de Deusto Biblioteca

re. Atq; hæc primis octo versibus. De hinc orationem fundit contra prauorũ malitiosos conãtus, & cõtra ciuitatem impiorum, cuius prauitatem vsq; ad versum 12. proponit. Vbi dehinc, illud vehemẽter exaggerat & ponderat, quòd etiã ab ijs qui proximi & amici videntur, cõtingat persequutionem & afflictiones pati: quod multo est ad tollerandũ difficilius, quàm si ab extraneo & aperto inimico procederet afflictio: cuiusmodi hominibus dignã mortẽ vel precatur vel prænunciat, ipse in domino spem ponens, & dominum iugiter omni tempore inuocans liberatorẽ, in quo & sperat ab omnibus tribulãtibus liberari, inimicis in sua impœnitẽtia, & iniquita te perseuerantibus, à conspectu præsentiæ Dei per vltricẽ sententiã proijciendis in puteũ mortis: à qua salui erunt, qui curã suam in dominum proijciunt. Posset verò hic Psalmus totus in persona Christi satis apte exponi. In Elucidatione tamen, generali expositione viro iusto cuilibet afflictione malorũ tribulato, illum applicabimus. Post verò in Annotationibus, quomodo nonnulla pecularius ad Christum valeãt aptari, monstrabimus.

QVINQVAGESIMIQVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1. Exaudi Deus orationem meã: & ne despexeris deprecationem meã:
** intende mihi & exaudi me.*

EXaudi Deus precem meam, quã in amaritudine animi mei fundo ad te: & ne amoueas, neq; abijcias eam à conspectu tuo, sic vt eam nõ sinas ascendere ad sacrariũ exauditionis tuæ: * conuerte ad me benignum aspectum misericordiæ tuæ, & dignanter me exaudi, ad te humiliter clamantem. 2. Contristatus sum vehementer in meditatione mea, dum meipsum exercito, meditando & considerando plurima & maxima pericula, in quibus versor, aut quæ mihi imminent per circuitum: quorum meditatio non modicam mihi incutit tristitiam: in exercitatione quoque qua exerceor, probor & affligor, à multitudine malorum inter quos versor, cõ tristatus sum: * & conturbatus sum atque perterritus à vocibus inimi corum, quibus contra me loquuntur in malum, & à tribulationibus atque persequutionibus hominum impiorum. 3. Ipsi enim falsis accusationibus, criminationibus atque detractionibus, proiecerunt super me, & imponunt mihi mala, quorum mihi non sum conscius, de multis me falso accusantes, quasi hæc aut illa mala egerim, quo sic me reũ mortis ostendere valeãt alijs, & iuste persequi me videatur: * & in iracunda sua inuidia quã cõtra me gerunt, mirum in modum molesti facti sunt mihi vehementer & multipliciter me vexãt ac persequuntur. 4. Adeò verò aggrauata est in me tristitia ex consideratione atq; exercitatione huiusmodi, adeò inualuerunt contra me mala, vt conturbetur intra me cor meum, præ nimio timore periculorum & malorum quæ sentio: * formido quoq; & horror mortis, qualem habere solent quibus mors in proximo est, irruit super me. 5. Timor magnus in intimis, atq; hinc tremor in mẽbris, cecidit super me, apprehendit atq; inuasit me: * & operuit caligo tenebrarum oculos meos, simul & cor meum: prorsus obtenebrati sunt præ timore oculi mei, simul & cor meum, ita vt nec oculi lumen suum teneãt, & vix sibi mens cõstet amplius: quẽadmodum hominibus in maximo metu & proxime ad mortem positis, euenire solet vt lumen tã cordis, quã oculorum incipiãt deficere, & velut obtenebrari siue operiri tenebris. 6. Et cum in tanta essem positus angustia in medio hominum iniquorum affligentiũ animã meam, optaui modum aliquẽ inuenire, quo effugere possem tantã malitiæ me affligentis abundantiã, dixiq; apud memetipsum, Quis mihi dare posit alas in modũ columbæ, quẽadmodum habet columba, vt eis suffultus auolare possem in locum tutum, & quietum, ab hominum perturbatione extraneum, vbi requiem posit aliquantulã inuenire nimium fatigata anima mea? Columba nanq; si vllam sentiat perturbationẽ aut strepitum, mox alis suis suffulta auolat, quo voluerit, in loca solitaria: ibiq; sese abscondẽs, in petra aut nido, secura quiescit, solis gemitibus extra omnẽ tumultum intenta. Atq; vtinã sic præclare mecum agatur, vtinã similes & mihi alæ donentur quibus de medio impiorũ quotidie excruciantium & affligentium animã meã quieteq; perturbantium, valeã auolare, & in locum solitariũ me abdere: vbi in quiete absq; tumultibus mundi posita, vni Deo vacare queat anima mea, vniq; ac soli Deo intẽdere. 7. Ecce autem, quomodo optaui, ita partim & cõtingit mihi gratia tua, Fugiẽs nãq; elongaui memetipsum à cunctis mundi tumultibus, ab vniuersis seculi huius conturbationibus memetipsum subduxi: primum quidẽ, quantum potui: loca quærẽs solitaria amica meditationibus atq; mœroribus, deinde super omnia, cor habere studens elongatũ ab omnibus humanis affectibus & tumultibus, cuncta quæ in mundo nequã sunt magno animo abijciendo atque abnegãdo, ac veluti subtus me posita despiciendo: * atque in hac

2. Contristatus sum in exercitatione mea:
** cõturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.*
*3. Quoniã declinauerũt in me iniquitates: * & in ira molesti erãt mihi.*
4 Cor meum conturbatum est in me:
** & formido mortis cecidit super me.*
*5. Timor & tremor venerunt super me: * & cõtexerunt me tenebræ.*

6. Et dixi: quis dabit mihi pennas sicut colũbæ, & volabo & requiescam?

7. Ecce elongaui fugiẽs

** & mansi in solitudine.*

hac solitudine tam carnis quã mentis constanter permansi, quantum gratia tua potui: in hac meipsum viriliter continere summopere curaui, ne mihi quies deperiret animæ meæ, si ad ea, quæ ante fugerã, atq; fugiendo reliquerã, redijssem denuo. 8. In hac autẽ quiete & solitudine expectabã cum patientia dominũ, qui me saluum faceret à pusillanimitate spiritus qua tenebar, hoc est, ab illa maxima conturbatione animi & grauissima tristitia, qua me affecerãt homines peruersi, ãmatores sæculi huius, & à tempestate ac tumultu persequutionis atque molestationis eorũ. In hac, inquã, quiete, & in hoc silentio positus, à te domine expectaui salutẽ, te expectaui, te sustinui, & à te cõsolationẽ quæsiui, ne me vel spiritus mei timiditas, vel tẽpestuosa & turbulẽta hostiũ persequutio absorberet. 9. Oro autẽ te domine, iam hic tecũ in solitudine positus, vt pessimos illos sæculi amatores (quorũ est studium in hoc mundo iustos affligere) præcipites, atque deijcias de altitudine, in qua tua permissione cõsistunt: * eorũq; linguas quibus semper cõtra iustos mala loquuntur diuidas, & in discordiã mittas, vt ita effectum nõ consequãtur praua eorum consilia: * vidi enim in ciuitate & cõgregatione impiorum nihil aliud nisi iniquitatem & contradictionem, tã contrà veritatem, quã contra iustitiam. Et ipsi nanque iniqua agunt, & quãtum in se est resistũt veritati, atque iustitiæ aduersantur, toto conatu iniquitatem promouere & iustitiã atque veritatẽ opprimere laborantes. 10. Iugiter die ac nocte per circuitum eius, vsque ad muros graditur iniquitas, excelsa est in medio eorum impietas, & quasi per circuitum totã ciuitatem hanc super muros circumit: * estque in medio ciuitatis huius pauperum atq; bonorum afflictio & iniustitia, hæc in impiorum cõgregatione regnãt, hæc nusquam non inueniuntur apud impios. 11. Omnis quoque modus fraudandi decipiendique proximũ, siue per vsuram, siue per aliam quamlibet dolosam adinuentionem, vbique occurrit in societate prauorum, & velut vbique in plateis huiusmodi occurrunt, quoniam vulgatissima hæc sunt inter eos. 12. Et quidem in his omnibus illud toleratu difficillimũ est, quod videamus non raro etiã proximos, vicinos, notos, familiares, ac nonnunquã etiã ad tempus singulari iunctos amicitia, sibiinuicem fraudẽ facere, & amicos suos supplantare, quomodo & mihi nunc euenisse experior. Nam si quispia ex ijs qui se apertos inimicos demõstrant, & pro aduersarijs gerunt, de me mala & indigna fuisset proloquutus, facilius mihi id visum fuisset sustinere & perferre, quã ab ijs qui se amicos simulãt, aut qui lõga mihi amicitia aut familiaritate fuerunt sociati. 13. Et si aliquis eorum qui apertum odium contra me demõstrant, mala magna contra me loquatur, si mihi grauia comminetur, potero eius iram declinare absc̃odendo & subtrahendo meipsum à facie eius, sicque ab eo facile mihi cauere potero, ne nocumentum accipiam. 14. At verò, quod hanc nunc tribulationem contra me suscitat, huiusmodi mala aduersum me loquitur homo olim tam amicus, vt vnius animi esset mecum, vniusque affectus ac sententiæ: * homo cui ita fidebam, vt tuto me illi committerem, illiusque insequerer consilia, quem habui quasi consiliarium meum, aut etiam ducem itineris mei, homo, inquam, quondam mihi intimus & familiarissimus. 15. Qui simul mecum dulcissima ac lætissima solet celebrare conuiuia, qui frequenter dulcis mihi cõuiua fuit, sicut & ego vicissim illi: qui etia in domo Dei nostri frequenter perambulauimus, cum magna concordia & iucundo consensu, iuncti lateribus tanquã intimi socij & familiares amici: quod hic, inquã, de quo nihil vnquã sinistre suspicari potui, nunc ita aduersum me mala loquitur vel agit, quod nunc mihi hanc exhsuscitat cõturbationem, id mihi certe toleratu videtur omnium difficilimum, affligitque vehementissime animum meum, quod ab illis potissimum mala suscipiam, à quibus minime expectabam. 16. Digni sunt huiusmodi, super quos ex vltione tua descendat sententia mortis & condẽnationis æternæ, atque vt in infernum absorbeantur viuentes: vt manifesta punitione omnes videant in eis vltionem iustitiæ tuæ, alijs in terrorem & exemplum, quomodo Dathan & Abyron, cunctis aspicientibus, in infernum prolapsi atque demerti sunt. 17. In habitaculis nanque eorum nihil aliud, quam nequitiæ, astutiæ, fraudulentiæ, atque alia mala huiusmodi inueniũtur, & huiusmodi in medio eorum sunt, hisce pleni sunt, abundantes in omni malitia: neque aliud volunt in co

8. Expectabã eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.

9. Præcipita domine:

** diuide linguas eorum*

** quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.*

10. Die ac nocte circũdabit eam super muros eius iniquitas:
** & labor in medio eius, & in iustitia.*
11. Et nõ defecit de plateis eius vsura & dolus.
12. Quoniã si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem vtique.
13. Et si is qui oderat me super me magna loquutus fuisset, abscõdissem me forsitan ab eo.
14 Tu verò homo vnanimis,

** dux meus & notus meus.*

15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.

16 Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.

17. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum.

18. *Ego autem ad Deũ clamaui:*
** & dominus saluauit me.*
19 *Vespere, & mane, et meridie, narrabo & annunciabo:*
** & exaudiet vocẽ meã.*
20. *Redimet in pace animam meã ab his qui appropinquant mihi:*
** quoniã inter multos erant mecum.*
21. *Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.*
22 *Nõ enim est illis cõmutatio, et nõ timuerũt Deũ:* extendit manũ suam in retribuendo.*
23. *Contaminauerunt testamentũ eius, diuisi sunt ab ira vultus eius:*
Matt.25. ** & appropinquauit cor illius.*
24 *Molliti sunt sermones eius super oleum:*
** ipsi sunt iacula.*

25. *Iacta super dominũ curã tuã: & ipse te enutriet:* nõ dabit in æternum fluctuationẽ iusto.*
26. *Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.*
27. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos:*
** ego autem sperabo in te domine.*

gitationibus atque affectionibus cordis sui. 18. Ego verò aduersus illorum execrandam malitiã vnicum habeo remedium, & vnicum refugium: videlicet vt clamem ad dominum Deum meum, & ab eo de tanta iniquitatis abundantia poscam auxilium: * & non despexit me deprecantem dominus, neq; dimisit confusum, sed benigne & misericorditer me exaudiuit. 19. Quandocunq; opportunũ fuerit, siue mane, siue vespere, siue in ipso diei medio, siue aliàs quocunq; opportuno & orationi accommodo tempore, ego narrabo domino miseriã & angustiam meã, annunciaboq; & proponã illi conditionem necessitatis meæ: * & hoc de illius bonitate confido, quod clamãtem exaudiet, faciétque omnia quæ postulauero ab eo. 20. Ipse me securum faciet ab oppugnationibus, & in pace cõstituet animã meam, ab his qui me agrediuntur animo iniquo vt noceant, ita vt nequaquam illos permittat prævalere mihi, & super me acquirere dominationem: * quoniam ipsi cũ multis mihi appropinquabant simul cum multis me aggrediũtur ad nocendum, & inter multos simulque cum multis mihi se adiungunt, & mihi appropinquant, vt tam facilius, quàm crudelius valeant nocere. 21. Exaudiet autem me Deus ad se humiliter clamãtem, & humiliabit illos atque deprimet humiliatione maxima, vsque in profundum inferni: ipse Deus æternus qui erat ante omnia sæcula, principiũ non habens durationis suæ, quemadmodum neque finem in omnia sæcula. 22. Non enim commutatio est illis, de malo in bonum, nolunt commutari, nolunt conuerti, nolunt agere pœnitentiam aut resipiscere de malis vijs suis: sed proficiunt magis in iniquitatibus suis, indies profundius immersi nequitiæ: & non est timor Dei in eis, quam ob rẽ & pœnitere nesciunt, aut à malo in bonum commutari: * & quia trãsferre se nolunt à vijs malis, & Deum non habent ante oculos, iccirco iam Deus manum suam extendit, tanquam paratus ad reddendam vltionem, vt retribuat vindictam & pœnam condignam eorum impœnitentiæ, & peruersæ atq; consummatæ nequitiæ. 23. Contaminauerunt nanq; ac polluerunt testamentum Dei, eius præcepta præuaricando per inobedientiã: atque ob hoc proijcientur à conspectu Dei, & in æternum reprobantur, atque penitus diuidentur ab ira indignationis eius, per sententiã terribilem intonantem, Discedite à me maledicti in ignem æternum: quę sane sententia, ab ira indignationis eius proficiscetur: * neque longe adhuc abest hæc vltio, sed appropinquauit ad vltionem cor & cogitatio eius, cogitauit in proximo facere vindictam. 24. Impij illi quo facilius noceant, sermones suos lenes, blandos, atque molles faciunt amplius, quam vllum oleum valeat esse molle aut blandum: * & ipsi tamen sunt quasi sagittæ ac iacula, vt in eis transfigant animas simplicium. Tanquã acutissima namq; iacula sunt verba dolosa impiorum, quibus vulnerant & perimunt innoxios. 25 At tu qui horum cupis malitiam effugere, proijce curam omnem, omnemq; sollicitudinem tuã super dominum Deum tuum, & illi te toto corde, plenissima fiducia totum cõmittas, ac super illum securus innitere: * ipse enim te fouebit, custodiet & educabit solicite, quasi nutrix puerum, quasi filium mater: * & nõ patietur iustum periclitari imperpetuum, nunquã illum sinet cadere in perditionẽ. 26. At verò impios illos bonorum perturbatores, tu Deus scelerum vltor & vindex, demerges in lacum perditionis, in puteum abysi, in profunda inferni, vnde egredi nunquã possint, neque vllam debeãt sperare liberationẽ. 27. Et quidem in hoc sæculo viri homicidæ sanguinem sitientes, oppressoresque bonorum frequenter non pertingunt ad dimidium dierum suorum, quo secundum naturalis cõplexionis cursum videbantur posse viuere, sed ante tempus prematura morte hinc abripiuntur, comprehensi in iniquitatibus suis, vel gladio, vel alio quolibet mortis genere ante tempus propter impietatem occumbentes. * In vniuersum quoque, homines peccatores pertingere nõ valent ad dimidium dierum quod sibi præstituunt, & quod sibi vt terminum vitæ suę prescribunt. Existimant nãque in æternum se victuros, sic viuentes, quasi nunquam finienda esset vita præsens: & tamen post pauculos annos coguntur abscedere, sicque conceptos dies ne dimidiant quidẽ: * ego verò de tua misericordia confidens, in te domino Deo meo semper sperabo, & sub hac tua spe degam securus, donec placitum tibi erit de mundi huius iniquitate educere afflictã pauperculam animã meam.

ANNO-

ANNOTATIONES IN PSALMVM LIIII.

VErsu 2. Contristatus sum in exercitatione mea. Exercitationem quidam exponunt meditationem. Alij exponunt probationem, qua exercitantur boni à malis, Vtranque expositionem in Elucidatione attigimus. Priori tamen magis consonat vocabulum Græcum ἀδολεσχία, quod significat contemplationem vel meditationem, siue meditatoriam exercitationem. Et ex Hebræo vertit Hieronymus, Humiliatus sum in meditatione mea. ¶ Versu 4. & 5. Cor meum conturbatum est in me. Hæc verba optime in Christum cõpetunt in agonia illa nouissima positum, quando tristis facta est vsque ad mortem anima eius quando cæpit pauere & tædere, contristari & mœstus esse, ita vt etiam guttæ sanguinei sudoris præagoniæ difficultate in terrã decíderent. Quæ autem sequũtur ver. 6. & 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ. Ecce elongaui, fugiens ad Christi latibulum & abscõsionem, in deserto referentur, cum de Christo domino voluerimus Psalmum exponere. Saluator enim, propter rabiem persequutionis Iudaicæ, volens persequentium improbitati ad tempus cedere, legitur subinde secessisse in loca deserta cum discipulis suis: vbi à tempestate & persequutionis impetu liber agebat, vt columba gemens pro peccatis generis humani, & meditans de perficienda saluatione eius. Quæ verò deinde versu 9. 10. & 11. sequuntur de ciuitate peruersa, ad Hierosolymã vi
B dentur referenda, in qua aduersus innocentem dominum plurima celebrabantur quotidiana concilia, in qua auaritia vsque adeò dominabatur, vt etiam principes sacerdotum populum docerẽt propter auaritiam præcepta Dei humanis traditiunculis postponere, ad auaritiã cõpositis. Illa verò quæ Matt.15.
deinde ponuntur verbis 12. 14. & 15. de Iuda proditore cõmodissime videntur intelligi: qui cũ procurator esset negotiorum Christi, loculos sibi creditos gestans, eius familiaris conuiua atque Apostolus, cum eo ambulans & comedens, dolum tamen pessimum machinatus est aduersus optimum præceptorem, cui proinde iustam & condignam mortem denunciat. Versu 12. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Si ad literam Dauidi applicemus Psalmum, apparet ipso tempore quo compositus est, singulare aliquid accidisse Dauidi, de amici cuiuspiam aut admodum familiariter noti infidelitate: vt scilicet persequutionem tũc sustinuisse intelligatur ab aliquo, cum quo prius valde familiariter & amice viuebat, quem aliquando velut à secretis & omnino intimum habuerat. Quemadmodum (exempli gratia) cum Doeg Idumæus qui forsitan Dauidi se familiarem exhibuerat, donec ageret in aula Saulis post eiectionem, aduersus ipsum crudeli accusatione sæuiebat. Et cum in Absalonis persequutione, Achitophel ipsius consiliarius contra ipsum coniurauit, Vnde Chald. Paraph. aperte hoc loco meminit Achitophelis, cum ait, Tu Achitophæ, homo
C secundum ordinem meum, vel similis mihi, præceptor meus, qui me docuisti, & scire fecisti sapien- 1.Reg.22.
tiam. Cum verò Christo domino Psalmus accommodatur, de Iuda pars ista (vt suprà diximus) expo- 2.Re.15.
nitur: qui cum vnus esset ex duodecim familiarissimis Christi conuictoribus, tradidit dominũ suũ. Iuxta quem modũ, in alio Psalmo dicitur, Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Potest & vnusquisque iustus in querimoniam hoc trahere, dum considerat non solum ab extraneis & inimicis tribulationem se perpeti, verumetiam ab amicis & familiaribus non esse securum: quod sane vehementer hominẽ excruciat, nimirum ab ijs quos Psal.40.
coniunctissimos habere te putas pati calumniam. Modus autem loquendi in his tribus versibus, ex vulgato vsu sumptus videtur. Sic enim loqui solent homines, cum ab ijs iniuriam accipiunt quos minime æquum erat facere iniuriam. ¶ Versu 20. Quoniam inter multos erant mecum. Clarius ex Hebræo vertit Hieronymus, Multi enim fuerunt aduersum me. In quem fere sensum accipere oportet quod habet vulgata lectio, vt intelligamus, Inter multos fuerunt mecum, ad nocendum mihi, vel cum multis: quasi dicatur, Ipsi atque alij similes complures mecum fuerunt, mihi appropinquauerunt, mihi se adiunxerunt, ex aduerso contra me appropinquauerunt ad nocendum mihi. ¶ Versu 22. Non e-
D nim est illis commutatio. Exposuimus de commutatione in bonum à malitia, quod clarius aliquanto habet versio Hieronymi, Non enim mutantur, & non timent Deum: hoc est, spes non est mutationis, vt resipiscant & agant pœnitentiam, sed in eo quòd sunt, obstinati permanent, id est, in impœnitentia sua. Apertissime consonat his, quod habet Paraph. Chal. Peccatores non mutantur à vijs suis pessimis, & non timent ab aspectu Dei. ¶ Versu 24. Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Significat verba impiorum lenia, blanda, & maxime mollia esse (sicut oleum blandum est lene, ac molle) cum tamen maxime sint noxia, & animam perimant, vt venenata, sed melle tincta iacula. Nonnulli in bonam partem interpretantur, ad hunc modum, sermones eius (Dei videlicet) molliti sunt super oleum, id est, molliores sunt oleo, lenes sunt, dulces sunt, iucundi atque amabiles sunt: attamen ipsi sunt iacula, quibus condemnabuntur & perdentur impij, qui inobedientes fuerunt aut increduli sermonibus Dei. Verba enim Dei condemnabunt impios, iuxta quod in Euan
gelio Saluator ipse ait, Sermo quem loquutus sum vobis, ipse vos iudicabit in nouissimo die. Alij sic Ioan. 12.
intelligunt: Sermones Dei, secundum impiorum existimationem, molliores sunt oleo, ita vt nihil formident ab eloquijs Dei: attamen ipsi sunt iacula, quibus perimentur, inque perditionem condẽnabuntur. Primæ tamen expositioni (quam & solam in Elucidatione constituimus) magis consonat lectio Psalterij Romani, Mollierunt sermones suos super oleum, quod manifeste de ipsis impiorum verbis blandiloquis debet intelligi. Similiter quod ex Hebræo vertit Hieronymus, Molliores sermones eius oleo, cum sint lanceæ. Item quod Felix Leniora fuerunt verba eius supra oleũ, & ipsa sunt gladij, vel maledictiones, vel prælia, manifeste satis prime expositioni, astipulantur: maxime cum in præcedentibus non nisi de impio faciant hi sermonem. ¶ Versu 25 Iacta super dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Psalterium Romanum habet pro cura, cogitatum, Iacta in Deum, (inquit)

quit)cogitatum tuũ,estq; eadem vtriusq; lectionis sententia:Si quid tibi curę est,si quid cogitas quod E
perfectum velis,si tibi pro re qualibet sollicitudo est,Deo cõmenda negotium,& ipse faciet. Cõso
nat autẽ his pulcherrime,quod princeps Apostolorum Petrus,suis in exhortationẽ proponit,dicẽs:
1.Pet.5. Omnẽ vestrã sollicitudinẽ proijcientes in Deũ,quoniã ipsi cura est de vobis.Versu vltimo,Viri san.
&dol.non dim.di.su.in Elucidatione duplicem huius versiculi monstrauimus intelligentiam. Prior
non habet in omnibus generalem veritatẽ cum videamus plerosq; homines Belial,*impios & crude
les pauperum oppressores,vsq; in multã caniciem vitã producere,neq; vel quicquã aduersum perpe
ti. In multis tamen id verum est,ante tempus occumbere homines sanguinolẽtos & aliorum oppres
1.Reg.31. sores.Plerunq; enim mala morte subito ante tempus maturitatis suæ abripiuntur casu aliquo,Deo
sic iusto suo iudicio disponente,vt qui alios vita ante tempus per vim priuare desiderant,ipsi simili=
ter ante tempus eodem vulnere cadãt.Exemplũ habemus in Saule,qui optimũ Dauidẽ tã obstinato
animo vsq; in diem mortis suæ nõ desijt persequi,ad auferendã animam eius.Ipse verò ante tempus
3.Reg.1. sublatus est,in proprio gladio cadens super montes Gelboe,pariter cum filijs ac seruis suis.Nam &
hos iste vir sanguinũ impius secũ in hoc pertraxit,vt non dimidiarent dies suos,quo manifestior et
set Dei vltio pro sanguine Dauidis,quem ille tãta auiditate quæsierat.Dauid autem in multam sene
ctutem vixit diuino munere:neque tãtum dimidiauit,sed & prorsus cõpleuit dies vitæ suæ.Possunt
similia exempla plurima ex alijs scripturæ locis paruo negotio huc adferri:veruntamen(vt dixim⁹) F
non est vniuersalis veritatis hæc prior expositio.Posterior autem altera,vniuersalior est. Omnibus
enim impijs,hoc est,cõmune,nõ pertingere ad dimidium dierũ atq; temporũ quę sibi præstituunt,
aut quæ concupiscunt.Optant enim semper viuere,vt semper peccare possint,& sua impia semper
adimplere desideria.Et licet secundũ cõtemplationem cognoscant plurimi,se non posse semper vi-
uere,sed debere aliquando morte deficere:semper tamen diem mortis elongãt à se,& longissimum
tempus imaginãtur vitæ suæ,sic quasi lõgissime adhuc absit tempus mortis eorũ,ita vt in multa ca-
nitiæ vix iam de mortis propinquitate valeãt cogitare,sicq; ad dimidium dierũ,quos ipsi somniant,
& quibus se victuros putant,non peruenerunt.Cum enim tempus mortis aduenerit,tum iudicãt non
nisi horulam sese in vita transegisse.Denique sic viuunt homines impij,quibus non est Deus in ocu
lis,quasi persuasum habeant se imperpetuum victuros,nihil cogitãtes neque de mortis necessitate,
neque de diuini iudicij distrinctione,neq; de terribilibus tormẽtis quę illos manẽt in venturo sęcu
lo.Itaq; fit,cum post paululum abscedere cogũtur,qui sibi ęternitatem modo quodam spondebãt,
vt recte dicamus,illos non ad dimidiũ,imò longe citra dimidiũ,ac vix etiã ad principium perduxis
se dies suos.At verò homines iusti,in quorum oculis versatur Deus,hi quãdocunque tandem mortẽ
obierint,semper dies suos compleuerunt:quoniam nulla sibi vitæ tempora præfigunt,sicque viuũt G
semper quasi cras morituri,imò quasi per horas singulas diuino iudicio præsentandi:neque diutius
Philip.1. cupiunt viuere,quàm Deo placitum sit ipsos hinc suscipere.Cupiũt enim dissolui & esse cum Chri
1.Cor.5. sto,scientes meliorem se expectare mansionem,ędificationem ex Deo non manufactam(vt ait S.A-
postolus)& æternam in cælis.Atque ita fit,vt quacunq; hora Deus illos euocauerit,ipsi compleuis-
se se reputent dies suos:maxime cum de tempore hoc labili transeant ad stabilem æternitatem.

LV. PSALMI ARGVMENTVM.

*IN magna persequutione positus fidelis,Deo proponit querimoniam aduersum tribulantes:ipse tamẽ nequa-
quam diffidens propter persequutionem,sed fortiter confidens propter spem Dei.Proponit autẽ inimico-
rum suorum malitiam & nimiam nocendi cupiditatem:simul adiungens iuxta iniquitatem,eorum vltionẽ,suãq;
iuxta Dei promissum facilem & semper promptam exauditionem:pro qua vicissim,in gratitudinis protesta-
tionem,laudis vota offerre pollicetur (quantum erit in sese) liberatori & saluatori suo.*

QVINQVAGESIMIQVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

1.Miserere mei Deus, quoniam cõculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me.*
2. Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduersum me.
3.Ab altitudine diei timebo?
** ego vero in te sperabo.*
4.In deo laudabo sermones meos: in deo spera-*

OStende mihi misericordiam tuã Deus,quoniam oppri H
munt me homines maligni persequutores mei,ac velu
ti pedibus me conculcauerunt,& quasi in imum præ-
cipitium deiecerunt,supra modum me humiliantes &
affligentes:* nõn cessant persequendo & oppugnan-
do affligere animam meam,iugiterque cupiunt & quę-
runt nocere mihi. 2. Oppresserunt, & veluti sub calcibus protriue-
runt me inimici mei iugiter, non concedentes mihi à molestijs vl-
lam requiem: valde enim multi sunt qui me persequuntur, & in-
festi sunt mihi. 3. An verò ab altitudine diei ego timebo? nunquid
à superbia prosperitatis sæculi huius, ab æstu persequutionis huma-
næ,quæ contra me grassatur & sæuit, ego expauescam,& animo deji-
ciar propter eam?* Nequaquam:sed magis in Deo ponã fiduciam, in
quo sperans non confundar, quicunque tandem & quanticunque
aduersus me insurrexerint aduersarij. 4. In Deo in laudem profe-
ram sermones meos, verba mea in Deo ad ipsius laudem compo-
nam: curaboque in verbis meis laudare dominum Deum meum:* in
ipso quoque spem meam fixi & immobilem constitui, ac proin-
de non timebo ab vlla humana potestate, non timebo ab omni eo
quod

A *ui non timebo quid faciat mihi homo.*

5.Tota die verba mea execrabãtur aduersum me: omnes cogitationes eorum in malum.*
*6.Inhabitabunt & abscondent:*ipsi calcaneũ meum obseruabunt.*

B *7. Sicut sustinuerunt animã meam, pro nihilo saluos facies illos:*

** & in ira populos confringes.*
8. Deus vitã meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.*

C *9. Sicut & in promissione tua:*
** & tunc cõuertentur inimici mei retrorsum.*
10. In quacũq; die inuocauero te, ecce cognoui quoniã Deus meus es.
11. In deo laudabo verbum, in domino laudabo sermonem:
** in Deo speraui,non timebo quid faciat mihi homo.*

D *12.In me sunt Deus vota tua,quæ reddam laudationes tibi.*
13.Quoniam eripuisti animã meam de morte:
** & pedes meos de lapsu*
** vt placeã coram Deo, in lumine viuentium.*

quod potest facere homo:qui nõ nisi infirma cãro est, & creatura im becillis atque paupercula.Scio enim creatorem Deum (qui spirit⁹ est Ioan.4.
& spirituũ pater)potentiorem esse omnibus hominibus, atque adeò Num.16.
vniuersa creatura sua.Propter quod vnũ,hunc habens protectorem,
ab omni sum humano timore securus.5.Iugiter tota die etiam verba
mea obseruabant inimici,& cauillabantur atque execrabãtur ea cum
non possent iinuenire in opere quod reprehenderent aut calumniarẽ-
tur:*omnes cogitationes eorum aduersus me erant in malum, nihil
aliud cogitabãt nihil meditabãtur aliud quã me perdere, aut quoquo
modo(siue in re,siue in nomine,siue incorpore,siue in anima)nocere.
6.Inhabitabunt mecũ,mecũque conuersabuntur,& in absconditio se-
ponent,vt explorẽt ad calumniã cuncta verba & opera mea: absco-
dentque etiã animum nocendi,simulates amicitiã:& interim ipsi ob-
seruabunt calcaneum meum,considerabunt opportunitatẽ nocendi,
insidijsque dispositis captabunt occasionem præcipitadi me,supplan-
tãdi,atque perdendi.7.Tu verò domine,per vltionem iustitię tuę red
des eis mercedẽ,secundum ea quæ ipsi aduersum me patrarunt. Sicut Psal.7.
enim ipsi animã meã expectauerunt & obseruauerunt ad auferendam
eã,meque perdendum,ita tu pro nulla re salutem dabis illis,nullo pre
tio redimẽtur à perditione,nullum persoluere tibi poterunt pretium
redemptionis animæ suæ, quo à te valeant salutem comparare, aut
tuæ vltionis euadere sententiam:*sed in implacabili ira tua populos
in suis malitijs obstinatos,& perseuerantes in impœnitentia sua con-
teres,atque in æternã perditionẽ proijcies.8.Ecce ego vitã meã istam
quam dego in afflictione & miseria, notã feci tibi cum querimonia:
*& tu fletum lachrymarum mearum non despexisti neque abiecisti,
sed acceptasti,gratas habuisti & reposuisti eas ante conspectum tuũ,
quæ ego in oratione lachrymas postulaui impleturus in tempore suo.
9.Sic,inquam,acceptasti lachrymas meas,sicut & erat in promissione
tua,quẽadmodum promisisti misereri miseris, misericordiam tuam
prestare postulantibus,auxiliumque opportunum adferre in tribula-
tionibus:*ac tũc quidem cum tibi sic placitum erit acceptare oratio-
nem meã,inimici mei erubescent confusi,cogeturque magna sua cõ-
fusione à proposito desistere. 10. Ego verò iam frequenti experientia Psal.9.
edoctus hoc inueni,hoc didici,& firmissimum habeo,quod in quacũ
que die te ex affectu cordis inuocauero, tu mox adsis mihi, vt Deus
meus,mox te mihi Deum & optimum dominum ostendis,per facili-
tatẽ tuæ exauditionis,potẽter me liberando de periculis & angustijs,è
quibus ad te clamauero.11.Et gratiarum actione,ego in Deo ad laudẽ
proferam,& componam illi verba mea,quibus eum laudẽ atque ma-
gnificem:ad Deum,inquã,pro laude aptabo & componam sermonẽ
meum,vt in meis sermonibus semper laudetur dominus meus:*atq;
ita in Dei laudibus memetipsum oblectans,& in ipso spem figens,nõ
timebo ab omni nocumento humano, quod mihi poterit obuenire,
sciens fortiorem esse ad saluandum,qui mecum est omnipotentem do
minum,quàm sit ad nocendum quiuis inter homines.12.In me Deus
parata ego habeo vota,quæ tibi reddam atque persoluam,nempe lau
dationes & gratiarum actiones.Hæc enim laudis sacrificia,vt tibi ac-
ceptissima sunt super omnia holocaustomata,ita mihi sunt facillima
atque promptissima,vtpote quæ in me habeo,& aliunde adferre non
egeo,sed ex memetipso,ex penu grati animi semper valeo depome-
re.13.Et merito quidem has laudationes tibi Deo semper persoluere.
Tu enim es qui saluasti me,& custodisti vitam meam,animam meam
à morte & perditione sempiterna saluasti,ne perderet eam hostis im-
pius:*& pedes meos custodisti,ne laberentur in profundum peccati
& inferni:per tuam gratiam me à peccatis custodiens,& de periculis
plurimis tam corporis quàm animæ fidelissime liberans:*vt vel tan-
tis beneficijs à te domine prouocatus, merito debeam omni conatu
totisque viribus contendere,ad complacendum tibi,digneque & pla-
cide conuersandum,in præsentia conspectus tui:idque in lumine san
cto spiritus sancti, quod est lumen omnium fidelium tuorum, vera
vita ex fidei lumine viuentium: atque ita tandem placere valeam ante
conspectum vultus tui,in illo perfecto & plenissimo lumine glorioso
tecum viuentium in sæcula sæculorum,Amen,

ANNO-

ANNOTATIONES IN PSALMVM LV.

VErsu 3. Ab altitud. diei tim. Videtur hæc pars versus legenda per modum interrogationis siue percunctationis, vt intelligatur responsio negatiua, nequaquam timebo: ac deinde, quasi per cõtrarij vehementiorem assertionẽ subiungatur, Imò verò ego in te semper sperabo, propter quod minime formidabo. Posset tamen legi absque quæstione ad hũc sensum, Ab altitudine quidem & superbia fastus sæculi, quantũ ad meã fragilitatem, ego timebo, conscius propriæ fragilitatis & tenuitatis: attamen qui in meipso timeo, in te domine sperabo, & in spe tua cõfortabor vehementer quãtumcunque tandẽ se eleuet altitudo diei. Intelligimus autem per altitudinem dici, superbiam & fastum prosperitatis huius mundi, quæ profecto simplicibus admodũ esset formidabilis, si non in illo spei haberent locatam fortitudinem, qui dixit: Confidite, quoniam ego vici mundum. ¶ Versu 4. In Deo laudabo sermones meos. Iuxta sensum, quem in Elucidatione explanauimus, videtur oratio accipi satis improprie: non ita tamen quin conueniens satis atq; probabilis videatur expositа intelligentia. Alij autẽ sic intelligũt, Laudabo & probabo sermones meos, qui de Deo fuerint. Alij rursum ita accipiunt, Sermones meos in Deo laudabo, hoc est, si quid loquor boni, nõ mihi ipsi aserbã: neque meipsum pro his laudabo, sed Deũ, à quo habeo vt bonum loquar. Sit suum cuiq; iudiciũ liberum. Nobis quod in Elucidatione positum est, & proposito & literæ aptius quadrare videtur. ¶ Versu 6. Ipsi calcaneum meum obseruabunt. Potest hæc obseruatio calcanei dupliciter intelligi. Primo veluti ad apprehẽdendum, atq; ita in terrã proijciẽdum, hoc est (vt apertius dicã) ad supplantandum & prorsus humiliãdum siue perdẽdum. Atque hoc pacto calcaneum obseruãt, qui insidias struunt ad supplãtationem proximi. Aliter, calcaneum obseruat, qui gressus siue viã cõsiderat innocentis, vt videat quomodo illum cõmodius seducat, & vbi facilius valeat nocere: sicque idẽ est calcaneum siue plantã obseruare, quod obseruare vestigia. Ambo autem hi modi in idẽ secundum rem coincidunt. Nocere enim cupit tam is qui ad supplantandum quærit apprehendere calcaneum, quã is qui ad seducendum obseruat vestigia simpliciter gradientis. ¶ Versu 9. Sic. in promiss. tua. Videtur hæc particula secundum sententiã coniungenda cum fine versus præcedentis, hoc modo: Posuisti lachrymas meas in cõspectu tuo, sicut & erat in promissione tua: hoc est, quemadmodum & tu fuisti pollicitus. Quod verò deinde sequitur, Tunc conuertentur inimici mei retrorsum, diuisim, legi debet, & quasi per se efficere sententiã. Quæ distinctio, in Psalterio Romano manifeste obseruata cõspicitur. ¶ Versu 10. In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui quoniã Deus meus es. Potest hoc primo sic intelligi, Ecce cognoui, quod tu Deus meus sis, in quacunq; die te inuocauero. i. quod vere Deus meus sis, custos, protector, prouisor, & pater optimus, quotiescunque, & quãdocunq; te inuocauero. Vel aliter ad hunc sensum: In quacunque die te inuocauero, ecce cognoscere me facis, & monstras hoc mihi tuo auxilio, quod vere Deus meus sis, Dominusque ac pater meus. ¶ Versu 12. In me sunt Deus vota tua, quæ reddã laudationes tibi. Cõstructio in hoc versu difficilis apparet, propter verborum (vt videtur) perturbatam implicationem: maxime autem propter nomẽ, laudationes, quod non satis videtur cum cæteris cohærere. Proinde hic ordo accipiatur sermonis: In me sunt Deus vota tua, quę reddam tibi, nempe laudationes: vt dictio laudationes, appositorie iungatur cum nomine, vota tua. Psalterium autem Romanum hoc loco sic habet, In me sunt Deus vota, quæ reddam, laudationis tibi. Cuius lectionis sensus satis planus est, In me sunt vota laudationis, quæ reddã tibi. Beatus autem Hieronymus, omisso relatiuo sic vertit, In me sunt Deus vota tua, reddam gratiarum actiones tibi. ¶ Versu vltimo, Vt placeam coram Deo in lumine viuentium. Ex Hebræo vertit Hieronymus, Vt ambulem coram Deo, atque ita vertunt & cæteri. Quod magis fauet priori expositioni in Elucidatione positæ, quæ de vita præsenti loquitur in lumine fidei: quàm posteriori, quę de vita futura in lumine gloriæ. Per fidem enim modo ambulamus, dum ad Deum tendimus. Tunc verò magis requiescemus, & (vt ita dicam) ociabimur in eo.

Ioan. 16.

LVI. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste post magnam tribulationem, atq; ab ea facta liberationem, videtur fuisse compositus in cõmorationem Diuini beneficij, & magnificationem gloriæ Dei. In quo statim post inuocationem de tribulatione, supernum describitur auxilium misericordiæ & veritatis Dei, quibus se de medio catulorum leonum fidelis homo confitetur ereptum. Post hæc, versu 7. in Deum præ nimio gaudio transiliens, breuiter q; vno versu commemorata sæuitia hostium, rursum in Deum resilit, paratum cor offerens ad cãtandas Dei laudes, seq; ipsum ad idem excitans, & musica instrumenta in spiritus eleuatione quasi rationabilia animantia alloquens atq; inuitans, quo laudem personare valeat pleniorem: vult quoq; confiteri & Psalmos dicere in omnibus gẽtibus, propter altissimam eius misericordiam & veritatem, quæ super omnes extenditur: sicq; in dulcissimo ad Deum transitu, canticum iucunditatis terminat: maxima spiritus exultatione.

QVINQVAGESIMI SEXTI PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniã in te confidit anima mea.* 2. *Et in vmbra alarum tuarum sperabo, donec*

MIserere mei Deus pijssime, & misericordiam tuam demonstra mihi, tuæ opis maxime indigo: quoniam spem meam in te reposuit, & fiduciam habet in te spiritus meus, tu inter tot tribulationes quibus præmor, vnicum es firmamentum fiduciæ meæ. 2. Et sub custodia protectionis tuæ sub alis potentiæ tuæ fixam habebo fiduciam spei meæ, donec finiatur iniquitas & crudelitas persequutorum meorum, & omnium qui

A *transeat iniquitas.*

3. *Clamabo ad Deũ altissimũ, Deum qui bene fecit mihi.*
4. *Misit de cælo, & liberauit me:* * *dedit in opprobriũ cõculcantes me*
5. *Misit Deus mĩam suã & veritatẽ suã:* * *et eripuit animã meam de*
B *medio catulorũ leonum*
* *dormiui cõturbatus.*

6. *Filij hominũ dentes eorũ arma & sagittæ: & lingua eorũ gladius acutus.*
7. *Exaltare super cælos Deus: & in omnem terram gloria tua.*
C 8 *Laqueũ parauerũt pedibus meis, & incurauerunt animam meam.*
9. *Foderũt ante faciem meam foueã:* * *& incide runt in eam.*
10. *Paratum cor meũ Deus, paratũ cor meum cantabo, & psalmum dicam.*
11 *Exurge gloria mea*
D * *exurge psalterium & cithara:*
* *exurgam diluculo.*

12. *Cõfitebor tibi in populis domine: & psalmũ dicã tibi in gẽtibus.*
13. *Quoniã magnificata est vsq; ad cælos misericordia tua, & vsq; ad nubes veritas tua.*
14 *Exaltare super cælos Deus:*

qui quærunt malum mihi: sub alis tuis requiescam & latitabo, neque egrediar, donec contra me stare videam aduersarios meos: qui si vel modicum à te abscederem, mox me quo vellent abriperent, agerentque mecum pro libito. 3. Sub his autẽ alis protectionis tuę positus, clamabo ad te Deum altissimum, in oratione mea pro auxilio & liberatione contra omnes hostes meos: ad te, inquam, pientissimum & liberalissimum benefactorem meum, cui⁹ ego toties expertus sum beneficia. 4. Me autem clamante & inuocante dominum, misit ipse desuper auxilium mihi, & in virtute potentię suę liberauit me ab omnibus inimicorum periculis: *deditque in opprobrium, & plane confusos effecit eos qui me conculcare volebant, & existimabant prorsus opprimere. 5. Per misericordiam suã & veritatẽ suã, Deus venit in auxilium mihi per misericordiã quidẽ iniuste patienti cõpatiens, per veritatem autẽ & iustitiã, iniuste persequentibus irascens: * sicque propter misericordiam & veritatem suã eripuit animã meam, & saluauit de hostibus ferocissimis, in modum catulorum leonũ, qui me obsidebãt per circuitum: * inter quos etiã dormiui cõturbatus, ita vt nullã præ timore haberim plenã requiem, sed etiã cum timore & conturbatione dormierim, quoties me quieti dedissem. Quomodo enim fieri posset, vt in medio tã rabidissimorũ & ferocissimorum hostium, securus absq; cõturbatione dormirem? 6. Catuli autem isti leonum quos dico, non illi sunt qui in syluis habitant irrationabiles bestię, sed impij sunt filij hominum qui adeò crudeles sunt, vt videantur dentes eorum arma atq; sagittæ, & lingua acutis gladius, hoc est, prorsus crudelissimi & sæuissimi sunt, maxime cupientes me pauperculum dilaniare, dilacerare & perdere. 7. Tu verò, ô Deus, super cælorum altitudinem magnificare & glorificare, & gloriam potentię tuę demonstra in vniuersa terra: fac vt vniuersi inhabitatores eius gloriam tuam & sublimitatem cognoscant, id quod maxime declaras cum innocentes misericorditer saluas de manibus potentum sæculi iniuste opprimentium, ipsos verò pauperum oppressores iusta sententia tua mittis in perditionem. 8. Vide domine studium malitiæ inimicorum meorum, vt sis ad miserendũ facilior. Ecce parauerũt pedibus meis laqueos mortis, in insidias struxerunt vt in mortem me capiãt, & detrahere quærunt ad nihilum vitam meã præcipitare, atq; deijcere laborant animã meã in mortem. 9. Foderunt ante me foueã, vt incaute inciderem in eã, mortisq; callidas insidias struxerunt & machinati sunt mihi: * verũ diuino iudicio factum est, vt ipsi inciderint in foueã quam fecerãt, vt in mortem ecciderint quam ipsi parauerãt mihi. Siquidem dominus iudex iustissimus, super impios reuoluit malum impietatis suæ. 10. Propter hoc ô potentissime Deus, paratum est cor meum, & modis omnibus iterum iterumq; paratum, ad te laudandum te glorificandũ tibiq; vt dignũ est, per omnia famulandum, cantabo coram te, & laudes dicã tibi, propter maximã gloriam tuã. 11. Exurge mihi alacriter omnis gloria mea, quicquid est in me roboris, quicquid virtutis, quicquid vigoris, quicquid fortitudinis ingenij, memoriæ, cæterarumq; virium: exurge mihi, inquam, prõpte & alacriter omnis decor meus & gloria, quæ intra me existis, siue secundum corpus, siue secundum animã aut spiritum, vt in tota virtute digne psallatur magnificẽtissimo domino: * & quo sit laus plenior, etiã instrumentis decantata musicis, accedite huc in manus meas psalterium & cithara: venite, vt in vobis Psalmum canam altissimo Domino: * & ego primo mane, admodum diluculo, exurgam de stratо quietis meæ, vt in tempore illo quietissimo simul & amœnissimo diuinas laudes cum alacritate valeam decantare. 12. Celebrabo te, laudemq; tibi dicam in gentibus, Domine: & in omnibus per vniuersum orbem terrarum diffusis nationibus populorũ te laudabo in Psalmis & canticis. 13. Iustum verò ac rationabile est, vt tibi psallam in omnibus gentibus & nationibus: quoniam misericordia tua magnificata, glorificata, & exaltata est vsq; ad cœlos: & veritas tua vsque ad nubes magnificata est, hoc est, vtraque adeò sublimis & excelsa est, vt à nobis comprehendi non valeat. Nemo enim sufficit comprehendere numerum & mensuram magnitudinis misericordiæ & veritatis tuæ. 14. Fac potentissime Deus, vt super cælos cognoscatur maiestas tua, fac per ostensionem potentiæ tuæ cognoscere homines altitudinem gloriæ & sublimitatem altissimæ maiestatis tuæ, quæ cælis est altior, &

Pſal. 7.

** & super omnem terram gloria tua.*

nec cælorum amplitudine siue altitudine comprehenditur, sed in im- E
mensum superexcedit altius: * & super omnem terram fac cognosci celsitudinem gloriæ tuæ, & in omnibus finibus orbis terrarum cognoscaris & habearis is qui vere es potentissimus Deus ac dominus vniuersæ creaturæ.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LVI.

ADuerte, hunc Psalmum satis cõmode totum exponi posse in persona Christi, de sua liberatione per resurrectionem gratias agentis patri. Potest etiã accipi in persona totius Ecclesiæ, gratias agentis Deo pro sua liberatione de manu dæmonum, hostium ferocissimorum, eiusq; gloriam magnificari, & nomen sanctificari postulantis. In Elucidatione autem, generalem tantũ expositionẽ dedimus, quæ etiã cuilibet iusto pro sua liberatione Deo gratias agenti conueniat. ¶ Versu 5. Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam. Duæ res sunt (vt ita loquar secundum humanũ captum) quæ Deum faciunt miseris de tribulatione clamantibus ferre auxilium. Misericordia enim facit, vt super iniuste persequutionem patientibus cõmoueantur viscera eius, sicque ad auxiliandum accurrat, maxime aduocatus. Deinde, veritas siue iustitia iram Dei excitat in vltionẽ, contra eos qui F
iniuste affligunt innoxios, atq; ita vltionem prouocat in illos, liberatis de angustia afflictis. Deinde, veritas siue fidelitas Deum veluti compellit opem ferre poscentibus miseris. Exigit enim veritas, vt seruet quæ est pollicitus. Propter hoc ergo, quia misericordia & veritas Deũ mouent ad miserendũ clamantibus, secundum nouum quendã loquendi modum hic dicitur misisse Deus misericordiam suam & veritatem, ad liberationẽ tribulati. Si verò hunc Psalmũ applicare maluerimus toti Ecclesię,
Ioan.14. & de salute generis humani accipere præsentẽ versiculum, intelligemus per misericordiã & veritatẽ
1. Ioan.1. Dei Christum dominũ, qui seipsum testatur esse veritatem, & quem Ioannes testatur esse propitia-
1.Cor.1. tionẽ pro peccatis totius mundi. Paulus verò, iustitiã & iustificationem nostram: per quam sane Dei misericordiã & veritatem, genus humanum vniuersum, ereptum est de medio catulorũ leonum, inter quos cõturbati dormiebant. i. de manu, potestate & societate dæmonum, in quorum medio iacebant in idololatrijs & peccatis suis. ¶ Versu 9. Foderunt ante faciem meã foueam. Ante faciem meã, improprie dictum est, pro ante me. Siquidem ante faciẽ, proprie sonat, ante conspectũ, vel in oculis, meis siue me aspiciẽte. Quomodo autẽ volens ponere insidias, eas ponet in oculis meis? Quomodo me aspicente fodiet foueã, qui me velit in eam incidere? Nonne magis occulte fodiet? Intelligatur ergo, Foderunt ante me foueam. i. insidias opportunas posuerunt, in quibus me existimabant compre- G
hendere. B. Hieronymus vertit, Foderunt ante me foueam. ¶ Versu 12. Confitebor tibi in populis domine, & psallmum dicã tibi in gentibus. Possunt hæ duæ particulæ accipi, vt idem valeant, sicque propter vehementiam eiusdem sententiæ posita replicatio: id quod frequenter fieri solet. Alij autẽ malunt diuisim intelligere, priorem quidem partem de Iudæis, posteriorem de gentibus. In vtriusq; enim populis confessio datur nomini domini, postquam Deo placuit suam gloriã manifestare mundo. Potest autẽ illud in populis & gentibus, intelligi, inter populos & gentes, vel super populis ac gẽtibus: quoniã videlicet vbiq; gentium suam misericordiam Deus ostendit. Quod autem in versu sequenti dicitur, Magnificata est vsq; ad cælos misericordia tua, & vsq; ad nubes veritas tua, satis intelligitur ex ijs quæ dicta sunt in annotationibus Psalmi 35. circa ver. 5. eiusdem Psalmi, qui fere idẽ est cum huius penultimo. Sic enim illo in loco admirans exclamat Propheta sanctus, Domine in cęlo misericordia tua, & veritas tua, vsque ad nubes. Nolumus autem quæ illo in loco semel dicta sunt iterare denuo, ne nimia & superflua prolixitate adferamus properanti lectori molestiam.

LVII. PSALMI ARGVMENTVM. H

PSalmus iste qui sequitur, magna & admodum singulari vehementia contra impios iniqua cogitantes, loquẽtes, & operantes, inuehitur. In quo Propheta velut profundum impietatis & cordium latibula conspiciens, amara vel interrogatione impios aggreditur, inueteratam ab infantia eorum malitiam, atq; in malitia cõtinuum profectum describens: ac deinde etiam obstinationem in impietate, quam pulchre admodum per comparationẽ aspidis aures suas obturantis, vt non audiat vocem incantantis, depingit. Atq; hæc vsq; ad versum sextum. A quo deinde, impiorum punitionem multiplici comparatione describit, per confractionem leoninorum dentium: per aquæ defluxum, per ceræ liquefactionem, per spinarum in ira subitam absorptionem: tandem verasibus duobus nouissimis gaudium subiungens, atq; profectum bonorum, in punitione impiorum.

LVII. PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Si vere vtiq; iustitiã loquimini? * recte iudicate filij hominum.*

VOs ô filij hominum, ô impiorum congregatio, an verẽ quod iustum est loquimini? an vobis vtique videmini loqui iustiam? num iusti & recti vobis videntur sermones vestri? * & æquo libramine iudicate, diligenter trutinate & expendite, ô filij hominum, num (vt interrogo) vero loquamini iustitiam, ne forte vobisipsis blandientes, malum dicatis bonum, aut bonum malum, id est, iustitiam esse persuadeatis quod vere iniustitia est.

2. *Etenim in corde*

2. Et quomodo hoc vobis persuadere poteritis, quod loquamini iniu-

A *iniquitates operamini in terra: * iniustitias manus vestræ concinnant.*

iustitiã, quãdoquidem in corde vestro iniquitates operamini super terram, in cordibus & cogitationibus vestris iniquitatem voluentes atq; meditantes, quomodo scilicet iniquitatem faciatis cũ proximis vestris * & ex cordis plenitudine manus vestras ad iniustitiã faciendam componitis, non tantum corde malitiã concipientes, sed meditatã etiã opere sedulo perpetrãtes. Quomodo ergo iustitiam loqui poteritis, cũ & cor, & manus plena sint impietate? 3. Homines impij in iniquitatibus suis reprobi, alieni facti sunt à Deo, ab eo ipso tẽpore quo egressi sunt de vulua matris suæ, à tẽpore quo egressi sunt de vtero errauerũt à via iustitiæ: ab infantia sua, per opera praua sese alienauerunt, & extraneos fecerunt à domino: habẽtes in sese primũ ipsam ab origine inditã carnis corruptionẽ, qua ad omne malũ proni facti sunt, deinde, parentum sui similiũ malã institutionẽ & exempla pessima, quibus corrupti sunt vt tanquã viperarũ fierent genimina, atq; ita cũ ætate semper proficiẽtes in malitia, continuo amplius sunt elongati à Deo atq; iustitia: * loquuti sunt falsa cõtra proximos suos, mentientes & detrahẽtes in malum eorum, suis mẽdacijs & falsis accusationib⁹ etiã innocẽtes in mortis discrimen adducentes. 4. Obdurata illorũ aduersus bonos iracundia, inueterataq; & obfirmata inuidia aut indignatio illorum qua contra bonos aguntur, est ad modũ venenati serpentis, q⁹ suũ virus quærit in hominẽ (siue per impetum, siue per insidias) effundere, vt noceat. Sic enim & ipsi modis omnib⁹ crudelitatem irę suæ cupiunt in innocẽtes, siue per vim, siue per insidias ostendere: * specialiter verò serpenti aspidi comparantur, qui surdum seipsum facit obturãdo aures suas. 5. Qui serpens ad hoc surdũ facit seipsum, & aures obturat, vt nõ cupiat auribus vocẽ eorum qui per magię incantamenta norunt certis quibusdã carminib⁹ angues ad mansuetudinẽ cogere, vt venenum ponãt: * vt nõ exaudiat, inquã, vocẽ veneficij ac magi, quantũuis sapiẽter & scienter iuxta artem suã facit incãtamenta. Ad hunc nãq; modum & isti in sui furoris veneno obstinati, aures suas obturãt, vt nullis monitionibus quãtumlibet dulcibus, nullis exhortationib⁹ quãtumuis pijs atq; efficacibus, valeãt à ꝓposito malitię suę reuocari, vt venenum furoris sui ponãt, & in mãsuetudinem redigantur. 6. Et quoniã ipsi in sua malitia obstinati permanẽtes, nullis sese patiuntur modis à ꝓposito reuocari
3. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero:

** loquuti sunt falsa.*

B

*4 Furor illis secundum similitudinẽ serpentis. * sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas.*

5. Quæ non exaudiet vocem incantantium.

** & venefici incantantis sapienter.*

C

*6. Deus cõteret dentes eorum in ore ipsorum: * malas leonum confringet dominus.*

*7. Ad nihilũ deuenient tanquã aqua decurrẽs: * intendit arcum suum donec infirmentur.*

D

*8. Sicut cæra quæ fluit auferentur: * supercecidit ignis, & non viderunt solem.*

*9. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhãnum: * sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.*

*10. Lætabitur iustus cũ viderit vindictam: * manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

11. Et dicet homo, si

iccirco ictu grauissimę punitionis feriet illos vltor omnis iniquitatis Deus omnipotens, sicq; eos grauiter in maxillã percutiet, vt dentes cõ Psal.3.
fringat, qui sunt in maxillis oris eorũ: * ferocissimorũ illorũ leonũ maxillas vel molares dentes, dentes robustissimos cõfringet, hoc est, punitione grauissima æternę dãnationis feriet illos (tametsi videãtur fæ-
ui & fortissimi) qui est omnipotens. 7. Dilabentur in nihilũ, omni eorum ablata potestate, & omni pereũte eorũ robore, quẽadmodũ aqua quę decurrit in terrã, & dilapsa absorbetur ab arente terra: * extendit omnipotens ad vindictã aduersum illos potentiã suã, vt pro remuneratione seu pręmio malorum operum, ad summã humiliationem atq; afflictionem æternã perducat eos: neq; poterunt euadere in omni virtute sua extentam manũ ipsius. 8. Auferentur de terra viuentium, & in perditionẽ abibunt, ad modũ cęre liquescẽtis à calore ignis nimii. Sic enim & ipsi tabefient, dissoluẽtur, & vera perditione cõsumentur, à facie caloris iracundiæ Dei: * cecidit super eos ignis furoris & iracundię Dei, tetigit eos ira Dei, & proiecti sunt in perditionem ęternam in tenebras exteriores & sempiternas, vbi imperpetuum non videbunt lumen. 9. Priusquã spinæ eorum peruenirent & crescerent vsq; ad rham Matt.22.
nos, antequã eorum malitia potuit in perfectum excrescere, antequã iuxta propositum ad plenum effectum perducere potuerũt conceptã malitiã: * subito de vita abripiet & absorbebit illos vltio furoris Dei, quasi viuos proijciẽs in infernum: antequã credãt ipsi, repente veniet super eos inexpectata Dei vindicta, quę illos inopinato rapiet, quasi in tẽpestate, de medio viuentium, cõijcietq; in lacum mortis & inferni. 10. Iustus verò & innocẽs cum viderit vltionẽ Dei in impios, ipse afficietur gaudio: partim quidẽ vt cõgaudens diuinæ iustitiæ rectitudini, partim verò sua causa, videns se Dei misericordia talẽ dãnationem euasisse, insuper & de condẽnati peccatoris manu liberatum: * profectum quoq; accipiet ex vltione facta in impiũ, dum seipsum studebit magis elõgare in omni impietate, & in operibus virtutũ, quibus solis illa impiorum pœna effugitur, amplius exercitare. 11. Et cum viderint ho-

vtiq; est fructus iusto, vtiq; est Deus iudicans eos in terra.

mines seuerā impiorum vltionē, dicent adinuicē, atq; intra seipsos fide E
liter loquentes, Profecto vtiq; iustis merces est suæ iustitiæ, profecto
vtiq; Deus est qui iudicium facit in terra inter filios hominū, discernēs
iustos ab impijs. Nequaquā ita est vt impij existimabant, nō esse iusto
suę iustitię remunerationē, neq; impiū suę impietatis manere vltionē:
sed in veritate est vnicuiq; sua merces repolita, quę licet ad temp⁹ mo-
dicū differatur, suo tamen tempore opportunè reuelabitur: quemad-
modum ia experientia nobis in hac impiorum punitione demonstrat.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LVII.

VIdam ea quæ in hoc Psalmo dicuntur de malitia & punitione impiorum, peculiariter appli-
cant Iudæis in odio Christi obstinatis: alij cōsiliarijs impi Saulis. Nos in Elucidatione genralē
tenuimus explanationēm, neq; ad hos, neq; ad illos restringentes intelligentiam sic tamen vt liberum
sit vnicuiq; referre quo voluerit. ¶Versu 1. Si vere vtique iustitiā loquimini? recte iudicate filij ho-
minum. Hunc versum secundum accentū diuersimode licet proferre: In Elucidatione Siquidē prio-
rem partē secundum interrogationis accentū exposuim⁹, posteriorē verò secundum exhortationē, F
velut cum increpatione & amaritudine prolatam, vt primum proponatur quæstio, moxq; subdatur
admonitio, vt de responsione bene deliberent & diligenter de eo quod interrogatur, sese examinēt.
Alij verò totum absq; interrogatione legunt in hunc sensum, Si vos ò filij hominum loquimini iu-
stitiam, si ea quæ bona sunt loqui nostis, vel naturali lumine vel lege instructi, ne existimetis id vo-
bis esse satis, sed pergite recto iudicio iudicare quæ loquimini, vt sic scilicet agere decernatis in ope
re, quomodo sermo vester sonat in ore. Nihil enim prodest ore loqui iustitiā, si cor meditetur, ma-
nusq; operetur iniustitiā. Deinde recto ordine cōsequitur, Atqui vos iniquitates operamini in cor-
de, & manibus cōponitis iniustitias. Rursum & alia patest dari cōmoda sententia talis, O filij homi-
Matt.12. nū, recto ac vero iudicio iudicate, num verè vtiq; loquamini iustitiā. i. passionibus malis sepositis, re
cto iudicio apud vosipsos expendite, an cū & de proximis vestris loquamini quæ recta ac iusta sunt,
& nō magis quæ iniqua, quæ impia, quæ proximis noxia. Ecce enim iniquitatem cogitat cor vestrū,
& manus operatur iniustitiā: & quomodo poteritis bona loqui, cum sitis malī corde & opere? In hac
autē expositione, coniunctio etenim in versu sequenti posita, proprie accipi poterit, vt causalitatem
notet, vel occasionem præcedentis admonitionis. Iuxta verò secundā videtur accipienda magis vt ad-
uersatiuæ significationis, loco sed, siue veruntamen. ¶Versu 2. Etenim iniquitates in corde operami G
ni. Operari in corde iniquitates non aliud videtur esse, quam corde voluere & meditari, sicq; modo
quodā velut fabricare iniquitates. Malum enim quod in corde concipitur, ac tādem de corde per os
vel opus progreditur, recte dici potest in corde operatum. ¶Versu 3. Alienati sunt peccatores à vul
ua, errauerunt ab vtero. Duæ hæ particulæ idem valent. Dicuntur autem peccatores alienati à vul-
ua, & ab vtero errātes, quia ab egressu ex vulua & vtero, hoc est, statim ab infantia, semper in malitia
proficientes: quomodo per cōtrarium, quos à puero virtuti deditos nouimus: dicimus iā inde ab v-
tero & à vulua quæsiisse dominum. ¶Versu 4. Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Ferunt,
serpentes carminibus cogi vt virus ponant, & māsuescant. Aspidi ergo surdæ. i. obturanti aures suas
ne vocem audiat incātatoris (qui illi quidem nihil nocere cupit, sed tantum ex latibulo eā educere,
& veneno abiecto in mansuetudinem redigere) cōparat Psalmista homines in malitia obstinatos, qui
aures claudunt, nequādo educantur de horridis latibulis pessimarum cōscientiarum suarum, nequā-
do resipiscant ad pœnitentiā, aut posita iniquitate ad virtutem conuertātur: qui scilicet nec internis
Dei inspirationibus, nec externis bonorum exhortationibus, nec vllis cōgruis medijs se patiuntur
ad virtutem adduci: qui dicunt Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Tales sese
Iob.22. monstrabāt Iudæi, quādo Stephano pleno gratia & fortitudine veritatem ipsis annunciāte, cōtinue- H
Actu.7. runt aures suas, ne audirent verbum salutis: & impetu facto, venenum effuderunt in sapienter incātan
tem. i. lapides insaniæ suæ miserunt in virum sanctum, veritatis doctrinā salutarem incantationē illis
proponentem. Nemo verò ex hoc putet, magiā siue artem magicā probari à scriptura. Nō enim hic
facit magiæ mentionem, vt eā cōmendet, sed tantum ad accipienda aptam proposito comparatio-
nem. Est enim hæc scripturarum vsitata libertas, vt etiam rebus malis & turpibus secundum cōpara-
tionem bene vtatur. Cæterum quod de aspide vulgo adducitur, quod ad euadendum incātationem
magi, ne audiat incātatoris carmina, altera aurem terræ adfigat, alterā cauda obturet: si verum esset,
nō male, neq; magno negotio secundum misticam intelligentiā proposito posset accōmodari. Non
est tamen necesse, ad propositi loci explicationem, rem illam incertā adferri: præcipue, cum ij qui ex
professione animalium naturas speciatim descripserunt probati autores, nihil tale de aspide tradide
rint. ¶Versu 6. Deus cōteret dentes eorum in ore ipsorum. Quo modo per dentium in ore confra-
ctionem intelligatur grauis vltio, siue percussio, latius diximus in expositione Psalmi tertij, circa ver
sum penultimum, qui sic in Hebræo habetur, Percussisti inimicos meos in maxilla, dentes impiorū
cōfregisti. In secunda autem parte, per molas leonum intellige molares. i. dentes fortissimos & fir-
missimos, quibus potissimum molunt ac terunt quod manducāt. Vnde tā Hieronymus quā Felix,
molare verterunt: quanquā possunt per molas intelligi & mādibulæ siue ipsæ etiā maxillæ, cōtinen-
tes molares dentes. ¶Versu 7. Intendit arcum suum, donec infirmentur. Clarior esset sententia, si lo
co infirmentur, poneretur cōterantur, quemadmodum vertit B. Hieronymus, Intendit enim arcum
suum Deus. i. vltionem dirigit contra impios, donec ad intentionem & perditionem perducat eos,

pro

A pro suis meritis. ¶Versu 8. Supercedit ignis, & nō viderunt Solem. Quidā intelligunt de igne malæ
cōcupiscentiæ: quo cadente super impios, & eorū intima occupante, inq; eis acquirente dominium,
obscurantur ne videant solē, illum videlicet de quo in lib. Sapientiæ dicitur, Sol intelligentiæ nō est Sapien. 5.
ortus nobis. Atq; ita sensus erit, Deū cæli, vel lumen cęli, lumen spirituale nō viderunt, nō in sese su-
sceperunt, quoniā capaces fieri noluerūt. Nos autē in Elucidatione ignem infernalē fumus interpre
tati, & solis priuationē, carentiam luminis æterni, & perpetuas tenebras: iuxta quod in Psal. 48. de im Psal. 48.
pio dicitur. Introibit vsq; in progenies patrū suorum & inæternū non videbit lumē. ¶Versu 9. Priu
quā intelligerent spinæ vestrę rhamnū. Nouo loquēdi modo, secundū expositionē in Elucidatione
posita, dictum est, Priusquā intelligerēt spinę rhanum, loco huius, Priusquā experirentur spinæ rhā-
num, hoc est, Priusquā peruenire possent vsque ad rhamnū, & in rhamnum excrescere, siue ad rham
ni perfectionē pertingere. Inter spinas autem & rhamnos hæc videtur differētia, quod spinæ tenerio
res sunt, & licet pro sua acutie pungentes, tamē propter teneritudinē fragiles & facile cōfringibiles,
neq; vsqueadeò formidabiles. Rhamnus verò rubus est, aculeis acutissimis & admodum duris in re-
ctum extēsis: feruntq;, vnū esse è generibus sentiū asperrimū, ac proinde maxime ad dilacerandū vali
dum. Cōstat ergo, secūdum perfectum & imperfectum accipiendā hanc cōparationem spinarum ad 1.Cor.10.
B rhamnum. Impij enim priusquā perfectam pro suo placito acquirant nocendi potestatē, quasi spinæ
sunt, pungentes quidē semper, & ab initio quantum valent nocētes: verum priusquā in rhamnos ex-
crescant, Dei iusto iudicio (qui pro nobis semper facit cum tentatione prouentū) subito auferuntur
de medio viuentium, & quasi viuentes cōijciuntur ante tempus in baratrū mortis: sicq; vsq; ad rham
ni mensurā, acutiem & duritiem peruenire non permittuntur, ne fiāt electis intolerabiles. Hinc & de Matt. 24.
illa pessima spina (quā proferet in sui cōsummatione sæculū istud nequam, abundante malitia) filio
perditionis Antichristo, ex ore domini dictum audiuimus, quod propter electos succidetur, & priu 2.The.2.
quā in rhamnū excrescat, subito absorbebitur in ira domini: quando (vt Paulus Apost. ait) interfi-
ciet illum dominus Iesus spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, Sic & in dignis fide hi
storijs, diuina dispensatione frequenter euenisse legimus pessimis istis spinis, quod cum iam rhamno
fierent proximæ, ita vt bonis & electis inciperet fieri intollerabilis eorum crudelitas, succisi sunt &
absorpti, priusquā ad extremū pertingerent. Quod autem in secunda parte dicitur, Sicut viuentes, si-
cut in ira absorbet eos, secundum eum modū accipiendum videtur, quo supra dictum est, Descen- Psal. 54.
dant in infernum viuentes: ad significandum videlicet subitam & apertā punitionē: quemadmodum Num. 16.
viui leguntur Dathan & Abyron descendisse in infernum. Inducunt autem alij alias huius loci ex-
C positiones, quas propter confusionem vitandā omittimus. Illud autem diligenter notādum, non re-
cte quosdā codices habere, Sicut viuētes, sic in ira absorbet eos: priore loco sicut, posteriore ponen
do, sic. Hæc enim variatio dictionis, prorsus turbat rectā intelligentiā: sed legendū est vtrobiq; sicut, Sapie.1.
hoc modo, Sicut viuentes, sicut in ira absorbet eos. Nam & in Græco vtrobiq; eadē dictio ponitur:
ὡσεὶ ζῶντας, ὡσεὶ ἐν ὀργῇ. Et B. Hieronymus eadā dictione vertit, Quasi viuentes, quasi in ira, tēpestas ra
piet eos. ¶Versu 10. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. Quomodo Deo non est beneplacitum
in morte peccatoris, neq; delectatur ipse in perditione hominum: sic neq; viri iusti, qui Deo confor
mes esse debent in omnibus, oblectantur in perditione malorum, neq; in ipsa eorum punitione per
se gaudiū aut beneplacitum habent. Non erga sententia huiusmodi ex versu præsenti accipi debet,
quæ prima facie se offert, sed ea quæ in Elucidatione exposita est, de congratulatione & applausu re
ctitudinis iustitiæ Dei, simul & de euasione propria ab horribili illa dānatione, in qua impios illos
sub se positos cōspicient. ¶Versu vltimo, Et dicet homo, si vtiq; est fructus iusto. Hunc versum in
Elucidatione ita explanauimus, vt absque vlla interrogatione cum assertione totus pronuncietur:
secundum quā expositionem, cōiunctio si improprie accipi debet, vt nō in dubitationem aut condi-
D tionē aut interrogationem denotet, sed magis assertionem: secundum quē modū ex Hebræo vertit
Hieron, mere assertiue: Et dicet homo, vere fructus est iusto, verè est Deus iudicās in terra. Similiter
etiā vertit Felix, nec aliud habet Chal. Para. Estq; huius lectionis sensus, ac si dicatur. Conspecta hac
impiorum vindicta vulgo dicent, vel vnusquisq; homo apud se dicet, experientia doctus, Profecto
(vt video) fructus est iusto, & vtiq; Deus est iudicans in terra. Cui satis consonat quod habet Parap.
Chald. Et dicent filij hominis, profecto est præmium bonum iusto, profecto est Deus cuius iudicia
extenduntur in terra. Alij verò vulgatā nostram lectionem ita distinguunt, vt illud si vtiq, est fructus
iusto, per modum interrogationis proferant: id verò quod subsequitur, tanquam responsionē adiun
gant, in hunc sensum, Quæret igitur nunc homo, post dicta hæc omnia, an verè merces sit iustis pro
sua iustitia. Indubie sciat iusto mercedem expectandam suæ iustitiæ: quoniam verè est Deus in terra,
iudicans inter bonos & malos, iusto & æquo iudicio. Alij verò totam orationem vno contextu sic
accipiunt, vt conditionalis vel potius causalis sit enunciatio, ad hunc sensum: Et dicet homo, quo-
niam vtique est fructus & merces à Deo, iccirco necesse est Deum esse iudicem impiorum in terra,
qui pro iustis contra impios debitam faciat vltionem. Quemadmodum enim pijs bona reddit præ-
mia Deus, sic ex aduerso consentaneum est, malis illum reddere mala.

LVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

EX tituli indicio claret, *hunc Psalmum fuisse à Dauide compositum, postquam Saul missis militibus iussisset* 1.Reg. 19.
custodiri & obsideri domum eius, vt adducerent eum ad interficiendum, quando per artificium Michol
vxoris pro Dauide statuam in lecto repouentis, atq; ægritudinē viri simulantis, fuga euasit manus Saul & mi-

litum ritu. Vnde totus hic Psalmus magna vehementia in impios & crudeles huiusmodi homicidas inuehitur: nunc ipsorum crudelitatem & impietatem, nunc eorundem punitionem condignam describens. Et primum quidem suam proponens innocentiam, postulat à Deo peculiariter suam liberationē: ac deinde generaliori deprecatione, vniuersarum gentium misericordem visitationem pro omnibus vbiq; terrarū, simili qualem ipse experiebatur malitia oppreßis, subiungens deinde per versus plures impiorum multiplicem peruersitatem & condignam retributionem, in laudis proposito, cum gaudio spiritus liberatori domino Psalmum claudit.

QVINQVAGESIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

1. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

2. Eripe me de operantibus iniquitatē, & de viris sanguinū salua me.

3. Quia ecce ceperunt animam meam:
**irruerunt in me fortes*

4. Neq; iniquitas neque peccatum meum domine: sine iniquitate cucurri & direxi.*

5. Exurge in occursum meum, & vide: & tu domine deus virtutum, Deus Israël.*

6. Intende ad visitādas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.*

7. Conuertentur ad vesperam, & famem patiētur vt canes: & circuibunt ciuitatem.*

8. Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit.*

9 Et tu domine deride eos: & ad nihilum deduces omnes gentes.*

10. Fortitudinem meā ad te custodiam:

Psal.32.

SAlua me Deus saluator meus, de manu aduersariorū meorum, & ab ijs qui in me sæuissima persequutione insurgunt libera me, vt cordis sui desiderium in me nequeant adimplere, te conatus eorum faciente irritos. 2. Erue me ab operarijs iniquitatis, ab hominibus peruersis, qui mala meditantur contra me: & ab omnibus homicidis sanguinem innocentē sitientibus, quærentibus mortem meā, saluum me facito, vt non oblectari illos permitF tas in omnimoda perditione mea. 3. Ecce enim quasi canes rabidi venati sunt, & quasi ceperunt venatione pauperculam animam meam, dum permissione visi sunt acquisisse potestatem super me, ad me afficiendū morte:* irruerunt super me valenter impetu magno, potentes aduersarij, tota virtute & potestate sua quærentes me perdere. 4. Neq; tamē iniquitas aut peccatū vllum in me est, propter quod me persequi debeāt: non est in me offensa aduersum illos, propter quā cum ratione me valeant persequi: nihil illis nocui neq; quicquam peccaui aduersus illos, quemadmodum tu Deus optime nostri:* Nam absq; iniquitate viam vitæ huius ego perambulaui cum magna diligentia abstinens ab omni offensa & peccato, & direxi vitā meam in via innocentiæ, vt non valeant habere aduersarij mei causam rationabilem persequutionis meæ. 5. Tu ergo domine, qui optime nosti innocentiam meam, exurge mihi in occursum: surge pro me, & veni ex aduerso, quasi obuius fact*
mihi, & attende ad me siue ad causam meam, ad ferendā opem iniusteG patienti, ad faciendum pro iniuste oppresso iudicium vltionis:* Et tu ô potentissime Deus, exercituū cælestium dominus, qui es Deus Israël populi tui. 6. Intende, quæso te, & cor appone ad visitādos omnes populos per vniuersum orbem terrarum, & quasi iudex vniuersalis attendas ad omnes qui vbiq; locorum ab impijs patiūtur calumniam, & attendens facias pro eis iudicium. Neque enim solus ego sum qui iniuste patior, sed vbiq; gentium video regnare improbitatem, & bonos à malis iniuste opprimi: propter quod generalem peto fieri in omnibus gētibus visitationem tuā:* non miseraris, non parcas omnibus qui ex prauitate & malitia animi operātur aduersum bonos iniustitiā, qui proximos & innocētes opprimunt per fraudem & malitiā: sed exerce contra illos vltionem & vindictam tuam. 7. Ipsi sera pœnitentia ducētur, cum aduenerit iudicium eorum, ficq; velut ad vesperā nimium sero conuertentur: & quia non in tempore opportuno ad veritatem conuersi non sunt, perpetuo famelici permanebunt, & fame vehementissimaH ac rabidissima torquebuntur, cuiusmodi est fames canum:* & non poterunt intrare in ciuitatem requiei vbi panis est sacietas, sed exclusi erunt ab ea: & clausa ianua, velut per circuitum ambulare, eamq; circuire cogentur, neq; introire poterunt, vt cū bonis cibum sumāt: sed foris permanebūt, vt perpetua esurie velut canes rabidi esuriant. 8. Ecce enim nō aliud quā iniquitatē & iniustitiā loquuntur in ore suo, & quasi gladium habēt in labijs suis: dum nihil aliud quā de nocendo & perdēdo, de interficiēdo de opprimendo loquūtur aut cogitant:* idq; faciūt sine timore, tanquā si nemo audiret eorum praua cōsilia, veluti adinuicem dicentes. Quis sciet quæ nos agimus & tractamus? quis videre possit? quis pro hoc nos possit arguere? quasi nō sit Deus, qui cuncta eorū secreta consilia audiat, & reponat in iudiciū. 9. Tu verò domine illorum impios conatus ridebis, & ridiculas facies cogitationes eorum: dū tua potētia, vbi volueris, illorum omnia cōsilia & omnes cogitationes potes nullo negotio infringere:* tibi pro nihilo est fortitudo atq; potentia omnium populorum, & quasi pro nihilo reputabis, ac veluti nihilum superare potes omnes populos, ita vt dissipare possis pro tuo placito cōsilia getium, & cogitationes populorū reprobare, atq; in nihilum redigere. 10. Et ego ad te seruabo fortitudinē meā, non deficiam viri-

A ** quia Deus susceptor meus es:* Deus meus, misericordia eius præueniet me.*

11. Deus ostendit mihi super inimicos meos:
**ne occidas eos, nequādo obliuiscantur populi mei.*

12 Disperge illos in virtute tua, et depone eos:
B *protector meus domine*

13. Delictum oris eorū & sermonem labiorum ipsorum: & cōprehendātur in superbia sua.*
14. Et de execratione & mendacio annunciabuntur in ira cōsummationis, & non erunt.*
C

15. Et sciēt, quia Deus dominabitur Iacob, & finium terræ.

16. Cōuertentur ad vesperam: & famem patientur vt canes,* & circuibunt ciuitatem.*
D *17 Ipsi dispergentur ad manducandum,* si verò nō fuerunt saturati, & murmurabunt.*
18. Ego autem cātabo fortitudinem tuā, & exaltabo mane misericordiam tuam.*
19. Quia factus es susceptor meus & refugiū meum, in die tribulationis meæ.
20. Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus

viribus, tametsi ad tēpus duret afflictio: sed fortis & inuictus perstabo in perseuerantia virtutis ac fortitudinis meæ:* quoniā scio quòd tu domine susceptor atq; defensor meus es, qui nequaquā me derelinques sed in opportuno tēpore auxilium & salutē adferes:* Deus meus misericordia tua præueniet me, vt in tēpore opportuno succurrat mihi laboranti, antequā succumbam, antequam deficiam. 11. Non solum autem misericordia tua mihi aderis, præueniens periculum, verumetiam indicasti mihi de vltione inimicorū meorū, quid facturus sis eis: * ego tameōro, ne subito occidas eos, & protinus interficias in mortē: ne sic per obliuionem & desidiā torpeāt populi mei, ne deficiente exercitio negligant, & negligenter agant boni serui tui. Bonum enim est malorum improbitate exerceri seruos tuos, ne mala securitate torpeant, aut negligenter siue obliuiose agant, sed iniquitatis potius stimulis excitati vigilanter se gerant in operibus tuis. 12. Attamen dispersde illos domine, & potestatem eorum dissipa, atq; prohibe per fortitudinem tuam: & humilia eos, ac deijce à proposito malitię suæ, & de potestate sua illos depone, vt non quantum velint valeant nocere, sed quantum tu satis esse nosti, ad salutarem exercitionem & bonum profectum populorum tuorū. 13. Propter delictum oris eorum, & propter sermonē labiorum ipsorum, quoniā per os suum & labia sua non aliud loquuntur, quàm impietatem & iniustitiam contra proximos suos: quam vt implere non possint, postulo impediri, & dispergi eos potentia tua: * superbia & vanitas cordis eorum sit ipsis in confusionem, & comprehendat, atque in laqueum inducat eos superbia eorum. 14. Et propter abominationem & mendacium (quæ operantur) accusabuntur, & tanquam punitione digni numerabuntur in consummatione malitię suę, postquam fuerit consummata & matura eorum impietas:* siue in sæ- Matt.25.
culi consummatione, quando non amplius cum tritico permittentur zizania, sed separabuntur in caminum ignis:* annunciabuntur (inquā) ita in ira consummationis, in tempore quo manifestabitur ira iudicis terribilis, ad consummationem & perditionem impiorum omnium, electorumque beatam præmiationem:* ac tunc quidem in perditionem mittentur æternam, & non erunt vltra in numero viuentium, sed quasi non sint, in morte æterna erunt. 15. Et tunc reipsa cognoscent & videbunt, quod Deus dominetur populi sui, & seruorum suorum faciat iudicium in vniuersa terra: cum viderint hos quidem de malo liberatos, se verò in perditionem æternam conjectos: cum viderint hos ante conspectum Dei in vitam inductos, se verò à vultu Dei in mortē reprobatos: hoc (inquam) modo cognoscent, quòd vere Deus dominus sit & iudex in terra, qui suo tempore, vnicuiq; iustum adducet iudicium. 16. Tunc verò sera ducti pœnitentia, intra se dolebunt, & angu Sapien. 5.
stiabuntur præ timore horribili, cum perditionem senserint, dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes, Ecce quomodo facta sunt nouissima nostra sine honore, & perditio ac mors in portionem venerunt nobis:* & esurie æterna punientur vt canes rabidi, pro temporali affluentia qua in hoc sæculo de pauperum rapina fuerint satiati:* & clausa ianua, ibunt per circuitum ciuitatis sanctorū vbi est copia panis: & non poterunt intrare in terram fertilitatis, in ciuitatem abundantiæ, in societatem sanctorum Dei. 17. Dispergentur cum se in die illa cōsummationis egentes inuenerint, & quasi desperati huc illucq; cursitabunt, sicubi valeant inuenire quod comedant, volent tunc exire ad emendum panē, & in lampadibus oleū, sed heu serò Matt.25.
nimium:* & cum viderint se non posse saturari, cum non potuerint cibū vitæ adipisci, eo quod nimium serò & inopportuno tēpore quę fierint, loquentur male, & blasphemabunt aduersus iustitiam Dei omnipotentis, qui tale contra ipsos protulerit iudicium. 18. Ego autem simul & omnis iustorum Ecclesia, illis blasphemantibus, cātibimus virtutem fortitudinis tuæ, quam in impiorum punitione potissimum ostendis: & exaltabimus opportuno tempore, primo diluculo, in tranquillitate cordis & corporis, altissimam misericordiā tuam, quā exhibes potissimum in saluatione sanctorum tuorum. 19. Tu enim factus es defensor noster & refugium nostrum in tempore tribulationis nostræ: tu nos in defensionē atq; protectionem suscepisti, vt in tempore tribulationis nos defendas ab insultibus aduersariorum nostrorum. 20. Tibi ego psallam, & laudes cātabo omnibus diebus vitę meæ, atq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

meus *misericordia* etiam in perpetuis æternitatibus,ô potentissime & fidelissime auxilia E
mea. tor meus:tu enim vere defensor meus es, tu (inquam) domine Deus meus,qui es misericordia mea, qui facis mecum pro tuo beneplacito misericordiam.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LVIII.

TOtum hunc Psalmum expositores quidam catholici non incõuenienter personæ Christi applicant,ad patrem pro Iudæorum oppressione clamantis,& per resurrectionem de manibus illorum saluari postulantis. Atq; hi,punitionem quæ in hoc Psalmo describitur, de Iudæis peculiariter interpretantur,idq; satis rationabiliter:quemadmodum in annotationibus consequentibus suo loco monstrabimus.Nos tamen(vt in alijs plerisque Psalmis)totum etiam hunc generali expositione in Elucidatione prosequuti sumus,vt siue personæ Christi,siue personæ Dauidis,siue alij cuilibet iusto in tribulatione posito possit applicari. ¶Versu 3.Quia ecce ceperunt animã meam.In Græco est ἐθήρευσαν, quod sonat,venati sunt,vel venatione ceperũt,quemadmodum feræ capi solent venatione. Vnde lectio beati Augustini habet,venati sunt,loco ceperunt. Beatus verò Hieronymus ex Hebræo vertit,insidiati sunt.Propter quod in Elucidatione exposuimus venatione ceperunt.Comparantur F
enim persequutores (propter nimiam importunitatem & crudelitatẽ) venatoribus, qui nullis parcunt laboribus,vt ferã valeant comprehendere.¶Versu 4.Sine iniquitate cucurri,& direxi.In Elucidatione exposuimus,direxi viam meã.Potest tamen & ad aliorum directionem referri,vt dicat nõ solum sese absque iniquitate cucurrisse,sed insuper alios etiam similiter direxisse,quomodo in alio
Psal.50. Psalmo aiebat Dauid:Docebo iniquos vias tuas,& impij ad te conuer. ¶Versu 5.Et tu domine virtutum,Deus Israël.Manifestum est hanc posteriorem partem versus quinti,debere coniungi secundum sententiæ necessitatem,cum initio versus proximi sequentis,hoc modo,Et tu domine virtutũ Deus Israël,intende ad visitandas omnes gentes.Circa hanc autem visitationem quæ postulatur,notandum est,si Christi personæ Psalmus accommodaretur,posse eam intelligi de visitatione per Euãgelicam prædicationem,& gratiæ ac spiritus communicationem:vt Christus quasi pertæsus nimiæ
Act.13. malitiæ & incredulitatis,qua Iudæos conspiciebat sibi contradicere, vsque ad supplicium crucis,ac
Rom.9. post etiam amplius contradicturos veritati eidem per Apostolos prædicandæ,postulet à patre,vt illis iuxta suam ordinationem relictis in obstinatione sua(quandoquidem indignos se facerent)ad gẽ
Rom.11. tes conuerteret misericordiã suam,quas vsq; tunc videbatur ignorasse, & quasi nõ gentẽ reputasse, G
ipsorum verò Iudæorum,qui ex certa malitia agnitę veritati contradicebant,non amplius misereretur,donec in consummatione tẽporis,vbi intrasset plenitudo gentium,reliquiæ Israël quasi ad vesperã saluæ fierent.Nam secundum hanc expositionem,admodum recte quadrabit versus septimus. Conuertentur ad vesperam,& famem patientur vt canes,& circuibunt ciuitatem, ad conuersionem Iudæorum circa finem sęculi,postquã plenitudo gentium fuerit ingressa.Siquidem ille in fine temporis ad fidem Christi accessus,recte videtur conuersio ad vesperam nuncupari. Patientur autem famem tunc vt canes,quoniam maxima auiditate quærent panẽ fidei & verbi Dei tanto vtiq; auidius, quãto diutius hoc pane caruerunt:& ciuitatẽ circuibunt,Ecclesiã sanctam , diligenter in ea panem prædictũ à viris fidelibus requirentes,quomodo solent, qui vehementer esuriunt,discurrere ad requirendum panem.Aut ista fames in malam partẽ accipi poterit,vt sit hic sensus totius versus:Conuertentur quidem ipsi Iudæi ad vesperã in consummatione temporis,interim tamen (in vltionẽ cru
delitatis & impugnationis veritatis)famem patientur maximam,& summam egestatem veri panis & salutaris doctrinæ:quemadmodum hoc tempore videmus,eos maxima laborare egestate veri panis
Apoc.3. & verę scientiæ Dei,cum nihil eorum quæ in sacris literis tenent,rectè vt oportet intelligunt, nimirum claue abiecta,id est,Christo domino(qui est clauis Dauid)abnegato. Ciuitatem quoque inte-
Ioan.11. rim circuibunt in vltionem:quoniã per mundum vniuersum incertis vagãtur sedibus, tributarij vi H
uentes in dispersionibus suis.Euenit enim eis quod timebant,perdiderũtq; locum & gentem,dispersi per ciuitatem,per vniuersam habitabilem terram profugi,& paternis expulsi sedibus,sub captiuitate seruientes,qui veritatem noluerunt recipere,quæ sola illos potuisset liberare. ¶Versu 9.Ad ni-
Ioan.8. hilum deduces omnes gentes.In Græco habetur εἰς οὐδένωσιν:quod aliquando sonat ad nihilum dedu
Psal.15. cere,siue(vt ita dicã)annihilare:quemadmodum & in Psalmo.13.Ad nihilum deductus est in conspe
Psal.105. ctu eius malignus. Aliquando verò accipitur pro nihil facere,vel pro nihilo habere,quemadmodum Psal.105.dicitur:Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem,vbi in Græco eadem dictio inuenitur quæ hoc loco posita est.Et secundum hunc sensum habet etiam hoc loco Psalterium Romanum. Pro nihilo habebis omnes gentes.Cui lectioni satis consonat,quòd ex Hebræo vertit Hieronymus: Subsannabis omnes gentes.Vnde & nos in Elucidatione vulgatam nostram lectionem ad hanc potissimum sententiam explicauimus . ¶Versu 10. Fortitudinem meam ad te custodiam . Hunc versiculum non satis appositè quidam remissioris disciplinæ amatores eitare solent in confirmationem suæ remissionis, quasi ex Prophetæ authoritate formidantes, vel vigilijs , vel ieiunijs , vel alijs
2.Cor.12. paulo durioribus corpus affligere,ne forte non ad dominum custodiant suam fortitudinem : non
2.Cor.8. & 11. satis attendentes, quòd Paulus Apostolus harum rerum optime expertus, de seipso ait, Cum infir-
1.Cor.9. mor,tunc fortior sum :&, Virtus in infirmitate perficitur.Qui etiam alibi in laboribus, ieiunijs,& vigilijs,supra modum gloriatur,& castigat corpus suum,atque in seruitutem redigit,ne efficiatur reprobus:cum hi interim molles pugnatores,Prophetica ista se voce bene munitos existimãt aduersus omne quod arctioris videtur seueriorisq; disciplinæ.Sciendum autem est,Dauidi talem sententiam

A tiam nunquam neq; per somnium veniſſe in animum,neq; vlla ratione hoc illum velle quod isti existimãt:sed illud sentit potius,quod explicat Elucidatio,nimirum,velle se ad Deum conseruare spiritus fortitudinem,& nequaquã deficere aut abijcere animum, sed expectare potius & sustinere defensorem dominum.Vel per fortitudinem vires omnes siue animę accipiatur,quas vir sanctus domino custodire proponit,quoniam non nisi ad gloriam Dei illis bene vti decernit,cuius esse nouit quę in ipso sunt omnia. ¶Versu 11. Deus ostendit mihi super inimicos meos,ne occidas eos , nequando obliuiscantur populi mei . Si ad Iudæos Christi aduersarios sermo hic referatur , significat Christus dominus sibi ostẽsam à patre vindictã,quã esset facturus aduersum illos,ipse vero orat,non prorsus occidi,neq; prorsus deleri populum Iudaicum:sed vel reliquias remanere,ne penitus in obliuionem veniat populus eius,& ne in totũ repulisse ac repudiasse videatur populum suum, quẽ olim habuit tam peculiarem:pœnã tamen dispersionis in omnes gentes,& humiliationis siue depositionis,in priuatione regni,admittit,in versu sequenti dicens,Disperge illos in virtute tua,& depone eos, protector meus domine.Illud quoque breuiter annotandum est,orationem illam, populi mei, ab aliquibus accipi in casu genitiuo,ab alijs verò casu nominatiuo,numero plurali,sicq; diuersam iuxta diuersas istas cõsiderationes facere sententiam.Nostra Elucidatio casum accipit nominatiuum,quo casu
B etiam Felix vertit,& alij plures ex Hebræo interpretes,numero singulari : Nequando obliuiscatur populus meus. ¶Versu 13. Delictum oris eorum,sermonem labiorum ipsorum.Videtur subaudienda præpositio propter,aut similis,hoc sensu:propter delictum oris eorum,& propter sermonem labiorum ipsorum.Cui consonat quod beatus Hieronymus vertit geminata præpositione,dicens: Impeccato oris sui,in sermone labiorum suorum.Possent tamen accusatiui isti referri ad verba præcedentia,disperge aut depone,vt sit sensus,Disperge eum illis, simul & depone delictum oris eorum, & sermonem labiorum ipsorum:nimirum vt nihil eorum quę illi superbe & impie loquuti sunt,impleatur:sed tua virtute impediantur eorum iniqua decreta Psalterium verò Romanum per nominatiuum casum habet,Delictum oris eorum,sermo labiorum ipsorum . Quæ lectio per subauditionẽ verbi substantiui perfectum sensum habet. ¶Versu 7. Si verò non fuerint saturati,& murmurabũt. Si de Iudæis hoc exponatur iuxta modum supradictum sensus erit,Iudæos magna auiditate in consummatione sæculi ad vesperam quæsituros panem doctrinæ veritatis,quo tanto iam tempore fraudantur misere infamientes,vt famelici canes,atque ita auide quæsituros,vt vix possint satiari:vt hoc murmurare,non aliud indicet,quàm dolorem,si non satisfiat desiderio.

C

LIX. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste à Dauide compositus videtur,post glorioſas illas victorias,quæ deſcribuntur. 2.Re.8.ca.poſt quam videlicet percuſſit & humiliauit Philiſthiim,frænumq; tribuei tulit de manu eius. Moab quoq; per- *cuſſit,& ſub tributo ſeruire fecit Syriam,item & filios Ammon:quando etiam reuerſus à capta Syria,in valle* 2.Re.8.
Salinarum nomen ſibi fecit,cæſis decem & octo milibus,& in Gebelem ad viginti tria milia:quando etiam v- & 12.
niuerſa Idumæa (poſitis cuſtodibus & præſidio)Dauidis ditioni ad tributum ſubiugata eſt.Poſt has ergo victorias tam mirabiles & tam multas,ipſi Dauidi diuinitus præſitas,Pſalmum ſequentem pro gratiarum actione videtur cecinisſe.In quo Pſalmo,vt euidentior fiat magnitudo Diuini beneficij oppoſitis ex aduerſo iuxta poſitis,primum inducit priſtinam populi derelictionem,in qua nonnunquã Iſraelem dominus venire permiſerat ſub manus hoſtium:partim propter peccata eorum,partim propter exercitium & virtutis cuſtodiam:idq; facit verſibus quinq; primis. Dehinc verò regni ſui ſtatum glorioſum, qui tanta gentium circunquaq; ſubiectione inſignis erat,ſequentibus verſibus aperit,ſimilitudinibus variis ad ſubiectionem perfectam deſignandam vtẽs: totamq; victoriam omnium ſummam nouiſſimis verſibus Deo aſcribit,in cuius virtute expugnaſſe ſe dicit hoſtium ciuitates munitas:in quo etiam modo(contempta ſpe humanæ fortitudinis(viriliter & fortiter ſe ſemper
D *acturum confidit. Quidam verò ſanctorum patrum totum hunc Pſalmum Eccleſiæ accõmodare laborant. Quod nos ſane libenter ſequeremur,ſi illa quæ de partitione Sichimæ, menſuratione conuallis tabernaculorum , de poſſeſſione Galaad,Manaſſe,& cætera huiuſmodi,Pſalmo non fuiſſent vt præcipua in medio inſerta.Nam reliqua ſatis recte ad Eccleſiæ tribulationes & poſtulationem auxilii ſuperni,poſſent accommodari. Verum illa quæ in medio interpoſita ſunt , omnino difficile eſt(niſi admodum longinqua & difficili expoſitione , ex ipſa interpretatione nominum accepta) aptare Eccleſiæ. Nos tamen nequaquam illorum pietati,qui miſticas quærunt intelligentias,volumus contradicere:ſed ſenſum eligimus faciliorem , qui & titulo & hiſtoriæ apparet conſentaneus. Vt in Pſalmorum expoſitione vitio datur,perpetuo hiſtoriis & literæ inhærere, & non magis ſpectare ſpiritum:ita profecto non erit laudandum,ſic vbiq; miſtica (quocunq; tandem modo) quærere,vt nuſquam hiſtoriam aut literalem ſententiam putes acceptandam.*

LIX. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Deus,repuliſti nos,et deſtruxiſti nos: iratus es,& miſertus es nobis.*

2. Commouiſti terram, & conturbaſti eam,

DEus,tu nos videbaris abieciſſe à te, & diſsipaueras nos atque diſiecceras,iratusque nobis tradideras nos in manus hoſtium noſtrorum,cum olim propter peccata iuſtam aduersum nos iram tuam voluiſſes oſtendere :* at tunc viciſsim ad miſericordiã rediiſti, iam placatus iterum colligere & erigere nos incipies. 2. Commoueri olim faciebas terram noſtram perſequutione & oppugnatione aduersariorum ,& vehementer eam conturbari tumultibus bellorum permiſiſti:ita vt neceſſe haberent clamare ad te,

& di-

Sana cõtritiones eius, quia commota est.
3. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.*
4. Dedisti metuẽtibus te significationẽ, vt fugiant a facie arcus.

Rom.1. &2. Psal.7.

5. Vt liberẽtur dilecti tui: saluum fac dextera tua, & exaudi me.*

6. Deus loquutus est in sancto suo: lætabor, & partibor Sichimã: & conuallem tabernaculorum metibor.*
7. Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei.
8. Iuda rex meus:
Moab olla spei meæ.
9. In Idumæã entendã calciamẽtũ meũ, mihi alienigenæ subditi sunt*
10. Quis deducet me in ciuitatem munitã? quis deducet me vsq; in Idumæam?
11. Nõne tu Deus, qui repulisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris?
12. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.*
13 In deo faciemus virtutẽ, & ipse ad nihilũ deducet tribulãtes nos.*

& dicere:* medere malis istis,& à conturbatione huiusmodi liberam E
fac terram tuam potentia tua: quoniam verè nimium commota & cõ
turbata est,& agnoscit fortitudinẽ manus tuæ.3. Dura ostendisti,& ad
tolerãdum grauia proposuisti populo tuo: permisisti populum tuum
grauibus affligi miserijs:* dedisti nobis bibere vinum amaritudinis,
potum lachrymarum,tribulationis & angustiæ, ad compunctionem
& afflictionem animæ nostræ. 4. Et in his tribulationibus corporis,
aduersitatibusque temporalibus, dedisti seruis tuis te metuentibus ve
luti signum quoddam & indicium venturæ vltionis tuæ, vt effugiant
arcum illum, quem iam tetendit fortissimus iudex, vt vltionis illius
venturæ(quæ erit absque misericordia)sagittas euadant. Quod enim
aduersitatibus & malis temporalibus tu domine populum tuum nunc
affligis,idcirco facis,vt cum à malis reuocando salues à ventura distri
ctione nouissimæ iræ tuæ,quę parata est in tempore suo reuelari,quẽ-
admodum arcus iam extentus ad sagittas iaciendum paratus est. 5. Vt
sic (inquam) à facie arcus liberentur electi serui & amici tui, quos ad
salutem tuam prædestinasti ante sæcula,& non simul cum reprobis in F
damnationem inuoluantur:* salua tu domine populum tuum per om-
nipotentiam virtutis tuæ,& hac in re exaudi me: tu consilijs quibus
bonum videtur in oculis tuis, siue per prospera, siue per aduersa,age
cum populo tuo:hac tantum vna in re exaudi me,vt dextera tua salues
electos tuos.6.Olim quidem ista quæ commemorauimus,dura ac tri
stia pati fecisti populum tuum. At verò nunc aliud decreuisti,& loquu
tus es,in sanctuario tuo:* videlicet quòd ego vt rex & princeps popu-
li tui lætabor in triumphis victoriæ, ex virtute dexteræ tuæ, contra
aduersarios populi tui,& diuidam terram Sichem,tanquam bello par
tam,populo meo:* & vallem illam,quæ Sochor dicitur,id est,taberna
culorum, ego demetiar tanquam meo dominio & iuri subiectam. 7.
Populus Galaaditesmihi subiectus est,similiter & Manasse: populus
autem Ephraim,præcipua & velut capitanea est fortitudo mea & qua-
si robur ac virtus capitis,id est,principatus mei,vtpote alijs tribubus
potentior:bellicosior & numerosior. 8. Tribus Iudæ regnum mihi G
præstat, in qua & principium fuit regni mei: * populus Moabitarum
est mihi velut olla & lebes oblectationis, vnde haurire possim de-
licias & oblectationem,eisque libere vti iuxta desiderium.9.Super fi-
lios Edom extendam calciamentum meum, super illos calcabo tan-
quam perfecta subiectione plenissime subiectos mihi:* Philisthijm,
Amalechitæ,& alienigenæ per circuitum facti sunt tributarij,& subie
cti ditioni meæ.10.Et quis est qui me perduxit vsque in ciuitates mu-
nitas,vt loca etiam munitissima obtinerem?quis me deduxit in ciuita-
tes Idumæorum,admodum robustas & populosas,vt eas cogerem sub
imperium regni Dei?11.Quis alius præter te domine,qui olim videba-
ris abiecisse nos,ac velut prorsus deseruisse absque auxilio:& non vo
lebas cum exercitibus nostris ad pugnam egredi, nolebas pugnare
cum exercitibus nostris, nolebas tua præsentia defendere populum
tuum pugnantem, sed quasi à prælio absens permisisti vinci exerci- H
tus nostros ab aduersarijs? Profecto tu, qui olim ita repulisti popu-
lum tuum, & cum eis nolebas egredi ad pugnam, idem ipse nunc re-
spexisti nos, & egressus nobiscum dedisti nobis præclaras victorias.
12. Tu itaque domine,semper præsta nobis de tribulatione auxilium:
si insurrexerint aduersum nos aduersarij & tribulatores populi tui,
succurras tu nobis auxilio tuo:* vere enim vana est salus quæ expe-
ctatur ab homine, & prorsus vanissimum est, auxlium & salutem
expectare ab humana potentia,cum tu illam habeas in manu tua. 13.
Ex nobis quidem prorsus imbecilles & impotens sumus, magnum
aliquid efficere: sed in tuæ virtutis fiducia & auxilio, fortiter agere
poterimus magnæ virtutis opera, agemusque tua virtute confortati viriliter:* tu quoque facillime destrues, & absque omni labore,
siue molestia ad nihilum deduces omnipotenti fortitudine tua aduer-
sarios nostros, quanticunque tandem siue numero siue fortitudine
extiterint: propter quod, in te semper fiducialiter perstare volumus,
& tuo sancto cultui semper inhærere, neque abscedere abs te imper-
petuum.

AN-

A ANNOTATIONES IN PSALMVM LIX.

VErsu 1. Deus repulisti nos,& destruxisti nos:iratus es,& misertus es nobis. Tria illa priora,repu
listi,destruxisti,iratus es,simul debent coniungi, tanquam ad idem tempus præteritum perti-
nentia:deinde,facta diuisione,subiungi debet quasi oppositum,& misertus es nobis,vt referatur ad
tempus status præsentis,in quo florebat tum Dauid,cum Psalmum hunc caneret. ¶Versu 2. Sana
contritiones eius,quia commota est.Videtur hæc deprecatio interposita tanquam pertinens ad tem
pus desolationis,& debere subintelligi aliquid,quẽadmodum in Elucidatione indicauimus.Vnde ex
Hebræo quidã sic vertit,Cura (orabamus) contritiones siue confractiones eius, quoniam commo-
ta,vel inclinata est. Aliqui simpliciter intelligunt,nullo verbo subaudito. Prior autem sententia con Psal.7.
nexioni magis fauet. ¶Versu 4. Dedisti metuentibus te significationem,vt fugiant à facie arcus,Per Gen.6.
arcum Dei solet & alias diuina vltio designari,vt Psalmo septimo,Arcum suum tetendit,& parauit & 8.
illum:& in eo parauit vasa-mortis,sagittas suas ardentibus effecit.Significatio autem datur metuen Esaiæ. 28.
tibus dominum,vt fugiant à facie arcus,dum dispensatione prouida misericorditer Deus nunc suos
electos permittit exercitari,interdum tẽporalibus aduersitatibus,vt sic à vitijs cohibeantur,ad quę
B prona semper est humana infirmitas,potissimum autem in tempore prosperitatis, quãdo pro voto
succedunt omnia:atque etiã si in peccatis sint,vt per afflictionem ad Deum sese conuertere compel
lantur,vexatione dante intellectum. Qua de re pulchram admodum posuit exhortationem is qui
sanctam Machabeorum conscripsit historiam,ad legentium consolationem post multa præmissa
nimium terribilia,ita scribens,Obsecro autem eos qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant 2.Mac. 6.
propter aduersos casus:sed reputent ea quę acciderunt,nõ ad interitum,sed ad correptionẽ esse gene
ris nostri.Etenim multo tempore nõ sinere peccatoribus ex sententia agere,sed statim vltiones ad-
hibere,magni beneficij est indicium.Nõ enim sicut in alijs nationibus dominus patienter expectat,
vt eas cum iudicij dies aduenerit,in plenitudine peccatorum puniat:ita & in nobis statuit,vt in pec-
catis nostris in finem deuoluti ita demum in nos vindicet.Propter quod,nunquam quidem à nobis
misericordiam suam amouet:corripiens verò in aduersis populum suũ,non derelinquet.Ex quibus
lectu vtique & ruminatu dignissimis verbis,euadit manifestum,quomodo hæc per aduersa tribula-
tio,significatio quædam est sanctis,fugiendi à facie arcus,atque ad salutem perueniendi. ¶Versu 6.
Deus loquutus est in sancto suo.Elucidatio interpretatur,In sanctuario suo,in templo suo.i.in cæ-
lo definiuit & statuit.Intelligi etiam potest,Deus loquutus est in sanctitate sua:hoc est per suam san
C ctitatem:quoniam videlicet sancte firmiterq; statuit & definiuit.Alij verò exponunt genere mascu-
lino,Deus loquutus est per sanctum suum,videlicet Nathan Prophetam,per quem mihi istas victo
rias prædixit. Expositioni nostræ primæ quam in Elucidatione solam ponimus, fauet quod vertit
Hieronymus,In sanctuario suo:& Chald.Parap.Deus loquutus est in domo sanctuarij sui.Felix au-
tem vertit,In sanctitate sua. ¶Versu 8.Iuda rex meus,Moab olla spei meæ. Idcirco dicit Iudam re- 2. Reg. 2.
gem suum,quoniam à Iuda regnum accepit,Statim enim post mortem Saulis vnxerunt eum seniо-
res Iuda in Hebron, vt regnaret super domum Iuda: super alias tribus regnante Isboset filio Saul.
Nam tum temporis,sola domus Iuda sequebatur Dauid.Valde autem noua & insolita comparatio-
ne dicit,Moab esse ollam siue lebetem spei suæ,quoniam videlicet Moabitas in plenissimam subie-
ctionem perduxerat.Percutiens enim eos(vt sacra regnorum testatur historia)mensus est funiculo, 2.Re.8.
& coæquauit eos terræ:mensusq; est funiculos duos,alterum ad viuificandum,alterum ad occiden-
dum,& factus est Moab seruiens sub tributo. Quia ergo ita plenissima subiectione Moab deuice-
rat,exigere tributi quantum volebat poterat ab eis: & cum esset populus potens & abundans val-
de,quasi ex olla plena haurire pro suo placito libere poterat: quomodo etiam vulgo dicere solent
homines, vbi magna est abundantia hauriri illic omnia ex ollis plenis, idque magnis cochlearibus.
D ¶Versu 10.Quis deducet me in ciuitatem munitam:Licebit hic facili intelligentia singulare accipe-
re pro plurali,vt sit quæstionis sensus,Quis potens esset,aut erit in ciuitates munitas & fortissimas
deducere,& de eis mihi dare victoriam?Quis ad victoriam populi Edom robusti & validi admo- 2.Re.12.
dum,me perducere poterit,nisi tu Deus?&c. Alij verò singulariter dictum accipiunt,de Rabbath ci-
uitate regia filiorum Ammon munitissima,ita vt multum negocij præberet Ioab principi militiæ,
antequam expugnare posset eam:in cuius expugnatione etiam Vrias Etheus mortuus est cum pleri-
sque de populo Dauid. ¶Versu 11.Nonne tu Deus,qui repulisti nos,& non egredieris Deus in vir
tutibus nostris?Nos in Elucidatione sic interpretati sumus, quasi vnica sit interrogatio. Alij verò
quasi duplicem faciunt interrogationem,hoc modo,Nonne tu Deus deduces nos,qui olim nos re-
pulisti?vtique facies. Deinde:& non egredieris Deus in virtutibus nostris?vt iterum subaudiatur no
ua responsio,vtique egredieris.

LX. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste oratio est & laudatio totius populi fidelis, Deo liberatori suo cum gratitudine,pro benigna exauditione & potenti liberatione sibi cœlitus præstita, versibus quinq; prioribus confitentis,ac deinde futuræ hereditatis æternæ expectationem,& meßiæ regis cum suis electis æternum regnum commemorantis, veritatem quoq; & misericordiam eius admirantis,votaq; laudis æternæ pollicentis.

LX.

LX. PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.*
2. *A finibus terræ ad te clamaui,* * *dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.*
3. *Deduxisti me, quia factus es spes mea,*
* *turris fortitudinis à facie inimici.*
4. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula,*
* *protegar in velamento alarum tuarum.*

1. Petr. 1. Esaiæ. 64 1. Cor. 2.

5. *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam,* * *dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

Matt. 16. 1. Cor. 15. Psal. 8. Matt. 28.

6. *Dies super dies regis adijcies, annos eius vsq; in diem generationis & generationis.*
7. *Permanet in æternũ in conspectu Dei,* * *misericordiam et veritatẽ eius quis requiret?*
8. *Sic Psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi: vt reddam vota mea de die in diem.*

EXaudi Deus deprecationem meam, quam fundo ad te: esto intentus ad orationem meam, illique appone aurem tuam & cor tuũ, vt quod postulo, tua benignitate impleas. 2. Ab extremis orbis terrarum supplex clamauit ad te populus tuus, cultor nominis tui: ex omnibus partibus orbis ad te clamant vndiquaq; terrarũ serui tui: * tu verò non defuisti seruis tuis te inuocãtibus, sed exaltasti nos in petra, dum à tribulationibus & persequutionibus impietatis anxiaretur cor nostrum, subduxisti nos, & quasi in altum subleuasti in rupem fortem & validam, in qua ab inimicis securos fecisti nos. 3. Dux nobis fuisti, protector atq; defensor, per periculosissima & multiplici discrimine plena itinera sæculi huius, securos nos deducens atque tutissimos: propterea quod factus sis spes nostra, quoniam in te elegimus ponere fiduciã: * quasi turris fortis & arx munitissima factus es nobis aduersus inimicos nostros, ita vt te nos protegẽte, illi nobis nocumẽti nihil queãt inferre. 4. Non deseret, autẽ tuã protectionem populus tuus, sed concludet se intra te, & quasi habitationem suam in te firmabit, vt in te tanquam in tabernaculo suo inhabitet in sempiternum: vt nunc quidem vt in tabernaculo militiæ, post verò in aula triumphali quietis æternæ: * & protegetur, defendeturque ab omnibus malis populus tuus sub opertione & obumbratione alarum siue scapularum tuarum: hoc est, sub protectione omnipotentiæ tuæ, & sub expansione atque communicatione æternæ bonitatis siue misericordiæ tuæ. 5. Tu enim Deus noster exaudisti orationem seruorum tuorum, qua de huius mundi angustijs vndiquaque clamatur ad te: * seruis tuis agnoscentibus & colentibus sanctum nomen tuum, fecisti donationem præclaram hæriditatis regni æterni, & terræ beatæ viuentium: quam sane hæreditatem incorrupti bilem, immarcessibilem, æternam, conseruatam in cælis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, tu firmissima attestatione pollicitus es omnibus timentibus nomen tuum. 6. Ipsi autem regi populi tui, Christo filio tuo (per quem nobis, populo tuo, obtinget hæc beata hæreditas) dabis annos æternitatis, dabis illi dies super dies, id est, diem æternitatis: faciesque illum coram te in æternum viuere atq; regnare, & annos eius perduces atque extendes vsq; in omnes generationes, in omnia sæcula sæculorũ. 7. In æternitate stabilis & immutabilis permanet corã Deo patre suo, sedem habens à dextris eius, tanquã is cui pater subiecit omnia sub pedibus & cui dedit omnem potestatem in cælo & in terra: * Quis autem inuestigare posset, & inuestigando pernoscere misericordiam & veritatem eius, quas in populi sui saluatione monstrauit, & quibus opus saluationis huiusmodi potenter est operatus? 8. Pro his autem maximis misericordię tuæ beneficijs, ita nos Psalmos canemus, & laudes dicemus altissimo nomini tuo in æternum, quando in conspectu tuo astabimus, possessores facti promissæ hæreditatis nostrę, vt etiam interim, donec in hac paupercula vita degimus, nunquam cessemus à tuis laudibus, sed iugiter per dies singulos vota nostra reddamus tibi, id est pia desideria, pias affectiones, pias laudationes, pias gratiarum actiones: quib* dignissimum est nos tantis beneficijs deuinctos, te quantum possumus celebrare, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LX.

VErsu 1. Exaudi Deus deprecationem meam. Aduerte, Psalmum hunc, tametsi exposuerimus eũ in persona totius populi fidelis siue Ecclesiæ, posse tamen absque omni incommodo etiã vnicuiq; iusto singulariter accommodari, idq; citra omnem difficultatem quemadmodum per se quisque facile videt. ¶ Versu 2. A finibus terræ ad te clamaui. In Elucidatione exposuimus in persona Ecclesiæ, ex omnibus partibus orbis terrarum. Si autem vni alicui applicetur, rectius tum exponetur, ab infimo vel extremo terræ, quasi ex imò terræ ad te in altissimis habitantem. Cui consonare videtur, quod vertit Hieronymus, De nouissimo terræ ad te clamaui, Exaltationem autem in petra, de qua fit in altera parte sermo, Elucidatio interpretatur subductionem & ereptionem à periculis, quasi in rupe forti, ad quam non sit accessus inimicis. Per quod intelligitur specialis liberatio ex Dei potentia, per quam iusti à periculis malorum salui euadunt. In verbo autem exaltasti, potest accipi emphasis, vt dicat rupem hãc altiorẽ se fuisse, ita vt eam non potuisset per se ascendere, hoc est, ad talẽ salutem se non potuisse suis viribus attingere, nisi per Deum fuisset ad eã exaltatus. Quã emphasim vtcunq; explicat Chald. Paraph. quę sic habet, Cũ triste fuerit cor meum, in arce munita, quę cõstructa est super rupem altiorem meipso, deduxisti me. Et ex Hebrẽo verti potest. In rupẽ quę ex alta

altatur à me, vel super me: id est, quæ altior est, quàm vt in eã per me possim cõscẽdere. Licebit autem per hãc petram, etiã Christum dominum accipere, in quo exaltatur super suos inimicos fidelis populus, ex gratia & virtute Dei ipsum sic magnificantis. Nam & Apostolus petrã nouit, & testatur significari Christum, dicẽs, Bibebant autem de spiritali cõsequente eos petra, petra autem erat Christus. ¶ Versu 5. Dedisti hæreditatem, timẽtibus nomen tuum. Hæreditas ista est, de qua in alio loco dicitur, Hæreditas eorum inæternum erit, quam beatus Petrus incorruptã, immarcessibilẽ, & æternã dicit, cõseruatam in cælis, paratam reuelari in tempore nouissimo: quæ quidem hæreditas ab æterno dispositа & data est omnibus præordinatis ad vitã, & specialiter per mortẽ & resurrectionem Christi, quasi iterum data est: verum latet adhuc & abscõdita est neque nobis traditur, donec in vita hac degimus. Accepturi autem sumus eam, cũ (Deo volente) hinc emigrabimus in sinum ipsius propter quod, in verbo supra allegato dicebat Petrus, cõseruari eam in cælis, tanquã paratam reuelari in tẽpore suo. Et in alio Psalmo dicitur multitudo dulcedinis supernæ, quæ ad hanc hæreditatẽ pertinet, absconditimentibus dominum. Donata tamẽ est eis iam hæc hæreditas, & est in Dei secretario iam signata donatio, vt reuocari seu prohiberi non possit, quin accipiatur ab eis in tempore suo.

1. Cor. 10. Psal. 36. 1. Petr. 1. Psal. 30.

LXI. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste totus moralis est, in quo seipsum vir iustus ad iustam subiectionem & debitam obedientiam Deo præstandam exhortatur: cum in ipso suum omne bonum agnoscat repositum, aduersarijs (qui eum à Deo volunt abstrahere) cum increpatione insultans, suam verò animam aduersum illorum malitiosos conatus fortiter confirmans, propter bonum omne quod à Deo accipit & expectat. Atque hæc, vsque ad vers. 8. Hic verò animam suam peculiariter alloqui cessat, exhortatione generali trãsiens ad vniuersos, monens eos, in domino spem ponere, & coram illo cor effundere: nequaquam verò vanis filijs hominum & mẽdacibus aßimilari, neque in iniquitate sperare, neque rapinas concupiscere, neq; diuitijs cor apponere, proponens in fine Psalmi, ad terrorem malorum & consolationem bonorum, duo illa quæ certißimo nobis sunt ex Dei verbo cognita nempe potentiam Dei, & bonitatem siue misericordiam: secundum quæ redditurus est vnicuique pro operibus condignam mercedem, vt ob hoc merito & iustus debeat in Deo suo consolari, & impius de sua nequitia pertimescere, siue potius ab ea sese ad Deum conuertere.

SEXAGESIMI PRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Nonne Deo subiecta erit anima mea:*
C * *ab ipso enim salutare meum.*

2 *Nam & ipse Deus meus & salutaris meus, susceptor meus:*
* *non mouebor amplius.*
3 *Quousque irruitis in hominem?*
* *interficitis vniuersi vos:* * *tanquam parieti*
D *inclinato & maceriæ depulsæ.*

4 *Veruntamen preciũ meum cogitauerunt repellere:*

* *cucurri in siti.*
* *ore suo benedice-*

GErte Deo subiecta esse debes, ô anima mea, qui te ad imaginem suam nobilem valde creauit, suæ fœlicitatis capacem, corporiq; cõiunctã, bonis sempiternis deputauit: Deo certe perfectã omnino debes subiectionẽ, & plenã obediẽtiam: * ab ipso nãque pendet salus mea, & meum omne bonum ex ipso est: ipse me in suã tutelam suscepit, fideleméque protectorẽ se præstaturũ promisit propter quod, iustum est, te illi esse subditã. 2. Ipse (inquã) est dominus Deus meus & saluator meus, ex quo tota spes dependet salutis meæ, susceptor, defensor, & propugnator meus fidelissimus: * propter quod nolo ab eo moueri vltra inæternũ, nulla ratione post hac me quisquam amouebit ab obediẽtia & subiectione eius, nemo me à proposito virtutis auocabit, aut ad mala vitia poterit impellere. 3. Quousque igitur tãdẽ vos hostes mei, pessimi dæmones praua suggerẽtes, mundus nequã offerẽs cõcupiscibilia, molesta caro ad mala semper solicitãs: quã diu tãdẽ impetũ facietis, & insultus tẽtationũ vestrarũ aduersum me cõcitabitis? * quasi cõiuratione facta, pariter ad interficiendũ cõcurritis & collaboratis, vniuersi aduersarij mei: * quasi cõtra parietẽ inclinatũ ad casum, & cõtra maceriã iã impulsam minãtemq; ruinã: Vos enim sic me existimatis, quasi ruinę proximum, tãquã si paries sim aut murus iã casui proximus, atq; ob id toto impetu conamini (vt video) me prosternere. Sed frustra omnino laborem impẽditis. Sum enim amodo, vt murus æneus & immobilis: nõ mouebor amplius, cõfirmatus, ꝓposito firmissimo in domino Deo meo. 4. Quãtumcũq; autem ego cõtraluctor & reclamo, illi in hoc absq; fatigatione inuigilant, & sunt ad hoc semp solliciti, vt pretiũ & honorẽ meũ mihi auferãt: partim quidẽ, vt honorẽ illũ in quo me Deus cõdidit secundũ animę nobilitatẽ, per peccati fœditatẽ & vilitatẽ cõculcẽt: deinde vt honorẽ illũ, ad quẽ me Deus exaltare decreuit glorię æternę, per peccati cõsensum mihi surripiant. Est enim hic summus aduersariorũ meorũ conatus, vt priuare me valeãt honore & dignitate, in qua me Deus creauit, & ea item ad quã me idẽ ipse prędestinauit: * ego verò illorũ vidẽs malitiosum conatũ, tãto amplius ad ꝓpositum mihi supernæ vocationis brauium cucurri, magno desiderio maximoq; ardore festinaui & sectatus sum, vt cõprehendã, nec prohibeat aduersariorum malitia: * &

Philip. 3.

bat, & corde suo maledicebant.

*5 Veruntamen Deo subiecta esto anima mea: * quoniam ab ipso patientia mea.*

1. Cor. 10. *6 Quia ipse Deus meus & saluator meus: adiutor meus:*
** non emigrabo.*
7 In Deo salutare meũ & gloria mea Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est.
8 Sperate in eo omnis congregatio populi:
** effundite coram illo corda vestra:*

** Deus adiutor noster in æternum.*

Roma. 1. *9 Veruntamen vani filij hominum:*
** mendaces filij hominum in stateris:*
**vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.*
10 Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere:
1. Cor. 7. ** diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

11 Semel loquutus est
Deut. 31. *Deus: * duo hæc audi-*
Hester 13. *ui, quia potestas Dei est*
Iudit. 6. *& tibi domine misericordia:*
** quia tu reddes vni-*

ipsi quo facilius deciperẽt, blanda quidẽ ostentabãt in ore, & proponere videbantur placentia, primaq; fronte admodum arridentia: cor autẽ eorũ ad nocendũ erat, & nouissima atq; intima eorũ maledictione, execratione, & morte plena erant. 5. Attamen, ô anima mea, quantũcunq; hi tumultuẽtur & insaniãt, tu semper permane firma in obedientia & subiectione domini dei tui: in ipso te firma, & plenissima subiectione te illi cõsecra. Ita enim futurũ est, vt illi prorsus nihil tibi nocere queant, quantũcunq; machinentur male: * ab ipso enim erit tibi virtus sustinendi & præstolandi dominũ cum patientia: ipse tibi dabit vt possis sustinere, & absq; nocumento euades insultus hostiũ. Fidelis enim est ipse, & cũ tẽtatione faciet prouentũ, vt possis sustinere. 6. Et quidẽ ipse est Deus saluator, adiutor, protector atque defensor meus: ipse vnus est mihi omnia, ita vt extra ipsum nulla re indigeã, ipse mihi vnus aduersum hostiũ mille millia est sufficiẽtissimus: * propter quod firmissimo proposito statui nunquam ab eo moueri, nunquam ab eo me separare in æternum, sed in eo semper fixus & stabilis permanere. 7. Neq; verò gratis in ipso permaneo, si fideliter permaneo. In ipso enim pariter habeo quę mihi necessaria sunt vniuersa, Siquidẽ in ipso tota mea salus est, & vniuersa mea gloria: ipse est De⁹ auxiliator meus qui solus mihi potest in tribulatione ferre auxiliũ, & spes mea tota in Deo posita est. Ipse enim solus potẽs est me saluare, neq; extra ipsum vlla est vera ac solida gloria, & præter eum non est quisquã potens & certus auxiliator. 8. Neq; verò sic illũ mihi facio peculiarem, vt cæteros generis mei excludam ab eo: imò verò multo magis ad vniuersos verba faciẽs, generali exhortatione omnes populorũ congregationes absq; exceptione admoneo, vt in ipso spem suã cõstituãt: *& vt corda sua prorsus effundant ante conspectum eius, cunctos & cogitatus & affectus cordis tui aperiẽtes ante oculos bonitatis eius imò curas omnes & sollicitudinẽ proiiciẽtes ante pedes maiestatis ipsius, tanquam corã eo qui possit, & velit cũcta bene adimplere, & omnia in bonum cõuertere: * securi autẽ audete, quoniã dominus Deus ipse est adiutor noster inæternũ, ipse est absq; discretione omniũ sibi subditorum auxiliator & cõsolator, neq; est apud eum personarum acceptio, vt hũc quidem adiuuet aut cõsoletur, illum verò minime: sed in omni gente & tribu, qui sperat in eo, sentiat bonitatẽ illius. 9. At verò filij hominum qui spem suam non ponunt in domino, sed in gloria & diuitijs sæculi huius, ipsi sunt vani, dum vanitatibus per fiduciam inhærent: *mendaces sunt in stateris suis, mẽtiuntur absq; rubore, vt seinuicem fraudẽt ac decipiãt: etiã in ijs instrumentis quæ ad mensurandã iustitiam communi iure sunt instituta, fraudẽ facientes, dolosis videlicet vtentes stateris: * vt sic de vanitate & propter vanitatem, quæ eis prodesse nõ potest, decipiãt in idipsum, vt pariter se mutuo hic illum, ille hunc fraudent atque circũueniant. 10. Nolite quæso, ô filij hominum ita agere, nolite vsqueadeò hisce inhærere vanitatibus, vt propter hoc fraudẽ vlli hominum, aut dolum faciatis. Nolite in iniquitate spem ponere, & nolite cõcupiscere quę per iniustitiã acquiruntur, per dolũ & circũuentionẽ proximorum, quẽadmodum faciũt homines auari & rapaces, qui per fas & nefas diuitias congregant: *Imò & si vltro accedant, affluantq; diuitiæ, si etiã per iustitiam vobis contingat copia diuitiarũ, cauete tamen, ne his rebus cor inhæreat, ne affectum in eis collocetis: sed habete tanquã non habẽtes, & possidete tanquam non possidẽtes: sic vt nõ aliquando per affectũ auaritiæ excæcati, ad iniustitiam, diuitiarum amore declinetis: quẽadmodum plerisque contingit: aut in superbiã & ambitionẽ ex affectu diuitiarum efferamini, aut quomodocunq; in obliuionẽ & neglectum Dei veniatis: ne postquã incrassati fueritis, impinguati & dilatati, obliuiscamini dominũ Deũ vestrum. 11. Verbum Dei vnum est simpliciſsimũ & firmissimum, semel loquitur, & nõ repetit iterum, quoniam simplex eius assertio firmissima & certissima est, nõ minus quàm si milies idem replicet: * & ego ex verbo eius duo hęc didici, & certo cognoui, q; ipsi conueniat summa potestas, maximaq; virtus & potẽtia super omnem creaturã, ita vt eius potestati nemo valeat resistere: neque tamen potestas sola, sed coniuncta etiã summa bonitas & misericordia, ne sola potentia à bonitate separata tyrannis existimetur: * & per hæc duo, per potestatem dico & misericordiã, tu domine omnium iudex, reddes vnicuiq; mer-

A *cuique iuxta opera sua.* mercedem iuxta meritum operum suorum: ijs qui bene egerunt, vitã æternam, qui verò male, æterni ignis incẽdia. Propter quod, vanissimum omnino est sperare in iniquitatibus, rapinas cõcupiscere, aut diuitijs cor apponere, quæ in illo die causa erunt condemnationis suis sectatoribus: omnino autem saluberrimum sperare in domino, & in illius obedientia persistere. Matt. 16. Ioan. 6.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXII.

VErsu 1. Nónne Deo subiecta erit anima mea? Hæc interrogatio magnam habet vehementiam: neque tanquam à dubitante proponitur sed tanquã ab eo qui velit fortissimam indicare assertionem, quemadmodum cùm dicit filius matri, Nónne ego te diligã, mea charissima mater? Quasi dicat, Nisi te diligã, ero omnium qui viuunt ingratissimus, & prorsus vita indignus. Nemo enim est cui magis, imo cui æque debeam, vt tibi amoris dilectionem. Nos in Elucidatione hanc vehementiam assertionis absque interrogatione explicare tentauimus, per aduerbium affirmationis, certe. ¶Versu. 3. Quousque irruitis in hominẽ? interficitis vniuersi vos, tãquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ. Hæc inuectio in aduersarios, similis est illi, quod æquali vehementia in Psalmo dicitur, Psal. 10.

B In domino cõfido, quomodo dicitis animæ meæ, trãsmigra in mõtẽ sicut passer? iuxta expositionẽ quam prẽmõstrauit Elucidatio. Quasi dicat in spiritu vehementi vir iustus, Frustra conamini, in vanũ laboratis & fatigamini, tentationibus ac malitiosis conatibus mihi insultãtes. Nihil enim proficietis aduersum me, qui iam firmissimo cordis proposito, Deo meo sum adglutinatus, ita vt ab eo separari amodo non possim: quemadmodũ dicebat beatus apostolus, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia, &c? Et deinceps, Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neque futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Quod autem dicitur in fine versus: Tanquã parieti inclinato, & maceriæ depulsæ, ratione constructionis facit difficultatem. Non enim prima fronte apparet cui valeat coniungi. Facilius tamen videtur, vt iungatur cũ verbo irruitis, altero illo, interficitis vniuersi vos, per modũ parẽthesis interiecto, sicq; sensus iste habebitur, Quousque ô aduersarij, irruitis in hominem tanquã in parietẽ inclinatũ, & maceriẽ depulsam? quasi dicat, An existimatis me esse similem parieti inclinato, & maceriæ iã minanti ruinã, vt ita spem cõcipiatis, vos facile posse me in terram prosternere? Nam cùm parietem iam inclinatum vident homines, & velut minitantem ruinam, facile appositis humeris sperãt posse illũ in terrã deijcere, vbi alioqui si rectus & fortis perstaret murus, nihil tale quisquã attẽtaret. Roma. 8.

C Similiter & de maceria, quæ iam partim depulsa est, & ad casum tendit. Ad hunc sane modum & aduersarij nostri, quos videt ad casum & lapsum declinãtes, per cõcupiscẽtiæ curuitatẽ hos audacius & validius oppugnãt, cõcepta spe victoriæ, donec prorsus incuruent, & in terram prosternant. Quos verò velut muros validos conspiciũt, animo forti & inuicto ꝓposito fortiter perstantes in sua rectitudine, hos non ita libenter solẽt saltem apertis congressibus oppugnare, veluti pertimescentes illorũ fortitudinẽ: tametsi fere velut latrũculi per insidias adoriantur huiusmodi, per superbiam, vanã gloriã, contentionem, æmulationem, hæresim, atq; id genus alia. Ait ergo vir iustus increpando aduersarios, An me existimatis velut parietẽ iam ruinæ proximum, aut maceriam incipientem concidere, vt sic in me irruatis, cõcepta fiducia victorię? Lõge certe aberratis, si ita existimatis. Ego enim in Deo iam stabilitus sum, vt nullo modo à rectitudine mea patiar me dimoueri donec viuam. ¶Versu 8. Effundite coram illo corda vestra, Videtur idem hic dici quod supra Psalmo. 30. Reuela domino viam tuã, & ora eum, & ipse faciet. Et iterũ in alio Psalmo, Iacta supra dominum curam tuam, vel cogitatum tuum, & ipse te enutriet. Tunc enim cor suum effundit homo corã Deo, quando omnia cordis secreta, omnes cogitatus, & affectus denudat ante oculos maiestatis Dei, plenissime eius fidei vniuersa cõmittens, & in manus eius cuncta cõmendãs: ita vt quicquid hic egerit, ille sit æquissimo & grato animo susceptur⁹. Qui autẽ aliquã partẽ siue cogitationũ, siue affectionum suarum celare

D voluerit ante dominum, quemadmodũ faciunt illi qui dissimulare volunt peccata, aut excusationũ pallijs obtegere, itẽ & qui non omnia sua plena resignatione in manus Dei cõmendant, hi nõ recte effundunt corda sua coram domino: ac proinde eorũ merito frequẽter cõtingit, vt nõ consequãtur auxilium salutis Dei. ¶Versu 10. diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Hoc scilicet est, quod docet Paulus Apostolus, Timotheo scribens, in hunc modum: Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, non sperare in incerto diuitiarũ. &c. Apponit autẽ cor diuitijs (generali sermone loquẽdo) omnis qui affectu inordinato eis inhæret, ita vt propter eas vel in superbiam eleuetur, vel in cõtemptum aut neglectum Dei perueniat, vel denique aliquid agat eorum quæ saluti officiunt, siue eorum quæ salutaria sunt aliquid omittat. ¶Versu vltimo, Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui. Quod Deus semel dicitur loqui, potest referri vel ad firmitatem & certitudinem assẽuerationis, quoniã illius verbo simplici nõ minus q̃ frequentissime iterato, ac multiplicibus, iuramentis firmato fides debetur, vel ad vnitatẽ veritatis verbi Dei. Verbum nanque Dei vnissimum est, & sibi prorsus maxime consentaneum, in quo nihil inuenitur repugnãs, nihil contrarium. Et cùm ita sit vnissimum, duo tamen hæc quæ videntur repugnantia, docet conuenire Deo, potestatem scilicet iustitię, & bonitatem misericordiæ, ad reddendum vnicuique secundum opera sua. Omnis enim scriptura, duo ista in Deo coniuncta prædicat, potentiam & bonitatem, iustitiamque & misericordiam. 1. Tim. 6.

LXII. PSALMI ARGVMENTVM.

QVod huic Psalmo præmittitur, Psalmus Dauid, cùm esset in deserto, siue Idumææ (vt habẽt vulgati codices) siue Iudææ (vt habẽt Hebræa) manifestè docet, hũc Psalmum à Dauide compositum, cùm adhuc in deserto vagaretur, exularet q; à terra Israël, & populo Domini, propter persequutionem Saulis. In hoc enim exilio, & in hac fuga positus, dum corpore abesset ab hæreditate domini: nec illi liber daretur in corporale templum aut tabernaculum domini accessus, tanto amplius spiritu se contendit Deo exhibere præsentem: declarãs mitto Psalmi, quomodo & anima & corpore multipliciter ad Deum vigilet atq; sitiat, positus in terra deserta, vnde tamen ad Deum tota spiritus virtute sedulo conscendit, ad contemplãdum Dei gloriã, inq; ea se oblectandum: quam etiam labijs laudare, & in vita benedicere, ac corde pleno spiritualis deuotionis adipe pollicetur: insuper & noctibus & matutino tempore iugiter de eo meditari. Versibus autem duobus nouissimis, inimicorum suorum condemnationem, suamq; liberationem, fidenti corde, ex Dei auxilio futuram prænunciat: vnde & se, & seruos omnes Dei fideles asserit habituros lætitiam.

SEXAGESIMI SECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.*

2 *Sitiuit in te anima mea:* quàm multipliciter tibi caro mea.*

3 *In terra deserta inuia & inaquosa sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.*

2.Cor.5.

4 *Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia mea laudabunt te.*

5 *Sic benedicam te in vita mea: * & in nomine tuo leuabo manus meas.*

6 *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: * & labijs exultationis laudabit os meum.*

7 *Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adiutor meus.*

8 *Et in velamento ala-*

VIde mi domine Deus (qui & generaliter es omnium & peculiariter secundum beneplacitũ assumptionis tuæ meus dominus) quãto ad tuam bonitatem ferar desiderio, quia prima luce, summo mane ad te vigilo: videlicet de te meditando, ad te suspirando: & modis omnibus in te affectum cordis exercitando sicque me in pressuris mundi huius tuæ bonitatis contemplatione consolando. 2. Anima mea & spiritus ad te ardet ac sitit, tuã mirum in modum desiderans præsentiã: atque etiam corpus hoc meũ infirmum & fragile, quod multis iam est obnoxium malis, & corruptionibus ac varijs subditum afflictionibus, admodum multis rationibus, vehementi ad te fertur desiderio, quasi desiderãs per te de afflictionibus nimium magnis, nimium multis, nimiumq; diuturnis, inuenire requiẽ. 3. Ecce ego hìc positus in terra deserta & inaccessa, derelictaque, & solitaria, vbi non sunt refocillantes aquæ, ita in sanctitate & iustitia meipsum exhibere studui ante cõspectum tuũ, vt cõtemplarer potentiam fortitudinis tuę, & gloriã altissimæ maiestatis tuæ: positus in loco isto peregrinationis, in hoc mundo (qui verè desertum est & solitudo, qui ex sese veræ cõsolationis aquas nõ habet) tametsi corpore peregrinatus fuerim à te, spiritu tamen meipsum cõtendi tibi exhibere præsentem, ad contẽplationem maiestatis tuę. 4. Tua nãque misericordia, qua consolaris eos qui ad te sitiunt, melior, amabilior, & optabilior est, quàm vita quæcunque aut qualiscunque super terram. Iucundius enim est tuam misericordiam, & bonitatem contemplari, sicque in ea secundum spiritum consolari, quam sit voluptas omnis, quę in hac vita quantumuis etiam secundum speciem fœlici, possit homini contingere: * quod ego considerans, ex bono corde per labia mea gratias agam altissimæ bonitati tuæ, & laudes cantabo quantas potero. 5. Non solum autem labijs te laudabo, sed corde etiam & animo benedicam tibi, donec viuam, & in tota vita mea, quantus quantus sum, & quantum vtique potero: * & in laude nominis tui, siue in oratione mea, ego extollam ad cælum manus meas, vt sic etiam corporis gestu, & cõgruis ex corde prodeuntibus ceremonijs, ostendam piam erga te animi mei deuotionem: vt suppleant corporis gestus & membra, quod nõ ad plenũ iuxta desiderium præualet animus. 6. Quo sit autẽ gratius & acceptius tibi sacrificiũ laudationum mearum, oro, vt spiritum meũ repleas delicijs spiritus tui, bonis charismatibus, & suauibus visitationibus, quæ sunt spiritui meo quasi adeps & pinguedo, quibus pellatur macies ariditasq; animę meę: * vt sic ex abundantia internæ deuotionis, ex plenitudine cordis, labijs bene vnctis, labijs gaudiosis, laudare te valeam in laude perfecta per os meũ: ne forte si spiritui desit pinguedo visitationis tuæ, aresçant siue marcescant laudes labiorũ meorum. 7. Ita ego media nocte memor fui nominis tui, dũ cubarẽ in strato meo: etiã mane primo cũ expergiscerer, statim ad te & in te direxi meditationẽ cordis mei, neq; noctu, neq; interdiu à primo mane aliud q̃ te cogitans, meditãs, aut desiderans: * neq; verò immerito semper ad te meditor, nõ mirũ si tu mihi semper sis in animo quãdoquidem solus tu fuisti adiutor meus in omnibus meis tribulationibus: tu auxiliator vnicus, qui hactenus me saluasti de angustijs omnibus, quẽadmodum & imposterum te facturum minime ambigo. 8. Et sub protectione scapularũ tuarũ, sub custodia & defensione potentis misericordiæ tuæ, ego gaudebo cum exultatione & tripudio cordis mei in tua fideli protectione optime securus: * propter quod, etiã adhæsit tibi spiritus meus, per amorẽ se tibi adglutinãs & coüniens, & per fiduciam plenam tibi indiuisè affixus: * potentia enim tua Deus suscepit me in protectionẽ & defensionem suã, vereq; defendit & protexit me à cunctis hostium insidijs & oppugnationibus. 9. Ipsi verò, te conatus eorũ faciẽte irritos, frustra quæsierunt vitã meam: quoniã quod quæsierunt, te prohibente, nõ sunt cõsequuti, neq; (spero) consequuturi sunt aliquando: * insuper & pœnã reportabunt malitię suæ, vt in loca mittãtur obscura inferni, vt ablegẽtur ad mãsiones infernales, vbi in loco vilissimo & omnium infimo, in sempiternis tenebris degant atque pœnis immensis: * dabuntur Diuina iustitia in potestatẽ gladij, in pœnam cõdemnabuntur damnationis æternæ: * erunt portio vulpium, proiicientur in partẽ vulpibus, malignis & callidis dæmonibus dabuntur vorãdi atq; cruciandi imperpetuũ, quibus donec vixere super terrã, ad exercendã malitiam, suas cõcesserunt voluntates: vt quibus seipsos subiecerant in culpa, eisdem tuo diuino iudicio tradãtur in pœnam. 10. Is autẽ quem tu regem fieri & consecrari voluisti, dispersis hostibus suis, ex Dei potẽtia lætabitur magnifice in Deo saluatore suo: * gloriabũtur quoq; omnes qui tibi domino Deo Diuinũ tribuũt honorem, & cultum supremum: qui aliud nomẽ non norunt per quod iurent, neq; alium dominũ in quo iuramẽtum faciant cùm ita res poposcerit: * iccirco autem tam rex quàm cæteri veri Dei serui lætabuntur in Deo, quoniã confusos videbunt impios, quoniam obstructa erunt ora eorum qui solẽt loqui impia contra Deũ & proximos suos: sicque partim de vltione Dei, vt congratulantes rectitudini diuinę iustitię, partim de sua liberatione & salute, vt extra metum omnem positi, magnificè in Deo lętabuntur & gloriabuntur in sæcula.

A *rum tuarum exultabo: * adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.*

9 *Ipsi verò in vanum quæsierũt animã meã: * introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladij: * partes vulpium erunt.*

B 10 *Rex verò lætabitur in Deo: * laudabuntur omnes qui iurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXII.

VErsu 2. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Videtur huic contrarium, quod ait Apostolus, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim subinuicem aduersantur. Nam si contraria concupiscunt, quomodo hoc in loco dicitur, & de anima siue spiritu quod concupiscat Deũ: atque itẽ de carne, quod quàm multipliciter Deũ cõcupiscat? An nõ hæc manifestè videtur repugnantia? Verum sciendũ est, quod Paulus ait de cõtrarietate, intelligi debere de carne, secundũ prauam illam corruptionem quę in ipsa inhabitat, ipsique radicitus inhæret ex prima vitiosa origine, ratione scilicet fomitis praui, qui semper ad mala sollicitat, cũ spiritus ex aduerso deprecetur ad optima. Hic verò de carne loquitur, vt reformata per exercitium spiritus, ipsique spiritui subiugata: quæ sane quo maioribus subiecta est miserijs, eo amplius pluribus rationibus ad Deum sitit, qui (iuxta Apostoli vocem) reformaturus est corpus istud humilitatis nostræ configurãdo ipsum corpori claritatis suę. Cùm enim vnaquæque res sitiat, & vehemẽter appetat suam perfectionẽ, quomodo nõ vehementer desiderabit misera ista caro (quæ nunc tantis est miserijs, infirmitatibus, passionibusq; subiecta) absolui ab his omnibus molestijs, & ad reformationẽ illam glorioſam perduci, quæ ipsam manet in præcellenti gloria? Potest verò istud corporis ad Deum desiderium & aliter intelligi, quoniã videlicet in viris perfectis, propter abundantiã & plenitudinẽ gratiæ spiritualis quæ in anima inhabitat, etiã corpus ipsum ad Deo seruiendũ, & peragendũ quę Dei sunt, prõptum sese offert, & quasi expoſcit in diuinis sese occupare obsequijs, inq; eis libẽter exercitatur & oblectatur. ¶ Versu. 3. In terra deserta, inuia, & inaquosa. Quidam istud ad literã interpretãtur de locis desertis in quibus vagabatur Dauid, cùm hunc Psalmum componeret in persequutione Saulis: Præstat tamẽ spiritualiter sæculũ istud mundi huius intelligere, quod reuera terra deserta aptissimè dici potest, & inuia & inaquosa: vbi magna est egestas & raritas nimia bonorũ, vbi vix inuenitur qui faciat bonum, vbi omnia vanitas sunt, laborq; & afflictio spiritus, vbi via veritatis spinis & tribulis, omnibusq; malis passionibus operta, non agnoscitur: vbi aquæ mundæ, aquæ veræ cõsolationis non reperiuntur, sed tantũ cisternæ dissipatæ, quæ non habẽt aquas: aut si habẽt, immundas, fœtidas & sordidas habent, è quibus neq; libitum neque licitum est bibere ijs qui Deum sitiunt. Quod autẽ dicitur, In sancto, aliqui exponunt in sanctitate, quomodo vertit Felix, & interpretatur nostra Elucidatio. Alij intelligunt, in sacrario, vt sit sensus, In hoc mundo deserto positus, licet absens corpore, spiritu tamẽ prælens, quasi in sanctuario tuo apparui corã te. Alij intelligunt, in sancto spiritu, vel in sancto desiderio: id est, per sanctũ spiritũ, vel per sanctum desiderium. ¶ Versu 4. Melior est misericordia tua, quã vitæ. Quanquam autem vitæ numero plurali non multum sit receptum Latinis, propter tamen cõseruandam veritatem sermonis Hebraici, numerũ interpretes consultò non mutarunt: quẽadmodum & in Psalmo. 50. diximus, in versu illo, Libera me de sanguinibus. In vtroque enim horum locorum Hebraica lectio similiter & Græca, numerũ pluralẽ posuerunt. Potest autem

C Galat.5.

Philip.3.

D Psal. 13. Eccle.1. Hiere.2.

in hoc numero plurali accipi emphasis quædam sententiæ, vt significetur, meliorem esse misericordiam Dei, qualiber, quantumcunq; secundum speciem fœlici vita huius temporis: quemadmodum in Elucidatione indicauimus. Chal Paraph. hanc misericordiam refert ad tempus futuri sæculi. Sic enim habet, Bona misericordia tua, quam facies iustis in mundo venturo, magis quàm vitæ, quam dedisti impijs in mundo isto. ¶ Versu 6. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum. Quidam Deum laudant labijs, sed non labijs exultationis: magis autem labijs torpentibus & frigidis, quoniam non bene peruncti, idque ex defectu interioris adipis siue pinguedinis: quoniam videlicet deest illis pinguedo spiritualis gratiæ: quæ si mentem & affectum impinguarent spirituali lætitia, non ita torpida pateretur esse, neq; adeò macilenta labiorum cantica. Recte ergo vir sanctus primum adipe & pinguedine repleri animam postulat, vt hinc laudem gratam Deo decantet in labijs exultationis. Pro labijs autem exultationis, beatus Hieronymus vertit, labijs laudantibus canet os meum. Alij labijs ouantibus, vel laudabundis. ¶ Versu 9. Partes vulpium erunt: Quemadmodum boni & iusti in partem veniũt Christo agno & sanctis angelis eius, dum eorum animas secum adducunt in beata gaudia, suis inferendas ordinibus: ita ex aduerso diabolo & angelis eius veniunt in partem ac possessionem impij, quorum animas è corpore emigrantes secum abripiunt in profundum baratri. Assignant autem alij alias expositiones. Nos ea quam in Elucidatione posuimus contenti simus. ¶ Versu vltimo, Rex verò lætabitur in Deo. Loquitur Dauid de semetipso, quasi de alio, sub persona tertia: si de persona Dauidis exponatur. Quod si secundum mysticam intelligentiam accipiamus, poterit quilibet fidelis qui regnum Dei intra se habet, passionibus malis bene imperans, & suas vires omnes recte gubernans, rex appellari: quemadmodum & vere est. Qui verò totum hunc Psalmum in persona Christi exponunt, vt positi in deserto, & ad patrem suum suspirantis ac sitientis, hi regem Melsiam in patre lætantem intelligunt.

LXIII. PSALMI ARGVMENTVM.

ORat vir iustus in hoc Psalmo, cõtra inimicos: quorum sæuitiam in cupiditate nocendi, & studio struẽdarum insidiarum præmittens, subiungit deinceps, quomodo irritæ factæ sunt Dei virtute machinationes & impia cõsilia illorum. iustis quidem de impiorum crudelitate liberatis, impijs verò pro sua temeritate iusta vltione in terrorẽ omnium percussis: quod bonis omnibus profunda contemplatione Dei opera considerantibus, materiam præstat gaudij, laudis, & gratiarum actionis, meritoq; prouocat, vt in Deo spemponant securi.

SEXAGESIMITERTII PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Exaudi Deus orationẽ meam, cũ deprecor: à timore inimici eripe animam meam.*

2 *Protexisti me à cõuẽtu malignãtiũ: à multitudĩe operãtiũ iniqtatẽ*

3 *Quia exacuerunt vt gladiũ lĩguas suas: * intẽderũt arcũ rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.*

4 *Subito sagittabunt eum, & non timebunt: * firmauerunt sibi sermonem nequam.*

5 *Narrauerũt vt abscõderent laqueos: * dixerunt quis videbit eos?*

6 *Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.*

7 *Accedet homo ad cor altum:*

EXaudi domine pater deprecationem meam qua oro ante faciem tuam: libera animã meam à timore aduersariorum qui me persequuntur, & ad mortem requirunt. 2. Protexisti & saluum fecisti me à consilio malignantium aduersum me, & impiè contra me machinantium, à multitudine eorum qui contra me ad nocendum mihi multo studio magnaq; diligẽtia operantur impietatem. 3. Ipsi enim ad vehemẽter nocendũ studiosè aprauerunt linguas suas, ad eum modum quo solent homines acuere gladios, vt facilius certiusque pugnent in eis, & quasi acutum gladium reddiderunt linguas suas: * quasi arcum tetenderunt, pro sagittis habentes rem amarã, sermonem amarissimum, verbum odij & nocumenti, vt abscondite, & quasi per insidias sagittare queant innocentem: parant sese, vt quibus modis valuerint, noceant bonis. 4. Et vt facilsus contra iustitiam sua perficiant consilia, subito & quasi inopinato solent sagittas suas aduersus innocentes dirigere, vt sic non præmeditatum facilius opprimerent, vel præueniendo obruerent: & non timuerunt neque Deum neque homines in hac impietate sua: * stabili decreto inter sese firmarunt sermonem pessimum, rem pessimam in suis consilijs statuerunt de innocentis videlicet oppressione, cogitantes opprimere & interficere eum, qui mortem nihil commeruit. 5. Dixerunt adinuicem, vt insidias ponerent innocenti, cogitantes & pariter tractantes, quomodo eum dolo tenerent & occiderent: * persuaserunt sibi, & ad mutuò sese confortandum dixerunt: quis videbit nostras insidias? nemo facinus nostrum cognoscet, absque omni impedimento & rubore voti facile efficiemur compotes. 6. Ipsi profunda inuestigatione & consideratione intima scrutati sunt, & exquisierunt: iniqua consilia * veruntamen defecerunt in adinuentionibus suis, non potuerunt prævalere in eo quod proposuerunt, & exquisitum nequiuerunt iuxta desiderium suum perficere. 7. Homines verò ista videntes, irritos scilicet fieri conatus & adinuentiones astutorum istorum, ingredientur intra sese in secretum cordis vt illic attentius considerent mirabilem hac in re prouidentiam Dei: quæ & suos nouit in tempore opportuno liberare de angustia, & aduersariorum vires infringere, & pro libito quantũ voluerint nocent: * & cùm ita ad cor prouectum intrauerint boni, exaltabitur, magnificabiturque dominus in cordibus eorum, cùm illum tam pium aduertent erga bonos, tam verò iustum & seuerum scelerum vltorem in impios. 8. Plagæ & verba eorum quibus scilicet affligere & nocere putabant bonis, factæ sunt quasi parvulorum sagittæ: nullam habuerunt potentiam: nullam ad nocendum fortitudinem: quemadmodum sagittæ puerorum in plateis cursitantium, nullam vim inferunt, nullamque læsionem vel homini, vel volucri, sed tantum laborem & fatigationem faciunt pueruli sagittantibus: * & linguæ eorum quibus iustis nocere laborabant, infirmatæ sunt contra eos: malum linguæ eorum in ipsos reflexum est, quoniam ex verbis suis iudicatur & condemnatur impius. 9. Conturbatione magna velut attoniti facti sunt omnes qui viderunt eos in se vltionem Dei portantes, & suo conatu frustratos: * & præ admiratione maxima subitæ mutationis & grauis Dei vltionis, expauerunt omnes homines, qui rem considerauerunt attentius. 10. Et annunciauerunt cum laude fideles homines, in alijs videntes Dei vltionem, mirabilia opera Dei, quæ tam potenter simul atque sapienter operatur pro liberatione electorum suorum: * & ipsi alieno malo edocti intellexerunt opera mirabilia altissimi, quòd vere sit liberator & protector seruorum suorum, & impiorum terribilis vindex. 11. Lætabuntur iusti in domino, hanc impiorum vltionem conspicientes, & firmabuntur in spe sua: adijcientque vt in Domino firment amplius spem suam: * & lætitia magna exultabunt, atque glorificabuntur omnes qui sibi sunt bene consci, in quibus est cor rectum & integrum, nulla curuitate malitiæ distortum: gloriabuntur (inquam) in contemplatione misericordiæ & iustitiæ domini Dei sui.

A * *& exaltabitur Deus.*

8 *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorũ:*

& infirmatæ sunt cõtra eos linguæ eorum.
*9 Cõturbati sunt omnes qui videbant eos: * & timuit omnis homo.*
10 Et annunciauerunt
B *opera Dei: * & facta eius intellexerunt.*

*11 Lætabitur iustus in domino, & sperabit in eo: * & laudabuntur omnes recti corde.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXIII.

VErsu 1. Totum istum Psalmum aptissime sancti patres applicãt Christo domino, aduersus quẽ tantis conatibus, totque cõsilijs agentes Iudæi, obstinati in infidelitate & odio, nihil profecerunt. Quorum etiam punitionem omnes populi gentium iam obstupescunt, mirabilem in iudicijs suis Deum glorificantes. Nos in Elucidatione expositionem vtcunque generalem dedimus, vt siue
C Christo proprie, siue iusto cuilibet generali applicatione posit æqualiter competere. ¶ Versu 3. intenderunt arcum, rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum. Interiectio accusatiui illius, rem amaram, orationem reddit aliquantulum difficilem. Hoc enim omisso, si tantum diceretur, Intenderunt arcum, vt sagittent in occultis immaculatum, minor esset obscuritas. Fiet autem sententia facilior, si res amara pro amaro verbo accipiatur, sicq; arcum & rem amaram simul iungantur ad idem verbum intenderunt, hoc sensu, Tetenderunt arcum, tetenderunt verbum amarum, quasi sagittam, ad perimẽdum innoxium. Cui sententiæ fauet, quod ex Hebræo vertit Hieronymus, Tetenderunt sagittam suam, verbum amarissimum, hoc est, Ceu tenso arcu, amara verba pro sagittis emittunt & eiaculantur in innoxios. ¶ Versu 7. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Qui non attendunt ad opera Dei, neque considerant profunda mentis contemplatione mirabilia altissimi, in his non magnificatur, nõ exaltatur Dominus. Qui verò ad cor altum, ad cor profundum ingrediuntur, secum diligenter meditantes in omnibus operibus domini, exacta pensiculatione secũ perpendentes miram illam harmoniam & consonantiam misericordiæ & bonitatis Dei in bonorũ saluatione, iustitiæque ac seueritatis in impiorũ cõdemnatione: hi nimirum Deum magnificant, vt in operibus suis vere magnum, vere mirabilem, in huiusmodi hominum cordibus exaltatur mira-
D bilis Deus. Alij verò præsentem versum de Christo Domino sic exponunt: Accedet homo Christus in passione sua ad cor altum, id est, ad perficiendum secretum & abditissimum patris cõsilium, quod cogitatum fuerat, & ab æterno propositũ in secretario Diuinitatis, & exaltabitur Deus: quoniam post passionem apparebit gloria Domini in mundi redemptione, generisq; humani saluatione, & tyranni diaboli potenti deiectione. Iuxta illud quod apud Ioannẽ ex ore suo Dominus pronunciat, dicens: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum. Et rursum, Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. ¶ Versu 8. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. In Elucidatione hunc versum ita sumus interpretati, vt conuerso sermonis ordine nominatiuus posterior plagæ eorum intelligatur suppositum verbi: prior autem sagittę paruulorum, regatur à posteriori parte, ex vi verbi substantiui, ad hunc sensum. Plagæ eorũ factæ sunt sagittæ paruulorum, secundum quem ordinẽ plagæ impiorum dicuntur, non quas ipsi accipiunt, sed quas inferre alijs conantur. Veruntamen etiam si ordinem sequamur, quem habet litera, nihilominus commoda habebitur intelligentia talis, Sagittæ paruulorum, id est, humilium atque simplicium (vtpote Apostolorum discipulorumque Domini, ac similium aliorum sequentium) prædicationes, quas velut sagittas acutas emiserunt, factæ sunt plagæ impiorum, potentum sæculi. His enim sagittis Apostolorum, vulnerati sunt & interfecti dæmones, estque ad nihilum redacta potestas eorum: vulnerati sunt scribæ & Pharisæi, potentes ac sapientes mundi, quando cruciati sunt inuidi, liuo-

Ioan. 12.
Ioan. 8.

re ac

Universidad de Deusto
Biblioteca

re ac dolore, videntes impleri contraria ijs quę ipſi volebant, videntes Dei & Chriſti gloriã effulgere, quam conabantur viribus totis opprimere. E

LXIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iſte ſecundum myſticam intelligentiam expoſitus, pulchre admodum deſcribit fœlicitatem temporis nouæ legis, & anni gratiæ fœcunditatem. In quo primum Dei bonitatẽ nunquam ſatis laudabilem cõſiderans, & ex aduerſo humanam iniquitatem conſiderans populus Dei, orationem fundit illi quem decet ſemper laudatio: fœlicitatem obiter commemorans illorum, quos iam aſſumpſit ſibi dominus in atria ſua: ad quæ licet corpore abſens, ſpiritu tamen iam aſpirat, exaudiri poſtulans ab eo qui ſumma montium ſimul & profunda marium in poteſtate habet. Atque hæc ſeptem primis verſibus. Dehinc verò ad deſcribendum fœlicitatem temporis gratiæ procedit, aſſerens omnes populos ortos & occaſus à ſignis mirabilibus conturbandos, atque etiam lætificandos, propter Dei ſingularem viſitationem, qua in tempore gratiæ dignabitur viſitare populum ſuum, & Eccleſiam ſuam ſpiritualibus bonis omnibus ditare: quæ beneficia, populo fideli magnæ erunt laudis materia, vt clamantes hymnum dicant munificentiſſimo ſuo Domino.

SEXAGESIMIQVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Te decet hymnus Deus in Sion:*
* *& tibi reddetur votũ in Hieruſalem.*

2 *Exaudi orationem meam:*
* *ad te omnis caro veniet.*

3 *Verba iniquorũ præualuerunt ſuper nos:*
* *& impietatibus noſtris tu propitiaberis.*

4 *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.*

5 *Replebimur in bonis domus tuæ:*
* *ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.*

6 *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter.*
* *ſpes omnium finium terræ, & in mari longe.*

7 *Præparans montes in virtute tua accinctus potentia:*
* *qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.*

E Deus ſumme & optime laudatio decet in Sion, tibi æquum eſt offerri laudis cantica in Eccleſia fidelium tuorum, dignus es cui laudẽ canat populus tuus:* & in ſuperna Hieruſalem vota reddent tibi beati incolæ ciuitatis illius, plenam cordis ſui deuotionem reddent tibi in laudatione perpetua, & inceſſabili voce cantici. F

2. Exaudi Deus orationem quã ad te fundit populus tuus, hìc in carnis adhuc miſeria poſitus, & præſta quæ petimus dona gratiarũ tuarum: *tu enim es iudex, omnium habens poteſtatem, cuius vultui omnis caro præſentabitur, ante cuius tribunal omnis homo viuẽs in carne manifeſtabitur, vt referat vnuſquiſq; prout geſſit in corpore, ſiue bonũ ſiue malũ. 3. Verba impiorũ male permiſimus prævalere nobis, ſuggeſtionibus malis cõſenſum dedimus: partim ignorantia decepti, partim cõcupiſcẽtia propria abſtracti & illecti, ſicque in multis te laudabilẽ dominũ offendimus: *tu verò es cui ſoli competit ,ppitiari iniquitatibus noſtris, qui ſolus tã potens es vt valeas peccata dimittere, tã inſuper bon9 vt velis, quotieſcunq; miſericordiã pœnitentes poſcimus. Propter quod tuã bonitatẽ contẽplantes, noſtrã ex aduerſo impietatem conſiderantes, merito ad te clamamus, exaudiri poſtulãtes. G

4. Illi verò beati ſunt, quos tu ab æterno prædeſtinatos elegiſti tibi in filios adoptionis & regni tui, quosque iam aſſumpſiſti ex huius ſæculi miſerijs & infirmitatibus carnis, ad fœlicitatem regni tui, & in tuã perpetuã familiaritatẽ tibi iam aſſociaſti, vt amodo ſecuri inhabitent in aula illa ampliſsima & ſpecioſiſsima cæleſtis regni tui: quos (inquã) ad hanc fœlicitatem iã euocaſti ex ærumnis corporis huius, merito nos dicimus beatos. 5. Illic enim abundantia erit & perfecta ſatietas omnibus incolis beatæ hæreditatis illius, ibi & nos cum illis qui priores aſſumpti ſunt, pariter ſatiabimur in plenitudine bonorũ, quæ præſtabis in nobis in oſtenſione gloriæ & aſpectu vultus tui: * prorſus mundũ & ſanctum eſt hoc glorioſum templum tuũ, in quo cum tuis beatis perpetuo inhabitabis, & eſt in iuſtitia, munditia, & puritate admirabile, ita vt ſanctius, mundius, purius, immaculatius nihil valeat excogitari, adeò vt nihil coinquinatum in eã valeat introire, nihilque vel minima ex parte immundũ in ea poſsit inueniri. 6. Et hoc proinde qui adhuc in periculis verſamur corporis huius, multis quotidie delictis obnoxij, abſq; ceſſatione te precamur, pijſsime Deus ſaluator noſter, vt noſtris impietatibus iugiter propitium te exhibeas, & peccata dimittas debitoribus: ne forte impedimento fiãt nobis pertingẽdi ad ſanctũ illud tẽplum tuum: *tu, inquã. Saluator noſter, qui es ſpes & fiducia omnium inhabitantium ſuper vniuerſam terrã, in omnibus finibus eius, atq; etiam in extremis maris, in nouiſsimis inſulis procul à terra diſtantibus. 7. Tu qui in fortitudine virtutis tuæ montes eleuas in altitudinem ſuam, eosque aſcendere facis in ſublimitatem altitudinis ſuæ, paratus ad opus, & quaſi accinctus in potentia tua, quę te facit ad omne opus (quantumuis humanis viribus impoſsibile) ſufficiẽtem & validum: * & ſicut in ſupremis montium operaris in potentia tua, ita ſimiliter & in profundo maris plenũ habes imperium, & operaris pro tuo libito: ipſum conturbans vbi volueris, etiã in profunditate ſua, nedũ in aquarũ ſuperficie, ſonumque ac tumultum fluctuum H

A
8 *Turbabuntur gẽtes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis:*
* *exitus matutini & veſpere delectabis.*

9 *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam:*

B
* *multiplicaſti locupletare eam.*

10 *Flumen Dei repletum eſt aquis:*
* *paraſti cibum illorũ, quoniam ita eſt præparatio eius.*

11 *Riuos eius inebria, multiplica genimina eius:*
C
* *in ſtillicidijs eius lætabitur germinans.*

12 *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ:*

* *& campi tui replebuntur vbertate.*

D
13 *Pingueſcent ſpecioſa deſerti:*

* *& exultatione colles accingentur.*

14 *Induti ſunt arietes ouium:*

* *& valles abundaſese magno horrore collidentiũ. Tu enim & in altiſsimis montiũ, & in profundiſsimis mariũ, æquam & eandem habes poteſtatem. 8. Specialiter verò in plenitudine tẽporis oſtendes admirabilem potentiam tuam, quãdo propter admirabilia ſigna, atque prodigia inaudita, cõturbabis gẽtes præ admiratione, & timere facies omnes populos, etiã qui habitant in extremis finibus terræ: * populos exitus matutini ſiue orientis ſimul & veſpere ſiue occidentis, tu delectabis & lætificabis in mirabilib9 prodigijs tuis, quæ exhibiturus es humano generi. Vniuerſi enim habitatores orbis (etiã qui in extremis orientis, vnde ſol mane egreditur ſuper terram, & in extremis occidentis, quo ſol veſpere reuertitur, habitant) mirum in modum præ admiratione conturbabuntur & lætificabuntur propter nouitatem ſignorũ quę fient in fine temporum, & annunciabuntur per orbem vniuerſum. 9. In plenitudine enim temporis, quando tibi placuit manifeſtare miſericordiam tuam, viſitaſti populum tuum, habitãtes ſuper terrã, in dulcedine gratiæ tuæ, mittens eis Meſsiam liberatorẽ & reſtitutorem omnium: per quẽ copioſe impleſti, abundẽque irrigaſti & fœcundaſti eos aquis ſalutaris doctrinæ, & ſpiritualis gratiæ, quas tũ temporis copioſe feciſti ſuper terram fluere: * multipliciter valde ditaſti, & plurimum locupletaſti habitatores terræ, eos qui antè fuerãt pauperes, inopes, famelici, & ſiticuloſi, abundanter cunctis implens bonis, ita vt nihil iam eis deſit in vlla gratia. 10. Impleuit Deus flumen ſuum aquis, omnipotens pater Chriſtum ſuum (per quem mundũ voluit ſaluare & irrigare) impleuit gratijs ſpiritus ſancti, dans ei non ad menſuram ſpiritum, vt ſic de eius plenitudine omnes acciperent: * ſicq; ex plenitudine huius fluminis cibum & potũ illis qui habitant ſuper terram paraſti, ſancte pater omnipotẽs, vt eſurientes paſceres, & potares ſitientes, Ita enim debuit fieri præparatio terræ, ita debuit, & ita voluiſti eã viſitari & renouari per aquas fluminis tui, & cibum ſpiritualem, quem paraſti eis. 11. Sanctos Apoſtolos diſcipulos atq; prędicatores tuos (in quos Chriſti plenitudo deriuata eſt, quẽadmodũ à fluuio in riuulos aqua deducitur) copioſe implebis ſpirituali gratia & ſalutari doctrina, ſicque ex eorũ abundãtia multiplicabuntur nouæ plantationes, & generabuntur in te plurimi generatione noua quæ ex Deo eſt regenerati: * lætabitur ipſa terra germinans in guttulis gratiæ Dei, per riuos defluẽtibus atq; ſtillãtibus in ipſam deſuper, & profectum ex deſuper ſtillãte gratia accipient habitatores eius: quẽadmodũ terra corporalis quodammodo lætatur & gaudet, ſtillantibus ſuper ipſam guttulis pluuiæ temporaneæ. 12. Benedices tu Domine toti plenitudini & circulo tẽporis illius gratiæ & miſericordię, dabis benedictionem, & pones miſericordiã tuam toti tempori gratiæ (quod ab aduentu Meſsiæ ad cõſummationem vſq; ſæculi perdurabit) omnibusq; partibus temporis illius benedices, ita vt nunquã claudas miſericordiam tuam, aut gratiam abſcondas è tuis electis, donec annus iſte, ſiue hoc tempus gratię durabit, ſed permanebis cum eis vſque ad conſummationem ſæculi: * & ex gratia tuæ benedictionis, campi tui (id eſt, Eccleſiæ tuæ, quas tibi colis ad ferendum ſpiritualem fructum, quemadmodum agricola campum colit ad ferẽdos fructus corporales) replebuntur abundãtia omnium bonorum ſpiritualium, onuſtiq; erunt bonis fructibus virtutũ & virtuoſarum actionum, cuiuſmodi fructus tu requiris. 13. Ex eadẽ quoq; benedictionis tuæ gratia pingueſcent & fœcundabuntur paſcuæ deſerti, quod prius fuerat aridum, ſterile & infœcundum: populus gentium, qui fructum nullum faciens Deo, quaſi deſertum repu tabatur, cæleſti gratia conuerſus & impinguatus, fœcũdabitur cæleſti munere, vt fructus faciat dignos Deo: * & qui in populo Dei fuerint eminentes, more collium, præpoſiti ſimplicibus, peculiari exultatione lætabuntur, & veluti accingentur, tanquã ad miniſteriũ ſibi creditum prompti & expediti: cùm viderint ſibi cõmiſſos continuo profectu in Deo creſcere. 14. Ipſi, inquam, præpoſiti & prælati in Eccleſijs, qui ante cæteros gradiuntur, verbo & exẽplo ſuis ſubditis ducatũ viæ præſtantes, eoſdemq; per Euangelium Chriſto gignentes (ad eum modũ quo arietes ante oues gradiuntur, iiſdemque ſunt generationis principiũ) induti ſunt exultatione & gaudio, cùm viderint filios ſuos in veritate ambulãtes, ditari in omnibus ſpiritualibus bonis, quo maius nõ poteſt cõtingere gaudium ſpiritualibus patribus: * humiliores*

Actu.10. Matt.28. Rom.14. 2.Cor.5.
Iacob.1. Iacob.3.
Pſal.16.
Apoc.21.
Luc.1. 1.Cor.1. Ioan.3. Ioan.1.
Matt.28.

bunt frumento:
** clamabunt, etenim hymnum dicent.*

autē & prępositis ſubditi in Eccleſia populi, nullius boni defectū patiētur, ſed abundabūt frumēto & pabulo ſpirituali, fructumq; ferent copioſum bonorū operū: * ac tūc quidē maiores ſimul atq; minores, prępoſiti vna cū ſubditis, vna voce clamabunt in voce gratiarū actionis, & cantabunt laudem tibi beneficentiſsimo & liberaliſsimo domino, qui præſtiteris illis miſericordiam tuam in ſæculum, Amen. E

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXIIII.

VErſu 1. Te decet hymnus Deus in Sion Pſalmo 32. dicitur, Rectos decet laudatio. Hic autem, Deum decet hymnus ſiue laudatio. Et vtrunque verè dicitur. Nam rectos decet, hymnum & laudem offerre Deo: ipſum autem Deum, à rectis decet accipere, Illos decet, vt ſoluant: hunc, vt ſuſcipiat. Alteram autem partem verſus huius, Tibi reddetur votum in Hieruſalem, ita in Elucidatione explanauimus, vt diuerſam habeat ſententiam à Priore. Per Sion enim Eccleſiam iſtam militantem, per Hieruſalem verò triumphantem intelleximus. Votum autem reddendum diximus in ſuperna Hieruſalem, quoniā illic Deum pleno corde inceſſanter laudabimus. Donec enim in hac carne degimus, laudare Deum pro voto non poſſumus, propter carnis multimodas miſerias. Ibi autem, omni ſemoto & longiſsime excluſo impedimento, plenam Deo & perpetuā laudem inceſſanter offeremus: quomodo de quatuor animalibus in ſacra Apocalypſi legitur, ꝙ requiem non habebant
Apoca.4. nocte ac die, clamantia atque dicētia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus noſter omnipotens qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Sicui tamen hęc diſtinctio non arriſerit (maxime ꝙ in Hebręo non habeatur particula illa, in Hieruſalē) poterit has duas partes ſub vna cōcludere ſententia, vt idē ſit poſterior quod prior, ſitque ſenſus, Te decet laus in Eccleſia, & tibi debet reddi votum, ſiue pia cordis affectio, laudis, gratiarum actionis, & amoris in populo tuo. ¶Verſu 2. Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet. Præter ſenſum in Elucidatione poſitum, poteſt & iſte aſsignari, Exaudi tu Domine quam ad te fundo orationem, quoniam tu es ad quem venit ſupplicandi, & orandi gratia, omnis homo viuens: quoniam ad te venit omnis homo, quicunque poſtulare aliquid voluerit, te debemus in omnibus ſemper requirere, tibique de omnibus quæ deſiderauerimus ſupplicare: quandoquidem omnium tu habes poteſtatem. ¶Verſu 3. Verba iniquorum prævaluerunt ſuper
Genc.3. nos. Quomodo primis noſtris parentibus prævaluerunt verba impij ſerpentis, quando illi conſenſum præbentes, miſere ſeducti fuere: ita & nos eorum poſteri quotidie verbis impiorum ſeducimur, partim per ignorātiam, quæ nos cæcutire facit, vt malum bonum exiſtimemus, & bonum malum: maxime vbi ſuauiloqui alicuius ſeductoris blanda & elaborata ſuaſio acceſſerit: partim verò
Iacob.1. concupiſcētia propria abſtracti & illecti. Vnuſquiſque enim (vt Iacobus ſanctus ait) tentatur, à propria concupiſcentia abſtractus & illectus. Facillime enim verba impiorum mala proponentium nobis prævalent, ſi concupiſcentiæ quæ proponuntur arriſerint. His ergo modis facile fit, vt quotidie
Iacob.3. in multis omnes offendamus: ſed iucundum eſt quod mox adiungitur, verbum miſerationis. Et iniquitatibus noſtris tu propiciaberis. Eſt enim pulchra admodum ſermonis propoſiti correſpondētia, in partibus ſibijnuicem oppoſitis, cū prius dicitur, Super nos prævaluerunt verba impiorū: mox vero econtrario ſubditur, Et iniquitatibus noſtris tu propiciaberis. ¶Verſu 4. Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti. Electionem hanc & aſſumptionem Elucidatio interpretatur, ad patriam cæleſtem introductionem. vt ſit ſermo talis, qualem ſolent homines in mundo adhuc habitantes, ſuāque multiplicem miſeriam & quotidianas offenſas recogitantes, loqui in gemitu cordis, dicentes, O quàm beati ſunt ciues illi ſuperni, qui iſtas iam miſerias tranſierunt, quàm beata eſt illorum ſors qui iam in pace ſecura ſunt compoſiti. Attamen qui volet, intelligere poterit etiā de præſenti vita, beatos eſſe ſecundum ſpem vitæ æternæ, quos Dominus elegerit ad ſaluandum, & quos aſſumpſerit ipſe in ſuam protectionem, curam, cuſtodiam, & in ſuam familiaritatem ſibi adiunxerit: vt eos in huius mūdi tumultibus ſecuros cuſtodiat à malo, ſicque ad beatam vitam tādem bono fine perducat. ¶Verſu 5. Sanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate. Secundum vſitatum loquendi modum dicitur templum Dei mirabile in æquitate, id eſt, pleniſsimum æquitate, ita vt nihil poſſet ibi iniquitatis
H inueniri vel intromitti: quemadmodum cùm dicimus hominem diuitijs, ſapientia aut potentia admirabilem, ſignificare volentes, eum plenum diuitijs, ſapientia, aut potentia. ¶Verſu 7. Præparans montes in virtute tua. Præter expoſitionem quæ in Elucidatione poſita eſt, poteſt verſus iſte aliter intelligi, Qui montes ornas, & veſtis herbis, graminibus, atque arboribus, per fortitudinem tuam. ſicque præparas, vel ornas, vel inſtruis in virtute tua. Cui expoſitioni ſatis fauet, quod habet Chaldai. Paraph. Qui præparat cibum ibicibus montium, in virtute fortitudinis ſuæ. Quaſi enim præparantur & ornantur montes, quando arboribus, herbis, atque graminibus veſtiuntur & ornantur, vt valeant in eis animalia inuenire ſuum pabulum. Nonnulli verò montes iſtos Dei virtute præparatos, ſpiritualiter intelligunt, ſanctos Apoſtolos & Apoſtolicos viros, quos Deus præparauit in eximia virtute ſua, ad ædificium Eccleſiæ, & fundamentum ſolidæ veritatis in æternum ſtabiliendæ: myſtice item intelligentes conturbationem profundi maris, & ſoni fluctuum eius, commotionem populi gentium, quæ facta eſt tempore gratiæ ad prædicationem ſanctorum Apoſtolorum. ¶Verſu octauo. Exitus matutini & veſpere delectabis. Magna videtur in hac parte eſſe difficultas, quoniam in ea nulla apparet completa ſententia. Fiet autem facilior lectio, ſi aliquid ſubaudiatur, iuxta quod in Elucidatione indicauimus, ad hunc modum, Homines exitus matutini & veſpere delectabis, vel habitatores exitus matutini & veſpere, capiendo totum illud exitus matu-

A matutini, vt ſit genitiui caſus, pro oriente, ex quo ſol mane egreditur: & veſpere pro occidente, ad quē ſol veſpere reuertitur, vt intelligantur habitatores orientis & occidentis. Cui ſententiæ ſatis accedit, quod ſecundum ſententiā quidā vertit ex Hebræo, Facies lætos otiare, qui agunt ad ortum ſolis, quiq; ad occaſum: Poſſet etiam ſubaudiri ablatiuus, tempore, ad hunc ſenſum, Timebūt qui habitant terminos à ſignis tuis, lætificabis habitatores orbis, tempore exitus matutini & veſpere, hoc eſt, mane & veſpere lætos facies eos, vt cantent laudē & hymnū tibi, vel lætificabis, & cantare facies eos à ſolis ortu vſq; ad occaſum. Atque huic conſonat quod habet Chald. Paraph. Ab ortu matutino & veſpere, ordinabis in ore eorum laudē. Beatus Hieronymus ex Hebręo vertit, Egreſſus matutini & veſperi laudantes facies, quod eandem habet cum noſtra lectione obſcuritatem. Quod autem quidam pro delectabis, legunt delectaberis vitioſum eſt. Nam & in Græco & in Hebræo & in correctioribus codicibus Latinis, verbum actiuum ponitur, non paſsiuum. ¶Verſu 10. Flumē Dei repletum eſt aquis. Poteſt per hoc flumen Dei, præter expoſitionem in Elucidatione poſitam, intelligi populus fidelis, qui à fonte Chriſto impletur aquis, dum de eius plenitudine accipiunt omnes credentes. In poſtrema autē parte, cùm dicitur: Quoniam ita eſt præparatio eius, relatiuum eius ac- Ioan. 1.
cipiatur genere fœminino, referatque terram de qua in priore verſu dictum fuerat, Viſitaſti terrā, & inebriaſti eam, iuxta ſententiam in Elucidatione poſitam. Alij verò putant referri ad cibū. Neque ſic incommoda habebitur ſententia. Beatus tamen Hieron. in ſua verſione ex Hebræo priori ſententiæ
B aperte aſtipulatur, genere fœminino vertens, Quoniam ſic fundaſti eam: quod manifeſtum eſt ad cibum referri non poſſe. ¶Verſu 11. Riuos eius inebria, multiplica genimina eius: in ſtillicidijs eius lætabitur germinans. Pronomen eius tertio repetitum, vbique referre videtur terram: quoniam eodem caſu fœmineo, tam in Græco q̄ in Hebræo, quolibet prædictorum locorū ponitur. Riuos autem in Elucidatione diximus ſanctos Apoſtolos, idq; cōparatione (vt arbitror) nō inepta. Eſt enim Chriſti diuinitas, ſiue ipſe Deus pater, quaſi fons vnde manat originaliter omnis gratia viuificans: Chriſtus autē homo, veluti flumen eſt, quod à fonte prædicto ſecundū plenitudinē impletur: ſancti Apoſtoli atque eorum ſucceſſores, velut riuuli ſunt, per quos aquæ fluminis deriuātur in vniuerſam terram. Neque enim per ſemetipſum Chriſtus dominus ſecūdum humanitatis formam vbiq; terrarū prædicauit Euangelicā gratiam, ſed miſsis Apoſtolis in omnē terram diffudit gratiæ ſuę plenitudinem. Quod ſi cui non placebit hæc comparatio, poteſt ſimpliciter intelligere per riuos, ſiue ſulcos terræ omnes humiles, & contritos corde, qui ſe diuinæ gratiæ capaces effecerint per pœnitentiam. Huiuſmodi enim qui corda ſua (iuxta Prophetæ monita) ſciderint per pœnitentiam, implebūtur & Ioēl. 2.
irrigabuntur aquis gratię Dei. Siquidem humilibus Deus dat gratiā. ¶Verſu 12. Bened. coron. anni 1. Petr. 5.
benig. tuæ. Annum diuinæ benignitatis, vocat Pſalmiſta tempus nouæ legis & gratiæ, quod Paulus
C Apoſt. ex authoritate Eſaiæ Prophetæ appellat tēpus acceptabile, & diē ſalutis, cùm ait, Ecce nunc Pſal. 49.
tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Quod tēpus & alibi apud Eſaiam ca. 61. tannus acceptus 2. Cor. 6.
vocatur, in ea Prophetia, quæ de Saluatore Chriſto loquitur, in hunc modū, Spiritus domini ſuper Eſai. 61.
me, eo ꝙ vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, &c. prædicare annum domini acceptum, & Luc. 4.
in diem retributionis. Facit autē difficultatem nonnullā ſermonis, quod non dicitur ſimpliciter Benedices anno benignitatis tuæ. (Nam id facilē vtcunq; haberet intelligētiam) ſed dicitur, Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Difficile autem videtur, quid ſibi velit corona iſta anni benignitatis Dei. Accipiendus eſt ergo appoſitus ſermo, ad hūc ſenſum, Benedices anno gratię per circuitū, perq; totū Circulū, & (vt ita dicam) coronatim: vt hoc loquendi modo inſinuetur totalitas & plenitudo, quantū ad tēporis gratiæ benedictionē, ſecundum ſententiam in Elucidatione prolixius expoſitam.

LXV. PSALMI ARGVMENTVM.

VIdetur huic Pſalmo dediſſe materiam inſignis aliqua victoria, aut liberatio magnifica de manu hoſtium, ſub quibus Iſraëliticus populus ante graui ſeruitute fuerat afflictus: pro qua ſalute gratias agere volens Pſalmiſta, in perſona populi totius Pſalmum hunc cecinisse putatur: in quo, ad Dei laudem conuocat vniuerſos habitatores terræ, ad conſiderandum opera admirabilia altißimi, quæ operatur pro filijs hominum,
D *ſpecialiter commemorans memorabilem illam maris rubri pro patribus exſiccationem, ac deinde factam populi liberationem (præmiſſa iterum laudis exhortatione) proponens, quòd per ignē & aquā eduxerit populū ſuum Deus in refrigerium. Propter quod, in gratiarum actionem, holocauſta omnis generis offerre, & vota in tribulatione promiſſa perſoluere pollicetur, in gratitudinis teſtimonium. Rurſum verſu decimoquinto, velut ad concionem conuocans omnes timentes Deum, exponit ad finem vſque Pſalmi, quam in oratione à Deo accepit miſericordiam, ſicq; in Dei benedictione (vti incœpit) plenus gaudio Pſalmum terminat.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXV.

*1 Iubilate Deo oīs terra, Pſalmum dicite nomini eius: * date gloriā laudi eius.*

2 Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua domine:

IVbilate Deo omnes inhabitatores orbis terræ, pſalmos Pſal. 118.
& hymnos canite nomini eius, quod eſt glorioſum & benedictū in ſæcula: * date gloriā, & exhibete omnem honorem laudi eius, ipſumque ſuper omnia laudabilem vt laudandus eſt glorificate. 2. Dicite domino in confeſsione magnitudinis eius, quàm admirabilis & quàm ſtupenda ſunt opera tua potentiſsime Deus, quæ tu oſtendiſti in creatione, gubernatione, diſpoſitione & inſtauratione rerum omnium, peculiariter quoque pro ſalute ele-

Universidad de Deusto
Biblioteca

* *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.*

Exod. 8. 9. & 10.

3 *Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmũ dicat nomini tuo.*

4 *Venite & videte opera Dei terribilis in cõsilijs super filios hominũ.*

Exod. 14.

5 *Qui conuertit mare in aridam:*

* *in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso.*

6 *Qui dominatur in virtute sua in æternũ:*

* *oculi eius super gentes respiciunt:*

* *qui exasperant, non exaltẽtur in semetipsis.*

Heb. 4.

7 *Benedicite gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis eius.*

8 *Qui posuit animam meam ad vitam:*

* *& non dedit in commotionem pedes meos.*

9 *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti:*

* *sicut examinatur argentum.*

Esaiæ 1.

10 *Induxisti nos in laqueũ:* * *posuisti tribulationes in dorso nostro:*

* *imposuisti homines super capita nostra.*

11 *Transiuimus per ignẽ & aquam:* * *& eduxisti nos in refrigeriũ.*

12 *Introibo in domum tuam in holocaustis:*

electorum tuorum: *tam terribilia, inquam, sunt opera tua, vt ob magnitudinem potentiæ tuæ etiam inimici tui, qui ex corde te non amant, metu seruili compulsi mentiantur tibi, simulantes seruire tibi & velle implere voluntatem tuam, cùm non ex animo velint: quemadmodum impius Pharao fortitudine manus tuæ compulsus, & plagis perterritus ac fatigatus, pluribus vicibus promisit seruo tuo Moysi dimittere populum, quod tamen relaxata manu tua non præstabat. 3. Omnes qui inhabitãt terram, summum tibi impẽdere debent honorem, teque vt summũ & super omnia excelsum solũ verum Deum adorare, tibique laudem decantare: psallere debent omnes & cantare dulcia laudis, & gratiarũ actionis cantica, nomini tuo magno & benedicto in sæcula. 4. Venite vniuersi habitatores orbis, adiungite vos mihi, mecumque parirer attendite, vt profundiori contemplatione consideretis opera Dei: qui Deus terribilis est, nimiumque admirabilis ac stupendus in cogitationibus suis, quas cogitauit de filijs hominum, in ijs quę voluit operari & facere pro seruis suis vilibus & infirmis, de genere mortalium. 5. Qui per virtutem suæ potentiæ mare rubrum ita exsiccauit, ac si fuisset terra arida, ita vt nõ solum transnatare, verumetiã per medium siccati aluei siccis vestigijs perambulare possent patres nostri, filij Israël, fugientes Aegyptios: * & in loco fluminis, vbi prius aquæ fuerant copiosissimæ, pertransibant pedibus suis patres nostri: ibi lætabantur magnifice in ipso Deo suo, qui tanta suo populo ostendisset ad salutem suam prodigia. 6. Ipse est qui in virtute omnipotentiæ suæ dominatur, & imperium tenet vniuersale super vniuersum orbem, nullo vnquã temporis fine claudẽdum, sed absque termino imperpetuum duraturum: * oculi eius ad omnes populos respiciunt, contemplatur per suam omniscientiam bonos & malos, vt vnicuique reddat pro suis operibus congruam mercedem: atque ob hoc, homines inobedientes, rebelles, & qui irritant suis impietatibus Deum, caueant sibi à superbia, non glorientur in semetipsis, quasi impunè sint euasuri. Non enim effugient manus eius, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, & cui non potestas deest aut potentia, ad inferendam vindictam. 7. Benedicite omnes populi, & collaudate dominum Deum nostrum, & voces laudis eius facite audiri palam omnibus, ita vt resonent vbique voces laudationis eius: in publico & aperto detis illi confessionem, vt palam exaudiant omnes. Dignissimus enim est, cuius laudes resonent per ora omnium super vniuersam terram. 8. Ipse enim constituit animas nostras ad vitam qui ex bonitate electionis suæ nos elegit ad vitam, & à morte præseruando custodiuit ad vitam: * non permisit commoueri in lapsum & mortem pedes nostros, non est passus nos mortificari ab hostibus nostris. 9. Quanquam enim hactenus nos populum tuum multis passus es calamitatibus corporalibus affligi ab hostibus, non id tamen egisti vt nos deleres, vel morti traderes: sed ad nostrum cõmodum omnia disposuisti, vt nos probares & examinares, vtrum in lege tua constantes inueniremur: * & quemadmodum in camino ignis examinatur ac purificatur argentum, ita nos in camino tribulationis voluisti probare & mundare, per patientiam ad purum excoquendo scoriam, vt essemus corã te velut argentum probatissimum. 10. Permisisti olim tua voluntate super nos venire, & ad tempus permanere laqueum captiuitatis, iugum seruitutis sub gentibus alienigenis, quæ in circuitu nostro sunt, & principibus eorum: * passus es graues tribulationes & afflictiones super nos venire, quas portare & sustinere debuimus, ac velut incuruato dorso gestare: * sub vilissima seruitute hominum alienigenarũ & infidelium siuisti subiectos nos fieri, seruitute vtique tanta, tam graui, & tã cõtemptibili, vt quasi super capita nostra viderentur ambulare dominatores nostri, qui nos sibi subiugauerant. 11. Ita nos transiuimus per difficilima & laboriosissima discrimina: experti sumus & passi, te permittente, quæ videbantur intolerabilia, quomodo si quis ignem & aquam transeat: * nunc autem eduxisti nos in refocillationem & requiem qualemcunque, à tantis laboribus, postquam placuit tibi iterum reuerti ad populum tuum, & præstare nobis de inimicis victoriam, sub quibus ante victi ac prostrati iacebamus. 12. Proinde de tribulatione, tuo munere liberati, introibimus ante conspectum tuum, in templum sanctum tuum

A * *reddã tibi vota mea, q̃ distinxerũt labia mea.*

13 *Et locutũ est os meũ in tribulatione mea.*

14 *Holocausta medullata offerã tibi cum incenso arietũ:* * *offeram*

B *tibi boues cum hircis.*

15 *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*

16 *Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea.*

17 *Iniquitatẽ si aspexi*

C *in corde meo, non exaudiet dominus.*

18 *Propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.*

19 *Benedictus Deus q̃ nõ amouit orationẽ meã & mĩam suam à me.*

tuũ, cum holocaustis quæ offerimus corã te, in testimonium gratitudinis: * persoluemus tibi vota quæcunque pro nostra saluatione, vel pollicitatione certa tibi cõsecrauimus: vel etiam proposito bono offerre decreuimus, cum adhuc in tribulatione ageremus, quæ aperuerunt vel egressa sunt labia nostra, hoc est, quę per labia nostra pollicitus sumus, vel consecrauimus tibi. 13. Et quæcunque per os nostrum loquuti sumus, cum adhuc in tribulatione essemus, ea tibi promptissimo animo volumus cũcta persoluere: neque iam extra periculum positi ita infideles erimus, vt obliuiscamur eorum, aut persoluere ea negligamus, quæ in tribulatione nostra polliciti sumus. 14. Holocausta electissima, pinguissima, ac delicatissima, medullis & adipe plena, offeremus tibi, simul & arietes quos incedemus in holocaustum coram te: * offeremus tibi boues pariter & hircos, non viles, neque minimi pretij hostias, ne de peioribus aut vilioribus tibi faciamus immolationem: & in vniuersum ex omnibus quæ tibi grata esse cognouerimus ad sacrificandum, ea offeremus ante cõspectum tuum eaque & pretiosissima & electissima. 15. Accedite verò huc ad me omnes qui timorem habetis domini, & auribus percipite quæ ego vobis dicturus sum & narrabo vobis, quanta fecerit pauperculæ animæ meæ. Nequeo enim celare aut intra me continere Dei beneficia, tam sum gaudio plenus, vt necesse mihi sit in commune effundere omnibus 16. In tribulatione positus ad ipsum ex cordis intimo per os meum clamaui, ipsum in oratione fideliter inuocaui & exaltaui, magnificauique eum in lingua mea, ipsum solum Saluatorem confitendo, ipsique vota tacite faciendo pro consequutione auxilij. 17. Veruntamen si iniquitatem vllam aspexissem in corde meo, si vllius mihi peccati fuissem conscius, profecto non exaudisset me dominus, auertisset à clamore meo aures misericordiæ suæ, donec per pœnitentiam studuissem cor meum iniquitate emundare. 18. Et quia omni cura studui corde purgato ad illum orationem meam effundere, idcirco exaudiuit me dominus, & aurem suam inclinauit ad exauditionem vocis meæ. 19. Et verè benedictus sit atque laudatus in æternum dominus Deus meus, qui non abiecit orationem serui sui, neque repulit eam à conspectu suo, sed accedere permisit, & ascendere fecit vsque ad thronum gratiæ suę, vt exauditionem reportaret, neque item misericordiã amouit aut prohibuit à seruo suo, sed eam vsque ad me venire permisit, mihique auxilium & salutem ferre præcepit sola bonitate sua: etiamsi ex memetipso tanta gratia minime dignus existam.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXV.

D VErsu. 2. In multitudine virtutis tuæ mentientur inimici tui. In hoc verè maxima declaratur Dei potentia, quod etiam inimicos compellit interdum sua potestate, ad exhibendum sibi ficta obsequia: quemadmodum in exemplo Pharaonis, quod proponit Elucidatio manifestissime apparet: qui cum plagis Dei affligeretur, Moysen petiit apud dominum fieri pro se intercessorem, promittens, populum Dei dimittere: quod tamen à plaga, Moysi oratione liberatus, facere recusabat, donec adueniens plaga alia rursum mentiri compelleret, iam antè fœdifragum. Simile serè & de Philistinorum principibus, propter archam Dei fœdissimo vulnere percussis, legimus: qui consilio sacerdotum & diuinorum, ad placandum Dei iram, & satisfaciendum pro peccato, quòd archam Dei infideles apud se detinuissent, iuxta numerum prouinciarum suarum fecerunt quinque anos aureos, & quinque aureos mures: quoniam in his plagis fuerunt percussi, sicque compulsi gloriam dederunt Deo Israël, ut manum suam releuaret ab eis, & à diis suis, & à terra sua: quãdo & plaustro nouo ob reuerentiam imposuerunt archam domini, iungentes in plaustro duas vaccas fœtas, quibus iugum non fuerat impositum: ipsis quoque satrapis vsque ad terminos Philisthiim insequentibus. Cum hæc, inquã, timore & vltione dira compulsi, facerent alienigenę Philisthæi, veri Dei inimici, animo neutiquam recto ad colendum Deum, sed tantum necessitate quadam ad euasionem pœnæ, reipsa tamen gloriam illi dantes, quem sic similiter timebant: nónne recte dicemus, q̃ & hic præ multitudine virtutis Dei, mentiti sunt illi inimici eius? Idem omnino de impio Antiocho dicendum, qui in diebus suis nouissime, morbo fœdissimo à Deo percussus, epistolas scripsit ad Iudæos, plenas fictæ, & solis tormentis extortæ pietatis: cum antè obstinatissimo animo aduersus locum sanctum, & legẽ Dei sanctam impiissime desæuisset. ¶ Versu. 4. Venite, & videre opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. Secundum vulgatam lectionem nostram, dictio terribilis accipi debet casu genitiuo, ac iungi cum genitiuo Dei, vt sit sensus, Videte opera Dei, terribilis in consiliis, id est, Dei qui est terribilis. Psalterium autem Romanum sic habet, videte opera domini quàm terribilis in consiliis super filios hominum. Iuxta quam lectionem nominatiuo ca-

Exod. 9. 8. & 10.

1. Reg. 6.

2. Ma. 9.

Universidad de Navarra Biblioteca

sũ accipi debet terribilis, quomodo habet etiã lectio Græca ἀσφαλὴς ἐν βουλαῖς. ¶Versu 5. Qui cõuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede. In Elucidatione vtranque partem de transitu maris rubri exposuimus. Posset tamen pars prior sola, de maris rubri diuisione intelligi: posterior autem, de diuisione Iordanis fluuij, qui exiccatus fuit diuina virtute, vt transirent per eum filij Israël ad terram promissionis. Vtrunque enim horum, admirabile & celeberrimum opus fuit. Et huic expositioni manifeste consonat Chal. Paraphrasis, quæ sic habet, Qui conuertit mare rubrum in siccum, in flumine Iordanis transierunt filij Israël pedibus suis. In eo autem quod sequitur, Ibi lætabimur in ipso, videtur tempus futurũ poni pro præterito, & persona prima pro tertia, vt sit sensus, Ibi lætabuntur, scilicet patres nostri, in ipso Deo Saluatore suo. Vel secundum tempus futurũ, lætabimur nos etiam posteri in ipso domino, quoties recordabimur ista quæ pro patribus fecit mirabilia, confidentes, q̃ similiter & nos velit ac possit etiam de maximis periculis liberare. Vel secundum mysticam intelligentiã, nos fideles & Christiani, ibi lætabimur, in ipso Saluatore: quoniam ille maris rubri trãsitus per quem effugiebant patres Israëlitici Pharaonis imperium, signum erat & figura nostri baptismi, quo diaboli euadimus imperium: propter quod, nos ibi lætamur in spiritu, mysticã intelligentiam & significationem rei gestæ considerantes. ¶Versu 8. Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos. Pulchre hic versus secundum mysticam intelligentiam accommodari poterit ad vitam futuram, vt Deus per suam prædestinationem & protectionem intelligatur electos suos ponere, siue constituere ad vitam sæculi futuri, & nõ dare in cõmotionem pedes eorum: quoniã pedes eorum in lapsu præseruat, atque eruit, si in peccatũ inciderint. Cõsentit huic sententiæ quod habet Paraphrasis Chaldaica, Qui connumerauit animam vestram in vitam mundi venturi, & non permisit commoueri pedes nostros. ¶Versu 11. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Transisse per ignem & aquam prouerbialiter dicitur, qui per difficillima quęque probatus euasit, qui nihilo nõ est difficilium rerum & miseriarum expertus. Ambo enim hæc elementa, & sola, probant ac purgant. Vnde Num. 31. Eleazar sacerdos, viris exercitus qui pugnauerant aduersus Madianitas, præscribit, dicens: Aurum & argentũ, & æs, & ferrum, & plumbum, & stãnum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur: quicquid autem ignem nõ potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur. Populus itaque domini, qui plenè se variis tribulationibus agnoscit probatũ, dicit per ignem & aquã se transiisse. Prouerbialiter quoque & illud quod in priori versu dicitur, Imposuisti homines super capita nostra, significat vilem & ignobilissimam, angustissimamque seruitutem, sub imperiosis & crudelibus dominatoribus. Contemptũ enim sonat & ignobilẽ subiectionẽ, quod dicitur, Homines imposuisti super capita nostra. Vnde in lib. Iosue, principes Israëlitici exercitus, ex iussu ducis Iosue, colla regum quinque eductorum de spelunca calcauerunt Iosue promittente calcantibus, q̃ similẽ victoriã populo suo dominus esset daturus de vniuersis hostibus suis. ¶Versu. 12. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Clarius Hieronymus ex Hebræo: Quæ promiserunt labia mea. Felix nobiscum habet, Quæ distinxerunt labia mea, vel quæ aperuerunt, hoc est, quę egressa sunt super labia mea, quęque semel promisi & voui. Quasi enim labia distinguit, diuidit, & aperit, ꝓmissum, quod ex ore egreditur, atq; ita diligenter attendendum est, quod secundum cõstructionẽ, quæ relatiuum nominatiui casus, est verbi suppositum: & labia mea accusatiuus à verbo transitiuo à posteriori parte rectus. Vota enim labia distinguunt atque aperiunt, quoniã per labia egrediuntur: tametsi cõmunius & vulgatius contraria accipiatur constructio. vt labia intelligãtur distinguere vota, id est, loqui vel promittere. Quãtum autem ad id quod de votis reddendis hîc dicitur. illud aduertendũ est, non satis esse, si homo ea reddat quæ tanqua vota promittit, cũ obligatione, absque libertate reuocandi aut omittendi (quæ nũc vsus habet peculiariter vota appellari) sed insuper etiã conuenire & iustum esse, vt ea quę firmo proposito tãtum decreta sunt, absq; huiusmodi libertatis abdicatione, & necessitatis constructione Deo post liberationem persoluãtur. Cõtingere enim potest, vt absque vllo speciali tali voto, solum propositum animi bonum, Dei misericordia respiciens, hominẽ liberet de tribulatione, siue corporali, siue spirituali, pro cuius liberatione clamat ad Dominum, Quo casu, ingratus proculdubio iudicabitur homo ille, si liberatus bonũ cordis propositũ, q̃ Deus aspiciebat, non studeat adimplere. Quemadmodũ (exempli gratia) si quis in infirmitate graui positus, proposituũ bonũ faciat, bona cuncta pauperibus pro Dei amore se distributurũ, si Dei clementia permaneat superstes, Deus autem pro positum bonum aspiciens, desiderium impleat ægrotãtis, & de lectulo doloris faciat cõsurgere laboratem: quis nõ huiusmodi hominem vt ingratum, & male fidum, atque iniquum iudicabit, si post recuperatam sanitatem negligat quæ in tribulatione proposuit (An nõ sic agere, Deo est illudere? Nõ solum ego vota illa, quæ vulgo vota vocamus, vir iustus de tribulatione liberatus debet reddere, sed etiam quæ generaliter vota nuncupantur, pia cordis proposita, & affectiones deuotas, ad exequutionem merito debet deducere, si perfectè iustus & pius velit haberi. Plura super hac re diximus in annotationibus Psalmi quadragesimi noni, pertractantes versiculum illũ, Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. ¶Versu 14. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boues cum hircis. Possunt hæc secundum mysticam intelligentiam pulchre exponi. vt per holocausta medullata intelligatur deuotio cordis, per charitatem ad deum tendentis, & quæ sub hac comprehenduntur spiritus exercitia, Deo gratissima, velut holocausta medullata: per incensum arietum, cõcrematio motuum interiorum: per ignem charitatis, obsequium Dei: per boues, vires omnès tã corporis q̃ animæ, simul & corporis membra, quæ Deo sacrificamus, cum diuinis obsequiis, & exequutioni voluntatis eius deputamus ac consecramus: per hircos verò fœdos sen-

sensuales motus, quos iugiter Deo iugulare & immolare debemus, qui Deo placere volumus. ¶Versu 16. Et exaltaui sub lingua mea. Deprauate hic nonnulli legunt exultaui, pro, exaltaui. Exultaui. Exaltaui enim legendum est, per a, in secunda syllaba, non per u, exultaui: id quod tam ex Græco quã ex Hebræo fit manifestũ, Siquidẽ in Græco habetur ὑψώσα, quod exaltaui significat. Similiter & eius quod in Hebręo ponitur radix est verbum, quod significat extulit, exaltauit, vel eleuauit. Cõsentit etiã translatio Beati Hieronymi ex Hebræo, quæ habet exaltaui, nõ exultaui. Alij verò ex Hebræo interpretes vertunt genere passiuo, Exaltatus est sub lingua mea, quod eandem habet sententiam cum lectione nostra. Exaltare autem Deum sub lingua, aliqui dictum putant, pro in lingua, quemadmodum Beatus Hieronymus vertit ex Hebræo, Exaltaui in lingua mea: quemadmodum illud in alio Psalmo, Sub lingua eius labor & dolor, quidam intelligunt idem esse quod in lingua eius. Alij verò proprietatem significationis particulæ sub considerãtes, dicunt sub lingua exaltare idem esse quod in corde exaltare, ac velut in occulto silẽtio. Quoniam enim de cordis profundo ad linguam ascendere debet sermo, ob hoc, quasi sub lingua esse dicitur exaltatio, dum adhuc in cordis secreto continetur. Secundum quã expositionem, apta valde habebitur sententia. Qui enim ore ad Deum clamat, neque solo ore, sed corde pariter Deum exaltans, ac deinde, omnem iniquitatẽ, quæ impedire possit exauditionem, abiicit, hunc indubitatum est à Deo exaudiri. Psal. 9.

LXVI. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste versibus breuis, sed affectu maximus, oratio est populi fidelis, Dei fauorem, misericordiam, & benedictionem multa verborum replicatione postulantis, pro omnium populorum illuminatione, & ad vnius veri Dei cultum conuersione.

SEXAGESIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Deus misereatur nostri & benedicat nobis:*
* *illuminet vultũ suum super nos, & misereatur nostri.*

2 *Vt cognoscamus in terra viam tuam:*
* *in omnibus gentibus salutare tuum.*

3 *Confiteantur tibi populi Deus:* * *confiteantur tibi populi omnes.*

4 *Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.*

5 *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes:*
* *terra dedit fructum suum.*

6 *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.*

MIsereatur populi sui dominus Deus noster, peccata dimittendo debitoribus, & gratiam conferendo pœnitentibus: ac benefaciat nobis, sua benedictione spirituali, nos fœcundando & locupletando in omnibus verè bonis: *illucescere faciat super nos benignum aspectum vultus sui, ostendatque nobis placatam faciem suam, & faciat nobiscum misericordiam. 2. Vt à respectu & irradiatione vultꝰ eius illuminati, cognoscere valeamus in terra ista, absque te domine tenebris & cęcitate plena, viam in qua tu nos ambulare præcepisti, & per quam ad te peruenire valeamus: vt intelligere possimus, viam mandatorum tuorum, & non ambulemus vias tenebrosas, vias malas peccatorum, quæ perducunt in damnationem: *vtque à te ô lux prima, illuminati, cognoscamus in omnibus gentibus, tribubus, populis: & linguis, salutem tuam, quam voluisti communem esse toti generi humano, vt huius salutis cunctæ nationes queant fieri participes. 3. Ita fac domine, vt de tua luce illuminati populi te agnoscant, in te credant, tibique laudem dent ac confessionem, non alienis diis, quos plerique ignorantes colunt, sed tibi soli vero & viuo Deo: * ita, inquam, fac vt tibi dent confessionem vniuersi populi, & vno animo omnes seruiant tibi. Sic enim dignum & iustum est, vt omnes tibi seruiant & confiteantur, qui omnes æque solus tua potentia, sapientia, & bonitate condidisti. 4. Fac lætentur in te nationes, & in te summo gaudio spiritus exultent, fide te agnoscentes: quoniam tu vt iudex æquissimus populis præsides, iudicans eos in summa iustitia, nemini calumniam faciens, neminem per vim opprimens, neminem potestate tyrannica supplantans: sed in summa æquitate omnia agis & dispensas, & in eadem summa æquitate tua populos moderaris atque gubernas infinita & inæstimabili sapientia: quæ populis merito iusta debet esse lætitiæ & exultationis causa, si tantum tui vultus lumine illustrati, talem te fide cognoscant. 5. Ita fac suauissime Deus, vt tibi confessionem & laudem persoluant omnes populi, vt te vna fide & vno animo omnes adorent ac prædicent, quemadmodum dignus es solus ab omnibus confessionem & gloriam accipere: nam & terra fructum suum ex tua benignitate largitur omnibus populis, de cuius diuitiis, tua gratia, vniuersi reficimur & sustentamur: proferente ipsa ex virtute benedictionis tuæ cibum commodum, ad sufficientiam omnibus populis: vt vel hoc solo merito tibi sint deuincti tuoque seruitio astricti. 6. Benedictionem suam largiatur omnibus nobis Deus pater omnipotens, increatus, & ingenitus: benedictionem largiatur nobis Deus ingeniti patris vnigenitus filius, verbumque ipsius consubstantiale, & per omnia coæquale qui pro nobis homo fieri dignatus est in temporis plenitudine benedictionem largiatur

& metuant eum omnes fines terræ.

nobis Deus spiritus sanctus,à patre & filio indifferenter procedēs pā- B
trique ac filio consubstantialis, & per omnia coæqualis:hunc, Deum, sic trinum,& tamen substantialiter vnum,trinum in persona,vnum in essentia,timeant,reuereantur,diligant,colāt,honorent,& adorent omnes mortales,vbicunque tandem locorum habitantes,etiam qui extrema orbis incolunt,& fines terræ inhabitant.Solus enim ipse Deus trinus & vnus est,qui ab omnibus debet venerari,& super omnia adorari:qui est benedictus in sæcula.Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXVI.

VErsu.1.Illuminet vultum super nos.Illuminet positum est pro illustret. Clarior enim & magis propria est oratio,si dicamus,Illustret vultum suum super nos,quomodo vertit Hieronymus, hoc est, Vultum suum lucere faciat super nos, suo vultu nos illustret vel illuminet, lucis suæ radio nos collustret,vt ex eiꝰ videlicet aspectu,& ipsi susceptо in nobis radio illuminemur,quēadmodum sol corporeus,cum faciem suam illuminat vel illustrat super homines,sui luminis radio eosdem col F
lustrat & illuminat, vt viderunt qui ante Solem illucescentem degebant in tenebris. Huic autem quod in proposito ponitur ,Deum illuminare vultum suum super homines,contrarium est,Deum abscondere faciem suam ab hominibus. Abscondit enim à peccatoribus impœnitentibus Deus vultum suum,sed super homines bonæ voluntatis,aut pœnitentes peccatores,vultum suum illuminat. ¶Versu.2.In omnibus gentibus salutare tuum. Hęc est latitudo veræ charitatis,vt omnium salutem totis præcordiis sitiamus,& iugiter apud Deum postulemus.Propter quod in oratione hac saluberrima,non sat erat dixisse,Vt cognoscamus in terra viam tuam:sed adiicitur quod latius est,& ad omnes se extendit nationes,In omnibus gentibus salutare tuum.Cui etiam secundum cōsimilem generalitatem consonant quæ sequuntur,Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. ¶Versu.4.Lætentur & exultent gentes,quoniā iudicas populos in æquitate. Verè iusta exultationis materia est populis,ꝙ talem habeant iudicem,qui in æquitate iudicat.Ita enim certò quisque scire potest se(modò velit)salutem cōsequuturum,id est,si à malo velit abstinere, & operari bonū. Quòd si iudicem haberemus iniquum,qui non secundum æquitatem. faceret iudicium,nemini certa esset spes salutis,quantuncunque diligenter ac sedulò in vita bonis vacasset operibus.Semper e- G
nim metueret de iniquitate iudicis:ne forte (vt frequenter solet in humanis rebus fieri)præter meritum omne & omnem culpā posset per iniustitiam,aut per calumniā,falsāsue accusationes,in condemnationem præcipitari.Et reuera vt nihil consolabilius est homini in vita hac bene operanti,quā probata & certa æquitas iudicis illius,qui de operibus viuentium feret iudiciū:ita ex aduerso nihil esse posset formidabilius hoc hominibus bonæ voluntatis,qui nō cupiunt nisi quæ recta sunt,operari,q̄ si post omnia peracta scirent ad nō æquum tribunal suas actiones debere adduci,& corā iudi
Psal.47. cē nō iusto examinari.Super hac autem re dictum meminimus in Annotationibus Psal.47.in expositione versiculi illius,Lætetur mōs Sion,& exultēt filię Iudæ,propter iudicia tua domine. ¶Versu 5. Terra dedit fructum suuum. Mysticè potest hæc terra intelligi, benedicta & immaculata genitrix Dei,Maria:quæ absque virili susceptо semine,sola sancti spiritus fœcundatione, de sua substantia, de carne sua iminaculata,fructum edidit saluberrimum,qui est cibus,pabulum & refectio salutaris animarum:quēadmodum terra,cœlesti in ea virtute operante,fructum progignit de sua materia.In Elucidatione tamen,de terra materiali & fructu eius interpretati sumus. ¶Versu vltimo,Benedicat nos Deus,Deus noster:benedicat nos Deus,& metuant eum omnes fines terræ.In hac trina deitatis replicatione,iuxta patrum authoritatem,sub mysterio intelligi datur super benedicta in personis di H
uinis Trinitas.In eo autē ꝙ relatiuum subiungitur numero singulari,Et metuant eū omnes fines ter
Esaiæ.6. ræ:non autem eos,numero plurali essentialis vnitas designatur:quoniam tres in diuinis personæ, in vnam conueniunt essentiam.Idipsum à laudatissimis antiquissimisque patribus,tam Græcis q̄ Lati-
Apoc.4. nis annotatū inuenimus in illo cātatissimo vsitatissimoque trishagio, Sanctus,Sanctus,Sanctus,Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria eius:quod astantes Deo Seraphici spiritus, in visione Prophetica,domino decantabant:quod postmodum dilectus etiā domini discipulus in sacra Apocalypsi,ab animalibus quatuor, indeficienti voce, nocte ac die cantari audiuit pauculis in fine cantici immutatis,ad hunc modum,Sanctus,Sanctus,Sanctus, Dominus Deus noster omnipotens qui est,& qui erat,& qui venturus est Dum enim ter sanctus replicatur,mysterium super beatæ Trinitatis innuitur.Dum verò post ter replicatum sanctus numero singulari subiungitur,dominꝰ Deus exercituū,vel dominus Deus noster omnipotēs,apertè vnitatis veritas designatur.Suaui quoque cōteplatione annotare possumus,nō absque mysterio,secundo loco dictū esse Deus noster, quod nec primo,nec tertio loco adiicitur:forsitam ob id, ꝙ persona filij peculiari quodā modo Deus noster sit,Deus(inquā)populi sui,propter specialissimam coniunctionē quam nobiscum habet,humanam habens naturā,& habitu factus est vt homo , verus nihilominus Deus permanens in omnipotentia
Philip.2. sua:secundum quam naturā assumptam,etiā frater noster voluit appellari.Non mirum ergo,si filiū peculiariter nostrum Deum dicamus,ob eximiam familiaritatem , & societatem singularem,quam nobis ipse apertius monstrauit.Neque enim pater aliquando similitudinem assumpsit carnis humanæ,neque item spiritus sanctus:neque pater aut spiritus sanctus nobiscū visibiliter conuersati sunt, neque pro nobis passi,aut salutem nostram exterius operati,sed sola persona filij.

Psalmum

A

LXVII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmum qui sequitur, ex illuminatissimo spiritu & corde mirabiliter pleno reuelationibus Dei processisse tam ipsa verborum maiestas, quam supereminens dignitas sententiarum & absconditorum propositio mysteriorum aperte demonstrant.In quo,contemplans spiritu illuminato Propheta venturam in temporis plenitudine humano generi salutem,ac principis tenebrarum eiectionem,in vehementia spiritus inimicis Dei primum insultat,& improperat suam impotentiam:sanctos verò inuitat ad laudem reddendam Deo,cuius in seipso sublimitatem & erga genus humanum benignitatem,multis versibus commemorat:versu decimo specialius ad beneficia populo nouæ legis in tempore gratiæ exhibito descendens,eaq; ad finem psalmi prosequens. Inter quæ potissimum mentionem facit de pluuia voluntaria Euangelicæ doctrinæ & gratiæ spiritus sancti,quā Deus super hæreditatem suam nouam copiosè effudit idq; mmisterio Apostolorum & primorum Christi discipulorum,euangelizantium verbum Dei in virtute, de quibus multa admodum Psalmus hic loquitur sub comparationibus diuersis:quos reges appellat, à Deo constitutos super montem pinguē & coagulatum, qui est Ecclesia.Versu autem decimooctauo & demceps,de curru Dei loquitur, qui ex myriadibus angelorum constat,de ascensu Christi ad superos,& spiritualium donorum in homines effusione, incredulorum consequuta conuersione,inimicorum graui vltione,gentilis populi(qui per Basan significatur)conuersione.Rursum autem
B de Apostolis & primis Ecclesiæ magistris loquitur versu.27.quos principes appellat, item & fontes Israël, aliquot eorum specialibus etiam proprietatibus describens. Nouissimè verò versu.31. post enarrata plurima beneficia,quæ cœlitus accepit Ecclesia,orat Psalmus, diuina virtute bona hæc cœlestia in nobis confirmari, vt in omnibus templis in pace munera offerri possint nomini eius: sæculi autem potestates veritati resistentes(quas per feras arundinis intelligit) prohiberi postulat & cohiberi virtute Dei, vt non sint impedimento Ecclesiæ sanctæ in profectu suo:prædicit quoque futurum, vt Aegyptus se submittat fidei, & item Aethiopia festinet conuertere sese ad dominum Deum suum. Propter quæ omnia,deinceps a versu trigesimo,ad finem vsque,non nisi ad laudem exhortatur,& gratiarum actionem reddendam,omnia regna,omnesq; populos,vt iuxta magnificentiam gloriæ suæ,ipsum vniuersi fideles benedicant in sæcula.

SEXAGESIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Exurgat Deus, & dissipentur inimicieius:*

C ** & fugiant qui oderūt eum à facie eius.*

2 *Sicut deficit fumus, deficiant:*

** sicut fluit cæra à facie ignis,sic pereant peccatores à facie Dei.*

D

3 *Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.*

4 *Cantate Deo,psalmū dicite nomini eius:*iter facite ei qui ascendit super occasum: * dominus nomen illi.*

5 *Exultate in conspectu eius : * turbabun-*

EXurgat populo suo Deus, vel tandem in hora nouissima in temporis plenitudine exurgens visitet mundum quem ab initio sub tyranno crudelissimo,principe tenebrarum, passus est detineri.ipsoque aduenіente, iuxta promissum, ad saluādum populum suū, mox dissipabuntur ac dispergentur velut ad nihilū redacti,vniuersi inimici eius,principes tenebrarū vnà cū angelis suis,cunctisque sibi adhærentibus:* & diffugiēt quantocyus à cō spectu præsentię eius omnes qui oderunt eū:cūcti eius aduersarij,qui ab initio suę conditionis illi cōtumaciter sese opposuerunt,ad eū modum quo raptor aliquis sola fraude prēter omne ius raptam ciuitatem occupans,ciuitatem deserit,& quantocyus fugam ad ornat,vbi regem cuius est ciuitas cum virtute perceperit aduenire, recipiendæ ac liberandę ciuitatis suæ gratia.2.Deficient & diffugient ad eum modū quo fumus mox vt exortus fuerit in altum , euanescit subito neque vestigiū vllum derelinquens, ita euanescent , ita dispersibunt & aufugient subito à præsentia aduenientis domini:* quēadmodum cæra ignis virtute liquescit,ac liquefacta cōsumitur ab igne:sic à pręsentia diuinitatis(quę ignis cōsumens est)cōsumentur impij dęmones,& in perditio
Hebr.12. nem ignis collabentur.Non enim poterunt ferre illi tenebrarū principes,aduenientē ad saluté populi sui lucis principē,lucisque authorē,& tanq̄ gelida glacies dissoluentur à cōspectu eius in perditionē atque in nihilū.3 Iusti verò ac fideles, gaudentes in Mesśia saluatore suo,exultabunt,expulabuntur,atque delitiabuntur in gaudio spiritus,lætitiaque magna delectabuntur ante cōspectum Dei sui,qui tali eos gaudio intus ac foris lætificabit,propter salutē & fœlicitatem quā allaturus est mū do.4.Cātate domino,& Psalmos, laudumq; cantica canite benedicto nomini eius: * in reuerentiæ signum,& debiti honoris testimonium, viam facite illi tam magnifico domino,tā nobilissimo principi,tā fortissimo pugnatori,tā glorioſissimo triumphatori: qui super occasum tanquā victor ascendit,qui mortem resurgendo superauit,deq; morte &mortis domino gloriosè triumphauit: ꝓpter ꝙ, illi vt victori & triumphatori proclamamus parari iter , & viam fieri , gloriosè transeat in pōpa solennitatis,vt tā glorioſum decet triumphatorem:* & si nomen eius requiritis,nomen habet Deus dominus.Solus enim à seipso esse habet,& nō est ab alio,à quo cætera omnia quæ sunt,esse habent: quēadmodum & omnium est dominus,omnia cōtinens in sua ditione
Apoc.19. rex regum & dominus dominantium.5. Proinde vos iusti omnes exultate in conspectu eius,aduenientem cum gaudio susципite. Venit enim ad vos in pace,vt liberet populum suum:* impijs autem erit formida-

tur à facie eius patris orphanorum & iudicis viduarum.

midabilis,& inimici eius conturbabuntur timore horribili an aduentu eius,& præsentiam eius formidabunt ac fugient:eius(inquã)qui est pater orphanorum eorum qui ab hominibus derelicti sunt, paternam curam & nutritiã solicitudinem gerens,quique pro viduis iudicat,eas quæ humano patrocinio & solatio orbatæ sunt,singulari solicitudine defendendo,ac pro eis contra oppressores iudicando:vt meritò à facie eius conturbari debeant impij dæmones, qui genus humanum ante Messiæ aduentum velut patre ac viro destitutum,dissimulante ac permittente Deo grauiter opprimebãt:quemadmodum pupillorũ & viduarum oppressores cõfunduntur & conturbantur,vbi potens aliquis aduenerit,qui pupillorum & viduarum causas tueri voluerit.6. Ipse est Deus inhabitans in solio gloriæ suæ,in throno maiestatis, in aula cælesti,quã sanctificauit sibi in habitationẽ æternam:* ipse est Deus,qui homines vnius moris,homines vnius animi, in vna fide, in vna spe,in vno fideli proposito, habitare facit simul per concordem charitatem & fidei vnitatem,in Ecclesia sancta,quę est domus ipsius.Ipse enim ex diuersis gentibus & linguis homines in vnã hanc domum conuocat & cõgregat,per fidei vnitatẽ,& charitatis concordiã: estque ipsius desyderium semper congregare,& in vnũ colligere,quomodo inimici ipsius principis tenebrarum,per discordiã & dissidia dispergere semper atque diuidere.7. Ipse est, qui vinctos cõpedibus & vinculis irretitos peccatorum educit in virtute diuinitatis suę,qui conscientias peccatis onustas, & velut in carcere mortis conclusas dimissis peccatis potest sua virtute libertati pristinę restituere:*animas etiam patrum antiquorum in lymbo inferni captiuitate detentas, cõfractis inferni claustris, fortitudine cunctis dæmonibus tremenda liberauit:* item & homines incredulos atque inobedientes, qui Deum suis peccatis exasperant,& qui iam longa peccandi consuetudine velut sepulti sunt in terrenis cupiditatibus,potens est educere de sordibus peccatorum suorum & in vitam bona constituere.8.O Deus magne,cùm tu olim corã populo Israëlitico egredereris,tanquã ductor eorũ & propugnator tua virtute eos in signis prodigiisque maximis deducés & saluans:*cum pertransires cum eis per desertum illud vastissimum, in colũna nubis per diem,& in columna ignis per noctẽ:quanta tunc edebas corã patribus nostris mirabilia signa atque prodigia,quã familiarem ac beneuolum tunc exhibebas teipsum populo tuo?9.A præsentia Dei Israël in mõte Sinai legem dantis populo suo,terra tremuit, & moueri visa est,cũ ipse ad ferẽdum legem in magna gloria & maiestate descenderet,in igne, nube,fulgure chorusc ationibus,& clangore buccinæ,ad populi terrorẽ,& suæ præsentiæ ostensionem,neq; mirum si terra mota fuit, quãdoquidem & cæli desuper iussione Dei mãna ad modũ roris stillauerunt.Quòd si veteri illi populo tanta ostẽdisti bñficia,quãto magiscũ in fine temporum egredieris ante nouum populum tuũ,& trãsies per desertum mundi hui⁹,non iam in ostẽsa columna ignis & nubis,sed in assumpta forma carnis:quanto(inquã) tunc maiora exhibebis beneficia,quãto magis & tunc cõmouebitur terra,cum nouam legem dabis in amore,qui veterẽ illam tuleras in terrore:& quanto tunc suauius efficaciusq; manna de cælo stillare facies ad ostensionẽ dulcedinis tuæ? 10.Pluuia electam & valde singularẽ Euangelicæ doctrinæ, & cum ea spiritualis gratiæ tuæ dabis ac dispensabis speciali electione beneplaciti tui,nouę hæreditati tuæ,Ecclesiæ sanctæ,in tuo aduẽtu ædificandę, tibique in sempiternam possessionem venturæ: quã pluuiam ex solo tuo beneplacito,non existens vllius boni debitor,effundes super hæreditatem tuam,cò quòd tibi sit in ea beneplacitũ:qua etiã pluuia irrigabis cõmodè,& affatim fœcundabis illam:* fuit tamen hæreditas tua Deus in suis primordiis, ac deinde etiam in successu tẽporum,admodũ afflicta,humiliata atque infirmata, per oppugnationẽ principis tenebrarum,satellitũque eius sęculi potentũ:* sed tu omnibus potẽtior ita eã fundasti,ac stabilem constituisti,ita firmã stare fecisti, vt euerti ac destrui penitus non potuerit,quantũuis videatur aduersis oppugnari,aduersariorũque oppugnatione infirmari.11.Habitabunt in hac hæreditate Ecclesiæ sanctæ,simplices & innocentes fideles,veræ oues pascuæ tuę.Inhabitabũt enim ipsi in tua hęreditate,quasi ciues in ciuitate sua,quasi domestici ac filij in domo sua,quasi oues in ouili suo:*& tu quasi pastor ac pater eorum parasti pauperibus spiritu, humilibus ac man-

6 *Deus in loco sancto suo:* Deus qui habitare facit vnius moris in domo.*

1. Tim. 3.

7 *Qui educit vinctos in fortitudine:*
** similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.*

8 *Deus cum egrederetis in conspectu populi tui:* cum pertransieris in deserto.*
9 *Terra mota est,etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël.*

Exod. 19.

10 *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ:*
** infirmata est:*
** tu verò perfecisti eam*

11 *Animalia tua habitabunt in ea:*
** parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

12 *Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa.*

ac mansuetis,cibum tam corporalem q̃ spiritualem,& necessariorum omnium sufficientiã,in dulcedine & benignitatedilectionis tuæ:quoniam cõplacuisti in eis.12.Dabit enim Deus omnipotens sanctis Apostolis ac prædicatoribus gloriæ suæ (quos per vniuersum orbem mittet in temporis plenitudine,prædicare regnum Dei & iustitiã eius)sermonem efficacem & constantem loqui in multa efficacia & virtute,ita vtper suæ prędicationis virtutem operaturi sint mirabilia. Non enim ipsi erunt qui loquentur,neque ipsi opus habebunt cogitare quomodo,aut quid loquentur:sed spiritus patriserit,qui loquetur in eis,quique in illa hora dabit quid loquantur,etiã coram regibus,præsidibus, cunctisque sæculi potentibus & sapientibus.Neque erit verbũ prædicationis eorũ in sublimitate sermonis, aut in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis,sed in ostensione spiritus & virtutis, Deo sermonem confirmante per varia signa atque prodigia, vt per virtutem prædicationis suæ audeãt resistere vniuersæ mũdanæ potestati atque eruditio ni sæculi,plurimosque & potentum & sapientũ valeant suis sermonibus,simplicib⁹ quidem,sed efficacissimis superare.13.Dabit (inquam) dominus ille,qui est rex virtutum,rex gloriosus,pater dilecti, imò dilectissimi filij sui,in quo sibi est beneplacitum, etiam spolia diuidere suis euangelizatoribus,ad speciem,decorem,pulchritudinem,& ornatum domus suæ,quæ est Ecclesia sancta. Dabit enim Deus pater vnigeniti dilectissimique filij,apostolis suis,per verbum prędicationis ita multos vbique superare:atque salubriter quasi iaculis vulnerare,vt singuli pro sua portione plurimos sint accepturi in sorte sua,vnde vberẽ fructum reportent:ad modũ eorum qui in bello victores fiunt,qui vbi alios prostrauerint,ad spolia deinde se cõuertunt,& sui laboris atque victoriæ præmia requirunt.Eritque hæc spoliorum diuisio atq; distributio fidelium per varias partes Ecclesiæ ad magnã speciẽ & decorem magnificum domus Dei, quæ in multitudine filiorũ & credẽtium decoratur.14.Vos verò,ô sancti euãgelizatores ac prædicatores verbiDei quibus Ecclesię ornatus creditus est,super omnia diligenter curate,vt columbã Dei sanctam Ecclesiam decore suo adornetis.Si enim vos in medio duarum sortium habitare atque quiescere velitis,si medij inter cælestem sortem & sortem terrenã habitare eligatis,ita vt terrena hæreditate prout oportet(id est,nõ nisi ad necessitatem corporis) vtamini,in cælesti autem sorte prout oportet delectemini,id est,toto corde ad eã anhelantes properaueritis :* si sic (inquam) inter medias sortes dormire elegeritis,erit indubie speciosa & pulchra admodũ ad videndum vnica columba illa altissimi:quemadmodum secundũ corporalem pulchritudinem,pulchra est colũba,quę pennas habet velut deargentatas,secundum speciem argenti relucenti, & supremum dorsi ad similitudinẽ fului siue pallentis auri.15.Dum cælestis ille rex virtutum designabit, deputabit, & constituet reges super hanc domum suam, super hanc columbam suam, dum super Ecclesiam suam præfectos constituet sanctos Apostolos,eorumque successores, vt eam pascant ac regant, tũ quasi ad modum niuis dealbabuntur habitatores in Selmon,quod est,in vmbra vel obscuritate:hoc est, qui prius ante aduentum atque prædicationem Apostolorum,in tenebris errorum viuebãt & in vmbra mortis, per Apostolorum prædicationem efficientur albi & cadentes in decore spiritus,quemadmodum nix corporalis lucet& cadet in sua pulchritudine:*& in horum prædicatione mõs Dei surrexit atque creuit,sancta Ecclesia,populus fidelium,per fidem in modũ mõtis sublimis & bene stabilis, cõgregatione multorum populorum magnus,lõgus,& latus,qui mõs admodum etiam pinguis est omnium spiritualium charismatum pinguedine & diuitijs plenissimus.16. Mõs iste est quasi mons coagulatus siue incaseatus,ad eum modumquo lac coagulatur & incaseatur. Quemadmodum enim immisso in lac coagulo,per coaguli virtutem lac congregatur, & velut in vnum coit ac conuiscatur,vt fiat partium adglutinatio & mutua adhæsio:ita in sancta Ecclesia,fides est vice coaguli,quæ populos multos in vnũ cõstringit & cogit,atque adinuicem corda fidelium omnium cõuiscat & cõglutinat,vt vnum corpus & vnus spiritus fiant:* Et licet coagulatus mons sit,est tamen electus admodum, delicatus & pinguis, omnium spiritualiu charismatũ pinguedine refertus:* vt quid verò,ô incredule quicunque intra hunc montem coagulati non estis, suspicamini &

1. Cor. 12.

Matth. 16.

1. Thi. 3.

**pennæ colũbæ deargentatæ,& posteriora dorsi eius pallore auri.*

15 *Dum discernit cælestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon:*

* *mons Dei, mons pinguis.*

16 *Mons coagulatus:*

* *mons pinguis:*
* *vt quid suspicami-*

ni montes coagulatos?

17 *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim dominus habitabit in finem.*

Matth.28. Ioan.14.

18 *Currus Dei decem milibus multiplex:*

* *milia lætantium:*

Dani.7.

* *dominus in eis in Sinai, in sancto.*

19 *Ascendisti in altum:*

* *cepisti captiuitatem:*

* *accepisti dona in hominibus.*

1.Cor.12.

Ibidem.

20 *Etenim non credentes inhabitare dominum Deum.*

Ioan.14.

21 *Benedictus dominus die quotidie:*
* *prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*

confingitis ac persuadetis vobis alios nescio quos mõtes coagulatos? vt quid alias vobis congregationes diaboli & synagogas Satanæ construere molimini? cum hic vnicus mons sit vere coagulatus & pinguis & non extra Ecclesiam hãc vnicam salus: vestri autem mõtes inanes & macri sunt pleni mortifero veneno, vt mortis filij sint, quicunque coagulentur in eis. 17. Mons iste Dei vnicus est, in quo est Deo patri & Christo filio eius beneplacitum, vt in eo habitet: neque solum ad tempus aliquantulum, sed prorsus vsque in consummationem sęculi & in æternum. Erit enim Deus cum suis fidelibus (iuxta promissum) vsque in consummationẽ sæculi, & mansionẽ sibi faciet sempiternã in cordibus eorum. 18. Currus autem Dei quo in magnificentia gloriæ suæ vehitur, & super quem equitat ipse, nulla quidem necessitate vectoribus opus habens, sed tantum ob magnificentiã glorię ita vehi ac ferri volens, ex multiplicatis decem milibus vehentium componitur, id est, ex innumerabili vehentium multitudine: * infinita milia sunt cælestium spirituum, angelorum sanctorum, super quos residet Deus, tanquã super currum suũ, & à quibus vehitur, maxima ipsorum exultatione & gaudio inenarrabili, quod ex aspectu habent & præsentia eius quẽ vehunt in gloria sua. Milia enim milium sunt quæ ei ministrãt, & decies cẽtena milia sunt quæ assistunt ei, & hi omnes pro curru sunt illi, comitantes illũ semper & vehentes, quocunque pergere voluerit: in quo curru semper residet in amplitudine magnificentiæ suæ, neque vnquã descẽdit ab eo: * & in his ipsis milibus qui pro curru ei sunt olim Deus veteri populo apparuit, in monte Sinai, in loco sancto: quãdo aduenit in terrore & ostensione potentię ad ferendã legẽ populo suo, per quorum etiam ministerium terribilia circa montem illum tunc operata fuere, ad præsentiã currus huius & aurigæ demõstrandã. 19. Atque hoc ipso curru vectus, post peractũ in carne laboriosum certamẽ, post mortem morte deuictam, post resurrectionẽ à mortuis, omni opere peracto ad quod veneras, redire voluisti tu magnificentissime domine in propria: ad patris dexterã (vnde exieras) angelico stipatus exercitu gloriose ascendisti* quando etiã tecum abduxisti pro tuis captiuis patres illos quos ad inferos descẽdens, sub diabolo captiuos inueneras: quos que tua morte & descensu ad inferos de captiuitate illa liberaueras: quando hos (inquã) antè sub diabolo quodãmodo captiuos & in lymbo in vmbra mortis conclusos, tecum abduxisti, captos de manu diaboli, in libertatem gloriæ filiorum Dei, in amplitudinẽ regni: * simul & genus humanum vniuersum, quod antè sub principis tenebrarum imperio detinebatur, cepisti in manu eius, ac ad cælestem hæreditatem tecum abduxisti, spem firmam tuo proprio ingressu omnibus præbẽs credentibus, & ius introeundi eis restituens, quod donec sub diaboli captiuitate vincti tenebãtur, non habuerant: * quando etiã post ascensionem hanc tuã in cælum, à patre (à quo tibi sunt omnia) dona accepisti, siue pro hominibus: quæ videlicet hominibus, quos in mundo secundum carnis præsentiã reliqueras, Apostolis ac discipulis tuis, de cęlo mitteres. Accepisti à patre tuo, vt spiritum sanctum (iuxta promissum) cum omnibus donis suis mitteres mũdo, impartiens illũ credentibus omnibus, vsque ad consummationem sæculi: item & varia spiritus dona, sapientiã, intelligentiam, scientiã, potestatem miraculorum, genera linguarum, interpretationem sermonum, animi fortitudinem, fidem, spem, charitatem, aliaque his similia: quæ omnia operatur in homine vnus atque idem spiritus veritatis. 20. Et quidem hoc insuperascendens in altum accepisti à patre tuo, vt illos qui te adhuc in carne agente increduli fuerãt (siue ex gentibus idololatræ, siue ex Iudæis in te impij, tibique repugnantes) post tuã ascensionem in cælum iã inhabitet dominus deus, pater & spiritus sanctus, atque ita & vt ipse: vt post ascensionem tu simul cum patre & spiritu sancto, ad eos iã cõpunctos & pœnitentes per Apostolorum prædicationem, familiari dignatione veniatis, & mansionem apud eos faciatis. 21. Benedictus sit proinde, ac semper laudatus dominus Deus, tã magnificentissimus erga populum suum de die in diem, hodie, heri, cras & quotidie, sitque benedictus semper & in sæcula: * omnia nobis faciet prosperè cedere, omnia faciet nobis cooperari ad bonum, & recta via in salutem præparatam nos adducet ipse Deus salutis nostræ, omnium saluationum nostrarum author: quo authore, ab omnibus periculis salui fore confidimus

A 22 *Deus noster, Deus saluos faciendi:*
* *& domini domini exitus mortis.*

mus in æternũ. 22. Deus noster, Deus potẽtissimus est, Deus est ad saluandum, qui solus homines potest facere saluos à peccatis, siue à morte, siue ab inferno, siue à diabolo, & ab omni malo, propter quod etiã Iesus siue Saluator, nomen est illi: * & solius domini Dei, domini (inquã) Dei nostri solius, sunt exitus mortis. Solus enim ipse mortem primus pertransijt, illæsus, solus à morte teneri non potuit, cũ vere fuisset ad tẽpus mortuus: sed potentia suæ diuinitatis à morte exijt, rediẽs ad vitã, & viuus permanens in sęcula sæculorum. Neque soli sibi exitum à morte inuenit, sed omnib⁹ etiã in se credentibus exitũ dabit à morte: quandoquidẽ in hoc venit in mundũ, vt omnis qui in ipsum credit, in morte nõ maneat, sed à morte transeat ad vitã sempiternam. 23. Quãquam vero ipsius domini nostri sunt exitus à morte, vt credentes in se quos voluerit faciat exire à morte: ij tamen qui aduersus ipsum inimicitias obstinato animo seruant, qui in ipsum corde obdurato credere recusauerint, ipsumque vt Deum verum & summũ non voluerint debito agnoscere famulatu, horũ capita ipse potenter in sæueritate iustitiæ suæ concutiet, & valde conquassabit, ita vt confringat: * confringet (inquã) verticẽ capilli eorũ qui in delictis suis, obstinato animo & mala voluntate, per superbiã & inobediẽtiã perseuerãt: verticẽ capitis horum concutiet & comminuet, id est, in mortẽ crudelem æternæ punitionis vltrice sententia sua huiusmodi condẽnabit. 24. Dixit quidem dominus, & ita definiuit, quod ex Basan (quod est confusio vel ignominia) hoc est, ex populo nationum, qui prius miser erat, & cõfusione atque ignominia, propter idololatriam, & alia fœdissima facinora, plenus, conuersurus esset plurimos ad agnitionem veritatis, & verũ cultum suum ac filij sui: * dixit quoque conuersurũ se multos etiã eorum qui habitant lõge à terris, in insulis maris: proposuit & voluit, primos tam ex terra, quam ex mari Apostolica prædicatione ad suum cultum conuertere. 25. Illos tamen inimicos qui obstinati elegerunt permanere in impietatibus suis ita cõfringet & interficiet (vti dictum est) vt vniuscuiusque pertranseuntis pedes intingi possent in sanguine: * & vt linguæ canum vniuscunque pertranseuntiũ possint lãbere de sanguine, effluxit ab inimicis, quemadmodum in prælijs magnis tanta solet strages hominum fieri, & in tãta copia sanguis effundi, vt pertrãseuntes per riuos sanguinis, ab hostium corporibus defluentes, debeãt sangui ne pedes suos cõmaculare, & canes sanguinem lambant: hoc est, vltio fiet grauissima, & plaga horribilis, aduersum obstinatos in malitia: idque ab ipso fiet vltore Deo, qui sicut pœnitẽtes atque credentes suauissimis refocillabit benedictionibus, ita inimicos suos grauissima feriet vindicta. 26. Viderunt fideles tui, ô Deus, ingressus tuos, quibus in mundum aduenisti, rursumque à mũdo in cælũ rediisti, & incessus tuos omnes, omnemque conuersatione, quibus in hoc mundo cum hominibus cõuersatus es, & operatus in nobis opera tua, ad quæ missus fueras à patre: * ingressus (inquã) tuos, ô Deus meus, ô rex meus, qui habitas in sancto solio gloriæ tuæ, & in sanctitate tua. Fideles enim tui viderunt ingressus tuos, nonnulli quidẽ etiam corporali visu, vt potè sancti discipuli tui, cũ quibus familiarẽ duxisti conuersationẽ: quibus datum fuit oculis te videre, auribus audire, & manibus etiã palpare: cæteri verò oculis mentis te conspexerunt, in lumine sanctæ fidei, illorũ verbis inhærentes qui tuos ingressus oculis conspexerãt. 27. Illi autem qui tuos ingressus videre meruerunt sancti fuerunt Apostoli tui atque discipuli, qui cæteros fideles omnes præuenerunt, primi à te dignanter vocati, primique te feruenter & obedienter corpore & animo insequuti: quos tu proinde principes esse fecisti, progenitoresque & rectores omnium nationum & Ecclesiarum, quas ipsorum prædicatione ad fidẽ tuã vocari voluisti: hi (inquã) principes & primitiui discipuli, præuenerunt ante omnes: * neque ipsi tamen soli aduenerunt tametsi præuenerunt, sed psallentibus fidelibus sua prædicatione conuersis comitati & sociati. Mox enim adiuncti sunt illis nõ pauci numero, qui illorum prædicatione cõpuncti, appositi sunt ad illos cum gaudio & lætitia spiritus psallentes, & gratias agẽtes Deo, pro vocatione sua sancta & ineffabilibus bñficijs: * mox verò inuenti sunt principes isti nostri in medio iuuẽcularum tympanistriarũ, in medio Ecclesiarum multarum nouiter exurgentium, ac succrescentium nouellarum plantationum quæ tanq̃ bonæ tympanistriæ, dulcissimas melodias tam corde, quàm ore

Matth.1.

Apoc.1. Rom.6.

Ioan.13.

1.Ioan.1.

Actu.2.

B *verticem capilli perambulantium in delictis suis.*

24 *Dixit Dominus, ex Basan conuertam:*

* *conuertã in profundum maris.*

25 *Vt intinguatur pes tuus in sanguine:*
* *lingua canum tuorum ex inimicis:*

C

* *ab ipso.*

26 *Viderunt ingressus tuos Deus,*

* *ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.*

D

27 *Præuenerunt principes,*

* *coniuncti psallentibus,*

* *in medio iuuencularum tympanistriarum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ore & opere, atque etiam musicis instrumentis pro tempore adhibitis, in gloriâ Dei sponsi & patris sui resonabant: in quarum iuuencularum medio, principes illi à Deo positi sunt, vt hîc quidem plantarent, illic rigarent, hîc secarent, illic insereret, omni solicitudine laborantes suas iuuenculas (quas vni viro Christo virgines exhibere desponderant) & custodire immaculatas, & in Deo reddere perfectas. 28. Proinde omnes vos qui in Ecclesiis estis, qui membra estis & filiæ iuuencularum istarũ tympanistriarum, laudẽ date, & gratias agite Domino Deo vestro: * idque de principibus vestris, qui & fontes sunt Israël, q̃ videlicet per tales principes ad fidem suam & spem salutis æternæ vos adduxerit, quòd per fontes istos omnes populos atque Ecclesias irrigare sit dignatus, & salutaris doctrinæ fluẽtis copiosè refocillare. Fontes enim sunt Apostoli sancti, à Deo primitijs spiritus copiosissimè impleti, ex quibus orbis vniuersus siti & ariditate iamdiu emortuus, humectatus est, & irrigatus, salutaris Euãgelicæ doctrinæ prædicatione, & spiritus sancti charismatumque eius liberali communicatione. Et hi sane fontes Israël fuerunt, quia ex populo Israëlitico electi à Deo, qui ex Iudæis salutem voluit oriri, & diffũdi in omnes nationes. 29. Inter hos autem fontes Israëliticos, qui suis fluentis tympanistrias iuuenculas irrigarunt & viuificarunt, vnus non infimus fuit de tribu Beniamin, cæteris fratribus & Apostolis posterior vocatus (quemadmodum Beniamin inter fratres suos natu minimus erat) Paulus nomine: qui in extasi mentis supra se raptus, in paradisum, vsque in tertium cælum, audiuit ibi arcana verba quę non licet homini loqui, illicque in mentis excessu hausit ac didicit, quod postmodum iuuenculis de sua plenitudine effunderet: neque ab homine, neque per hominem, sed per reuelationẽ, in excessu mentis, doctus Euangeliũ Dei: qui plus omnibus laborauit, iuuenculasque plurimas egregias genuit & educauit, plantauit atque rigauit: vt merito debeat huius nomen inter fontes cæteros nõ omitti, tametsi tẽpore aliquãto posterior. & (quomodo Beniamin in senectute patris genitus) post Domini sui ascensionẽ primũ vocatus. 30. Duces fidelium & antesignani illi, de quibus iam ante diximus, fuerunt principes & primi quidam de tribu Iuda & stirpe regia, alij de tribubus Zabulon & Neptalim. Ex Israëlis enim tribubus eligi debebant primi salutis prædicatores, & Euãgelicæ gratiæ præcones, vt iuxta promissiones patribus factas, ex Iudæis salus oriretur, atque ita demum ad nationes deriuaretur. 31. Nunc verò, Deus piissime, posteaquam tam plurima, tãque maxima beneficia contulisti populo tuo, quę nisi tua virtute & beneficio tuo non poterunt conseruari, ne tãta tua beneficia pereãt cõmenda Deus, ac præcipe virtuti tuæ (quandoquidem humanas vires excedit negotium) tantorum in nobis bonorum conseruationem: * & tua ipsius virtute, in qua ea contulisti & operatus es, intende ad custodiã conseruationem & promotionem eorũ quæ operatus es in nobis: vt per spiritum tuum sanctum Ecclesiarum rectorem firma sint & stabilia dona gratiarum tuarum, & opera tua, quæ potenter & mirabiliter operatus es in nobis. 32. Fideles autem tui etiam reges & potentes pro gratiarũ actione offerent tibi deuota munera, per omnes Ecclesias in locis tuo nomini sacratis, incipiendo à tẽplo illo tuo sancto, q̃ est in Hierusalem nominatissimũ, & sub tuo nomine apud omnes populos glorioſum. Atque ita & ordine cõsequẽti, per omnes Ecclesias in locis tuo nomini sacratis, offerent tibi nobiles siue potentes cum pusillis & ignobilibus deuota munera, siue cordis in laude & oratione: siue etiam corporis in externis quibuscunque oblationibus, ex abundãtia pij cordis. 33. Veruntamen vt nõ opprimãtur aliena malitia Ecclesiæ, iussu tuo ædificatæ, compesce (quæsumus) & prohibe sæculi potentes infideles, qui tanquã feras se exhibent aduersus sanctum nomen tuum & populum fidelem tuum, animo feroci & crudeli insultãtes, vimque inferentes electis, & velut cornupetæ bestiæ, suę potentię cornu sanctos interficere cupientes: sed arũdineæ feræ sunt, & nullius solidi roboris, si ad tuam potentiã conferantur, ita vt tibi non valeant resistere, possisque eos ad modum arundinis pro nihilo cõfringere, cum omni sua sæculari potentia: bas lasciuas, petulãtes, & crudeles feras, quas tibi ita facile sit cõfringere petimus, vt tu cõpescas, ne iuxta furorem suum queãt in sanctos agere, & in Ecclesiã pro voto desæuire: * omnis eorum virtus non aliud est quàm cõgregatio, siue exercitus indomitorum taurorum

2.Cor.11. 28 *In ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israël.*

Gene.35. 2.Cor.12. Galat.1. 29 *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.*

1.Cor.15. 1.Cor.3. Gene.35. Actu.9. 30 *Principes Iuda, duces eorum, principes Zabulon, & principes Neptalim.*

31 *Manda Deus virtuti tuæ:*

* *confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.*

32 *A templo tuo in Hierusalem, tibi offerent reges munera.*

33 *Increpa feras arundinis.*

* *congregatio taurorum, in vaccis populorum:*

* *vt excludant eos qui probati sunt argento.*

34 *Dissipa gentes quæ bella volunt:*

* *venient legati ex Ægypto.*

* *Æthiopia præueniet manus eius Deo.*

35 *Regna terræ cãtate Deo, psallite domino.*

36 *Psallite Deo quia ascendit super cælum cæli, * ad orientem.*

37 *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis:*

* *date gloriam Deo super Israël, magnificentia eius & virtus eius in nubibus.*

38 *Mirabilis Deus in sanctis suis. * Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.*

* *benedictus Deus.*

rorum. i. ducum ferocium & efferatorum, in omne facinus quodeunque princeps cogitauerit paratorũ, vnà cum multitudine populorum subiectorum, qui sunt quasi vaccæ tauros insequentes, quodque suos principes viderint priores facientes, libenter insequentes: * quorum omnium simul coniunctorum propositum & desiderium in hoc est, vt excludant à veritate fidei, & prohibeant, ac cessare faciant ab opere suo & cõmisso sibi officio, sanctos principes tuos, eos qui corã te electi & probati sunt, quasi argentũ, quos tu examinatos & probatos habes, vt etiã cęteros simpliciores excludant & impediãt à veritate fidei suscipienda, & cõsequenda salute. 34. Dissipa tu Domine, virtute omnipotentiæ tuæ, populos qui bella mouere & persequutiones suscitare moliuntur aduersus Ecclesiam tuam, eorumque coprime potestatem, vt non præualeant populo tuo: * te verò rebellium & persequentium potentiam dissipare & humiliare volente, mox ad pacem cõuenient regiones populorum, & legatos mittent pacis nuncios, ad principes & capita fidelium: specialiter AEgyptus fœdus inire volet cum Ecclesia tua, sanctãque fidem suscipere, vt in corpus Ecclesiæ tuæ cõpingatur: * insuper & AEthiopia festinabit dare manus suas Deo, sese victa humiliter prosternere ante Deum in humilitate gratiã postulãs salutis, quæ est in populo sancto tuo. 35. Propter hæc autem tã multa, tamque immensa toti orbi à Deo præstita beneficia, cãtate Deo omnia regna terræ: quoniã communis salus est, & cõmunia sunt ex æquo omnibus, quę iã cõmemorauimus, & psalmos canite tam munificentissimo Domino. 36. Psãlmos canite (inquã) altissimo Deo, qui morte devicta ascendit super summum cælorum, in summam altitudinem, super omnes cęlestes orbes & exercitus beatorum spirituum: * ad patris dexteram locum nobilissimum, vbi perpetua processione filius à patre exoritur sicut lumen increatum, & immensum de increato & immenso lumine. 37. Ecce qui secundnm assumptam carnis formã ascendit ad patris dexteram, in summũ cælorum idem ipse sic venturus est, quemadmodũ ascendit in cælum in magnifica gloria, cum angelis suis & virtute multa: & tunc quidẽ dabit voci suæ, vt sit vox virtutis & maximę potentiæ, ita vt omnes qui in monumentis sunt audiant vocem eius, & procedant in reassumptis corporibus suis, vt recipiãt pro suis operibus cõdignã mercedem: ac tunc quidem cõsummatio erit & finis omniũ quæ ab initio pro electis est operatus, mirabiliũ: * proinde gloriam date Deo super mirabilibus quæ operatus est in Israël, populo suo fideli: magnificentia gloriæ eius, virtusque potentiæ eius in nubibus, & apparuit olim, quando in nube assumptus est in cælũ, & apparebit iterum, quando veniet cũ nubibus, in potestate multa, cum angelis, in gloria patris sui, & videbit eũ omnis oculꝰ in maiestate sua. 38. Verè mirabilis est Deus erga sanctos suos, mirabilia sunt, stupẽda vixque credibilia, quę ipse pro salute electorum suorum dignatur operari: * neque dubito, quin Deus fidelium daturus sit virtutem & fortitudinem spiritualem populo suo & omnibus in eum credentibus, vt nullis vnquam tentationibus, nullis impulsibus excidãt à salute, ad quam Dei gratuita bonitate sunt prædestinati: * sit benedictus, sitque laudatꝰ in sempiternum tam admirabilis in omnibus Deus, de quo tam stupenda, longa iam verborum serie commemorauimus: laus eius perduret in sæcula sæculorum. Amen.

Actu.1. Matth.25. Ioan.5. Actu.1. Apoc.1. Matth.25.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXVII.

VErsu 1. Exurgat Deus & dissipẽtur inimici eius. In Elucidatione increpatoriam hãc orationem dirigimus peculiariter aduersus principes tenebrarum, aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus, qui se ab initio hostes exhibuerunt diuino nomini. Hos enim quanuis per multa sæcula velut dissimulans permisisset Deus tenere mundi imperium, & dominari in filiis hominum, veniente tamen plenitudine temporis, condemnatos iusto suo iudicio eiecit foras, Deoque exurgente, dissipati, & dispersi sunt aduersarij nominis eius, qui Deo dissimulante & quasi dormiente, suam in mundo exercebant tyrannidem. Posset tamen generaliter ad omnes Dei inimicos hæc oratio dirigi. Ephe.6. Ioan.12.

¶ Versu 3. Et iusti epulentur & exultent in conspectu Dei. Epulentur positum est, pro iocundentur. Vnde in Græco habetur ἐυφραν θήτωσαν. quod significat, iocundentur, vel lætentur. Et ex Hebræo beatus Hieronymus vertit, lusti autem lætentur, & exultent. ¶ Versu 4. Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. In solemnibus (quos vocant) actibus, vbi multa est populorum frequentia, solent ij qui dignitate præeminẽt, sub præconis voce introduci: qui præco tumultuãtem, & in vnum compactã multitudinem iubet sese diuidere, & venienti locum facere: simul

& no-

Universidad de Sevilla Biblioteca

Psal. 23. Philip. 2.

& nomen eius,ac officij appellationem cõmemorans,vt audientes tanto promptius reuerentiusque B
iter præbeant,& parent viam transituro. Ita mihi videtur accipiendum,quòd hîc dicitur, Iter facite ei qui ascendit super occasum:Dominus nomen est illi,vt sit quasi vox præconia,triumphatorẽ præcurrens Dominum: quemadmodũ & in alio Psalmo diximus,de versibus illis,Attolite portas principes vestras,& eleuamini portę æternales,& introibit rex glorię,ac deinde interrogantib⁹ abintus, Quis est iste rex gloriæ?responsio adhibetur,Dominus fortis & potens,Dominus potẽs in prælio. Dominus virtutum,ipse est rex gloriæ. Si cui tamen hęc sermonis iocunditas non arriserit, accipiat quod dicitur,vt simplicem exhortationem,qua moueantur fideles Domino viã prępparare,per conscientiæ & cordis expurgationem,vt tanto visitatore & inhabitatore digni fieri valeant,qui nomen habet pro sua dignitate superans omne nomen.Occasus verò super quem Deus ascendit,pręter expositionem in Elucidatione monstratam,intelligi cõmode posset vitiorũ occasus,id est conuersio à peccatis:super quẽ occasum Dominus ascendit,quoniã libenter ad illos aducnit,in quibus occidũt vitia,& surgunt virtutes,qui derelinquẽtes malum,bonis se dicant operibus. ¶Versu 8.Deus cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransieris in deserto.Quod secundo loco dicitur,iuxta Latinos codices vulgatos,cum pertransieris,accipiendum videtur, pro sententiæ maiore commoditate,loco pertransires,vt sit conformitas in tempore & modo, cũ eo quod præcedit,cũ egredereris.In Greco autẽ,per infinitiuũ,vtrũque horũ,effertur,hoc modo, ἐν τῷ ἐκπορεύεσθαι σε ἐν τῷ διαβαίνειν σε F
hoc est,ad verbum,in egredi te,& in pertransire te. Quidam verò codices,etiã primo loco habent, Cum egredieris:non cum egredereris.Sententia tamen cõmodior est,si egredereris dicatur,& pertransires .Dicitur autem Deus egressus in conspectu populi sui,non q̃ locum vllum egredi possit, secundum suæ subsstantię præsentiam:sed secundum similitudinem ducis egredientis ante populum suum,cuius dux est,sermo iste venit accipiendus.Erat enim illis Dominus pro ductore,per diem simul atque per noctem.Posset tamen versus iste totus vnà cum sequenti, accommodari ad populum nouę legis,hoc modo,Deus quum tu egressus à patre in mundum venires in cõspectu populi tui,cũ pertransires per desertum mundi huius,cum hominibus,tanquam vnus ex nobis conuersando,tunc mota est terra per pœnitentiã,ad vocem prædicationis tuæ & mirabilium signorum tuorum.Nam & cæli Apostoli sancti(qui in aliis locis frequenter cęlorum nomine intelliguntur)distillauerũt sanctæ Enangelicæ doctrinæ pluuiam:non quidem à seipsis,sed à facie Dei ipsius eiusdem,qui olim legem tulit,& terribiliter apparuit in monte Sinai,à præsentia(inquã)Dei Israël. ¶Versu 12.Dominus dabit verbum euangelizantibus,virtute multa,Rex virtutũ dilecti dilecti, & speciei domus diuidere G
spolia. Ablatiuus virtute multa,cõstrui debet non cum participio euangelizantibus,sed cum verbo dabit,vt sit sensus,Dominus euangelizantibus dabit verbum multa virtute:hoc est cum magna efficacia & fortitudine,vt operetur videlicet sermo eorum mirabilia,vel cum virtute magna,ad faciendum signa & prodigia. His enim duabus rationibus:verbum Dei cum virtute multa datur à Deo. Primũ,quia verbum quod ex Deo loquebãtur sancti Apostoli,ita magnę virtutis & efficaciæ erat, vt corda penetraret audientium,multosque potentum etiã & sapientum sæculi ad Deum conuerteret à cõsuetudinibus & erroribus patriis:regna quoque & imperia ad Christum adduceret. Et licet aures propter simplicitatem nõ demulsceret eorũ sermo,corda tamen propter virtutis efficaciã permouebat.Quod autem sequitur,Rex virtutũ dilecti dilecti,cũ nominatiuo prioris versus,dominus, coniungi debet,quasi secundum appositoriam connexionẽ,hoc modo,dominus existens rex virtutum,dilecti dilecti filij filij sui, id est dilectissimi filij sui,supple,pater.Siquidem per geminationẽ hanc, dilecti vehementia dilectionis indicatur,quasi dicas,charissimi filij pater. In quo tacite indicatur quur dominus pater daturus sit euangelizantibus verbum in tãta efficacia:nimirum quia rex virtutum ipse est & pater charissimi sui filij,cuius gloriã annuntiabunt illi euãgelizatores.Vnde quia rex virtutum est à quo omnis est fortitudo, manifestum est posse ipsum dare verbũ virtutis:& quia filij H
sui dilectissimi gloria prędicãda est:quomodo nõ verbo illi daret virtutem,quo erat illa annuncianda quam optat super omnia.Quod deinde sequitur,Et speciei domus diuidere spolia,mirabili constructione cum prioribus iungitur,ita vt infinitiu⁹ diuidere,nectatur cum verbo dabit,repetito eversu priori,hoc sensu,Et dabit Dominus rex virtutum,dilectissimi filij pater, euãgelizantibus diuidere spolia.Quod autem supereſt speciei domus,datiui casus est,quẽadmodum ex Græco est manifestum & valet ad speciem domus,hoc est,ad decorẽ domus.Et hæc quidẽ,quãtum ad grãmaticæ cõstructionis cõgruitatem Quãtum verò ad sensum, videtur hic sermo respicere cõsuetudinẽ præliantium,qui post peractã pugnam,prostratis & interfectis hostibus,ad diuisionem spoliorum deinde se accingunt,atque ex reportatis post triumphum spoliis domus suas ornãt, in altitudine, suspendentes quæ magis electa videntur,in testimonium victoriæ & virtutis quã in bello fecerunt. Sic & Apostoli, qui quasi viri pugnatores egressi sunt cum verbo Dei,quasi viri sagittarij , sagittis acutis armati,plurimas nationes & imperia prostrauerunt Christo:accipiẽtesque singuli sortes suas,quasi spolia diuiserunt,ex quibus ædificarent & ornarent domũ Dei. Ornamẽta enim domus Dei,fructus est eorum qui ad Deum Euãgelica prædicatione fuerint cõuersi. ¶Versu 14..Si dormitatis inter medios cleros,pennæ columbæ deargẽtatę,& posteriora dorsi eius in pallore auri. κλῆρος Græce sortem Latine significat .Inter medios autem cleros idem valet,quod in medio clerorum,vel in medio sortiũ.quemadmodum Græce dicitur ἀναμίσερτῶνκληρῶν.Sortes autem istæ duæ sunt,sors cælestis & terrenæ.In medio sortium istarum dormire vel requiescere vel excubare prelatos Ecclesiæ,est affectu, nec penitus inhærere terrenis pluſquam necesse est, neque ita etiam solis velle inhærere cælestibus, vt cura negligatur subditorum ; Sed medio modo quasi inter vtrunque habitare , vt neque omnino

nino occupentur terrenis distractionibus,neq; semper inhæreant contemplationis solitudini.Colũba autem ista de cuius pennis & dorso hic dicitur,sancta Ecclesia est,de qua sponsus in canticis canticorum loquitur,dicens,Vna est columba mea,perfecta mea.Et iterum,Surge,propera,anima mea, Cant.6.
columba mea,formosa mea,& veni:columba mea,in foraminibus petræ,in cauerna macerię.Ostende mihi faciem tuã,sonet vox tua in auribus meis, Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quod autẽ hic dicitur de columbæ pennis deargentatis,& de posterioribus dorsi in pallore siue in fulgore auri,pulchritudinem exprimit columbæ.Corporali enim pulchritudine illa columba bene formosa est,cuius pennæ quasi deargentatæ,sic niueo cadore resplendẽt,supremum verò dorsi quasi auri pallentis,siue ad viredinem tendentis,habet speciem. Per quam corporalem pulchritudinem columbę, intelligitur spiritualis pulchritudo interior Ecclesiæ.Est itaq; totius huius versiculi sensus:Si vos,ô Apostoli,Apostolorumq; locum tenentes,si vos quicunq; præpositi estis Ecclesiarũ,in medio duarũ sortium excubaueritis,atq; requieueritis(vti supra declaratum est)ita fiet,vt Ecclesia ipsa vobis cõmissa,columba Dei formosissima & speciosissima fiat:Quemadmodũ ecõtrario si inter medios cleros dormire recusaueritis,admodum deformem (quantum quidem in vobis erit) columbam istam reddetis.Cũ enim præpositi ac rectores Ecclesiarũ bene se gerunt, optime proficit populus,& quasi peculiari pulchritudine nitet atq; resplendet Ecclesia:Cum verò non in sollicitudine debita præsunt
B gregi pastores,grex deficit,& Ecclesia plumis suis deformis redditur,pristinumq; perdit nitorẽ.Cõtingere autẽ potest duabus rationibus,vt non inter medios cleros,non in medio sortium habitantes præpositi Ecclesiarum,columbę suum auferant decorem.Sunt enim quidã sorti inferiori.i.parti terrenę penitus vel certe nimiũ inhærentes:per gulam,luxuriã,cõmessationes,ebrietates,ambitionem, auaritiã,aliáue his similia,quæ omnia de mundo sunt.Qui per hæc tetra vitia,dum & exemplo male docent subditos,& per vitam malam verbo etiã (quod forte prædicãt) autoritatem & fidem derogant:non mirum si columbæ suæ pulchritudinem vehementer obscurent,vt non appareat pennis deargentatis & dorso aureo colore fulgẽte.Rursum,alij nimium sibi vacare volunt, nimium quieti intendere,superiori sorti plusquã pastoralis cura permittat immanere volunt,neq; satis circuierunt gregẽ,non satis attendunt qui lupi obambulant,quis infirmetur ex grege,quis inficiat cõcius:negligunt multa,multa dissimulat:quoniam molestiam fugiunt & laborem,ne à quiete (vt aiunt) impediantur.Et hi certe quanquã sint prioribus tolerabiliores,tamen magna ex parte frequenter columbæ pulchritudinem obscurant,& plumas atras multas succrescere sinunt,quas tempestiue non euellunt.Qui autem columbã in suo nitore,in quo eam acceperunt à Deo,conseruare volunt,ita necesse est in medio duarum harum sortium dormiãt, habitent atq; excubent , vt neq; nimium terrenis se implicent,neq; pluſquã necesse est,contẽplationi & quieti insistere velint.Hoc enim exemplũ Sal
C uator(qui hãc formosam columbã genuit,& in sui sanguinis balneo tali pulchritudine donauit)ipse nobis reliquit:nõ perpetuo inter populares turbas agere voluit,sed frequenter in deserta orationis gratia secessit,semper tamen ad eruditos Apostolos ac cæteras turbas opportuno tempore redijt. Idem & Apostolos legimus factitasse eorumq; legitimos successores.Atque vtinã nostro quoque sęculo hæc nõ deesset fœlicitas.Vtinã nõ toti in sorte infima dormirent pleriq; eorum,quibus hîc clamatur,Si dormieritis inter medios cleros.Haberemus profectò columbã Iesu Christi nõ ita multis atris piceisque plumis cõmaculatam,haberemus candidã vt olim,splendidã vt olim,alis deargentatis vt olim,dorso pallente in fulgore auri vt olim.Sed benedictus per omnia Deus,qui vbi volet,fœliciter restituet nobis omnia . Nonnulli verò columbæ pennas deargentatas , & posteriora dorsi in pallore auri,secundum mysticas intelligentias aliter exponunt:quas apud alios prõptum sit inuenire,nos propter prolixitatem nimiam vitandam pertransimus. ¶Versu 15.Niue dealbabuntur in Selmom.Quod apud Latinos duabus dictionibus dicitur,niue dealbabuntur,Græce vnico verbo habetur χιονωθήσονται,quod ad verbum sonat,acsi confícto vocabulo dicamus niuabuntur, vel deniuabuntur,id est,in modum niuis dealbabuntur.In quo sensu etiam accipiendum est , quod dicitur in vulgata lectione niue dealbabuntur,hoc est quasi nix albi fiet:quemadmodum seruo Teutonicus dic
D tione cõposita sneeuvvit appellat,qui in modũ niuis vehementer sunt albi: atque econtrario peckſvvart,eos qui vt pix nigri sunt,vulgari appellatione dicũt.Selmon verò, quod secundum Hebraicã orthographiam scribi deberet Zalmon,significat obscuritatem vel tenebrositatem, aut secundum alios,qui Zalemoth legunt vmbram mortis.Vtrunque autem gẽtili populo conuenit,imò & Iudaico,quoniam ante horum regum(.i.Apostolorum) super orbem constitutionem, ante apostolicam prædicationem:omnes sub tenebris ignorantiæ & mortis vmbra residebant:qui Apostolica prædicatione,per pœnitentiam veram,facti sunt velut nix candidi,dealbati & lucidi.Per montẽ vero Dei, intelligit Elucidatio sanctam Ecclesiam,quam prius columbam diximus . Posset tamen etiam ipse Christus intelligi,qui mons est Dei sublimis,mons pinguissimus plenus spiritu sancto , mons coagulatus:quoniam omnes fideles ipsius membra sunt,& omnes per fidei coagulum sibi counitos habet, qui vnus est mons vere coagulatus & perfectus, in quo beneplacitum est toti diuiniati, secundum plenitudinem (vt Paulus ait) corporaliter inhabitare. ¶Versu 18. Currus Dei , decem milibus multiplex.In Græco,totum hoc decem milibus multiplex,dicitur vnica voce μυριοπλάσιον,quod Latine vno verbo reddi commode non potest:sed per circunloquutionem debet explicari,myriadibus multiplex,id est,decem milibus multiplex,quod est,ex decem milibus multiplicatis ac frequenter replicatis cõpositus.Nam vna myrias continet decem milia.Myriadibus ergo multiplex idem est quod decem milibus multiplex.Aut effícta voce dici posset,decem millecuplex, si non inueniretur replicatio myriadum.Hoc enim modo,quemadmodum millecuplex diceretur currus, qui ex multi-

titudine mille cõstaret vectorum, ita μυριοπλάσιος, hoc est, decẽ millecuplex diceretur, qui ex decem E
millibus componitur. Nam vna myrias (vt iam dictum est) decem milia complectitur. Per hunc autẽ
numerum, siue decem milium, siue (iuxta quod verisimilius est) myriadum multiplicatarum, intelli-
gimus innumerabilem multitudinem angelorũ, qui sunt currus Dei. Vnde Hieronymus ex Hebræo
vertit, Currus Dei innumerabilia milia abundantium. Atque ita etiam accipi posset vox Græca su-
prà posita, myrioplasios, vt valeat infinite multiplicatus, hoc est, ex infinita multitudine compositus.
Nam μύρια plurali numero, neutro genere, Græci dicunt infinita: myriadem verò, numero singulari,
genere fœminco, tantum decem milia. Quidam verò hunc currum accipiunt populum Dei electos
ex hominibus, aut saltem hos illis coniungunt: sed præstat angelorum exercitus intelligere, in quib⁹
etiam vectus apparuit in Sinai monte sancto. Maxime cum scripturarum mos sit iste loquendi, vt di-
cant Deum super angelos sedere, vel equitare: quemadmodum in Psalmo 17. Ascendit super Cheru
Psal.17. bim, & volauit. Et alibi. Qui sedes super Cherubim. ¶ Versu 19. Cepisti captiui captiuitatem, accepi-
Psal.79. sti dona in hominibus. Captiuitas ista (vt in Elucidatione indicauimus) vel peculiariter ad patres in
limbo detentos refertur, vel generaliter ad vniuersum genus humanum. Omnes enim sub diaboli
Lucæ. 11. manu detinebantur captiui, donec veniret ille fortior qui fortem armatum alligasset, & vasa capti-
uitatis eius diripuisset. Et quidem iuxta textum nostræ lectionis Gallicanæ, non habet difficultatem F
quòd dicitur Christus in altum ascendens cepisse captiuitatem. Quod autem in Psalterio Romano
legitur, Captiuam duxisti captiuitatem (quomodo tam in Hebræo, quam in Græco aperte conspi-
cimus) videtur maiorem habere difficultatem. Nam siue patres intelligas è limbo eductos, siue ho-
mines vniuersos è diaboli potentia ereptos: quomodo dicetur Christus eos quos liberauit captiuos
duxisse. An non verius diceretur, Liberam dimisit, vel liberam eduxit captiuitatem? Attendendum
proinde est, duplicem in his verbis indicari captiuitatem: alteram duram & pessimam, qua sub dia-
bolo fuerant detenti: alteram verò optimam, dulcissimam, & diutissime expectatam, qua videlicet
per Christum ex priore durissima fuerunt liberati. Ad hoc enim Christus ereptos duxit vel cepit cap
tiuos, vt liberos faceret. Qui enim extra captiuitatem abducuntur, ad libertatem adducuntur. Quẽ-
admodum si rex quispiam audiens subditos regni sui à tyranno aduersario in captiuitatem abduc-
tos, atq; in carceres immanes retrusos, in potentia sui exercitus veniens, expugnato tyranno popu
lum illum suum de captiuitate mortis exeutiat, ac secum abducat, recte dicemus, illum captiuã secũ
abducere captiuitatem, non quod ipsos vltra captiuos detinere velit, sed quia de manu eius qui prius
illos in captiuitatem concluserat, cepit. Captiuitas prior, seruitutis erat: posterior, libertatis. Notan-
dum præterea, cum dicimus (iuxta secundam expositionem) totum genus humanum Christum al-
cendentem duxisse captiuum, etiamsi intelligatur quòd secum abduxerit in cælos, non debere hoc
Ephes.2. falsum neque absurdum videri: sed ita accipi debebit, quomodo Paulus Apostolus in Epistola ad E- G
phesios loquitur, dicens, Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua
dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati,
& conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus, in Christo Iesu. Ait nos iam consedere in cęlesti-
1. Ioan.3. bus, in Christo, siue per Christum: non quòd illic iam agamus, sed quia per ipsum certam spem & se-
curam habemus expectationem, illum obtinendi. Ita plane omnes nos ascendẽs Christus cepit à dia
bolo, ac secum abduxit: quoniam de morte nos transtulit ad vitam iuxta dictum dilecti discipuli: &
Ephe.4. mortis imperio exemptis, ad hæreditatem vitę æternæ nobis restituit accessum. ¶ Versu eodem, Ac-
cepisti dona in hominibus. Mirabile videtur, quomodo præsentem versum allegans Paulus Aposto-
lus, capite quarto Epistolæ ad Ephesios, diuerso modo citauerit, dicens. Ascendens Christus in al-
tum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: cum hîc dicatur, non de datis donis, sed de
acceptis. Multum enim interesse videtur inter hæc duo, Dedit dona hominibus, &, Accepit dona in
hominibus. Verum si sensum vtriusq; lectionis penitus introspiciamus, comperiemus manifesto nõ
magnam inter ea esse diuersitatem. Non enim potuisset filius dare neq; spiritum sanctum, neq; vllũ
donum hominibus, nisi à patre accepisset, vt dare posset & daret. Quæcunque enim habet filius, à pa
Matt.11. tre se confitetur habere, dicens, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Ac rursum, Non possum ego
Ioan.5. à meipso facere quicquam. Et de spiritu veritatis, cum discipulis eum promitteret, dicebat à patre se H
Ioan.15. illis daturum, Cum venerit (inquit) paracletus quem ego mittam vobis à patre. Et iterũ, Paracletus
Ioan.14. quem mittet pater in nomine meo. Item, Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, spiritũ
Ibidem. veritatis. Vt ergo hominibus spiritum ac dona eius filius in altum scandens, daret, prius oportebat
accipere in hominibus, id est, pro hominibus, vel vt in hominibus diffunderet. Vnde videtur Paulus
idem clarius & apertius dixisse, mutata verborum forma, quod obscurius continet lectio Psalmi:
quemadmodum & in alijs aliquot locis scripturarum citandis feciſſe cognoscitur. Alij verò prę sen
tem particulam, Accepisti dona in hominibus, sic intelligunt. Accepisti tu ô Christe, postquã victor
ascendisti in cælum, dona in hominibus: id est, ex hominibus, ex genere humano, quando scilicet
prædicantibus Apostolis tuis in terra vicarijs, multa hominum milia & innumerabiles populi tuę di
tioni sunt subacti & subiugati: quando (iuxta Psalmi alterius Prophetam) datę sunt tibi gentes in hę
Psal.2. reditatem, & termini orbis terræ in possessionem, Ecclesia sancta tua per orbem Apostolica prædi-
catione dilatata. Secundum quam expositionem Pauli allegatio ita deberet concordari, quia prius
erat, vt Christus sua dona daret hominibus, vt spiritum mitteret in corda Apostolorum, quàm pos-
set ex hominibus accipere dona, id est, populos suo imperio acquirere subiectos. Nunquam enim
orbis terrarum ita se Christo subiecisset, nisi de cælo demisisset suum spiritum, qui Apostolos ad rẽ
tantam sufficientes fecit, cuiusq; virtute sancti Apostoli cuncta mirabilia fuerunt operati. ¶ Versu
20.

A 20. Etenim non credentes inhabitare dominum Deum. Dependet hic versus secundum cõstructio-
nem à priore: quoniã totum hoc, Nõ credentes inhabitare dominum Deum, verbo accepisti debet
coniungi: Idque fieri poterit secundum duplicem constructionem. Primo, vt accusatiuus posterior
dominum Deum, ab anteriori parte verbi inhabitare regatur: prior autem nõ credentes, à parte po
steriori: totum verò hoc, dominum Deum inhabitare nõ credentes, si pro accusatiuo vno qui rega-
tur à verbo transitiuo, accepisti, hoc sensu, Etenim accepisti dominum Deum, inhabitare non credẽ
tes: hoc est, Accepisti vt dominus Deus inhabitet non credentes, eos videlicet qui antè non crede-
bant, qui olim increduli fuerãt, vt illos Deus pater, & tota diuinitas iam inhabitet per gratiam, post-
quam de cælo missisti tui spiritus dona. Spiritus sanctus enim de cælo demissus, corda idololatrarum
& infidelium quæ inuenit habitacula dæmonum, consecrauit in templa Christi & Dei patris. Altera
constructio est, secundum quam accusatiuus, non credentes, regitur immediate à verbo accepisti: in-
finitiuus autem qui sequitur, Græcorum more, pro gerundio accipitur, ad hunc sensum, Etenim ac-
cepisti non credentes, ad inhabitandum dominum Deum in ipsis: hoc est, Eos qui antè increduli fue
rant, à patre tuo post spiritus sancti missionem accepisti dono, vt ipse dominus Deus habitaret in ip
sis. Et harum constructionum vtranq; recte patitur etiam versio Hieronymi ex Hebræo, quæ eadẽ
B est cum vulgata lectione nisi quòd loco, etenim, ponit insuper &, hoc modo, insuper & non creden-
tes inhabitare dominum Deum. Sciendum tamen est, quòd in Græcis exemplaribus, item & in Ro-
mano Psalterio alia habetur distinctio. Finiunt enim versum in infinitiuo inhabitare, ac deinde à ca
su nominatiuo, dominus, versus alterius initium sumunt. Nã Græci libri sic habent, κύριε γὰρ ἀπειθοῦντας
τῆ κατασκηνῶσαι ac deinde κύριος θεὸς εὐλογητὸς: hoc est (vt Romanum habet Psalterium) Etenim qui
non credunt (id est incredulos) inhabitare, Dominus Deus benedictus, &c. Quæ lectio Græca, non
nisi posteriorem patitur constructionem, vt sit hęc sententia, Etenim accepisti non credentes ad in-
habitandum, vt scilicet eos inhabitares, quos, antè inhabitat diabolus. Verum lectio vulgata, Hebręo
originali magis apte respondet. ¶ Versu 21. Benedictus dominus die quotidie, prosperum iter faciet
nobis Deus salutarium nostrorum. Cum dicit Latina translatio, die quotidie, conata est exprimere
figuram sermonis Græci, qui habet ἡμέραν καθ' ἡμέραν, quod sonat ac si dicas, die & die: hoc est, per sin-
gulos dies, vel quotidie, vel semper. Solet enim illa replicatio vniuersalitatem significare, quemad- Psal.144.
modum cum dicitur, Generatio & generatio laudabit opera tua. i. omnes generationes. Item, à pro- Luc.1.
genie in progenies. i. in omnes progenies siue generationes. Figuram sermonis Græci conatur etiam
exprimere lectio Romani Psalterij, quæ habet, Benedictus dominus de die in diem. Quod autem se-
C quitur, Prosperum iter faciet nobis Deus, intelligi debet ex communi modo hominum, secundum
spem bonam fidenter loquentium, qui etiam solent dicere, Deo donante, Bene cedent omnia, For-
tunabit omnia Deus, Dabit omnipotens prosperum exitum nostris negotijs, Dominus omnipotẽs
rem nostram diriget, & prosperum faciet negotium in manibus nostris. Illud tamen sciendum est, in
sermone Græco, pro toto illo, prosperum iter faciet, poni vnicum verbum κατευοδῶσαι, quod signi-
ficat, faciat prospere cedere, vel prosperum iter faciat. Idem vocabulum & Paulus vsurpat, primo
cap. Epistolę ad Romanos, vbi Latina lectio habet, Si quo modo tandem aliquando prosperum iter
habeã in voluntate Dei, veniendi ad vos. ¶ Versu 22. Deus noster, Deus saluos faciendi: & domini Rom. 1.
domini, exitus mortis, Gręce est, ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ θεὸς τοῦ σῶσαι κύριος κύριός αἱ ἔξοδοι τοῦ θανάτου: hoc est,
De⁹ noster, De⁹ ad saluandũ, & ipsius domini domini sunt egressus aut trãsitus mortis, quod aliquã
to clarius est quàm habet nostra lectio vulgata. Et manifestum est domini domini, esse casus geniti-
ui: exitus autem, casus est nominatiuus, numeri pluralis. Istos autem exitus mortis, præter expositio-
nem in Elucidatione positam, exponunt alij exitus ad mortem, vt duæ partes versus contraria pro-
ponant. Prior enim dicit, Domini esse saluare, posterior verò, Domini esse perducere ad mortem, &
ad mortis exitum perducere quos voluerit, vt significetur vno versu isto, tam vitæ quã mortis Deus
D habere æqualem potestatem, quemadmodum ex ore domini dicitur. Ego percutiam & sanabo, oc-
cidam & viuere faciam. ¶ Versu 23. Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, Deut.32.
verticem capilli perambulantium in delictis suis. Quòd hîc dicitur de confringendis capitibus ini-
micorum, & de confringendo vertice perambulantium in delictis suis, secundum metaphoram sig-
nificat vltionem grauissimam & seuerissimam iustitiæ Dei, in impios obstinatos exercendam: quæ
huiusmodi metaphorica loquutione in scripturis fere solet significari. Quemadmodum Psalmo 5. Psal. 3.
Percussisti omnes aduersantes mihi sine causa dentes peccatorum contriuisti: vbi per maxillæ per-
cussionem (quomodo in Hebraico habetur) & dentium cõtritionem, similiter hæc vltio damnatio-
nis impiorum significatur, quẽadmodum illo in loco apertius declarauimus. Similiter & illud quod
dicitur versu secundo, loco post hunc sequente: Vt intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum
tuorum ex inimicis ab ipso, secundum translationem accipi debet, ex consuetudine prædiorum, in
quibus sanguinis copiosissima fit effusio, videturq; (quantum ad sententiæ conuenientiam) rectius
versus ille 25. debere immediate huic 23. copulari, accipiendo eum qui interponitur 24. quasi per pa
renthesim interiectum: quanquam & aliæ dari possint expositiones, secundum quas non foret neces-
se ita accipere, quas tamen breuitatis studio omittimus. Circa versum autem vigesimum, nota illud,
in profundum maris, accipiendum pro de profundo, vel ex vel in profundo maris. i. de insulis longin
quis à terra, in mari lõge litis. Atq; ita vertit beatus Hieronymus ex Hebræo: de profundo maris. In
versu verò vigesimo quinto, cum dicitur, Pes tuus & canum tuorum, sermo videtur fieri non deter-
minatè ad aliquem, neq; ad Deum, neq; ad hominem aliquem determinatè, sed in genere ad vnum-
quenque qui prælio interfit. Sic enim persona secunda nonnunquam vti solemus. Vt (verbi gratia)

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum dicimus, Videas plerosq; omissa via recta, sectari deuia, tãtundem est ac si dicamus: Videre qui- E
libet facile potest, &c. Denique, illud ab ipso, in versu 25. quod in Elucidatione exposuimus. A Deo
vltore, alij intelligunt secundum numerum pluralem. Ab ipsis inimicis: vt sit (iuxta scripturæ vsitatũ
morem) perissologia, eiusdemq; rei inculcatio: alij, Ab ipso principe inimicorum: alij, Ab ipso san-
guine ex inimicis effluente. ¶ Versu 27. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iu-
uenculorum tympanistriarum. Totum hunc versum in Elucidatione secundum intelligentiam my-
sticam enarrauimus. Poterit tamen & ad litteram intelligi, secundum ordinem qui fit in solemnib⁹
gratiarum actionibus, vbi præueniunt, seu antecedunt principes, idque intelligendo potius de præ-
fectis seu principibus cantorum, quàm de principibus populi: hos deinde subsequebantur cãtores,
psallentes & confitentes Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius: quibus
coniungebantur iuuenculæ in tympanis tympanisantes, & choros ducentes cum gaudio. Atque hũc
sensum clarius explicat, quod habet versio Hieronymi ex Hebræo, Præcesserunt cantatores eos qui
post tergum psallebant, in medio puellarum tympanistriarum. ¶ Versu 28. In Ecclesijs benedicite
Deo domino, de fontibus Israël. Elucidatio interpretatur de fontibus, vt significetur quasi materia
benedictionis, ad quam fit exhortatio, quasi dicatur, Benedicite Deo super fontibus Israël. Aliter ve
rò intelligi poterit. Benedicite in Ecclesijs domino, Vos qui estis de fontibus Israël geniti, id est, per F
sanctos Apostolos (qui fontes sunt regenerationis) ex Israël regenerati. Quod magis videtur quadra
Gen.49. re ad versionem Hieronymi ex Hebræo, quæ habet numero singulari de fonte Israël, vel (vt alij ver-
tunt) de vena Israël, siue de scaturigine Israël, quod Hebræi quidam exponunt: Quicunque estis de
semine vel progenie Israël: quanquam & hæc intelligi possint de fonte siue vena, siue scaturigine E-
uangelicæ prædicationis, quę ex Israël in mundum defluxit vniuersum per omnes populos nationũ.
¶ Versu 29. Ibi Beniamin adolescentulus, in mentis excessu. Quod hunc versum de beato Paulo ex-
ponimus, primum non absque grauissimorum virorum autoritate facimus, deinde nec prꝛter ratio-
nem, nec prꝛter similitudinis conuenientiam. Nam beatus Augustinus non solum quod hic scribi-
tur, verumetiam quod in Genesi in prophetia Iacob de Beniamin dicitur, Beniamin lupus rapax, ma
ne rapiet prædam, & vespere diuidet escas, putat de Apostolo Paulo intelligendum. Paulum quoque
Philip.3. de tribu Beniamin fuisse, ipsiusmet comprobatur testimonio, capite tertio Epistolæ ad Philippẽses,
ita de se loquentis. Siquis alius videtur confidere in carne, ego magis, circuncisus octauo die, ex ge-
Actu.9. nere Israël, de tribu Beniamin, Hebręus ex Hebręis, &c. De extasi autem in qua fuit Paulus, legimus
Actuum nono capitulo, quomodo in profectione ad Damascum, luce cælesti tactus desuper, & vo- G
ce Dei audita, postquam ad manus deductus fuisset in ciuitatem à comitibus, tribus diebus permã-
serit non videns, neque manducans, neq; bibens, in oratione, per excessum (vt videtur) totus eleua-
tus. Id quod loquens ad Ananiam dominus, indicabat, dicens: Surge, & quære Saulum nomine Thar
sensem: Ecce enim orat. Vbi cum ait dominus, Ecce enim orat, indicat Paulum triduo illo, dum ita
à cibo potuq; abstineret, item & visu non vteretur, non mente alienatum fuisse, sed cũ Deo prorsus
occupatum. Et verisimile est: tunc in mentis excessu ipsum fuisse, & à Deo didicisse quę statim post
receptum visum audacter & fiducialiter de Christo, etiam in Synagogis, & palam omnibus gẽtibus
atque Iudæis cœpit prædicare: maxime cum ipse aperte testetur, humano magisterio se nõ didicisse
Galat.1. mysterium fidei Christianæ, sed per immediatã reuelationem Dei. Sic enim Galatis scribit: Notum
vobis facio fratres, Euangelium quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem.
Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Et verisimile
2.Cor.12. est, idem fuisse hoc tempus in quo illi datum est in tertium cælum scandere, & ineffabilia verba audi
re, de qua rescribit in Epistola posteriore ad Corinthios, in hæc verba, Scio hominẽ in Christo ante
annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque
ad tertium cęlum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit)
quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba quæ nõ licet homini loqui. Hæc ergo ex- H
tasis est adolescentuli nostri & paruuli Beniamin. Nunc verò & congruentiã videamus comparatio-
nis, Beniamin inter omnes fratres suos natu minimus fuit, & fratrum vltimus: quẽ pater in senectute
genuit, ac tenerrime dilexit. Ita Paulus, Apostolorum omnium vltimus, vocatus est, quasi in senectu-
te patris: quoniã post Christi ascensionem in cælos. Vnde de seipso confitetur scribens Corinthijs
quòd nouissime omnium, post Apostolos omnes viderit dominũ, quasi abortiuus, addẽs & causam,
2.Cor.15. Ego (inquit) sum minimus Apostolorum, qui nõ sum dignus vocari Apostolus, quoniã persequut⁹
sum Ecclesiã Dei. Audis Beniamin fratrem minimum, in senectute Christo genitum. Vis autem au-
Ibidem. dire, quare ita tenere pater (tametsi minimum & in senectute genitum) hũc dilexit? Lege quod sequi
tur, Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus
laboraui. Non ego autem, sed gratia Dei mecũ. Ad hęc Beniamin matris suæ Rachẽlis (vt ita loquar)
Gent.35. interfector fuit. Siquidem in partu mater mortua est, & sepulta in via quę ducit Bethleem. Egrediẽte
quoq; anima præ dolore, mater appellauit illũ Bennoni, id est, filium doloris mei: pater verò nomẽ
cõmutauit, appellans illum Beniamin, id est, filium dextræ, sicuti manifeste docet historia Genesis.
Hæc autem omnia aptissime secundum mysticam intelligentiam Paulo accommodãtur gẽtium A-
postolo. Dum enim ita fortiter per omnes epistolas suas mõstrare conatur legis veteris abrogatio-
nem, dum vbiq; contra Iudæos mordicus tenere volentes, sua legalia cõstanter agit pro Euangelica
libertate: nonne tibi Synagogę matris suæ, in qua educatus & edoct⁹ fuit, & veteris legis in qua geni
tus, quasi interfector quida fuisse videtur? Nonne recte tibi videtur Synagoga vetus hunc posse ap-
pellare Bennoni, id est, doloris mei filium, qui matrem à qua educatus & instututus fuit deficere fecit
& (vt

A & (vt ita loquar) voluit interire? Quis enim Apostolorum omnium ita legalium euacuationem do-
cet, quis ita pro Euangelicæ gratię libertate dimicat, vsq; ad sanguinem, vt hic adolescentulus Benia
min? Et licet Synagoga mater, videns se prę dolore expirare animam ac deficere, vocet illum doloris
sui filium, licet illum crudelissimo odio prosequeretur ipsius populus: pater tamen Beniamin illum
appellauit. Deus pater non patitur filium doloris nuncupari, sed commutato nomine Beniamin ap-
pellat, id est, filium dextræ. Quid autem est, quod à Deo filius dextrę vocatur? Nempe id quod ad A-
naniam dicebat, Vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Actu.9.
Israël. Ego enim ostendam illi, quanta eum oporteat pro nomine meo pati. Quis igitur miretur, si in
hoc Psalmo, vbi copiosissimus sermo habetur de nouæ Ecclesiæ ædificatione, quæ ex gentibus po-
tissimum constat, de hoc Paulo gentium primo Apostolo peculiaris fiat mẽtio? si etiam priori loco
ante alios exprimatur sub figura Beniamin? ¶ Versu 30. Principes Iuda, duces eorum, principes zabu Matt.4.
lon, & principes Neptalim. Fuerunt Apostolorum aliqui electi ex tribu Iuda, vt Iacobus & Ioannes Ioan.1.
filij Zebedæi: item Iacobus minor, Iudas & Simon fratres, ac inter discipulos Ioseph iustus, qui om-
nes filij erant fororis matris domini. Porro Zabulon & Neptalim, in Galilæa sitæ sunt, vnde domin⁹
Petrum & Andream assumpsit: & Philippum, qui & ipse à Bethsaida Galilææ erat, & Nathanaëlem
discipulum, & alios plerosq; ex Galilææ partibus: quemadmodum primo capite Actuum Apostolo-
B rum testantur stupentes linguarum miraculum, cum admiratione dicentes. Nónne ecce omnes isti Actu.1.
qui loquuntur, Galilæi sunt? Et angeli ascendente domino, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cæ
lum? ¶ Versu 32. A templo tuo in Hierusalem, tibi offerent reges munera. Quidam huius versus prin Ibidem.
cipium coniungunt fini præcedentis, hoc modo, Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, à
templo tuo in Hierusalem: id est, quod in Ecclesia tua operatus es, incipiendo à templo sancto tuo,
quod est in Hierusalem, quia illic primum cœpit Euangelium prædicari, & Ecclesia ædificari. Aut cõ
firma hoc à templo sancto tuo, id est, virtute desuper missa, & spiritu sancto de cælo demisso, de san
ctuario tuo quod est in superna Hierusalem, quod vbi feceris, in gratiarum actionem offerẽt tibi re-
ges munera, per vniuersum orbem terrarum. ¶ Versu 33. Increpa feras arundinis, congregatio tau-
rorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati sunt argento. Per feras arundinis, in Eluci
datione principes sæculi intelligimus, Euangelio repugnantes: per tauros, illorũ duces & prꝛfectos:
per vaccas, vulgus ipsum in malo consentiens. Aut per feras arundinis, intellige hæreticos vel sapien
tes sæculi contra Christum & Ecclesiam inani timore superbiæ & simulatione falsa scientiæ insur-
gentes: per congregationem taurorum, exercitus principum & potentum, quos contra fidem mo-
uent, vt persequutionem faciant Ecclesiæ. Aut per feras arundinis, malignos & sæuos spiritus erro- Psal.21.
C ris accipe: deinde, per tauros sæculi potentes & sapientes, quos feræ illæ exagitant, & quorum vtũtur
ministerio, ad perficiendum concupitam sibi malitiam. Quod autem per tauros, potentes significan
tur atq; maiores: per vaccas minores & vulgus hominum qui alios sequuntur, docet etiam Psalmus
vigesimus primus vbi dicitur, Circundederunt me vituli multi (quod ad ministros & vulgus refertur
Christum comprehendentium) tauri pingues obsẽderunt me, quod ad Pharisæos & primos Iudæo-
rum spectare dignoscitur. Quod autem in fine dicitur, Vt excludant eos qui probati sunt argẽto, in-
telligitur, probati sicut argentum: quemadmodum supra, Niue dealbabuntur, id est, quasi nix deal-
babuntur. Alij verò per argentum intelligunt verbum Dei, optime sonorum, quemadmodum est ar-
gentum bene tinniens, Sicq; sensus talis est, Vt excludant & impediant eos qui probati sunt & in-
structi verbo Dei, id est, prædicatores & Apostolos Christi. Versu 34. Venient legati ex AEgypto,
AEthiopia præueniet manus eius Deo. Videntur hæc completa tempore Apostolorum, quando in
Alexandria AEgypti (vt Philo Iudęorum disertissimus testatur) schola erat celeberrima Christiano- Philo.
rum, ad formam Ecclesiæ Hierosolymitanæ communiter viuentium, sub Marco Euangelista, primo
Alexandriæ Episcopo: quorum vitæ ordinem summa commendatione idem hic Philo late in libris
suis prosequitur. In Antiochia verò primum cognominatos fuisse discipulos Christianos, discimus
ex cap.11. Actuum Apostolorum, vbi & Ecclesiarum in principio nascentis fidei erat congregatio. Actu.11.
Post verò, Matthæus Apostolus atq; Euangelista, eandem in suæ prædicationis fortẽ fertur accepis-
D se, populosq; plurimos ad fidem conuertisse. Quod autem dicitur: venient legati ex AEgypto, secun
dum translationem dicitur sumptum ab ijs qui pacem quęrũt: quorum consuetudo est, legatos mit-
tere, qui de pace simul cum hostibus tractent. Neq; aliud per horum legatorum aduentum significa
tur, quam ipsorum pax cum Ecclesia & populo Dei, per susceptionem fidei. Similiter de AEthiopia,
quod præueniet vel festinabit dare manus Deo, secũdum metaphoram dicitur, comparatione sum-
pta ab ijs qui in bello se victos dedunt. Hi enim dare manus dicuntur, nimirum supplicandi gratia,
ideoq; vt vinciantur, efficianturq; captiui, si placitum fuerit hostibus, ne vitam perdant, rem omni-
bus rebus magis optatam.

LXVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

QVemadmodum ex sacris Euangeliis & Apostolorum scriptis edocemur, necesse est hunc Psalmũ Christo domino applicari. Pleraq; enim eorum quæ hic Psalmus continet, tã in sacris Euãgeliis, quàm in alijs Apostolicis scriptis, de Christo scripta perhibentur. Cuiusmodi est illud versu 5. Oderunt me gratis, quod apud Ioannem dominus de se dictum testatur, cùm ait, Sed vt impleatur sermo qui in lege eorũ scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Itẽ & illud versus 12. Zelus domus tuæ comedit me, apud Ioannẽ Apostoli recordati sunt de Christo scriptum fuisse, postquã flagello vendentes columbas eiecisset de tẽplo. Alteram verò partem versus eiusdem, Opprobria exprobrantium: ibi ceciderunt super me. Paulus Apostolus cap. 14. epist. ad Roma. ad Christum accõmodat, eius humilitatem in exemplum adducẽs, vt discant nõ superbe sapere. Idem cap. 12. versus 27. & 28. Fiat mensa eorum corã ipsis in laqueum. Obscurentur oculi eorũ, &c. de vindicta cõtra Iudæos Christi inimicos, manifestißime exponit. Petrus verò in actibus Apostolorum, 1. cap. de Iuda proditore coram fratribus verba faciens, & alterius substitutione, versum trigesimum (Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet) de Iuda proditore & eius complicibus testatur à spiritu sancto per os Dauidis prolatum. Illud quoq; quod habet versus 26. de felle & aceto, Dederunt in escam meã fel, & in siti mea potauerũt me aceto: nónne luce clarius ad historiã pertinet dominicæ passionis? Negari igitur à fidelibus nõ potest Psalmum istum ad personã Christi pertinere: tametsi forsitan & Dauid, quatenus Christi typus erat, secundum literam posit applicari in tribulationibus grauissimis cõstitutum, atq; etiã ad fidelium singulos, quatenus Christi mẽbra sunt & quatenus eius passioni in variis tribulationibus conformantur. Clamat itaq; in hoc Psalmo ad patrem Christus, in passionum angustia positus, secundum similitudinem hominis in aquis periclitantis, pedes lutosos cœno infixos habẽtis: qui vsq; ac rauim exclamãs pro auxilio, & vsq; ad oculorum defectũ, huc illucq; respiciens, nullum percipit liberatorem: quam metaphorã mox versu quinto, ac deinceps aperte exponit, suorum persequutorũ multitudinem & ferocitatẽ multis versibus, multaq; verborũ inculcatione manifestans, causan suæ persequutionis, dicẽs: Zelum esse domus Dei: ex quo, cum increparet superbos increpationis impatientes, in tantã venit miseriã. A versu autẽ 16. & deinceps magna vehementia auxiliũ patris inuocat cõtra aduersarios, suãq; innocentiam, & ex aduerso maximam miseriam proponit, vsq; ad versum 27. Hinc verò vsq; ad versum 34. de sua tacens miseria, eam quæ super inimicos secundum ordinem paternæ iustitiæ ventura erat vltionem & pœnam retributionem, quasi per imprecationis modum secundum conformitatem Diuinæ voluntatis, prædicit. Nouißime verò, à versu 34. ad finem vsq;, suam à passione & morte salutem, ac resurrectionis victoriam proponens, laudem q; patri promittens super omnia vetera sacrificia gratißimã, vniuersum fidelium cœtum ad considerandum & magnificandum opera Dei mirabilia exhortatur: imò in spiritus plenitudine, cœlum, terram, mare, & quæ in eis sunt, omnia ad laudem Dei conuocat & inuitat, propter ædificationem Ecclesiæ sanctæ, eiusq; constabilitionem, vsq; in consummationem sæculi.

LXVIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1. *Saluum me fac Deus*
* *quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.*

SAlua tu me Deus saluator meus, ad quem solum ab omnibus derelictus clamito, & quantocyus grauissime periclitanti fer opem: * quoniam tribulationes plurimæ & angustiæ intolerabiles me affligunt, & iam occupauerunt vniuersum cor meum, tanquam si aquæ per os copiosè ingrediantur ad suffocandum cor, & extinguendum animam. Et plane in tantis his tribulationibus sic consisto, quomodo is qui in profundo aquarum vsq; ad os ascendentium consistit, periclitatur de vita corporis, nisi accurrat auxiliator. 2. Ad modum eius qui secundum corpus in limoso luto infixus est, in profundo aquarum (ita vt mouere se non possit, aut enatando periculum euadere) ita nũc ego in profundo tribulationum hæreo infixus, ita vt per me non videam euadendi viam: * & non est mihi vlla firma subsistentia, nihil est solidum vbi subsistam, non est vbi firmum
2. *Infixus sum in limo profundi:*
* *& non est substantia.*

H possim ponere vestigiũ pedis mei, sed cõtinuo immergor profundius: quoq; amplius laboro, eo infigor altius: sicut is qui in limoso profundo cõsistit, quo plus laborat corpore, vt se extricet, eo magis ac magis cœno infigitur. 3. Deueni iam vsq; in profunditatẽ maris totus immersus vndis tribulationũ, vt vix videar mihi posse mergi profundius: * & tribulationũ impetus, atq; tumultus in modũ tempestatis, quasi fluctũ æui maris tumultuantis atq; feruentis, penitus obruerunt me atq; absorbuerunt, ita vt ex me prorsus desperem posse euadere. 4. In tãtis autem angustijs positus, clamaui voce excelsa inuocans auxilium, & clamando vim magnã mihi feci, & laborẽ exhibui, vt clamarẽ efficacius, & præ clamore nimio quasi raucæ factæ sunt fauces meę, vt iam clamare vix vltra possim. Maximo enim desiderio & affectu profundissimo, de tantis tribulationibus inuocaui auxilium: * caligauerunt oculi mei præ nimia obseruatione liberationis, dum iã diu intẽtos teneo oculos ad dominũ Deum saluatorem meũ, in quẽ spero, & quem inuoco: nimiũ exspectat, nimium differt exaudire, vt nõ sufficiant ad eum vltra aspi-

3. *Veni in altitudinem maris:*
* *& tempestas demersit me.*

4. *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ:* * *defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 15.
Ioan. 2.
Rom. 14.
Rom. 15.
Act. 1.
Ioan. 19.

5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.*

aspicere præ defectu oculi mei. 5. Creuit indies numerus inimicorum meorum, & maximo numero iam multiplicati sunt qui me absq; causa præter omnem rationem, contra omnem æquitatem, odio habent & prosequuntur, ita vt præ multitudine iã vel dinumerari vel dignosci omnes non possint: quemadmodũ capilli capitis mei præ multitudine non valent dignosci, neq; dinumerari. 6. Non solum autem secundum numerum multiplicati sunt, sed etiam viribus inualuerunt, & sæuitia aduersus me aggrauati sunt aduersarij mei, qui me iniuste præter omnem æquitatẽ persequuntur: cũ ego illis mali nihil fecerim, neq; occasionem vllã huius malitiæ contra me præstiterim: * illis autẽ contra me prævalentibus & ira sic exardescentibus, ego exoluere debui quæ non rapui: passiones & afflictiones sustinere coactus fui, tanquã malefactor, quas non commerui: pœnam sustinui pro culpa, quam non admisi, & cuius mihi non eram conscius: quemadmodũ cum quis à furto innocens, cogitur quasi furti reus exoluere & pœnam pati. 7. O Deus, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, tu nosti insipiẽtiam meã & malitiam meam: tu scis, an in me sit insipientia illa & malitia, quam mihi obijciunt, dicentes me blasphemum, seductorem, seditiosum, & huiusmodi multa: * & tibi occultum non est, an peccata commiserim, ob quæ has miserias sustineo: tu optimè nosti, num verè mihi insint peccata quæ isti per calumniam mihi impingunt, obijciunt, & testificantur aduersum me. Tu enim nosti meam innocẽtiam atq; iustitiam, & quod hæc omnia quæ fero, absq; mea culpa sustineo. 8. Ne patiaris, ó domine cœlestium exercituum, eos, qui te expectant, & à te salutem consequi desiderant, confundi propter miseriam passionum istarum mearum: totum genus humanum, quod à te salutem expectat, non cõfundatur in me, nõ propter istam meã humilitatẽ & miseriam passionis frustretur expectatione sua. 9. Non patiaris (inquã) ô Deus Israël, confundi & frustrari spem fidelium tuorum, qui seruiunt tibi, & expectant à te salutem atq; redemptionem: sed ab hac tribulationum mearum miseria me liberatũ, fac à morte resurgere, vt sic populo tuo diu expectata salus, per mortis victoriam posit contingere: * Atq; ita fac per subsequentis resurrectionis gloriam, vt non sit fidelibus meis in opprobrium & confusionem humilitas passionis meæ: sed magis gloria sit illis opprobrium crucis, vbi per eam talis præstita fuerit salus & victoria. 10. Quod enim nunc opprobria sustineo maxima, ab aduersarijs mihi illudentibus, me velantibus, conspuentibus, ridentibus, verbis ridiculis atq; gestibus fœdis subsannantibus: item & quod nũc sustineo quæ ignominiosa sunt & confusione plena, de quibus solent homines maxime erubescere, publicam confusionem & publica opprobria tu nosti pater sancte, quod non propter mea peccata ea sustineã, sed propter tuam voluntatem: quoniam tu me hæc tanta pro hominũ salute voluisti perferre, vt pro eorum peccatis tuæ iustitiæ satisfacerẽ, neque nisi ex obedientia à te missus ad hanc deueni humilitatem. 11. Etiam fratribus meis, cognatis, vicinis, & conciuibus factus sum extraneus: & filijs matris meæ, filijs synagogæ, filijs populi mei, factus sum quasi peregrinus & extraneus: etiam qui mihi proximi erant & amicissimi, præ miseria me nolunt agnoscere, quasi extraneos se gerunt, & quasi me nunquam cognouerint fugiunt à me, propter confusionis opprobrium. 12. Omnium autem tribulationum mearum origo hinc est, quia zelus & ardens æmulatio siue desiderium pro gloria domus tuæ, siue populi tui, totum possedit & absorbuit atque deuorauit me: propter quẽ zelum, dũ ferre nõ potui (vt nec debui) abominationes & impietates quas videbã inter eos, pro tui nominis gloriã confidenter illis restiti, illosq; priuatim & palam redargui, vnde primum aduersum me odium conceperunt, quòd me tandem in istã pertraxit miseriam. Item & cum populum docerem, quæ tu mihi præcepisti docere, propter zelum salutis populi tui & glorię tuę, cumq; miracula ederem, illi aduersum me indignabantur, & per indignationem atq; inuidiam huc tandem me adduxerunt: * & opprobria eorum qui per suas prauitates tibi exprobrabant, super me ceciderũt, ego tanquã proprias contumelias reputaui, imò maiores existimaui quam proprias: propter quod, illas ferre nec volens nec potens, fiducialiter illis contradicebam, eosque arguebam pro ijs in quibus tuæ gloriæ (quam semper quæsiui) derogabant. 13. Ego verò non reddebam illis malum

6. *Confortati sunt qui persequuti sunt me inimici mei iniuste:*
* *quæ nõ rapui tunc exoluebam.*

7. *Deus, tu scis insipientiam meam:*
* *& delicta mea à te nõ sunt abscondita.*

8. *Nõ erubescant in me qui expectãt te domine, domine virtutum.*

9. *Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israël.*

10. *Quoniã propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.*

11. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.*

12. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me:*

* *& opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

13. *Et operui in ieiunio animam meam;*

Heb. 4.
Ioan. 7.
Luc. 23.
Matt. 26.
Lucæ. 22.
Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*& factum est in opprobrium mihi.

14. Et posui vestimentum meum cilicium:

*& factus sum illis in parabolam.

15. Aduersum me loquebantur qui sedebãt in porta:*& in me psallebãt qui bibebãt vinũ.

16 Ego verò orationem meam ad te domine:

Psal. 39.

*tẽpus beneplaciti deus

17 In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me

*in veritate salutis tuæ.

18 Eripe me de luto, vt non infigar:* libera me ab his qui oderũt me, et de profundis aquarum.

19. Nõ me demergat tẽpestas aquæ, neq; absorbeat me profundum:

*neq; vrgeat super me puteus os suum.

20. Exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua:

Psal. 15.

*secundum multitudinẽ miserationũ tuarum respice in me.

21. Et ne auertas faciẽ tuam à puero tuo:

*quoniam tribulor, velociter exaudi me.

22. Intẽde animæ meæ, & libera eã:* propter inimicos meos eripe me.

23. Tu scis improperiũ meum & confusionem pro malo, neq; pro odio odium, cum mihi exprobrarent & maledicerent: sed meipsum afflixi in ieiunio & oratione pro inimicis meis, tam propter tui nominis contemptum, quàm propter illorum impœnitentiam, vt pro malo redderem bonum: & hoc ipsum vbi perceperunt, mihi verterunt in opprobrium, ob hoc me deridentes, ampliusq; velut vanum & ridiculum hominem contemnentes. 14. Et vt perfectior esset acceptabiliorque pro inimicis meis pœnitentia, etiam vestitu lugubri incedebam, sacco & cilicio, hoc est, tristis & mœrens, mœrore etiam foras se prodente exteriori habitu, tum propter tuam inhonorationem, quòd in eis nihil proficerem, tum quòd illos ita videbam & dolebam in sua obstinatos malitia:* & factum est hoc mihi, quod ita mœrens & lugens incessi in derisionem, quasi in prouerbium, parabolam, atq; iocum publicum, vulgatum per ora hominum. 15. Aduersum me loquebantur palàm qui in publicis conuenticulis residebant, vtpote qui in porta sedebant, vbi publicus erat hominum plurimorum cõuentus, & continuus multorum transitus, homines ditiores & potentiores qui illic residebant:* & in opprobrium meum carmina sua cantabant bibentes vinum in conuiuijs publicis: in meum contemptum, cantica vulgaria de me composuerunt, quę decantarent aduersum me potores vini, in conuiuijs & commessationibus suis. 16. Ego verò inter hæc omnia orationem meam dirigebam ad te domine, coram te (qui solus eras tota spes & consolatio mea) effundebam precem meã, sicque tibi colloquendo meipsum consolabar aduersum improperia illorum:* veniat tandem, ô Deus, tempus beneplaciti tui, tempus beneuolentiæ, in quo complacitum sit tibi eruere miserum de tantis angustijs: complaceat tibi tandem vt eruas me, & respice ad adiuuandum me. 17. Secundum multitudinem atque magnitudinem misericordiæ tuæ exaudi me, misericordiarum pater, pijssime Deus, qui nunquam soles derelinquere ad te clamantes de tribulationibus:* exaudi me, inquam, in veritate salutis tuæ, quam pollicitus es exhibere & præstare omnibus qui te fiducialiter inuocant in necessitatibus: propter veritatem tuam, qua saluare pollicitus es fidentes tibi, exaudi & salua me. 18. Eripe me de angustia tribulationum cui hæreo infixus, quasi in luto, vt non in illis permaneam, non illis absorbear:* saluum me fac ab aduersarijs & osoribus meis, qui mala quærunt aduersum me, & de magnis tribulationibus quibus immergor & obruor, quasi in profunditate aquarum multarum. 19. Non me pœnitus demergat magnitudo tribulationis, in modum tempestatis aquarum sese accumulantis & aggrauantis super me, neque in profundum absorberi me patiaris, vt no rursum emergam: sed à grauissimis istis tribulationibus quibus nunc præmor, & penè suffocor, per resurrectionem à morte, iube me emergere:* neque permittas puteum inferni super me claudere ostiũ suum, non derelinquas animam meam in inferno, neq; corpus in sepulchro: non permittas detineri animam meam in lymbo inferni, cum illuc ad liberandum captiuos patres descenderit: sed exitum dabis illi, vt ad corpus redeat, vitamque corpori restituat. 20. Exaudi me pater domine, quoniam misericordia tua ineffabilis erga omnes omnino homines, suauis & benigna est, & exaudire auxiliaríque parata omnibus inuocantibus:* secundum multitudinem miserationum tuarum, quibus à sæculo misertus es humiliter tè inuocantibus, etiã ad me respice benigno aspectu fauoris tui, vt de angustijs afflictum liberes tuum vnigenitum. Neq; enim tuum vnigenitum filium debes despicere, qui etiam seruulos clamantes non dedignaris exaudire. 21. Neque auertere velis faciem tuam à me puero tuo, noli quasi iratus vultu auerso orationem repellere, quam offero tibi:* exaudi me quantocyus, & ne distuleris auxilium, quoniã vehemens est afflictio mea, & continuo profectu incrementum accipiens. 22. Aspice benigno aspectu fauoris tui in animam meam, vt saluam facias eam:* libera me propter inimicos meos, propter inimicorum meorum rabiem, quoniam non cessant affligere animam meam, & crescit continuo eorum aduersum me sæua crudelitas: vt quanto illi aduersum me crudelius sæuiunt, tanto mihi tu fias ad auxiliandum atque saluandum propinquior:* Insuper & propter confusionem inimicorum meorum saluum me fac, vt confundantur & frustrentur ab iniquis cogitationibus suis. 23. Tu namque optime nosti improperia & contumelias, quibus me affecerunt aduer-

A meam, & reuerentiam.

aduersarij, confusionem quoq; & erubescentiam meam: quàm multa, quã fœda, quã ignominiosa ab eis perpessus fuerim, quomodo mihi illuserint, quomodo de loco in locum cũ ignominia publicæ traxerint, quomodo diffamauerint, quomodo accusauerint falso testimonio, & omnino quantas contumelias, tam publicè quã priuatim mihi irrogauerint. 24. Corã oculis tuis sunt, neq; latere te possunt (quę nullum latet occultum) omnes aduersarij mei: tu eorum & numerum & malitiã & corda habes optime cognita, neq; ignoras quo animo, & quam inique contra omnem iustitiã mihi aduersantur:* ego vero paratus sum ad omnia quęcunq; tu permiseris, & in quantiscunq; potestatem dederis eis: adeoq; non abhorreo ab his quas fero passionibus, vt etiam spiritus desiderio expectauerim improperia illusionum & passionum miserias. Desiderio enim desideraui, secundum spiritus desiderium, calicem hunc bibere, quem tu cœlestis pater dedisti mihi. 25. Et considerauí, an esset aliquis qui in tantis tribulationibus mihi ostenderet cõpassionis signum, nec inueni: sed vniuersa turba hominum, odio potentium atq; principum excitata, simul omnis aduersum me clamitabat, etiam tunc cum me in maxima conspiceret miseria:* & expectando cõsideraui, si fortè aliquis mihi veniret consolator, & non potui quenquam aduertere, qui mihi in tantis angustijs ferret solatiũ. Derelictus enim eram ab hominibus, & propter miseriam à me vniuersi aufugerant. 26. Quodq; omnium immanissimum & crudelissimum erat, in no

Ioan. 18.

Ioan. 19.

B

26 Et dederunt in escã meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

uissima angustia, accepta iam crucis sententia, vbi peruenissem ad locum supplicij, cum misericordia erga reos vti homines solent, & ad cordis confortationem dulce præbere poculum, crudelissimi isti & passionibus meis insatiabiles hostes, dederunt mihi bibere acetum & vinum felle mixtum, ne in tanta quidem mea miseria vlla tacti misericordia. 27. Propter hanc autem tam inauditam & immanem crudelitatem, quam contra me principes Iudæorum Scribæ atq; Pharisæi cum

Ioan. 19.

C

27. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones:

* & in scandalum.

senioribus exercuerunt absq; misericordia, secundum ordinem atque definitam sententiam iustitiæ tuæ, grauissima vltione punies eos pro impietate sua. Apparatus nanq; promissionum temporalium, in quas semper intentos habent mentis suæ oculos, erit illis in occasionẽ mortis, tanquam laqueus quo irretiantur ad perditionem, & in retributionem finalem atq; nouissimam, post quam non sperent neq; expectent aliam:* item & in offendiculum, quod illos faciet ab æterna salute cadere: quia temporalibus inhærentes promissis, cœlestia & sempiterna longè potiora negligent. Nam propter temporalium promissionum respectum, in quas ex legalis literæ consuetudine intendunt semper oculos, Christum absq; illis venientem contempserunt, sicq; ab æterna retributione ceciderunt, & de peccato in peccatum male scandalizati corruerunt. 28. Obscurabitur quoq; acies mentis eorum, sic vt veritatem fidei & Euangelicæ veritatis videre nequant. Excæcabit enim eos odium & malitiosa inuidia, vt non attendant sermonibus veritatis, sed magis resistant, omni sua virtute:* & semper ipsi in ima respicient, quomodo solent qui dorso incuruato incedunt, idq; vel temporalia semper bona respiciendo, vel sub pondere & seruitute legis graui ter fudando. Ipsi nanque qui illuminari potuerant oculis, si veritati voluissent acquiescere magis quàm repugnare, atq; per libertatem Euangelicam potuerant exonerari à legis onere, in sua cæcitate obstinati eligent permanere obscurati mentis oculis, & dorso incuruato sub pondere legis sudabunt. 29. Effundes tu sanctè pater, super eos vindictam iræ tuæ: in abundantia iracundiæ, iusto tuo iudicio exercebis in eos vindictam magnam:* & indignatio tua magna, ad quam te prouocauerunt, cõprehendet eos, puniet eos, vltionemq; de eis accipiet grauissimam. 30. Loca habitationis ipsorum, tuo iudicio fient deserta ab habitatoribus suis: & in ciuitatibus ac domibus eorum non erit ex eis, neq; de semine eorum inhabitator. Eijcientur enim ipsi à ciuitatibus domibus suis, & occupabunt alieni terram eorum: euenietq; illis quod timere se simulauerãt, vt locum suum & gentem simul perdãt: qui autem residui fuerint, captiui ducentur in omnes gentes & in regiones exteras, absque spe redeundi in loca sua patria. 31. Quoniam quem tu propter scelus populi tui ad verbera & passionẽ voluisti mittere, me filium tuũ, ipsi odio crudeli, & irrationabili ira atque inuidia grauissime persequuti sunt, semper contradicentes tam verbis quàm factis

28. Obscurentur oculi eorum, ne videant.

* & dorsum eorum semper incurua.

D

29. Effunde super eos iram tuam.

* & furor iræ tuæ comprehendat eos.

30. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

31. Quoniã quẽ tu percussisti, persequuti sũt:

Ioan. 11.

Lucæ. 21.

*& super dolorē vulnerum meorū addiderūt.

32. *Appone iniquitatē super iniquitatē eorum*
Abac. 2. Rom. 1. *& non intrent in iustiam tuam.*

33. *Deleantur de libro viuentium: & cum iustis non scribantur.*

34. *Ego sum pauper & dolens:*
Psal. 21. Esaiæ. 53. *salus tua Deus suscepit me.*

35. *Laudabo nomē Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.*

36. *Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem et vngulas.*

37. *Videant pauperes, & lætentur:*

quærite Deum, & viuet anima vestra.

38. *Quoniam exaudiuit pauperes dominus:*
& vinctos suos nō despexit.

39. *Laudent illum cæli & terra, mare & omnia reptilia in eis.*

40. *Quoniā Deus saluam faciet Sion:*
& ædificabuntur ciuitates Iudæ.

41. *Et inhabitabūt ibi:*
& hæreditate acquirent eam.
Ephe. 2. Rom. 8. 42. *Et semē seruorum*

factis meis:* & propterea insatiabile odium quod contra me gerebāt, E
dolorem super dolorem addiderunt mihi: non potuerunt satiari afflictionibus & miserijs meis: quæcunque excogitare potuerunt, crudeliter operati sunt in me. 32. Ira & tu in vltionem appones eis iniquitatem aliam super aliam, sines illos de iniquitate ruere in iniquitatem, de peccato in peccatum cadere patieris illos:* & non ingredienter in iustitiā fidæi quam oppugnauerunt, quæ est vera coram te iustitia: hærebunt enim in legali sua iustitia vsque in finem sæculi, & nolent recipere iustitiam fidei, in qua iustus saluatur & viuit. 33. Delebuntur de libro viuentium, id est, cum iustis non inuenientur scripti in libro vitæ. De numero enim non erunt eorum qui vitam æternam percepturi sunt, tametsi falso sibi iustitiam & sanctimoniam persuadeant, sicq; deletos se inueniēt in nouissimo: quia vbi scriptos sese putabant, nō sese scriptos inuenient, & salutem perdent de qua securos se existimauerant. Inuenient autem sese in libro mortis, sub reprobatione Dei, & simul cum
F filijs damnationis conscriptos. 34. Ego verò secundum hanc infirmitatem passionis, ad quam me perduxit illorum malitiosa rabies, vilis & pauperculus sum, vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, nouissimus virorum, vir dolorū & sciens infirmitates: * scio autem & firmissimè cōfido, quod me defendet atq; suscipiet sal° tua, quæ nō me derelinquet in passionibus meis, sed à morte resuscitatum saluum faciet. 35. Ac pro mea quidem liberatione & salute laudabo, mi pater, nomen tuum cum psalmis & canticis, prædicabo & exaltabo te in laudibus & iubilo, & ego & cūcti fideles fratres mei, vniuersa quæ per meam resurrectionem & salutem ædificabitur Ecclesia. 36. Eritq; tibi hęc benedictio laudis & gratiarū actionis multo acceptior & gratior, quàm oblatio vituli nouelli ac teneri anni vnius, cui cornua iam pro ratione ætatis enasci incipiunt, & indurari vngulæ: cuiusmodi oblatio acceptissima & commodissima esse solet in veteribus sacrificijs. Magis enim optas & diligis sacrificium laudis, à fidelibus tuis, quā
G vel electissimas & delicatissimas corporales hostias. 37. Videant omnes humiles, mansueti, pauperes atq; fideles, quomodo me de passione liberauit pater resuscitatum: videant, quam mihi fecit pater meus misericordiam, & quantam erga me fecerit commutationem: tam misere tractatum ac mortuum, ita glorioſe resuscitando ad vitam: & merito lætentur in tanto Dei beneficio. Non enim mihi passus siue mortuus fui, neq; item mihi, sed vobis omnibus ad salutem resurrexi, vt merito vos hinc gaudere deceat & lætari:* in synceritate fidei & puritate vitæ quærite dominum Deum vestrum, qui vos per gratiam suam à morte redimit ad vitam, & vitam habebunt ex eo animæ vestrę. Ipse enim est, qui vitam veram & spiritualem dat omnibus in se credentibus, qua carent increduli atq; peruersi omnes. 38. Exaudiuit enim dominus pauperes & humiles fideles suos, qui multis iam sæculis pro salute generis humani ad ipsum clamare non desierunt: & genus humanum vniuersum, quod vinctum erat atq; ligatum peccatorum vinculis, in carcere mortis, sub tyrannide principis tenebrarum, ipse nō de-
H spexit, non neglexit, non est oblitus in finem: sed misericorditer respiciens, saluatorem misit illis in opportuno tempore: * Eos etiam qui in lymbo inferni vincti atq; capti detinebantur, quasi in vmbra mortis spiritus dilectorum suorum, non despexit neq; neglexit, sed dulci visitatione, per me filium suū de captiuitate eduxit. 39. Laudēt illum & celebrent pro tantis beneficijs humano generi exhibitis omnia quę creata sunt, cæli, terra, maria, & omnia quę in eis sunt. Dignum enim est, vt pro tāto beneficio ab omni creatura laudetur munificētissimus dominus, quoniā laudabilis est nimirū, nec laudari sufficit, qui & cōdidit & reparauit omnia. 40. Quoniā domin° populū suū fideſe quē elegit, saluū faciet à peccatis, à dānatione mortis, atq; tyrannide diaboli: * & per operationē gratiæ eius ædificabuntur ciuitates Iudæ, Ecclesiæ fideliū credentium & confitentiū nomini eius erigentur & confirmabuntur, post Christi ascensionem, prædicātibus Apostolis. 41. Et in ciuitatib° istis inhabitabunt fideles, tanquam domestici in domibus suis, tanquā conciues in ciuitatibus suis, tanquā oues in ouilibus suis: * hæreditate possidebunt eas, in eis habitantes, non tanquam hospites & aduenę, sed tanquam filij & hæredes, ciues facti sanctorum & domestici Dei. 42. Posteri quoque & nepotes fidelium patrum fidem insequentes,
vsque

A *eius possidebit eam: & qui diligunt nomē eius inhabitabunt in ea.*

vsque in finem sæculi possidebunt sanctam Ecclesiam, quasi hereditatem suam: & amatores nominis tui vsque ad consummationem sæculi habitabunt in ea, tanquam in domo sua. Nunquam enim destituetur inhabitatoribus fidelibus Ecclesia Dei, qui pro patribus nasci semper faciet filios, parentum fidelium imitatores fideles, quos constituat in- Psal. 44.
habitatores & possessores domus suæ vsque in sæculum.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXVIII.

VErsu 1. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Manifestum est, in quatuor primis versibus, metaphoricam esse loquutionem. Assimilat enim se Christus in passionum amaritudine, mortisque periculo positus, homini consistenti in profundo aquarum: qui cum totus iam sit immersus, ita vt aqua ingrediatur per cūctos corporis meatus & iam interiora omnia occupet, adhuc tamen periculum patitur ex immersione in molle & viscosum lutum, quod in fundo sub pedibus eius est, cui continuo altius infigitur: & quanto magis sese eximere labo
B rat, tanto infigitur profundius: qui in tanto discrimine vitæ se conspiciens, vocem eleuat, & vsque ad raucedinem quantum prævalet clamat, vndique circunspiciens, si vlquam forte videat, cuius possit inuocare auxilium. Qua considerata metaphora, facile erit versus quatuor priores intelligere. Quod autem versu secundo dicitur, Non est substantia, Græce est οὐκ ἔστι ὑπόστασις: quod verti potest: Nō est subsistentia. Quod clarius vertit ex Hebræo Hieronymus, Non possum consistere. Felix, Nō est stabile. Versu 5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei. Hyperbolica loquutio est, qua significatur innumerabilis & magna valde multitudo, iuxta vulgatam loquendi consuetudinem. Posset tamen subtiliori consideratione exponi, secundum persequutionem metaphoræ in prioribus versibus habitæ, vt inimici isti intelligantur in modum aquarum inundantium adeò excreuisse, vt capillos ac verticem capitis iam videantur supergredi: quemadmodū desperata penè res est postquā super verticem capitis aqua ascendit, maxime vbi limo infixus inhæserit, ne possit enatare. Sed prior expositio secundum hyperbolen, ita se manifeste offert, vt vix secundæ huic probabilitas relicta videatur.
¶ Versu 6. Quæ non rapui, tunc exoluebam. Prouerbialis & hic sermo videtur, quo vtimur, quoties significare volumus, quempiam pro facinore quod non patrauit immeritas pœnas pendere: veluti cum quis furti pœnas luit aut homicidij, vel alterius cuiuslibet malæ rei, cum sit à facinore alienus
C & innocens. Sic sane Christus dominus, tanquā latro, tanquam seductor, tanquam blasphemus, tanquam seditionum author, tanquam rebellis Cæsari, crudeliter morte punitur, ipse innocentissimus, & ab omni peccato alienissimus existens. Pro alienis autem peccatis, id est, nostris, punitus est: quēadmodum apud Esaiam patris voce dicitur, Propter scelus populi mei percussi eum. Et rursum ex Esaiæ. 53. Ibidem. persona generis humani, Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit: & dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Tanquam ouis ad occisionē ductus est, &c. Post hunc, idem testatur & Petrus Apostolus, dicens: Christus pro peccatis nostris mortuus est, iu- 1. Petr. 3.
stus pro iniustis. Ac rursum, Qui peccata nostra in corpore suo pertulit super lignum. Quid multa? 1. Petr. 2.
Vniuersa tam veteris quàm noui testamenti sacra pagina, non aliud figurat, non aliud loquitur, non aliud signat, non aliud clamat, quàm agnum immaculatū pro humani generis transgressione in tem
poris plenitudine oblatum. ¶ Versu 7. Deus tu scis insipientiam meā, & delicta mea à te nō sunt abscondita. Hunc versum quidam ita exponunt, Deus, tu vides, quomodo vt fatuus atq; insipiens peccator nunc reputor ab hominibus: & delicta aliena humani generis, quæ ego assumpsi persoluēda, tu cognouisti ea. Sensus tamen quem in Elucidatione expressimus, magis conueniens videtur, tanquam si dicat Christus in protestationem suæ innocentiæ, Deus tu scis, si aliquid insipienter & iniD que egi, quo hanc pœnam commeruerim: neq; te latet, si delictum vllum habeo. Sic enim loqui solent homines in animi amaritudine positi, cum falso accusantur, neq; excusantibus creditur. Nouit Deus iniquitatem meam, Nouit Deus, si hoc illūdue egerim. Veluti si in angustia posita Susanna exclamans, dixisset ad Dominum, Domine tu nosti adulterium hoc meum, cuius me isti seniores accusant: nemo aliter intelligeret, quàm si dixisset, Deus tu nosti, si commiserim adulterium de quo accusor. tu nosti aliter rem habere, quàm contra me isti testificantur. Versu 8. Non erubescant in me, qui exspectant te domine, domine virtutum, Si Christus in passionibus permansisset à morte detētus, nec per resurrectionem fuisset liberatus, profecto crux eius confusio & erubescentia discipulorum permansisset, visumq; fuisset hominibus stultum & prorsus vanum, in hominem qui tam miserè periisset credere, & pro Deo huiusmodi colere, qui tam vilem mortem obijsset, ac post mortē nullum maiestatis signum dedisset. Verum cum per resurrectionem fortiter mortem deuicit & glorioſe triumphauit, sic factū est, vt nequaquam erubescant in cruce & passionibus domini sui Christiani, quærentes dominū. Imò nolunt in alio gloriari, qui perfecti sunt, nisi in cruce domini sui Iesu Christi: neq; aliud se scire iudicant, etiā qui scientia non sunt imperiti, nisi Iesum, & hunc crucifixum: ver- Galat. 6.
bumque crucis, quod increduli propter passionis infirmitatem stultitiam reputant, ipsi propter re- 1. Cor. 2.
surrectionis potentiam, Dei virtutem confitentur. Dum ergo Christus orat, non confundi, neque 2. Cor. 11.
erubescere in se vel super se pios & fideles: quid aliud orat, quàm in illa passionis humilitate nō derelinqui, sed potenter resuscitari, vt non frustra in ipsum sperare liceat cunctis fidelibus? ¶ Versu 1. Cor. 1.
10. Propter te sustinui opprobrium. Propter te, id est, propter tuam iussionem, propter tuā voluntatem, propter obedientiam meam erga te, ex qua in mundum veni. Vnde propter tuum honorem,
prop-

propter zelum gloriæ tuæ:quoniam videlicet tuam doctrinam prædicans, offensam tui honoris nõ E
ferens,atq; ob hoc etiam principes & sapientes increpans, veni in odium & in opprobrium homi-
num:qui illoqui voluissem illis placentia,veritate relicta, etiam honore magno ab eis fuissem affe-
ctus. ¶Versu 11.Extraneus factus sum fratribus meis. Quomodo Christus etiam fratribus suis fuerit
Ioan.7. extraneus,monstrat Euãgelista Ioannes,septimo capite sui Euangelij, ita scribens,Erat in proximo
dies festus Iudæorum,Scenopegia. Dixerunt autẽ ad eum fratres eius,Transi hinc,& vade in Iudęã,
vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse. Si
Matt.28. hæc facis,manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Fratribus etiã suis
Matt.26. Apostolis,quos tanquã fratres habuit,fratresq; iniuriæ immemor etiam post resurrectionem appel
lauit)factus fuit in passione extraneus,quando relicto eo omnes fugerunt,princeps insuper illorum
trina negatione abiurauit. Filios autem matris suæ,manifestum est secundum carnem nõ debere in-
telligi. Maria enim mater ipsius,vt virgo in partu,sic & post partum inuiolata permansit, solius pri-
mogeniti sui mater benedicta:sed secundum mysticam intelligentiam, filios Synagogæ,vel filios po
puli sui,oportet intelligere. Vnde Parap. Chal. sic habet,Et velut filius gentium siue alienigenarum
factus sum filijs populi mei. Aut figuratè filios matris suæ dicit coniunctissimos cognatione & san-
Ioan.2. guine. ¶Versu 12. Zelus domus tuæ comedit me,& opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super F
mẽ. Huius verbi(quemadmodum ex secundo capitulo Euangelij Ioannis discimus) recordati sunt
Apostoli,cum Christum vidissent facto flagello de funiculis eijcere vendentes & ementes de tẽplo,
mensas nummulariorum euertere,æsq; illorũ effundere. Recordati sunt,inquit,discipuli,quia scrip-
tum est,Zelus domus tuæ comedit me. Loquitur autem illo in loco de domo & templo materiali,
cuius munditia n & reuerentiam magno zelo Christus ardebat,quod locus ille patri suo fuisset de-
putatus ad cultum specialem. Multo verò magis zelus dom⁹ Dei spiritualis(quæ est Ecclesia sancta,
ex viuis ædificata lapidibus)Christum comedit,ac totum possedit,quanto signum melius est signa-
to,& res ipsa figura præstantior est. Templum enim illud materiale,Ecclesiæ spiritualis templi,figu-
ra fuit:quẽadmodum & cultus exterior,qui in illo exhibebatur,interioris cultus, quo in spiritu ler-
uitur Deo in Ecclesia,signum tantum & figura extitit. Merito proinde sibi metuant,ac dum tempus
est miserendi prospiciant per pœnitentiam,qui domum hanc spiritualem Dei, speluncam efficiunt
latronum:qui Ecclesiam sanctam suis doctrinis siue exemplis pessimis scandalizant atque defœdãt.
Apoc.2. Veniet,veniet,quando non iam in flagello de funiculis,sed in romphæa sua ex vtraque parte acuta,
pugnabit aduersum huiusmodi in gladio oris sui,quando non iam cathedras euertet & mensas,nõ
Matt.13. æs in terram effundet,sed animas simul & corpora in ira implacabili perdet, mittetque in caminum
ignis inextinguibilis. ¶Secundam autem partem huius versus, quam Paulus allegat capite decimo-
quinto Epistolæ ad Romanos,alij sic intelligunt,opprobria quibus tibi contemptum & vilipensio- G
nem fecerunt peccatores, ita cordi accepi, ita mihi ad ferendum grauia fuerunt, acsi illata fuissent
mihi: imõ magis me presserunt, atque ad tolerandum grauiora mihi fuerunt, quàm si mihi irro-
gata fuissent: sicque dissimulare nolui, neque silere, quin illos pro tua gloria redarguerem. Atque
ita solent homines quasi sibi factum reputare,quod aduersum illos fit,erga quos optimum affectũ
gerunt:vt si quis exprobrat patri,cadit hoc ipsum super filium,si recte patri afficitur: neq; minus do
let hoc filio,quàm si in personam suam accepisset contumeliam,neque(si potest)ferret patris contu-
meliam. Et hæc quidem sententia huic loco admodum conueniens est,præcedentique particulæ,Ze
lus domus tuæ comedit me,valde consona,eamque solam in Elucidatione expressimus. Alij tamen
malunt sic intelligere. Peccata & mala hominum,quibus exprobrant tibi,super me ceciderunt:quo
niã quicquid illi peccabant,super me veniebat: meum erat dependere & pœnas luere,quoniã in me
suscepi persoluenda passionibus meis quæcunq; illi contra te nequiter egissent. Alij rursum sic intel
ligunt,Peccata omnia quibus tibi exprobrauerunt homines,ego tanquam mea suscepi,sic tanquam
propria defleui,ac pro eis dolui:tantum cor meum vulnerabant atque affligebant,acsi propria fuis-
sent peccata,propter zelum honoris tui. Et hæc sanè ad propositum Apostoli apte quadrare viden-
tur,qui ex hoc scripturæ loco docere conatur,Christi exemplo,firmiores fidelium non debere eęte
ros ob imperfectionem spernere,sed magis eorũ defectus & peccata sustinere. Etenim Christus,in- H
Rom.15. quit,non sibi placuit,sed(quemadmodum scriptum est)improperia improperantium tibi,ceciderũt
super me. ¶Versu 13. Et operui in ieiunio animam meam: & factum est in opprobrium mihi. Quid
est in ieiunio operire animam?quomodo potest cooperiri anima,maxime autem ieiunio:Cooperi-
re dictum videtur pro abscondere,id est,humiliare:vt sit sensus,Humiliaui in ieiunio animam meã.
Et intelligitur hæc afflictio pœnitentiæ,vel propter zelum honoris Dei,vel propter illorum praui-
tatem ex compassione peccantium,vel potius ob vtrunque. Ad misericordem enim,horum vtrunq;
spectat:nimirum cum peccantes videt,vt de illorum peccato intima cordis compassione doleat,am
Matt.4. plius tamen super Dei per peccatum inhonoratione atque contemptu commoueatur. Magis enim
deber nos commouere Dei contemptus,quàm proximi malum,quatenus proximi ipsius est. Forsi-
tan autem interroget hic aliquis quid sibi velit,quod hic dicitur de ieiunio,atque in versu sequenti
de cilicio. Non enim videntur ista secundum scripturam Christo recte conuenire. Nam de ieiunio
Saluatoris,nihil peculiariter legimus,nisi de diebus illis quibus in deserto ieiunauit:quod sanè ieiu-
nium pro exprobrantibus inimicis non suscepit: quoniam nondum opprobria sustinuerat: neque
factum fuit ei ieiunium illud in opprobrium,quoniam apud homines ignotum fuit. De alio autem
ieiunio nihil peculiare legimus, nisi quòd aliquando (iuxta hominum necessitatem) esurijt. De
cilicio verò omnino nihil tradunt scripturæ,neque quòd ob hoc factus sit cuiquam in derisionem.

Hanc

A Hanc quæstionem breui responsione dissoluimus in enarratione Psalmi.34. pertractãtes versus.15.
ac.16.qui propositis non admodum sunt dissimiles. Sic enim ibi legimus, Ego autẽ,cùm mihi mo- Psal.34.
lesti essent,induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animã meam. Diximus autẽ,accipi hæc posse,
vt tantum significent luctum & afflictionẽ, quibus vel Christus dominus,vel alius quilibet verè fi-
delis,pro Dei honore contempto,& proximi malo affligitur. ¶Versu.24. Improperium expectauit
cor meum & miseriam. Præter intelligentiam quæ posita est in Elucidatione, de prompta volun-
tate Christi patientis,exponi etiam aliter potest hoc modo,Non erat finis improperiorum,neque
miseriarum,quibus me afficiebant inimici,sed improperium super improperium expectaba, & af-
flictionem super afflictionẽ,ita vt continuo plura atq; maiora cor meum expectaret,sicq; afflictus
tolerantia malorum præsentium,cruciabar simul etiam consideratione imminẽtium,vt duplici af-
flictione cruciaretur cor meum. ¶Versu.26. Et dederunt in escam meam fel,& in siti mea potauc-
runt me aceto. Ad hanc scripturam respiciebat Euangelista Ioannes, cum narrans Christi passionẽ
ita scriberet,Sciens Iesus quia omnia consummata sunt,vt impleretur scriptura,dixit,Sitio,Vas er- Ioan.19.
go erat positum aceto plenum, Illi autem spongiam plenam aceto,hyssopo circumponẽtes,obtu-
lerunt ori eius. Quam autem scripturam assignare poterimus tunc euidentius manifestiusq;,vel ad
sensum impletam,quã istam quę modo proposita est,In siti mea potauerunt me aceto? Matthæus Matt.27.
B verò distinctè exprimit,quod dabãt ei bibere acetũ felle mixtũ:quod cum gustasset,noluit bibere.
Sed quomodo dici potest,ꝙ in escam dederunt illi fel,cum dicat Matthęus,ꝙ acetum mixtum felle
dabant illi,non manducare,sed bibere?Forsitan ideo,quia fel crassius est quàm acetũ,& per se mã-
gis cibi quàm potus vice esse videtur. Sed neq; opus est tam exacte verba pensitare, vbi sententia
manifesta habetur. ¶Versu.27. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Hanc mensam,alij inter-
pretantur scripturam sacrã,quę est mensa refectionis animarum:quoniã non in solo pane viuit ho- Deut. 8.
mo,sed in omni verbo ꝙ procedit de ore Dei. Facta est autẽ hæc mensa Iudæis in laqueum,quan- Matth.4.
do per infidelitatem suam,iusto Dei iudicio excæcati, literæ tantum inhærentes,perdiderunt veri-
tatem: & inde sibi sumere iam conantur fomenta atq; alimenta sui erroris, vnde si credere voluis-
sent, salutarem accepissent veritatis cognitionem: sicq; laqueus illis factus est scriptura sacra,quo
irretiti teneantur in infidelitate atque peruersitate sua,donec ad retributionem finalis damnationis
perueniant. ¶Versu.31. Quoniam quem tu percussisti,persequuti sunt. Nota quod pater filium per-
cussit,non autem est persequutus. Iudæi verò non percusserunt tantum,sed etiam sunt persequuti.
percussio nanque ad disciplinam pertinet,persequutio ad odium & crudelitatem. Cum enim pater
ad emendationem castigat filiũ quem diligit,percutit quidẽ eum,sed minime persequitur. Ita & pa-
ter cælestis filium suum, tametsi charissimũ,percussit tamen,& disciplinam voluit esse super eum.
C Sic enim per Esaiã pater cælestis de filio loquitur,Propter scelus populi mei percussi eum. Percussi Esaiæ.53.
(inquit) non persequutus sum,quoniã propter scelus non propriũ,sed alienum. Et ex persona ge-
neris humani,eode in loco dicitur,Disciplina pacis nostræ super eum,hoc est,disciplina,correctio, Ibidem.
atq; punitio pro peccatis nostris debita, per quã patri reconciliari,inq; eius gratia redire debeba-
mus. super ipsum venit,super ipsum imposita fuit:quoniam voluit pater,vt ipse percuteretur,atque
(vt ita dicã) disciplinaretur pro omnibus nobis,vt nos per eius disciplinã, pacem haberemus apud
patrem. Impij autẽ Iudæi,quẽ Deus percussum volebat,odio crudeli & immani crudelitate,inimi- Rom.5.
cissimo animo persequuti sunt:nõ quasi patris ministri,sed tanquã suæ propriæ peruersissimæ im-
pietatis,propria authoritate & voluntate exequutores. ¶Quod autem sequitur,Et super dolorem
vulnerũ meorum addiderunt: præter expositionẽ in Elucidatione positã,potest etiam sic intelligi.
Addiderunt etiam ignominiã & opprobria verborũ,ac gesticulationum super dolore,quem ex in-
flictis corporis grauissimis vulneribꝰ patiebar. Admodũ verò festiua est colluso illa,quæ est versus
statim sequentis,Appone iniquitatem super iniquitatem eorũ, ad partem iam antè tractatã, Super
dolorem vulnerũ meorum addiderunt. Indicatur enim hac allusione,correspondentia pœnę ad cul-
pam,tanquã si dicat,Illi sine compassione,crudeli animo vulnera vulneribus, plagas plagis appose
runt,ad vulnera quoque & passiones corporis etiã contumelias,& opprobria adiecerunt: tu ex ad-
D uerso in vltionẽ appones iniquitatẽ super iniquitatem eorũ,sines eos de peccato ruere in peccatũ, Iacob.2.
absque retinaculo. Iudicium enim sine misericordia debetur illis,qui non fecerunt misericordiam.
Cum autem in secunda parte versus dicitur,Et nõ intrent in iustitiã tuam:aduerte,signanter dictũ
esse,in iustitiã tuam. Hæc enim est illa iustitia Dei,iustitia fidei,iustitia vera,quæ (vt Paulus Apost. Roma.3.
ait)per fidem est Iesu Christi,in omnes,& super omnes qui credũt in eum,quam idẽ Apostolus to-
ties à iustitia Iudaica siue legali distinguit,in ea potissimũ Epistola quã Romanis scripsit: apertissi-
me verò capitulo 10.vbi sic ait,Ignorantes enim (Iudæi)iustitiã Dei,& suam quærentes statuere,iu- Rom.10.
stitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus,ad iustitiã,omni credenti. In hanc ergo iusti-
tiam dicit non ingressuros illos,super quos veniet hæc diuina vltio. Cũ tamen plenitudo gentium Rom.11.
intrauerit,tunc & reliquiæ ex Israël(iuxta Apostoli vocẽ)introibunt in hanc iustitiã, & saluæ fient. Exod.31.
¶Versu.33. Deleantur de libro viuentium. Notus est ex scriptura liber vitę Dei,vel Moyse dicente,
Si non dimittis populo hanc noxam,dele me de libro quem scripsisti. Hic liber nõ aliud est,quam Roma.8.
Dei præscientia & prædestinatio,qua electos ad salutẽ ab æterno venturos cognouit,atque vt per- Ephes.1.
uenirent,prædestinauit: de quo libro & ijs qui in eo scripti sunt,frequens in sacra Apocalypsi ser- Apoc.2.
mo habetur. De hoc libro,si(vt fere solet)hic passus exponatur,quæstio suboritur,quomodo pos- & 21.
sit deleri aliquis de libro vitæ: cũ fieri non possit,vt qui semel prædestinatus est,à prædestinatione
cadat: vtque is,quẽ Deus ab æterno præuidit saluandũ,salutem non consequatur. Erit autem faci-

A lis

Universidad de Biblioteca

sis solutio obiectionis, si dicamus improprie accipi in hoc loco verbũ deleri, nõ vt significet semel E
inscriptum eradi. Sic enim impossibile est, semel vere scriptũ in libro vitæ deleri: sed accipi improprie, pro nõ scribi in libro, vt impios de libro viuentiũ deleri, nõ aliud sit, q̃ impios in eo nõ adscribi simul cum iustis. Atq; ita pars sequens, Et cũ iustis non scribantur, prioris erit explanatio: quod in scripturis Propheticis maxime aut in Psalmis, non est infrequens. Subtiliori verò cõsideratione referre possumus hanc deletionẽ in generali ad ipsam gentem Iudaicã, facta consideratione ad patres eorum. Ante enim Christi aduentũ, videbatur sola gens Iudaica hunc librum occupare, quoniã
Rom. 10. Deut. 7. propter electionem (vt ait Apostolus) charissimi erant, & soli populus Dei peculiaris, genus electũ, gens sancta, cæteris interim populis sub ira Dei conclusis, atque ita vt filijs mortis in mortis libro descriptis. Post Christi aũt passionem, & in cælos ascensionem, Iudæis nolentibus oblatã gratiam recipere, gentibus autem econtrario ambabus (quod aiunt) manibus Dei gratiã excipientibus, mirabilis facta est cõmutatio: meritoque deleta est Iudaica gens de libro vitæ, in quo patres eorum vt populus dilectus scripti fuerãt, fuerantque & ipsi nõ delendi, si non seipsos indignos præstitissent: populus autem nationum, in librum vitæ meruit sua credulitate ex Dei munere inscribi. Atque ita quidem in generali, populi totius reprobatio designatur: non quidẽ ita, vt ex eis nemo possit salutẽ consequi aut quasi singuli fuerint excluſi, sed quia non amplius tota gens illa, vt olim, in electione & peculio Dei (vt ita loquar) permansit. Poterit tertio hic locus recte intelligi aliter, q̃ de libro vitę F
Dei, vt de libro viuentiũ deleri à memoria hominum. Memoria enim hominum, quasi eorum liber est, Atque ita sensus erit, Deleantur de memoria hominum, quantum ad fœlicitatem & gloriam, in qua antè fuerunt, hoc est, ita eos fac humiles, abiectos & miseros in exilio suo, vt iam nulla sit pristinæ fœlicitatis memoria, vt prorsus quasi nõ sint, & nullius habeantur momenti in sæculo. Atque hanc intelligentiã prętendere videtur, quod habet Paraphrasis Chald. Deleantur de libro memorię viuorum, & non mereantur intrare in Ecclesiã iustorum tuorum. Attamen hæc expositio, cæteris minus probabilis videtur. Tametsi enim frequentius in scriptura inueniatur, deleri nomẽ alicuius, pro eo quod est, perire de memoria hominum, non arbitror tamen, quod hic dicitur, de libro deleri, vspiã in tali significatione reperiri. ¶ Versu. 36. Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornu producentem & vngulas: per vitulum nouellum, id est, magis quam vitulus nouellus cornua produ cens & vngulas, hoc est, magis q̃ vitulus nouellus, cornutus, & vngulatus: ad significandum videlicet ætatem sufficientem, & satis maturã ad offerendum. Et sub hoc intelligimus omne sacrificium legis veteris. Gratior enim est Deo confessio laudis, q̃ veteris legis quodcunque sacrificium. Alij putant additionem illam de cornubus & vngulis, ad villpensionem hostiarum veterum addi, quasi diceretur, Placebit Deo cõfessio laudis meæ, magis quam vitulus cornutus & vngulatus, ac proinde irrationale animal. Laus enim Dei rationalis, quæ de corde & intellectu procedit, multo acceptior G
est Deo, quàm creatura irrationabilis, in sacrificio. Nonnulli verò intelligunt, super vitulum nouellum, id est, de vitulo nouello, dicentes Deo esse beneplacitum in vel de nouello, ad mysticas intelligentias recurrentes. Quod autem priori loco dictum est, longe videtur probabilius. ¶ Versu. 40.
Psal. 2. Psal. 47. Quoniam Deus saluam faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ. Quod per Sion intelligatur præsens Ecclesia, ex plurimis Psalmorum locis in prioribus fecimus manifestum. Vnde Psal. 2. dicebat filius, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion monte sanctum eius. Et Psal. 48. Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ. Quæ tamen hic dicuntur ædificandę ciuitates Iudę, eædem sunt, quæ illo in loco dicuntur filiæ Iudæ, particulares videlicet Ecclesiæ, in quibus est confessio nominis Christi: quæ omnes tamen vbicunque terrarum consistant, Sion vnam habent matrem, vnam scilicet vniuersalem Ecclesiam, quæ omnium est particulariũ mater. Non enim plures sponsas aut vxores patitur sponsus sanguinum, quæ non in vnam conueniant, & non ex vna sint matre progenitæ & si plures recipit vxores, eas necesse est ex vna matre esse sorores.

LXIX. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste, oratio est hominis in grauibus tentationibus, siue spiritualibus, siue corporalibus positi, postulantis Dei auxilium, inimicorum (à quibus tentatur, & periculum patitur) confusionem atq; cessationem, ac demum piorum de sua liberatione exultationem. Manifestum est autem, totum penè hunc Psalmum in Psalmo trigesimonono superius exposito esse inclusum, & huius Psalmi singulos versus in illo inueniri. Quapropter, non opus est vt hoc loco singula tractentur exactius. H

SEXAGESIMINONI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Deus in adiutorium meum intende:*

* *domine ad adiuuandum me festina.*

2 *Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam.*

3 *Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.*

4 *Auertantur statim erubescẽtes, qui dicunt mihi euge euge.*

5 *Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te:*

B * *& dicant semper magnificetur dominus, qui diligũt salutare tuum.*

6 *Ego verò egenus & pauper sum:*

* *Deus adiuua me.*

7 *Adiutor meus & liberator meus es tu:*

* *domine ne moreris.*

DEus meus, mea omnis spes & fiducia, intentus esto ad auxilium meum contra hostes meos: qui nisi tuo iuuer auxilio, facile mihi prævaluerint sua fortitudine: te autem auxilium ferente, nihil quicquam poterunt, & quia vrget me vehementer aduersantium improbitas, neque fatigantur in tentando siue oppugnando, circumeuntes die ac nocte ad perdendum me, iccirco festinato opus est: * neq; moreris quæso aut differas amplius ferre opem periclitanti in dilatione auxilij. 2. Fac tuæ virtutis auxilio confusione & erubescentia perfundantur omnes aduersarij mei, qui tollere quærunt animam meam, qui insidiantur vitæ meæ, & in

A *runt animam meam.*

3 *Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.*

4 *Auertantur statim erubescẽtes, qui dicunt mihi euge euge.*

5 *Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te:*

B * *& dicant semper magnificetur dominus, qui diligũt salutare tuum.*

6 *Ego verò egenus & pauper sum:*

* *Deus adiuua me.*

7 *Adiutor meus & liberator meus es tu:*

* *domine ne moreris.*

& in mortem cupiunt præcipitare pauperculam animam meam: quorum studium atque desiderium in hoc est, vt vitam auferant mihi inferantq; mortem. 3. Fac retrorsum abeant, & confusione atq; pudore afficiantur omnes qui moliuntur aduersum me mala, qui mihi nocere cupiunt, qui vel insidias mihi struunt vt occultè noceant, vel etiã aperto odio me oppugnant vt interficiant. 4. Fac retrorsum conuertantur cum confusione & reuerentia, qui mihi vel insultantes & exprobrantes, vel de malo gaudentes atq; plaudentes, dicunt, euge euge, siue vah vah, si viderint aliquid mihi aduersum contingere. Hos insultatores meos, gaudentes de malo alieno, coge tu à cœpto desistere suæ malitię propositо: fac illos suo intento frustrari, & quod conãtur minime consequi. 5. Illi verò qui te ex animo & fideli corde quærunt, qui tibi placere, & tibi amicitia iungi desiderant, atq; ad hoc conantur iugiter, gaudeant huiusmodi & lætentur, cum me viderint de impiorum manibus tuo auxilio liberatum: * & qui tuam salutem diligunt, eamq; omnibus communem fieri, & ad omnes pertingere gaudẽt (cuiusmodi sunt omnes verè pij) dicant pro gratiarum actione, semper magnificetur dominus, sit semper & in sæcula Deus noster benedictus, qui pios nouit de 1. Cor. 16.
tentatione eripere, & cum tentatione semper prouentum facere, vt va- Psal. 9.
leant serui eius sustinere, neque vnquam reliquit in se sperantes. 6. Ego verò ante oculos tuos, ô domine, sum nõ aliud q̃ pauper & mendicus, ex memetipso nihil nisi miserias & infirmitatẽ habens, plenus egestate absque omni bono, nisi tu donaueris: qui necesse habeo à te omnia mendicando & postulando accipere: * tu proinde, Deus pijssime, qui Ibidem.
pauperes exaudire soles, & pauperum atq; humilium curam gerere singularem, adiuua me, tuum auxilium humiliter imploratem contra aduersarios meos. 7. Tu es quem ego elegi auxiliatorem meum, & quem spero saluatorem atque liberatorem: * ô domine, ne moram facias, ne vltra differas ferre mihi opem contra importunos hostium insultus, sed in tempore adueni, priusquam mihi prævaleant qui oppugnant, vt tua ope liberatus, tibi gratias agam in sæcula sæculorum, Amen.

C

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXIX.

VErsu. 1. Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me festina. Oratione ista maxime opus habent, eiusdemque frequentissima & indeficienti replicatione, qui perpetuum cum hostibus non desidibus aut somnolentis, sed peruigilibus vtique & alacribus certamen habent. Quapropter recte Ecclesiastica institutione hic versus singulis canonicis horis præmittitur, atque in ipso iam initio solenni voce concinitur, antequam ad Psalmos canẽdos, siue aliud quicquam decantandum procedatur. Primum enim est, vt hostium insultum postulemus reprimi, quo sic quietius atque securius, diuinis deinde laudibus possimus vacare. Sed & antiqui illi eremi apud Aegyptum incolæ, discipulos, maxime nouitios, docebant, verbum istud frequenti iteratione etiam in medijs occupationibus & exercitijs corporalibus, ardenti affectu in Deum velut eiaculari. Nouellis enim tyronibus Dei contra aduersarios auxilio maxime est opus. ¶ Versu. 5. Et dicant, semper magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum, Aduerbium semper in medio positum, poterit vel cum sequenti construi, hoc modo, Et dicant, semper magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum: vel cum præcedenti, hoc modo, Et dicant, semper magnificetur dominus, &c. Prior autem constructio magis videtur conuenire, quam & in Elucidatione solam expressimus.

D

LXX. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste eiusdem ferè argumenti est cum Psal. 30. in quo etiam aliquot versus priores ad verbum ferè positi sunt, & expositi. Exercitat in eo vir iustus spem suam in domino, eum asserens suum protectorem munitionem atq; refugium, in quo speraverit à iuuentute, ex matris vtero, eundemq; multa verborum replicatione, contra aduersariorum insultus, ita precatur habere perpetuum protectorem atq; saluatorem, vt ab eo nunquã, ne in vltima quidem senectute derelinquatur: sciens, quàm facile in prædam & subiectionem veniret efferatissimis hostibus, si vel ad tempus modicum à Deo derelinqueretur suis viribus. Pollicetur autem pro gratiarum actione, magnificam laudem & perpetuam prædicationem iustitiæ atq; veritatis Dei, quam cunctis etiam posteris generationibus promittit (iuxta quod à Deo non per humanam sapientiam edoctus fuit) facere manifestam. In conclusione tandem Psalmi versu. 22. peculiariter commemorans mirabilem Dei erga suos electos dispensationem, in eo quòd grauissimis illos nonnunquam permittit affligi tribulationibus, eosdemq; vbi placitum sibi fuerit liberatos, quasi ab inferis ad vitam reducit: qua in re, duo simul, electis suis Deus commonstrat, nempe infinitam suam potentiam, qua de tentatione quamtumuis maxima, & humanis viribus insuperabili, nouit suos electos eripere, simul & maximam ineffabilemq; suam misericordiam, qua nunc nec in desperatissimis & difficillimis rebus deserit inse sperantes. Propter quæ, tam fidelissimo liberatori laudem promittens, in musicis instrumentis, in lingua & labijs, ex corde depromendam, ita terminat salutarem exercitationem.

SEPTVAGESIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *In te domine ſperaui, non confundar in æternum:*

Pſal. 144. Pſal. 90. * *in iuſtitia tua libera me, & eripe me.*

2 *Inclina ad me aurem tuam:* * *& ſalua me.*

3 *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: vt ſaluum me facias.*

4 *Quoniam firmamentum meum & refugiũ meum es tu.*

5 *Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.*

6 *Quoniam tu es patientia mea, domine:*

* *domine ſpes mea à iuuentute mea.*

7 *In te cõfirmatus ſum ex vtero:*

* *de ventre matris meæ tu es protector meus.*

8 *In te cãtatio mea ſemper:* * *& tanquam prodigium factus ſum multis:*

* *& tu adiutor fortis.*

9 *Repleatur os meum laude:*

* *vt cantẽ gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

10 *Ne proijcias me in tempore ſenectutis:*

* *cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

IN te domine Deus meus ſpem meam omnem conſtitui, non me patiaris vnquam confundi, neque in confuſionem æternam venire permittas: * ſed propter iuſtitiam, veritatem, & fidelitatem tuam, libera me ab omni periculo & confuſione, quemadmodum in te ſperaui. Expoſcit enim hoc tua iuſtitia, quòd verax es, quòd fidelis in promiſsionibus, vt (ſicuti pollicitus es) tuo auxilio non deſtituas in te ſperantes. 2. Inclina Deus auditum tuum ad precem meam, & dignanter attende orationi meæ: * feſtina, ne tardaueris, vt eruas ac liberes animam meam de periculis, anguſtijs, & neceſsitatibus, ſiue ſpiritualibus, ſiue corporalibus, in quibus verſor. 3. Talem te mihi exhibe domine Deus, vt ſis mihi defenſor atque propugnator, pariter & aſylum, ſiue tutus refugij locus, vt ita me facias ſaluum ab inimicis meis: quatenus protector, pro me tua potentia contra aduerſarios meos dimicans ac pugnans, quaſi aſylum verò atq; tutus locus refugij, me ad te confugientem veluti abſcondens, concludens, atque diligenter cuſtodiens, vt acceſſum ad me habere non valeant nocere parati. 4. Tu enim domine es mea omnis fortitudo, & in te eſt robur meum omne, per cuius propugnationem ſpero ab inimicis fieri ſaluus, & tu es meum tutiſsimum refugium, ad quem ſemper in omnibus periculis confugiens, ſpero inimicorum rabiem effugere. 5. Deus meus, tota fiducia mea, ſalua tu me de manu peccatorum, in quibus nullus ineſt timor tuus, & de manu hominum contra legem tuam agentium, & iniquorum, qui ex peruerſitate cordis ſui abſque timore & pudore operantur contra æquiſsimas leges tuas atq; præcepta, quicquid eis fuerit collibitum: de manu & poteſtate iſtorum ſalua me, non me permittas iſtis venire in poteſtatem, vt mihi vnquam prævaleant, aut me in conſenſum aliquando pertrahant ſuæ malitiæ. 6. Tu enim es patientia, ſuſtinenti, ſpes & expectatio mea, propter quem ego cunctas impiorum ſuaſiones & propoſitiones abiuraui, & etiamnum abiuro, tuam ſolius conſolationem & ſalutem deſiderans atque expectans: tu ſolus es quem ſuſtineo, quem in perſeuerantia & potentia expecto, conſolatorem & ſaluatorem meum: * ô domine ſpes mea & tota fiducia fuiſti ab ineunte ætate mea, ab ipſis incunabulis: ſtatim vt cœpi ratione vti, in te ſpem meam conſtitui. 7. In te ego ſum firmatus, & fiducia ſpei velut defixus, ab eo penè tempore quo egreſſus ſum de vtero matris meæ, vſque in ætatem iſtam in qua viuo: ab eo tempore ſemper in te hæſit, & infixa fuit, atque firmata fiducia ſpei meæ: * ab eo tempore quo de matris meæ vtero egreſſus ſum, te ſemper & habui & ſenſi protectorem atque ſaluatorem, qui me pauiſti à primo die egreſſus materni vteri, inſuper à periculis plurimis & grauiſsimis ſeruaſti, & in omnibus tua protectione ſaluum me cuſtodiſti. 8. Tu mihi ſemper fuiſti laudis materia, de te ſemper fuerunt mea cantica: & quicquid cantabam vel dicebam, tui nominis gloriam & laudem continebat: * & ego factus ſum multis tanquam prodigium, quaſi ſpectaculum factus ſum orbi, coniectis omnium oculis in me, & admirantibus velut rem ſupra naturam, quòd de tot ac tantis malis ſaluus euaſiſſem, exiſtimantibus id (ſicut nec reuera erat) humana via non fuiſſe poſsibile: * ſed tu mihi fuiſti validus & præpotens adiutor, qui in omnibus his ſemper mihi adfuiſti, & non es paſſus venire me in manus quærentium animam meam: In te nanq;, manus hoſtium etiam potentiſsimorum & plurimorum potui euadere, quod proprijs meis viribus minime potuiſſem. 9. Vt autem gratus tibi eſſe valeam pro tanta tua erga me ſollicitudine peto, vt os meum repleas laude, tu me doceas per illuminationem & eruditionem internam ſpiritus tui, quomodo te digne laudare queam: * vt cantare poſsim magnificentiam gloriæ tuæ, & iugiter omnibus diebus vitæ meæ canticis & pſalmis, valeam celebrare magnitudinem tuam, ſecundum quam per omnia verè es maximus. 10. Et poſtquam à puero, mei ſemper ſollicitiſsimam geſsiſti curam, noli quæſo pati, vt in ætate pleniori, aut etiam iam deficienti, à te aberrem, & à tua gratia excidam: * qui me ſemper in tuo ſeruitio confortaſti, cum eſſem valido & vegeto corpore, ne patiaris me (quæſo) à te aberrare, aut te relinquere in tempore ſenectutis, quando deficere incipiet virtus mea. Eſſet enim id prorſus abominabile, ſi ego (quem ſemper à puero tanta cura in tua ſeruitute cuſtodiſti) in ætate

in ætate tandem deficienti delirare incipiens, à tua ſeruitute me ſeparrarem, ſicq; à te & tua gratia derelinquerer: * inſuper ſi quando aduenerit in anima mea tempus ſenectutis, id eſt, tepor deuotionis, & declinatio à feruore charitatis priſtinæ, ita vt contingat aliquando refrigeſcere in me charitatem, ſicque ad nihilum incipiat tendere vita ſpiritus mei (quemadmodum ſenectute temporali corpus frigeſcit, depereunte calore, & vita ad occaſum declinat) vt tum me non ſuſtineas in totum frigifieri, & prorſus vitam ſpiritus perdere: ſed ſi forte, quacunq; occaſione, in eiuſmodi ſtatum deuenero, tempeſtiuè memento mei, & reuoca ad te, atque ad charitatis priſtinæ feruorem tua benignitate reſtitue, priuſquam totus frigeſcam, & vitam perdam funditus. 11. Neque verò immerito de futuro tempore ſollicitus, nunc oro (donec mihi ſum bene conſcius) pro ijs quę obuenire aliquando poſſunt. Scio nanque meorum hoſtium, qui me ad mortem quærunt, infatigabiles conatus, & propriam meam fragilitatem non habeo incognitam. Ecce enim aduerſarij mei, vbi vel modicum viderint me refrigeſcere ſiue flaceſcere in tuo ſeruitio, mox contra me loquuntur: * & ipſi qui ſemper obſeruant animam meam, nocte ac die circumeuntes, ſi qua tandem valeant inuenire aditum expugnandi, aut ſi qua tandem occaſione poſſint ad nocendum mihi pertingere, ipſi mox iunctis capitibus, concilium pariter ineunt tractantes quomodo facilius ſuam de me voluntatem adimplere poſsint, quomodo in mortis laqueum certius præcipitent. 12. Dicunt adinuicem ſeſe exhortantes, ecce iam ſeneſcere incipit, iam non qualia ſolet operatur, feruor abceſsit, non apparet ſolitæ charitatis in eo ardor: nunc ecce opportunum tentationi tempus eſt, quod tam diu quæſiuimus: apparet illum iam à Deo derelictum, quo protectore hactenus prævalere nequiuimus: * nunc autem ſic derelictum audacter perſequamur, modò non ceſſemus ab oppugnatione. Spes enim eſt propoſita victoriæ, vbi ab auxilio ſe ſubduxit ille, per quem contigit huic ſemper victoria. Ecce iam non habet, qui eum de manibus noſtris ſaluet, facile iam illi in virtute noſtra prævalebimus. 13. Ita profecto loquuntur aduerſus me hoſtes mei infatigabiles: ſi vnquam vllo ſigno vel indicio percipere ſibi videantur, me abs te derelictum, tuoq; deſtitutum auxilio: quod quia non ignoro merito de futuro vitæ meæ tempore ſollicitus, ſupplex oro, ne vnquam imperpetuum teipſum à me elonges, ne me imperpetuum derelinquas, ſed ego ſemper tecum in vltimam vſq; ætatem in omnib⁹ diebus vitę meę permaneam, & tu viciſsim me nunquã deſeras: * ſemper, ô Deus: tota mea fiducia, ad me aſpicias, nunquam benignos tuos oculos à me auertas & in auxilium mihi opportune ſemper accurras. 14. Ita tuo auxilio fac confuſione & pudore operiantur hoſtes mei, & ceſſare atque deſiſtere cogantur à ſua prauitate omnes qui mala loquuntur & pernitioſa cõtra animam meam: * fac penitus erubeſcentia & pudore perfundantur, omnes qui ſiue per inſidias ſiue per apertam oppugnationem quærunt mala aduerſum me, quicunque contra me machinantur impia. 15. Ego verò in tua protectione optime ſecurus, nunquam deſinam ſperare in auxilio tuo: * & pro gratitudine adijciam ſuper omnem laudem tuam: continuo laudes laudibus accumulabo, de die in diem amplius me exercebo in laude tua & ſuper omnem laudem, quam tibi cecini à pueritia mea, anteponã etiam laudare te vſq; in ætatẽ nouiſsimam. 16. Et quo alios quoq; attraham ad tui nominis laudẽ, annunciabo ego, & prædicabo palam omnibus, vbicunq; opportunũ fuerit, iuſtitiam, ſanctitatem, veritatem, & fidelitatẽ tuam: vt etiam proximos inuitem ad ponendam in te ſpem & fiduciã cum te iuſtum, ita veracem atq; fidelẽ cognouerint: * iugiter omnib⁹ diebus prædicabo ſalutem tuã, ſemper expoſitam & paratã cunctis in te ſperantibus, quam nunquam pateris deeſſe ijs qui ſeruiunt, & fidunt tibi corde perfecto. 17. Quoniam etſi literaturã non cognoui, tametſi ex literis & doctrina ſcholari ſiue humana, neq; per auditum neq; per lectionẽ didici ea quę ad laudem tuã faciunt, tametſi ſcientia humana inſtructus à præceptoribus atque doctoribus minime fuerim: introibo tamen in potentias domini, ingrediar tamen ducatu ſpiritus tui & magiſterio interiori illuminationis tuæ, vſque ad cognoſcendas virtutes tuas & mirabilia opera potentiæ tuæ, quę operaris in hominibus quæ melius me docet interius tua illuminatio, q̃ omnis poſsit exterior vocis aut literarum inſtructio: * ſicq;

11 *Quia dixerunt inimici mei mihi:*

* *& qui cuſtodiebant animam meam, concilium fecerunt in vnum.*

12 *Dicentes Deus dereliquit eum:*

* *perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.*

13 *Deus ne elongeris à me:*

* *Deus meus in auxiliũ meum reſpice.*

14 *Confundantur & deficiant detrahẽtes animæ meæ:*

* *operiantur confuſione & pudore qui quærunt mala mihi.*

15 *Ego autem ſemper ſperabo:* * *& adijciam ſuper omnem laudem tuam.*

16 *Os meum annunciabit iuſtitiam tuã:* * *tota die ſalutare tuum.*

17 *Quoniam nõ cognoui literaturam, introibo in potentias domini.*

* *domine, memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.*

à te edoctus, non ab humana scientia, solus tuæ iustitiæ memor ero, E
semper de tua sanctitate, veritate & fidelitate cogitare volo, semper illam ruminare memoria, semper de ea loqui: illam palã omnibus annũciare & prædicare, vt ne inanis & sine fructu sit cognitio incertorũ & occultorum sapientiæ tuæ, quæ manifestasti mihi. 18. Deus pijssime,
Psal.50. 18 *Deus, docuisti me à iuuentute mea:* iam inde à puero, ex quo vti cœpi ratione, semper tu me illustratione tua interius docuisti, cognoscere temetipsum & mirabilia opera tua,
** & vsq; nunc pronunciabo mirabilia tua.* quæ solo humano nunquam didicissem magisterio: * & vsq; modo nõ cesso prædicare mirabilia operã potentię, sapientiæ atq; bonitatis tuę,
19 *& vsq; in senectam & senium:* quæ mihi dedisti considerare & cognoscere etiamnum in his prædicandis, & collaudandis perseuero. 19. Et vsq; in senectam meam iugiter perseuerabo in prædicatione tuorum mirabilium etiam vsque ad vltimum senium, vsq; ad canissimos canos, & ætatem decrepitam nõ cessabo à tuis laudibus: nec ætas illa summe imbecillis (quæ homines solet pigros ac desides efficere, & ad ea quibus in ætate minori fuerant oblectati, fastidiosos reddere ac nauseabundos) me poterit eò perducere, vt cessem à tuis mirabilibus laudandis atq; decantandis: * tu vicis- F
** Deus ne derelinquas me.* sim, Deus optime, me ita optima proponentem, me sic tibi tuisq; laudibus imperpetuum memetipsum dedicantem, ne vllo vnquam tempore derelinquas, me vnquam à te aberrare, aut à te separari (vel dæmonum vel hominum quantumuis excrescente malitia) permittas: vt quomodo ego tibi fidelem memetipsum propono famulum, sic tu mihi te fidelem perpetuo exhibeas custodem & dominum. 20. Non me,
20 *Donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura est.* inquam, derelinquas, nec in ætate vltima, donec ego (quantũ, quidem in me erit) prædicem omnibus generationibus quæ venturæ sunt vsq; in consummationem sæculi, fortissimum brachium tuum, & omnipotentem virtutem fortitudinis tuæ, donec ego per meos psalmos & cantica tuum nomen celebre reddidero & manifestũ, pro generationibus omnibus quę pòst venturę sunt. Ita enim ego te, donec viuam, semper, & vbiq; prædicare non desinam, vt quantum in me fuerit, tui nominis & gloriæ memoriam in omnibus generationibus derelinquã. 21. Brachium, inquam, tuum, id est, fortissimã potentiam virtutis tuæ, & cer- G
21 *Potentiam tuam et iustitiã tuam Deus vsq; in altissima quæ fecisti magnalia:* tissimam veritatem atq; fidelitatem tuæ iustitiæ: donec prædicem, & efferam eas vsq; ad altissima magnalia quæ in eis operatus es mirabilia opera tua, quæ tu pro omnibus es operatus in maxima potentia & veritate, secundum suam dignitatẽ & supereminentiam digne mãgnificando, iustisque laudibus ac præconijs efferendo: * ô Deus, quis tibi
** Deus quis similis tibi?* poterit secundum vllum modum aut gradum digne comparari? Nemo profecto, neq; in cælis, neq; in terris. In comparatione enim tui creatura omnis est tanq̃ fumus euanidus, & tanquam nihilum reputatur corã te. Tam es maximus, tã es summus, tã es perfectissimus, vt tibi nemo secundum vllam rationem digne queat conferri. 22. Vel in me solo, q̃
22 *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas:* magnifica sæpe, & q̃ mirabilia ostendisti opera tua. Ecce enim interdũ me feciſti in tribulatiões plurimas & maximas incidere, pericula simul multa & grauia experiri feciſti me, & tua permissione super me venerunt, adeò vt prorsus non viderem exitũ, desperarem penitus posse me
** & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me.* euadere: * verum vbi placuisset ad me iterũ conuertere benignũ aspectum vultus tui, iam pene mortuum, & de vita desperantem rursum ad vitam tuo auxilio restituisti, & quasi de infimis terræ quasi de portis
23 *Multiplicasti magnificentiam tuam: & consolatus es me.* inferni atq; mortis reduxisti me morti proximum, imò (vt dicam ve- H
rius) nihil à morte distantẽ. 23. Atq; in hoc ipso multiplicasti, siue magnificasti gloriam magnificentiæ tuæ, q̃ post tantas miserias & tribulationes, in quibus penitus res desperata videbatur, iterum conuersus, iterumq; ad me respiciẽs, liberaueris me à miseria, & consolatione tua lætificaueris, reddideriſq; securum, vt ante. Sic enim tu Deus, ad ostensionem tuæ magnificentissimę potentiæ, nonnunquã electos tuos pateris venire in grauissima discrimina, siue corporalia, siue spiritualia, è quibus nullus videatur exitus humana via resíduus, vbi spes omnis secundum humanum iudicium ablata videatur: quos tamen sic in angustum conclusos, & de seipsis penitus desperantes, potenter simul & misericorditer, cum tibi opportunum videtur, liberas, ab omni periculo faciens saluos, & in plena securitate constitues partim consolatos. Idq;
24 *Nam & ego confi-* facis, partim vt illorum in te spem probatam facias: partim vt tuã potentiam manifestius euidentiusq; commonstres. 24. Itaq; & ego vicissim, pro tuis maximis beneficijs, dabo tibi confessionem & laudem in instru-

A *tebor tibi in vasis psalmi, veritatem tuam Deus:*
** psallam tibi in cithara sanctus Israël.*
25 *Exultabunt labia mea cum cãtauero tibi:*
** & anima mea quam redemisti.*
26 *Sed & lingua mea tota die meditabitur iu-*
B *stitiam tuam: * cũ confusi & reueriti fuerint qui quærũt mala mihi.*

instrumentis psalmorum, cum instrumẽtis musicis, in quibus psalmos & cantica laudis decantabo tibi, confitebor, inquam, & prædicabo, ô Psal. 44.
Deus, speciali laude veritatem fidelitatis tuæ, quòd fidelis sis & verax in omnibus verbis tuis, erga eos qui in te fidunt, & quibus pollicitus es tuæ salutis auxilium: * Psalmos & cantica laudis in citharis, in suauissima qua potero melodia, & psalterijs, alijsq; musicis instrumentis, decantabo tibi, ô sancte Deus populi tui, Deus fidelis seruorum tuorum fidelium. 25. Non solum autem exteriori corporis motu in externis musicis instrumentis tibi psallam, sed labia mea exultabunt, & magnifice gestient, atq; lætitiam monstrabunt in laudatione tua, cum tibi laudem cecinero: * maxime autem anima mea, quam tu saluam feciſti ex tantis periculis, in tua laude oblectabitur & exultabit. Erit enim mea in te exultatio, non exterior tantum, sed & in intimis cordis, ex omni virtute animæ meæ. 26. Lingua quoq; mea iugiter eloqui conabitur & prædicare iustitiam, veritatem atque fidelitatem tuam, quam semper custodis erga seruos tuos in te sperantes: * cum confusi fuerint, pudoreque ac reuerentia affecti aduersarij mei, quærentes aduersum me mala: cum horum manus euasero, te liberante, & illi suo conatu frustrati abscesserint, nihil præter confusionem & ignominiam reportantes.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXX.

VErsu 3. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum. In Psalmo trigesimo, versus tertius huic respondens pro loco munito, habet, domum refugij: & eadem sententia est. Locus enim bene munitus, recte domus vel habitaculum siue locus refugij dicitur, quoniam talis est, ad quem pro securitate possint homines confugere, & in quo saluare se queant. Talem autem se nobis exhibet benignissimus dominus Deus noster, quemadmodum Psalmo 33. latius declarauimus. ¶ Versu 8. Tanquam prodigium factus sum multis. Si de Christo Psalmum hunc peculiariter exponamus ad patrem loquente (quemadmodum quidam recte exponunt) apte hoc verbum cum illo Simeonis conueniret, Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur. Vere enim Christus multis admodum Ioan. 2.
quasi prodigium factus fuit, quando stupebant omnes, & mirabantur de doctrinæ efficacia, & ope- Lucæ 4.
ribus miraculorum, quæ ipse palàm toti mundo exhibuit: id quod ex Euangelicæ historiæ contextu
C est euidentissimum. Fuit etiam in prodigium præ miseria, in tempore passionis: quando vermis apparuit & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis ita vt (iuxta Esaiæ vaticinium) non Esaiæ. 53.
esset ei species neq; decor. Recte tamen etiam Dauidi, vel alij cuilibet iustorum in Deo pleno corde Psal. 21.
à puero fidentium, competit fieri & esse prodigium hominibus sæculi huius: quandoquidem Paulus 1. Cor. 4.
Apostolus, de se ac suis similibus, ait, Spectaculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus. Peculiariter autem in persona Dauid, stupendum erat, neq; paruum miraculum de tantis periculis, in tam diuturna persequutione, tam fortissimi aduersarij Saulis, potuisse effugere, & tanto tempore quæsitum, regis tanti potentia non potuisse comprehendi. Erat etiam prodigium, videre hominem tanta aduersa, tanta patientia sufferentem, & tam longanimi sustinentia in Dei seruitute & spiritus gaudio indesinenter perseuerantem. Ita generaliter pleriq; iustorum hominũ, maxime eorum qui toto corde Deo fidunt, eiq; fidelissimo animo adhærent, tanquam prodigium sunt hominibus huius sæculi, dum conspiciuntur magna animi alacritate, cuncta mundi huius fallacia bona abijcientes, victu tantum & vestitu contẽti viuere, semper nihilominus tam corpore, q̃ animo lætari, etiam in frigore, nuditate, fame, laboribus, & tribulationibus, propter Christum, semper gaudentes, semper gratias agentes. Dum hæc conspiciunt homines sæculi, mirantur attoniti: & quasi pro miraculo stupent, prodigiũ & portentum se videre existimãt: eo p̃ supra naturam esse videatur quod cernunt. Verum hi fortem illum adiutorem non attendunt, de quo mox subditur, Et tu adiutor fortis, in quo sancti omnia se
D posse cognoscunt. ¶ Versu 10. Ne proijcias me in tempore senectutis. Elucidatio duplicem indicat Phil. 4.
intelligẽtiam: priorem, de senectute corporali: posteriorem, de senectute spirituali. Secundum vtranque verò admodum necessaria est hæc oratio, & digna quæ frequentissime à nobis replicetur, effundaturq; ante dominum. Quia enim (iuxta Sapientis verbum) in die bonorum memores nos conue- Eccles. 11.
nit esse malorum, idcirco prudentis & timorati hominis fuerit, dum sibi testimonium bonum adhuc perhibet conscientia, ventura tempora interdũ considerare, & prò eis metuere, ne forte (vt est mundus plenus inquinante & seducente malitia) vllo vnquã venturo tempore contingat à via recta seduci, aut in errores, & peccati itinera abduci. Et dum hoc metuit, sibi adhuc non male conscius, atten- 1. Ioan. 5.
ta mente & pleno cordis desiderio dominum deprecabitur, postulans pro futuris temporibus, perpetuam & indeficientem sui in diuina seruitute custodiam. Merito verò nos mouere debet, vt etiam tunc cum bona sumus conscientia, de futuris metuamus, vt ob Salomonis ipsius horrendum exemplum: qui cum in ætate tenella miram ostendisset cordis sui erga Deum deuotionem, postmodum in ætate grandiori, abduci permisit cor suum per alienigenas mulieres, ad deos alienos. Et Dauid, quàm 3. Reg. 11.
fœdè, neq; semel, lapsus fuerit post vitam diu bene actam, nemo ignorat. Sed & ante oculos nostros quantos quotidie cernimus, qui post pueritiam atq; adolescentiam, siue etiam virilem ætatẽ, in Dei seruitute transactam, vbi ad grandiorem ætatẽ ascenderint, tum demum quasi domini Dei sui obliti, incipiunt currere post deos alienos, sectantes quæ sunt sæculi huius, vel diuitias, vel delicias, vel ambitiones,

bitiones, vel honores, siue ad alia huiusmodi quę habet mundus, prorsus effusi. Quoniam ergo mul- E
tos experientia quotidiana discimus in huiusmodi periculum incidere, consultum fuerit & necessa-
rium, vt sancto timore nobisipsis metuamus, non quidem vt de Dei auxilio desperantes, sed vt nobis-
ipsis pessime fidentes, nimirū qui frequenter Deum non relicti relinquimus, non repulsi auersamur,
non fugati fugimus, imò reuocantem & vltro beneficijs insequentem spernimus atque repellimus:
stantem quoq; & pulsantem ad ostium, nō intromittimus, sed foris stare compellimus. Merito ergo
semper solliciti oremus, dicentes, Ne proijcias nos Domine in tempore senectutis, cum defecerit vir
Matth.6. tus nostra, ne derelinquas nos. Et quid aliud est, quod nos saluator orare docuit, Ne nos inducas in
tentationem, sed libera nos à malo? non vtiq; præterito tantum neque tantum præsenti, sed indubie
etiam futuro, aut quodcunq; possit occurrere. Secundum verò posteriorem intelligentiam (quæ est
mystica) notandum est, animam habere suam quandam iuuentutē, similiter & senectutem. Quando
enim anima adhuc feruet & calet, per feruorē deuotionis in ea existentis, estq; hilaris, valida, robusta
& alacris, ac parata ad peragendum omnia quæ Dei sunt, tunc velut in iuuentute est posita. De qua
Psal. 102. iuuentute in alio psalmo dicitur, Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.
Et alibi, Renouabitur vt aquilę iuuentus mea. Quando verò tepescere incipit deuotionis pristinę fer-
uor, & charitate refrigescente voluntas tædium acquirit, & velut nauseam eorum quæ Dei sunt ope-
rationum: contra verò incipit in ea locum habere mundus, aut eorum aliquid quæ in mundo sunt, F
profecto senectus apprehendit animam. Pro hac autem senectute, iustum est metuere omnes eos qui
firmi in Dei amore cupiunt perstare. Cum enim huiusmodi senectus animam apprehenderit in graui
periculo laborat anima, ne à Deo excidat. Nam & grauiorem tunc pugnam suscitant spirituales ad-
uersarij velut tempus opportunū nacti tentationis, & spem habentes consequendæ victoriæ propter
teporem & defectum quem in homine ita senescente, callidissimi obseruatores considerant. Deinde
ad resistendum minor virtus est, postquam tepuit anima: & refrixit charitas, vt merito sibi homo pro
huiusmodi defectionis statu debeat metuere, nisi singulari Dei respectu foueatur in bono, & custo-
diatur à malo. Orabimus ergo, donec in iuuentute feruemus, vt si forte aliquando in huiusmodi se-
nectutem venire nos contingat, non nos ibi deserat secundum iustitiam suam Deus, non nos in de-
terius labi permittat, sed benigne velit aspicere collabentes, atq; ad statum pristini feruoris dignan-
ter restituere. Si verò vt Christi vocem accipimus, quod prædictum est, intelligenda erit hæc oratio,
non quasi pro se eam Christus effuderit, qui ad senium non peruenturum se cognouit, vtpote qui in
Matt.24. validissimo robore vitæ suæ affigendus erat crucis patibulo, sed pro corpore suo quod est Ecclesia,
ne in nouissimis diebus, in quibus (iuxta Saluatoris verbum) abundante iniquitate refrigescet chari-
tas, deseratur paterno auxilio, ne vnquam deficiat fides eius: quemadmodū Petro Saluator ipse dice-
Luc.22. bat. Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua. Tunc enim in nouissimo tempore, grauissima G
erit Ecclesiæ & fidelium in ea existentium persequutio, qualis non fuit à principio, ita vt in errorem
Matt. 24. inducantur (si fieri possit) etiam electi, vt merito pro his Christus orandū duxerit. ¶ Versu 14. Con-
fundantur & deficiant detrahentes animæ meæ. Detrahere non hic simpliciter accipitur, vt solet, vt
idem sit quod de alio malū, vel male loqui, & quasi famam bonā commaculare: sed amplius aliquid
significat, videlicet calumnias loqui, & mala ac pernicioſa aduersus alterum, quibus ad malum adduc-
catur: quomodo ij quæ de innocentis morte pariter loquuntur, illi detrahunt contra quem loquun-
tur. Ita hoc loco accipitur ista detractio. Vnde in Græco dicitur διαβάλλοντες τὴν ψυχήν μου, id est, calum
niantes animā meā, vel aduersantes animæ meæ. Et beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, aduersarij
animæ meæ. ¶ Versu 15. Adijciam super omnē laudem tuam, Vel intelligitur de laude posteriore sem-
per ad priorem adijcienda, vt sit vox proponentis semper magis laudare, & maiori laude celebrare,
quomodo in Elucidatione explanauimus. Vel intelligitur comparatione ad alios Deum laudantes, vt
sit sensus, Adijciam ego laudem super omnē laudem, quam tibi alij quicunq; obtulerunt, vel quę tibi
oblata est: hoc est, ego conabor tua laudem magnificare, & adijcere aliquid tuis laudibus, super om-
nes aliorum laudationes. Quidam exponunt, Adijciam ego, & crescere faciam laudem super omnem
laudem tuam: ego nitar in laudando excellere omnes laudantes. Sed priora magis quadrant propo-
sito, & humilitati canentis. ¶ Versu 17. Quoniam non cognoui literaturā, introibo in potentias Do-
mini, Hoc loco multum dissonat lectio Romana à nostra, quæ pro literatura habet negotiationem H
vel negotiationes. Quę dissonantia euenisse videtur ex vicinitate duarum Græcarum dictionum, vi-
delicet πραγματίας, & γραμματίας quarum prior à πρᾶγμα (quod significat negotium) formata, signi-
ficat negociationem: posterior verò à γράμμα (quod significat literam) deriuata, literaturam sonet.
Videntur itaq; Græci codices (vnde versiones Gallicana atq; Romana desumptę sunt) in his duabus
dictionibus variasse, quibusdam dictionem priorem, alijs posteriorem habentibus. Exemplaria ta-
men Græca, quæ nunc in manibus sunt γραμματίας habent, quod significat literaturam, iuxta quod
nostra habet lectio Gallicana. Vtraq; autem lectio congruam habet intelligentiam. Nostra quidem
Gallicana in Elucidatione explanata est sufficienter, nisi forte illud insuper admonēdum videatur, q
particula quoniam, non accipitur secundū propriam suam consignationem, pure causaliter, sed tan-
tum continuatiue: ac si dicatur. Et quidem ego non cognoui literaturam, nō didici, neq; scio literas,
quemadmodum ij qui in scholis instruuntur per humanam sapientiam, introibo tamen absque lite-
ratura, in Dei bona gratia, in potentias Domini Dei, vt abscondita eius cognoscam. Altera autem
lectio Romana hunc sensum habet, Quoniam non habui prudentiam huius sæculi, quoniam non
meipsum inuolui negotiationibus, atque huiusmodi exterioribus distractionibus, quæ & men-
tem à diuinorum consideratione abstrahunt, & affectum ad auaritiam siue iniustitiam frequenter
pertrahunt:

A pertrahunt: qui (inquam) sic me ab huius mundi tumultibus & sæcularibus negotijs expediui, amore
tuæ cælestis sapientiæ, ob hoc ingrediar in potentias domini, & cætera. Qui enim à tumultibus, hu-
ius sæculi sese segregant, hi diuinam merentur eruditionem: quemadmodum econtrario, qui semper
sæculi inuoluuntur distractionibus, interiorem Dei instructionem non multum percipiunt. ¶ Versu
19. Et vsque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me. In Græco diuersa habentur vocabula,
pro senecta & senio. Sic enim habetur ἕως γήρας καὶ πρεσβεύτης: quorum prius, nempe γήρας significat sim-
pliciter senectutem: alterum, nempe πρεσβεῖον, honorabile senium, vel dignitatem, siue reuerentiam
senilem: quomodo etiam ex vsu communi plus aliquid sonat dignitatis vel honoris, cum presbyte-
rum dicimus, quàm simpliciter senem. Vult ergo significare Psalmista, se laudaturum Deum vsq; ad
senectutem, imò vsque ad nouissimam caniciem, & ætatem vltimam, maxime honorabilem. Vnde
ex Hebræo beatus Hieronymus ac cæteri interpretes vertunt, vsque ad senectutem, & canos: vel ca-
niciem. Sciendum est autem, hanc partem supradictam diuersis modis à diuersis coniungi. Quidam
enim cum versu præcedenti connectunt, hoc sensu, Vsque nunc pronunciabo mirabilia tua: neq; so-
lum vsque nunc, sed etiam vsque in senectutem & caniciem pronunciare non desinam. Ac deinde se-
paratim legunt, Deus ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum omni generationi, &c.
Atque hanc connexionem in Elucidatione, vt magis congruam sequuti sumus. Alij à principio hu-
B ius nouam faciunt sententiam, secundam partem cum priore copulantes, hoc modo, Vsque nunc
pronunciabo mirabilia tua: ac deinde, Et ô Deus ne me derelinquas vsque in senectutem & senium,
donec annunciem: &c. Habet quidem & hæc lectio facilem sensum, sed prior & vehementior vide-
tur, & magis commoda, vt prius proponat, ac velut polliceatur annunciare vsque in senectam & ca-
niciem Dei mirabilia, moxque subiungat, quasi vicissitudinem postulans, vt non derelinquatur ali-
quando, donec, &c. In eo autem quod dicitur, Non me derelinquas, donec annunciem brachium tu-
um omni generationi, attende (quod & alibi non raro occurrit) non proprie accipi particulam do-
nec, vt importet exclusionem, quasi re ista peracta (id est, potentia Dei omni generationi annuncia-
ta) iam contentus sit à Deo relinqui. Nunquam enim absolute vir iustus à Deo vult derelinqui: sed
ita accipi debet, quomodo apud Matthæum de Ioseph dicitur, quòd Mariam non cognouit, donec Matth.1.
peperit filium suum primogenitum. Et in Psalmo.109. Dixit Dominus domino meo, sede à dextris Psal.109.
meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quo in loco, plenius huius particulæ
vim à nobis expositam inuenies, si tibi libebit requirere. ¶ Versu. 21. Potentiam tuam & iustitiam
Deus vsque in altissima quæ fecisti magnalia. Duo isti accusatiui videntur secundum appositoriam
constructionem iungi cum accusatiuo, brachium tuum, qui est in versu præcedenti, hoc modo, Do-
nec annunciem omni generationi quæ ventura est, brachium tuum, nempe potentiam tuam & iusti-
C tiam tuam, vt per additionem horum accusatiuorum explicetur, quodnam illud sit Dei brachium,
quod vult in altissima prædicare. Siquidem hoc Dei brachium est, eius infinita potentia & iustitia,
siue veritas, per quam operatur mirabilia, immensis laudibus ad cælum vsque efferenda. ¶ Versu. 22.
Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas. Quemadmodum nescit dulcedinem epula-
rum, qui famem non est expertus, neque potus refocillationem qui non antè expertus est sitim, &
quemadmodum nescit sufficientię rerum temporalium externam commoditatem qui non aliquan-
do passus est earum magnam indigentiam: ita non satis agnoscerent electi magnitudinem diuini be-
neficij, in consolatione interna quam iugiter habent in cordibus suis ex spiritu Dei, si non aliquan-
do dispensatione & consilio Dei permitterentur in graues incidere afflictiones, siue mentis, siue cor-
poris: è quibus dum rursum Dei benignitate educuntur, tanto amplius iam in Dei exardescunt amo-
rem precioſum & reputant beneficium diuinæ præsentiæ, quanto prius absque illo senserint gra-
uissime periclitatos. Atque hoc est, quod versu isto vir iustus Domino per admirationem proponit.
Aduerte autem, cum tribulationes dicit multas & malas, non dici tribulationes malas, quomodo
peccata dicuntur mala, quasi simpliciter & vere mala sit tribulatio, per quam Deo dispensante, pro-
bamur, & meliores redimur: quoniam (vt Paulus ait) tribulatio patientiam operatur, patientia pro- Rom. 5.
bationem, probatio spem: spes autem non confundit. Itaque non potest tribulatio in sese considera-
D ta, simpliciter & vere dici mala: sed mala dicitur, quatenus pœnalis & afflictiua: cuiusmodi malum
vulgo malum pœnæ appellamus. Quod autem in versu sequenti dicitur, de reductione ex abyssis
terrę, secundum eum modum dicitur, quod in Psalmo.9. Qui exaltas me de portis mortis, vt annun- Psal.9.
ciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion: Has enim profundissimas & maximas tribulatio-
nes, abyssis terræ comparat, vt illic portis mortis comparabat. ¶ Versu. 24. Nam & ego confitebor
tibi in psalmis veritatem tuam Deus. Primum aduerte, coniunctionem nam, hoc loco causalem non
esse, sed pro continuante positam, pro autem, siue verò, ad hunc sensum, Ego verò, vel ego autem
confitebor tibi, Atque ita ex Hebræo vertit Hieronymus, Ego autem confitebor tibi in vasis psalte-
rij. Deinde, vasa intellige Hebraico more dici instrumenta, & specialiter vasa Psalmi, instrumenta illa
in quibus Psalmi erant decantari soliti. Accusatiuus autem ille sequens, veritatem tuam, vel vnico
contextu regitur à verbo confitebor, ad hunc sensum, Ego autem in vasis Psalmi confitebor tibi ve-
ritatem tuam, id est, ad laudem tuam prædicabo & decantabo tuam veritatem. Aut repetendo ver-
bum, hoc modo, Ego autem dabo tibi confessionem in vasis Psalmi, confitebor scilicet, vel fatebor
specialiter veritatem tuam ô Deus. In eo autem quod sequitur, Confitebor tibi in cithara, sanctus
Israël, more Græcorū, casus nominatiuus pro vocatiuo ponitur. Familiare enim est illis pro ὦ, quod
est vocandi signum, ponere ὁ articulum casus nominatiui. Secundum autem Latinę loquutionis nor-
mam, aptius diceretur, Confitebor tibi in cithara, sanctæ Israël.

LXXI. PSALMI ARGVMENTVM.

IVcundißimo vaticinio hic Pſalmus regis noſtri Meßiæ gloriam & magnificentiam, amplitudinemq; regni eius deſcribit, quaſi ſub typo regni Salomonis, quod cæteris omnibus auguſtius, quietius, magnificentiuſq; extitit, & peculiariter regni Chriſti veri Salomonis typum gerit. Incipit ergo à precatione Pſalmus, poſtulans Chriſto domino dari iudicium & iuſtitiæ exequutionem, ad faciendum pro pauperibus terræ, & pro humano genere miſere captiuato æquitatis iudicium monteſq;, ſanctos Apoſtolos, precatur ſuſcipere pacis Euangelium annunciandum populis, & iuſtitiam fidei per Apoſtolicam prædicationem ſuper populos deſcendere. Atq; hæc, tribus primis verſibus. Hinc verò generis humani liberationem, & calumniatoris dæmonis humiliationem, Chriſti domini æternitatem, mirabilem eius deſcenſum in virginis matris vterum, iuſtitiæ in mundum, pacisq; aduentum, deſcribit: ſimul & latitudinem regni eius à mari vſq; ad mare, & ab oriente, vſq; in occidentẽ, ita vt populi antè inimici & alieni à Deo veniant ad adorandum cum muneribus, voluntariæ ſubiectos ſe monſtrantes eius imperio, eo q; à potenti diabolo liberaſſet genus humanũ, cum quo miſericorditer aget, humilibus omnibus miſericordiã largiturus atq; ſalutẽ: quorum plurimos ex maximis quoq; & fœdißimis peccatis ad pœnitentiã vocabit, et nihilominus in magno pretio atq; honore habebit, à priſtinis vitijs ad veritatem conuerſos. Poſt hoc verò à verſu. 15. Chriſti perpetuam gloriã, & mirabilẽ Euangelicæ veritatis in Eccleſia fructũ, deſcribit: & quomodo in Chriſto oẽs gentes ſint cõſequuturæ benedictionẽ. Pro quibus omnibus, corde pleno exultationis, Pſalmiſta ipſum & ſanctũ eius nomẽ optat votis omnibus benedici, & glorioſum fieri in omnia ſæcula.

SEPTVAGESIMIPRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

Pſal. 1. *1 Deus, iudicium tuum regi da,*
** & iuſtitiam tuam filio regis.*

Lucæ 1. Roma. 1. *2 Iudicare populum tuum in iuſtitia & pauperes tuos in iudicio.*

Ioan. 12.

COmmitte, Deus pater, iudicium tuum regi Meſsiæ, Chriſto domino, quem vnges & conſtitues regem ſuper Sion montem ſanctum tuum: trade illi poteſtatem facere iudiciũ pro populo tuo, aduerſum principem mortis: * & iuſtitiæ tuæ exequutionem commoda ac trade in manus Meſsiæ, filij tui, ô rex regum Deus potentiſsime: * qui etiam filius erit regis Dauid, ex cuius ſemine ſecundum carnem eſt naſciturus. 2. Vt iudicet ipſe populum tuum, genus humanum, electos tuos in iuſtitia: & pauperes tuos, fideles, humiles, tibi credentes atque obedientes, in vero iudicio & æquitate: nimirum vt ſecundum iuſtitiam & æquitatem ſuam, mundi faciat iudicium, ac pro electis ſententiam ferat aduerſus principem mundi huius: eo verò condemnato, ac foras eiecto, genus humanum antè ſub miſera captiuitate oppreſſum, reſpiret iam in libertate & ſpe filiorum Dei. 3. Veniat tempus in quo montes excelſi Apoſtoli tui atq; Apoſtolici viri, fidei plenitudine & primitijs ſpiritus ſublimes, à te pacem ſuſcipiant pro populo tuo, quò Euangelium verę pacis à te accipiant annunciandum toti orbi terrarum: * quo etiam Eccleſiæ omnes in altitudine fidei ad modum collium fundatæ, ſub Apoſtolicis montibus, per horum prædicationem ſuſcipiant veram quę ex fide eſt, iuſtitiam, non Iudæis peculiarem, ſed toti orbi communem. 4. Neq; verò mirũ, ſi tantopere deſideremus tui Meſsię aduentũ. Ipſe enim cum aduenerit, iudicium faciet pro pauperibus populi, id eſt, pro humilibus ſimplicibus & manſuetis, quos diabolicę auferet poteſtati: * filios quoq; pauperum, id eſt, filios hominum qui ſuam egeſtatem, paupertatẽ, & nuditatem humiliter agnoſcere voluerint, ipſe faciet ſaluos de manib⁹ inimicorum, ſub quibus tyrannide magna premebantur, liberabit eos * calumniatorem autem eorum, ſiue oppreſſorem atq; etiã accuſatorem diabolum, ſua virtute humiliabit. Hunc ſiquidem tyrannum, qui per calumniam, & violentiam ſibi nos ſubiecerat, debellabit, & deuincet rex pius & innocens, virtute ſua: condemnatũq; illum ac iudicatũ, foras eijciet, atq; de ſui regni faſtigio iniuſte vſurpato deturbabit. * Inſuper & peccatum, & mortem, & omne quod accuſare poterat, aut ius aliquod prætendere aduerſum genus humanum, ipſe humiliabit, auferet, ad nihilum rediget, tanquam agnus peccatũ auferendo, & tanquam leo mortem ſuperando. 5. Ipſe verò in regno ſuo abſque defectu permanebit, quandiu ſol iſte perſtabit in ſua ſubſiſtentia, ſimul & coram luna, vel in conſpectu lunæ: hoc eſt, cum luna, & quãdiu luna erit, in omnes generationes pòſt venturas, in omnia ſæcula ſæculorum. Nunquam enim neque ipſe, neq; regnum eius deficiet, neq; aliquando ab alio ſuperueniente ſuperabitur, aut alteri cedet imperpetuum: ſed erit poteſtas eius poteſtas æterna, quæ nunquã auferetur, & regnũ eius regnum ſtabile, quod imperpetuũ neq; deficiet, neq; commutabitur, neque deuoluetur ad regem alium. 6. Aduentus autem eius ad homines nequaquam erit vt cæterorum hominum, ſed nouus admodum & mirabilis, ſic tamen vt priorum patrum geſtis præfiguratus. Deſcendet

Roma. 5. *3 Suſcipiant montes pacem populo:*
** & colles iuſtitiam.*

4 Iudicabit pauperes populi:
** & ſaluos faciet filios pauperum:*

** & humiliabit calumniatorem.*

Ioan. 12.

Ioan. 1. Apoc. 5. *5 Et permanebit cum ſole & ante lunam, in generatione & generationem.*

Dani. 7. *6 Deſcendet ſicut pluuia in vellus:*

det ſiquidem de patris ſinu in vterum matris, ad eum modũ quo ros ſiue pluuia in vellus deſcendit: vt quemadmodũ abſque omni nocumento vellus implet, & rurſum abſq; nocumento inde egreditur aut exprimitur: ſic & ipſe in benedictæ ſuæ genitricis vterum (per quem mundo prodibit) abſq; vllo virginitatis nocumento, abſq; vlla virginalis clauſtri læſione, nõ viciato pudore virgineo, ſpiritus ſancti dulciſsima irroratione & efficaciſsima operatione illabetur: ac rurſum, vbi partus aduenerit, abſq; læſione itẽ egredietur, & prodibit in mũdum, id q̃ olim per Gedeonis vellus pluuia ſuperna miraculoſe impletũ, cognouimus præfiguratũ: * & quemadmodũ guttulæ pluuiales ſuper terrã ſtillantes, ingrediuntur eã & replent, abſq; vlla tamen terræ diuiſione vel ſciſsione, ita & ipſe deſuper veniet (operãte ſpiritu ſancto) in virgineũ vterum, nihil illaturus violentiæ pudori virgineo, neq; virginalibus clauſtris quicquã nociturus. 7. In diebus autẽ aduentus & regni eius exorietur iuſtitia per vniuerſum orbẽ, ſimul & pax copioſa: neq; defieient donec perſtabit luna, ſed in æternum permanebunt à tempore aduentus eius. Adueniente ſiquidẽ Chriſto, iuſtitia verã (quæ vix niſi apud pauciſsimos antè inueniebãtur in toto mundo, quando ſolũ in Iudæa notus erat Deus, cæteris gentib⁹ idololatriæ atq; alijs immanibus vicijs miſerrime ſeruientibus) Apoſtolorũ prædicatione publice annunciabitur per orbẽ vniuerſum, & efficientur fideles ac iuſti innumeri vera iuſtitia quæ corã Deo eſt, in fide Ieſu Chriſti: quã iuſtitiã neceſſario cõſequitur pax copioſa, non quidẽ illa quã mundus pacem iudicat, ſed pax vera quã mundus dare nõ poteſt, ſolus autẽ ſuis fidelibus eam Deus donat, atq; hæc iuſtitia ſimul & pax permanebũt in populo fideli, in ſancta Eccleſia, vſq; ad conſummationẽ ſæculi. Nunquã enim vel fidei iuſtitia, vel pax Chriſti ab Eccleſia in finem vſq; penitus deficiet. 8. Dominium autem & imperium eius erit latiſsimum. Extẽdetur ſiquidem à mari magno, vſq; ad mare magnũ ex altera parte oppoſitũ, per omnia regna mũdi intra hoc ſpaciũ cõprehenſa: * & à flumine magno Euphratis quod in oriente eſt, vſq; ad terminos orbis terrarũ: hoc eſt, ab oriente in occidentẽ, & per vniuerſum mundũ. Neq; enim iam tunc (vt olim) ſolum Iudeæ regnũ Deum ſuũ reputabit, ſed cunctas gentes ſuo regno cõtinebit. 9. Populi Aethiopum, qui longe in oriente habitant, eius regno & imperio ſe ſubmittentes, venient, & adorabunt eũ procidentes in terrã: * & qui antè inimici fuerãt, increduli atq; inobedientes, iam corã ipſo in maximę humilitatis proteſtationẽ, etiam terrã deoſculabuntur, cadent in facies ſuas ſuper terrã, vt videantur quaſi terrã lingere, ad exhibendũ illi maximam quam poſſunt reuerentiã. Qui enim antè increduli & inimici fuerant, poſt conuerſionẽ deuotione maxima adhærebunt illi. 10. Reges etiã regionum & ciuitatum opulentiſsimarũ (cuiuſmodi erat Tharſis) ſimul & inſulæ ditiſsimæ, in quibus eſt auri & cæterarũ precioſarum rerum copia, offerẽt munera regi Meſsiæ: * reges etiã Arabiæ & Saba, locorum opulentiſsimorum dona adferent Chriſto domino, in proteſtationẽ ſubiectionis & deuotionis erga ipſum: quomodo ſubditi dona, munera, atq; etiã annua tributa offerũt ijs quibus ſe agnoſcunt ſubiectos. 11. Deniq; ſeruient illi omnes reges orbis terrarũ vnà cum populis ſuis: & omnes gentes libenter ſe ſubmittent eius imperio. Exeuntib⁹ ſiquidem Apoſtolis in omnem terrã, & verbum ſalutis prædicantib⁹ vſq; ad extremum orbis terrarum, fides Chriſti per omnia regna dilatata eſt, plurimiq; reges & potentes ad Chriſtum ſunt cõuerſi cũ ſuis populis. Omnes autẽ (etiã qui increduli & rebelles permanſerũt) patris authoritate Chriſto ſunt, etiã ſecundũ humanitatẽ, ſubiecti: vtpote cui pater omnem dedit poteſtatẽ in cælo & in terra. 12. Idcirco autẽ cuncti ei libẽter ſeruiẽt, & eius ſe ſubmittẽt imperio, quoniã genus humanum, q̃ in magna paupertate atq; inopia premebatur iugo diabolicæ ſeruitutis, ab huius potẽtis tyrãnide & crudeliſsimo imperio liberauit, cõfringens iugum ſeruitutis eius, & genus humanum in libertate cõſtituens: * pauperẽ (inquã) talem liberauit, cui nullus erat præter Deũ adiutor, cui alius nemo in hac liberatione auxiliũ ferre poterat, niſi ſolus ipſe Meſsias. Neq; enim quiſquã erat hominum tã fortis, neq; vlla aliarum creaturarũ, quæ hominem potuiſſet de manibus principis tenebrarũ eripere, niſi ſolus iſte Meſsias noſter: qui aduenies

A

* *& ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Iudic. 6.

7 Orietur in diebus eius iuſtitia, & abun-
B *dantia pacis, donec auferatur luna.* Pſal. 75.

C

8 Et dominabitur à mari vſq; ad mare:
** & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarũ.* Roma. 3. Ioan. 14.

9 Coram illo procident Æthiopes:
** & inimici eius terram lingent.*

10 Reges Tharſis & inſulæ munera offerẽt:
** reges Arabum & Saba dona adducent.*

11 Et adorabunt eum
D *omnes reges, omnes gentes ſeruient ei.* Pſal. 18.

12 Quia liberabit pauperem à potente:

** & pauperem cui non erat adiutor.* Matt. 28.

Universidad de Deusto Biblioteca

Lucæ 11. 13 *Parcet pauperi & inopi:*

* *& animas pauperum saluas faciet.*

Lucæ.1. 14 *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum:*

Matth.9. Matth.2. Lucæ. 19. Lucæ.7. Lucæ. 8. * *& honorabile nomen eorum coram illo.*

Rom. 8. 15 *Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ:*

* *& adorabunt de ipso*

Ioan.4. *semper, tota die benedicent ei.*

16 *Erit firmamentum in terra in summis mõtium:*

* *superextolletur super Libanum fructus eius:*

* *& florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.*

17 *Sit nomen eius benedictum in sæcula:*

* *ante solem permanet nomen eius.*

Ioan.1. 18 *Et benedicentur in ipso omnes tribꝰ terræ:*

* *omnes gentes magnificabunt eum.*

19 *Benedictus dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.*

20 *Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum.*

aduenies in hunc mundum, fortem armatum diabolum, suũ atrium E
custodientẽ, fortior ipse superueniens alligauit, sicque vasa captiuitatis illi diripuit. 13. Neque verò cum iam suæ ditioni subiecerit genus humanũ, & à diaboli manu eripuerit, ipse crudeliter aget cum populo suo, aut tyrannidẽ in eos exercebit: sed mansuete aget cũ omnibꝰ pauperibus, & humilibus qui suam paupertatem & inopiã in humilitate voluerint cõfiteri: gratiose cũ illis aget, debita relaxãdo, & bonorum omnium abundantiã eis misericorditer largiendo, ita vt illis nihil desit: * animas pauperum atq; humilium faciet saluas ab omni malo & peccato, à morte, à diaboli potestate, in viram æternã, superbos tamẽ, & eos qui se diuites existimãt, relicturus in sua miseria vacuos à salute. 14. Horum autem pauperum & humilium animas pleraſq; liberabit ex peccatis patentibus & manifestis, velut ab vsura & alijs vitijs. Ex sordibus enim peccatorũ, per pœnitentiã plurimos perducet ad iustitiã: quemadmodum telonarium Matthæum, & publicanum Zachæum, peccatricemque illã famosam, atque consimiles, Siquidẽ nõ veniet vocare iustos, sed peccatores ad pœnitẽ- F
tiam: * & postquã illos iustos fecerit per pœnitentiam ad se cõuerti, nõ eos habebit quasi vilia mancipia, non contemnet, nõ paruipendet eos, quemadmodũ solent homines cõtemnere eos quos de captiuitate emerunt: sed erit nomen eorũ honorabile coram illo, erunt ipsi sic cõuersi Christo admodũ chari & specialiter dilecti, & erunt apud eũ magno & honorabili loco, erũt in bona æstimatione, & in multo precio in conspectu eius. Siquidẽ vt filios habiturus est eos, atque vt fratres & cohæredes, suæque mensæ conuiuas, & sui regni cõsortes. 15. Et viuet ipse in æternũ, virebitque in flore regni sui, & offerentur ei huius mundi preciosissima quæq;, nimirum aurum Arabiæ nobilissimũ, & quicquid est electũ, illi tanquam summo & supremo omnium domino offeretur: * & adorabunt ipsum omni tẽpore cultores eius, in spiritu & veritate: iugiter illi dabunt laudẽ & cõfessionem in sempiternum. 16. Eritq; tum temporis, regnãte Messia, super terram firmamentũ, solidumq; sustentamentũ Euangelicę doctrinę & spiritualis gratiæ, in summis montiũ, in altissimis montibꝰ, quos Messias G
illuminabit ad eum modũ quo sol corporalis illuminare solet vertices montiũ: id est, in summis illis viris sanctis Apostolis, eorumq; veris ex Deo successoribus, quorũ mentes suę illustrationis radio illuminabit, vt sufficiãt toti orbi illuminãdo & erudiẽdo. In his erit soliditas salutaris doctrinæ, super quã firmi & immobiles stare debebunt oẽs fideles, & in qua cõfirmabuntur, atq; solidabuntur, vt non deficiãt: * huius autẽ salutaris firmamẽti fructus quẽ proferet, maximus erit, & superexcresceret, atq; supereffereturquasi super altitudinẽ Libani, altior Libano fructꝰ erit quẽ proferet. Maxime enim fructificabit in fidelibus verbũ Dei, & mirabiliter magnificabitur atq; exaltabitur: neq; poterit tã electas & excelsas cedros pferre Libanus, q̃ montes isti sublimẽ proferent fructũ, verbo Euãgelii: * & ex fœcunditate eius efflorebũt in fide & virtutibꝰ fideles plurimi de ciuitate, de populo Dei in Ecclesia sancta, quemadmodũ viresciť gramen sup terrã: * In tanta quoq; multitudine (vt ita loquamur) exurgent & re- H
uiuiscent per fidẽ, qui antè nõ erant per infidelitatẽ: quomodo gramẽ è terra, infinita multitudine exoritur, & in vitã cõsurgit, de terra. 17. Nomen huius glorioſi regis nostri Messię, sit benedictũ, atq; laudetur in omnia sæcula: * neq; enim recens ipse est Deus, neq; esse tũ primum incipiet, cum in mundum saluator nobis aduenerit: sed in principio erat apud Deũ, ab æterno erat apud patrem, Deus in Deo, Dei filius antequã sol aut luna aut cælũ aut vlla creatura fuisset cõdita. 18. Et cõsequentur in ipso benedictionẽ optimã hæreditatis cęlestis, vitæ æternæ, omnes populi gentium: absq; personarũ acceptione, per eum accipiẽt salutem omnes quicunq; in ipsum crediderint: * & pro tanto tamq; vniuersali, mundo toti allato beneficio, omnes populi glorificabunt & laudabunt eum in sæcula. 19. Benedicatur, laudetur, glorificetur Dominus Deus populi sui fidelis, qui solus Diuina sua omnipotentia facit opera vere miranda, qui pro electo populo suo, sicut ab æterno præordinauit, ita in tempore perfecit incõprehensibilia salutis opera. 20. Et nomen gloriæ eius plenũ maiestate & reuerentia, omnibus tremendum atq; adorandum, sit benedi-

ctum

A * *& replebitur maiestate eius omnis terra: fiat fiat.*

ctum in sæcula: * & replebitur maiestate atque magnificentia gloriæ eius vniuersus orbis terrarum, & omnes habitantes in eo: ita fiat, ita fiat: ita cupimus euenire, votis omnibus ista impleri optamus: quãdoquidem hic est totius nostri desiderij finis, tota est summa salutis nostræ, quam desideramus, quam expectauerunt omnes patres nostri, & nos totis viribus concupiscimus.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXI.

DIcendum priore loco occurrit, quid sibi velit quod in titulo huic Psalmo, præter aliorum cõsuetudinem præmittitur, In Salomonem: in fine verò Psalmi ascribitur, Defecerunt laudes siue hymni Dauid filij Iesse, aut (vt ex Hebræo vertit Hieronymus) Completæ sunt orationes Dauid filij Iesse. Quãtum quidem ad prius attinet, de titulo in Salomonem, videtur Dauid pater hunc Psalmum cõposuisse, futurum prosperum statum regni Salomonis filij sui Prophetico spiritu præuidens, atq; etiam (quod maioris erat illuminationis) venturum Christi regnum, eiusque magnificentiam, spiritu sancto illustrante prægnoscẽs. Contemplabatur enim in regno Salomonis regnum Christi, tanquã
B in signo signatum, tãquam in typo veritatem, atque in vmbrã imaginem: quemadmodum reuera nõ aliud regnum Salomonis fuit, quã vmbra & typus regni veri illius regis pacifici, quem Esaias princi- Esaiæ 9.
pem pacis appellauit. In Salomonem ergo typicum & figurale regnum eius, hic Psalmus minus principaliter respicit: & videntur nonnulla eorum quæ in hoc Psalmo dicuntur, in hunc Salomonem cõpetere, cuiusmodi est illud versu septimo: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Item de muneribus à gentibus & regibus opulentis allatis. In verum autem Salomonem (qui est Christus Iesus) & in æternum regnum eius, primario atque finaliter tendunt quæ in hoc Psalmo dicuntur omnia. Neque cum veritate fieri potest, vt temporali Salomoni omnia huius Psalmi applicentur. Quomodo enim verum erit de Salomone priore illo typico, quod quinto versu dicitur, Et permanebit cum sole: & ante lunã in generatione & generationem? Nónne mortuus est ipse, sicut omnes patres eius? Item quod versu 7. dicitur, Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, cum adiectione, donec auferatur luna, quomodo verum est? Nónne simul cum ipso pax interijt, cùm statim sub Ro- 3. Reg. 11.
boan eius filio se separarent decem tribus à domo Dauid, sequentes Hieroboam: Imò viuente adhuc Salomone, pax eius temporalis non minimum conturbata est, Suscitauit enim illi dominus in senectute per mulieres alienigenas deprauato, atque in idololatriam pertracto, aduersarios plures: Adad videlicet Idumęum, de semine regio, & Razon, filium Eliada, ac Hieroboam Euphratęum filium Na
C bat. Quomodo ergo permansit pacis abundantia sub Salomone, donec auferetur luna? Rursum & il- Ibidem.
la quæ dicuntur versu 17. & 18. Ante solem permanet nomen eius, vel (vt ex Hebræo vertit Hieronymus) vltra solem permanet nomen eius, Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, quomodo non manifestissime ad Christum pertinent, in quo (vt Apostolus ait) benedictio data est omnibus gentibus? Recte ergo in Salomonem hic Psalmus inscribitur, sed principaliter in verum Salomonem, Mes- Galat. 3.
siam dominum. Beatus verò Hieronymus ex Hebræo nõ vertit, in Salomonem, sed simpliciter, Salomoni, quomodo in alijs psalmis pręponi solet Dauidi. Quamobrem arbitrantur nonnulli hunc Psalmum à Salomone fuisse cõpositum pro seipso depreeante, & de seipso vaticinante, simul & de gloria Messiæ, cuius intellexit suum regnum esse typum & figuram. Nihil tamen obest, quin illud, Salomoni, ita accipiamus, vt valeat in Salomonem, vel de Salomone, vel pro Salomone. Neque ob hoc necessarium fuerit fateri, ipsum Salomonem esse Psalmi authorem. Quantum verò ad id quod post huius Psalmi finem subijcitur, Defecerunt Psalmi vel hymni Dauid filij Iesse, manifestum est, non hoc ita debere accipi, quasi nulli omnino Psalmi post hunc secundum ordinem positi sint attribuendi Dauidi. Siquidem apertum est, multos adhuc Psalmos in sequentibus poni, quos nemo negare poterit esse Dauidis: cuiusmodi est Psalmus 109. quem in Euãgelio Christus dominus affirmat esse Dauidis: Psal. 109.
D cùm apud Matthæum Pharisæis loquens, ait, Nónne Dauid in spiritu vocat Christum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorum? Non ergo ita hæc clausula accipienda est, quasi inter Psalmos Dauid hic vltimus sit: sed quia (iuxta quorundam sententiã) aliquot post sequuturi, ipsius Dauid non sunt. Plures enim eorum qui sequuntur, inscribuntur ipsi Asaph, neque id quidem simul cum nomine Dauid, vt in alijs quibusdã, vt cùm diceretur, Psalmus Dauid, in finem, pro filijs Core, vel absque nomine Dauidis, In finem pro filijs Core, sed simpliciter absque additamento, Psalmus Asaph: quos sane Psalmos ita inscriptos alie no nomine arbitrantur quidam nõ esse Dauidis: atque ideo dictum hic esse, quòd defecerunt laudes Dauid, quoniã aliquot sequentes continuo ordine illius non sint. Alij verò, & nostro iudicio rectius ita accipiunt, quòd materia huius Psalmi, finis sit quem in omnibus suis Psalmis Dauid cõcupierat. Omnium enim Psalmorum ipsius finis erat Messias, & regnum eius: quemadmodum Paulus Aposto- Rom. 10.
lus ait, Finis legis Christus, ad iustitiam omni credẽti. In hoc ergo Psalmo defecerunt Psalmi Dauid, quoniam totam summam Psalmorum hic aperte complexus fuerat, & finem omnium proposuerat, apertissime & gloriosissime descripto rege Messia, & regno eius. Omnes enim Psalmi Dauidis, hoc vnico quasi complentur, absoluuntur, finiuntur. Tendunt enim ad Christum hic clarissime descriptum, secundum ea, propter quæ expectabatur. Atque ad hanc sententiam, aliquanto aptius quadraret, quod ex Hebræo vertit Hieronymus, Completi sunt, vel finiti sunt hymni Dauid, quoniam totam plenitudinem & finem iam enarrauerat. Atque hanc sententiam in annotatione, Felix ita expo-

nit, Quomodo (inquit) finitæ sunt orationes Dauid, si corporis redemptionem, non autem animæ, dum hæc diceret, præuidebat? videbat enim venturum Messiam, redempturumque omnes animas, atque eicaturum dæmonem extra hunc orbem, & ianuam cælorum aperturum, cuius orationes nil aliud postulabant Hæc Felix. Forsitan verò etiam sic responderi posset, Psalmum hunc vltimum fuisse eorum quos Dauid composuit, tametsi secundum ordinem localem non inueniatur vltimus: ita cõfectus senio Dauid hunc cecinisse dicatur in diebus nouissimæ senectutis, & forte filio suo Salomone iam in regnum introducto: quemadmodum legimus primo cap. 3. lib. Regum, vt tunc intelligatur hanc habuisse reuelationem: partim quidem de pace & gloria regni filij sui, iã in regnum introducti, potissimum verò de futuro rege Messia & glorioso regno eius. Quod autem secundo loco dictum est, amplorem habet certitudinem, vel certè verisimilitudinem. ¶ Versu. 1. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuã filio regis. Idem est, qui rex vocatur, & qui regis filius, siue Salomonem typicum, siue Salomonem verum spectemus. Nam prior Dauidis regis filius & in regno successor fuit, Christus verò dominus, patris sui regis æterni filius, & rex ipse fuit. Vnde in Apocalypsi eius Ioannes in eius fœmore scriptum legit, Rex regum, & dominus dominantium. Sic enim rex est, & regis filius, quomodo & Deus est & Dei filius, Dominus & domini filius. Et insuper filius regis Dauid quatenus (iuxta Apostolum) de semine Dauid secundum carnem factus est. ¶ Versu. 3. Suscipiant montes pacem populo. Montes, Apostolos & Apostolicos viros intelleximus, quorum cacumina & montes sua illustratione primum Deus illuminat, vt deinde lumen ad alios humiliores fundant: quemadmodum sol cùm exoritur, primi sui luminis radios in vertices montium effundit, à quibus mox in colles & valles resilit susceptu luminis splendor. Ita sane mõtes isti pacem susceperunt à Christo, qui illis prædicandum dedit Euangelium pacis, sed non sibi tantum susceperunt (quanquam sibi primum, ipso dicente, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: &, In me pacem habebitis) verumetiam vniuerso orbi. Atque hoc est quod non simpliciter dicitur, Suscipiant montes pacem: sed adijcitur, ipsi populo, Nam populo casus datiui est, secundum æquisitionis vim, rectus à verbo suscipiant: quoniam vtilitas significatur toti populo. Id quod etiam angelus dominicæ natiuitatis nocte pastoribus apparens, suo beato nuntio prædicauit, dicens: Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator. Colles autem recte Ecclesias intelligimus, Apostolica prædicatione fundatas, altas quidem & sublimes fide susceptа ab Apostolis, qui tamen vt montes supereminent, præcellentia authoritatis & dignitatis, tanquam Ecclesiarum post Christum progenitores & capita, quomodo montes subiacentibus collibus præeminent ¶ Versu. 4. Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. De iudicio pauperum, pluribus in locis prophetauit Esaias: non in atim capitulo vndecimo, vbi sic ait, Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Quod autem sequitur, Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium: illi respondet quod in præsenti loco mox subditur, Et humiliabit calumniatorem. Et cap. 14. sic habet, Pascentur primogeniti pauperum (sancti videlicet Apostoli, primitias spiritus habentes & quasi inter cæteros Christi fideles primogeniti) & pauperes fiducialiter requiescent, cæteri videlicet omnes priorum prædicatione fideles facti. De calumniatore autem subditur, Et interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam, Licet autem calumniatorem peculiariter exposuerimus diabolum (Nemo siquidem generi humano tam calumniator & malignator est) potest tamen etiam ad omnes impios extendi, quales fuere potentes atque sapientes sæculi: quos humiliabit Deus, quando iuxta verbum Prophetę, perdet sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabit: & quando potentes (vt Sapiens ait) potenter tormenta patientur Verum hi, vt membra in corpore, siue sub capite, facile in diabolo comprehenduntur ¶ Versu. 5. Et permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem. Græce est συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ, id est, (vt ita dicam) compermanebit soli, hoc est, simul manebit cum sole. Quod secundum literam intellectum de sole corporali, significat æternitatem & indeficientiam regis Messiæ. Illud verò, ante lunam, in Elucidatione exposuimus, in conspectu lunæ, vel coram luna, vel dum perseuerabit luna, quemadmodum ex Hebræo vertit Felix. Quod si prępositio acciperetur, vt nota prioritatis & præexistentię Christi ante lunam, significaretur Christũ à parte priori ęternitas: sicut eandem à parte posteriori, per illam priorem particulam permanebit cum sole, diximus significari: esset enim hic sensus, Permanebit Messias cum sole, quemadmodum & fuit ante lunam, atque omnem creaturam, ab æterno à patre secundum diuinitatem procedens. Et huic sensui magis fauere videtur Græca lectio quæ habet πρὸ τῆς σελήνης, id est, ante lunam: non, in conspectu lunæ. Nam in cõspectu apud Græcos dici solet ἐνώπιον vel ἔμπροσθεν vel ἐν προσώπῳ, quorum nullũ hic habetur, sed simplex præpositio significans ante: nisi etiã ipsam accipiamus improprie, pro cora. Sic enim idem esset, quod in conspectu lunæ. Alij verò prædictum versum exponunt secundum mysticam intelligentiã, Permanebit Christus, humiliato calumniatore & superato diabolo, cum patre suo in dextera eius residens. Ipse autẽ est verus sol, perpetuum splendorem de se diffundens, radium videlicet consubstantialẽ, qui est filius: & ardorem, qui est spiritus sanctus. Permanebit quoq; ante lunã, id est ante Ecclesia, tanqua caput, rector & viuificator ipsius: quẽadmodum Paulus ad Ephesios scribit, quòd ipsum Deus pater caput dederit super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius. ¶ Versu. 6. Descendet sicut pluuia in vellus. De humanatione Christi intra virgineum vterum, In Elucidatione hic versus expositus est, De vellere autem cùm dicit, videtur ad illud Gedeonis vellus nõ absque mysterio respexisse, quod in futuræ signum victoriæ primum quidem rore impletum fuit, tota terra per circuitum manente arida: sed deinde conuerso ordine, tota terra per circuitum fuit humectata, solo vellere in sua ficci-

1.Reg.1.

Apoc.19.

Rom.1.

Ioan.14. Ioan.16.

Luc. 2.

Esaiæ 11.

Esaiæ 14. Rom.8.

1.Cor.1. Sap. 6.

Ephe.1.

Iudit.6.

A ficcitate permanente. In quo, per mysterium intelligunt quidã, id quod multopost in aduentu Christi impletum fuit, quando primum in virginis vterum descendens, atq; ita mundo prodiens, ad solos Iudæos venit, eisq; salutis verbũ prædicauit, cæteris per orbem nationibus in ariditate relictis, quãdo dicebat, Non sum missus nisi ad oues quę perierunt domus Israël. Et apostolis præcipiebat, ne in viam gentium abirent. Postmodũ verò, vbi ascendisset in cælum, descendit secundo per spiritus sui missionem, in modum guttularum stillantium super terrã, per infusionem gratiæ suæ in corda fidelium, ac tum quidẽ omnis terrarũ orbis pluuiæ huius salutaris factus est particeps, sola Iudæa remanente arida, & obstinata in incredulitate sua. Nostræ autẽ expositioni in elucidatione positæ, de descẽsu Christi in vterũ virginis, aperte suffragatur dulcissima antiphona illa, quæ in die sacræ circunc Matth. 15. Matt. 10.
cisionis suauissime canitur, Quando natus es ineffabiliter ex virgine, tunc impletę sunt scripturæ: sicut pluuia in vellus descendisti, vt saluũ faceres genus humanum, te laudamus Deus noster. ¶ Versu 7. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna. Quomodo in diebus Messiæ orta sit iustitia, nemini incognitum est, & in Elucidatione satis aperte monstratur. De pacis autẽ abundantia, forte quis dubitet, ex eo quod Saluator ipse ait in Euãgelio, Nolite arbitrari, quia pacẽ venerim mittere in terrã, Non enim veni pacẽ mittere, sed gladium. Sed manifestum est, aliã esse pacem quæ abundanter in diebus Messiæ exorta est, ab ea quã idem se dicit auferre. Hæc enim tẽporalis est, & pax mundi. Illa verò pax est cordis, pax cælestis, pax Dei. Inter quam duplicem pacem, manifestam ponit distinctionẽ Saluator, cùm in cœna nouissima ait iamiam relinquendis discipulis atque in eis posteris omnibus per eos credituris. Pacẽ (inquit) relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Et iterum, Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacẽ habeatis. In mundo pressurã habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Hæc autem est pax bona, de qua Paulus loquitur, dicens: Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras, in Christo Iesu. Et Propheta alius, Non est pax impijs, dicit dominus. Licet autem verum sit, fuisse in tẽpore natiuitatis Christi abundantiam pacis temporalis, orbe toto sub imperio Octauiani Augusti à præliorum strepitu quiescente, manifestum est tamen in textu de hoc non fieri sermonẽ: nisi fortè aliquo modo, quatenus pax ista temporalis in qua nascebatur Christus, signum erat verę pacis, quam ipse afferebat mundo. De tẽporali autẽ pace principaliter non fieri mentionem, est manifestum, primum, quia pax illa in diebus Christi non est exorta, sed annis aliquot ante Christi aduẽtum cœperat. Incœpit enim circa finẽ imperij Iulij Cæsaris, post quem in pace multa regnauit Octauianus Augustus, cuius anno decimo octauo natus est Christus. Deinde, neq; stabilis ista pax fuit neque perdurat donec auferatur luna: quandoquidẽ paulò post Christi mortem pax illa temporalis grauissime turbari cœpit. Euidens ergo & certum est, de pace altera vera, fieri sermonem. Et rectè quidem, de C hac pace loquẽs præmittit iustitiam, bono ordine demum subiungens pacem, Orietur (inquit) in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: vt hoc ordine, quasi radicem insinuet veræ pacis, quæ nimirum est iustitia. Quẽadmodum enim nemini impio pax ista esse potest, ita profecto non potest eadẽ non esse homini cuilibet iusto. Consequitur enim iustitiam. Vnde & Paulus Apostolus in exordio epistolarum penè omnium hoc deprehenditur obseruasse, vt discipulis gratiam & pacem ante omnia fuerit precatus: iuxta prædictum ordinem semper gratiam præmittens, per quam est homini à Deo sua iustitia, ac deinde pacem subnectens. Hanc autem iustitiã & abundantiam pacis, in electis & in Ecclesia sancta permansuram vsq; in finẽ sæculi, nemo verè fidelis dubitat, nec in illa quidem vltima & grauissima Antichristi persequutione, quæ nec ipsa pacem à Deo relictã firmatis fidelibus poterit eripere, quantumuis mũdus omnia miscuerit inauditis tumultibus. ¶ Sed quærat aliquis, quid sibi vult quod dicitur, Donec auferatur luna? An luna aliquando auferetur? Imo potius in æternum perstitura creditur, neq; aliquando auferẽda. Sed intelligendum est hoc secundum eum statum in quo nunc est, mutabili videlicet & imperfecto lumine. Nunc enim donec seruit homini, varium habet & instabile lumẽ, nunc plena, nunc dimidia, nunc crescens, nunc decrescens, nunc hac parte tantum, nunc illa tantũ lumen à sole suscipiẽs, iuxta quod varijs modis soli obijcitur: interdũ verò penitus luminis eclypsim siue defectum patiens. In resurrectione autẽ & consummatione sæculi, quando cessabit homini ministrare, quasi pro mercede laboris accipiet nouam gloriã, & in melius reformabitur, ab omni motu D & instabilitate Dei voluntare liberãda. Ac tunc quidẽ auferetur, non secundum subsistentiã, sed secũdum imperfectionẽ: quomodo cælum & terra (iuxta Saluatoris verba) transibunt, non secundũ substantiam, sed secundum qualitatẽ: quoniam ad statum perfectiorem redigentur. Erit enim tunc luna Luc. 1.
tota plene illuminata à sole ex omnibus partibus idq; lumine multo lucidiore: & suã hanc plenitudinẽ ita seruabit abq; mutatione imperpetuum. De cuiusmodi luna in alio Psalmo dicitur, Sicut luna Psal. 88.
perfecta in æternum. Donec ergo auferatur luna, id est, vsq; in sæculi consummationem, quando secundum prædictum modum auferetur mutabilis luna. Aut intelligatur secundum negationẽ dictum esse, donec auferatur luna: quia nunquam est auferẽda, & ideo imperpetuum est pax illa permansura. Quemadmodum si quis dicat, Non excident sancti Dei à gloria, donec deficiat ipse Deus, non aliud sibi hæc volet oratio, quàm sanctos nunquam priuãdos gloria, vt Deus nunquam deficiet à sua subsistentia. ¶ Versu 8. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, In Elucidatione generaliter exposuimus, à mari vsque ad mare oppositum, ad significandum vniuersale dominium Christi super omnẽ terram intra terminos istos contentã: quod aliqui specialius exponunt, à mari Indico vsque ad Gaditanum, Hæc enim sibi ex oppositio sunt. Alij intelligunt à mari rubro vsque ad mare Palestinæ. Alij dicunt, à mari salso vsque ad mare magnum. Atque ita solum intelligunt hac prima parte versus totam terram Iudæorum, quæ his terminis comprehenditur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In alteram autem partem, scilicet à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, intelligunt totam terram gentium, à flumine scilicet Euphratis, vsque ad terminos orbis. Quanquam hoc flumen, alij Iordanem intelligunt, alij Nilum. In omnibus autem his conuenientia est, quod significatur vniuersalitas dominij Christi, qui morte deuicta, etiam secundum humanitatem factus est dominator super omnem terram Iudæorum pariter & gentium. Paraph. Chald. sic habet, Et dominabitur ab angulo maris magni & Euphrate vsque ad fines terræ. Quod nostræ expositioni in Elucidatione positæ aptè quadrat. ¶ Versu 15. Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper. Difficultatem nonnullam facit additio particulæ huius, de ipso: quam in Elucidatione visi sumus præterire. Simplicissimum erit, si improprio loquendi modo accipiatur, Adorabunt de ipso, pro adorabunt ipsum: Alij verò sic intelligunt, De ipso auro Arabiæ adorabunt semper, quia cum illo adorabunt, vel in oblatione pretiosi muneris adorabunt. Non enim adorabunt vacui, cùm adorabunt dominú: neque de nihilo, vel sine vllo munere adorabunt, sed cum pretioso munere, siue corporali, siue potius spirituali. Nam cordis deuotio, & pia erga Deum affectio, aurum est longe optimum, de quo Deus vult adorari. Alij probabilius arbitrantur, relatiuum ipso referre Christum dominum, hoc mo-
Ioan.4. do, Et viuet Messias, & adorabunt de ipso rege Messia semper, Dicunt autem fideles adorare de ipso semper, vel quia ab eo habent quod Deum adorare sciunt in spiritu & veritate. Ipse enim nos orare
Matth.6. & adorare docuit, & debito cultu Deum venerari, suoque exemplo nos hac in re informauit. Vnde
Luc.11. & forma orationis Dominicæ, quæ in ore est omnium fidelium, de ipsius est magisterio: quemadmodum sacra testantur Matthæi & Lucæ Euangelia, Propter quod, in Missæ sanctissimo sacrificio, orationem hanc Deo prolaturus Sacerdos, præmittit, dicens: Præceptis salutaribus moniti, & Diuina in-
Rom.8. stitutione formati, audemus dicere. Vel quia ipse dat, vt oremus. Siquidem fides, & quicquid ex fide operamur, illius sunt dona. Ipse quoque spiritus qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,
Ephes.2. ipsius est donum. Vel de ipso, quia per ipsum. Vnde quoties patrē cælestem accedimus, adorandi gratia, per ipsum accedimus. Nam (vt Paulus Apostolus ait) per ipsum habemus accessum ad patrem. Ex Hebræo vertit Hieronymus, Orabunt de eo iugiter. Quod sic potest intelligi, Fideles iugiter de eo adorabunt, vt possint ipsius esse, & ipsi incorporari, ipsumque semper & habere & tenere, & in eo permanere. Ad eandem sententiam reduci potest, quod vertunt alij, Orabunt pro eo. Alij dicunt orare de Christo, vel pro Christo, cùm pro ipsius membris qui sunt fideles, aut corpore quod est Eccle-
Ioan.15. & 16. sia, fit oratio. Sunt qui vertunt, Orabunt per eum iugiter: quod faciunt fideles, dum per Christum patri supplicant, iuxta illud, Si quid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Alij, Orabunt coram eo, vel ante eum iugiter. Et hoc manifestum est. Ex omnibus his eligat quisque, quod sibi maxi-
Titum 1. me arridebit. Nam in Elucidatione nullius horum meminimus. ¶ Versu. 16. Erit firmamentum in terra, in summis montium. Firmamentum istud Elucidatio dicit soliditatem Euangelicæ doctrinæ, quæ firmissima fundatissima atque certissima est, nimirum à prima veritate (quæ mentiri non po-
Psal.104. test) deriuata. Potest etiam accipi firmamentum pro pane, quomodo in Psalmo dicitur, Et omne firma-
Psal.103. mentum panis contriuit: eo quòd panis (iuxta alterius Psalmi sententiam) confirmat cor hominis. Atque ita per firmamentum istud panis, intelligimus panem verbi Dei, idem videlicet quod suprà per firmamentum. Euangelica namque doctrina verbum Dei est, & panis animarum, quo reficiuntur, nutriuntur, confirmantur, atque solidantur in bona corda fidelium. De hoc autem versu annotationem notabilem require in annotationibus ex Hebræo. Item & circa versum sequentem, Ante solem permanet nomen eius.

LXXII. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste argumentum habet satis conueniens cum Psalmo trigesimosexto, cuius initium est, noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Vterque enim multa loquitur de prosperitate impiorum & aduersitate bonorum in sæculo præsenti: econtrario verò de fœlicitate bonorum & miseria malorum in sæculo venturo, vbi mirabiliter commutabuntur omnia. In hoc tamen est differētia, quod in Psalmo illo, Propheta in sua persona loquens, quasi perfectus, nō ipse conqueritur, sed imperfectos in via Dei (quos prosperitas impiorum forsitā commouere posset) alloquens, eosdem contra tentationem huiusmodi confirmat: per varias comparationes ostendens & demonstrans, prosperitatis illorum non durabilem statum: contra verò, bonorum fœlicitatem æternā. In hoc autem, quasi infirmorum & querulantium personam suscipiens, zelantium ratiocinationes & querelas ipse proponit, donec tandem circiter finem Psalmi, ad personam propriam rediens, sapienter murmurationem & tentationem infirmorum, Perfectionis responso, ex sua sententia dissoluit. Non enim arbitrandum est, Psalmistam in sua propria persona murmurationes eiusmodi, quales in hoc Psalmo apparent proferre: sed tandē velut ratiocinando obijcit, ex aliena sentētia, vt postmodum ex propria dissoluat quēadmodum facere solent, qui quæstiones disputabiles tractāt. In hoc ergo Psalmo, proposita initio firma conclusione, de bonitate Dei erga suos electos, mox imperfectorum personā assumens, hāc propositā conclusionē multis versibus impugnat: quorum omnium in hoc summa est, quòd impij in hoc mundo florere, dominari, & absque vlla aduersitate in cunctis videntur prospere agere: dum pij interim varijs tribulationibus diuexantur. id quod cū Dei ergā res humanas prouidentia, non satis videtur secundum humanum tenue iudicium consistere. Et hæc quidem vsque ad versum decimūquintum. Vbi rursum ad oppositā partem pro veritate argumentās, prædictas ratiocinationes imperfectorum elidit: absurdum reputans, si vniuersa natio electorum condemnetur, & velut stulta ac vana iudicetur: quod sanè inconueniens statum consequitur eum qui se frustra & vane Deo seruaturē dixerit, eo quod tēporalia mala sustinet. Est enim hoc omnibus electis cōmune, vt persequutionem patiantur pro iu-

A *pro iustitia: & in hoc est eorum gloria. Deinde, considerare volens & perquirere hæc Dei occulta iudicia, videt se in sua consideratione deficere, nec posse huius occulti diuini consilij secretum comprehendere, donec ad sanctuarium Dei tādem pertingat, vbi nouissima tam iustorum quàm impiorum considerans, intelliget mirabili dispositione factum esse, vt impij in hoc sæculo bona, iusti verò mala reciperent. Vbi versibus duobus, impiorum damnationem & à pristina fœlicitate deiectionem describens, ac velut seipsum pro murmuratione & æmulatione ex imperfectorum forma assumpta increpans, amodo vt iumentum absque ratione existens, & suo domino absque iudicio in cunctis obediens, domino se submittit, vt eius manu deducatur, & in finem gloriosum tandem perducatur. Post hæc verò totus suprase raptus, & quasi in extasi positus, qui hactenus quasi conqueri visus fuit, ex alienæ personæ insipientia, propria iam sapientia totus in Deum transit, illum solum desiderans & præter illum aliud nihil siue in cælo siue in terra expectans: cui (mortis interitu comminato desertoribus) bonum iudicat, & decernit perpetuo adhærere, & spem totam in eo firmare, laudésque eius palàm omnibus celebrare. Sic qui per Psalmi decursum, quasi insipiens loqui visus fuerat, ad primi versus conclusionem rediens, sapientissima conclusione Psalmum finit, vt vix inueniatur Psalmus alius, qui tam ardenti charitatis flamma abrumpitur magis quàm finitur.*

SEPTVAGESIMISECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

B

1 *Quàm bonus Israël Deus: * his qui recto sunt corde.*

VErè bonus, suauis, dulcis, benignus, misericors, & beneficus est dominus Deus noster erga Israël populum suum, erga fideles atque electos suos: * erga eos nimi- Roma.9.
rum qui sunt recto corde, qui sunt verus Israël secundum spiritum, qui affectu syncero & puro corde super omnia Deo placere, & ipsius voluntatem implere satagunt, cunctas autem errorum & vitiorum tortuosas vias & curuitates studiosè declinant. 2. Attamen euenit nonnunquam hoc mihi, secundū sensus imperfectum iudicium iudicare volenti, vt pene à via recta mouerentur pedes mei, vt pene sese effunderent gressus mei ad recedendū à domino, & ambulandum vias peccatorum contigit aliquando, vt vacillare inciperem quantum ad inferiorem partem animæ, secundum carnis affectum, ac hæsitare, vellémne in via angusta permanere iustitiæ, aut in spaciosam impiorum abscedere. 3. Causa autem huius hæsitationis mihi vt sic imperfecto erat, ex eo quòd videns homines huius

2 *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.*

C

3 *Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.*

sæculi impios Deum non timentes, pacem temporalem habere, & omnibus bonis in hoc mundo affluere, nihilque aduersum habere, sed epulari, deliciari, & pro libito omnia agere, zelo commotus fui aduersum illos, intra memetipsum super hoc turbatus fui, velut indignans de eorum fœlicitate & pace tēporali: cùm ego in Dei seruitute, plurima mihi aduersa conspicerē euenire: atque ita commotus, secundum sensuale iudicium, quodammodo trahebar desiderio æmulandi illorū

4 *Quia non est respectus morti eorum:*

vias, vt simili fruerer fœlicitate. 4. Quoniam quidem non habent respectū siue considerationē in diem nouissimum mortis suæ, non recogitant de mortis exitu, nō respiciūt, neque ante oculos ponunt finem exitus sui, quēadmodū faciunt studentes iustitiæ: atque ita absque omni metu & timore liberè faciunt quicquid fuerit collibitum sensui, & sine timore delicijs perfruuntur, quantū valuerint: * & nō est firmamē-

* *& firmamentum in plaga eorum.*

tum, non est stabilitas in afflictione siue aduersitate eorū: & siquid aliquando illis occurrat afflictionis, non est stabilitas mali illius, statim 1. Tim.3.
possunt depellere suis diuitijs, sua potentia, sua malitia, siue astutia, Actu.14.
mox sciunt quomodo se liberent & expediant ab afflictione. 5. In labo-

D 5 *In labore hominum non sunt:*

ribus & molestijs quales perpeti solent homines iusti, non inueniūtur, sed extra omnem laborem & molestiam in quiete, atque delitijs otiose vitam degunt: * neque flagella aduersitatum & tribulationum sustinent, quemadmodum cæteri homines piè volētes in Deo viuere, quos oportet per multas tribulationes transire, & persequutionum flagella frequenter tolerare. Tam enim sunt feroces isti huius sæculi impij homines, tā sunt timore Dei postposito furibundi, vt nemo illis audeat sese opponere, nemo illos audeat contingere, vt omnibus sunt formidini, sicque nemo illis quicquā audeat mali inferre: cùm econtrario boni & pij passim opprimātur, derideantur, decipiantur & varijs modis affligantur à malis. 6. Et quoniam sic in perpetua prosperitate vident se vitam ducere, nihilque sibi aduersum obuenire, ob hoc superbia intumescunt & efferuntur intra sese, voluntque omnibus se præponere: * circundederunt se, & quasi vestimento operuerunt se iniquitate & impietate sua: quasi pro lorica induerunt, & pro armis assumpserunt sibi iniquitatem & impietatem suam. Est enim impiorum ini-

* *& cum hominibus non flagellabuntur.*

6 *Ideo tenuit eos superbia:*

* *operti sunt iniquitate & impietate sua.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

7 *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum:*
* *transierunt in affectum cordis.*

8 *Cogitauerunt & loquuti sunt nequitiam:*
* *iniquitatem in excelso loquuti sunt.*

9 *Posuerunt in cælum os suum:*
* *& lingua eorum trãsiuit in terra.*

10 *Ideo conuertetur populus meus hic:*

* *& dies pleni inueniẽtur in eis.*

11 *Et dixerũt, quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?*

Iob 22. 12 *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias.*

13 *Et dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum:*
* *& laui inter innocẽtes manus meas.*
14 *Et fui flagellatus tota die:*

quitas, quasi pro munimento illis, dum propter ferocitatẽ nemo illis audet resistere, & ipsi propter carentiã timoris Dei quidlibet alijs audent inferre, neq; Deum timentes, neque hominem. 7. Iniquitas quam ipsi operãtur, prodit in opus exterius, quasi ex adipe & pinguedine, ex crassa & impinguata in corde eorum malitia: foris operantur malum, quasi ex delectatione & proposito peccãtes, & in peccatis dulcedinem atque delectationem captantes: * eo tandem pertingunt, vt quicquid desiderare possint, aut corde cõcipere siue proponere, id audeant opere patrare, nulla habita ratione, siue virtutis siue honestatis: solis suis affectibus seruiunt, his tantũ obsequũtur, nihil cõsiderãtes aliud quicquid corde cõcipiunt, quicquid mente disponunt, audacter patrantes. 8. In cordibus iugiter versant nequitiam & malitiã, nouis adinuentionibus apud sese ingeniose ac solicite exquirentes, quomodo iustis nocere valeant: eandemque vt concipiunt corde, ita efferunt ore, cum suis similibus de huiusmodi sedulo pertractantes in suis cõciliabulis: * neque verò contra homines proximos suos tantum loquuntur iniquitatem, sed etiã in cælum extendunt linguas suas, blasphemiam & impietatẽ cõtra Deum loqui nõ formidãtes, eo φ nec homines, nec Deum timeãt. 9. Audent aduersus cæli habitatorẽ opponere os suum: & in sanctitatẽ eius tremendã non verentur soluere impias linguas suas, impie ac infideliter de Deo loquẽtes, aut aduersus Deũ, si quid nõ iuxta illorũ animũ cõtingit, blasphemãtes: * & quẽadmodum cõtra Deum male loquũtur in cælo residentem, sic multo facilius linguã suã laxant inhabitãtes super terrã, vt aduersus illos iniquitatẽ loquantur, mẽdacia, calumnias, detractiones, cõuicia, fraudes, hisq; maiora. Qui enim Deum cæli potentissimũ nõ metuunt, vt in illũ audeãt aperire ora impudentia: quomodo non imbecilles proximos, quibus sunt potentia sæculi superiores, audebunt impias soluere linguas? 10. Propter ista populus pius (de quorũ numero & ego esse cupio, atq; ob hoc me illis cõnumero) hic cõuertetur: in hac consideratione sistet gradũ, & quasi vacillare incipiet, & quodãmodo moueri à proposito iustitiæ: in harum scilicet rerũ cõsideratione sistunt gradũ, quasi cum admiratione, tantã impiorum fœlicitatẽ fixius cõtemplãtes, & velut cum quadã dubitatione hęsitãtes, num in via iustitiæ pergere debeãt, an illis sese velint assimilare: * & cum se cõuertet populus pius, aliud etiã cõsiderat quod grauat afflictionẽ, nẽpe φ dies pleni inueniũtur in impijs, & impiorum prosperitate, φ vident impios vitã lõgam in sua prosperitate ducere, & vsque in multã senectã viuere, nihilque aduersum perpeti. Quod quidẽ mirum in modum prædictã aggrauat piorum tentationem. 11. Et dixerunt intra sese, hanc tantã fœlicitatem malorum considerãtes boni velut in vacillatione & quodam scandalo positi, apud sese ratiocinantes ac sibi obiicientes, Quomodo fieri potest aut credi, vt Deus scientiã habeat earum rerum quæ hic aguntur in terris? & quomodo potest esse apud Deum, qui in excelso habitat, cognitio harum rerum quæ hic in terris aguntur? Quomodo nõ magis videtur, Deum res nostras vel ignorare, vel nõ curare? Quomodo nõ magis videtur ipse circa cæli perambulare cardines, nec nostra cõsiderare? Non enim secundum humanã æstimationẽ videtur verisimile, Deum ista sic permissurũ, si eius sese prouidentia ad nos vsque extenderet. 12. Quomodo enim eius prouidentia hoc pateretur, vt impij homines huius sæculi abundent, & diuitias possideant, omnibusque diuitijs, delicijs, & quibuslibet temporarijs bonis affluant, pijs interim in egestate & paupertate multa vitam degẽtibus? Nónne si mundum regit, & humana curat Dei prouidẽtia, æquum magis videtur & rationabile, vt seruos suos nutriat, eisque bona sua tribuat, quàm alienis & perfidis contemptoribus? Quomodo ergo cum hac impiorum prosperitate, & bonorum aduersitate, stat Dei erga res humanas prouidentia? 13. Et dixi, horum assumpta persona, in hac æmulatione, tentatione, atque argumentatione progrediens, Si bonis male est, & malis ecõtrario bene, vanus ergo & stultus ego sum, qui studui cor meum iustum exhibere corã Deo, & in iustitia ac sanctitate vitam ducere mala cuncta fugiendo: & bona sedulo operãdo: idq; magno labore & studio: * itemque frustra conuersationem meam institui apud iustos & innocentes, illis me assimilando, illisque me iungendo, & impiorum prauam societatem fugiendo. 14. Frustra etiam & absque vtilitate iugiter afflictiones & flagella pertuli, partim quidem quæ ab alijs

* *& castigatio mea in matutinis.*

15 *Si dicebam, narrabo sic:*

* *ecce nationem filiorum tuorũ reprobaui.*

16 *Existimabam vt cognoscerem:*

* *hoc labor est ante me.*

17 *Donec intrem in sanctuarium Dei:*

* *& intelligam in nouissimis eorum.*

18 *Veruntamen propter dolos posuisti eis:*

* *deiecisti eos, dum alleuarentur.*

ab alijs illata propter iustitiã patiẽter sustinui, partim verò quæ amore iustitiæ ad propriæ carnis domationem, & malarũ affectionum repressionem ipse suscepi, castigans corpus meum, & in seruitutem redigẽs, ne à iustitia reprobus efficerer: * & frustra meipsum primo diluculo ante solis exortũ examinaui, dijudicaui, argui, reprehendi & castigaui: vane vtique & frustra egissem, sic diiudicando meipsum, & corripiendo per rigidam examinationem, cunctas operationes vitæ meæ, proq; commissis malis meipsum puniendo & affligendo per pœnitentiam, quoties errata deprehendissem: hæc, inquam, & similia, quibus sese occupant homines iusti, frustra & absque vtilitate videbor feciſſe. Nam si boni recipiunt mala, econtrario verò mali, bona: quomodo nõ maiori vtilitate vacassem iniquitati, & impijs fuissem assimilatus, vixissemque in delitijs, absque omni timore & castigatione? Nã si quidem bona recepissem, eum iustitia multo labore & afflictione inseruiẽs accipiã mala. 15. Cùm verò ista sic mecum animo voluerẽ, ex altera parte intra memetipsum, velut prædictis cogitationibus & ratiocinationibus respondens, dicebã, Si sic narrauero, si ita dixero, vt iã ante ex imperfectorum murmurantium consuetudine, velut cõquerendo de Dei iudicijs obieci, si eiusmodi ex corde meo protulero, si talia ex animi sententia pronunciauero: * ecce inconueniẽs offert se ex altera parte, maximum, nimirũ talibus dictis reprobatur, & velut condẽnatur vniuersa generatio filiorũ Dei: ecce qui talibus quærimonijs ex animi sententia vtitur, hoc ipso vniuersum populum electorũ Dei despicit, & velut stultum ac vanè agentem iudicat & condemnat. Cùm enim omnes qui piè volunt viuere Deo, persequutionem patiantur, & mala in præsenti multa suscipiant, per quæ illos oportet in regnum Dei intrare, in patientia possidentes animas suas, & gloriantes in tribulationibus, atque in huius mundi malis gaudentes: nónne manifeste vt stultos & vanè ista ferentes damnat & reprobat electos, qui se fruſtra putauerit aut dixerit seruire Deo, eo φ in præsenti mala recipiat? Est enim hoc illi cõmune cum omnibus electis Dei. Absurdissimum autem fuerit, totam filiorum Dei nationem reprobare. 16. Itaque inter vtrunque velut hæsitabundus consistens, habui consilium, vt ista Dei iudicia diligenter conspicerem: & sperabam diligenti consideratione posse assequi intelligentiam huius rei, quid videlicet sibi velleт, & quãobrem ita Deus disponeret, vt in hoc sæculo mali bona recipiant, boni verò ex opposito mala, cum id minime videatur secundũ humanam rationẽ conuenire: * sed cùm ad inuestigandum hæc Dei iudicia apponerem cõsiderationẽ, inueni difficillimum hoc esse, & nimis laboriosum, nec homini possibile, altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, & incõprehensibilia eius iudicia inuestigabilesque vias comprehendere, aut sensum mentémue domini cognoscere. 17. Est quidẽ admodum difficile, imò impossibile mihi, vsque dum hac carne fragili & obscura grauabor, neque pertingere ad eiusmodi cognitionem potero, donec à corporeis his sensibus & corporali crassitie liber, ingrediar in sanctuariũ domini, in cõspectu tuæ diuinitatis, vt te facie ad faciẽ contuear, illicq; in te quasi in speculo lucidissimo, omnium rationes conspiciam. Tunc enim facillimum cuncta erit videre, quæ nunc difficillimum foret cognoscere: * ac tunc intelligam, vt videam nouissima impiorum, cũ mihi demonstrabitur æterna eorum mors & perditio, cõtra verò vita & gloria sempiterna iustorum. Nam tunc quidẽ cum nouissima illorum viderimus, non mirabimur, si eos quos tanta tamque diuturna (nimirum infinita & æterna) tormenta manebant, omnium præscia æterna sapientia permiserit in hoc sæculo temporalibus modicum florere delitijs: quemadmodum neque ex aduerso mirum videbitur, si eos quos immensis & sempiternis bonis destinauit, voluerit temporalibus nunc ad tempus modicum affligi malis, vt per mala hæc transitoria pararentur ad bona perpetua. 18. Quãquã autẽm iuxta supradictas ratiocinationes, sub imperfectorum persona ità fuerim querulatus, illud tamen de impiorum nouissimis certissimè cognoui, φ propter dolos & fraudes & innumera eorum mala quæ operantur in hoc sæculo, iam illis reposuisti apud te tormenta & supplicia æterna, quæ tu nunc illis seruas, & quæ illis es redditurus in tempore suo, digna operibus malis pessima præmia: * & hoc scio, φ dum maxime eleuati & exaltati fuerint, ab illa sua gloria deijcientur & demergentur in profundum baratri, de sum-

1.Cor.9.

2.Tim.3. Actu.14. Luc.21. Rom.5.

Rom.11.

1.Cor.13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm.9. Apoc.8.

19 *Quomodo facti sũt in desolationem:*
* *subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*
20 *Velut somnium surgentium:*

* *domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

21 *Quia inflammatũ est cor meum, & renes mei commutati sunt:*

* *& ego ad nihilũ redactus sum, & nesciui.*

22 *Vt iumentũ factus sum apud te:*

* *& ego semper tecum.*

23 *Tenuisti manum dexteram meam:*

* *& in voluntate tua deduxisti me:*
* *& cum gloria suscepisti me.*

Matth.25.

ma gloria ad infirmam miseriã, de nimis gaudijs ad importabilia supplicia, & quasi in ipsa sua exultatione decident in profundum. Tantò enim erit casus grauior, quantò in altiori gradu splendidius florebant. 19. Quàm mirabili commutatione, quàm miserè proijcientur in deuastationem, destructionem, desolationem, & perditionem æternã:* quo modo defecerunt subito, & repente ad nihilũ redacti sunt, perierunt, quasi cũ sonitu, impetu magno, pstrati in damnationẽ: quomodo si lapis molaris magno impetu proijciatur in profundũ maris: idq; propter suã iniquitatẽ, mercedem accipiẽtes suis cõdignã operibus. Nec enim talia opera pessima, melior alia merces decebat. 20. Ad modum somnij quod dum expergiscitur homo, aufugit & perit, ita euanuerũt subito tanquã si non fuissent:* Ita quoque per mortem defecit & aufugit ab eis omnis fœlicitas eorũ. Nam vt euigilans à somno eorum quę per somnium imaginabatur, nihil inuenit ita esse, vt per somnium apparebat: & quemadmodum pauper aliquis fœlici somnio illusus, diuitijs & delitijs plusquã regijs abundare sese imaginatus, vbi euigilauerit, nondum se inuenit, vt antè, nihilq; eorum verũ esse comperit, quibus ante per somnium gloriabatur:* ita tu domine, in ciuitate tua cælesti, in superna beatorum societate, illorum fœlicitatem tantum imaginariã & vmbratilem ad nihilum rediges, annihilabis, nihi esse demonstrabis, facies vt manifeste appareat, nihil eos veræ fœlicitatis habuisse, quemadmodum sibi dum viuerent dulciter, somniando persuaserant. Peribit enim per mortem ab eis omnis imaginaria fœlicitas, sicut ab expergiscẽte fugit somniũ: atq; ita illis extra ciuitatem tuam exclusis, ad nihilum deducetur, & nihil fuisse reipsa cõprobatur eorum imago, id est imaginaria simulata tantum fœlicitas. 21. Et quidem donec ita prioribus meis cogitationibus inuoluebar, super impiorum prosperitate volens Dei iudicia discutere, inflammabatur intra me, & exæstuabat velut præ indignatione & æmulatione cor meũ: & affectus mei corporales immutati sunt, & velut indispositi ad operandum bene, æmulatione hac siue indignatione à corde in membra cætera ac vires inferiores se diffundẽte:* & ego huiusmodi æmulatione memetipsum grauans, quasi ad nihilum redigebar, penè virtutem & promptitudinẽ ad operandũ iustitiã perdiderã, flaccescere incipiebam in proposito iustitiæ: & ego non aduertebam sic me imminui, ita occulte eneruabat me spiritualibus viribus ista tentatio, vt vix ipse aduerterẽ debilitationem & defectum spiritus mei. 22. Propterea volens amodo omnem huiusmodi tentationem seponere (vbi illam mihi sic impedimento esse cernerem in progressu viæ tuæ) nihilq; tale vltra permittere in meum animum, hoc habui cõsilium, vt tãquam iumentum reputarẽ memetipsum ante cõspectum tuum: vt quẽadmodũ iumentũ irrationale sui domini imperio subiicitur, nihil inquirens eorũ quę dominus agit, neque rationem postulans eorum quæ iubet, sed per omnia ducitur & trahitur, sic mouetur, sic agit, nihil perquirens, nihil contra murmurans, rationem non discutiens, cur iam hoc opus iniungitur, aut cur hoc tempore, aut cur non magis illud opus, aut alia huiusmodi: sic & ego erga te dominum meũ sum quasi brutum, rationem nõ habens, nihil perquirens de tuis iudicijs, quur hoc sic agas, aut illud quur ita, aut quare iustis mala, malis bona dispensas:* ita in simplicitate & humilitate obedientię meæ ego semper tecum permanere dispono, in omnibus te sequi quocunque traxeris, omnia operari quæ tu iusseris, omnia pati quæ tu permiseris, in nullo contra murmurando aut rationẽ inquirendo. Sufficit enim mihi posthac voluntas tua, & incõprehensibile consilium sapientiæ tuæ, neque quæram rationem alteram. 23. Cùm autem ego me totum ita dispositioni tuæ resignatione plenissima committerem, tu me nequaquam abiecisti, neq; aberrare permisisti, quemadmodum neque dominus iumentum, quod se illius ductui credit, aberrare patitur: sed apprehendisti manum dexteram meã, ad eum modum quo solent mãtres apprehendere dexteram manum paruuli sui, ad deducendum per viam, partim vt viam bonam ambulent, partim ne fatigati deficiant: *atque ita velut apprehensa manu, in tua benigna voluntate, in tuo beneplacito, factus es mihi ductor per viam vitæ huius, & viam mihi bonam tuo ducatu cõmonstrans, vt nõ deuiem, & imbecillitatem meam sustentans atque confirmans, vt in via non deficiam:* ac tandem post peractã huius vitæ viã, post peractum itineris huius cursum, cum magnifica

24 *Quid enim mihi est in cælo: & à te quid volui super terram?*

25 *Defecit caro mea & cor meum:*
* *Deus cordis mei & pars mea, Deus in æternum.*

26 *Quia ecce qui elongant se à te, peribunt:*

* *perdidisti omnes qui fornicantur abs te.*

27 *Mihi autem adhærere Deo, bonum est:*

* *ponere in Domino Deo spem meam.*

28 *Vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.*

gnifica gloria apud te me recipies, dicturº, Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui. 24. O Deus optime & pater pijssime, qui tã paternum mihi affectum exhibes, totus in te tranſit affectus cordis mei, & ipsum nimio tui amoris igne liqueſcens, totũ in te resoluitur, adeò vt nihil prorsus sit in vniuersa cælorũ amplitudine, quod ipsum possit oblectare vel reficere, nisi tu, quẽ solum cõcupiscit: neque super terrã sit omnino quicquã prẽter te, quod desideret, quod cõcupiscat, quòd à te postulet, nisi tantum te vnicum habere, tenere, possidere, te frui, te oblectari, te videre, tibi colloqui, tecũ cõuiuari, tecũ delitiari, in te habitare, in tuis hortis deambulare, in tuo lecto cubare, in tua sede residere, in tuo foco calefacere, in te suauiter requiescere: denique prorsus in te transire, & absorberi, vt vnũ fieri tecum, vt viuam iã non ego, sed tu viuas in me. 25 Præ amore languet corpus & cor meum, ac prę nimio tui desiderio deficit, tibi beata vnione copulari desiderans, tibiq; viuere, & te in se viuere, ipsum verò in sese mortuũ esse cõcupiscẽs:* tu es Deus cordis mei, desideratus animæ meæ, hæreditaria mea portio, & hæreditas mea æterna: quã vnã habere postulo, abiectis & abnegatis omnibº, quęcũq; vel in cælo vel in terra possint cõtingere, quæ omnia libẽter diuendo & abnego, vt te absconditum thesaurum, te margaritã pretiosam, tuique possessionem verã & solidã mihi valeã comparare. Quæcunq, enim in mundo sunt, propter te reputo vt stercora, vt vnicum te mihi lucrifaciã: Tu enim es totũ meum desiderium, tota mea spes, & expectatio, & merces magnanimis. Neq; iã existimare volo siue aduersa siue prosspera, siue læta siue tristia: modò te mihi possim demereri, & in meam portionem te valeã lucrifacere. Siquidem in te vno me arbitror habere & posse omnia: nihilq; mihi reputabo deesse, si tu modo adfueris. 26. Ecce enim qui se faciunt per trãsgressionẽ tuorum præceptorum à te alienos, qui per peccata se diuidunt ac separãt à te, qui per alienos amores rerum mundanarũ mox pereuntium, suum affectum à te auellunt, tibi amore non adhærent, hos certa manet perditio & æternus interitus:* in perditionẽ æternã mittes omnes eos, qui fornicatione pessima adulterãtes, te relinquunt, cui vni iungi debebant, & alienos sequuntur amatores, quibus amore nullum debent: ad modũ mulieris adulteræ, quæ relicto amore & societate viri legitimi, cui desponsata est, & matrimonio iuncta, adhæret per amorem meretricium alieno viro, cui nõ est sociata matrimonio. 27. Mihi verò optimum est, indissolubili charitatis vinculo adhærere domino Deo meo, vt sponso legitimo (cui vni & soli totum meũ amorem debeo, & plusquã possim debeo) sicq; cũ illo fieri vnum spiritũ, ex qua vnione omniũ mihi spiritualiũ bonorum procedit abundãtia: * & ita quidẽ illi adhærere, vt totã spem meã atq; fiduciã ponã in Deo meo, non cõfidam neq; in diuitiarum gloria, neque in delitiarum voluptate, neq; in sæcularis sapientiæ pompa, neq; in vlla prorsus re, nisi in te solo domino Deo meo: vt nõ in alio sciam aut velim, præterquã in te vno gloriari. 28. Ita, inquam, tibi adhærere & in te sperare, vt palàm te prædicem, & omnes laudes tuas enarrem atque enunciem, & cuncta quæ tu iusseris fideliter annunciem, non in angulo, non in cubiculis, quasi erubescens de prædicatione operum tuorũ: sed in portis Ecclesiæ tuæ sanctæ, hoc est, palam omnibus tuis fidelibus, in Ecclesia sancta fide vera & corde illuminato agnoscentibus, ac tandem etiam in portis supernæ Hierusalem vbi non deficiet neque per diem, neque per noctem de ore nostro laus beata in sæcula sæculorum, Amen.

Ioan.17. Gal.2.

Phil.3.

1.Cor.6.

2.Cor.10. Galat.6.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXII.

VErsu 1. Quàm bonus Israël Deus ijs qui recto sunt corde. Quomodo apud eos qui scholasticas quæstiones tractant, conclusio firma, cuius veritas asseritur, præponi solet, ac deinde contra eam adhiberi rationes quæ videntur contradicere: ita in præsenti Psalmo, primum firmissima ista & verissima ponitur assertio, contra quam in sequentibus obiiciendæ sunt infirmorum tentationes potius quàm rationes: quibus nonnunquam vel scandalizantur, vel certe diuexantur infirmæ conscientiæ, hunc zelum siue æmulationem istam non facile superare potentes, neque ex animo abijcere. Notandum autem, quòd Israël in hoc versu casus datiui est, id quod ex Græco patet, vbi articulus additur ῷ casus datiui, similiter in Hebræo Lamed adijcitur, sicut & ad datiuum posteriorem. Est ergo sensus, Quàm bonus est Deus Israëli, nimirum ijs qui recto sunt corde: vt per sequentem partem, ijs qui recto sunt corde, exponatur, quid per Israëlem debeat intelligi. Simul & hoc diligenter attende, quod dicitur Deus bonus non simpliciter omnibus, sed Israëli, sed populo suo, sed iis qui re-

qui recto sunt corde. Non ergo Amalech, non Philisthiim, non alienigenis, qui de populo ipsius non E
sunt, non ijs qui in mundo & per terrenas cupiditates incuruato sunt corde. Sic enim & angelus Io-
Matth.1. seph loquēs, Israēlē istum respiciens, dicebat de Iesu, ꝙ saluū facturus esset populū suum à peccatis ip-
sorum, omnes videlicet qui crediturі erant in eū. ¶Versu 4. Quia nō est respectus morti eorum, hoc
est, nō est ipsis impijs respectus in mortē, vel cōsideratio de morte: quod clarius vertit Hieronymus
ex Hebræo, secundum eandē tamen sententiā, hoc modo, Quod non recogitauerit de morte sua. Et
Chald. Paraph. Non terretur, neq; cōturbantur propter diē mortis suæ. Et quidē si de tēporali fœli-
citate loquamur, magnum est tēporale gaudiū, nullo mortis timore affici, quemadmodum afflictio
corporis magna est diem mortis iugiter ante mentis oculos habere propositū. In secunda autē par-
te huius versus, Et firmamentū in plaga eorū: nota duplicē intelligentiam secundū quod vel repeti-
tur negatio, quæ erat apertè posita in parte priori, vt sit sensus, Non est respectus morti eorum, & nō
est firmamentum in plaga eorum. Atque ita habet manifestè lectio Romani psalterij, dicens: Nec fir-
mamentum in plaga eorum. Et nos in Elucidatione secundū huiusmodi negationis repetitionem,
partē istam explicauimus, nimirū ꝙ stabilitas & duratio nō sit in plagis impiorum, ꝙ non diu duret
eorum afflictio, si in quam inciderint. Mox enim norunt sese extricare, & consolationem inuenire,
qua pellant incidētem tristitiā. Exempli gratia, Diues huius sæculi frigore incipit torqueri: extructo
statim igne copioso, medetur afflictioni frigoris, & non est stabilitas, non est duratio in plaga ista si F
vel paululum sitiat, mox adferri iubet vini aut alterius delicati potus copiam: si esurit, delitias habet
epularum, quibus esurię pellat: si grauis melancholia animum incipiat affligere, habet amœnos hor-
tos, prata virentia, in quibus obambulando animum releuet, habet musica instrumenta, accedit solo
nutu aduocata læta societas, pellitur afflictio: si quis aduersatus est, si quis nocuit, si quis contriciatus
est, si à quopiam offensum aut contemptum se putat, in illum mox vindictam parat, quanta potest
damna infert illi à quo hæc accepit. (Deum enim nihil metuit) sicque facta vltione, lenit placatq; animum aliena miseria. Denique, & in alijs ipsum facile quilibet considerabit. Posset verò & affirmatiue legi prędictus versus, non repetita negatione, hoc modo, Non est respectus morti eorum, & firmamentum est in plaga eorum. Quod hanc habet sententiam, Firmamentum & solida stabilitas potentiæ est in plaga eorum, hoc est, si quem velint plagis afficere, si cui velint facere afflictionē & exitum malum, fortiter & potenter id possunt. Potentes enim sunt vt faciant male: partim quidē, quòd potentiam habeant & diuitias huius mundi, maxime verò quia Deum non metuunt, sicque nullum habent retinaculum à nocumento proximi. In quem sensum ferè conuenit, quod habet Chald. Paraphrasis, Efferuntur cogitatus eorum, & pingue ac forte est cor eorum. Sic & ex Hebræo verti potest, Et viuidum vel forte est robur eorum, videlicet ad sese defendendum, ne à quoquam nocumentum patiantur, ad alios quoque oppugnandum vbi voluerint. ¶Versu 5. In labore hominum non sunt, G
& cum hominibus non flagellabuntur. Homines pij duplicem habent in hac vita molestiam, priorē quidem in operando opere virtutis, quæ sanè difficilia sunt: eo quòd (iuxta verbum Aristotelis) ars & virtus versentur circa difficile, idque propter carnis nostræ corruptionem, vnde magis ad malū omne proni sumus, quàm ad bene agendum: quēadmodum Apostolus dicebat Romanis scribens, Scio,
Roma.7. inquit, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Et iterum, Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Et video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c. Hinc ergo habet magnum laborem, qui operari studet quæ sunt virtutis, & Deo placita: quem profecto laborem & molestiam euadit, qui legi carnis totum se obedientem præstans, de perficiendis operibus Dei nihil cogitat: Posterior bonorum molestia est, ex ijs quæ in vita ista occurrunt perferenda, siue ex propria carnis miseria, siue ex hominum peruersorum malitia, idque Dei prouida dispensatione, qui his modis electos suos exerceri vult, & velut parari ad salutem nouissimam. Vnde suis discipulis Saluator di
Luc.6. cebat, Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, & separauerint vos, & exprobrauerint nomen
2. Tim.3. vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate, quoniam merces
Actu.14. vestra copiosa est in cælis. Et Paulus Apostolus, Omnes, inquit, qui pie volunt viuere in Christo Iesu,
Heb.12. persequutionem patientur. Et in Actis Apostolicis, Per varias tribulationes oportet nos intrare in
regnum Dei. Estque hæc illa disciplina, de qua ad Hebræos scribit, eos qui extra illam sunt, adul- H
teros, non filios esse. Ab hac autem afflictione iccirco liberi sunt impij, quoniam adulteri sunt, &
non filij. Si enim filij essent, patris disciplinam sentirent. Atque hoc est quod in secunda parte dicitur, Et cum hominibus non flagellabuntur, id est, cum filijs disciplinam non sentient: sed cum nothis erunt extra disciplinam. Hanc etiam dictionem pulchre admodum innuit Paraphrasis Chaldaica, quæ sic habet, In labore virorum laborantium, in lege non loquuntur, vel non censentur, vel non computantur: & cum hominibus iustis qui patiuntur martyria, non vulnerantur, vel flagellantur. ¶Versu 7. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Huiusmodi non sunt illi qui tantum ex infirmitate peccant, à propria concupiscentia, vel aliorum persuasione obstricti & illecti in malum, aut qui ex errore & ignorantia delinquunt, qui cum timore & remorsu peccant, aut certè non peccarent, si malum agnoscerent, neque isti adhuc in affectum cordis transierunt: sed illi qui sunt obstinati in sua impietate, & ex peruersa malitia ac scientia operantur quod malum est, absque timore & pudore, tali animi statu compositi, vt quicquid affectus carnis suggesserit, audaćter audeant patrare: de quibus scribit Apostolus, dicens: Qui desperantes siue (vt
Ephes.4. Hieronymus transferendum potius censet) indolentes: hoc est, absque dolore & remorsu peccantes, tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ. ¶Versu octauo.

Iniqui-

A Iniquitatem in excelso loquuti sunt. Videtur in excelso accipiendum, pro in excelsum, tum propter Græcam literam quę habet εἰς τὸ ὑψος, id est, in excelsum, casu accusatiuo, quomodo etiam habet lectio Romana: tum propter sententiam. Videtur enim sensus esse quasi in sublime, contra cælū & residentem in cælo, ita vt significetur blasphemia eorum in altum conscendere, ad sedentem in cælū, quēadmodum statim sequens indicat versiculus. Nisi fortè intelligatur, in excelso, pro in sublimi, ve superbo corde, vel quasi de excelso: quemadmodum superbi quasi de excelso loquuntur, sese omnibus altiores æstimantes, & præ sese cunctos despicientes. Cui expositioni consonat quod habet Paraphrasis Chald. Ad violentiam de celsitudine cordis loquuntur. ¶Versu 9. Posuerunt in cælum os suum. In Elucidatione solum de blasphemia in Deum sumus interpretati. Verum sub blasphemia in Deum, comprehendi debent etiā conuitia & maledictiones in ministros ac sanctos eius. Vnde Paraphrasis Chal. habet, Posuerunt in sanctis cælorum os suum, quod nostris hisce infœlicibus temporibus egregie impleri cernimus ab ijs, quorum dentibus non sufficiunt Ecclesiæ huius militantis vniuersa membra & capita, nisi & linguis suis venenati sanctos cæli conspuant. Sed est qui videt omnia Deus, qui viperis venena sibilantibus linguas quādoque prętcindet, easque ferrea claudet muscipula (æternum dico infernalis carceris claustrum) vt virtis suum vltra nequeant nisi in sese euomere. Pro eo quoque quod in secunda parte dicitur, Et lingua eorum transiuit in terra, pulchre eadem Para-
B phrasis habet, Et lingua eorum inflammauit vel afflixit vel vsit iustos terræ. Sunt enim molestæ linguæ istæ viperinæ omnibus hominibus, & pareunt nemini, adeò vt cuiquam deferre turpissimum sibi putent. ¶Versu 10. Ideo conuertetur populus meus hic: & dies pleni inuenientur in eis. Manifestum est ex Græco, dictionem hic non esse pronomen, sed aduerbium. Intelligunt autem quidam passum istum hoc modo, Propter prædicta, populus sanctorum Dei: vel populus fidelis in hac tentatione auertetur à Deo suo, & conuertetur ad vias impiorum: & tempus plenorum dierum, id est, multū tempus inuenietur in eis, sic malorum viam sequentibus, multo scilicet tempore permanebunt in scandalo illo, in assimilatione impiorum ex prædicto scandalo, sic tamen vt qui electi sunt, tandem redeant ad dominum. Hanc verò intelligentiam probet qui volet. Nos in Elucidatione aliam dedimus, quā putamus sequentibus magis consonare. ¶Versu 14. Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Hæc sunt quæ iustus quilibet in sese habere debet: primum quidē flagellare, quod est (iuxta Apostoli verbum) castigare corpus, & in seruitutem redigere, carnemque cum vitijs & concupiscentijs crucifigere, varia quoque pro iustitiæ amore obtingentia mala ferre cum patientia. De- 1.Cor.6.
inde, castigationem habeat necesse est in matutinis. Quid autem sibi vult ista in matutinis castigatio? Gal.5.
Nimirum vt discutiat homo matutino tempore, primo diluculo, quando tranquilla sunt omnia, statum vitæ suę, atque ad examen reuocet cunctas suas cogitationes, affectiones, loquutiones, operatio-
C nes: & si quid inuenerit quod Deo non placeat, vt seuera districtione id condemnet ac puniat, firmato proposito idipsum nunquam resumendi. Atque hæc castigatio siue examinatio in matutinis, tunc fit commodissime, quando nullis passionum nebulis mens est obscurata, quando nullis tumultibus conturbata, nullis distractionibus est impedita, vt absque nocumēto limpidius possit etiam minima quæque discernere, & seuerè omnia dijudicare, iuxta consilium beati Apostoli dicentis, Si nosipsos 1.Cor.11.
dijudicaremur, non vtique à domino iudicaremur? Illud enim experientia certa in seipso discit, quisquis huic castigationi secundum timorem Dei dat operam, frequenter euenire, vt ea quæ vespertino tempore post multas occupationes ac passiones iudicium habens impeditum, absque vllo conscientiæ remorsu, absque omni dolore vel agit vel loquitur, eadem tempore matutino, cùm in memoriam reuocauerit pridie dicta siue facta, grauissime illi displicere incipiant, ac pro eis sibiipsi plurimum indignetur, seque vehementer increpet & castiget, quòd eiusmodi sic vel egerit vel dixerit. Et fit quidem non raro, vt per diem hilarior quis factus excedat, siue in cibis ac potibus, siue in iocis & multiloquio, siue in mala temporis insumptione, quæ tamen ob gaudium quod possidet, suauiter dissimulat, diemque peragit in lætitia. At verò vbi post noctem mane aduenerit, & passio omnis diurna abscesserit, tum demum cum dolore sese offerunt quæ pridie in suauitate & dulcedine gesta prætie-
runt: & fit tunc quidem ante gestarum rerum memoria tanto amarior, quanto dulcior fuit earum
D præsentia. Qui autem hanc in se castigationem non experitur, qui æque & mane & vespere absque remorsu, absque suijpsius reprehensione ac diiudicatione perseuerat, merito sibi metuat huiusmodi. Domus enim absque custodia, familia absque rectore est, domus illius: & male metuendum est, ne tenebrarum dominus cor illius possideat, mentem obscurans caligine, vt patrata vitia nolit agnoscere. ¶Versu 15. Si dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobaui. Quantum ad vim sententiæ, satis planè arbitror in Elucidatione omnia explanata. Verum ordo ipse verborum videtur difficultatem secum adferre. Et qui dem si coniunctione conditionali postposita, ita haberet oratio, Dicebam, si narrabo sic, non magna foret difficultas. Nunc autem turbat intelligentiam, quòd mutato ordine ita dicitur, Si dicebam, narrabo sic. Mihi videtur facile omne incōmodum posse euadi, si tantum verbum illud, dicebam, per parenthesim accipiamus interiectum, hoc modo, Si (dicebā) narrabo sic, ecce reprobaui nationem filiorum tuorum, Sic enim sensus idem erit, ac si coniunctio postponeretur, hoc modo, Dicebam, si narrabo sic. Atque ad hunc modum feciſſe videmus beatum Hieronymum in sua versione ex Hebræo, quæ sic habet, Dixi, si narrauero sic, ecce, & cætera. cùm tamen in Hebræo manifestè ponatur coniunctio in ipso versus initio. Illud autem reprobaui, hoc loco valet, condemnaui, vel iniurius fui, vel iniuriam feci, male videlicet de illis sentiendo & male loquendo. Indubie enim multū iniurius fuerit electis Dei, qui frustra illos & vanè dixerit seruire Deo.

¶Versu

Universidad de Sevilla Biblioteca

E

Versu 17. Donec intrē in sanctuarium Dei. In Elucidatione exposuimus de beato ingressu ante cōspectū diuinitatis in vita vētura. Attamen generalius potest intelligi ingressus iste in sanctuariū Dei, quoties quis mentem à temporalibus subleuans, spiritu sese Deo præsentem exhibere satagit, & trāsitoria ista transcendens ad contemplanda per fidem æterna animum trāsfert, sicq; à Deo illuminari meretur & erudiri, quantum quidē pro hac via cōtingit homini, Nam sic tēplum Dei quotidie visitare possumus, quotidie introire sanctuarium, ac nouissima tā iustorum q̄ impiorum à longe in ænigmate considerare. Quod vbi facimus, diuina eruditione instructi, facile impijs suum hunc temporalem florem concedimus: nec eis inuidebimus, imò compatiemur magis & miserebimur illorum, qui pro tam immensis gaudijs & æternis, hæc acceptant temporaria, nulla ex parte illis conferenda. Chaldaica tamen translatio magis respondet expositioni alteræ. Sic enim habet, Vsque ad tempus redemptionis, quo veniam ad sanctuaria Dei, & intelligam finem eorum. Hoc autem tempus redemptionis, intelligere videtur, à corpore mortis huius in vitam æternam: & sanctuaria Dei, beatam eius præsentiam. ¶Versu 18. Veruntamē propter dolos posuisti eis. Videtur oratio defectum pati, & subaudiendum accusatiuum, mala, quin in Græco itē & in Psalterio Romano exprimitur. Sic enim Græce legitur: ἔθου αὐτοῖς κακά, id est, posuisti eis mala, quomodo habet etiā Romanum Psalterium. In altera autem parte huius versus, Deiecisti eos dum alleuarentur, Græce est ἐν τῷ ἐπαίρεσθαι, hoc est, in alleuando, vel potius in eleuando, id est, dum eleuarentur vel in altum ferrentur, aut hoc ipso quod efferebantur aut eleuabantur per suam superbiā. Alleuatio enim siue elatio, occasionem præstat, & causam præbet grauissimi casus. Quanto enim gradus altior, tāto casus grauior. Et dum seipsos omnibus præponere, omnibus anteferre laborant, sibi causa fiunt vt in ima ruant, & infra omnes infimos locum accipiant in pœna, qui hìc supra omnes sese eleuare conati sunt in temporali gloria. ¶Versu 20. Velut somnium surgentium, domine in ciuitate tua imaginē ipsorum ad nihilum rediges, Vocatiuus, domine, aptius posterioribus q̄ prioribus coniungitur. Illud verò, ad nihilum rediges, in Græco vno vocabulo dicitur ἐξουδενώσεις, quo verbo dici posset annihilabis: quod alicubi vertitur, ad nihilū
Psal. 58. rediges: alicubi, pro nihilo reputabis: quemadmodum circa illud Psalmi. 58. diximus, Ad nihilum deduces omnes gentes. Potest ergo & hìc intelligi, Domine in ciuitate tua superna, pro nihilo reputabis, & nihil esse demōstrabis imaginem illorum, id est, imaginariam fœlicitatem eorum. Illic enim vbi veram prębet fœlicitatem, omnibus modis impiorum temporali prosperitati incōparabilem manifestat reipla, nihil esse quod illi in vita acceperant, neque fuisse nisi imaginem & somnium quoddā fœlicitatis: tametsi illi mire placerent sua illa vmbratili fœlicitate, æternam nescientes: quemadmodum is qui in dulci somnio iocundatur, nō minus se putat fœlicē, donec in ipso perseuerat somnium, q̄ is cui verè id contingit, quod iste sibi somniat. Posset quoq; per imaginē impiorum intelligi eorum memoria, quam verè Deus in ciuitate sua ad nihilum rediget: quoniam omnem impiorum memoriā delebit, nec in ecclesia sanctorum perdurabit. ¶Versu 22. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Hucusque visus est Psalmista, insipientium siue imperfectorum in tentatione loquentium gessisse personā. Versu autem mox præcedenti, cœpit prudentis verba proferre, eáque in finem vsq; prosequitur. Verè enim sapit, qui hoc intelligit, quod huiusmodi querimonijs (quales per totum psalmum propositæ sunt) ratiocinari & disquirere velle cum murmure, Dei iudicia, nihil aliud q̄ affligit cor hominis atq; cōsumit, vt nihil agere libeat boni, & torpidum sese ac desidem prorsus inueniat homo ad omne opus bonum: propter quod melius iudicat huiusmodi omnes tentationes seponere, & tanquā iumentum Deo sese plene submittere, quemadmodum in sequētibus subiungitur, quo sic à Deo per viam huius vitæ perduci mereatur in gloriā vitæ quæ ventura est. ¶Versu 23. Et in voluntate tua deduxisti me. Illud, in voluntate tua, in Elucidatione exposuimus, in tuo beneplacito, in tua bona voluntate, quasi in benignitate tua: quoniam scilicet voluisti. Potest tamen aliter intelligi: Deduxisti me secundum voluntatē tuā, id est, quocunq; voluisti, me videlicet iam absq; ratione & perquisitione te libenter insequente ad omnia neq; in vllo remurmurante, posteaquā vt brutum factus sum apud te. In Græco habetur ἐν τῇ βουλῇ, quòd rectè verti poterat, In cōsilio. Atque ita sensus erit, tuo consilio, vel per tuum consilium deduxisti me, interna scilicet tua inspiratione, per spiritum consilij, viā in agendis omnibus demonstrando. Atq; huic consonat, quod pulchre habet Chald. Paraph. In consilio tuo deduc me in mundo isto: & postquam compleueris gloriam, quam dixisti venturam super me, suscipies me, hoc est, donec in mundo fuero, dux mihi eris per consilium tuum: & in venturo sæculo suscipies me in gloriam, quam es pollicitus seruis tuis. ¶Versu 24. Et à te quid volui super terram? Potest intelligi, quid abs te volui, quid à te postulaui, pro qua re rogaui, ex omnibus quę sunt super terram? Melius tamen accipiendum videtur vt improprie dictum, loco præter te, vt sit sensus, Quid à te aliud, quid præter te, quid nisi te, quid extra te volui super terram? Nam & in Græco habetur præpositio, non ἀπό, sed παρά, quæ huic sententiæ recte fauet. Deinde & sententia videtur commodior. Et consonat aptius lectioni Hebraicæ, quæ habet, Quid tecum volui in terra? Idem enim est, nihil velle habere aliud simul cum Deo, & nihil velle aliud præter Deum. Manifestius etiam habet Chaldaica Paraphrasis, Tecum socium non volui in terra, id est, quod simul tecum amarem vel haberem, sed te solum volui. Cæterum, quomodo Deus pars nostra in sequenti versu dicatur, ex ijs quæ dicta sunt in expositione Psalmi decimiquinti in versum illum. Dominus pars hęreditatis meæ & calicis mei, plenius poteris cognoscere: quemadmodum & illud versus vltimi, In portis filiæ Sion, manifestum relinquimus ex Psalmi noni enarratione, vbi de eisdem his portis dicitur, Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.
Psal. 15.
Psalm. 9.

A

LXXIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste, populi fidelis est in maxima desolatione & oppressione positi: qui recte veteri illi populo Iudæorum in Babylonica captiuitate posito posset aptari. Nos tamen maluimus ad nostra referre tempora: in quibus (proh dolor) videmus per singulos fere annos, immanissimos Agarenos (qui sibi Saracenorum nomen falso vendicant (iuratos & obfirmatissimos hostes Christiani nominis, vt armorum loca occupare populi Christiani, sancta prophanantes, Christi templa & sacramenta Ecclesiastica temerantes: deniq; & populum fidelium subtributa redigentes, imò exquisitis supplicijs crudelissima morte perimentes: id quod proximo quoq; elapso anno maximo mœrore, per Christianissimum Hungarorum regnum factum audiuimus. Recte ergo nunc huius Psalmi vsus nobis conuenit, cum pro fidelium populorum desolatione, contra immanissimos hostes, Deo nostro supplicare voluerimus. In quo, primum querimonia cum postulatione Deo proponitur, vt in hæreditatē suam oculos flectere dignetur: atq; vt facilior fiat exauditio, crudelitas et superbia hostiū, tam in populum quàm in sancta Dei commemoratur: ac deindè versu 11. & 12. rursum querela proponitur, quod nunc Deus ita suos deserat, quū olim pro patribus mirabilia signa ediderit corā omnibus gentibus, in maris rubri diuisione, in Pharaonis submersione, in Iordanis excisione, quū etiā potentia illi nulla desit, vtpote qui dominus sit omniū temporū & omnium finiū terræ, omniū plenā habens potestatem: vt manifestū fit, non deesse illi potentiā saluandi suum populum, si tantum velit. Propter quod, versu 19. ac deinceps, ad finē vsq; multis verbis exaggerando postulat vt
B *ad miseriam populi & inimicorū crudelem superbiam aspiciens, suos pauperes non relinquat in manibus truculentissimarum beluarum. Ac tandē, si forte nihil humana Deū moueat miseria & populi afflictio, vt vel sui nominis contemptum & blasphemiam, quæ in ipsum iugiter ab infidelibus coniciuntur, aspiciat, vt vel hac de causa vltionem in reprobos exerceat, superbia tumidos, Deoq; superbe & bonis omnibus aduersantes.*

SEPTVAGESIMI TERTII PSALMI ELVCIDATIO.

1 Vt quid Deus repulisti in finem:
** iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?*
2 Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.
C *3 Redemisti virgā hæreditatis tuæ:*

** mons Sion, in quo habitasti in eo.*
4 Leua manus tuas in superbias eorum in finem:
** quāta malignatus est inimicus in sancto.*

D *5 Et gloriati sunt qui oderunt te:*

** in medio solennitatis tuæ.*
6 Posuerunt signa sua signa, & non cognouerunt, sicut in exitu super summum.
*7 Quasi in sylua lignorum, securibus exciderunt ianuas eius in idipsum: * in securi &*

IET quare ò Deus noster, nos populum tuum, ita penitus tradis & derelinquis in manus hostium tuorum, perinde ac si nos à te in totum repuleris, & nulla prorsus tibi amodo cura sit de nobis: * & quare furorem tuæ iracundiæ ita ostendis aduersus populum tuum, qui sunt oues sanctæ pascuæ tuę, quorum tu rector & pastor es, defensorque & propugnator populum Ecclesiæ sanctæ tuæ. 2. Memor esto Ecclesiæ tuæ sanctæ, vt eam ita in hostium manibus non derelinquas, sed tua potentia liberes, quam ex antiquis diebus possedisti, quam in patribus primum ex Aegypto in manu potenti eduxisti, vt esses dux eius: ac deinde tui etiam sanguinis pretio tibi emisti, & redemisti in possessionem sempiternam. 3. Redemisti (primum quidem in brachio valido, de manu Pharaonis & Aegypto, deinde sanguinis tui maximo pretio, de potestate diaboli & damnatione mortis) funiculum hæreditatis tuæ, id est, populum tuum quem in hæreditariam possessionē tibi elegisti: * ipse est mons Sion, Ecclesia tua, fidei contemplatione exaltata atque firmata, in qua habitationem tibi constituisti & confirmasti in sæculū, quam elegisti vt habitares in ea, tanquam in domo & familia tua. 4. Extende manum tuam, & ad vindicandum leua brachium tuum, aduersus superbiam inimicorū nostrorum: noli vltra permittere, vt suam cōtra nos impietatem possint perficere, non abeant impuniti, sed redde illis iuxta merita sua: * quanta enim sunt, quàm multa, quam grauia, quam immania, quam truculēta, q̄ inaudita, quæ populus hostium maligne egit aduersus populum sanctum tuum: vt merito non videantur vltra tolerandi, neq; à misericordia tua, qua semper tuis soles in opportunitatibus misereri, neq; à potentia, per quam hostium soles furorem comprimere. 5. & in his malis, quæ contra tuum populum peregerunt, gloriati sunt aduersarij nostri & tui, quasi contra te etiā prævaluerint, quasi tū non potueris nos saluare de manu ipsorū. Suæ enim potentiæ, non tuæ permissioni omnem ascribunt victoriā: * gloriati sunt, inquā, & victoriæ signa ostenderūt, in medio solennitatū tuarum: in ipsis festiuitatibus, in quibus te solet colere populus tuus, isti suas glorias & pompas exhibuerunt, vt non liceret nobis sanctificare tuum nomen in solennitatibus tuis. 6. Et exerunt vexilla sua & trophæa in signa victoriæ, sicut in exitibus ciuitatum, in portis, super eminentissima vrbis loca, quasi gloriantes plurimum de victoria, contra populum Dei: & non cognouerunt, q̄ non ipsi sua virtute, sed tua magis permissione propter peccata nostra consequuti sint hanc de nobis victoriam. 7. Quemādmodum in sylua lignorum cæsores absq; timore feriunt in ligna securibus suis, & præcidunt ea: sic isti nullum dantes locis sanctificatis honorem, ianuas, templorum tuorum, pariter iunctis viribus, vnanimes in malitia & crudelitate exciderunt: * instrumentis quibus ad eam rem vti solent in syluis (cuiusmodi sunt securis & bipennis) vsi sunt ad deijciendas valuas

Universidad de Deusto
Biblioteca

ascia deiecerunt eam.
8 Incenderunt igni sanctuarium tuũ in terra:
** polluerunt tabernaculum nominis tui.*
9 Dixerunt in corde suo, cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.
10 Signa nostra non vidimus:

** & iam non est Propheta:*

** & nos non cognoscet amplius.*

11 Vsquequo Deus improperabit inimicus:
** irritat aduersarius nomen tuum in finem?*
12 Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?

13 Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem.

** in medio terræ.*

templorum, & ad excidendum atq; destruendum hæreditatem tuam, E ædificationes populi tui. 8. Igni incenderunt non tantum domos prophanas sed loca etiam tuo consecrata cultui, tuo honori nihil deferentes: * polluerunt & contaminauerunt tabernaculum dicatum nomini tuo, templa sancta in quibus inuocabatur nomen tuum, agẽdo in illis quę nequaquam erant licita, & omnia quę in ipsis erant ad cultũ tuum deputata (vt vestimenta & vasa sacra) confringentes, & conuertentes in vsum suum. 9. Dixerunt, tota ista generatio praua & peruersa impiorũ, pariter vnanimes, & conspirauerunt conuenerunt q; in hoc pariter, vt omnes dies festos Dei facerent cessare in populo fideli, quo sic memoria cultus Dei facilius è cordibus hominum exideret: proposuerunt prohibere celebrationem omnium solennitatum & festiuitatum, quas habebat in reuerentiam memoriæ Dei fidelis populus, vt sic facilius animum nostrum abs te alienũ redderent. 10. Et interim quidem, dum ista tam abominabilia patitur populus tuus absq; auxilio, non desunt qui cõmoueri incipiunt atq; vacillare imperfecti, qui querulantes dicunt, Ecce signa nobis fieri nulla videmus, quomodo olim fieri solent F pro patribus nostris, nullũ prodigiũ pro nostra liberatione videmus, quemadmodum solẽt olim experiri patres nostri: * insuper neq; Propheta quisquã, aut vir magnæ sanctitatis apparet, qui potens sit in miraculis & sermone, qui nobis loquatur ex ore domini, vel qui nos cõsoletur in his omnibus tribulationibus nostris, aut qui nos iubeat esse bono animo, quiq; nobis indicet quandiu sit duratura hæc desolatio: * & ita satis apparet, quod nos Deus iam prorsus abiecerit, quod nullã vltra curã habeat nostri, vt olim habuit patrũ nostrorum. Si enim adhuc nos respiceret, & nostri gereret curã, aut via aliqua nos liberaret, vt olim patres per signa maxima saluauit: aut certe Prophetã aliquem mitteret, qui populum vel consolaretur vel instrueret, quemadmodũ olim fuerunt patribus nostris qui populũ monebant pœnitẽtiam agere, & viam docebant qua Deũ sibi possent placatũ reddere. Cum ergo nihil horũ nunc faciat, videtur nos non amplius pro suo populo agnoscere, videtur nos quasi alienos habere. 11. At tu domine Deus, quandiu patieris aduersarios nostros improperare nobis ac tibi, dicentes, quod G tu Deus noster potens non sis ad saluandum nos, & male de te loqui * quandiu tandem te permittẽte, irritabunt nomen tuũ aduersarij nostri, quandiu impune in te iacient blasphemias & conuitia? 12. Et quare in finem vsq; tandiu auertis à nobis benignum aspectũ vultus tui, vt non ostendas nobis tuam fortẽ potentiam? & quare in finẽ tandiu auertis siue definis aut cessas extrahere manum dexterã tuam de medio sinu tuo? quare tandiu contines manũ tuam in sinu, sic omnia illos impune permittis agere, nec illis resistis, quemadmodũ homo qui in sinu manũ continet otiosus? Extrahe illam potius de sinu, exere, & ostende potentiam tuã: sentiant illi vltricẽ, & nos adiutricem manum tuã, vt illos digna vltione ferias, nos verò benigna liberatione defendas. 13. Nos enim cognouimus & scimus, non deesse tibi potentiam, si modo velis eam ad nostrã salutẽ conuertere. Tu siquidẽ qui es dominus Deus nõster, ab æterno in tẽ ipso perfectissimus, ab initio mũdi creationis, omnibus diebus patrũ nostrorũ operatus es pro patribus nostris in magnitudine omnipotẽtis dexteræ tuæ salutẽ: * in signis atq; prodigijs ma- H gnis quasi in medio terræ, corã vniuersis populis & regnis & nationibus per circuitũ: atque ita glorificare teipsum soles atq; sanctificare in conspectu gentiũ per circuitũ, simul & populum tuũ magnificare. Scimus autem manum tuam: quam olim extendisti, nõ esse abbreuiatam: eademq; omnia quæ olim potuisti, etiam nunc posse, si tantum velis in opus extendere nunc ociosam. 14. Tu in virtute omnipotẽtię tuę, olim pro liberatione patrũ nostrorum filiorũ Israël, cõsolidasti mare rubrũ firmumq; ac solidum fecisti, vt in modum muri staret transeuntibus à dextris & à sinistris: * ac post transitũ electorum, tuorũ feroces, Aegyptios (qui in modum draconum populum tuũ hostili animo deuorare quærebãt & interficere) insequi volentes electorũ tuorum vestigia, tu operuisti aquis, & demersisti in profundũ, ita vt nec vnus illorũ euaderet, An non hoc maximũ potentię tuę signũ erat? An non & nunc similia posis pro populi tui salute si tantum velis? 15. Contriuisti illic caput Pharaonis illius magni draconis, & superbi Leuiathan, qui cubabat in medio fluminum Aegypti, qui sese ausus fuit opponere tibi: ipsum inter-

Esaiæ. 59.

14 Tu confirmasti in virtute tua mare:
Exod. 14. ** contribulasti capita draconum in aquis.*
Ibidem.

Eze. 29.

15 Tu confregisti capita draconis.

A ** dedisti eum escam populis Æthiopum.*

16 Tu disrupisti fontes & torrentes:
** tu siccasti fluuios Ethan.*

17 Tuus est dies, & tua est nox:
** tu fabricatus es auroB ram & solem.*

18 Tu fecisti omnes terminos terræ:
** æstatẽ & ver tu plasmasti ea.*

19 Memor esto huius:

** inimicus improperauit domino, & populus*
C *insipiens incitauit nomen tuum.*

20 Ne tradas bestijs animas confitentes tibi:
** & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.*
21 Respice in testamẽtum tuum:

** quia repleti sunt qui*
D *obscurati sunt terræ, domibus iniquitatum.*

22 Ne auertatur humilis factus confusus:

** pauper & inops laudabunt nomen tuum.*
23 Exurge Deus, iudica causam tuam:

interfeciſti inuoluens fluctibus cum omni apparatu ſuo: * eumq; demerſum cum ſuis omnibus dediſti in eſcã Aethiopibus, proieciſti eos in eſcam & cibum atrorũ dæmonum, in portionem eorum proieciſti eos, in lacum damnationis æternę: quod quidẽ multo grauius fuit corporali illa demerſione aquarũ. 16. Poſt hæc, eidem populo tuo per diſruptionem petræ dediſti fontes ita copioſos, vt torrentes & fluuij ex aquis prodeuntibus decurrerent: illis vbi antea nunquam aqua fuerat: aquam de petra in maxima abundantia dediſti eis: * inſuper & fluuios Ioſuæ. 3. Ethan, id eſt, flumina fortia tu exiccaſti: quemadmodum flumen Iordanis, quod erat rapidum & forte flumen, ſiccum feciſti, vt per ipſum tranſire poſſent filij Iſraël, ad terram promiſſam ſibi ac patribus ſuis. Si ergo nunc pro populo tuo liberando aliquod virtutis ſignum oſtenderes, non hoc nouũ tibi foret, neq; tuo populo inſolitum. 17. Inſuper tempora omnia, & temporum viciſſitudines in manu tua ſunt, dies & nox ſecundum viciſſitudinem inuicem ſibi iugiter ſuccedunt tuo imperio: * neque id mirum, quandoquidem tu es qui condidiſti omne lumen, ſiue minus quemadmodum eſt lumen auroræ: ſiue maius, cuiuſmodi eſt lumẽ ſolis. Tu enim feciſti omnia luminaria, luminare maius Gene. 1. quod præſit diei, & luminare minus quod præſit nocti, & ſtellas quæ lucent in firmamento. 18. Tu feciſti omnes terminos orbis terrę, orientem ſcilicet, occidentem, aquilonem, & meridiem, & cuncta quæ ſunt in omnibus finibus terræ ſimul feciſti, & omnium quę in eis continentur, plenam habes poteſtatem: * diuerſorum quoq; temporũ anni viciſſitudines, ac ſecundum diuerſas qualitates variabilitatem, tu ſimiliter diſpoſuiſti: diuidens ſcilicet annũ in partes quatuor, nempe, in ver, æſtatem, autumnum, hyemem, ſingulaſq; harum partium ſuis proprijs qualitatibus determinans. 19. Tu ergo, potentiſſime Deus, quem conſtat & temporum, & quæ in eis ſunt, omnium habere poteſtatem, qui tantam olim oſtendiſti potentiã, vt prænarrata potueris præſtare prodigia: eſto etiam huius memor iniuriæ, hanc etiã attende impietatem, qua nunc tuũ nomen blaſphematur, & tuus populus affligitur: * quod ſcilicet inimici noſtri blaſphemauerunt te dominum Deum noſtrum, & populus iſte ſtultus & infidelis hominum alienigenarum in te non credentium exacerbauit & irritauit nomen tuum, tuo nomini ſeſe oppoſuit, vt ipſum deleret, ipſiuſq; cultum exterminaret de terra. 20. Ne permittas fideles tuos te agnoſcentes, & tuo nomini ex fide pura confitentes, ita miſere venire in manus infideliũ, qui ſunt velut beluæ immanes, quaſi abſq; intellectu te Deum non agnoſcentes, & abſq; miſericordia, innocentes fideles tuos abſq; omni compaſſione crudeliſſime interficientes: * & pauperes ſimplices ac humiles fideles tuos, ne obliuiſcaris in æternum, neq; eos perpetuo in poteſtate impiorũ iſtorum permittas, vt eos perimant & trucidẽt pro ſuo libito, ſed tandem aliquando reſpice ad auxilium eorũ qui in te credunt, & confidunt in ſalute tua. 21. Reſpice & attende ad teſtamentum pactumue tuũ quod feciſti cum electis, memor eſto promiſſionis & pollicitationis eis factę q; non eſſes derelicturus qui tribulato ſunt corde, humiles autem ſpiritu ſaluares: fac, tuo teſtamẽto ſatis facias, vt verax comproberis erga Pſal. 33. fideles tuos: * nam obſcurati terræ, illi qui ſuper terrã obſcurati ſunt, infideles iſti & alienigenę pleni tenebris infidelitatis & errorum, excæcatum & obſcuratum cor habentes, ipſi ſunt repleti domibus iniquitatum, conſcientijs inquinatiſſimis, & omni abominatione plenis, quibus valde indignum videtur & durum tradi ſanctos tuos in poteſtatem vt illis ſubijciantur, & illorum debeant parere imperio. 22. Non auertas, neq; à te confuſum abijcias populum tuum valde humiliatũ & nimium afflictum, oppreſſumq; ab aduerſarijs, nõ repellas inexauditum cum confuſione populũ tuum qui ſe in conſpectu tuo humiliat, tuam opem ex tota pectoris fiducia poſtulans: * pauperes & inopes fideles tui confitebuntur tibi, & laudem dicent nomini tuo, cum eis bene feceris, cum eos pro tua benignitate exaudieris. 23. Noli amplius diſſimulare, ne vltra diſtuleris vindictam, ſed exurge ad faciendum iudiciũ pro populo tuo. Atque etiamſi nos propter noſtra peccata digni ſimus mala tanta perferre: attamen dignum non eſt, vt tuo nomini talia inferantur opprobria. Propter q etiamſi ex noſtra parte nõ commoueris, vt te noſtra nihil commoueat afflictio, certe pro tui nominis honore zelare debes, & vindicare opprobrium nominis tui, quo affectus es ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

* *memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.*
24. *Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorũ:*
* *superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.*

impijssimis istis alienigenis: dum & sancta tua prophanarunt, & nomẽ E
tuum blasphemarunt, tuumq; cultum, quantum in ipsis fuit, extirpare
conati sunt: * attende ad improperia & cõuitiatorias blasphemias quæ
iugiter tibi inferuntur à populo infideli & peruerso, qui tuum nomen
absq; timore blasphemant, eo quòd se videant nullam inde vltionem
percipere. 24. Noli dissimulare, neque quasi non aduertens inultas re-
linquere impias voces aduersariorũ tuorum, qui & tibi & nobis pro-
pter te obfirmato odio aduersantur: * ecce enim superbia & præsum-
ptio infidelium istorum qui te oderunt, & te in tuis cultoribus perse-
quuntur, nunquam quiescit, sed ascendit iugiter, assidue machinantur
aliquid aduersus nomen tuum, aut populum tuum: id quod te latere
non potest, cuius oculis omnia nuda sunt & aperta. Propter quod, eõ-
cludentes, tam ob tuæ gloriæ contemptum, quàm ob nostræ afflictio-
nis miseriam, postulamus mitti nobis desuper cõtra inimicos nostros
auxilium, vt de manibus sæuissimorũ hostium eruti, quietam & tran-
quillam in sancto tuo seruitio vitam ducamus.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXIII.

VErsu 1. Vt quid Deus repulisti in finem? Plurimum habet conuenientię hic Psalmus cum eo qui F
est in ordine quadragesimus tertius, & est vtriusque pene eadem materia, desolatio scilicet po-
puli Dei sub oppressione hostium infidelium: à qua postulatur diuina liberatio. Vterq; allegat quæ
prius Deus veteri populo exhibuit mirabilia beneficia, & quàm mirabiliter priores illi patres Dei
manu sint protecti commemorat, vt facilius impetretur misericordia. ¶Versu 2. Memor esto con-
gregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Si ad populum veterem Hebræorum hoc referatur, posse-
dit istos Deus ab initio, ex quo eos de Aegypto eduxit. Si verò ad populum nouæ legis, possedit eos
Deus ab initio, ex quo placuit ei in sanguine suo emere genus humanum à patre, de manu diaboli, &
per Apostolos ædificare ecclesiam. Ab eo siquidem tempore, non desijt Christus dominus possidere
Deut.32. suam Ecclesiam, nunquam eam dereliquit, quemadmodum neq; derelinquet in finem. Eundem hunc
populum fidelem in versu sequenti vocat virgam hæreditatis, id est, virgam hæreditariã, hoc est, hæ-
reditariam possessionem. Videtur enim virga hæreditatis, idem hic esse, quod alibi dicitur funiculus
hæreditatis, dicente Moyse, Pars autem domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Estq;
Psal.67. ratio eadem, cur hæreditas domini virga dicatur & funiculus, quoniam scilicet mensorijs & funicu-
lis terra diuidebatur. De monte autem isto, in quo habitat Deus, supra dictum fuit. Psal. 67. Mons in
quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim dominus habitabit in finem. ¶Versu 6. Posuerunt G
signa sua signa, hoc est, signa vexillorum suorum posuerunt pro trophæis, erexerunt in signa victo-
riæ. Vnde B. Hieronymus vertit, Posuerunt signa sua trophæa. Videtur autem quod sequitur, Et non
cognouerunt, per parenthesim esse interiectum, vt quod proxime sequitur: sicut in exitu super sum-
mũ, iungatur prioribus, ad hunc sensum, Posuerunt vexilla sua pro trophæis & signis victoriæ, quasi
in exitibus, in portis, super loca altissima, quemadmodum fieri solet à gloriantibus de victoria. Vn-
Iudi.14. de in libro Iudith legimus, victricis mulieris consilio, caput Holofernis in muro suspensum. Simili-
2.Reg.1. ter & corpora Saul ac filiorum eius in muro Betsan à Philistæis fuere suspensa in victoriæ signum.
Illud autem, Et non cognouerunt, separatim legendum videtur, indicans, hostes non agnouisse quid
agerent, & vnde sibi victoria proueniret, &c. quemadmodum in Elucidatione explanauimus. ¶Versu
7. In securi & ascia deiecerunt eam. Psalterium Romanum habet ea, vt referat sancta & ostia templi.
Rectius autem habet nostra lectio genere fœmineo eam, vt referat hæreditatem, velut etiã in priori
parte, ianuas eius accipimus, ianuas hæreditatis Dei, Itaque sensus erit, In securi & bipenni subuerte-
runt & destruxerunt hæreditatem tuam, omnia confregerunt & cõminuerunt ausu temerario hostes
insanientes. Fit autem hoc ex Græca lectione manifestius, vbi tam genitiuus eius, q̃ accusatiuus eam
genere fœmineo manifeste cernitur haberi. ¶Versu 10. Signa nostra non vidimus. Manifestum est
hanc vocem non esse illorum qui in versu mox præcedenti dicebant, Quiescere faciamus omnes dies H
festos Dei à terra, sed esse vocem populi Dei conquerentis, inter hæc tanta grauamina, & tam sum-
mas miserias, nulla apparere Dei testimonia, nulla signa, nullas Prophetias: vt ex his videri possit, De-
um prorsus abiecisse populum suum, nec vltra ad eum in bonum aspicere. Solet enim Deus afflicto
populo saltem Prophetas mittere, qui ipsum in tribulatione cõsoletur, quemadmodum olim Iudæis
in Babylonica captiuitate, Hieremiam, Ezechielem, atque alios plures. Et forsitan hoc sibi vult versus
iste quod in nouissimæ persecutionis miserandis illis temporibus futurum dicunt quidam sanctorũ,
vt prorsus cessent in Ecclesia Christi ad tempus miracula, cum etiam aduersarij falsa edent prodigia.
¶Versu 12. Vt quid auertis manum tuam & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem? Videtur de-
fectiua esse oratio, verbi adiectione complenda: quod dupliciter fieri poterit, vel vt infinitiuus subau-
diatur connexus verbo auertis, hoc modo: Vt quid auertis extrahere dexteram tuam de sinu tuo. vel
vt imperatiuus subaudiatur, hoc modo, Et dexteram tuam aufer, vel extrahe de medio sinu tuo. Ma-
nifestum est autem, sermonem istum iuxta humanum morem sic ad Deum dirigi, quasi otiosum &
Prou.19. manum in sinu gestantem absconditam. Nam absconsio manus in sinu vel sub alcella (vt ait Sapiens)
ad otiosum pertinet. Exerimus autem de sinu, quando ea percutere volumus, aut agere quippiã ope-
ris Chal. translatio verbum supplet, & sententiam complet hoc modo, Quare conuertes manũ tuam?
dexteram autẽ tuam de medio bonitatis tuæ exere, vel extrahe, & contere qui præbet molestias tibi.
¶Versu

A ¶Versu 13. Deus autem rex noster ante sæcula. Versum istum vnà cum sequentibus aliquot, possu-
mus exponere secundum literam primum, ac deinde secundum sensum mysticum, iuxta quod figu-
ræ illæ quæ exponuntur, significant. Vnde hanc salutem, quam in medio terræ Deus est operatus pro
patribus, primum ad literam interpretamur de liberatione populi Israëlitici à seruitute Pharaonis:
quæ in medio terræ facta est, dum coram omnibus populis gesta, ad omnium aures fama peruenit.
Quia verò ista liberatio Israëlitici populi sub Pharaone rege Aegypti, figura erat liberationis popu-
li fidelis per Christum à diabolo, tenebrarum principe, iccirco hanc salutem secundum mysticum
sensum interpretamur, illam quæ per Christum in carne propria pro nobis facta est in temporis ple-
nitudine. Quæ quidem salus rectissime in medio terræ facta dicitur, quoniam pro omnium omnino
populorum & gentium vtilitate in vno Iudææ loco facta fuit. Omnium enim communis erat hæc
salus: omnibus æque propinqua, æquè vicina omnibus. Aut (vt quidam aiunt) in medio terræ, quia
in Iudæa, quæ habitabilis terræ medium est. Deinde, quod versu 14. & 15. proxime sequitur, de maris
transitu & capitibus draconum contribulatis in aquis, primum quidem secundum literam de transi-
tu filiorum Israël per mare rubrum, & submersione Aegyptiorum exponitur, quemadmodum ma-
nifeste indicat Chald. Parap. quæ sic habet, Deus meus cuius diuinitas sancta, ab æterno operatus est
redemptionem in medio terræ. Tu diuisisti in fortitudine tua aquas maris, tu contriuisti capita dra-
B conum, & mersisti Aegyptios in mare. Tu confregisti capita procerum Pharaonis, dedisti eos ad de-
structionem populo domus Israël, corpora verò eorum draconibus, id est, piscibus magnis, & cetis
maris. Secundum verò mysticam intelligentiam, manifestum est, illud de institutione baptismalis sa-
cramenti exponi: in quo diabolus quasi submergitur & conteritur, dum ei potestas aufertur: popu-
lus autem domini saluatur, dum ab eius manu à morte saluus euadit per baptisma. Similiter & de eo
dicendum quod sequitur, de fontium & torrentium datione in deserto, & fluminum exiccatione,
quę secundum mysticam intelligentiam facile possunt exponi, quia in deserto gentium vbi antè non
fuerant aquæ spiritualis doctrinæ vel spiritualis gratiæ, ibi post Christi passionem fluxerunt fontes
saluberrimæ doctrinæ Euangelicæ, fontes viuentium aquarum, qui quasi in torrentes excreuerunt,
quando mira celeritate per vniuersum orbem transierunt. Exiccata autem sunt flumina fortia ad
transitum filiorum Israël, quoniam potentia potentum sæculi, & sapientia sapientum euacuata atque
humiliata est: vt non noceant veris Israëlitis, in terram promissionis volentibus ingredi. Omnia ergo
ista sic mystice poterunt apte interpretari, neq; incommode ad negotium propositum, vt per com-
memorationem Deo velut in memoriam reducamus, quanta populo suo nouo olim dum in carne
nobiscum ageret, exhibuit beneficia: propter quod, nos populum suum merito non debet nunc in
fine temporum abijcere, quem olim ita clarum habuit, & tantis affecit spiritualibus bonis. Attamen
C expositio illa quæ ad literam historialia facta intelligit, ad propositum videtur quadrantior, quam
illa quæ secundum mysticos sensus incedit. ¶Versu 15. Dedisti eum escam populis Aethiopum. Po-
pulos Aethiopum nos in Elucidatione interpretamur mystice, denigratos & teterrimos dæmones
quibus dati sunt in escam impij illi & infideles Aegyptij, Pharao cum exercitibus suis. Iuxta quod in
alio Psalmo de impijs persequutoribus iustorum dicitur, Introibunt in inferiora terræ, tradentur in Psal. 62.
manus gladij, partes vulpium erunt, id est, malignorum & astutissimorũ dæmonum. Et iterum, Mit- Psal. 147½
tit cristallum suam (id est, homines induratos & obstinatos in sua malitia, cuiusmodi erant hi Aegy-
ptij, post tot visa signa, nihil adhuc Deum metuentes) sicut buccellam, in escam scilicet diaboli eos
proijciens, quomodo buccella proijci solet ante faciem canis vt voretur. Alij verò dicunt illos datos
in escam populis Aethiopum, quoniam arma illorum & ornatus atq; diuitiæ ad littora Aethiopum
applicabant, atq; ita eorum spolia accipiebant. Qui autem ex Hebræo vertunt, Dedisti eum in escam
populis deserti, pro populis Aethiopum: exponunt de filijs Israël, qui in desertis tum morabantur:
quibus quasi in escam dati fuerunt Aegyptij, quando à facie eorum ex Dei virtute sic contriti sunt &
deuorati, quomodo esca absq; molestia conteritur. ¶Versu 16. Tu disrupisti fontes & torrentes. Non
est sensus, Diuisisti fontes & torrentes, quasi in partes secando, quomodo mare rubrum fuit diuisum
sed tantundem est ac si diceretur, Per disruptionem dedisti, vel per diuisionem aut scissionem fluere
D fecisti fontes & torrentes: per disruptionem, inquam, vel diuisionem non ipsorum fontium, aut tor-
rentium, sed petræ vnde effluxerunt. Valet ergo disrupisti, idem quod disrumpẽdo vel scindendo de-
disti, aut fluere fecisti, quemadmodum per contrarium, confirmasti mare, in versu 14. non aliud est,
quam per confirmationem & consolidationem vtrarunq; partium continuisti ne flueret, sed transi-
tum daret. Atq; huic sententiæ aperte subscribit quod habet Chald. Parap. Tu confregisti fontem de
rupe, & factus est in flumen. In eo quoque quod sequitur, Tu siccasti fluuios Ethan: quidam per flu- Exod.13.
uios Ethan intelligũt mare rubrum, quod vicinum fuisse loco vocato Ethan, manifestum est ex cap.
13. Exodi: siquidem populus Israël egressus Aegyptum, castrametatus est in Ethan, quod est in extre-
mis finibus solitudinis iuxta quem pene locum inuenerunt illos Aegyptij, cum ad persequendum
eos fuissent egressi. Vnde putant iterum hîc significari diuisionem maris rubri. Verum quia hoc iam
supradictum fuerat, magis videtur de Iordane sermo fieri, atque ita illud Ethan suam interpretatio-
nem accipiet. Sonat enim fortia. Vnde B. Hieronymus vertit ex Hebræo, Tu exiccasti flumina fortia.
Apparet autem, rapidum fluuium & violentum fuisse Iordanem. Quam sententiam manifeste appro-
bat Paraph. Chald. sic habens, Tu siccasti flumina Arnon, & decursum eius rapidissimum, & Iorda-
nem insuper validum, vbi manifestum est, de fluminibus fortibus & rapidis fieri sermonem. ¶Versu
20. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi. Bestias secundum similitudinem vocat infideles hostes,
vel propter ignorantiam Dei, vel propter crudelitatem & immanitatem, omnisque misericordiæ &

compassionis defectum: dum ita crudelissime solius Dei odio sæuiunt in populum, qui nihil sibi no- E
cuit. Pauperes autem, fideles & humiles vocat. Pulchre verò hunc versum Chald. translatio exponit sic habens, Ne tradas populis similibus animalibus syluestribus animas discentium legem tuam, vel eruditas in lege tua, quomodo etiam ex Hebræo vertit Hieron. Felix autem pulchra admodum ex vtraque parte respondente comparatione, ita vertit, Ne des feræ vel bestiæ animam turturis tuæ, id est, populi tui in lege tua meditantis, & tui desiderio gementis assidue, quod est turturis officium.

¶ Versu 21. Repleti sunt, qui obscurati sunt terræ, domibus iniquitatum. Latina lectio hoc loco aliquanto obscurior & inuolutior est Græca, quę sic habet, ἐπλησθησαν οἱ ἰσχυοντες μενοι τῆς γῆς οἴκων ἀνομίων, hoc est, obscurati terræ repleti sunt domibus iniquitatum. Nam genitiuus terræ, iungi debet cum illo, qui obscurati sunt, & ablatiuus domibus iniquitatum, à verbo repleti sunt, regi. Quem autem sensum hæc lectio habeat, indicat Elucidatio. Posset tamen & aliter exponi, hoc modo, Obscurati sunt in terræ, homines impij super terram obtenebrati, & in sua infidelitate obstinati, repleti sunt domibus iniquitatum, hoc est, abundant domibus & exercitibus impijs, in quibus confidunt, & in quibus valent quicquid audent, vbi tu Deus non miseris tuis adiutorium. ¶ Versu 22. Ne auertatur humilis factus confusus. Participium factus in medio positum non satis constat, an ad præcedens debeat an ad sequens referri. Aptius tamen videtur, vt cum sequenti iungatur, hoc sensu, Ne humilis auertatur factus confusus, id est, populus afflictus & humiliatus non auertatur cum confusione. Quam sententiam satis manifeste continere videtur versio Felicis ex Hebræo, Ne reuertatur contritus, confusus: aut, Ne reuertatur miser & pauper confusus. F

LXXIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

In hoc Psalmo Christus introducitur loquens ad patrem, initio quidem simul cum suis fidelibus, dicens se vna cum illis patri confessionem laudis daturum, & cuncta eius mirabilia annunciaturum: mox verò in medio versus secundi, ipse solus in persona propria singulariter loquitur de extremi iudicij die, de q̃ mundi perditi reparatione & instauratione, de Euangelica prædicatione, & impiorum à superba mente ad pœnitentiam reuocatione, eo quòd iudex omnium sit Deus, & de calice indignationis pleno fœcibus, de quo prædicit bibituros omnes peccatores terræ. Nouissimis autem duobus versibus, iterum replicat, se velle semper cantare domino: & in nouissimo die, superbis humiliatis iustos prædicit exaltandos.

SEPTVAGESIMIQVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 Cõfitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomẽ tuum.

Confessione & laude te celebrabimus. ego tuus vnigenitus simul & fratres mei populus credentium tibi, sicut dignus es accipere omnem laudem, omnem honorem, & omnem G
benedictionem confessione & prædicatione gloriæ tuæ te celebrabimus atq; magnificabimus: & laudantes, ex corde fideli affectuque pleno fiduciæ, inuocabimus auxilium sancti nominis tui. 2. In confitendo autem, enarrabimus pro nostra virili cuncta magnalia tua, & opera magnifica, quæ pro tuo populo operari voluisti ab initio: eorumque virtutem & magnificentiam, quantum in nobis erit, prædicabimus, & notam faciemus vniuersis: * ego autem vnigenitus filius tuus, cui dedisti potestatem iudicium facere, quem iudicem constituisti viuorum atque mortuorum, cum tempus aduenerit à te constitutum nouissimo examini cum dies illa & hora, quam nemo nouit nisi tu, dies, inquam, suprema illa & vltima hora omnium humanorum actuum discutioni & retributioni assignata adfuerit, tum ego potestate vtar quam dedisti mihi, iuste iudicando, de singulis hominum operibus, redditurus vnicuique secundum opera sua ijs qui bona egerunt vitam æternam: illis autem qui mala patrarunt, æterni ignis tormenta. 3. Liquefacta, dissipata, & prorsus resoluta, siue vsque ad nihilum H
redacta fuerat terra, cum omnibus inhabitatoribus suis: quando ante meum aduentum, sub principatu diaboli (qui tum erat huius mundi princeps) regnante impietate, & concupiscentia dominante, omnes declinauerant, vixq; supererat operans bonum: cum plenus esset mundus errorum tenebris, & omnia idololatria ac alijs vitijs enormibus essent fœdata atque dissipata: * ego verò tempestiue in hunc mundum aduenies, terram iamiam velut ruituram & disperituram in nihilum, salutari remedio prædicationis ac doctrinæ Euangelicæ seruaui, ac velut columnarum firmitate suffulciui, atq; constabiliui: ne prorsus deficeret: quemadmodum cum domus ruinę proxima, suppositis columnis, aut ijs quæ columnarum vice sint, subiectis, sustentatur ne cadat. Ita plane orbem perditum, & iam proximum vt in nihilum collaberetur (vtpote nimia malitia deuastante omnia) ego aduenies, salutari doctrina euangelij, velut firmamento columnæ sustentaui, & constabiliui, vt non penitus collabatur vsque in consummationem sæculi. 4. Reuocaui impios ab impietate sua, dixiq; illis in terrore comminationis

Apoc.4. & 5.

2 Narrabimus mirabilia tua:

Ioan.5. Actu.10. ** cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.*

Matt.24.

Matt.28. Ioan.5.

3 Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea:

** ego confirmaui columnas eius.*

4 Dixi iniquis, nolite iniquè agere:

A

tionis meæ, nolite pergere in vestris iniquitatibus, neque addatis vltra prævaricationem ad ea quæ hactenus egistis, sed pœnitentiam agite præteritorum facinorum, & iustitiæ amodo vacate: * & ijs qui in delictis & impietatibus versantur denunciaui cum terrore comminationũ mearum, ne cornua sua erigerent, ne superbè & præsumptuose agere perseuerarent, ne in superbia sese exaltarent, ob suam temporalem potentiam atq; diuitias sæculi. 5. Nolite (inquiebam ego illis) erigere vestra cornua in excelsum, nolite de vestra potentia gloriari contra Deum, neq; in vestris temporalibus glorijs præsumatis, vt quicquam audeatis aduersus illum agere impietatis: * cauete, ne contra Deum extento collo in superbia & abusione loquamini, quæ blasphema sunt & impia, ne de illo blasphemando aliter loquamini quam deceat, néue contra illum proponatis agere, quæ non conueniant prævaricado, sed potius seruite illi vt Domino Deo vestro, in timore, & exultate ei cum tremore. 6. Merito sane cauendum est omnibus, ne aduersus Deũ erigant cornu; quoniam ipse est Deus vnus ac solus iudex, neq; est præter eum alius, neq; ab oriente, neq; ab occidente, neq; à montosis locis deserti, qui ad meridiem sunt, neq; item ab aquilone, neq; ab vlla omnino parte alius potest venire Deus: * quoniam Deus vnus & solus iudex est, potestatem habens facere iudicium omnium in terra, qui vnus omniũ & bene & male facta examinabit atq; remunerabit pro merito cuius tribunali sisti & cuius iudicio præsentari suo tempore debebũt, velint, nolint, vniuersi: illi etiã qui in hoc sæculo superbe sese exaltant, & cornua erigũt aduersus ipsum. Siquidem illius vnius iudicio omnes necesse est præsentari: neq; quisquam erit vel tam potens, vel tam sapiens, qui eius possit iudicium effugere. 7. Ipse autem iudex vnus secundum iustitiæ suæ æquitatem, pro cuiusq; merito faciet remunerationẽ, hos quidem humiliando, & in ima inferni condemnationis sententia demergendo, cum eis inquiet, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: illos autem exaltando in vitam æternam pro studio bonarum operationum, cum eis inquiet, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi: * Est enim in manu iudicis huius dispensatio condignæ retributionis & distributio promeritę mercedis, tanquam calix in manu hominis alicuius, tanquam calix (inquam) vini fortissimi & impotabilis, plenus commixtione fœcum & sordium, totusq; turbulentus, & fœculentus, vt horror sit ex illo bibere, illũmue gustare. Est enim hic calix iræ & indignationis Dei omnipotentis, qui continet vltionem amarissimam, & importabile iudicium, quod est tanquã vinum meracissimum, fortissimum, durissimum, & prorsus fœculentum, quod sit impotabile. 8. Et inclinauit Deus hunc calicẽ quem in manu tenet, ex parte vna in aliam, quemadmodum fieri solet cum diuersis ex eodem calice datur bibere: ex eodem hoc poculo potum propinat omnibus impijs, quos omnes simili iudicio condemnat, eodemq; condemnationis poculo potat: * veruntamen quanticunq; peccatores ex hoc calice bibant, adhuc non est fæx eius prorsus exhausta, neq; vnquam exhaurietur, adhuc eadem seruatur damnatio impijs pòst venturis, & de hoc calice bibituris: semper iram & indignationem Dei bibent & sentẽtia mortis amarissima potabuntur quicunq; id suis malis operibus commeruerint. Infernus enim & perditio nunquã replentur, nunquam dicunt, sufficit: * bibẽt ex hoc calice iræ & indignationis Dei omnes qui super terrã mala patrarunt, & peccatis se commaculauerunt, nec egerunt pœnitentiam. Huiusmodi omnes bibent amarissimas fæces calicis huius, horum ne vnus quidem effugiet mortis iudicium. 9. Ego autem pariter cum meis fidelibus annunciabo in æternum mirabilia Dei patris mei, misericordiã erga bonos, & erga impios iustitiam: * cantabo in Psalmis & hymnis, laudemq; & honorẽ dicam, in testimonium gratiãrum actionis, Deo patri meo, qui est Deus populi sui. 10. Et in tempore iudicij illius, de quo iam antè dixi, ego conterã atq; comminuam omnia cornua impiorum, omnem superbiam & celsitudinẽ prauorum ego deprimã & humiliabo, deponamq; omnes potentes de sede, & diuites faciam vacuos: * iustorum autem humilitatem ego subleuabo, & eorum potentiam glorificabo: quando exultationes meas & patris mei dabo in guttur eorũ, & gladios ancipites in manibus: quando in capite eorum ponam diadema gloriæ meæ, & sceptrum regni mei dabo in

** & delinquentibus, nolite exaltare cornu.*

*5 Nolite extollere in altum cornu vestrum: * nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.*

6 Quia neq; ab oriente, neq; ab occidente, neque à desertis montibus: B
** quoniam Deus iudex est.*

Pſal. 2.

Ioan. 5.

Rom. 14. 2. Cor. 5.

7 Hunc humiliat, & hunc exaltat.

Matth. 25.

C ** quia calix in manu domini vini meri, plenus mixto.*

Ibidem.

Apoc. 16.

8 Et inclinauit ex hoc in hoc:

** veruntamen fæx eius non est exinanita:*

D

Pſal. 74.

** bibent omnes peccatores.*

9 Ego autem annunciabo in sæculum:
** cantabo Deo Iacob.*

Lucæ. 1.

10 Et omnia cornua peccatorum confringã:
** & exaltabũt cornua iusti.*

Pſal. 149.

manibus eorum. Erit enim tunc & manifeſte apparebit omnibus mirabilis illa mutatio, qua omnes qui ſe in mundo exaltauerant, humiliabuntur, contra verò exaltabuntur qui ſe humiliauerant. E

Luc.14.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXIIII.

VErſu 1. Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum: Recto ordine confeſsio præmittitur: ſuccedit inuocatio. Sunt enim, qui ſolo timore nonnunquam inuocant, quando non merentur exaudiri, iuxta illud, Tunc inuocabunt, & non exaudiam. Et vt ſatuis virginibus clauſo oſtio clamantibus dicetur. Neſcio vos, diſcedite omnes operarij iniquitatis. Qui autem confitentur Deo, vt oportet, corde videlicet, ore & opere, (Nam ore ac verbis confiteri, factis autem negare, nihil aliud quam irriſio eſt & ſimulata hypocriſis) hi ſunt qui fiducialiter inuocare poſſunt nomen Domini. ¶ Verſu 2. Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Accepit quidem iam Chriſtus poteſtatem faciendi iudicium, iuxta quod apud Ioannem dicitur, Poteſtatem dedit filio pater iudicium facere, quia filius hominis eſt. Et apud Matthæum, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Et in Actibus Apoſtolorum, Hunc conſtituit Deus iudicem viuorum & mortuorum. Nondum tamen accepit tempus, in quo ſuum debeat complere iudicium, quia nondum tempus illud aduenit iudicandi, quod à patre ab æterno eſt prædefinitum. Cum ergo tempus hoc acceperit Chriſtus, tum iudicabit iuſtitias. Iudicare autem iuſtitias, accipiendum videtur, vt idem ſit quod iudicare iuſta, quomodo ex Hebræo vertit Hieronymus, Ego recta iudicabo. Nam iuxta communem loquendi conſuetudinem ſcripturarum, facere bonitatem, poni ſolet pro facere bonum: facere iuſtitiam, pro iuſte agere: facere iniquitatem, pro facere quod iniquum & malum eſt, atque ita in alijs. Aut intelligatur. Chriſtus iudicaturus iuſtitias, quoniam iuſtitias hominum examinabit, & de iuſtitijs iudicabit: ita vt in quibus eas inuenerit, pro iuſtitiæ qualitate reddat beata præmia: in quibus autem abeſſe comperit, illis reddat æterna tormenta, eo quidem maiora, quo longius ab illa abfuerint. Attamen prior intelligentia, ſecundum conſuetudinem ſcripturarum videtur prior. Poſſet verò hoc iudicium Chriſti intelligi iudicium prius, quod iam impletum eſt in primo ipſius aduentu, quo videlicet pro humano genere in temporis plenitudine iudicauit, dum huius mundi principem foras eijciens, condemnauit, humanum autem genus de captiuitate miſeria & grauiſsima tyranide miſericorditer liberauit. Cum enim tempus accepit Chriſtus, quo hoc iudicium fieri debebat, vbi aduenit temporis plenitudo, magnificam rem compleuit in potentia virtutis ſuæ, mortem ſimul ac mortis authorē ſua morte interficiens. Huic autē ſenſui non inepte conſonat verſus qui ſubſequitur, de conſtabilitione terræ, iuxta expoſitionem à nobis in Elucidatione poſitam. ¶ Verſu 3. Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmaui columnas eius. In Elucidatione verſum iſtum de conſtabilitione & reſtauratione mundi, per Euangelicæ doctrinæ prædicationem, & ſancti ſpiritus deſuper miſsionem, ſumus interpretati. Iuxta quam expoſitionem, manifeſtum eſt ſecundum metaphoricam loquutionem accipiendum, quod dicitur de confirmatione columnarum terræ. Quemadmodum enim ædificium quod minatur ruinam, & caſui proximum eſt, columnis ſubiectis fulcitur, & ſtabile redditur, vt iam caſum non metuat: ita mundus qui ante Chriſti aduentum videbatur pene in extremas fæces deueniſſe, vt vix vltra pietatis quicquam eſſet reliquum, ſtabilitate doctrinæ ipſius Euangelicæ velut confirmatus eſt atq; ſtabilitus, ita vt iam imperpetuum fide & pietate penitus nequeat deficere. Semper enim verbum Dei conſeruabit electos. Poteſt etiam intelligi de futura mundi purgatione, hoc modo, Antequam adueniam ego in iudicium, liquefiet terra, & igne cōflagrationis purgabitur, cum omnibus inhabitantibus. Neq; mirum ſi liquefiet, ſi comburetur terra à facie mea: quandoquidem ego ab initio ſtabiliui & fundaui eam, conſtituendo eam ſuper ſtabilitatem ſuam, vt non moueatur neq; cadat in ſæculum, atq; ita velut poſui, & firma locaui fundamenta eius: quemadmodum illa quæ firma & immobilia volumus conſiſtere, ſolemus ſuper confirmatas columnas ædificare. Ipſe enim Deus eſt, qui terram fundauit, ſtabilemq; poſuit, nec aliud habet fundamentū vel columnā ſtabilitatis ſuæ, niſi Dei verbum. ¶ Verſu 4. Nolite exaltare cornu. Exaltatio cornuum quæ in hoc Pſalmo frequenti admodum iteratione replicatur, ſuperba elatio intelligitur. Vnde & vulgo dicimus, quempiam erigere vel extollere cornua, vbi ſeſe per ſuperbiam magnificare & exaltare aduerſus alios cœperit. Vnde Horatius de vini virtute, carminè ludens, pauperem dicit hauſto vino ſumere cornua. Et vulgo homines, vbi quempiam viderint ferociam, ſuperbiam, aut proteruiam relinquere, dicunt illum cornua ponere, aut perdidiſſe cornua. Item & cum ſignificare volumus, nos quempiam humiliaturos, & ſuperbiam proteruiamq; dedocturos, dicimus nos illi attrituros ſiue detrituros cornua, quæ gerit ſuperbiens atque proteruiens. Sumpta eſt metaphora à tauris feris, qui gloriantur cornuum potentia: quomodo peruerſi homines eleuantur ſuis temporalibus dignitatibus, potentijs atque diuitijs. ¶ Verſu 6. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertis montibus. Manifeſtum eſt, hunc ſermonem pati defectum poteſtque varijs ſubauditionibus compleri. Vel ſic, Neque ab oriente, neque ab occidente, neque deſertis montibus, alius eſt Deus vel iudex, quoniam vnus Deus, vnus ipſe eſt iudex omnium. Vel ſic, Neq; ab oriente neque ab occidente, &c. veniet liberatio, vel ſaluatio, vel efugium cuiquam hominum, in die nouiſsimi examinis, quoniam Deus eſt iudex vniuerſalis omnium, cuius potentiæ nemo poteſt reſiſtere, cuius imperium & iudicium nemo poterit effugere, eo quòd in omni loco ipſe habeat plenum & perfectum dominium. Nemini enim ſpes eſſe debet contra Chriſti Dei noſtri iudicium poſſe quenquam habere auxiliatorem aut defenſorem, per quem illam poſsit ſeueritatem impunè euadere, ſi actionibus malis in vita corporis eam promeruerit. Vel ſic, Neque ab orig

Miche.3. Matth.25. Titum 1.

Ioan.5. Matt. 28. Actu.10.

Ioan. 12.

Pſal. 103.

A ab oriente, neque ab occidente, &c. cuiquam venire poteſt vera exaltatio, niſi à Deo, neq; cuiquam poteſt contingere, niſi cui Deus donauerit. Is namq; ſolus exaltatus vere eſt & magnus, nō qui ſe exaltat, ſed quem exaltat Deus: quemadmodum non eſt probatus qui ſeipſum commendat, ſed quem commendat Deus. Atque ita apte etiām conſonat quod ſequitur, quoniam Deus iudex eſt, cuius nimirum ſolius eſt exaltare exaltatione certa ac ſolida. Vnde mox ſubditur: Hunc humiliat, & hunc exaltat. Atq; hanc ſententiam aperte exprimit verſio Felicis, quæ hoc loco ſic habet. Quoniam neq; ab oriente, neque ab occidente, neq; à deſerto exaltatio. Primæ autem expoſitioni (quam & in Elucidatione ſolam ſequimur) conſonat Chald. Paraph. ſic habens, Quoniam non eſt alius præter me, ab oriente vſq; in occidentem: & à ſeptentrione domus deſertæ, & ab auſtro vſq; ad loca montoſa, Cæterum, illud quod dicitur, à deſertis montibus, plagam meridionalem ſignificat. Nam deſertum magnum (in quo & montes erant) Iudææ à meridie eſt, quemadmodum mare Iudæis eſt ab occidente. ¶ Verſu 7. Calix in manu domini vini meri, plenus mixto. In Elucidatione hunc calicem interpretati ſumus, diſpenſationē iuſtæ vltionis & condemnationis quam Deus propinabit impijs. De quo calice, & aliàs in ſcriptura frequens fit mentio, vt Pſalmo 10. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, pars calicis impiorum. Et in Apocalypſi. Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius, &c. hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in

B conſpectu angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni. Item Eſaiæ 51. Eleuare, eleuare, conſurge Hieruſalem, quæ bibiſti de manu domini calicem iræ eius: vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces. Quibus verbis exprimitur vehemens vltio & grauis vindicta Dei ſuper populum Iſraëliticum. Et quidem interdum temporalis punitio, interdum verò ſempiterna indicatur, velut in loco propoſito. Quòd autem calix iſte dicitur plenus vini meri, ſignificat fortitudinem, duritiem, & grauitatem vltionis, quod ipſum magis exprimit plenitudo commixtionis, & turbulentia quæ ſubiungitur. Duo enim ſunt quæ maxime vinum faciunt impotabile, primum quidem ſi nimiū ſit auſterum, rigidum, forte, violentum, nec bene attemperatum debilitati humanæ complexionis: deinde, ſi turbulentum ſit, & fæcum commixtione amarum redditum. Dum ergo duo hæc ad calicem adijcit, eius impotabilitatem ſignificat. Impotabilitas autem (vt ita loquamur) calicis, ſignat importabilitatem diuini iudicij, quod ſuper impios veniet in die nouiſsimo. Vnde Petrus Apoſtolus in epiſtola ſecunda, loquens de malis angelis, dicit, eos non portare aduerſum ſe execrabile Dei iudicium, id eſt, importabile eis eſſe, terribile & horribile Dei iudicium. Poſſet tamen calix iſte prædictus generalius intelligi, vt includat retributionem vtranque, tam bonorum quàm malorum. Atque ita quidem calix iſte intelligetur diſpenſatio iuſtitiæ Dei, ſecundum quam vnicuiq; congruam pro meritis tribuet mercedem, bonis ſalutem, malis damnationem. Cum enim Deus per eandem ſuam iuſti-

C tiam, his quidem vitam, illis autem damnationem æternam retribuit, quaſi ex eodem calice iuſtos ſimul & impios potat. Verum iuxta hanc expoſitionem, per vinum merum conuenientius intelligenda videtur fœlicitas & iocunditas vitę æternę. Nam vinum lætificat cor hominis. Licet autem in hoc tempore nonnunquam guſtare & bibere detur electis de vino iſto, tamen iam non merum eſt, non purum eſt, non ita præſtans & electum, quemadmodum tunc erit, quando abſque omni commixtione triſtitiæ ſolidum & pleniſsimum erit gaudium. Tali ergo vino mero, tali vino præſtantiſsimo & amabiliſsimo plenus eſt calix ille Dei, vt inde reficiantur & inebrientur ſancti. Siquidem hi inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Et calix iſte ſic inebrians, quàm præclarus eſt. Non tamen ſolum ineſt vinum iſtud merum, ſed propter impios plenus eſt mixto, plenus eſt fæcibus commixtis, plenus eſt felle & abſinthio, quæ ex eodem calice potabunt omnes impij. Ex eodem calice bibent pij vinum merum, & impij fæces amariſsimas. Atque ita quod in verſu ſequenti ſubnectitur. Et inclinauit ex

D hoc in hoc, pulchre admodum intelligitur, ex dextra in ſiniſtram: ijs quidem qui ad dexteram ſunt ouiculis inclinando, vinum puriſsimum præbens, illis autem qui ad ſiniſtram, ex eodem fæces amariſsimas & turbulentiſsimum potum adminiſtrans. Vtraque autem harum expoſitionum bene apta videtur: neque ſatis apparet, vtra vtri ſit præferenda, niſi quòd non multum in ſcriptura ſoleat calix complecti vtramque retributionem, videlicet piorum & impiorum pariter, ſed diuiſim, vel ſolam retributionem fœlicitatis, vel ſolam damnationis, iuxta exigentiam materiæ de qua ſermo habetur. Hebræa quoque lectio non videtur ferre niſi calicem impiorum. Sic enim iuxta Hieronymi verſionem legimus, Calix in manu Domini eſt, vino meraco vſque ad plenum mixtus, & propinabit ex eo: vbi duorum contentorum non poteſt accipi diſtinctio, ſed vnius tantum ad ſummum vſque impletio, quod vtique videtur in malum accipi, tum propter præcedentia, in quibus terror iudicis ſignificatur, tum propter conſequentia, in quibus ſecum ſit mentio, quas vtique in electorum non erit inuenire. Conſonat & Chaldai. Paraphraſis quæ calicem hunc vocat calicem maledictionis, plenum vino mero, & temperamento amaritudinis.

1.Cor.10.

Pſal. 10.

Apoc. 14.

Eſaiæ.51.

2.Pet.2.

Pſal.103.

Pſal 35.

Pſal.22.

LXXV. PSALMI ARGVMENTVM.

PRophetat in hoc Pſalmo Propheta, de cultu vnius Dei Chriſti Ieſu in Eccleſia ſancta, quæ eſt Iudæa, Iſraël, Hieruſalem, & Sion vera, deq; mirabili Chriſti victoria cōtra mimicum generis humani, & pace vera mundo allata, de mundi admirabili illuminatione perſanctos Apoſtolos, vnde facta eſt infidelium conturbatio: qui in ſomno infidelitatis ſuæ permanentes, nec ad Euangelij lucem volentes exurgere, vacui permanſerunt ab omni bono: quorum erit terribilis vltio in nouiſsimo iudicij magni die, cuius terrorem verſu 7. 8. & 9. deſcribit. Verſibus autem tribus nouiſsimis, ex pia magnalium Dei conſideratione, monet laudem optimo Deo reddere, & deuotionis munera perſoluere, illi qui vnus eſt etiam regibus terræ formidabilis.

SEPTVA-

SEPTVAGESIMIQVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

E

1 *Notus in Iudæa Deus:*
* *in Israël magnum nomen eius.*

Roma.1. Rom.10.

2 *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.*

Ioan.14.

3 *Ibi confregit potentias:*

* *arcum, scutum, gladium, & bellum.*

4 *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis:*

Hebr.2. Actu.1. Ioan.16.

* *turbati sunt omnes insipientes corde.*

5 *Dormierũt somnum suum:*

* *& nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

Hebr.11. 6 *Ab increpatione tua Deus Iacob, dormitauerunt qui ascẽderunt equos.*

Elebris fama & optime cognitus est Deus in Ecclesia sancta sua, quę est Iudæa vera, confessionem bonam illi ex corde fideli persoluens: * in populo fideli (qui est Israël verus secundum spiritum, fide videns & cognoscens Deum) magnum, preciosum, honorabile & glorioſum est nomen eius. Quemadmodum enim olim in paruula Iudææ terra solum notus fuit Deus, & in solo semine Israëlis secundum carnem notitia erat nominis & cultus Dei, ita nunc & in tempore gratiæ, & Ecclesia & populo fideli, cognitio abundat, & cultus viget vnius veri Dei: dum interim cæteri omnes qui extra Ecclesiam sunt Deum ignorantes, vel sua idola colentes, euanescunt in cogitationibus suis, vt gentiles idololatræ: vel Deo contradicentes, suam iustitiam quærunt constituere, vt carnales Iudæi. In loco pacis, in Hierusalẽ vera factus est locus & mansio eius: & in Sion vera elegit sibi habitationem perpetuam. Siquidem in Ecclesia, quę est vera Sion & Hierusalem (nimirum fidei contemplatione sublimata & pace Christi, quam mundus dare nequit firmata) elegit sibi Deus man- F
sionem & locum habitationis, vt habitet & permaneat in ea vsque ad consummationẽ sæculi: quemadmodum olim ad tempus aliquantum in Sion & Hierusalem corporali secundum figuram inhabitauit. 3. In hac autem sua Ecclesia, in hac Iudæa, in hoc Israële, in hac Hierusalem, in hac Sion, mirabilia ostendit opera omnipotentiæ suæ, confringens, conterens, & ad nihilum redigens omnes inimicorũ virtutes, omnemque aduersariam potentiam: * arcus scilicet, scuta, gladios, cęteraq; instrumenta bellica aduersariorum confringens & superans, ac bella auferens, hoc est populum suum ab omni malo saluum faciens, & ab omni hostium oppugnatione securũ, ita vt illis nec gladius nec arcus nec scutum nec vllum corporale bellum possit suam pacẽ veram auferre, aut quicquam veri inferre nocumenti. 4. Hanc autem salutem & securitatem populi tui fecisti modo admodũ mirabili, illuminando à montibus æternis radios superni luminis tui mundo tenebris obcæcato, & sub hostium tyrannide velut in obscuro carcere concluso per viros al- G
tissimos ad hoc ab æterno præparatos effundendo, id est, per sanctos Apostolos tuos, quos primũ tuo radio illuminare voluisti (partim tui ipsius magisterio, quo illos corã ore ad os loquẽs in humanitatis forma erudiuisti, partim spiritus tui sancti interna vnctione, quę in cælum scandens eisdem missisti, ad perfectã de rebus omnibus eruditionem) vt deinde per hos sic illuminatos montes, vniuersam terrã illuminares: quemadmodũ sol corporalis primũ in montes suum mittit lumen, vt inde in humiliora loca splendor luminis refulgeat: * quod dũ faceres, turbati sunt omnes increduli & insipientes corde: cõmoti sunt & conturbati omnes terreni & infideles homines, qui noluerunt gratiã Dei recipere, tam Iudæi carnales, qui horum montium splendorẽ, nimium sibi placentes, ferre non potuerunt q̃ gentium populi, qui grauissimas etiã oppugnationes & persequutiones suscitauerunt superno lumini, Euangelij lucem qua potuerunt virtute oppugnantes. 5. Dormierunt ipsi somnium infidelitatis suæ, permanserunt sua voluntaria electione stertentes, & dormiẽtes in infidelitate ac pristinis vitijs & cõcupiscentijs suis, similes hominibus dormientibus media die, qui ad lucem nolunt expergisci, qui se nõ patiuntur exercitari à lumine dici. Ita nolue- H
runt ad lumen supernum mundo infusum expergisci, noluerunt aperire oculos vt lumen reciperent, recusauerunt suscipere veritatis doctrinam, elegeruntq; magis permanere in cæcitate ignorãtię suæ: * atq; ita vacui permanserunt isti viri diuitiarum, homines terreni in potentia & diuitijs gloriãtes, ab omni opere bono, & nihil veri boni inuenire potuerunt in manibus suis, qui diuitijs terrenis & potentia sæculi excæcati contradixerũt lumini sancto Euangelicę veritatis & fidei, sine qua impossibile est placere Deo, aut boni operis quippiã facere vnde possit sperari beata remuneratio. 6. Vbi verò tibi placitum fuit horum sæculi potentum, & veritatis persequutorum superare potentiam, verbo tuo increpasti atq; prohibuisti illos, & ab increpatione tua à voce iussionis tuæ, omnes illi magni atque potentes ascensores equorum similes facti sunt dormitantibus: qui prius gloriabantur in potentia sua, & confidebant in equis & curribus, aduersus populum domini, facti sunt quasi dormientes, prorsus impotentes ad perficiendum sui cordis propo-

A

7 *Tu terribilis es: & quis resistet tibi?*

* *ex tunc ira tua.*

B

8 *De cælo auditum feci sti iudicium:*

* *terra tremuit:*

* *& quieuit.*

C

9 *Cum exurgeret in iudicium Deus:*
* *vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.*

D 10 *Quoniam cogitatio hominis cõfitebitur tibi:*
* *& reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

11 *Vouete & reddite domino Deo vestro:*

propositum: quomodo homines somno depressi nihil valent agere vitalis operis, quantumlibet sint fortissimi: * Ab increpatione quoq; tua somno mortis correpti sunt, & perierunt ascensores equorum, confidentes in potentia & diuitijs suis: voce ac iussione tua pleriq; interempti perierunt, vt cordis sui propositum nõ possent perficere tua increpatione, vltione, siue prohibitione impediti. 7. Tu profecto terribilis es ac merito formidabilis vniuersis, quantumuis iuxta sæculũ potentibus, quantocunq; armorũ apparatu, quodlibet milium copijs instructis: atq; vbi tu ostendere volueris terrorem potentiæ tuæ, non est rex, non est princeps, non est exercitus, non est vlla virtus, neque potestas quæ tuæ potentię valeat resistere: non est vlla creatura, quę contra stare posit in cõspectu tuo: * & quanquam nunc dissimulas, multa longanimitate agas etiam cum hostibus tuis: veniet tamen, quando terrorem tuæ potentiæ manifeste demonstrabis: & ex tunc, illo in momento, cum dies illa aduenerit, tum apparebit furor iręq; tuę, tunc palam apparebit omnibus terribilis indignatio tua, quæ in punitione reproborum monstrabitur in die nouissimo. Tunc enim loqueris ad impios in Rom.2.
ira tua, & in furore tuo conturbabis eos: eritq; dies illa, dies calamita- Psal. 2.
tis & miseriæ, dies terroris & iudicij, dies fletus & luctus omnibus im- Sopho.1.
pijs. 8. Antequam verò hæc ira compleatur, tu Deus de cælo auditum facies iudicium: voce desuper missa proclamari facies venturum tuum iudicium, quando mortui audient vocem filij Dei, & procedent ad remunerationem: quando tuba canet, & mortui resurgent incorrupti: quando descendet iudex de cælo in voce archangeli, dicentis, Surgite Ioan.5.
mortui, venite ad iudiciũ: quando missi angeli colligent electos à qua- 1.Cor.15.
tuor angulis terræ, vt sistantur tribunali tuo: * ac mox vbi proclamatũ 1.Thes.4.
& auditum fuerit hoc nuncium iudicij tui, simul eodem momento, in Matt.24.
ictu oculi, terra vniuersa contremiscet, & dabit mortuos suos: contremiscentq; tunc omnes à facie iudicis tam glorioſi tamq; terribilis: boni quidem cum reuerentia, mali verò cum seruili pœnarum terrore, & malæ conscientię erubescẽtia: * & quiescent omnes atq; silebũt, eritq; silentium magnum expectantibus singulis sentẽtiam iudicij sui, quando nemo mutire audebit, aut os aperire, vel ad excusationẽ, vel ad accusationem, vel ad probationem, aut propositionem suorum negotiorum, aut etiam ad murmurationem & conuicium: sed omnia solius iu- Hier.29.
dicis (qui simul & iudex erit & testis) arbitrio & cognitione transigentur. Eritq; ibi magnum silentium, quomodo fieri solet, cum in scholã magister virgam tenens in ira & terrore ingreditur: dum quisque sibi metuit, & rei exitum discipuli tacite considerantes, in quos grassatura sit punitio, attendunt cum silentio, ne mutire quidem aut verbũ vllum facere audentes. 9. Contremiscet (inquã) & silebit terra, tunc, cum adueniet Deus in iudicium, cum post longam dissimulationẽ ad faciendũ iudicium & exercendam vltionem consurget, ad motum hominis qui à torpido somno euigilans post cessationem opus aggreditur: * vt suo iudicio saluos faciat omnes fideles, pios, humiles, atq; obedientes terræ: vt remunerationem bonam tribuat omnibus electis, qui super terram vixerũt in mansuetudine, humilitate, & obedientia præceptorũ ipsius: Matth.25.
vt hos videlicet ab impijs segreget, & in regnum patris sui ab æterno illis præparatũ inducat, impijs ex aduerso in abyssum protrusis. 10. Et quidem cum hæc omnia (pijs certe admodum iucunda & grata) profunda contemplatione meditabitur homo, dabit confessionem & laudem tibi: non se continebit à laude & confessione nominis tui, qui ista consideratione profunda contemplabitur: * & post huiusmodi considerationem profundam, atque intimam contemplationem tantorum mirabilium, quæ pro suis electis operatur pijssimus Deus, tanta lætitia mentis atque pietatis affectus (quæ velut reliquiæ sunt talis intimæ considerationis, vtpote quæ ex ea solent in homine generari, & in anima etiam post actualem speculationem relinqui) hominem obtinebunt, vt videatur in eis anima velut magnum festum celebrare. Præstat siquidem hoc fidelibus profunda & attenta meditatio diuinorum mirabiliũ, vt ab omni grauitate & tristitia facti alieni, Deo suo quasi perpetuum festum, in mentis quiete & animi alacritate, celebrare videantur. 11. Pro gratiarum actione autem ô fideles omnes, ad animi gratitudinem demonstrandam vota facite domino Deo vestro, affectiones sanctas, pia desideria, salutaria proposita illi offerte, atq; etiam firmate, sanctasque

Universidad de Deusto
Biblioteca

* *omnes qui in circuitu eius affertis munera.*

12 *Terribili: & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.*

Matt.12. Luc.12.

sanctasq; oblationes illi addicite & consecrate: atq; vbi proposita siue firmata fuerint, Deoq; consecrata, curate quæ Deo sunt addicta reddere, fideliterque persoluere. Non enim vouere tantum sufficit, nisi & reddantur quæ vota sunt domino: * omnes absque delectu, quicunq; estis in circuitu eius, quicunque de populo eius esse & haberi vultis, quicunque illi adhæretis, vt Deo vestro ac domino afferre illi debetis deuota laudum, orationum, piarum affectionum, & salutarium desideriorum grauissima munera, siue etiam exteriora quælibet, quæ cordis deuotio suggesserit, vt offeratis & consecretis ea domino. 12. Ei (inquam) reddatis & offeratis, qui solus verè terribilis est, & meritò omnibus metuendus: vtpote qui solus potestatē habet auferendi animam principibus sæculi vbi voluerit: qui solus in manu habet vitas quantumuis potentum atque magnorum super terram, vt quando voluerit, & sicut voluerit, eos possit solo verbo vita priuare, habetque potestatem simul & corpus & animam mittere in gehennam: atque idcirco merito etiam potentissimis terræ regibus est metuendus ac formidabilis: quantò magis & cæteris omnibus qui sunt super faciem terræ? F

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXV.

VErsu 1. Notus in Iudæa Deus. Quidam hunc Psalmū totum exponunt de temporali aliqua insigni liberatione populi Israëlitici ab hostibus, velut de liberatione à Sennacherib, aut alia priori cōsimili: cuiusmodi in regnorum libris plures factas legimus, beneficio Dei multis siquidem præclaris gestis huiusmodi, fuit in populo Israëlitico, in terra Iudææ nobilis Deus, & ex ijs quę in populo illo gesit, omnibus per circuitum gentibus notus, in eo quod pro filijs Israël, pugnans potentiam aduersariorū, & eorum omnē apparatū sua virtute contriuit, mirabiliter apparens cum terrore desuper è cælis, quasi ex montibus quibusdam ab initio fundatis, vnde increduli turbati sunt, nihil inuenientes roboris in manibus suis, diuina virtute superati: neq; auxiliū habuerunt in equis in quibus sperauerant. Atq; ita illud iudiciū de quo fit mentio in versibus octauo & nono, non intelligetur extremum, sed temporale, quo iudicauit Deus pro populo suo Israëlitico, cōtra aduersarios: quos tremor & silentium corripuit, Deo exurgente ad suum huiusmodi iudiciū. Huic expositioni non dissonat, & pro titulo in codicibus quibusdā Græcis atque Latinis ponitur Psalmus Asaph, contra Assyrios, vel
1.Cor.10. ad Assyrios. Nos tamen maluimus Ecclesiæ & victoriæ illi, quæ in Ecclesia per Christum facta est, psalmi processum applicare. Nam vt prior ille sensus secundum historiam & figuram non sit incommodus, certè is quem dedimus, secundū rem signatam videtur cōuenientior. Cum enim omnia in figura (iuxta Apostoli verbum) illis contingebant carnalibus Iudæis, manifestū est victorias omnes in populo Israëlitico factas, in figuram præcessisse illius summæ & gloriosissimę victoriæ, qua de hoste humani generis Christus triumphauit. ¶ Versu 2. Et factus est in pace locus eius. In Hebræo Salē ponitur, quod putant pro Hierusalem positum esse, dicentes locū eundem qui pòst appellatus est Hierusalē, prius vocatū fuisse Salem: vt quatuor simul cōmemoret Propheta, scilicet Iudææ, Israël, Salem vel Hierusalem, & Sion: diuersis quatuor nominibus, rem vnam eandemq; designās. Quod manifestè indicat Chal. Paraph. habens in hunc modū, Notus est in domo Iuda Deus, in domo Israëlis magnū nomen eius. Et fuit in Hierusalem domus sanctuarij eius, & habitaculū domus diuinitatis sanctę eius in Sion: quando fecit domus Israël voluntatē eius, habitauit diuinitas eius inter eos. Hæc autem Paraph. quanquam expositionē illam iam antè breuiter tactam de mirabilibus in populo Israëlitico sequitur: nos tamen in spiritualē domum Iuda, domū Israëlis, Hierusalē & Sion, conuenienter sensum subducimus, vti in Elucidatione est manifestū. Rectè autē factus est locus Dei in pace, in vnitate Ec-
1.Cor.14. clesiæ, in qua vera est pax Christi in cordibus fideliū, in quibus regnat pax eius: quoniam ipse (vt ait
2.Cor.13. Apost.) Deus non est dissensionis, sed pacis. Propter quod, pleriq; in locis Christum appellat idem
1.Thes.3. Apostolus Deū pacis. Quod autē in versu sequenti dicitur, Ibi confregit potentias, arcū, scutum, gla-
2.Thes.3. dium & bellum, significat perfectā populi Christiani pacem & victoriā per Christū, & hostium protestatē contritam. Quasi enim confracta & cōminuta est potentia arcus, scutū, gladius, & bellū prin- H
Rom. 8. cipis tenebrarum, quando per Christum ita deuictus est, vt nihil iam damnationis sit his qui in Christo Iesu, vt nihil illis nisi propria sua voluntate nocere possit, aut vllū in eos habere imperium. Potest & ad pacem temporalē mirabiliter tandem Ecclesiæ redditā, referri. Diuina enim virtute factū est, vt
Psal.45. Ecclesia prius grauissimis conquassata persequutionibus, postmodum secura quieuerit, velut bellicis omnibus instrumentis confractis. De quo in alio Psalmo dicitur, Venite & videte opera domini, quæ posuit prodigia super terrā, auferens bella vsque ad finem terræ. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. ¶ Versu 4. Illuminans tu mirabiliter, à montibus æternis. Iam sæpenumero admonuimus, per montes in scripturis intelligi Apostolos sanctos, quemadmodum suprà Psal-
Psal.71. mo 71. Suscipiant montes pacem populo. Cæterum, æterni dicuntur hi montes, non quod ab æterno fuerint, sed quia ab æterno ad hanc rem sunt præordinati & prædestinati à Deo, peculiari dispositione, vt in temporis plenitudine per eos illuminaretur mundus. Profectò autem mirabiliter Deus mundum illuminauit per hos æternos montes. Erant enim ipsi in sese orbi illuminando minime idonei, vtpote homines omnis disciplinæ ignari, homines piscatores & telonearij, ex infima penè vulgi sorte electi, sermone atque scientia imperiti. Quapropter, non absque maximo miraculo fieri potuit, vt per indoctos istos ac prorsus rudes homines, tenebræ depelleretur, quæ totum mundum ob-

A sederant, & lucis fulgor per orbem vniuersum emicaret. Notandum autē, quòd non dicit Propheta ipsos mōtes illuminare mirabiliter, sed Deo cōfitetur, quòd mirabiliter à mōtibus æternis illuminet. Scilicet hoc illud est, quòd quidā ex his mōtibus ad mensurā sapiens vt oportet, ingenue confitetur, dicēs: Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamēti, nō litera, sed spiritu. Et alibi, Nō ego autē, 2.Cor.3.
sed gratia Dei mecum. Ac rursum, Deus qui dixit de tenebris lumē splendescere, ipse illuxit in cordi- 1.Cor.15.
bus nostris, ad illuminationē scientiæ claritatis Dei. Non enim sibi, sed Deo bonorum omnium au- 2.Cor.4.
thori dant gloriā serui fideles. De illa autem conturbatione quæ exorta est, interim dum hi montes suū lumē inciperent diffundere (quæ cōsequenter in altera versus parte innuitur) dictum fuit in Psal. 46. Quoniā ecce reges cōgregati sunt, conuenerunt in vnū. Ipsi videntes sic admirati sunt, cōturbati sunt, cōmoti sunt, tremor apprehendit eos: quod quidē partim de salubriter conturbatis ad pœnitētiam, partim de malitiosè conturbatis ad persequutionem intelligitur. ¶ Versu 7. Extunc ira tua, Videtur esse demonstratio tantū ad intellectum, similis illi quā vsus est Apostolus ad Timoth. ita scribens, 2.Tim.4.
De cætero repositа est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi dominus in illum diem iustus iudex: demonstrans videlicet iudicij diem, cuius tamen ante non meminerat, sed ipse eam præ oculis habebat, & intellectu contemplabatur, quā demonstrabat. Ita & in proposito diem illum terribilem mēte te-
B nens Propheta, dicebat. Extunc ira tua. Quæ autem sequuntur versu 8. & 6. enunciata tempore præterito, videntur accipienda magis, vt dicta secundum tempus futurum, ad hunc sensum, De cælo auditum facies vel annunciabis iudicium, terra timebit, & quiescet cùm exurrexerit in iudiciū Deus, vt saluos faciat omnes māsuetos terræ. Atque ita per futurum vertit ex Hebræo Hieronym. Sciendum est, quòd rectè possent ista intelligi etiā de iudicio primo, quo iam saluator perfecit iudiciū mundi cōtra principē tenebrarum, quando desuper missa est sub Euāgelicæ prædicationis, qua præconizatum est iudicium mundi, & principis tenebrarum condemnatio: timuitque terra, quantum ad incredulos: & quieuit, quantū ad fideles, exurgente Deo in salutem electorum suorum. ¶ Versu 10. Quoniā cogitatio hominis cōfitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diē festum agent tibi. Aduerte, coniunctionem quoniam, hoc in loco non causam dicere, sed tantum continuationem ad præcedentia: quod in Elucidatione nos explanauimus, eius loco cōstituentes, & quidē Cæterū pro cogitatione in Græco vtroque loco ponitur ἐνθύμιον, quod à verbo ἐνθυμέομαι descendit. Valet autem hoc verbum idē quod animaduerto, perpendo, considero, cogito, recordor, & quasi in corde verso, ac teneo, Vnde enthymion significat animaduersionem, considerationē, pensiculationem, recordationem, diligentē animi ad rē aliquā attentionem. Huiusmodi autem hominis cogitatio dicitur confiteri domino, quoniā ipsa homines facit confiteri, & laudem dare Deo. Qui considerant profunda mentis contemplatione opera
C Dei, ipsi sunt qui Dei gloriā prædicant: quēadmodum econtrario defectus laudis diuinæ in plurimis est, ex eo quod non recogitant mirabilia Dei opera: & erga genus humanum immēsa beneficia. Quæ autē sint reliquiæ huius cogitationis, & quomodo diem festum agant domino, in Elucidatione sufficienter est declaratum. ¶ Versu 11. Vouete & reddite domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius offertis munera. Græci codices habent tertia persona οἴσουσι, hoc est, offerent: faciuntque distinctionē aliam quàm nostra habeat lectio, hoc modo, Vouete & reddite domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius (subaudi sunt) offerent munera. Atque ita vertit Hieronymus ex Hebræo, Omnes qui in circuitu eius sunt, offerent dona. Eandem sententiam habet Felicis versio, & manifestissime Paraph. Chald. ita habens, Omnes qui habitant in circuitu sanctuarij, offerant sacrificia domui sanctuarij in timore. Ferunt quoq; Gallicanā lectionem ita habere: per tertiā personam & tēpus futurum: habetque similiter lectio quā beatus Augustinus explanat, tametsi vulgo in Ecclesiastico officio secus legatur, id quod ex commixtione Romanæ lectionis verisimile est euenisse, eo quod prima facie videretur secunda persona magis conuenire cum præcedentibus imperatiuis, vouete & reddite. Nos autem in Elucidatione iam dictam lectionem vt veriorē explanauimus: potestque nostra lectio in eandem reduci sententiam, si tantum pro affertis legatur afferte vel afferetis. Nos tamen in textu nihil immutauimus. Cæterum de votis reddendis, diximus in Psalmum quadragesimum nonum, in
D annotationes versus illius, Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.

LXXVI. PSALMI ARGVMENTVM.

IN hoc Psalmo vir spiritualis totum se in oratione ad Deum eleuās, & cuncta quæ in mundo sunt trāscendēs omnemq; mundi consolationem respuens, in memoria Dei etiam noctis tempore sese oblectat, & in consideratione mirabilium operum eius exercitat: simul quoque suum spiritum discutiēs, ventilās & examinans, ne sit in eo aliquid quod tātæ maiestatis oculos offendat. Sibi nāque persuadens, quòd impossibile sit obliuisci Deum misericordiæ suæ, adeò non cessat à bona sui ad Deum exercitatione, vt etiam propositum mnouet, velut de integro Dei seruitutem incipiens, in confidentia virtutis Dei, quæ semper adest meliora proponentibus. In cōsideratione autē operum Dei modo se exercitare proponēs, specialiter illud ponit ante oculos, quod est super omnia quondā populo Israëlitico exhibita, singulariter memorabile: quomodo videlicet populum illum de manu Pharaonis atque Aegyptiorum, in manu valida & extento potentiq; brachio liberauit, vniuersum populum Israël, quasi oues sub ducatu Moysi & Aaron deducendo, & pro eis contra hostes pugnando vsque ad internecionem. Quod miraculum sicut figura & typus fuit eius quæ post sequutura erat saluationis generis humani, ita rectè in eo secundum mysticam intelligentiam potest intelligi: tametsi ea quæ in vltimis versibus dicuntur, secundum literam manifestè satis sonent temporalem illam Israëlitarum redemptionem.

1 *Voce mea ad dominum clamaui: voce mea ad Deum: & intendit mihi.*

2 *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte cõtra eum: * & non sum deceptus.*

3 *Renuit cõsolari anima mea:*

** memor fui Dei:*

** & delectatus sum:*

** et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.*

4 *Anticipauerunt vigilias oculi mei:*

** turbatus sum, & non sum locutus.*

5 *Cogitaui dies antiquos:*
** & annos æternos in mente habui.*

6 *Et meditatus sum nocte cum corde meo:*
** & exercitabar: & scopebã spiritum meũ.*

1.Cor.11. 7 *Nunquid in æternũ proijciet Deus:*

VOce orationis meæ exclamaui affectu magno ad dominum, spem omnem salutis meæ: voce (inquam) mea ad Deum clamaui, & nõ repulit clamorem orationis meæ benigna aure accepit, & exaudiuit eã. 2. In die afflictionis & tribulationis meæ toto cordis affectu Deum exquisiui, magno desiderio suspiriisque ac gemitibus ad illum cõscendens in orationem: manibusque meis noctis tẽpore ex opposito iacui expansis in oratione, expandi per noctem in oratione manus ad illum, tanquã si stetissem ex aduerso corã me: atque hæc faciens nõ erraui, nõ stulte egi, nõ laboraui frustra. Scio enim ante quẽ effudi precem meã, & corã quo expandi in oratione manus meas: & certus sum, quia potens est ferre mihi auxilium, nec derelinquet in se sperantem. 3. Abnegauit spiritus meus & abominatus est, propter Dei amorẽ, omnem terrenã & transitoriã mundi huius cõsolationem, in nulla temporali delectatione voluit, neque potuit quiescere ardens in te spiritus meus, nec propter quãcunque temporalem consolationem patiebatur se ab æternorum desiderio auelli: maluitque tuam dulcedinem cum afflictione esurire solo desiderio, quàm omnibus mundi oblectamentis cum abundantia perfrui: * abstractus autem ab omni cõsolatione aliena, in mente habui dominum Deum, in illũ defixi mentis oculos: illum contemplabar, meditabar, & circa illum apposui omnem cogitatum cordis mei: * neq; absq; delectatione multa & magno gaudio fuit ista meditatio mea: Siquidẽ ipsa sola Dei memoria non potest nõ gaudium magnum afferre pijs animis: * atque hac cõsolatione cõfortatus, exercitabam memetipsum: pijs affectibus atque suspirijs tẽdens in Deum meum, & præ nimio desiderio atq; cõsideratione defecit intra me spiritus mẽtis meæ tanquã victus magnitudine Dei succubuit: quasi fatigatus, attenuatus & exhaustus est, præ nimia eius cõsideratione: dum eo minus sibi videtur agnoscere, quo amplius in ipsum fuerit defixus. 4. Non cessaui tamen à contemplatione Dei, sed primo mane exurrexi ante cæteros, præueneruntque oculi mei vigilias consuetas hominum, somno mane excusso ex oculis, dũ adhuc cæteros præmeret sopor grauis, vt ita in tranquillitate opportunissimo tempore cõtemplationi totus intenderem: * sic autem meipsum exercitando, & in meditatione totum occupando, præ nimia contemplatione & admiratione contu batus sum super magnitudine operum Dei, & immensa eius bonitate velut obstupescens: & quasi in extasi supra me raptus, quia voce destitutus, vocem non edebam in hac conturbatione positus. Non enim inueniebã quid dicerem, neque proloqui valebã quippiam dignum: quemadmodũ accidere solet obstupefactis admiratione hominibus, dum velut elingues ac muti consistunt attoniti. 5. Proposui ante oculos cordis, & mente consideraui tempora præterita ab initio, quæ in eis facta fuerunt, mirabilia Dei opera reuocando ad memoriam, vt in eis contemplarer magnitudinem Dei, & præcipue maximã bonitatem, qua semper egit erga genus humanum: * & annos æternos, tempus æternitatis, quod absque finis termino subsequuturum est, ego reuolui ante mentis oculos, simul & reuoluendo retributionẽ bonorum atque malorum, vtranque ex æquo æternam: vt huiusmodi cõsideratione in bono memetipsum firmarem, & ab omni malo cauerem sollicitus. 6. Et meditatus sum nocte in corde meo, in noctis silẽtio colloquendo cum corde meo, diligenterque rimando, & sollicite perquirendo cordis abscõdita: * & exercitabam memetipsum propriæ vitæ & actionum vniuersarum sollicita exactaque discussione limabã, expurgabam atque emundabam spiritum meum, eundemque etiã ventilabam, profundeque fodiebam, & perscrutabar vsque ad occulta latibula, etiam cordis intima diligentissime peruestigando sicque emundando & expugnando ab omni inquinamento, etiã occultissima quæque cordis latibula: nequid vsquam latere posset, quod tam magnum dominum iuste posset offendere, aut in annis æternitatis iusta vindicta puniri: sciens quòd ij qui seipsos dijudicant, à domino nõ iudicabuntur. 7. Dixi autem in corde meo, Nunquid poterit Deus hominem in æternum à se proijcere, ita vt nequaquam vltra flecti se patiatur ad misericordiam: etsi forsitan ad tempus aliquantum videtur hominem à se repel-

repellere, ac vt in tribulationes & tentationes varias incidat permittere, in æternum negliget? an nõ iterum aduocatus miserebitur, & præstabit clamanti de tentatione auxilium: * aut non adiiciet Deus vt fiat adhuc placidior, vt postquã iracundiã ostenderit, benigniorẽ se & placidiorem iterum placatus exhibeat: & si fortè iratum se aliquando nobis ostendat, nónne rursum humilitate placari poterit, vt misertus afflictorum, iterum conuertat ad nos benignum ac amabilem aspectum vultus sui? 8. An credi hoc potest de Deo, quòd prorsus in finem abscinderit, & abstulerit ab hominibus suã misericordiam in omnes generationes, ita vt nulli hominum in quacunque generatione post hac velit ostendere misericordiam suam, nec vltra cuiusquam misereri? 9. Aut credi hoc potest de Deo, quòd prorsus obliuisci possit suæ misericordiæ, vt immisericors fiat, & misericordia nõ vltra flexibilis vllis precibus: * aut tãta, siue talis potest esse eius iracũdia, vt per eã omnino cõtineat omnes miserationes suas, vt implacabilis ira non vltra pariatur Deum homini exhibere opus vllum misericordiæ suæ? Itane iniquè, ita impiè, ita crudeliter de Deo nostro sentire poterimus? Absit. Magis au tẽ credamus, quoniã etsi ad tẽpus proiecisse videatur, aut ad tẽpus irã ostendere, opportuno tamen tempore rursus blandus illucescet mortalibus, sua iucũda præsentia opportunum afflictis allaturus auxilium: faciens interim cum tentatione prouentum, vt possit is qui tẽtatur sustinere. 10. Et quia hęc suprà quasi per querimoniam proposita, omnino absurda sunt & impossibilia, dixi in corde meo, ecce nequaquam desperabo, nequaquam cessare volo ab expectatione, à desiderio Dei mei: non desinam quasi fatigatus in eo meditari & exercitare spiritum meum: quin potius resumpto spiritu, & innouata fiducia cõsequendæ misericordiæ, ecce nunc incipio, quod vsque nunc factum est reputans quasi nihilum, in interiora autẽ meipsum extendens: & amplius quàm hactenus vnquã fecerim, nũc meipsum volo exercitare in Deo: * hanc autem bonam cõmutationem nõ proprijs meis viribus tribuo, nõ me cõfido posse virtute propria perficere: sed omnipotẽtis dexteræ altissimi tribuo virtuti, quæ me potens est in omni bono confirmare atque promouere. in cuius cõspectu facile est ditare ac honestare pauperem, & in seipso imbecillem atque inualidum, ad omne opus bonum sua virtute corroborare. 11. Itaque vt proposito satisfacerem, & Deo me totũ dedicarẽ, occupaui & exercitaui memetipsum in meditatione mirabilium operum altissimi: quoniã ad memoriã reuocare volo omnia magnalia Dei, quæ pro suo populo fecit in præteritis tẽporibus, quæque ab initio pattibus pollicitus est sese præstaturum in fine temporũ. In horum nanque diuinorum operum attenta consideratione & fideli contemplatione, optima est pij cordis exercitatio. 12. Et meditari volo de omnibus operibus tuis, & exerceri mente pariter & affectu in cunctis exquisitissimis tuis operibus, quę adinuenisti seu excogitasti secũdum occultã sapientiã tuam, vt faceres: horum cõsideratione volo inhærere iugiter, vt considerem in eis magnitudinem potentiæ, sapiẽtiæ, bonitatis, & misericordiæ tuæ, sicque ex operum consideratione in tui reuerentiã prouocer & amorẽ. 13. O maxime Deus, via tua in sanctitate est, tu in sanctitate & iustitia ambulas, & cuncta quæ agis, in sanctitate atque iustitia agis: neque est iniquitas aut iniustitia in omnibus viis & operationibus tuis: * Est etiã in sanctitate via tua quoniam per sanctitatem ad homines venis, ad eos qui in sanctitate & iustitia conuersari studeut, libenter accedens, vt ponas in eis mansionem: * Ecquis est, vel vbi est Deus aliquis, inter omnes qui dicuntur vel existimantur dij, verè magnus in omnibus, sicut tu es verè in omnibus magnus, domine Deus noster, magnus in potentia, magnus in sapientia, magnus bonitate, magnus misericordia, magnus in iustitia, magnus in duratione, magnus in imperio, & in omnibus sic magnus vt maximus: * tu es domine, qui solus tuæ virtutis potentia operatis opera verè miranda, quę omnem excedunt humanã virtutẽ, ac totius naturæ superãt facultatẽ. 14. Inter cętera autem quæ fecisti mirabilia, coram patribus nostris filijs Israël, vnum hoc admodum spectabile est, & sempiterna memoria recolendũ, in quo manifestasti corã omnibus populis virtutem omnipotentiæ tuæ: * quando in manu valida & in brachio extẽto, & in fortissima omnipotẽtia tua, redemisti de seruitute Aegyptiorum manu violenta populum quem elegeras tibi in peculium ex omnibus gentibus,

** aut non apponet vt cõ placitior sit adhuc?*

8 *Aut in finem misericordiam suã abscindet à generatione in generationem?*

9 *Aut obliuiscetur misereri Deus?*

** aut continebit in ira* B *sua misericordias suas.*

10 *Et dixi, nunc cœpi.* 2.Cor.10.

** hæc mutatio dexteræ excelsi.* Phil.3.

C 11 *Memor fui operum domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.* 1.Reg.2.

12 *Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.*

13 *Deus in sancto via tua:*

D ** quis Deus magnus sicut Deus noster?*
** tu es Deus qui facis mirabilia.*

14 *Notam fecisti in populis virtutem tuã:*
** redemisti in brachio tuo populum tuum filios Iacob & Ioseph.* Exod.19.

15 *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ & timuerunt:*

Exod.14.

* *& turbatæ sunt abyssi.*

16 *Multitudo sonitus aquarum:*

* *vocem dederunt nubes.*

17 *Etenim sagittæ tuæ transeunt:* vox tonitrui tui in rota.*

Ibidem.

18 *Illuxerũt coruscationes tuæ orbi terræ:*
* *commota est, & contremuit terra.*

19 *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis:*
* *& vestigia tua non cognoscentur.*

20 *Deduxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysi & Aaron.*

nempe filios Israël, à patre Iacob progenitos, & ob gratiam Ioseph in Aegyptum, vt incolæ terræ fierent, & inibi pascerentur, ingressos. 15. Cùm autẽ istos in manu valida de seruitute velles redimere, quàm mirabile erat quod pro eis dignatus es operari, Ecce enim quasi te vidissent aquæ maris rubri, ita ad imperium iussionis tuæ fugerunt, ac velut timere à verbo tuo se indicabant, cùm ob tuæ iussionis imperium, naturalẽ suum fluxum relinquentes, cõstringerẽtur, atq; solidarẽtur in modum muri vtrinq; cõsistentes, alueumq; siccum contra naturæ suæ instituta relinquentes, vt transitũ securum præberent populo tuo, quẽ ita per aquã saluare voluisti.* & profunditates aquarum visæ sunt conturbari, dum sese in altum magno impetu celeriter accumulauerũt ex imperio tuo, vt alueum siccũ facerent & pertransibilẽ populo. 16. Vbi autẽ populus tuus pertrãsisset, insequentibus illũ hostibus, cum fragore magno & impetu redierunt aquæ, te iubente, in statum pristinum: & factus est sonitus magnus aquarũ impetu suo recurrentium, vt opprimerent atque obruerent hostes populi tui, occurreruntque mugitu magno Aegyptijs persequentibus dissolutæ aquæ, & inuoluerunt illos in impetu fluctuum suorum: *insuper & de nubibus sonitum terribilis tonitrui fecisti procedere in terrorẽ & conturbationem persequentiũ. 17. Nã & fulgurationes, quas tu eiaculabaris è nubibus, tanquam sagittæ ignitę trãsierunt per medium eorum, cum terrore maximo apparuerunt q; fulgura terribilia, & coruscationes horribiles: * sonitus terribilis tonitrui in rotis curruum Aegyptiorum apparuit: dum per tonitrui tui impetum rotę curruum illorum submersę sunt, vt per præceps ferrentur in profundum rubri maris. Siquidẽ respiciens dominus per columnam ignis & nubis super castra Aegyptiorum, interfecit exercitũ eorum, subuertitq; rotas curruum, & ferebãtur in profundum, ita vt conterriti Aegyptij dicerent adinuicem, Fugiamus Israëlem, quia dominus pugnat pro eis cõtra nos. 18. Illuxerunt & apparuerunt coruscationes atque fulgurationes tuæ super orbem terræ aduersum Aegyptios: & ipsi terreni impij & infideles existentes, cõmoti sunt, cõturbati, & tremefacti à terrore præsentiæ tuæ: *Insuper & in vniuersis gentibus per orbẽ terrarum, vbicunque res ista audita fuit, commoti sunt homines & cõturbati, præ magnitudine tã stupendi & merito admirãdi miraculi. 19. Tu etiam in mari habes viam tuam, eque maria ac terras perambulas, æquale vtrobiq; imperium tenẽs: & viæ tuæ in aquarum copijs & congregationibus sunt, neque vllæ sunt tam multæ, tamque magnæ aquarum aut marium congregationes, in quibus non tu æque atque per terram obambules: * imò peruolas potius quàm perambulas, ita vt vestigia gradientis non possint videri. Non enim quemadmodũ homo dum locum quempiam calcat, ob molis corporeæ pondus vestigium relinquit in signum conculcationis, sic Deus vestigia relinquere putandus est, ad modum ambulantis hominis. Nullum enim habet pondus grauitatis, vt sub eo debeat cedere terra vel aqua, nullos habet pedes corporis, nullis graditur corporis passibus, vt terrę aut aquæ debeat pedes infigere, aut infixi pedis signum post se relinquere. 20. Ac tum quidẽ in tanto hoc miraculo, deduxisti populum tuum Israëliticum, sub ducatu Moysi & Aaron, quos constitueras principes & duces totius multitudinis, per quorum etiam ministerium cõpleuisti miraculũ istud diuisionis aquarum, & reuersionis super Aegyptios: deduxisti (inquã) illos sub manu istorum, quemadmodum deducuntur oues sub manu pastorum suorum, per quos defenduntur ab iis qui nocere volunt, absque suo labore, absque vlla sua molestia. Ita enim quietè, ita tranquillè, ac velut otiose liberasti filios Israël, pro eis pugnans omnéque inimicorum virtutẽ solus cõterens, absque vlla eorum molestia: ita vt tantum spectatores ipsi essent interfectionis hostium suorum, quos omnes perire videbant ante oculos suos, cũ ipsi ne manũ quidẽ ad præsum iuberentur extendere, Moyse tantum clamante ad te, & virgam super aquas extendente, te autem mirabiliter operante omnia.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXVI.

VErsu 2. In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non fui deceptus. Quidã ita versum diuidunt, In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis: ac deinde, nocte contra eum, & non fui deceptus. Melior autem & vulgatior connexio est, si totum hoc, nocte contra eum iungatur absque distinctione præcedentibus, ad hunc modũ. In tempore quo mihi

A mihi obuenit quælibet tribulatio, ego exquisiui Deũ, manibus meis nocte cõtra eũ expãsis, vel nocte contra eum illas expandendo in oratione, ac deinde sequitur quod ad totum prẽcedens refertur, Et non fui deceptus, in eo scilicet, quòd in die tribulationis Deum exquisiui, nocte manibus versus ipsum protensis, &c. Quod autẽ dicitur, contra eum, non sonat in malum, quomodo hostis contra hostem manus extendit, sed tantum valet quantum ex oppositio eius, vel coram eo. Est enim talis loquutio, secundum modum imaginationis humanæ. Quemadmodum enim homines cùm alicui supplicãt, ex oppositio se prosternunt, illique quem rogant velut exaduerso manus protendunt supplicatrices, ita in oratione Deum quoq; nobis velut cõtrapositum, & è regione contrastantẽ imaginamur: atque ita contra eum dicimur manus extendere, id est, ex oppositio illius, vel ante conspectum eius. Illud verò, non fui deceptus, Græcè est οὐκ ἐκακώθην, quod proprie sonat, non fui deductus, non fui male suasus, non erraui hoc faciens, non fui errore deceptus, Quasi dicat, Hac in parte prudẽter egi, nec erraui, Deum meum solum requirens in tribulationibus solatium. Et reuera non errãt, nõ male suasi sunt, nec male sibi cõsulunt, qui ita agunt. Qui verò Deo relicto ad homines confugiũt, aliunde quærentes auxiliũ vel solatiũ, hi verè in errore sunt, seducti sunt, male suasi sunt, pessime illis est consultum. ¶ Versu 3. Renuit cõsolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, Attẽde, quæso, pulcherrimum ordinem. Primum enim est, vt quis cõsolationem externam omnem propter Deum re- Exod.26.
B spuat. Zelotes enim est Deus, nec alienos secum patitur amores, alienis consolationibus occupatos, suæ cõsolationis ac visitationis nõ dignatur beneficio. Abnegata verò aliena cõsolatione, nequaquã animus permanere debet otiosus, sed Dei bonæ memorię vacare, & diuinis meditationibus insistere. Matth.12.
Siquidẽ, domum scopis mundatam, & post emundationem male vacantem, ex Euangelica parabola Esaiæ45.
didicimus fieri dæmoniorum habitaculum. Vnde & in Psalmo dicitur, Vacate, & videte, quoniã ego sum Deus: quasi dicat, Ad hoc vacate, vt videatis. Ita sanè in proposito loco, vir spiritualis indicat ob hoc se respuisse aliena consolationẽ, vt ijs quæ Dei sunt memorandis tota posset mente inhærere atque inde solida certaque delectatione perfrui. Fieri enim nõ potest, quin sancta & pura Dei hæc recordatio delectationẽ pariat in animo memorãtis: quemadmodum nõ potest sano palato nõ inferre dulcedinẽ, degustatus mellis fauus. Demum, hæc quæ est ex Dei memoria delectatio, in exercitio spirituali hominem cõfirmat, & infatigabilẽ custodit, atque etiã prouehit, vt continuo amplius diuinis intendat, vsque dum præ nimia exercitatione obstupescat, & velut in sese deficiat. Aduersus hunc autem pulcherrimum ordinem magno suo dispendio peccant, qui tametsi nonnunquam ijs quæ Dei sunt recogitandis intendunt animũ, nolunt tamen abijcere amores alienos: consolationes extraneas à mundo, à carne oblatas, nimium libenter amplexantur, nõ renuit consolari anima eorum: propter quod non merentur suauitatem diuinæ delectationis gustu mentis percipere, quoniã etsi Deo videã-
C tur præbere mentem, seruant tamen alienis consolationibus affectum, vt in eum sese gustus supernæ dulcedinis nõ possit instillare. Itaq; fit, vt sua culpa Diuinã dulcedinem ignorantes, tepescant in opere Dei, moxq; in tẽpore tentationis recedant, nec vnquã prouehuntur ad eum perfectionis gradum, Matth.13. Psal.118.
vt spiritus eorum in Deo deficiat. Omnino enim bonam intelligimus hanc defectionẽ, de qua spiri- Psal.72.
tualis vir loquitur, dicens: Exercitatus sum, & defecit spiritus meus: quẽadmodũ in alio Psalmo dicitur, Defecit in salutare tuum anima mea. Et iterũ: Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. ¶ Versu 5. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. In Elucidatione per dies antiquos, vt alias frequenter, præterita tempora intelligimus: per annos autem æternos, tempus æternitatis, quod expectamus indeficiens & imperpetuum duraturum. Admodum autem pulchrè, tempora prętrita dies, futura autem, annos nuncupat, rursumque illa, dies antiquos tantum, hæc verò, annos æternos: quoniam videlicet omne tempus quod præteritum est, quasi Psal.89.
dies pauculæ cõputantur. Mille enim anni, sicut dies hesterna quæ præterijt. Antiqui autem dies dicuntur, quoniã præcesserunt iã olim in sæculis patrum nostrorum. Tempus verò quod subsequetur Psal.101.
absque durationis termino anni dicuntur & anni æterni, quoniam non deficiẽt imperpetuum, quomodo in alio Psalmo de æternitate Dei dicitur, quòd anni eius non deficiẽt. Duo autem hic proponuntur nobis frequẽter cogitanda. Primum quidem ea quæ in præteritis sæculis transierunt, vt eorũ
D quæ prius gesta sunt consideratione vel instruamur, vel corroboremur, vel consolemur, vel quomodocunque in Dei seruitute stabiliamur. Nam (vt sanctus Apostolus ait) quęcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Et Rom.15.
1.Cor.10.
omnia patribus nostris cõtingebant in figura nostri, in quos fines sæculorum deuenerunt. Quãobrem ea quæ olim ab initio gesta sunt, & quomodo Deus siue cum iustis siue cũ impijs semper egerit, nõ absq; fructu subinde reuocanda sunt ad memoriã: Specialiter etiã illa quæ nostris temporibus iã elapsis, à nobis male patrata sunt, cum dolore sunt recogitãda, quẽadmodum Ezechias ait in suo cãtico, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Secundo autem loco iugiter in Esa.38.
mente habenda sunt ventura æternitatis tempora, ad quorum considerationem nos multis in locis Saluator inducit, dum nobis æterna præmia subinde replicat, nunc vitæ æternę propositione adblãdiens, nunc supplicijs æternis cõminando perterrefaciens. Sic & per Moysen, optãdo simul & exhor- Deut.32.
tando dicitur, Vtinã saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Et Paulus Apostolus contra
præsentes afflictiones, ex æternitate ventura nusquam non profert consolationem. Id quod in præ- 2.Cor.4.
senti est (inquit quodam loco) momẽtaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Et iterum, Scimus quoniam si terrestis domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem habeamus ex Deo domum nõ manu factam æternam in cælis. Et alibi, Non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuela- 2.Cor.5. Roma.8.
bitur,

Universidad de Deusto Biblioteca

Ecclc.7. bitur,in nobis:item & in alijs locis quam plurimis.Idem faciunt & alij Apostoli atq; discipuli domini, & sancti Ecclesiæ doctores.Vnde per Sapientem dicitur,In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua,& in æternum nō peccabis. Recte ergo vir spiritualis hoc duplici exercitio se dicit salubriter exercitatum,nempe præteritorum cōmemoratione, & æternorum venturorū cōsideratione. Neque nos aberrabimus,si propositum exemplum imitantes, per omnem vitam iugiter ista cōsiderabimus. ¶Versu 6.Et scobebam spiritum meum.Vulgo codices Latini habent scopebam,per p.Apparet autem mutari debere p in b,aut certè e in a, vt dicamus scobebā, vel scopabā. Quorum prius, scilicet scobebam, deriuatur à nomine scobs, scobis, quod significat puluisculum, qui abraditur à ferro,vel alia qualibet materia. Vnde verbum ab hoc nomine deriuatum, scobo, is,ere, significabit scobē abradere vel abstergere,velut limando & abstergendo. Atque hoc modo scobere spiritum nō aliud est quàm limare,& diligenter ab omni macula expurgare,atque vt niteat efficere,quemadmodum facere solent qui limando,scobem faciunt decidere. Neque male consonat huic, quod habet Psalterium Romanum. Ventilabam spiritum meum : hoc est ventilando emundabam & purgabam, vt nihil puluerulentum, nihil alienum in eo remaneret.Si verò scopare legamus, per a & p, à scopa verbum deducitur,& eadem rursum quæ ex prioribus habetur intelligentia.Non enim aliud est spiritum scopare,quàm velut scopa emundare, & purgare à sordibus atque omni immunditia. Lectio quam exponit beatus Augustinus habet, Scrutabar spiritum meum. Græca verò habent ἐσκαλλι, id est,fodiebat ad hunc sensum:Fodiebat spiritus meus.Nam σκάλλω,significat fodio.Neque hæc diuersam à supradictis habent intelligentiā. Qui enim emūdare vult conscientiā,& ab omni inquinamento purgare,scrutatur eā,& fodit,penetrando intima & abscondita latibula cogitationum atque affectionum suarum,vt perquirat & despiciat,si fortè fœdum aliquid in occulto lateat.Fodere spiritum aut scrutari spiritum,idem est quod emundare,quod scobere,quod ventilare, quod scopare: estque in his omnibus manifesta secundum sensum consonantia. Forsitan autem in Græco scriptum fuit ἐσκυβλι, solum mutato a in y:quæ mutatio facillime fieri potest,neque raro solet scriptorum vitio cōtingere.Atque ita sensus esset,Exercitabar,& vexabat se spiritus meus. Nam σκύβλω, vexo significat. Recte autem spiritum suum vexat,qui illum emundare curat.Aut rectè se vexat spiritus,qui seipsum expurgare satagit.Quemadmodum enim dicitur ferrum secundum modum aliquem vexare, qui vt illud nitidum faciat,scobem abradit ab eo:sic quodammodo spiritū vexant spirituales homines, quā

1.Cor.11. semper existentes pauidi,iugiter conscientiam examinant,ac perpetua inquisitione(vt ita loquar)diuexant atque excruciant:quanquam salubris est ista vexatio, qua nunc se diiudicant, ne in futurum iudicio vexentur æterno. ¶Versu 14 Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum,filios Iacob & Ioseph.Quæ ab hoc versu dicuntur vsque ad finem Psalmi, in Elucidatione exposuimus de redemptione temporali filiorum Israël ex Aegypto : cui expositioni nimis manifeste totus textus suffragatur. Possunt tamē mystice intelligi de liberatione tempore gratiæ facta de manu diaboli,& de mirabilibus per Christum in tempore gratiæ ad Ecclesiæ ædificationē exhibitis:sicque aquæ istæ, accipientur populi multi:aquarum abyssi conturbatæ,corda profunda iniquitatibus,commota ad pœnitentiam, vox nubium, vox Apostolorum:sagittæ Dei, verba efficaciæ prædicationis Apostolicæ:vox tonitrui in rota,eadem vox euangelicæ prædicationis, per orbis circuitum discurrens:choruscationes,miracula quibus Euangelica doctrina fuit confirmata, atque ita consequenter aptando cætera.

LXXVII. PSALMI ARGVMENTVM.

In hoc Psalmo admodum prolixo,commemoratio fit veterum beneficiorū quæ Deus ab initio liberationis filiorum Israël de Aegypto,illis exhibuit,& exaduerso Iudæorum inobedientia atque incredulitas, qua perpetuo Deum exacerbabant,atque ad iracundiam prouocabant,quotlibet signis visis,& quamlibet magnis,nunquam tamen diffidere,tentare,murmurare desistentes.Incipit autem à commemoratione Israëlitici populi,ostendens quomodo cūcta prius gesta,voluit Deus posteris nota fieri,& ad nepotum trāsmitti memoriam,vt per recordationem diuinæ magnitudinis, cauerent similes fieri prauis progenitoribus, sed Deum magis metuerent,& famulatu debito colerent,qui pro patribus tam stupenda edidisset miracula. Enumerat autem particulatim penè omnia,quæ in eductione filiorum Israël ex Aegypto gesta fuere,vel in deserto post eductionem,vel in Aegypto in plagis variis ante eductionem:ac etiam post introductionem in terram promissionis,sub temporibus Iudicum interponens cum magna exaggeratione Iudæorum ingratitudinem & perpetuam rebellionem, tandem in erectionem Dauidis faciens psalmi consummationem.

SEPTVAGESIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

Exod.20. 1 *Attēdite populе meus legem meam:*
** inclinate aurem vestrā in verba oris mei.*
2 *Aperiam in parabolis os meum: * loquar*

ATtendite populе meus, quem elegi mihi in peculium ex omnibus gentibus,ad legem meā,quā ego pro beneficio speciali donaui patribus vestris: * aurem vestrā accōmodate ad verba quę ego loquutus sum,aut loquor, aut loquar per os meū, aut per os Prophetarū seruorū meorū:aurem prębete,& obedientiā præstate meis sermonibus. 2.Aperiam os meum,& loquar in parabolis:doctrinam salutis ego per mysteria verborum proponam,ita quidem in parabolis veritatem tegendo,vt indigni excludantur,& exerceantur boni:* loquar vobis

A *quar propositiones ab initio.*
3 *Quanta audiuimus, & cognouimus ea:*
** & patres nostri narrauerunt nobis.*
4 *Non sunt occultata à filijs eorum in generatione altera.*
5 *Narrātes laudes domini & virtutes eius,*
B *& mirabilia eius quæ fecit.*
6 *Et suscitauit testimonium in Iacob : & legem posuit in Israël.*
7 *Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis: vt cognoscat generatio altera.*
8 *Filij qui nascentur*
C *& exurgent, & narrabunt filijs suis.*
9 *Vt ponant in Deo spem suam, & nō obliuiscātur operum Dei:*
** & mandata eius exquirant.*
10 *Ne fiant sicut patres eorum, generatio praua & exasperans.*
D 11 *Generatio quæ non direxit cor suum:*
** & non est creditus cum Deo spiritus eius.*
12 *Filij Ephren intendentes & mittētes arcum, conuersi sunt in die belli.*

vobis propositiones & ęnigmata de ijs quæ pręcesserunt in diebus antiquis, quæ in sæculis præteritis peracta memorantur. Vox prophetæ. 3. Quàm multa sunt, & quàm magna quæ nos auditu fide digno accepimus,& ex relatu cognouimus:* maiores nostri fide digna narratione manifestauerunt nobis posteris suis. 4. Non voluerunt ea esse celata & occultata posteris suis, in generationibus quæ post ipsos venturæ erant: sed de generatione in generationem, ac de progenie in progeniem semper patres ea filijs manifestauerunt, atque vicissim hi suis filijs,donec tandem ad nos vsque perlata sunt.5. Narrauerunt,inquam, nobis patres nostri, narrando laudem domini & mirabilem potentiā eius,hoc est, laudabilia & potentissima opera eius, ad gloriam & laudem domini Dei sui, mirabilia scilicet signa atque prodigia quæ fecit pro salute populi sui. 6. Et imprimis quidem illud ad laudem Dei memorandum est,quòd populo suo Israëlitico dare voluit legem prę-
claram,æquissimam atque iustissimam,in testimonium illis, secūdum quam scilicet vitam ducerent,& gratam sibi exhiberent seruitutem:in qua scilicet contestatus est eos de sua voluntate, & de omnibus præceptis atque iustificationibus suis, vt scirent quomodo ambularent in conspectu eius:hoc,inquam, testimonium, hanc testificantem legem, ipse suscitauit,erexit,dedit,stabiliuit,atque constituit in suo populo Israëlitico,quod nulli alteri fecit nationi. 7. Quàm multa sunt,& quàm magna, quæ ipse voluit per patres nota fieri, & manifestari filijs, quæ voluit per maiorum narrationem tradi memoriæ posterorum:vt generationes pòst venturæ vsque in consummationem sæculi agnoscerent mirabilia opera domini & laudes eius,neque deficeret laus Dei in æternum ab omni posteritate eorum.Quæ enim in initio electionis populi fecerat Deus pro populo Israëlitico,ea voluit palam fieri, per narrationem maiorum,in omnibus post venturis generationibus.8 Vt filij, inquam, qui adhuc nascentur in futuris generationibus, & ad vitam prodibunt de maternis vteris, cognoscant ea ex suorum patrum narratione: qui etiam ipsi vicissim à se progignendis narrabunt eadē quæ à suis acceperunt,eruntque solliciti suis posteris annunciare mirabilia altissimi,quomodo ipsis sunt annunciata à patribus eorum. 9. Ad hoc autem, annuncianda erunt posteris studiosè quæ in sæculis præteritis peregit Deus,vt posteri ipsi his auditis discant sperare in domino Deo patrum suorum:confidentes,eum pro patribus tam stupenda peregisse cognouerunt,nec sibi denegaturum auxiliū,si fideles fuerint in cultu & lege eius: * vtque per memoriam operum potentiæ eius permaneant in timore Dei,& in obseruatione præceptorum eius : partim allecti blandimentis triumphalium signorum,quæ pro patribus obediētibus facta cognouerint,partim territi horrendis ac prodigiosis punitionibus incredulorum atque rebellium.10. Vt priorum exemplis territi,& alieno periculo prænoniti,non fiant similes patribus suis incredulis & inobedientibus,qui fuerunt generatio praua,& ad iracundiam prouocans dominū suum, qui suis tentationibus, murmurationibus, dissensionibus,seditionibus,idololatrijs,& alijs multis peccatis inobedientiæ atq; incredulitatis,semper Deo restiterunt, dura ceruice, & ad amaritudinē iracūdię concitantes mansuetissimū dominum. 11. Generatio,inquam,quæ non studuit cor suum dirigere ad Deum factorem suum,quæ non præparauit domino cor suum vt rectū faceret in oculis eius,sed sequuta est vias curuas & malas, derelinquens Deum suum: * & non est fidelis inuentus cū Deo spiritus eorum, non credidit anima eorum Deo,non credidit spiritus eorum ad Deum, non adhęsērūt per fidem ex corde illi,quantūlibet foris ore & signis id fingerent.Ore namq; & labijs Deo se fingebant seruire velle, cor autem eorum lōge erat ab eo,nec fuit fidele & rectum in oculis illius. 12. Filij Israël malī & inobedientes,similes fecerunt seipsos temerarijs & glorioſulis, & tamen timidis bellatoribus:qui antequā tempus belli aduenīat, mira videntur agere,intendentes arcus suos,& mittētes sagittas suas ad signa, quasi præludia quædam pugnæ sic exhibentes, itemque gladijs adinuicem dimicantes,& hastas vibrantes,in pugnæ præludium,quasi miranda sint acturi,verū vbi tempus pugnæ aduenerit, & adfuerit ipse artículus congressionis,conuertūtur in fugam,& nihil comprobatur fuisse omnis illa vana audacia quā ostētauerant,& tantum temeritas quędā ac vanitas fuisse cōprobatur.Ita enim incredulі isti Israëlitæ, cùm viderent

Psal.147.

Esa.29.

13 *Nō custodierūt testamētū dei: & in lege*
Exod.24. *eius noluerūt ābulare.*
14 *Et obliti sunt benefactorū eius:*et mirabiliū eius quæ ostēdit eis.*
15 *Cōra patribus eorū fecit mirabilia in terra Aegypti i cāpo Taneos.*
16 *Interrupit mare, et perduxit eos: et statuit aquas quasi in vtre.*
17 *Et deduxit eos īnube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.*
18 *Interrupit petrā in*
Exod. 14. *eremo:* & adaquauit*
Exod.13. *eos velut in abyssō multa.*
19 *Et eduxit aquā de petra, & eduxit tan-*
Num. 20. *quam flumina aquas.*
20 *Et apposuerūt adhuc peccare ei: et in irā excitauerūt excelsum in inaquoso.*
21 *Et tētauerūt Deū i cordib' suis, vt peterēt escas animabus suis.*
22 *Et male locuti sunt*
Num.11. & 21. *de Deo:*dixerunt, nūquid poterit Deus parare mensam in deserto?*
Num.14. 23 *Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ: & torrentes inundauerunt.*
24 *Nunquid & panē poterit dare, aut parare mensam populo suo?*
25 *Ideo audiuit dominus, & distulit: * & ignis accensus in Iacob, & ira ascendit in Israēl.*

rent ante oculos pro se miranda signa fieri, acclamabant laudem domino, vsque ad sydera præ gaudio vociferabantur, prædicabant Moysen, & fidem atque obedientiam amodo magnis clamoribus promittebant: item & loquente ad eos domino, mirabilia spondebant, dicentes, Omnia quæcunque mandauerit dominus, faciemus, & erimus obedientes: Verum in tempore tentationis statim discedebant ad incredulitatem, mox exclamabant contra Moysen, murmurabant contra dominum, & cuncta quæ prius proposuerant, fuerantque polliciti, indomita ceruice confringebant. 13. Non obseruauerunt testamentum domini Dei sui, hoc est, noluerunt obedire legi eius, præceptis videlicet & iudicijs quæ disposuerat eis. 14. Et obliti sunt beneficiorum quæ illis iām antè Deus exhibuerat: * hoc est mirabilium signorum atque prodigiorum quæ operatus fuerat in conspectu eorum, in tempore tentationis non aduerterunt ad omnia præcedentia signa, æque increduli, æque murmuratores, acsi nihil eorum conspexissent, cùm debuissent merito ex præcedentium memoria cautiores fieri in futuris temporibus. 15. Non recogitauerunt maxima illa prodigia, quæ coram & pro patribus eorum fecit Deus in terra Aegypti, quæ appellabatur campus Taneos, vel regio Taneos, à ciuitate dicta Tanis, quæ insignissima, nominatissima, & maxima Aegypti ciuitas fuit in ostio Tanitico. 16. Inter cætera autem illud maxime memorabile est, quòd aquas maris rubri diuisit pro eis, ita vt per mediū sicci aluei deduxerit filios Israël, & diuisas aquas ex vtraque parte constituerit quasi in vtre, vt essent transeuntibus ex vtraque parte velut murus solidus. 17. Et ducatum illis præstitit per diem in columna nubis, quæ per diem apparuit illis ad viam monstrandam, & tota nocte præcesit illos in columna ignis lucentis per noctem, vt die simul ac nocte cælesti ducatu non destituerentur. 18. Insuper in deserto, cùm deficerent a juæ, adfuit dominus sitienti & periclitanti populo suo, rupem scindens & rumpens, hoc est, iubens è rupe aquas effluere: * & copiosè potum illis dedit, ita vt biberent ad sufficientiam de abundantia aquarum è petra exilientium, tanquam in maxima profunditate aquarum. 19. Fecitque de petra aquas effluere populo sitienti, Moyse tantum virga percutiente silicem, & prosilire fecit aquas copiosissimas in maxima abundantia, vt deriuari viderentur quasi in flumina aquæ quæ eruperant. 20. Neque hæc tamen tanta beneficia, tam inaudita prodigia stabilire potuerunt fidem populi illius, nec propterea cessauerunt à peccatis suis: sed post hæc omnia, nouum peccatum adiecerunt prioribus: * ad iracundiam prouocauerunt altissimum in deserto, quod est locus absque aqua. 21. Et tentauerunt Deum in cordibus suis, signa potentiæ eius, & præsentiæ intempestiue, importune, & infideliter poposcerunt ab eo, cum murmuratione & iurgio petentes cibos secundum desideria sua, fastidientes cælestem panem, atque dicentes: Anima nostra arida est, nihil aliud vident oculi nostri nisi man, & alia huiusmodi. 22. Et male loquuti sunt de Deo, contra eum murmurantes & blasphemantes, cùm dicerent, Vtinam mortui essemus in Aegypto, quando sedebamus super ollas carnium, aliaque his deteriora: * & dixerunt maleuoli adinuicem, murmurantes, Nunquid potens est Deus nobis cibos diuersos præbere, iuxta desiderium animæ nostræ, quomodo fieri solet in apparatu mensarum, in quibus varia ciborum genera proponuntur. 23. Nam de petra quidem vidimus, quòd solum virga percussa dedit aquas, easque ita copiosè & superabundanter, vt in modum torrentium magno impetu egredientes aquæ sese accumulauerint, & quasi torrentes rapidi de petra prosilierint. 24. Sed nunquid idem ipse poterit nobis dare apparatum cibi humani in hac solitudine, aut mensam varijs onustam cibarijs parare, quibus solebamus in Aegypto saturari, piscibus videlicet & carnibus, cucumeribus & peponibus, porrisque & alijs, quibus vescebamur in Aegypto? 25. Iccirco (quia hæc dixerunt murmurantes) audiuit ista dominus, & ad cunctas eorum murmurationes attendit: distulit tamen aliquantulum punitionem, quam eis pro murmuratione volebat inferre, volens prius implere de quo murmurando ipsum tentauerunt, quàm eos puniret: * & ira Dei in modum ignis accensa est, atque efferbuit contra populum Israëliticum mur-

A
26 *Quia non crediderunt in Deo: nec speraueruēt in salutari eius.*

murmurantem, & furor magnus Dei exortus est contra populum. 26. Propterea quòd visis etiā tot miraculis, non crediderunt in dominum Deum suum, à quo tāta iam perceperant beneficia, nec spem habuerunt in salutatione eius, in salute quā eis præstitit de manu inimicorum, nō sperauerunt, q̄ ipse qui eos saluauit, etiā nutrire esset potēs: adeoq̄e ex præcedentibus signis nō sunt in fide aut spe cōfirmati, vt magis ex acceptis beneficijs, prioribus sua procacitate mouerentur ad nouas murmurationes & tētationes, quemadmodū ex præcepta refectione aquæ de petra moti fuerunt, vt ciborum peterent apparatum.

27 *Et mandauit nubibus desuper: & ianuas cæli aperuit.*
28 *Et pluit illis mānа ad manducandum:*
B
* *& panem cæli dedit eis.*

27. Et videte quanta fuit ingratitudo, quanta impietas cōtra Deū, pro carnium & Aegyptiorum ciborum apparatu murmurare cōtra dominum, vbi cælestem panē haberent ex Dei dono ad abundantiam. Ecce enim multò antè q̄ ita murmurando carnes petissent, præceperat dominus nubibus quæ sursum sunt, vt in eis Dei virtute generatū manna super terras demitterent, & velut portas cæli aperuit. 28. Et pluit desuper panem qui naturæ lege ex terra non solet progigni, hoc est, pluit illis desuper, & copiosè demisit cibū diuinitus præparatum: quem velut pluendo demisit, quoniā simul cū rore descendebat desuper. Descendente enim rore nocte super castra, descendebat pariter & man: * panē desuper missum qui non de terra iuxta naturā generatus fuerat, sed in superioribus fuit diuina virtute formatus, dederat eis dominus: quo & cibauit eos annis quadraginta in solitudine, donec attingerent terram habitabilem. 29. Panē ministerio angelico in supernis formatum, aut certe panem non humanum, nec naturali via de terra enatum, dederat Deus manducare populo huic: * cibos misit eis absq; omni labore suo & solicitudine, præparatos in magna copia, ita vt quisque quātum posset edere, colligeret. Tali, inquā, miraculo iam illis panem dederat cælestem, ita mirabiliter, ita copiosè, cùm pòst adhuc nauseātes peterent sibi mensam parari, & Aegyptios cibos exposcerent, panē suauissimū de cælo demissum abijcientes, ad iniuriā diuini beneficij, cibum leuissimum illum appellantes, & animā suam aridam dicentes, q̄ nihil ederent nisi manna. Quapropter nec mirum fuit, si furor domini contra ingratissimum populum efferbuit. 30. Voluit nihilominus implere desiderium murmurantium, priusquam exerceret in eos vindictā. Vnde ventum australem qui antè iam flauerat de cælo, violenta sua iussione transtulit, silere fecit atque compescuit: * & in virtute potentiæ suæ (cui & venti & mare obediunt) adduxit Africum ventum: qui egrediens à domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra. 31. Et misit eis in maxima abundantia carnes coturnicum, quemadmodum puluis abūdat super terram: ita vt quomodo pluuia terram operit guttis aquæ, sic visa fuerint castra Israëlitarum plena coturnicibus, & aues istas adduxit in maxima copia, quasi arenā quę est in littore maris innumerabilis. 32. Et vt nulla esset difficultas populo, vtque eorum desiderijs plenissime satis fieret, fecit Deus vt caderent coturnices istæ in medio castrorum eorum, circa ipsa eorum tabernacula, ne vllum in colligendo laborem insumerent. Volabant enim in aëre duobus cubitis altitudine super terrā ex omni parte castrorum, itinere quantū vno die potest confici: ita vt surgens populus toto die illo & nocte ac die altero, congregauerit coturnicum maximā multitudinem: qui pariunt, decem coros, & fecerunt eas per gyrum castrorum. 33. Et manducauerunt carnes iuxta concupiscentiam cordis sui, & saturati sunt valde, suntque copiosè satiati cibo cōcupiscentiæ suæ: attulit illis Deus quæ desideraverant & concupierant, murmurantes: * non sunt passi defectum eius quod concupierant, datum est illis abundanter quātum vtique desiderare potuissent: non quidem propter hoc vt illorum expleretur desiderium, sed vt reipsa mōstraretur Dei omnipotentia, simulq; ostēderetur, male incredulos illos de Deo dubitasse. 34. Vbi autem ad ostensionem suæ potentiæ murmuratorum satisfecisset desiderio, tum voluit hactenus dilatā iram aduersus impios manifestare. Itaque, cùm adhuc escæ istæ carnium essent in dentibus ipsorum, neque adhuc defecisset cibus eiusmodi de ore eorū, ecce furor domini concitatus est aduersus impios murmuratores, percussitque eos plaga magna. 35. Et interfecit in ira sua dominus pingues populi Israël, & electos ac superbiores ex populo ipse impediuit per mortem, & interfectione prohibuit ne ingrederentur in terrā promissam patribus eorum: impediuit quoque

Exod.16. Num. 11.
Num.16.
Num.21.
Num.11. Exod.16.
Num.11.
Ibidem.

C
30 *Transtulit Austrū de cælo: * & induxit in virtute sua Africū.*
31 *Et pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.*
32 *Et ceciderūt in medio castrorū eorū, circa tabernacula eorum.*
D
33 *Et mānducauerunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorū attulit eis: *nō sunt fraudati à desiderio suo.*
34 *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.*
35 *Et occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibidem.

36 *In omnibus his peccauerunt adhuc:*
** & non crediderunt in mirabilibus eius.*
37 *Et defecerunt in*
Heb. 3. *vanitate dies eorum:*
** & anni eorum cum festinatione.*

Num. 1.

38 *Cùm occideret eos quærebãt eum, & reuertebantur:*
** & diluculo veniebãt ad eum.*
39 *Et rememorati sũt,*
Esa. 28. *quia Deus adiutor est eorum:* & Deus excelsus redemptor eorum est.*
40 *Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.*
41 *Cor autem eorum non erat rectum cũ eo:*
**nec fideles habiti sunt in testamento eius.*

42 *Ipse autem est miserícors, & propitius fiet peccatis eorum:*
** & non disperdet eos.*

43 *Et abundauit vt auerteret iram suam:*
** & non accendit omnem iram suam.*
44 *Et recordatus est quia caro sunt;*

quoq; à profectione, ne vltra possent proficiſci cũ populo Dei, quoniam prostrati fuerunt illic in deserto. Pingues enim, id est, diuites delicatiores, & minus patiẽtes, qui ad murmura solent esse magis proni, & electi atq; teneriores, qui huius murmurationis potissimum causa fuere, à Deo iusta punitione interfecti sunt, propter peccatũ murmurationis eorũ, adeò vt ex horũ interfectione locus ille vocatus sit, sepulchra concupiscentiæ. 36. In omnibus mirabilibus his & maximis beneficijs, quibus illos Deus affecit, itemq; terribilibus prodigijs quę in eis ostendit, nõ sunt cõuersi pleno corde ad dominum, nec desierunt à praui tate sua, sed adiecerunt peccatis prioribus alia posteriora atque peiora: * & post tot ac tanta mirabilia, quæ Deus pro illis exhibuit, nõ sunt firmati in fide & fiducia domini Dei sui, sed permãserunt vt antè rebelles semper & increduli. 37. Et quoniam increduli fuerunt, iusta Dei punitione omnes prostrati sunt in deserto, intra tempus breue quadraginta annorum, propter vanitatẽ, falsitatem, malitiã, & incredulitatẽ cordis sui: * & anni vitæ eorum cũ festinatione transierunt, intra tempus modicum corpora murmuratorum omniũ in deserto prostrata sunt, ita vt ex infinita illa multitudine, quę numerata fuit per Moysen & Aaron in deserto Sinai, nullus inueniretur in tempore ingressus in terram promissionis, nisi Iosue & Caleb: cæteris omnibus (iuxta verbum domini) in deserto intra quadraginta annorum spatium prostratis. 38. Similes erant peruersis pueris, qui donec virga cæduntur, magna promittunt, & mores malos iurant cõmutare in melius: sed vbi cessauerit virga, ad ingenium redeunt, & solita mala studia. Ita enim & ipsi dum à Deo occiderentur, cõfugiebant ad Moysen & Aaron, petentes pro se supplicari domino, tum confitebantur peccasse se domino, nimirum mortis timore perterriti, videbanturque tunc ad horam conuerti ad Deum: * & quasi festinabant studiose ad eũ, primo diluculo consurgentes: quemadmodum solent qui in re qualibet soliciti & diligentes existunt, primo mane consurgere. 39. Ac tum quidem, vexatione dante intellectum, didicerunt, q̃ Deus solus esset qui eis posset in malis omnibus ferre auxilium, quique paratus esset semper ad adiuuãdum potius quàm ad perdendum, si modo ipsi non se redderent indignos: * & cognouerunt experientia docti, q̃ altissimus dominus Deus eorum verus esset redemptor & saluator, qui semper paratũ sese monstrabat ad suscipiendum pœnitentes. 40. Et simulauerunt ore diligere se Deum, & illi velle de cætero, cultu debito famulari, atque obedientiam & fidem præstare, & lingua sua falsa ac mẽdaci multa pollicebantur, quæ ex vero corde non procedebant. Timore enim cõpulsi, & ad euasionem periculi, nihil non promittebant. 41. Et quanquam ore multa promittebãt, nõ fuit tamen cor eorum rectum ad Deum, nec fuit eorum voluntas syncera erga illum, neq; ex animo proponebant pristinam malitiã & infidelitatem relinquere: id quod subsequẽs semper resumpta murmuratio, vel inobedientia aperte monstrabat: * nec sunt inuenti fideles in testamento domini Dei sui, mendaces comprobati sunt in lege eius propter multiplices transgressiones suas. Non enim obseruabant legẽ Dei, quam susceperant, & obseruare promiserant. 42. Quamuis autẽ huius populi tanta tamque obfirmata fuerit malitia, ipse tamen dominus nõ obliuiscebatur suæ misericordiæ, seruabatque illis quatumuis frequenter lapsis ac relapsis, suam misericordiam: quẽadmodum ipse in se semper est misericors: & propitium se semper exhibebat peccatis eorum, paratus illis dimittere peccatum, quoties egissent pœnitentiã: * & nõ penitus illos voluit disperdere, nõ illos omnino voluit exterminare, sed patribus incredulis in deserto prostratis, filios fecit in illorũ locum exurgere, in quibus promissiones factas patribus adimpleret. 43. Et abundanti ac superfluenti sua misericordia fecit, vt auerteret irã suam à populo, vt non penitus vsque ad internitionem vel deletionem populi delæuiret indignatio: * & nõ permisit exæstuare vsque ad perfectum aut superexcessum furorem indignationis suæ, sed etiam repressit, ne in filios murmuratorum grassaretur, vtque confiteret in punitione patrum: neque ipsis etiam patribus totam inferens vindictam, quam sua impietate nimia, nimium rebelles commeruerant. 44. Habensque se Deus in modum recordantis, attendit ad fragilitatem naturæ & conditionis humanæ, quòd scilicet non pure essent homines spiritualis naturæ, aut angelis similes, sed quòd carnem gestarẽt in qua habitat ex correptione originali fomes prauus, lex peccati, praua sensualitas, vnde ad omne malũ proni sunt homines ab adolescentia sua, vnde habent vt ab omni virtute alieni, & ad omne bonũ difficiles, ecõtrario in omne malum sint proni ac faciles: quæ certe naturalis ad malum inclinatio, nõnulla est occasio compatiendi & miserendi, neque iuxta extremã iustitiæ seueritatem vindictam exigendi à natura fragili: * attendit insuper Deus, q̃ homo res caduca & fragilis sit, ac modici temporis: cuius spiritus cùm egressus fuerit à corpore, non iterũ potest reuerti per semetipsum, sed mortuus semel homo manet mortuus, donec virtute diuina resuscitabitur in nouissimo: propter quod, non ita paratus est Deus mortẽ etiã temporalẽ inferre peccantibus, sed frequenter dissimulat, malens dissimulando tempus illis concedere pœnitentiæ, q̃ subitò opprimendo æternæ perditionis eos submittere sententiæ: * Vadens etiam est homo & non rediens, quoniam per se quidem à Deo potest recedere, & in malum ire: verum per seipsum à malo ad bonũ redire nõ potest, nisi adiutus speciali Dei auxilio. Ex se enim habet, vt peccare possit: vt autẽ bene agere, nõ nisi ex Deo. 45. Quàm multis vicibus legimus illos Deum ad iracundiã prouocasse in deserto, per annos quadraginta: quoties ad indignationem cõmouerunt Deum in deserto illo arido ac siticulo absque aquis, vbi nõ erant aquarum flumina. 46. Et cõuersi sunt semper ad malum, postquã semel bene proposuerant, pactum infringentes quod cũ Deo pœnitẽtes in afflictione inierant, & iterum tentauerunt, murmurantes, ac signa intempestiue pro sua cupiditate fieri postulantes: * & Deum sanctum Abrahã, Isaac & Iacob patrum suorum, ad amaritudinẽ siue iracundiã prouocauerunt, cui fidelissimo corde adhæserant patres eorũ. 47. Non sunt recordati potentiæ eius, quam in signis admirandis & inauditis prodigijs ostẽderat, in tempore quo eduxit patres eorum de Aegypto, de potestate Pharaonis & seruorum eius, à quibus crudeliter affligebãtur, & oneribus grauissimis opprimebãtur. 48. Non sunt, inquã, recordati manũ Dei, quomodo exhibuit in cãpo Thaneos, in terra Aegypti, potentissima signa atque prodigia, Pharaonem & seruos eius decem plagis grauissimis percutiens, propterea quòd nõ vellet iuxta vocem domini dimittere populum eius. 49. Ipse enim omnes aquas Aegyptiorum per manum Moysi & Aarõ, solius virgæ ictu, conuertit in sanguinem, factumq; est, vt omnes fluuij eorum & riui, paludes etiam & stagna ac lacus, in quibus aqua pluuialis, vel alia quælibet erat collecta, verterentur in sanguinẽ, & cruor esset pro aqua in omni terra Aegypti, vt non possent Aegyptij bibere aquam fluminis. 50. Misit insuper in eos commixtionem muscarum, & impleta est vniuersa terra Aegypti muscis omnis generis, quibus terra vniuersa corrupta est, ac velut deuorata atq; cõsumpta, afflictaque vehementissime: * fecit quoque fluuios ebullire ranas, occupantes domos & omnia penetralia Aegyptiorũ, quibus grauissime fuerunt afflicti, ascendentibus illis in domum in cubiculũ lecti, & super strata hominum, & in reliquias ciborum. 51. Et dedit ærugini siue rubigini cõsumenti fructus eorum, suscitans corruptionem deuastantẽ, quæ absumeret terræ nascentia, ne haberent Aegyptij quæ ipsi ederent, vel iumenta eorum: * fecit insuper surgere locustas quæ operuerunt superficiem terræ, & comederũt in agris omnia in quibus laborem impenderant, corroseruntque omnia ligna in agris, & impleuerunt habitationes Aegyptiorum. 52. Et destruxit, ac infrugiferas reddidit vineas Aegypti, in grandine quam pluit Deus super Aegyptum, per quã & percussa sunt quæcũq; fuerũt in agris, ab homine vsq; ad iumentũ, & omnis herba agri percussa est, & omnia ligna regionis confracta: * & arbores eorum fructiferas ipse mortificauit, & steriles reddidit per pruinam nocturnam prauæ qualitatis, congelantem & corrumpentem ligna qualitate noxia. 53. Et tradidit iumenta Aegyptiorum grandini ad interfectionem: fecit eorum iumenta omnia quæ in agris fuere inuenta, perire grandine: * & possessiones eorum datæ sunt igni deuorãdæ, agri videlicet eorum, & omnia quæ in agris inuenta sunt. Siquidẽ grando & ignis pariter mixta ferebantur circa terram discurrentia fulgura, quibus tacta & consumpta sunt quæ in agris erant. 54. Exercuit in illos iram indignationis suæ, ipso videlicet multiplicis punitionis effectu, patenter demõstrans suam aduersum illos indignationem & iracundiam suam; * misit quoque eis immis-

Rom. 7. Gene. 6. & 8.

Exod. 7.

Exod. 8.

Ibidem.

Exod. 10.

Exod. 9.

Ibidem.

* *Spiritus vadens & non rediens.*
45 *Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in iram concitauerunt eum in aquoso.*
46 *Et cõuersi sunt, & tentauerunt Deum:*
** & sanctum Israël exacerbauerunt.*
47 *Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.*
48 *Sicut posuit in Aegypto signa sua: & prodigia sua in campo Thaneos.*
49 *Et conuertit in sanguinem flumina eorũ: & imbres eorum ne biberent.*
50 *Misit in eos cynomyam: & comedit eos:*
** ranam & disperdidit eos.*
51 *Et dedit ærugini fructus eorum:* & labores eorum locustæ.*
52 *Et occidit in grandine vineas eorum:*
** & moros eorum in pruina.*
53 *Et tradidit grandini iumenta:*
** & possessionem eorum igni.*
54 *Misit in eos irã indignationis suæ: indignationem & iram & tribulationẽ immissiones per angelos malos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

immissiones & morsus punitionũ, per ministerium angelorum, quorũ E
ministerio in huiusmodi inferẽdis Deus vti solet, & cuiusmodi ipsi se
libenter immiscere solent, nihil tum cupientes q̃ hominibus nocere,
vel in spiritualibus vel in corporalibus rebus: * Terrores quoq; & in-
cursus horribiles misit in eos, per ministeriũ angelorum malorum, vt
eos vehemẽter perterrefacerent. 55. Fecit viam semitæ iræ suæ, direxit
semitam indignationis suæ, viam rectam præparauit furori suo, nimi-
rum vt recta transiret furor, atq; indignatio eius penitus compleretur,
nec cohiberetur amplius, ita vt etiã ab interfectione non abstinuerit,
sed morte eos, & iumenta eorum peste crudeli feriens, interfecit. 56. Et
post plagas plures præuias, nouissimam superaddidit, eamque grauis-
simam, qua percussit omne primogenitum in terra Aegypti, à primo-
genito Pharaonis vsque ad primogenitum nouissimæ humillimæque
ancillulæ, & omnia primogenita iumentorum, ita vt non esset domus
in qua non iaceret mortuus: * primitias omnis laboris eorum, primitias
partus, primogenita quæ laboriosissimis partubus fuerant enixa, per-
cussit in tabernaculis Cham, id est, in domibus Aegyptiorum, quorum F
Cham pater & principium extitit. 57. Et post hanc plagam, eduxit do-
minus in manu valida & forti populum suum, sicut pastor educit oues,
absque vllo eorum labore, absque pugna, absque omni molestia: * &
perduxit eos in desertum, extra captiuitatem Aegypti, quomodo pa-
stor gregem ouium educit de stabulis in pascua. 58. Et deduxit eos in
fortitudine sua, antecedens eos per columnam ignis & nubis, in bona
spe & confidentia & gaudio: & non timuerunt egredientes, protectorẽ
& propugnatorem habentes tam potentissimum dominum: * & eorũ
aduersarios Aegyptios, cum obstinato animo insequuti fuissent ad se
reuocandum, Deus miraculo stupendo inuoluit fluctibus maris, de-
mergi fecit in profundum. 59. Et post annos multos, introduxit popu-
lum suum istum in terram quam promiserat patribus eorum, in loca
montosa quæ ipse sibi sanctificare voluit, & suo populo dare ad habi-
tationem: * loca (inquam) montosa, quæ acquisiuit dextera eius, quæ ip
se tanquam victor & triumphator manu potenti quasi iure belli obti-
nuit, & tradidit populo suo. Nec enim filij Israël in gladio vel arcu suo G
possederunt terram promissionis: sed dextera Dei pugnante pro eis,
gentes robustissimæ de terra deletę sunt, in quorum locum ipsi intro-
ducti sunt. 60. Eiecit nanq; Deus in fortitudine manus suæ pugnãs pro
populo Israël, gentes multas & fortissimas, deleuitque eos & consum-
psit de terra, videntibus illis: * & in sorte atq; hæreditatem diuisit eam
populo suo: iuxta quod promiserat patribus, dicens: Vobis & semini
vestro dabo terrã hanc: diuisit, inquam, filijs Israël, per Iosue filiũ, Nũ,
in funiculo diuisionis, quomodo solent terræ mensurari, vnicuique tri
bui suam sortem secundum funiculum assignãdo. 61. Fecitque domi-
nus in habitationibus electarum gentium, in illarum ciuitatibus & lo-
cis, habitare duodecim tribus Israëliticas, plantauitque eas ibi, & insti-
tuit in locum illorum veros terræ possessores & dominos, vt ibi firmã
suam mansionẽ ponerent, domosque ædificarent, & filios ac filias pro-
crearent, tanquam in terra sua: quomodo solet arbor in terra, in qua
plantata est, sese firmare radicitus, quasi in loco proprio. 62. Verum
quemadmodum ab initio semper se peruersos & inobedientes exhi- H
buerunt, ita & tum non cessauerunt à sua impietate: sed iuxta malitiã
antiquam tentauerunt dominum Deum suum, nondum in Deo post
tanta percepta beneficia confidentes, nondum fide plena illi adhæ-
rentes: & ad iracundiam prouocauerunt Deum altissimum, à quo tan-
ta iam perceperant bona, & de quo tam multa audierant à patribus si-
gna narrata: & legem eius nõ custodierunt, pactum Dei quod pepigit
cum eis, non obseruauerunt. 63. Et auerterunt se, post mortem Iosue
ac seniorum, nouis exurgentibus qui non cognoscebant dominũ, nec
viderant opera eius, & nõ seruauerunt pactum quod patres eorũ pepi-
gerant cum Deo, polliciti semper illius cultum & obedientiam custo-
dire, * quemadmodũ fecerunt patres eorum, ita & filij conuersi sunt in
arcum prauum, exhibuerunt seipsos tanquam arcum malum & inuti-
lem, facti sunt serui praui, rebelles & inutiles: ita vt quemadmodum
malus arcus sagittanti non seruit ad libitum, quantumuis sit artis peri-
tus, nec sagittam mittit quo ille destinauerit: sic nec illi fideles seruos
se exhibuerunt optimo domino, neq; quæ ipse vellet, perficiebant, sed

55 *Viã fecit semitæ iræ suæ, & nõ pepercit à morte animarum eorum, & iumenta eorũ in morte concluſit.*

Exod. 11. & 12. 56 *Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti: * primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.*

57 *Abstulit sicut oues populum suum: * & perduxit eos tanquam gregem in deserto.*

58 *Et deduxit eos in spe, & non timuerunt: * & inimicos eorum operuit mare.*

Psal. 43. 59 *Et induxit eos in montẽ sanctificationis suæ: * montẽ quẽ acquisiuit dextera eius.*

60 *Et eiecit à facie eorũ gentes: * & sorte diuisit eis terrã, in funiculo distributionis.*

Gene. 12. & 15. 61 *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël.*

62 *Et tentauerunt & exacerbauerũt Deũ excelsum: & testimonia eius non custodierunt.*

Iudic. 2. 63 *Et auerterũt se, et non seruauerũt pactũ: * quemadmodum patres eorũ conuersi sunt in arcum prauum.*

quod eorum eligeret voluntas praua. 64. Ad iracundiam concitauerunt Deum in extructione excelsorum, nouum cultum instituentes secundum similitudinem gentium idololatrarum, quem Deus non præceperat: qui ob hoc tabernaculum fieri præceperat, ne loca aliena extruerent, esseteque vnus omnibus orationis locus ad tabernaculum, vt vnus erat omnium dominus: * quodq; grauius erat, etiam idola sculptilia vel fusilia artificis manu fabricata, coluerunt, iuxta ritus gentium, vnius Dei cultu postposito: sicq; ad indignationem Deum mansuetissimum superabundanti sua impietate prouocarunt. 65. Attendit Deus ad opera eorum pessima, & ascenderunt mala hæc omnia in aures eius, tanquam vindictam clamantia aduersum illos: & per vindictam iustitiæ suę spreuit, cõtempsit, abiecit, ignobiles reddidit, & conculcari permisit eos: populumq; suum Israëliticum quem antè ita magnificè glorificauerat, valde humiliauit atque annihilauit, dans illos in manus alienigenarum per circuitum, faciensq; eos tributarios, & grauissima seruitute sinens opprimi. 66. Locum quoque tabernaculi qui
à tempore Iosue fuerat in Silo, in sorte Ephraim ipse abiecit: nec vltra Iosue 18.
in Silo voluit commorari, vt non esset amplius locus orationis & sacrificij in Silo: * locum, inquam, sui tabernaculi, vbi inter homines habitauit, in quo elegerat mansionem suam, & specialem exhibuerat sui
præsentiam, vt illic adoraretur, inde loqueretur, vota quoq; & sacrificia illic acciperet à populo suo. 67. Et permisit in captiuitatem venire
arcam sanctam, quæ erat spes & fortitudo populi Israëlitici, in qua
maxime confidebant, & per quam sperabant contra inimicos assequi
victoriam: * atq; hanc arcã (quæ erat populi Israëlitici decor pulchri- 1. Reg. 4.
tudo, ornatus, & gloria) propter præsentiam diuinitatis in ea sese ex-
hibentis populo, permisit capi in bello à Philistæis alienigenis, & ab-
duci in regionem Philistæorum. 68. Neq; hoc solum, verumetiam de Ibidem.
populo plurimi gladio interfecti sunt: Nam vna illa vice, quando arca Exod. 20.
Domini capta fuit, plaga magna facta est in populo, ceciderunt q; tri-
ginta milia peditum: * & hæreditatem suam, populum quem in pecu-
lium suũ elegerat, valde abiecit atq; humiliauit sub manibus inimico-
rum suorum. 69. Iuuenes eorum fortes & robusti, ferro & igni absum-
pti sunt, & in exardescente igne hostilis iracundiæ interfecti sunt: * &
virgines eorum interfectas non vacabat nec libebat iuxta consuetudi-
nẽ lamentari, non præstabatur mortuis virginibus solitæ funeris pom-
pæ, tum propter nimiam populi consternationẽ, tum propter nimiam
multitudinem absq; misericordia interfectarum, tum propter metum
maioris mali instantis, adornante vnoquoq; fugam pro salute sua: dum
quisq; magnum putauit, si suę posset vitę consulere: nec erat otiũ, neq;
animus lamentationibus vacare, aut defunctis solita funeris præstare
obsequia. 70. Sacerdotes eorum gladio interfecti sunt, quemadmodũ 1. Reg. 4.
videlicet Ophni & Phinees, ambo filij Heli sacerdotis, ceciderunt die
vna, capta arca Domini: * & viduæ defunctorũ virorum in prælio non
plorabantur, non deflebantur, vti solet fieri. Nimius enim terror om-
nes inuaserat, & tanta erat vnicuiq; suæ formidinis miseria, vt nemini
liberet aut etiam vacaret alterum quantumuis proximum plangere:
quemadmodum fieri solet in rebus desperatissimis & summa miseria,
quando tanta est vnicuiq; sua miseria, vt nec frater fratris, nec filius pa-
tris habeat rationem aut sollicitudinem. 71. Attamen non imperpetuũ
hæc ira permansit super populũ domini, neq; diu hostes passus est glo-
riari de victoria, neq; inultos permisit: sed post tempus modicũ, is qui
antè dormire visus fuerat, & nihil agere pro sua gloria, cœpit suas vires
ostendere, quemadmodum cum homo exurgẽs à somno, ad solita re-
dit opera: * factus est tanquã homo fortis, postquam absessit crapula
vini, qui ad tempus crapula vini oppressus grauissimum somnum dor
miens nihil agebat, sed vino edormito, atq; digestione consumpta, ex-
urgit potẽtior, vino scilicet instauratus & calefactus. Ita se Deus post-
quam ad tempus modicum dissimulauerat, distuleratq; vindictam in
impios hostes populi sui, fortior apparuit ad vltionem. 72. Et percussit 1. Reg. 5.
inimicos suos Philistæos plaga pessima, in secretiori parte natium, ita
vt computrescerent prominentes extales eorũ, præter quod innume-
ram multitudinem hominũ in singulis ciuitatibus interfecit, dum cir-
cunduceretur arca eius: * opprobrio sempiterno, in hac punitione tam
fœda & abominabili plaga affecit eos. Merito enim hoc in perpetuum

A 64 *In iram concitauerunt eũ in collibus suis:*

** & in sculptilibus suis ad æmulationẽ eum prouocarunt.*

65 *Audiuit Deus & spreuit, & ad nihilum redegit valde Israël.*

66 *Et repulit tabernaculum Silo:*
B ** tabernaculum suum vbi habitauit in hominibus.*

67 *Et tradidit in captiuitatẽ virtutem eorum:*
** & pulchritudinem eorum in manus inimici.*

68 *Et concluſit in gladio populum suum:*
** & hæreditatem suam*
C *spreuit.*

69 *Iuuenes eorũ comedit ignis:*
** & virgines eorum nõ sunt lamentatæ.*

70 *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt:*
** & viduæ eorum non plorabantur.*

D

71 *Et excitatus est tãquam dormiens dominus:*

** tanquam potens crapulatus à vino.*

72 *Et percussit inimicos suos in posteriora:*
** opprobrium sempiternum dedit illis.*

Iosue. 18. 73 *Et repulit tabernaculum Ioseph, & tribū Ephraim non elegit.*

74 *Sed elegit tribum Iuda:*

* *montem Sion quem dilexit.*

75 *Et ædificauit sicut vnicorniū sanctificium suum:*

* *in terra quam fundauit in sæcula.*

Rom. 11.

1.Reg.6. 76 *Et elegit Dauid seruum suum:*

* *& sustulit eum de gregibus ouium, & de post fœtantes accepit eum.*

Exod.20. 77 *Pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam.*

78 *Et pauit eos in innocentia cordis sui:*

* *& in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

illorum cessit ruborem atq; confusionem sempiternam, quod ita miseranda plaga cæsi fuissent à Deo Israël, quem spernebant, & cuius populum oppugnabant assidue. 73. Repulit tamen tabernaculum Ioseph, id est, tribum Ephraim filij Ioseph non elegit, vt habitaret in ea, & mansionem figeret in ea tabernaculi sui. Nam licet primum tempore Iosue locus tabernaculi fuisset in Silo, in sorte Ephraim filij Ioseph, non voluit tamen dominus illic habitationem sibi constitui, nec stabilem templi locum: neque etiam illic voluit stabile perdurare regnum, vbi tamen prius regnauerant Saul & Hieroboam. 74. Sed tribum Iuda elegit, vt in ea templum ædificaretur nomini suo, essetque in ea principatus regni: * maxime autem Hierusalem, vbi erat mons Sion, quem dilexit, & quem elegit vt in eo templum sibi ædificaret, illicque adorationis locum constitueret, vtq; eam faceret ciuitatem regiam & præcipuam populi Israëlitici. 75. Et ædificauit in terra Iuda sanctuarium suum, templum sanctum suum, in quo sibi offerrentur sacrificia legitima: ad modum vnicornium zelans pro puritate & solitudine habitationis suæ, nolens alium Deū præter se, in hoc templo quod sibi ædificarat, coli vel adorari, neque plures sibi habitationes permittens construi, sed vnicam istam charissimam habens, neq; transiens de loco ad locum, sed stabiliter semel electum templi, & cultus sui locum absque mutatione custodiens: * idq; fecit in terra Iuda, quam fundauit, ac stabiliuit pro cultu suo in æternum, vbi perpetuo coleretur atque adoraretur (quantum quidem ex ipsis erat electione, cuius sine pœnitentia & retractatione dona sunt atque electio) si non illorum impedisset male grata infidelitas: * Fundauit insuper eā in sæcula pro habitatione sua, quatenus figura erat Ecclesiæ sanctæ, in qua habitationem suam perpetuam habiturus est Deus vsque in consummationem sæculi: * Aut quia donec vetus illa Synagoga perstaret cum suæ legis ritibus & veteri tabernaculo, non alius erat locus deputandus diuino cultui. 76. Ex hac quoq; tribu Iuda, ex omnibus filijs Israël elegit Dauid seruum suum quem per Samuelem vnxit in regem populi sui, reprobato Saule, de tribu Beniamin: * quem & tulit è pascuis pascentē greges ouium patris sui, à pecorum cura ad populi regimen cum sublimando: accepitq; eum & assumpsit ad regiam dignitatem, ab ouium fœtarū cura, quas sequebatur, atq; tanta humilitate ad tam magnificam euexit regalis fastigij dignitatem. 77. Ad hoc, inquam, assumpsit eum ab ouium cura, vt in modum pastoris regeret & guberharet Israëlem, populum Domini, quem in hæreditatem & peculium sibi modo mirabili elegerat ex omnibus gentibus: vt qui prius patris sui paucarum ouium in humilitate extiterat pastor, iam innumerabilis populi in regia maiestate glorioſus fieret moderator. 78. Ipse verò innocens à domino & simplex vocatus, qualis vocatus erat talis permanens, pauit, rexit, ac gubernauit subditos sibi populos in simplicitate & innocentia cordis sui, in pace & cultu Dei, quanta potuit diligentia, fideliter illos gubernans: * & in prudentia operum suorum dux illis fuit, ducatum illis bonum præstitit in cultu Dei, sapienter omnia agens, & in omnibus prudenter se gerens, ex Dei gratia, ad quæcunq; pro salute populi fuisset egressus.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXVII.

VErsu 1. Attendite populo meus. Duo versus primi, quasi pro introductione Psalmi sunt positi, tanquam ex ore domini loquentis, cum versus omnes ad finem vsque subsequentes non sint vox domini, sed Prophetæ ipsius, ab ore domini inchoatum sermonem prosequentis. Mirum autem videtur, quod hic dicat dominus se aperturum os in parabolis, & loquuturum propositiones siue ænigmata, cum Psalmus totus penè omni difficultate careat, & nuda tantum proponatur rerum gestarum historia absque vlla difficilium sensuum verborum inuolutione. Potest verò huic quæstioni pluribus rationibus satis fieri. Primo, si dicamus omnem sermonem Dei quantumuis lucidum & clarum, esse tamen parabolam & ænigma, mundo & ijs qui sunt in mundo incredulis, quoniam videlicet animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, & nescit intelligere: quoniā spiritualiter exa-
1. Cor. 2. minari debent quæ spiritualia sunt: ipse verò caro est, & non spiritus. Amplius verò, quę in hoc Psalmo dicuntur, tametsi in se secundum superficiem considerata facilia videantur, & obscuritate carentia: tamen si ad rationem diuinæ prouidentiæ atque prædestinationis referantur, vere maxima sunt ænigmata, mirandæ parabolæ, quæ hoc Psalmo proponūtur. Si enim presius intueamur, profundiusque consideremus, populum hunc Israëliticum secundum carnem, tam semper rebellem & inobedientem permansisse in dura sua ceruice, à primo die quo cœpit illis loqui Moyses, vsque dum in eis habitauit

A habitauit dominus voluisse: tamen Deum hunc tam pertinacem, & durissimum populum præ omnibus gentibus ita peculiari electione seligere, & tam glorioſis portentis in eo clarificare suā dexteram, nec tot offensis, tot murmurationibus adduci potuisse, vt penitus populum illum deleret, adeò vt post innumeras rebelliones etiam florido regno, sub Dauidis manu, illos adornaret: huius, inquam rei considerationem quis non dicet ænigmaticam? quis non obscuritate plenam? quis lucide rationem eius capere poterit? Item quod solam tribum Iuda elegit, tabernaculi prioris loco repulso, Silo videlicet reiecto, & electa Hierusalem pro ædificatione templi, atq; constabilitione regni, non sunt hæc absque obscuritate. Item, quod Dauid minimum, de post fœtantes ad regnum elegit, præteritis principibus & potentibus populi, & alia huiusmodi multa. Denique, quoniam proponuntur veteris historiæ gesta, non propter historicæ narrationis literam, sed ad posterorum commotionem & instructionem, vt ex ijs quæ patribus contigerant, discant posteri, quomodo timeant dominum, & recedant à malo: & quoniam hæc omnia (iuxta Apostoli testimonium) in figura facta sunt nostri, recte 1. Cor. 10.
parabolæ ista dicuntur: quoniam similitudines proponuntur & figuræ veteris historiæ, quæ posteris vt typus & figura præcesserunt, in quibus veritas debeat compleri. Erat quoq; perpetua illa rebellio populi Israëlitici contra dominum in deserto, signum ac typus eius quod postmodum incarnato domino in propria venienti contigit, vt à suis non reciperetur, sed pateretur contradictionem grauissi-
B mam, vsq; ad ignominiosissimæ mortis opprobrium. Quod autē in secundo versu habetur, Loquar Hebr. 12.
propositiones ab initio: in Græco pro propositionibus, habetur προβλήματα, quod proprie significat quæstiones difficiles & dubitabiles, de quibus potest disputari: & capitur nonnunquam vt sit sermo quilibet habens obscuritatem, difficultatem latentem, & occultam considerationem veritatis. Vnde B. Hieronymus ex Hebræo vertit, ænigmata antiqua, & sanctus Euangelista Matthæus præsentem locum adducens, habet, Eructabo abscondita à constitutione mundi. ¶ Versu 5. Narrantes laudes domini. Participium istud narrantes, cum ijs quæ sequuntur, continuari debet ad finem versus tertij præcedentis, hoc modo, Patres nostri narrauerunt nobis narrantes laudes domini, &c. Versus autem quartus, veluti per parenthesim accipitur interiectus. ¶ Versu 7. Vt cognoscat generatio altera. Elucidatio interpretatur in generationibus subsequentibus, vt significetur, Deum mandasse Israëlitis, docere filios suos, vt cognoscerent generationes subsequentes edoctæ à patribus, opera magna Dei. Altiori tamen intellectu, recte populus Christianus intelligi potest ista generatio altera, de qua in Psal. 21. Legimus Annunciabitur domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iustitiam eius po- Psal. 21.
pulo qui nascetur, quem fecit dominus. Pro hac autem generatione scripta sunt gesta omnia veteris testamenti, quemadmodum aperte testatur Paulus Apost. dicens, Quæcunq; enim scripta sunt, pro- Rom. 15.
C pter nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Item in alia Epistola, Omnia in figura contingebant illis (patribus videlicet antiquę generatio- 1. Cor. 12.
nis) scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt. Cui expositioni satis fauet, quod ex Hebræo vertit Felix, vt cognoscat generatio nouissima. Recte enim genera- 1. Ioan. 2.
tio nouissima dicitur populus in plenitudine temporis, in ætate vltima (quę nouissima hora est, qua- 1. Cor. 10.
si occidente mundo) genitus, qui est populus Christi fidelium, in quem fines sæculorum deuenerunt, quosque nouissima occupauit hora quotidie præstolantes aduentum domini. ¶ Versu 11. Et non est creditus cum Deo spiritus eius. Non est hic sermo secundum Latinitatis vsum admodum proprius: tamen interpres reddidit, vt in Græco legitur ἐκ ἐπιστώθη μὲτὸ Θεοῦ τὸ πνεῦμα αὐτῆς: quod ad verbū redditur, Non creditus est cum Deo spiritus eius, hoc est, non est fidelis inuentus cum Deo spiritus eius, vel fidelis probatus. Clarius autem ex Hebræo vertit Hieronymus, Et non credidit Deo spiritus eius. Et Felix, Et non fuit fidelis cum Deo spiritus eius. ¶ Versu 12. Filij Ephrem, intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli. Versum istum in Eluciditione secundum prouerbialem & similitudinariam loquutionem intelleximus, sumpta comparatione à temerarijs & glorioſis pugnatoribus, per filios Ephrem generaliter accipientes filios Israël, eo quod in tribu Ephraim primum omniū locus fuerat diuino cultui deputatus, à duce populi sancto Iosue, fixo tabernaculo domini in Silo: qui locus est in sorte Ephraim, vbi & permansit vsq; ad mortem Heli sacerdotis, quando capta fuit
D arca domini. Sed & Saul de tribu Beniamin, rex primus filiorum Israël, ibidem legitur regnasse in Iosue 18.
Galgala: & post diuisionem regni Salomonis, insuper Hieroboam in Sichem, in monte Ephraim. Vn- 1. Reg. 4.
de non immerito ob hanc præcellentiam, potest totus populus filiorum Israël nuncupari ab illis sic 1. Reg. 10.
præeminentibus: maxime cum in malam partem, inq; contemptum & reprehensionem tendit sermo 3. Reg. 12.
(quemadmodum fit hoc in loco) eo quod omnis illa dignitas & primitas sit à Deo abiecta. Vnde & locus tabernaculi in Silo desertus fuit post tempora Heli sacerdotis, & regnum Saulis reprobatum fuit, Regnum quoq; Hieroboam, qui idololatria fœde cōtaminauerat Israëlem, per duos quos erexit 3. Reg. 15.
vitulos, post mortem filij penitus euersum legimus, ita vt nec anima, remaneret de semine eius. Propter quas causas, etiam in fine Psalmi dicitur, Tribum Ephraim non elegit, sed tribū Iuda. Sic itaq; conuenienter totus Israëliticus populus per Ephraim intelligitur. Verum quod nos exposuimus secundum similitudinem & comparationem, alij exponunt secundum sensum historialem, dicentes in hoc versu significari, quod filij Israël, ob suam prauitatem, quantumlibet essent armati & periti rei bellicæ, terga tamen hostibus dederunt, & in prælio fuerunt superati, quoties per infidelitatem deserebant dominum. Verum ista sententia non satis huic loco videtur opportuna, nisi forte dicamus, quod postea prolixius dicturus est iam obiter præiudicasse. Alij verò eladem illam intelligunt qua percussi sunt filij Israël, cum contra Dei mandatum post murmurationem ascenderunt ad populum terræ promissionis, dicente Moyse, & contestante eos, Nolite ascendere, quoniam non est dominus Num. 14.
vobis-

vobiſcum,ne corruatis corã inimicis veſtris:propter quod,nec hi obedientes voci domini,cæſi ſunt E
ab Amalechite & Chananæo, & in fugam turpiter conuerſi. ¶Verſu 15. In campo Taneos.Primum
illud eſt in hoc Pſalmo aduertendum, quod frequens admodum eſt eiuſdem in eodem verſu repeti-
tio,ita vt pars ſecunda, expoſitio ſit partis prioris : quod licet in alijs Pſalmis frequens ſit, in hoc ta-
men ſpecialius atque frequentius vſuuenit, item & in alijs fere hiſtorialibus, qui poſterius ſuo loco
exponentur. Cõſidera in hoc Pſalmo,in ipſo ſtatim ingreſſu verſum primũ,Attendite populo meus
legem meam,quod eſt pars prima: &,Inclinate aurem veſtram in verba oris mei,quod eſt pars ſecun-
da:quantum abinuicem differunt ? Minimum:Item verſu ſexto, Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob,
& legem poſuit in Iſraël:vtraq; pars eandem habet ſententiam. Iterumq; verſu 13.Non cuſtodierunt
teſtamentum Dei,& in lege eius noluerunt ambulare. Ac rurſum verſu 31.Et pluit ſuper eos ſicut pul
uerem carnes,& ſicut arenam maris volatilia pennata.Atq; ita per temetipſum conſiderare poteris in
reliquis.Ita ergo & in propoſito verſu,idem eſſe dicimus, quod priori loco dicit terram Aegypti,ac
poſteriori campum Thaneos,Tanis enim(teſte Strabone lib.17.)maxima in oſtio,quod Tanniticum
vocatur,ciuitas fuit, cuius etiam meminerunt Ptolomæus & reliqui Geographi, fuitq; ciuitas regia
Eſaiæ 19. Aegypti. Vnde apud Eſa. cap.19. principes Aegyptiorum appellantur principes Taneos. Stulti facti
ſunt principes Taneos,ſapientes conſiliarij Pharaonis,dederunt conſilium inſipiens.Et iterum,Stulti
facti ſunt principes Taneos:ab hac ergo ciuitate regia,nobili & inſigni,tota Aegyptus accipit appel- F
Gene.13. lationem.Quod autem terra Aegypti campus dicitur,puto propter fœcunditatem & pulchritudinẽ
terræ,ſic eam fuiſſe appellatam,Vnde Gene.13.vbi de ſeparatione agitur Abrahę & Loth,data optio-
ne Loth ab Abraham, legimus, quod eleuatis oculis viderit omnem circa regionem Iordanis, quæ
vniuerſa irrigabatur antequam ſubuerteret dominus Sodomã & Gomorrham, ſicut paradiſus Do-
mini, & ſicut Aegyptus veniẽtibus in Segor:vbi manifeſte cernitur quàm amœna terra habita fuerit
Aegyptus,vt ſimul etiam cum paradiſo mereatur in comparationem adduci,ſecundum ſpeciem pul-
chritudinis & fœcunditatis:id quod ex Nili habebat irrigatione,quemadmodum paradiſus ex fonte
Gene.2. qui ebulliebat in medio eius.¶Verſu 27.28.& 29.Et mandauit nubib⁹ deſuper,&c.Et pluit illis man-
na,&c.Panem angelorum,&c.Hic interponitur miraculum mannæ,quaſi ſimul factũ cum miraculo
Num.11. datarum carnium,cum tamẽ ex hiſtoria libri Numerorum manifeſtiſsime conſtet, multo antè filios
Iſraël manna vſos fuiſſe,quam tentatio iſta & murmuratio pro carnibus fuiſſet exorta,imò occaſio-
nem ſibi ſumebant murmurationis ex ipſo manna,dicentes.Nihil aliud vident oculi noſtri,niſi man.
Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſsimo. Quod ergo hîc in narratione murmuris pro carni-
bus interponitur datio mannæ,non ita accipiendum eſt, quaſi eodem tempore hæc contigerint: ſed
quaſi ad exaggerationem malitiæ & peccati murmurantium, interponitur inſigne beneficium quod
antè iam acceperant:quoniam videlicet tali pane accepto de cælis, abſq; ſuo labore & moleſtia, ſpe- G
ciali miraculo angelorum miniſterio formato,adhuc pro corruptibilibus vilibusq; carnibus murmur
excitarent contra dominum. ¶Notandum autẽ pro verſu 29.quod vbi nos habemus, Panem ange-
lorum manducauit homo, Chald.tranſlatio habet, Cibum qui deſcendit de habitaculo angelorum,
comederunt homines.Ex quo alia poteſt accipi intelligentia,præter eam quæ in Elucidatione poſita
eſt, de pane angelico miniſterio formato. Quæ tamen expoſitio ſatis eſt veriſimilis, eo quod ſoleat
Deus huiuſmodi miracula per angelorũ miniſteria perficere.Vnde non eſt diſsimile vero,in hoc tam
præclaro miraculo adfuiſſe miniſterium angelicum. Paraph.autem Chald.ideo angelorũ indicat ap-
pellari cibum,quia non de terra,ſed deſuper deſcendit in terram : quam etiã expoſitionem paucis in
Elucidatione indicauimus,tametſi priorem vt præcipuam præeligimus ¶Verſu 47.Non ſunt recor-
dati manus eius,die qua redemit eos. Ad cõplendum ſententiã noſtræ huius lectionis,videtur neceſ-
ſario ſubaudiendum verbum aliquod, cum quo ablatiuus die,iungatur,hoc modo, Non ſunt recor-
dati manus eius,quam oſtendit vel exhibuit die qua redemit,id eſt: tempore liberationis eorum.Ex
lectione tamen Græca ſimiliter atq; Hebraica,poſſet per genitiuũ verti,abſque vllius verbi ſubaudi-
tione,hoc modo,Non ſunt recordati manus eius,diei qua redemit eos. Nam hoc pacto,non niſi re-
petendum foret ex parte priori verbum recordati ſunt. Atq; ita ſane ex Hebræo verterunt Hieron y-
mus ac Felix.¶Verſu 50.Miſit in eos cynomyam, & comedit eos. B. Hieronymus locum præſentem H
tractans in Epiſtola ad Suniam & Fretelam,ſcribit in hunc modum,Cœnomya,non,vt Latini inter-
pretati ſunt,muſca canina dicitur, per y Græcam literam κυνομύια, ſed iuxta Hebraicã intelligentiam
per œ diphthongum debet ſcribi,vt ſit κοινομύια,id eſt, omne genus muſcarum : ſed Aquila πάμμυιαν,
id eſt,omnimodam muſcam interpretatus eſt.Hæc Hieronymus,Veruntamen Græci codices omnes
conſtantiſsime & maxima conſonantia etiã nunc cernuntur habere, κυνομύιαν, per y Græcum,nõ per
œ diphthongum. Et lectio Pſalterij Romani aperte habet muſcam caninam. Quantum verò ad di-
ctionem Hebraicam quę hoc loco ponitur,arob,ſciendum eſt quod à diuerſis diuerſimode redditur.
B. enim Hieronymus, & hoc in loco : & in Exodi hiſtoria, ſæpius vertit omne genus muſcarum,vel
muſcam omnis generis.Felix in textu ſimpliciter muſcã vertit: ad marginẽ autem dicit,omne genus
muſcarũ & volatilium peſsimorum commixtũ.Alius,turbam inſectorum reddidit,alius mixtionem
ferarum ſylueſtrium. Alij verò muſcam, venenatã dicunt ſignificari. Alij verò dicunt,vocabulũ He-
braicum prædictum ſignificare mixtionem. Vnde ereb zere in prima, & ſegol in ſecunda ſignificat
diuerſorum populorum commixtionem, vt Exod. 12. Sed & vulgus promiſcuum innumerabile de-
ſcendit cum eis. Omnes omnium ſententias recenſuimus, vt videat lector, neutram lectionem eſſe
prorſus contemnendam : tametſi quod dicit Hieronymus de omnimoda muſca, videatur proba-
bilius, quàm de muſca canina, quantum ad Hebraicam attinet veritatem. ¶Verſu 55. Viam fecit
ſemitæ

A ſemitæ iræ ſuæ.In Græco clarius aliquanto dicitur, ὡδοποίησε τρίβον τῇ ὀργῇ αὐτοῦ: vbi quod apud nos di-
citur per orationem, viam fecit, in Græco ſimplici vocabulo dicitur ὡδοποίησε, quod ſignificat viam
facere,vel viam parare:eſtq; ſenſus, Viam præparauit,viam fecit ſemitæ iræ ſuæ;vt ſit ſemitæ caſus da-
tiui:quod clarius vertit Felix ex Hebræo, Direxit ſemitam iræ ſuæ.Beatus autem Hieronymus vertit.
Muniuit ſemitam furori ſuo,videlicet vt non ceſſaret,nec declinaret ira ipſius,ſed pergeret deſæuire
vſq; ad internitionem & mortem,qui hactenus tantum plagis citra mortem Aegyptios afflixerat.Sic
autem dicitur homo parare viam ſuæ iracundiæ,& ſemitam eius rectam facere atq; dirigere,quando
illam decreuit ad plenum effundere,nec vltra cohibere: quemadmodũ econtrario, quoties ira com-
peſcitur,dicere commode poſſumus,viam illi vel illius ſemitæ ſeu curſui eſſe obſtructam & impedi-
tam videlicet vt tranſire ad plenũ non poſsit.Quod autem in fine verſus dicitur, Et iumẽta eorum in
morte concluſit:exponi poteſt de plaga peſtilentiæ, qua (vt ſcribitur Exodi 9.capi.) mortua fuerunt Exod. 9.
animantia Aegypti : peſte à Deo immiſſa. Cui apte concordat, quod ex Hebræo vertit Hieronymus,
Animantia eorum peſti tradidit.Et Felix,Iumenta eorum in peſtem concluſit.¶Verſu 56.Et percuſsit
omne primogenitum in terra Aegypti,primitias omnis laboris eorum.Expoſitioni noſtræ,quam in
Elucidatione dedimus, per primitias laboris intelligentes primogenitos partu laborioſiſsimo edi-
tos,& primitias partus in quo eſt dolor maximus,atteſtatur verſio Hieronymi ex Hebræo quæ ſic ha
B bet,Percuſsit omne primogenitum in terra Aegypti, principium partus in tabernaculis Cham. Cæ-
terum,quod habitationes Aegyptiorũ,tabernacula Cham appellatur,inde eſt,quoniam filius Cham
fuit, Mezraim (vt legitur decimo capitulo Geneſis) à quo Aegyptij & nomen, ſecundum Hebræo- Gene. 10.
rum appellationem, & originem ducunt. Nam Aegyptus, Hebræis appellatur Mezraim. ¶Verſu 61.
Et excitatus eſt tanquam dormiens dominus,tanquam potens crapulatus à vino. Huius lectionis aſ-
ſignatur duplex intelligentia.Secundum priorem,comparatur Deus homini à ſomno exurgenti,qui
prius crapula vini fuerat obrutus,omnique virtute priuatus,& in ſomnum grauẽ vini violentia præ-
cipitatus: quemadmodum accidere ſolet ijs qui nimio vino ſeſe ingurgitarunt, qui poſtquam vino
edormito,atque per ſomnum digeſto euigilant, iterum viribus reſumptis valentes fiunt. Quam ex-
poſitionem indicat Elucidatio,& confirmat verſio B. Hierony. ex Hebræo quæ ſic habet, Et euigila-
uit quaſi dormiens dominus,quaſi fortis poſt crapulam vini:quod alius quidam paraphraſtice ita ex
Hebræo explicauit,tanquam vir qui excluſo ſopore vini vociferatur. Secundum verò intelligentiam
alteram,comparationem facimus cum homine vino inebriato: verum non ità vt ei vires ob hoc de-
ficiant,ſed potius vt ei vires accreſcant & animus.Frequenter enim euenit,imò familiare eſt,vt ij qui
ante guſtatum vinum ſobrij exiſtentes patientiam monſtrant,mox vbi vino fuerint accenſi,exurgat
ad vindictam.Nam (vt ſcite quidam gentilium dixit)vina parant animos, ac pauperem etiam faciunt
C cornua ſumere. Atq; huic intelligentiæ conſonat,quod habet verſio Felicis,Et excitatus eſt,vel ſur-
rexit, tanquam dormiens dominus,velut potens exultans præ vino, aut exultans à vino,vel quadam
exultatione cantans vel vociferans. ¶Verſu 62.Et percuſsit inimicos ſuos in poſteriora.Chald.Para.
ſic habet,Et percuſsit infeſtos eis vel moleſtantes eos, hæmorrhoidibus,in poſteriora.Hiſtoria verò 1.Reg.5.
ex primo lib. Regum eſt manifeſtiſsima de plaga Philiſtinorum in ſecretiori parte natium, & quo- 1.Reg.6.
modo ad euaſionem pœnæ,anos aureos ex diuinorum conſilio fecerunt, gratia placandi dominum:
quod certe in maximam illis incredulis ceſsit confuſionem. Alioqui niſi tam eſſet manifeſta hiſto-
ria, potuiſſet ſermo ſecundum ſimilitudinem accipi, vt in poſteriora percutere idem intelligeretur,
quod vltione aliqua & punitione caſtigare, maxime cum confuſione & opprobrio: ſumpta à pueris
comparatione,qui cum praue quid egerint,in poſteriora cæduntur, quod illis in magnam apud co-
ætaneos cedit confuſionem.Poſſet itaque commode per hanc in poſteriora percuſsionem, ignomi-
nioſa illa Dei punitio ſignificari. ¶Verſu 75. In terra quam fundauit in ſæcula.Elucidatio triplicem
indicat intelligentiam.Quod autem ſecundo loco dicitur,de firmitate & ſtabilitate Eccleſiæ, quæ eſt
vera Iudæa,veriſimilius videtur,maximeque ex intentione Prophetæ:qui ſemper in finem Chriſtum
reſpiciebat,quoties de venturis faceret ſermonem. ¶Verſu 76.De poſt fœtantes accepit eum.Sermo
D iſte,Latinis admodum infrequens eſt, videlicet coniungendo duas præpoſitiones adinuicem,abſque
coniunctione media,Interpres tamen proprietatẽ ſermonis (quæ & in Hebræo & in Græco ſic repe-
ritur)maluit ſimiliter retinere,quàm ſermonis formam mutando, à proprietate originalis lectionis
abſcedere,Beatus tamen Hierony.ex Hebræo vertens,mutat hanc loquendi formam.Sic enim legit:
Tulit eum de gregibus ouium,ſequẽtem fœtas adduxit eum.Et Felix,Ab inſequendo effœtas addu-
xit illum: vel de poſt fœtantes adduxit. Sententia difficultatem nullam habet,niſi forte quis interro-
get,quur ſpecialiter dicatur de poſt fœtantes acceptus.Nónne enim æque ſequebatur poſt ouiculas
omnes,totius paſtor gregis,etiam eas quæ fœtæ non erant? Facile verò per ſe quilibet intelligit,hoc
ideo dictum fuiſſe,quod fœtarũ ouium ſpecialem curam gerant paſtores,ne quid aduerſi eis accidat,
vtq; partum obſeruent,ſi nondũ pepererunt:aut ſi partu ſunt liberæ,vt agniculis teneris impendant
ſolicitudinem. Vnde & apud Eſaiam, vbi de Chriſti (vt ita loquar) paſtoratu fit mentio, ſingularis Eſaiæ 40.
etiam fœtarum cura exprimitur.Sic enim legimus;Leuabit agnos in ſinu ſuo, fœtas ipſe portabit.

LXXVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

*PSalmus iſte lamentatio eſt fidelis populi, in maxima deſolatione & diſſipatione conſtituti, veluti in eo ſta-
tu,in quo erant ſub illuſtri Antiocho.Vnde primi Machabæorum ſeptimo,huius Pſalmi verſus tertius addu
citur, tanquam in illo tempore impletus.Et omnibus hiſtoriam Machabæorum memoria tenentibus perſpicuum
eſt,ſi vnquam aliàs,tunc maxime fuiſſe omnia quæ in Pſalmo iſto dicuntur impleta.Itaq;,ſecundum hiſtorialem*

Hanc sententiam, querimoniam proponit populus domini in angustia huiusmodi positus, aduersum gentium nationes, à quibus patiebatur grauia, quorum & crudelitatem ipso statim Psalmi initio commemorat vsq; ad versum quintum, vnde Deum precatur finem facere iracundiæ aduersus populum suum, eamq; potius in alienigenas & incredulas nationes sanctorũ impios oppressores effundere, orans Deum non recordari peccata populi sui præterita, sed afflictis nimium, largiri potius misericordiam, & in misericordia opportunũ auxilium, ipsis suis persequutoribus reddita vltione, pro gloria nominis sui, vt desinant blasphemare Deum, & populum eius conculcare, promittens Deo liberatori populi sui pro gratiarum actione, confessionem laudis æternam. Aptissime autem hic Psalmus applicari poterit fideli populo sub lege noua, ab exteris nationibus patienti grauia: quemadmodum nostris temporibus, per singulos fere annos solet accidere. Plenissime autem adimplebuntur hæc omnia tempore persequutionis illius grauissimæ, quam Antichristus ille impius suscitabit aduersus Ecclesiam Dei, & omnes electos eius.

SEPTVAGESIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Deus venerũt gentes in hæreditatem tuam:*

* *& polluerunt templũ sanctum tuum:*

* *posuerũt Hierusalem in pomorum custodiam.*

Esaiæ. 1.

2 *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli:*

Thren. 1.

* *carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.*

3 *Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem:*

* *& non erat qui sepeliret.*

4 *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio ijs qui in circuitu nostro sunt.*

5 *Vsquequo domine irascēris in finem?*

* *accēdetur velut ignis zelus tuus.*

6 *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt:*

* *& in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.*

7 *Quia comederunt Iacob:*

DEus, gentes idololatræ, nationes barbaræ & incredulæ, in quibus non est fides, neque scientia nominis tui, animo hostili venerunt in hæreditatem tuam, armorum virtute obtinuerunt populum tuum, & ciuitates nostras vt victores occupauerunt: * templum sanctum tuum, quod in nobis erat tuo cultui deputatum, ipsi coinquinauerunt abominationibus suis, quas fecerũt in eo, item & vasa omnia quæ in ministerium templi & sacrificiorum exhibitionem fuerãt Deo consecrata, polluerunt, vsibus prophanis ea deputantes, aut certe idolorum cultibus: * deniq; ciuitatem tuam electam Hierusalem (quam elegisti tibi ex omnibus locis ad inhabitationem) similem fecerũt tugurio extructo ad pomorum custodiam: sicut vmbraculum in vinea, aut tugurium in cucumerario, quæ post fructus decerptos deseruntur, aut deserta per semetipsa collabuntur. Ita enim pene deserta facta est ciuitas tua sancta, multis interfectis, plurimisque in captiuitatem abductis, sedetque iam sola, & quasi vidua ac derelicta secundum comparationem multitudinis eorum à quibus antè fuit inhabitata. 2. Tantam autem in populũ tuum exercuerunt tyrannidem, vt nec sepulturæ tradere voluerint, nec tradi permiserint corpora interfectorũ: sed morticina siue cadauera eorum dederũt in cibum auibus quæ volitãt in aëre: * corpora seruorum tuorũ posuerunt in escã bestijs terræ, insepulta & inhumata relinquentes in plateis atq; in agris corpora eorum, ita vt venientes aues cæli & bestiæ terræ, eorum carnes manducarẽt. 3. Effuderunt sanguinem seruorũ tuorum vndiq; per circuitum ciuitatis tuæ Hierusalem, tanquam aquã, in abundãtia maxima vt flueret tanquam riui sanguis, nec ampliori tangebantur misericordia sæuissimi hostes super effusione sanguinis, quam si effudissent aquã pro sanguine: * & non erat qui interfectis sepulturæ impenderet obsequium, tum propter nimiam interfectorũ multitudinem & remanentium paucitatem, tum propter hostium metum, qui non patiebantur sepulturæ tradi peremptorum cadauera: sed in plateis ea iacere voluerunt, & in agris, ad terrorem cæterorum, & suæ gloriæ ostentationem. 4. Facti sumus in opprobrium & irrisionem vicinis nostris, ita vt nos subsannent, irrideant, contẽnant, atq; ludibrio habeant alienigenæ nationes, quæ in circuitu nostro habitãt, gaudentes in afflictionibus nostris, & cum gaudio nobis exprobrantes. 5. Tu verò domine (à cuius voluntate toti pendemus, de cuius manu omnẽ hanc punitionẽ suscepimus, scientes quod non nisi tua prouida permissione ista nobis eueniant) quousq; tandẽ iram hanc tuam fines perdurare aduersum nos? * quandiu patieris indignationẽ hanc exæstuare & flagrare cõtra nos, ad modũ ignis continuo gliscentis, vorantisq; omnia, ac sese continua voratione augmentantis? 6. Vtinam pijssime pater, vel nunc tandem relaxares à nobis vltricẽ manum tuam, & propitius factus populo tuo in illas potius gentes vim brachij tui extenderes, quæ te non agnoscũt, quæ tibi non credunt: * & in regna incredula, barbarasq; nationes, in quibus idololatria viget, & nulla est cognitio nominis tui, quæ te non adorant, non colunt, non inuocant: vtinã aduersum huiusmodi magis conuertas potentiã tuam, & manum tuam super illos aggraues, quemadmodum olim feciſſe te cognouimus: populum autẽ te ãgnoscẽtem, te vnicum colentẽ, solita benignitate aspicias. 7. Admodum verò iuste hæc illis præstare poterit vltio tua, propterea quod populum tuum Israëliticum, quem tu tibi in peculium elegisti ex omnibus gentibus, ipsi penitus consumpserũt, & velut exossauerunt atq; commanducauerũt:

* & lo-

A * *& locum eius desolauerunt.*

8 *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum:*

* *cito anticipent nos misericordiæ tuæ:*

* *quia pauperes facti sumus nimis.*

9 *Adiuua nos Deus salutaris noster, &*

B *propter gloriã nominis tui Domine libera nos:*

* *& propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.*

10 *Ne forte dicant in gentibus, vbi est Deus eorum?*

* *& innotescat in nationibus coram oculis nostris.*

C 11 *Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est:*

* *introëat in conspectu tuo gemitus compeditorum.*

12 *Secundum magnitudinem brachij tui posside filios mortificatorum.*

D

13 *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum:*

* *improperium ipsorũ quod exprobrauerunt tibi Domine.*

14 *Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.*

* & locum habitationis eius desolatum fecerunt absq; omni gloria, absq; omni gaudio, absq; habitatorũ multitudine: alijs gladio & igni trucidatis: alijs in captiuitatẽ abductis, omnibus verò spoliatis & miserè conturbatis, ac cõsternatis animo. 8. Ne aspicias Domine ad peccata nostra antiqua, quibus in generationibus præcedẽtibus à diebus antiquis te frequenter nimium irritauerunt & exacerbauerunt patres nostri, quorum nunc iniquitates, tuo iusto, licet occulto, iudicio portamus: neq, etiam proprias nostras iniquitates, quas in prioribus annis à te declinantes commisimus, aspicias: * potius autem nos præueniant magnæ & multæ miserationes tuæ, potius memor esto solitæ misericordiæ tuę, vt per eam nobis parcas, quibus per iustitiã non aliud competit quam vindicta: * verè enim iam humiliati sumus, afflicti, & attenuati valde, nimiumq; contempti, abiecti & miseri facti sumus, ita vt in exemplum simus & in opprobrium cunctis nationibus. 9. Mitte verò in tanta humilitate positis nobis auxilium de tribulatione, ô Deus saluator noster, nostra salus vnica, & libera nos de manibus inimicorum nostrorum propter honorem & gloriam nominis tui: * & peccatis nostris patrumq; nostrorum exhibeto te propitium, vt vltionẽ misericorditer remittas, secundum iustitiam debitã, propter tui nominis gloriam. Erit enim magna in hoc tui nominis & tuæ potentiæ glorificatio, si populum tuum de inimicorũ opprimentium manibus liberaueris, ipsos autem oppressores iusto tuo iudicio, digna vltione fueris persequutus. 10. Ita fac nobiscum Domine misericorditer, vt non dicant in nationibus incredulis, vbi est Deus illorum? quur illos non saluat de manibus nostris? quare non defendit (si potens est vt prædicatur) populum suũ, à quo colitur? vt non sic blasphemetur propter nos nomen sanctum tuum: * potius verò innotescat, manifesta fiat, & palàm se exhibeat inter nationes incredulas, nobis aspicientibus, vltio tua. 11. Vltio, inquam, & vindicta sanguinis seruorum tuorũ, qui crudelissimè ab hostibus illis absq; omni misericordia effusus est: manifesta (inquam) fiat hæc vltio cõtra inimicos coram oculis nostris, nobis videntibus, itemq; & cunctis per circuitũ nationibus, vt desinant blasphemare, cum manifestam conspexerint vltionem manus tuæ, neq; vltra dicant irridentes, vbi est Deus eorum? cum te in pondere vindictæ tuæ præsentẽ persenserint: * ad quam rem vt flectaris facilius, attende, obsecramus, pio oculo ad gemitus eorum qui adhuc fortè relicti sunt de tanta clade populi, qui nunc in grauissima captiuitate ex intimis cordis affectibus ad te emittunt gemitus atq; suspiria: ne hunc gemitũ repellas, ne auerseris, ne abijcias ignita & doloris plena suspiria, quin potius ita ad te introeant, ita à te excipiantur, vt ab illis flecti te patiaris. 12. Et licet iam patres gladio assumpti sint, nec de his ad vitã reuocandis spes aliqua nobis sit, vsq; in diem resuscitationis nouissimæ: attamen, pro reliquijs populi tui, pro filijs interfectorũ, & morte crudeli in manu hostiũ absumptorum, te deprecamur, vt secundum magnitudinem brachij tui, secundum infinitã potentiæ tuæ magnitudinẽ, adijcias animum ad possidendum reliquias istas pauculas filios interfectorum illorum, nos pauperes seruos tuos, qui tuo munere de tanta clade sumus superstites, & reliquiæ pauculæ de tam ingenti populo residuæ: * Attende quoque ad orphanos & pupillos relictos in populo tuo, ex parentum nece, & solita tua miseratione patrem te illis exhibe: quoniam pater es orphanorum, & pupillorum adiutor. 13. Vicinis autem nostris, id est, gentibus idololatris, quæ sunt in circuitu nostro, quæ nobis omnis nostræ calamitatis fuerunt authores, secundum iustitiæ tuæ æquitatem & ordinationem, redde punitionem condignam & vltionem perfectam (cuiusmodi est septupla punitio) in sinu eorum, in retributionem videlicet & præmium eorum quæ crudeliter egerunt in populum tuum, & in sanctum nomen tuum: * redde (inquam) illis secundum vel propter improperia ipsorum, quibus exprobrauerunt tibi Domine propter contemptum, ignominiam & opprobria, quibus (partim verbis, te blasphemando, partim factis, tua sancta conculcando, & omnia prophanando) tibi fuerunt iniurij & contumelioſi. 14. Nos autem, qui sumus populus tuus & oues pascuæ tuæ, qui alium præter te Deum non colimus, qui alium præter te pastorem & rectorem ignoramus, qui nostram omnem spem & solicitudinem in te proijcimus, & à te pasci semper, regi, & gubernari optamus, dabimus

Psal. 67. Exod. 9.

15 *In generatione & generationem, annunciabimus laudem tuã.*

tibi confessionem laudis & gratiarum actionis, in sempiternũ. 15. Annunciabimusq; & prædicabimus laudes tuas in omnes generationes, & in omnia sæcula imperpetuum, cum tu nobis liberationis postulatę pro tua bona voluntate præstiteris beneficium. In aduersis quoque & prosperis, quicquid tandem tibi de nobis placitum fuerit disponere, semper læti seruiemus tibi, & in gratiarum actione perseuerabimus semper, in patientia præstolantes salutare tuum.

E

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXVIII.

VErsu 1. Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. Cum Psalmum hunc volumus nobis orationis formam efficere contra insultus Turcarum, aliarumq; infidelium nationum, non alia re opus est, quam vt per Hierusalem, hæreditatem domini, & populum eius intelligamus sanctam Ecclesiam, quæ est Hierusalem vera, vtpote cuius prior illa erat tantum figura. Habet autem Psalmus iste ferè argumentum commune cum Psalmo 63. maxime quantum ad initium. Vterque enim à querimonia incipit, & hostium crudelitatem depingit. Attamen in hoc Psalmo nulla fit præteritorum Dei beneficiorum specialis commemoratio, sed in supplicatione & gratiarum actione finitur. Ille verò, circiter medium, aliquot Dei beneficia populo olim exhibita singulariter narrat, ac deinde orando & gratias agendo, vt hic præsens, concludit. Videtur insuper præsens hic Psalmus maioris calamitatis, quam prior ille, facere mentionem: vt ille magis videatur tempori captiuitatis Babylonicę conuenire, hic verò potius persequutioni sæuissimæ illustris Antiochi. ¶ Versu eodem, Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam: Significatur non aliud, quam desolatio ciuitatis olim celeberrimę. Dicitur enim pomorũ custodia, tugurium vel domuncula ad custodiam pomorum extructa quemadmodum in vineis fieri solet: quæ vel destruitur, vel deperit atque collabi permittitur, facta absque habitatore, vbi fructus fuerint collecti. Eodem hoc modo loquendi vsus est Esaias, primo capite suæ Esaiæ. 1. Prophetiæ, in prædicendo desolationem populi. Sic enim ait, Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ sunt igni, Regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur. ¶ Versu 8. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Exposuimus in Elucidatione principaliter de peccatis patrum, qui præcesserunt. Cui consentit quod habet Chal. Paraph. Ne commemores nobis iniquitates nostras, quibus deliquimus à principio. Vnde & Hieremias in Threnis plorans, ait, Recordare domine, quid acciderit nobis. Patres nostri peccauerunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus. Et sanctus Tobias, Et nunc domine (inquit) memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Nam pro parentum peccatis puniri filios, manifestum est ex plerisq; scripturarũ locis, id quod Exod. 20. aperte ipsemet dominus contestatur legem ferens (ego inquit) sum dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Veruntamen sub iniquitatibus antiquis possumus intelligere etiam peccata propria, ætate minori patrata, delicta videlicet adolescentiæ, de quibus in alio Psalmo dicitur, Delicta iuuentutis meę & ignorantias meas ne memineris. Pro eo autem quod habet nostra lectio, Cito anticipent nos misericordiæ tuæ: B. Hieronymus vertit, Cito occupent nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus nimis. Et Felix, Festina, præueniant nos miserationes tuæ, quoniam pauperes vel attenuati sumus nimis: quæ eandem habent intelligentiam. ¶ Versu 10. Et innotescat in nationibus, coram oculis nostris. Quomodo in alijs aliquot locis, ita & hoc in loco faciendum est, videlicet vt finem huius versus cum principio sequentis connectamus, ad complendum sententiam, hoc modo, Et innotescat in nationibus coram oculis nostris vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est. Nomen enim vltio, quod ponitur in versu vndecimo, suppositum esse debet verbi innotescat, quod in præcedenti versu locum habet. Quam connexionem manifeste cernuntur habere exemplaria Græca, itemque versio Hieronymi ex Hebræo, quæ sic habet, Nota fiat in gentibus ante oculos nostros vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est. Sic & Paraphrasis Chald. Manifestetur in populis, vt videamus ipsi vltionem sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est.

F

G

H

LXXIX. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus hic eiusdem ferè argumenti est cum præcedenti. Postulatur nanq; in eo omnipotentis Dei auxilium contra aduersantium nimias oppressiones: & vt efficacior sit postulantium oratio, vetus Dei beneficium erga populum suum proponit: sub vineæ similitudine exprimens, quomodo olim glorioſe eductum de Aegypto transtulerit in promissionis terram, ibiq; multiplicauerit & glorificauerit super omnes per circuitum nationes: cui nunc in prædam fiat omnibus hostibus per circuitum, quemadmodum vinea, vbi diruta fuerit macerie, ab omnibus transeuntibus conculcatur, atq; etiam à bestijs agrorum & syluarum effoditur, dissipatur, atq; exterminatur. Propter quod, versu decimo quinto, ac deinceps, Deus oratur, ne vineam suam tam glorioſe olim plantatam, prorsus deserat: sed vt conuersus perficiat quod cœpit in vinea sua: inimicis fugatis, atq; ad nihilum redactis. Vbi ex temporali saluatione & reparatione hæreditatis (vt alias frequenter solent sancti Prophetæ) transiens Psalmista ad spiritualem generis humani liberationem, Messiæ meminit, & aduentus eius, quem virum dexteræ Dei, & filium hominis appellat, nimirum secundum diuinam naturam, verum & consubstantialem patri Deum, & secundum humanam, verum hominẽ natum de homine: postulans, vt per hunc restituantur in suo tempore

A *pore omnia, & salus veniat humano generi, vt per eum fideles instructi & saluati, imperpetuum in eius cultu in sancta Ecclesia persistant. Itaq; Psalmus iste, qui secundum suum initium atq; etiam consequentem decursum, non videtur nisi temporalem liberationem postulare, in fine tandem spiritualem spectat, veramq; & potissimam liberationem, sine qua nihil est omnis saluatio temporalis. Neq; verò hoc videri poterit inconueniens, illis qui in sacris Prophetarum vaticinijs vel sobrie sunt versati. Est enim iste à temporalibus ad spiritualia, à singularibus ad vera transitus, in illis frequentissimus. Atq; hac etiam de causa arbitror ego, in titulo huius Psalmi præscriptum esse (iuxta communem Græcorum atq; Latinorum lectionem) in finem pro ijs qui commutabuntur, quos in Psalmo 44. diximus esse populum fidelem nouæ legis. Ad hos enim finis Psalmi & præcipua spectat intentio. Aut (iuxta Hebraicam lectionẽ) pro lilijs, quod diximus in eandẽ conuenienter intelligi significationem. Sũt enim lilia, animæ fideliũ in sancta Ecclesia, quos huius Psalmi finis et nouissima intẽtio (vt diximus) respicit.*

SEPTVAGESIMINONI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Qui regis Israël intende:*

* *qui deducis velut ouẽ Ioseph.*

B

2 *Qui sedes super Cherubim:*

* *manifestare corã Ephraim, Beniamin & Manasse.*

3 *Excita potẽtiam tuam, & veni: vt saluos facias nos.*

C

4 *Deus, conuerte nos:*

* *& ostende faciem tuam, & salui erimus.*

5 *Domine Deus virtutum quousque irascéris super orationem serui tui?*

6 *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis, in mensura.*

D

7 *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris:*

* *& inimici nostri subsannauerunt nos.*

8 *Deus virtutum conuerte nos:*

* *& ostende faciem tuam, & salui erimus.*

MAgne Deus, pastor, gubernator, & rector fidelis populi tui, attende ad gemitus & orationes nostras, quas fundimus ante conspectum tuum: * tu qui in bonitate tua ducente præbes populo tuo, quemadmodum pastor deducit oues, ante eas gradiens, ad ducatum itineris, eisq; defensionem præbens ab omnibus nocere volentibus, & salutaria vitæ pascua commonstrans, quemadmodum pastor ante oues graditur, defenditq; eas, & bona deducit in pascua. 2. Tu domine qui in maiestate tua secundum magnificentiam gloriæ tuæ sedem habes in summis beatorũ spirituum, in cuius signum & testimonium veritatis, super propiciatorium quondam elegisti sedem tuam, inter duo Cherubim, alis suis obumbrantia propiciatorium arcæ, vnde responsa dabas, teq; populo tuo præsentem monstrabas: * veni (inquam) de sublimi sede tua, & manifestum te fac, præsentemq; exhibe, in ostensione glorię tuæ, in conspectu omnis populi tui, coram omnibus te colentibus. Ephraim videlicet, Beniamin & Manasse, vbicunque locorum, & in quacunque tandem sorte consistant. 3. In suscitatione potentię tuę, in ostensione omnipotentis virtutis tuæ veni & accede ad nos, vt de malis maximis & pessima inimicorum tyrannide quibus premimur, saluos facias nos. Tu enim vnus es, qui nos possis omnipotenti tua virtute saluos facere ab omnibus malis nostris, nec præter te est siue in cælo siue in terra alius. 4. Tu nos domine, ad te conuerte, vt totam mentem, totumq; affectum, & quicquid in nobis est, ad te valeamus conuertere, quo ad percipienda tua beneficia simus idonei. Si enim tu conuertas nos, conuertemur ad te: Thre. 5. * vultumq; tuum benignum & amicum aspectum, quo in filios tui soles aspicere, conuerte ad nos, & ostende nobis te placabilem iterum cõuersus ad nos: & te respiciente, te miserente, salui erimus. Solus enim respectus misericordiæ tuæ, salutem præstat miseris, quacunq; oppressis calamitate. 5. Quousque verò tu, ô domine Deus angelicorum exercituũ, & omnium virtutum, omniq; fortitudinis dominator, quasi iratum te demonstrabis precibus seruorum tuorum? quousq; vultum auertes: quamdiu velut obsurdesces ad clamorem nostrum? quamdiu exaudire differes, nec imples quæ postulamus? Ecce multum iam tempus est, quod in afflictione humilitatis nostrę perseueramus quod perstamus in orationibus, clamantes ad te, nec sentimus auxilium. 6. Comedere nos facis in dolore & lachrymis panẽ nostrum, & potum misces nobis cum dolore ac lachrymis, in mensura maxima, & nimium abundanter. Nam propter nimiam miseriam, quę tua permissione super nos venit, etiam ipsa corporis refectio (quæ solet oblectationem adferre) dolorem habet atque tristitiam: nec vlla omnino res est corporalis, in qua nobis vlla possit esse oblectatio. 7. Permisisti nos fieri gentibus quæ sunt per circuitum nostrum, in contradictionem atque contentionem, ita vt de nobis inter sese ipsi certarent & contenderent adinuicem, singulis nos sibi in seruitutem rapere festinantibus: ita vt nunc hic populus, nunc ille, nostri occuparet dominium: * & aduersarij nostri infideles habitantes per circuitum, videntes nos ita à te derelinqui, ita in prædã hostibus dari, turpiter contempserunt & irriserunt nos. 8. Tu verò domine Deus cælestium exercituum, & omnis virtutis atq; fortitudinis author, gratię tuę operatione nos ad te cõuerte: * faciem tuam benignus exhibe nobis, quam nunc videris à nobis tenere auersam: iterũ nos tuo placabili vultu ad commiserationẽ aspicias, & salui fiemus ab omnibus anguſtijs & necesitatib⁹ nostris. Quò enim tu benigne aspicis, & faciem dirigis, nõ potest illuc non venire salus & omne

9 *Vineam de Ægypto transtulisti:*

Deut. 4.

* *eiecisti gentes, et plantasti eam.*

10 *Dux itineris fuisti in conspectu eius:*

Exod. 13. Exod. 23. & 33.

2. Reg. 17. 3. Reg. 4. * *& plantasti radices eius, & impleuit terram.*

11 *Operuit montes umbra eius:*

* *& arbusta eius cedros Dei.*

12 *Extendit palmites suos vsque ad mare: & vsq; ad flumen propagines eius.*

13 *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viã?*

14 *Exterminauit eam aper de sylua:*

* *& singularis ferus depastus est eam.*

15 *Deus virtutum cõuertere: respice de cælo, & vide:*

* *& visita vineã istã.*

omne bonum: quemadmodum vbi corporeus sol aspectũ sui luminis dirigit, mortua viuificantur omnia. 9. Quo verò sis ad miserendum pronior, faciliusq; tuam potẽtiam nostra flectat oratio, recordare domine, quanta olim gloria & dignitate tuum populũ præeminere fecisti omnibus, quãdo patres nostros filios Israël, populum illum Israëliticũ eduxisti de Aegypto, de domo seruitutis & fornace ferrea, ad modum agricolæ qui vineã de loco incommodo transfert sua diligentia ad locum alium commodiorem, quem voluerit. Ita enim tu velut agricola bonus, populũ illum (qui in modũm vineę, late alteq; suos ramos emiserat, & in maximam multitudinẽ excreuerat) de Aegypto, loco afflictionis & laboris voluisti trãsferre: * atq; vt hãc de terra Aegypti euulsam vineam in loco plantares lacte & melle manante, in terra commodissima atque delicatissima, pro qua iurasti patribus eorum, eiecisti gentes septẽ fortissimas ante conspectũ eorum, Euęũ, Iebusæũ, Gergezeum, Aethæũ, Amorrhæum, Chananæũ, & Pherezæum: illisq; tua potentia eiectis, in loco illorum firmiter radices agere & secure habitare fecisti populum tuum, atq; in eo filios ac filias progignere, & animalia nutrire, domos habitationesque ædificare. 10. Exhibuisti te ducẽ itineris ante faciem populi tui, & cum de Aegypto eos educeres in mirabilibus ostentis tuis, & cum in deserto in columna nubis per diem, & columna ignis per noctẽ, gradereris ante eos, ac postremo cum præmitteres ante eos angelum tuũ in terram, quam dare volebas eis, vt gentes fortissimas terram incolentes ejiceret ante faciem eorum, vt absq; labore acciperent repromissam terram: * tuq; ipse plantasti, & firmasti radices eius, dans ei firmam & securam habitationẽ in terra illa: & vinea ista impleuit terrã vniuersam, quam accepit in possessionẽ. Creuit enim populus valde, & inhabitauerunt terrã in multitudine maxima, à Dan vsque Bersabee, sicut arena quæ est in littore maris. 11. Ad tantam autem excreuit celsitudinem, tam in sublime ascendit vinea ista, vt sub vmbra eius requiescerent & absconderentur etiã montes excelsi, ita vt multis regnis & principatibus per circuitum imperaret, eminetq́ue gloriosior, omnibus per circuitũ munera offerẽtibus, & amicitiam ac fœdera postulatibus: * & palmites eius ac germina, quę de hac vinea exorta sunt, gloriosa facta sunt & alta nimis, super cedros electissimas & altissimas: cuiusmodi nimirũ fuerunt Dauid, Salomon, Ezechias, & alij nõnulli, qui tam sanctitate q̃ potentia & gloria regni, cunctis præeminebant regnis per circuitũ. 12. Dilata quoq; est vinea ista, & palmites suos extendit, vsque ad mediterraneum mare Philistinorum ex parte vna: & vsque ad fluuium Euphratem, ex parte altera extendit suas propagines. Creuit enim populus iste vehementer ex tuo munere & dilatauit terminos suos, donec tu cũ eo esses: & dominabatur omnibus per circuitum, nec erat ex omnibus regnis illis, quod super hanc vineam posset conscendere, vt ipsam opprimeret. 13. Tunc quidem ita floruit, ita dilatata fuit, ita præcelluit vinea tua. Nũc verò ecce tota desolata & miserabilis apparet, similis facta vineæ cuius diruta est & dejecta maceria, ita vt omnes pertranseuntes per viã pro suo libito absq; obstaculo & resistentia possint in eã ingredi, & ex ea decerpere, eamq; confringere ac destruere, quisque pro suo placito, nullo prohibente, nullo reclamante. Ita profecto factus est nunc populus tuus, posteaquã tuæ protectiõis custodia (quæ illi pro muro semper fuit) substracta est omnium qui commorãtur per circuitum inimicorũ direptioni expositus, neq; est qui excludat illorum impetũ atq; potentiam, posteaquã tu manum abstrahis à protectione. 14. Quemadmodum vineam maceria diruta omnibus patentẽ, apri syluestres de syluis egredientes, & feræ aliæ quælibet demoliuntur & dissipant: ita nos quoq; populum tuũ beneficio tuæ protectionis priuatos, infideles & incredulæ nationes per circuitum (tanquã syluestres apri sordidi & immundi, in concupiscentijs suis, & propter vagum infidelitatis errorẽ quasi in sylua vagabundi) exterminant & opprimũt grauissime: * & ijdẽ ipsi sicut ferę deserti, sicut bestiæ solitariæ, feræ solitudinis, alieni à domo Dei (quæ est ecclesia) depascuntur & consumunt nos. 15. O potentissime domine Deus virtutum, conuertere iterum ad nos, qui nunc auersus videris, & benignos tuæ misericordiæ oculos rursum ad nos conuerte: & vide pio compassionis affectu, vt opẽ feras, præbeasq; auxilium: * & veni ad visitandum vineam tuã istam, vt quam olim tanta diligentia, plantasti.

atque

16 *Et perfice eam quã plantauit dextera tua:*

* *& super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

17 *Incensa igni & suffossa:*

* *ab increpatione vultus tui peribunt.*

18 *Fiat manus tua super virũ dexteræ tuæ.*

* *& super filium hominis quem confirmasti tibi.*

19 *Et non discedimus à te:*

* *viuificabis nos:*

* *& nomen tuum inuocabimus.*

20 *Domine Deus virtutum conuerte nos:*

* *& ostende faciem tuam, & salui erimus.*

atq; in tanta exaltasti gloria, non ita nunc sinas ab hostibus conculcari, sed eam de manibus conculcantium & diripentium potius excutias, & tuæ protectionis maceria, vt olim, circundes atq; custodias. 16. Et quã olim tua omnipotẽs dextera plantauit de Aegypto translatã, eam nunc quoq; dignanter promoue, benignè dirige, guberna, tuere, defende, & perfectã redde: * conuertere quoque, respice, & vide super filiũ hominis, super Messiã tuum, attende in faciẽ Christi tui, quem de homine humanã facies assumere naturã, quem tibi confirmasti, quem firmissimo consilio prædestinasti, & decreuisti de hac vinea nasciturũ: * quem etiã constabiliuisti vt cora te vnà cum suis viuat, ac regnet in æternũ: * quẽ etiã plenitudine spiritus tui corroborabis absque mensura, & fortem facies ad debellandũ diabolum, & subuertendum regnum eius: vt vel propter hunc, qui de vinea ista nasciturus est, populũ tuũ non prorsus deleas, non penitus conculcari permittas, sed vel reliquiæ saluę fiant de quibus ille procedat. 17. Est quidẽ iam igni succensa & subuersa vinea ista tua, est quidem nunc miserè dilaniata, fœdè cõculcata, & ferè ad nihilum redacta, hostili sæuitia: * veruntamen si tu cõuersus iterũ nos vlueris aspicere, si tibi visum fuerit conuertere ad nos benignũ vultum tuum, nobisq; ferre subsidiũ, mox illi ab ostensione iræ tuæ peribunt quasi nihilũ, ad nihilum redigetur vltione iracundiæ tuæ omnis virtus & potestas eorũ: tibi facillimũ & quasi pro nihilo erit, omnem illorum virtutem confringere, nosq; in statũ pristinum restituere. 18. Fiat, obsecramus, manus tua super Messiã Christum tuũ, qui de semine vineæ huius nasciturus est, qui erit vir dexteræ tuæ, per quẽ videlicet tu operaberis opera fortitudinis tuæ, quiq; tibi erit secundum virtutem coæqualis, eiusdẽ dexteræ, eiusdemq; potẽtię: mitte illũ quem expectamus saluatorẽ & liberatorem nostrũ, & in illo constitue plenitudinem potentię atque virtutis tuę, vt per eum salutẽ opereris toti orbi desideratam, iuxta promissiones factas patribus nostris: * super virũ (inquam) hunc Messiã nostrum, quẽ tu confirmasti tibi, quem firmissime decreuisti, præordinasti, & definiuisti mittendum ex semine Israël secundum carnem, ad salutem humani generis: * quemq́ue etiam promissionibus & prophetijs multo ante factis firmiter sanxisti venturũ: * quem etiam fortitudine diuinitatis tuę adimplebis & corroborabis, & sufficiens sit ac validus ad regnum mundi & principis eius destruendum, ac pro eo regnum Dei erigendum. 19. Et nos, ô pijssime Deus, quantumuis grauibus affligamur molestijs, quantiscunq; opprimamur afflictionibus, quantumlibet diu distuleris auxilium tuum, nolumus tamen vnquam à te decidere, nolumus per impatientiam tuum cultum deserere, aut proijcere quam in te habemus spem nostrã, imò constantes permanere volumus, & perseuerantes vsque ad mortẽ in cultu tuo: & si moram feceris, neq; statim impleueris quæ postulamus, expectabimus te, & in silentio ac spe præstolabimur salutare tuum: * hoc certissimò scientes, & firmissimè sperantes, quod non imperpetuũ nos sis abiecturus, neq; derelicturus, quasi penitus desperatos: sed in tempore beneplaciti tui, cum tibi optimũ videbitur, misereberis nostri, & vitam adferes nobis per filiũ hominis illum virum dexterę tuę, vitã dabis nobis, restituesq; nobis omnia, & ab omnibus inimicis facies saluos: * & nos tuũ nomen quod colimus, deuote inuocabimus: nos interim donec tibi placitum erit nostri misereri, non cessabimus ab inuocatione tui nominis. Præstolantes enim inuocabimus, & inuocãdo præstolabimur. Tunc quoque cum vitã per tuum Messiã populo tuo attuleris, toto ex corde inuocabimus nomen tuũ, omnes qui crediturí sumus in nomine eius, & inuocantes consequemur salutẽ. 20. Tu ergo domine Deus supernarũ virtutum, & cælestiũ exercituum, cõuerte nos ad te, vt toto corde, totaq; mente, & omnibus viribus tibi adhæreamus, tuoq́ue instemus cultui, vt non indigni habeamur in conspectu tuo, quibus tua impendas beneficia: * ostende nobis benignum vultum tuum, benignitatem exerce & fac benignè nobiscum, iuxta dulcedinem misericordiæ tuæ, & salui erimus ab omni malo. Solus nanque benignus aspectus tuus, ad pellendum omne malum & omne bonum conferendum, sufficit.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXIX.

VErsu primo, Qui regis Israël intende, qui deducis velut ouem Ioseph. In Græco est participium ποιμαίνων, quod significat pascentem, vel (vt plenius exprimamus) pastoraliter regentem: quemadmodum suprà etiam admonuimus in Psalmo secundo, circa versum illum, Reges eos in virga

Psal. 2.

Roma. 9. Rom. 9.

Thren. 3.

Psal.22. virga ferrea. Et in Psal.22. in versu primo, Dominus regit me, & nihil mihi deerit. In his enim locis, E
eadem in Græco dictio ponitur. Sed & in alijs quibusdam Psalmorum locis, eandem hanc dictionem
Græcam interpretes Latini verterunt, pascere. Nam suprà Psalmo 77. vbi in fine Psalmi de Dauide
Psal.77. dicitur, Pascere Iacob seruum suum. Ac rursum, Pauit eos in innocentia cordis sui: in Græco idem
verbum ponitur quod supra diximus. Vnde manifestum est, pascere & regere pro eodem debere ac-
cipi. Insuper & in Hebræo hoc loco participium ponitur, significans pascentem. Quod autem sequi-
tur, Qui deducit velut ouem Ioseph, à quibusdam exponitur de ipsa persona Ioseph, quem Deus sibi
fidentem & seruientem deduxit velut ouem, qui semper vt ouis & innocens mansuetum se gessit in
omnibus, tam apud patrem in terra Chanaan, quam apud extraneos in Aegypto: & Dominus illum
semper vt pastor bonus comitabatur, in omnibus seruans eum à fratrum nece, suaq; prouidentia ad
principatū Aegypti prouehens. Cui expositioni consonat Chald. Paraphrasis sic legens, Qui deducis
velut ouem patrem nostrum Ioseph. Atq; ita quod præcedit, Qui regis vel pascis Israël, simili ratione
Gene.48. de persona Israëlis posset intelligi, iuxta illud quod Israël ipse pueris Ioseph benedicēs, ait, Deus qui
me pascit à iuuente mea, &c. Nos tamen in Elucidatione maluimus ad totum populum Israëliticum
referre sermonem, Cui sententiæ magis fauet quod ex Hebræo secundo loco vertit Hieronymus, Qui
deducis velut gregem Ioseph. Et Felix per numerū pluralem vertit, velut oues. Id enim ad populum
totum magis spectat. ¶ Versu 2. Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin F
& Manasse. Hanc manifestationem coram Ephraim, Beniamin & Manasse, in Elucidatione generali-
ter sumus interpretati, de apparitione coram populo domini. Potest tamen specialis assignari ratio,
quare de his tribubus specialis fiat mentio, non autem de tribubus alijs. Arca nanque Domini, vbi
suprà propiciatorium inter Duo Cherubim locum sibi elegerat, in medio erat multitudinis filiorum
Israël: omnes autem tribus. 12. erant per circuitum: ab oriente quidem erant Iudas, Issachar & Zabu-
lon: à meridie, Ruben, Simeon & Gad. Et hi præibant, cum esset profecturus dum, Ab occidente verò
erant castra Ephraim, Beniamin & Manasse: & ab Aquilone, Dan, Aser & Nepthalim. Itaq; erat præ-
sentia Domini peculiariter ante Ephraim, Beniamin, & Manasse, qui in postrema parte erant ad occi-
dentem. Nihil ergo aliud sibi vult hæc postulatio, quam vt præsentiam suam Deus populo exhibeat,
vt ad propiciatorium suum velit descendere, & se populo toti exhibere præsentem. Sic enim quoties
Deus manifestatur ante tres illas tribus, intelligitur toti populo sese exhibere præsentem. Cum enim
Deus populum suum derelinquebat in manus hostium, & duris afflictionibus subiacere patiebatur,
quasi absens, propiciatorio derelicto, reputabatur, eo quod defensione solita non monstraret suam
præsentiam. Orant proinde vt appareat, & ad propiciatorium redeat. ¶ Versu 3. Excita potentiam
tuam, & veni, vt saluos facias nos. Nonnulli hic intelligunt postulari aduentum Christi in carnem, G
ad humani generis salutem. Quod quidem secundum intelligentiam mysticā rectè accipitur, quem-
admodum & Psalmus totus hic proposito de Christi incarnatione non incommode posset applica-
ri. Videtur tamen ex Psalmi deductione, de aduentu in auxilium fieri sermo, quemadmodum mon-
strant querimoniæ quæ mox enarrantur, præsentiumque miseriam simul & beneficiorum corpora-
lium patribus olim exhibitorum propositio. ¶ Versu 6. Cibabis nos pane lachrymarum, & potum
dabis nobis in lachrymis, in mensura. Panis lachrymarum est, qui in dolore, & cum lachrymis à lu-
Psal.101. gentibus sumitur. Simile est de potu in lachrymis. Sic & in alio Psalmo dicitur, Cinerem tanquam
panem manducabam & potum meum cum fletu miscebam. Illud autem, in mensura, quod ad arcti-
tudinem & tenuitatem cibi ac potus referunt, nos in Elucidatione exposuimus, maximam abundan-
tiam lachrymarum atque doloris. Cui consonat quod Felix vertit ex Hebræo, Fecisti illos (scilicet
de populo tuo) comedere panem lachrymarum, & fecisti illos bibere lachrymas in maxima mensu-
ra. Nec dissonat quod habet Paraphrasis Chaldaica, Cibasti eos panibus intinctis lachrymis, & bi-
bere fecisti eos vinum lachrymis affluens. Neque aliud velle videtur quod Hieronymus ac cæteri
vertunt. Potasti nos in lachrymis tripliciter, de quo in annotationibus ex Hebræo nonnihil dice-
mus. ¶ Versu 7. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris. Habet hæc enunciatio duplicem in-
telligentiam. Prior est, quam in elucidatione explanauimus, de hostium adinuicem contentione pro
direptione populi fidelium. Quando enim populus fidelis ita ex omni parte ab hostibus per circui- H
tum opprimitur, vt nunc ab illis vim patiatur, rectè quasi in contradictionem & contentionem po-
situs dicitur, vtpote pro quo hostes adinuicem contendunt, quis illum possideat, quis in illum vsur-
pet dominium, quis illum affligat miserijs: quomodo ager quilibet in contentionem vel contradi-
ctionem poni intelligitur, cum de eo, in cuius possessionem veniat, contenditur. Hæc autem diuersō-
rum pro eiusdem afflictione, contentione, exprimit magnā patientis, pro quo contenditur, miseriam:
dum scilicet quisq; pro viribus molestare & affligere nititur miserum. Et plane quomodo de Sino-
ne capto ait Vergilius, dicens, Certantque illudere capto, ita Israëlitis quoque legimus accidisse, vt
certarent adinuicem hostes populum istum opprimere, affligere, atque conterere: quod ex sacris hi-
storijs fit manifestum, in quibus quam sæpe legimus populum Israëliticum, Deo permittente, nunc
ab Assyrijs, nunc ab Aegyptijs, nunc ab alijs per circuitum nationibus spoliatum, ac grauia passum.
Posterior intelligentia est, Posuisti nos in contradictionem oppugnationē hostium, id est, fecisti no-
bis contradictiones, contentiones, oppugnationes, & prælia suscitari, ab aduersarijs vicinis nostris.
Secundum quam intelligitur contradictio ista siue contentio aduersariorum non adinuicem, sed
contra populum Israëliticum: quomodo & de Saluatore nostro Christo Hebræis scribens ait sanc-
tus Apostolus, quòd passus sit aduersus semetipsum contradictionem. Recogitate (inquit) eum qui
Hebr.12. talem sustinuit pro nobis aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris
deficī-

A deficientes. ¶ Versu 8. Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. Versus
iste tertio in hoc Psalmo repetitur. Est enim versus quartus & octauus, est & nouissimus, totiusque
orationis clausula. Quæ trina repetitio, ad sanctæ & superbenedictæ Trinitatis inuocationem rectè
intelligitur pertinere. Dignus autē versu est versiculus iste, qui non dico tertio repetatur, sed perpe-
tuo in ore vestro versetur. Vt vide, quęso te, q̄ apto ordine procedat hęc postulatio. Primū enim ora-
mus à Deo cōuerti, ac deinde mōstrari nobis faciē domini, sicque salutem percipere. Prius enim est,
vt iracundiæ causa tollatur, ac deinde vt placidus redeat vultus eius qui iracundiā posuit. Quid autē
est in nobis, quo Deū cogimus à nobis vultum suum auertere? Quid, nisi quia nos prius auertimur ab
eo (Semper enim oculi domini super iustos, & metuentes eum, sunt in bonum. Itaque, nisi nos prio-
res auertamur ab eo, nunquā ille faciem suam auertet à nobis. Aptissime ergo qui faciē Dei placidā
sibi cupit restitui, prius se postulat ad dominum cōuerti. Quis autem ex aduersis faciat cōuersos, nisi Psal.22.
solus ipse cui in oratione loquitur Propheta, dicens: Conuerte nos domine, & conuertemur ad te? Psal.23.
Scio enim (inquit idem Propheta) quoniā nō est hominis via eius, nec viri est, vt dirigat gressus suos. Hier.31.
Est enim homo spiritus vadens, & non rediens: à Deo per suam malitiā recedēs, ad Deum autem per Thre.5.
suam propriam solam virtutem redire non potens. Ergo tu domine virtutum (cui nihil impossibile Hiere.10.
neque difficile est) cōuerte nos, ac deinde conuersus, faciem ostende placabilem, qui auersis iuste a- Psal.102.
B uertisti vultum iratum. Si autem faciem tuā nobis ostēderis, si nobis solita miserationis placiditate
illuxeris, non poterit nō ex hac tuæ faciei cōuersione & vultus illuminatione, salus nobis procedere.
Vnde quasi hac de re certus, neque quicquā dubitās, ait, Ostende faciem tuam, & salui erimus. Sic & Psalm.66.
in alio Psalmo dicitur, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suū super nos,
& misereatur nostri. Est autem notatu digna hoc in loco Chald. Paraphra. pulchrè admodum præsen
tem versiculum exponens, in hunc modum, Deus exercituum, conuerte nos de captiuitate, illumina
splendorē iocunditatis faciei tuæ super nos, & salui erimus. Illam autem captiuitatem: præcipue intel
lige captiuitatem peccati & mortis, deinde etiam eam quæ temporaliter premit populum. Ex priore
nanque posterior proficiscitur. ¶ Versu 9. Vineā de Aegypto trāstulisti. Populum Israëliticum hoc
in loco intelligendum monstrat Chaldaica Paraphrasis, quæ sic habet, Domum Israëlis quæ assimi-
latur vineæ, de Aegypto transtulisti. Et pro eo quòd in sequenti versu habemus, Dux itineris fuisti in
conspectu eius: eadem Paraph. habet, Expulisti à facie eius Chananæos. Et aliàs in scriptura legimus,
hunc populum vineæ assimilatum, & vineam domini nuncupatum, veluti apud Esaiam cap.6. Vinea Esaiæ.6.
facta est dilecto meo, in cornu filio olei. Ac post pauca, Vinea enim domini exercituum, domus Israël
est, & viri Iuda germen delectabile eius. Et de eadē Saluator ait in Euāgelio, Vineā pastinauit homo, Matth.21.
& sepē circūdedit, & fodit in ea torcular, & locauit eā agricolis, & cætera. Pulchrè verò in metapho-
C ra persistēs Propheta, populi istius de Aegypto eductionem, vocat translationem vineæ, ipsiusque po
puli in terra promissa firmationem appellat vineæ trāslatæ plantationē, ac deinde eius populi exalta-
tionem, & multiplicationē describit per similitudinem vineæ in altum conscendentis supra sublimi-
tatē montium, & in latum sese expandentis vsque ad mare. Demum vbi querimonia proponitur de-
solati populi, continuata vineæ metaphora, dicitur maceria eius diruta, ipsa verò omnium vindemia-
tioni, deprædationi atque rapinæ exposita, ita vt feris syluarum & bestijs agri liber pateat introitus
ad conculcādum & eradicandū omnia. Ita cōsideratione aptissima, quæcunque de populo hoc pro-
nuntur, siue ad commemorationē prioris beneficij, siue ad querelam præsentis miseriæ, sub vineæ
cōparatione, metaphoræ semel assumpta continua prosequutione, pulchrè admodum explicantur.
Si verò secundum mysticam intelligentiam, vineam istam intelligamus spiritualem & veram domū 2.Tim.3.
Israël, quæ est Ecclesia fidelium, domus Dei, aptissime hæc omnia in nos competent, quoties in præ-
dam & in direptionem infidelibus damur: quēadmodum ex ijs quæ frequenter supra dicta sunt, faci-
le per se intelligens quisq; poterit animaduertere. ¶ Versu 10. Dux itineris fuisti in conspectu eius.
Intellige, viam præparasti, & viam fecisti ante eam. In Græco enim vno verbo dicitur ὡδοποίησας, quod
est viam fecisti, quomodo etiam habet Psalterium Romanum. Et Felix ex Hebræo, Præparasti viam
vel semitam in conspectu eius. In sequenti autem versu, per arbusta, intellige propagines vel ramos:
D & per cedros Dei, cedros electissimas: atq; altissimas quēadmodum Psalmo. 35. per montes Dei intel Psal.35.
ligimus montes altissimos, Iustitia tua sicut montes Dei. Hæc autem de exaltatione vineæ & dilata-
tione, si iuxta mysticam intelligentiam ad populum fidelem in Ecclesia noua referātur, aptissime in-
telligi poterūt de Ecclesię exaltatione, dilatatione, & profectu. Operuit enim mōtes Ecclesiæ vmbra,
quando sub fide & vnitate Ecclesiæ, principes orbis & regna gentium elegerunt requiescere: arbusta
autem eius cedros Dei operuerunt, quādo filij Ecclesiæ omnem mundi sapientiā & sublimitatē su-
perantes, omnem altitudinem & omnem sublimitatem aduersantē scientię Dei nouerunt in captiui- 1.Cor.13.
tatem redigere, potentissimorumq; principum sæcularem potentiam, & sapientissimorum hominū
sæcularem sapientiam, suæ fidei stabilitate destruere. Vsque ad mare verò palmites extēdit, & vsq; ad
flumen misit germina, quando missis per orbem terrarum Apostolis alijsque veritatis prædicatori- Psal.18.
bus, in omnem terrā exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ peruenerunt verba eorum, sicq; per
orbem dilatata est fides catholica. Cui mysticę expositioni non dissonat quod habet Paraph. Chald.
Expandit ramos suos, misisti discipulos eius vsque ad mare magnum, & vsq; ad flumen Euphraten
germina eius. ¶ Versu 14. Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Po-
test singulare accipi pro plurali secundum cōmunem loquendi consuetudinem, vt significetur, apros
de sylua & feras solitarias, vel feras deserti demolitas esse vineam domini. Aut sub numero singulari
(quod in idem redit) intellige populum gentilē, qui est velut aper de sylua egrediens, idemque velut

singularis f erus. Est enim loquutio à similitudine vineæ sumpta, quam collapsa maceria bestiæ huiusmodi solent demoliri. Vigilanter autem attende, quomodo homines infideles apris comparantur, quos etiam dominus in Euangelio interdum porcos, interdum verò canes appellat. Veluti cum discipulis ait, Nolite dare sanctum canibus: neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi disrumpant vos. Alibi verò etiam hœdis comparat, dicens: Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos abinuicem, sicut segregat pastor oues ab hœdis. Sed & hoc notãdum diligenter, quòd apri isti non de domo exeunt, sed de sylua. Domus enim Dei (teste magno gentium Apostolo) sancta Ecclesia est. Infidelitatis autem & peruersitatis natio, sylua est, quia à Deo deserta: & quicunq; in ea inhabitant, à domo Dei sunt alieni, syluestres sunt, nõ ciues sanctorum, & domestici Dei. Vbi autẽ nos habemus singularẽ ferũ, Græcè habetur μόνος ἄγριος: hoc est, solitarius ferus vel singularis agrestis .i. fera deserti. Non enim ita accipi debet quod dicitur, singularis ferus, vt idem valeat quod singulariter vel eximiè ferus. Non enim significatur ista superexcellẽtia quemadmodũ Græci sermonis proprietas manifestius indicat: sed singularis potius vnicum vel solitariũ significat. Inuenimus autem & in sacris literis vocabulum istud singularis, in hac significatione vsurpatum, velut Marci 4. Et factum est, cùm esset singularis, interrogauerunt eum discipuli, hoc est. cùm esset solitarius, & extra multitudinẽ. In Hebræo autem, vnica dictio ponitur ziz, quam interpretes admodum diuersimode reddunt. Hieronymus vertit, Omnes bestiæ agri depastæ sunt eã: intelligens scilicet per ziz, generaliter omnẽ bestiã agri. Felix etiam vertit, Fera agri depasta est eam, asserens, hac dictione significari omne genus animalis syluestris. Atque horum versiones magis nostræ lectioni consentiunt. Plura de hac eadem dictione Hebraica diximus in annotationibus ex Hebræo Psal. 49. pertractãtes partem illam, Et pulchritudo agri mecum est, vbi in Hebræo eadem dictio ponitur. ¶ Versu 16. Et super filium hominis, quem confirmasti tibi. Hoc loco quidam codices Latini non habent additum genitiuum hominis, sed habent tantum, Super filium quem confirmasti tibi, qua in parte Hebraicæ consentiunt lectioni quæ genitiuum hoc loco non habet. Græci tamen codices atque etiã plerique Latinorum addunt, æque atque in versu. 18. Intelligunt autem quidã per hunc filium, non Messiam, sed ipsum populum Israëliticum, qui per vineam hactenus significabatur. Tanquã filium nanque Deus habuit populũ Israëliticum, iuxta quod in Exodo legimus, Filius meus primogenitus Israël. Ac rursum ex voce domini per Moysen, ad Pharaonem, Dixi tibi, dimitte filium meum, vt sacrificet mihi: eundemq; populũ intelligunt in versu sequenti, per virum dexteræ Dei: quoniã scilicet dextera sua illum Deus solitus erat protegere. Verũ quod sequitur in versu 18. Et super filium hominis quẽ confirmasti tibi, non satis cõmodè videtur posse alio, quàm ad Messiam accommodari, illic enim, & in Hebræis & in Græcis & in Latinis exẽplaribus legitur, filius Adam vel hominis. Nusquam autem in scriptura legimus totũ populum Israëliticum filium hominis, vel filium Adam appellatum. At verò Messiam nostrũ filium hominis fuisse etiam peculiariter appellatum, ex Euangelica historia nimis est manifestum, cùm & seipsum plerunque hoc nomine appellauerit. Nos itaq; hunc filium hominis, in Elucidatione sumus interpretati Messiã Christum. Cui expositioni aperte subscribit Chald. Paraph. quæ sic habet: Et super regem Messiam, quem confirmasti tibi. Et in versu 18. Sit manus super virum cui iurasti in manu dextera, quod rectè in Messiam cõpetit, cui (vt in alio loco dicitur) iurauit dominus, & non pœnitebit eum. ¶ Versu 17. Incensa igni & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt. Quidam versum præsentem sic accipiunt, quasi incensa & suffossa nominatiui casus existãt, in neutro genere, & superponantur verbo, peribunt, vt sit sensus, Incensa igni & suffossa peribunt ab increpatione vultus tui. Verum hanc constructionẽ manifeste cõdemnat lectio Græca, quę nominatiuos habet singulares genere fœmineo, hoc modo: ἐμπεπυρισμένη πυρὶ καὶ ἀπεσκαμμένη. Rectius ergo diuisim ita accipiemus sententiam, Vinea succensa est igni, & suffossa. ab increpatione tamen vultus tui, hostes incensores & effossores peribunt, & reuertetur vinea tua in statum pristinum. Iuxta quam sententiam ita vertit Felix verbo substantiuo suppleto, Combusta est igne, excisa est: ab increpatione vultus tui peribunt.

Matth. 7. Matt. 25.

1. Tim. 3.

Marc. 4.

Exod. 4. Ibidem.

Psal. 109.

LXXX. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste octuagesimus, exhortatio videtur esse veteris populi, ad celebrãdum in lætitia festiuitates domini Dei sui, maxime illã quæ in mensis septimi principio tubis clangentibus erat celebranda, simulq; rememoratio veterum beneficiorum populo exhibitorum, & commonitio contestatioq; domini ad populum, de fideli cultu & pura seruitute, quam sibi vult impendi, & quam serio exigit à seruis suis, non compatiens secũ deos alienos: vbi accepta occasione, commode exprobratur populo, post tot accepta beneficia, & proposita promissa amplissima, pertinax ipsius incredulitas, cuius etiam pœnam tam temporalem, quàm æternam describit. Nos verò ad spiritualem exhortationem, siue admonitionem, ad spiritualiter Deo festa digne celebranda, ipsiq; cultu debito famulandum, præsentis Psalmi textum commodè poterimus referre.

LXXX. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Exultate Deo adiutori nostro: * iubilate Deo Iacob.*

2 *Sumite Psalmum,*

CVm exultatione laudate fideles vniuersi dominum Deum fortissimum, fidelissimumque adiutorem nostrum: * cùm iubilis & laudibus celebrate Deum Israël, Deum fidelis populi sui. 2. Assumite Psalmos ad illi canendum in gaudio & exhibete tympana, vt personetur in eis sonitus lætitiæ: * psalterium, iocundum simul exhibete cum citharis, & omnis generis musica instrumenta

A *& date tympanum:*
** psalterium iocundum cum cithara.*
3 *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ.*
4 *Quia præceptum in Israël est, & iudicium Deo Iacob.*
5 *Testimonium in Ioseph posuit illud cùm*
B *exiret de terra Aegypti: * linguam quã non nouerat, audiuit.*
*6 Diuertit ab oneribus dorsum eius: * manus eius in cophino seruierunt.*
*7 In tribulatione inuocasti me, & liberaui te: * exaudiui te in abscõdito tempestatis:*

C

** probaui te apud aquã contradictionis.*

*8 Audi popule meus & contestabor te: * Israël, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum*
D *alienum.*
*9 Ego enim sum dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti: * dilata os tuum, & implebo illud.*

*10 Et non audiuit populus meus vocem meam: * & Israël non intendit mihi.*

menta proferte domino, vt in eis laus plenior resonet, non solùm voce oris deprõpta, sed & foris per artis instrumenta sese effundens. 3. Clangite tuba in nouilunio, in ipsis Calendis, & prima die mensis septimi: quæ dies est vobis solennis, & insigniter celebris ex præcepto domini, vt omne opus seruile non faciatis in ea, quoniam dies clangoris est & tubarum. 4. Quia de hac solennitate celebranda præceptum accepit populus Israël, & decretum est, siue lex à Deo Israël constituta populo suo. Voluit enim ipse, & præcipiendo decreuit, vt prima dies mensis septimi esset filijs Israël sabbathum memoriale, clangẽtibus tubis, quod vocaretur sanctum, in quo nullum facerent seruile opus, sed constitutum offerrent sacrificium, parantes se ad solennitatem alteram decima die eiusdẽ mensis suo ordine sequuturã: ad expiationem publicam ac deinde etiã ad festiuitatẽ tabernaculorum, quæ erat die decimaquinta mẽsis eiusdẽ. Posuit autẽ Deus præceptũ illud in testimonium & memoriale in populo Israël, cùm educeret eum de terra Aegypti: hoc præceptum illi cõstituit in cõmemorationem beneficij eductionis de Aegypto, atq; cęterorũ post exhibitorum omnium beneficiorum: * in qua terra Aegypti aduena, fuerat, & sub iugo ac seruitute barbaræ & incognitæ gentis seruierat, cuius linguam non intelligebat, sub Aegyptiorum seruitute, quorum lingua illi fuit peregrina. 6. Verum Deus ipse ab onerib⁹ grauissimis luti & lateris, sub quibus miserrime seruiebãt, liberauit eos, ne dorsa amplius deberent eiusmodi oneribus subdere; ipse eos de grauissima hac seruitute qua premebantur, redemit: * siquidem manus eorum seruierant in cophinis, ad colligendum paleas, ad portandũ lutum & lateres, iuxta numerũ præfixum sibi vsque ad amaritudinem animæ suæ. 7. Vox domini, Ecce populę meus cùm in tribulatione esses, cùm Aegyptij perducerẽt ad amaritudinem vitam vestrã, grauissimis oneribus luti & lateris clamastis ad me dominum Deum patrum vestrorum: & ego nõ obsurdui ad clamores vestros, sed iuxta petitionem vestrã liberaui vos de fornace ferrea Aegypti: * exaudiui te in occulto tempestatis & tonitrui, cùm ego sub columna nubis latens, tonitrui tempestate concitata, Aegyptiorum currus in profundũ maris rubri subuersis rotis agitarem, sicque illos in medium fluctuum iniicerem: ita pro vobis mirabiliter pugnãdo, vt nõ euaderet nec vnus ex eis, cùm tamẽ ego velut ex abscondito pugnarem, nec exterius in pugnatoris forma me ostenderẽ: * post hoc autẽ tantum tuæ liberationis beneficiũ, & alia huiusmodi plura, probaui ego te apud aquas quę ex murmuratione vestra nomen acceperunt, vt cõtradictionis appellentur: ibi te probaui cùm esset aquæ defectus, vt viderem an fidelis esses tot acceptis beneficijs, an non: & ostendisti te, post tot accepta beneficia, & tam patentissima conspecta prodigia, adhuc infidelem murmuratorẽ & cõtradictorẽ. 8. Audi proinde populę meus, & ego serio loquar tibi, & cum obtestatione aperiã tibi voluntatẽ meã, vt scias quẽadmodum corã me debeas ambulare, ne tibi dicas nõ prędictũ, aut ne excuses per ignorantiam: * ecce Israël populę meus, si me audire velis, & mihi verè esse obediens, hoc ante omniã prouidebis, vt non sit in te Deus aliquis nouus & extraneus, quẽ non coluerunt patres vestri, vt non vobisipsis aliquod idolum fabricetis, neque vllam speciẽ cuiusque rei quam pro Deo colatis: neq; vllum omnino Deũ alium præter me adorabitis, sed mihi vni & soli cultum diuinitatis impendetis. 9. Ego enim solus sum verus dominus & Deus vester, qui vos in potentia virtutis meæ eduxi de terra Aegypti, quique & ante eductionem hãc stupẽda prodigia exercui in Pharaonem & seruos eius, vestri causa: item & post eductionẽ in deserto, mirabilia corã oculis vestris exhibui: & nunc latè aperi os tuum, postula quæcunque volueris, & quantacunque volueris, & ego quæcunque postulaueris, abundãter tribuã tibi iuxta desiderium cordis tui: tantum postula, tantum quid velis indica, imò & quicquid volueris pete, & ego absque tuo labore abundantissime tuis votis satisfaciam, si te modo in veritate fidelem inueniam. Vnde nihil opus habes, ad alienos deos confugere, posteaquam per me omnia consequeris. 10. Quanquam autem ita blanda promissa proposuerim populo meo, noluit tamen obedire voci meæ, nec tam blandis propositis conditionibus suscipere voluit obedientiam præceptorum meorum: * populus Israëliticus, cui tanta præstiteram beneficia, cui tam egregias offerebam pollicitationes, non acquieuit sermonibus meis, non credidit,

Num. 29.

Ibidem.

Ibidem.

Exod. 14.

Num. 20.

11 *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum:*
ibunt in adinuentionibus suis.

12 *Si populus meus audisset me:* * *Israël si in vys meis ambulasset.*
13 *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem:* * *& super tribulantes eos misissem manum meam.*
14 *Inimici domini mẽtiti sunt ei:*

* *& erit tempus eorũ in sæcula.*

15 *Et cibauit eos ex adipe frumenti:*
* *& de petra melle saturauit eos.*

neque adhærere voluit mihi.11.Et quoniam me eligentem, vocantem, & benefacere volentẽ spreuerunt & abiecerunt semper inobedientes voci meæ:idcirco & ego vicissim abieci illos propter suam ingratitudinem & inobedientiam, & permisi illos duci prauis concupiscentijs cordis sui, dimisi illos sequi prauitatẽ & praua desideria peruersi affectus sui: * ambulabunt à me dimissi secundum prauas adinuentiones suas,secundum malas cogitationes & pessima consilia carnalis cordis sui,perficient quæcunque illis suggesserit maligna sua cogitatio.12. At verò si populus quẽ elegeram, gratum se delectatione atque vocatione præstitisset debitam mihi præstans obedientiam:* si Israëliticus populus ambulasset in præceptis atq; iustificationibus meis quæ illi proposueram vt ambularet in eis.13.Pro nihilo vtiq; inimicos eorũ humiliassem,pro minimo sanè imo pro nihilo mihi fuisset, eorum aduersarios omnes expugnare,ipsisque subiugare, & ante faciem eorum conterere:minimo vtiq; negotio,& nullo penitus labore ab omnibus aduersarijs illos seruassem securos:* & super aduersarios eorum volentes eos affligere,ego aggrauassem vltricem manum meam, potentiam vltionis meæ exercuissem aduersus omnes qui voluissent nocere populo meo: quemadmodum abunde satis reipsa ostenderam in contritione terribili Aegyptiorum,& Chananæorum ejectione valida. 14.At verò isti rebelles semper & increduli, semper aduersantes & repugnantes domino,obstinati in dura ceruice infidelitatis suę,mentiti sunt aduersus dominũ, nihil eorũ obseruantes opere quæ ore polliciti fuerãt, egeruntque mendaciter contra dominum:* & erit tempus punitionis eorum in æternum, punitione æterna vltio sumetur de ipsorum tanta ingratitudine,infidelitate,& inobedientia.Si quidem ignis æternus deuorabit inobedientes huiusmodi & incredulos.vt qui in hoc tempore tot beneficijs suauissime inuitantem, peruicaciter nimium contempserunt,in futuro vltionis tempore durissima sine fine sustineant tormenta.15. Attamen Deus gentem illã repugnantem & inobedientem cibauit ex pinguedine frumenti, ex medulla tritici, id est, pane electissimo & delicatissimo:* & comedere dedit eis ad abundantiam mel, quod de petris colligebant, vbi absque hominum studio vltro apes mellificabant:dedit eis terrã lacte & melle manantem,proferentem fructus pinguissimos,& electissimum triticum, vbi & tanta mellis erat copia, vt de petris abundanter mel possent colligere,quod sanè beneficium valde illorum impietatem exaggerat, qui nec sic emolliri potuerunt, aut in Dei seruitutem saltem beneficiorum dulcedine inescari.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXX.

VErsu 3. Buccinate in neomenia tuba.De festo tubarum, quod initio mensis septimi celebrabatur, legimus Numeri 29. Dicunt autem quidam, clangorẽ istum tubarũ fuisse in tubis corneis, propter memoriam oblationis Isaac,pro quo fuit oblatus aries cornibus hærens inter vepres:qua in re typum gessit post immolandi agni,pro peccatis mundi. Alij, in rememorationem acceptæ legis Dei.Cùm enim legem daret dominus,audita fuit vox buccinæ terribiliter buccinantis, & concrepatis admodum terribili sonitu.Pro quo facit,quod in hoc Psalmo principaliter sermo fiat de obedientia legis Dei,& de transgressionis querimonia, cùm dicitur,Audi populę meus, & contestabor te, & cętera,Ego sum dominus Deus tuus,& cætera.Si populus meus audisset me,& cętera. ¶Versu 5.Testimonium in Ioseph,posuit illud.Ioseph,hìc accipitur pro populo Israëlitico,qui nõnunquam à Ioseph(propter eminentiam ipsius in Aegypto)nominatur: quemadmodum supra Psal. 76. Redemisti in brachio tuo filios Iacob & Ioseph.Et Psal. proxime hunc prȩcedente,Qui regis Israël intende,qui deducis velut ouem Ioseph.Fieri autem de ipso toto populo sermonem,manifeste satis indicant verba textus.Non enim Ioseph ipse egressus aliquando fuit de terra Aegypti,neque in suo egressu huius festiuitatis prȩceptum vllum accepit:sed populus vniuersus,post liberationem in deserto, loquente domino in monte Sinai,mandatũ huiusmodi de festo tubarum ac cæteris celebrandis accepit.Quod autem sequitur.Linguam quam non nouerat audiuit,nos in Elucidatione,exposuimus de lingua Aegyptiorum,quæ filijs Israël erat peregrina,cùm primum in Aegyptum descenderent, In quo significatur,ipsos in Aegypto aduenas fuisse & peregrinos:ac proinde cũ educerentur,de gente barbara, & sibi peregrina fuisse eductos.Alij verò intelligunt de loquela domini, in legis donatione in deserto. Non enim soliti fuerant,donec in Aegypto manerent audire vocem tonantis domini,quã in deserto in datione legis audierunt cum maximo terrore,vt tanto fixius proposita inhęrerẽt cordibus audiẽtium. ¶Versu 6. Manus eius in cophino seruierunt. In cophino seruierunt manus populi Israëlitici, quoniam in cordibus portare debebãt lutum & lateres,ac paleas colligere per totam terram. Quod autem ex Hebræo vertit Hieronymus,Manus eius à cophino recesserunt: significat liberationem ab huiusmodi seruitute, quemadmodum id quod statim antecedit, Diuertit ab oneribus dorsum eius.

Gene.22.
Exod.20.
Psal. 76.
Psal.79.

Ean-

A Eandem etiã habet sententiã,quod vertunt alij,Manus eius ab olla recesserunt, vel transierunt, hoc est,ab ollis cõficiendis liberati sunt. Non enim solum ad lateres coquẽdos cogebãtur filij Israël, sed & ad alia opera fictilia,quæcũq; ex luto erant facienda. Vnde legimus Exod.1.cap.quòd Aegyptij ad amaritudine perducebãt vitam eorum,seruitute dura in luto & lateribus ac omni opere. Consentit & quod Chald.habet Paraph.in hunc modũ, Manus eius à ferendo ad ollas luto transierũt. Idẽ etiã vult,quod alij vertunt,Manus eius à fumo vel à furno recesserunt.In omnibus enim his,nõ aliud significatur,quàm populi de grauissima seruitute liberatio. Et per cõtrarium idem erit, siue dicamus in cophino seruierunt,siue in ollis seruierũt,siue in furno, vel ad fumũ seruierũt. ¶Versu 7.Exaudiuite in abscõdito tempestatis,Istud,in abscondito tempestatis,diuersi diuersimode intelligunt.Eluciditio exponit, In occulto columnæ nubis, vbi velut occultabatur præsentia deitatis pro filijs Israël,tempestate horribili tonitrui & fulminis terribiliter pugnantis. Cui expositioni satis consonat modus ipse loquendi,quo in Exod.historia factũ istud memorabile describitur.Sic enim legimus Exod.14.
respiciẽs dominus per columnã nubis interfecit exercitum Aegyptiorũ,& subuertit rotas curruum. In hoc autẽ quod dicit,per columnã nubis respexisse dominum,significat,quasi de occulto suo latibulo super hostes eum prospexisse:quemadmodum solẽt,qui è turri aut munitione qualibet mittũt in hostes iacula.Nec dissonat ab hac expositione Para.Chal.quæ sic habet,Exaudiui te, vel respondi
B tibi in loco occulto,domo diuinitatis meæ,vbi ardebãt coram me rotæ ignis,Nam hoc vltimum tẽpestatem significat.Alij verò quasi per antiphrasim dictum accipiunt istud absconditum tempestatis siue tonitrui,quoniã minime in abscõdito perfecta fuit hæc liberatio,sed palã & manifestè corã oculis omniũ,dum horribili tonitruo & terrificis coruscationibus rotas curruum subuerteret, & currus ipsos ageret in profundũ.Alij intelligunt,in occulta & absconditа tribulatione tua,cum grauissime scilicet affligereris & opprimereris vehemẽtissime, tamẽ silere cogebaris,& palã nõ audebas exclamare ad me propter duritiem præfectorũ, sed quasi in silentio & in abscõdito. ¶Versu.8.Israël si audieris me,non erit in te Deus recens,Dij recentes sunt,quicunq; artificis manu de nouo fiunt,cu- Exod. 23.
iusmodi erat vitulus ille quem ad petitionem populi opere fusorio formauerat Aaron,item & vituli 3.Reg.12.
duo quos ędificauit Hieroboam:aut omne quod humano ingenio cœpit tanquã numen haberi,& vt Deus coli:quemadmodum gentiles,Iouem,Belum,& huiusmodi,vt deos coluerũt.Deos autem alienos siue peregrinos vocat Deos aliarum gentium,vt nõ exemplo aliarum gentiũ per circuitum traherentur ad idololatriam. ¶Versu 10.Dilata os tuum,& implebo illud.In ista oris dilatatione & adimpletione duo accipimus. Primo facilitatẽ qua dominus pollicetur populo suo bonorum impetrationem,si fideliter sibi præstiterint seruitutẽ. Quid enim facilius,quàm os aperire:quid facilius,quàm
C os dilatare?Secundo intelligimus abundantiam omnis boni, quam seruis fidelibus promittit dominus,Ego,inquit,implebo illud.Quid amplius potest quàm implere? Mira verò est in hoc sermone emphasis.Non enim dicitur,Extende ad opus manus tuas, & ego implebo eas, sed dilata tantum os tuum.Neq; rursum dicitur,Aperi os tuum,& ego in illud injiciam aliquid,vel non sinam illud vacuũ: sed ait, Dilata, id est,late aperi, & ego totum implebo,quantũcunq; tu dilataueris.Iuxta communẽ autem modum loquendi dicuntur dilatare homines os suũ,quando magnum aliquid, & quasi incredibile proferunt.Veluti si quis historiã aliquam narrãs,loquatur aliquid incredibile,aut quod nõ videatur verisimile,dicimus illũ dilatare os suum,id est,late aperire.Ita in oratione postulando, dilatat os suum,qui magnum aliquid, & quod secũdum humanum iudicium non ita videatur impetrabile, postulat.Vult ergo domini sententia,Populę meus,tantum fidelis esto: & ego quidquid postulaueris, quantumuis magnum,quantũuis videatur humanam facultatem excedere,opportuno tempore prȩstabo tibi.Siquidem apud me nõ est impossibile, neq; difficile omne verbum.Implebo autem,id est, copiosissime & abundanter supra quam petere possis, faciã. Cui consonat quod Paulus Apostolus Luc.1.
ait,Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter,quàm petimus,aut quàm intelligimus,& Gen. 18.
cætera.Quod autẽ in hoc Psalmo per Prophetam Deus loquitur veteri populo, idẽ in tempore gra- Ephe.3.
tiæ,nouissime loquutus est nobis per filium suũ in Euãgelio clamantẽ & dicentem,Si quid petieritis Ioan.14.
D patrẽ in nomine meo,hoc faciam.Petite,& accipietis. Et iterum, Omnia quæcunq; petieritis in ora- Luc.11.
tione,credite quia accipietis,& euenient vobis.Quid sunt hæc aliud,quàm late aperi os tuum & im- Marc.11.
plebo illud? ¶Versu 13.Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem. Aduerbium illud forsitan, non in Deo significat dubitationem aut mutabilitatem,aut vacillationem, quasi ignoret Deus quid facturus fuisset,si obedientẽ se præstitisset populus, sed vel libertatem tantum indicat voluntatis diuinæ,vel etiam iuxta communem modum loquentiũ accipitur,vt quandã sermonis notet modestiã, cùm tamen firma intendatur assẽueratio.Veluti cùm pater dicit rebelli filio, Si obedientem te præstitisses meis consilijs,forsitan ditiorem te & glorioliorem reddidissem,quàm nunc sis,significat hoc fermone,filium indubie futurum fuisse fœliciorem,si suis obtemperasset consilijs.Ita cùm dominus loquitur seruo,Si mihi fideliter inseruieris,forsitan nõ damnum,inde referes, sic modestè loquendo, multum insinuat:simul & indicat sibi liberũ esse facere quod velit,& tamẽ voluntariè se multa facturum.Sic & in alio Psalmo dicitur,Nisi quia dominus erat in nobis.Cùm exurgerẽt homines in nos, forte viuos deglutissent nos,Cùm irasceretur furor eorum in nos,forsitan aqua absorbuisset nos vbi Psal.123.
nulla indicatur dubitatio assẽuerantis. In Græco verò etiã manifestius est, nullã indicari dubitationẽ.Nam particula ἄν ponitur,quæ significat potius vtique,vt ita legatur,Pro nihilo vtique inimicos eorum humiliassem.Quod autẽ dicitur pro nihilo,Græce est ἐν μηδενί, hoc est,in nihilo,Quod intelligi potest,tanquam pro nihilo,minimo labore,nullo negotio, quẽadmodum in Elucidatione explicauimus:vel quasi nihilum sic eos humiliassem,id est,vsq; ad nihilũ redegissem eos,vel pro nihilo &

gratis,

gratis, nulla cõductus mercede. Iuxta quam intelligentiam respicere, videtur hic sermo illud quod in historijs sacris legimus, filios Israël magno nõnunquam ære, multisque auri & argenti & diuersorum ornamentorũ sumptibus cõduxisse auxilia regum ac principum, cõtra insurgentes quos metuebant aduersarios: quos Deus gratis & pro nihilo, nulla cõductus mercede, sola oratione postulatus, citissime abegisset & contriuisset, si iustã ei præstitissent obedientiã. ¶ Versu vltimo, Et cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. Significatur hoc modo loquendi maxima fœcunditas & amœnitas terræ promissionis, suppeditantis abunder, nõ solum quæ ad victum sunt necessaria quæ in frumẽti adipe intelliguntur: verumetiã quæcunq; ad oblectationẽ & delicias pertinẽt, quæ in mellis dulcedine accipimus. Hãc ob causam frequẽter in scripturis dicitur terra ista manare siue fluere lacte & melle. Quantũ verò ad mel, dicunt, in terra illa apes mellificare in petris, sicque magnam ibi vltro se offerre mellis copiã, id quod ex historia libri Regum possumus cognoscere, vbi Ionathas filius Saul in agro mel reperit, in quod virgæ summitatẽ intinxit. Quid verò per istum frumenti adipem, & petram mellis, debeat mystice intelligi, non magnã habet difficultatem. Adipe enim frumẽti in ecclesia nos dominus cibat, dum pretiosissimi corporis & sanguinis sacramento, frumento electissimo, medulla tritici vtique pinguissima, & placentula tritici delicatissima nos pascit, vitam veram præbens, eamq; sempiternã. De petra autem melle nos satiat, quando suauibus, & plusquam melleis de petra Christo fluentibus Euangelicis doctrinis, animas nostras reficit, aut cum spiritualium gratiarum dulcissimis charismatibus, de plenitudine Christi effluentibus, mentes implet fidelium.

3. Reg. 14.

Ioann. 1.

LXXXI. PSALMI ARGVMENTVM.

IN hoc Psalmo, dura & terribilis fit increpatio eorum qui potestate iudiciaria à Deo accepta, nõ recte vtũtur ad iustum iudicium, sed per iniquitatẽ illud peruertunt. In primo versu Propheta loquitur, item & in vltimo. Cætera omnia intermedia, tanquã ex ore domini accipimus, cũ terrore & authoritate pronũciata. Propheta ergo nõ nisi præfatur, vt dominũ introducat loquentem, & oratione cõcludit, postulãs Deũ aduenire iudicẽ, postquã in terris corruptum est omne iudicium. In alijs autem versibus, Deus vt iudex primus malos & iniquos iudices seuera increpatione redarguit, & quid ab illis velit fieri proponit, ac tandẽ vltionẽ æternã male administrãtibus cũ terrore denunciat, tũc vtiq; manifestandã, quãdo per mortẽ omnis ab eis auferetur potestas.

LXXXI. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Deus stetit in Synagoga deorum:*

* *in medio autem deos diiudicat.*

Rom. 13.

2 *Vsquequo iudicatis iniquitatem?*

* *& facies peccatorum sumitis?*

Leuit. 19. Leuit. 14. Leuit. 19.

3 *Iudicate egeno & pupillo:*
* *humilem & pauperem iustificate.*

4 *Eripite pauperem,*

DOminus Deus omnipotens stat in medio congregationis deorum, id est, iudicum & principum, qui eius vicẽ & locum in terra gerentes, eius iudicium tanquam vicarij Dei exercent, propter quod etiã dij merentur appellari: in horum (inquam) deorum cœtu deus stat, tanquam omnibus præsidens, tanquã iudex primus, cuius cæteri omnes ministri sunt atque vicarij: * sic autem in medio eorum cõsistens, diiudicat eos, diligenter attendit quis potestate sibi cõmissa, & gladio quẽ portat recte vtatur, ad vindictam malefactorum, laudem verò & defensionẽ bonorum: aut quis ecõtrario potestate sibi tradita, & cõmisso gladio abutatur in bonorum oppressionem, malorum verò exaltationem: ita hos tantum vicarios ille primus & verus iudex, à quo est omnis potestas, considerat, conspicit, diiudicat, vt si quidẽ probe cõmisso sibi funguntur officio, beatam illis donet pro fideli seruitute mercedem: sin ad tyrãnidem verterint suum principatum, aut per auaritiam eo abusi fuerint ad iniustitiam, vt pœnas de illis sumat in tormentis æternis. 2. VOX DOMINI CONSISTENTIS IN IVDICVM MEDIO, Quandiu tandem vos iudices terræ, quibus vicem meã commisi in terris, abutentes tradita vobis potestate, peruertitis iudicium, non quod æquum & iustum est, sed iniqua & iniusta iudicia iudicantes? * & quousque tandem vos praui iudices accipietis personam in iudicio? quousq; considerabitis & accipietis personam impiorum dicitum & potentum huius sæculi, propter illorum vel gratiam vel metum peruertentes iudicium? cùm tamen ego vobis mandauerim, iustũ iudicare iudicium, & vultum non respicere potentum, nec cuiuscunq; in iudicio accipere personam. 3. Facite iudicium iustum pauperculis & orphanis, & viduis: quibus non est inter homines aliud auxiliũ præter æquitatem iustitiæ, cùm opprimãtur ab impijs omnibus: * humilibus, vilibus & pauperculis, æque atque magis potentibus & diuitibus facite iustitiam, absq; personarum respectu omnibus cõmuniter ex æquo administrantes iustum iudicium, nec reuereamini vultum potentis, vt propterea nolitis pauperum suscipere iudicia, nec ad illorum attendatis fauorem, vt eius gratia aduersum pauperes proferatis pro potentibus falsam sententiam. 4. Pauperes, & egenos, orphanos, & viduas, & derelictos (quibus non est aliud humanum auxilium præter æquitatem

A *& egenũ de manu peccatoris liberate.*

5 *Nescierunt neque intellexerunt:*

* *in tenebris ambulãt:*

B * *mouebuntur omnia fundamenta terræ.*

6 *Ego dixi, dij estis,*

* *& filij excelsi omnes.*

C 7 *Vos autem sicut homines moriemini:*

* *& sicut vnus de principibus cadetis.*

D

8 *Surge Deus, iudica terram:*

* *quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

tem iustitiæ) eripite & saluate de potestate peccatorum diuitum atque potentum, volentium illos opprimere: commissa vobis authoritate & potestate iudiciaria, hos compescite ab iniuria, à calumnia, à rapina, & qualibet oppressione: illos autem, paterno affectu, vt commissos vestræ tutelæ filios, defendite ab iniuria. Ad hoc enim potestatem vobis contuli, propter hoc gladium portatis, vt sitis ministri mei, vindices in iram male agentibus, bonis autem in defensionem atque tutelam. 5. Verùm hi excæcati muneribus, corrupti affectu prauo, non scierunt neque intellexerunt iudicium & æquitatem: noluerunt attendere, quid æquum, quid iustum, non intelligunt, meum esse: iudicium non attendunt, quòd ego in medio eorum consistam, iudicaturus de singulis eorum iudicijs: non considerant, quòd coram meo tribunali sint rationem reddituri suæ administrationis, non habent ante oculos districtum iudiciũ meum: * & in hac sua cæcitate cuncta agũt, non secundum æquitatem, sed pro libito, quasi non alium habeant superiorem iudicem, quasi potestatem omnem à seipsis habeant, nec ab alio acceperint: * veruntamen post paululum veniet tempus, quando à fundamentis commouebitur terra: adhuc modicum, & ego commouebo cælum & terram: veniet hora iudicij mei, quando terra à fundamentis commouebitur, & dabit mortuos suos: quando de omnibus eis vna hora faciam iudicium, cuique pro merito suæ administrationis: quãdo simul ipsi cum pauperibus vno momento resurgent, simulque accipient iustum super se iudicium. 6. Ego quidem mirifice vos exaltaui, vobis in terra committens meam potestatem, meamque authoritatem, ad exequendum iudicium: dans vobis super alios proximos generis vestri potestatem & imperium, etiam vitę ac mortis: sicque vos loco meo positos feci tales, vt merito appellemini dij, quoniam Dei estis vicarij: * & estis omnes vos (ratione huius exaltationis super cæteros confratres vestros, eiusdemque naturæ consortes) quasi filij Dei altissimi, qui vos loco sui constituit administratores iustitiæ: estisque nunc super terram, ratione commissæ potestatis, admodum præcellentes, magnificati vehementer, & glorioſi, ac Deo proximi. 7. Veruntamen non hoc vos eleuet, non securos reddat, vt propterea negligatis iustitiam: quoniam quidem vt homines (iuxta communem omnium legem) aliquando moriemini, ac tunc quidem auferetur à vobis omnis potestas & præcellentia vestra, succedentibus alijs in locum dignitatis vestræ: nec erit tunc vlla, quantum ad vos ac cæteros pauperes, hac in parte differentia: neque tunc, nisi de bona administratione, fiet inquisitio. Statutum nanque est hominibus semel mori, & post hoc iudicium, neque hanc legem generalem vlla potestas potest effugere: * & sicut vnus quilibet de principibus cadere solet in prælio, subito omni gloria, omni honore, omni potestate priuatus, qui antè erat gloriosissimus in equis, & in militum milibus, moxque in eius locum & hæreditatem succedit alius: ita & vos ad meæ iussionis imperium, cùm mihi placuerit, singuli per mortem cadetis & interibitis, neque vllius vestrum erit potestas æterna: sed interire vos faciam subito, omnemque gloriam potestatis vestræ auferam à vobis, & dabo alteri cuicunque voluero: * Et quomodo ceciderunt nobiles illi spiritus de cælo, quomodo Satanas de cælo cecidit tanquam fulgur, propter superbiam: ita & vos tanquam vnus aliquis ex illis (licet nunc multum vobis videamini exaltati) subito in profundum damnationis cadetis, qui nunc per superbiam contemnitis Deum, cuius vices geritis. 8. Vox prophetæ: Quia verò in terris inuenitur iustum iudicium, quoniam omnes sequuntur munera, & accipiunt personam, nec est pauperibus & orphanis ex iudiciaria potestate auxilium, tu Deus (cui competit iudicare, cuius est iudicium) exurge ad iudicandum populos, consurge vt iudices pro ijs qui opprimuntur in terra, aduersum illos qui dissipant & dilacerant, ac misere defœdant sua auaritia & iniustitia hæreditatem tuam: * tu enim es Dominus omnium populorum, tibi competit omnium gentium verum dominium, ac proinde tuum est facere pro eis iudicium & administrare iustitiam, quam posteaquam negligunt & peruertunt, imò opprimunt tui vicarij, ad te confugere cogimur primarium dominum & iudicem: vt quod illi sua malitia non præstant, tua bonitas & misericordia aliquando restituat.

Rom. 13.

Heb. 9.

Luc. 10.

Aggæi 1. Apoc. 20.

Esaiæ 1. 2. Par. 19. Psal. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXI.

E

VErsu 1. Deus stetit in synagoga Deorum. Quemadmodum vulgo is qui vice fungitur præfecti, appellari consueuit præfectus, maxime vbi in eodem loco non commoratur is cuius vicem gerit: ita iudices terræ, quia vice Dei funguntur, & locum eius tenent, iccirco in scripturis merentur elohim & elim, id est, dij appellari. Vnde Exod. 22. dicitur, Si quis cõmendauerit amico pecuniam, aut
Exod. 22. vas in custodiã: & ab eo qui susceperat furto, ablata fuerint, &c. si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit, ꝙ non extenderit manum in rem proximi sui. Et post pauca, Ad deos vtriusque causa perueniet, hoc est, ad iudices. At rursum eodẽ in loco, Dijs non detrahes, id est, iudicibus & principibus populi. Manifestũ tamen est, quidquid præter vnum verũ Deum nomine Dei appellatur, analogice dici nec posse secũdum vnam rationem & propriam suam significationem, nisi de vno
1. Cor. 8. dici. Cæteri enim per participationem vel assimilationem quandã dicuntur dij, aut etiam secundum opinionem, vel appellationem tantum: quemadmodum Paulus Apostolus ait, Deos multos esse, videlicet qui dij appellantur in cælo & in terra. At verò Deus noster non secundum participationẽ hoc nomen habet, sed secundum suam propriam substãtiam, secundum suam propriam essentiam Deus est, videlicet ens summum & primum, quo nihil potest cogitari maius aut melius, & summũ quod cogitari potest. ¶Quod autem iudices super terram sint Dei tantum vicem gerentes, in credita sibi
F potestate, ex verbis Iosaphat regis Israël discimus, cuius in secundo libro Paralipomenon talem legi-
2. Par. 19. mus ad constitutos iudices exhortationem. Videte (ait) quid faciatis: Non enim hominis exercetis iudicium, sed domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud dominum Deum nostrum iniquitas, neque personarum acceptio, neque cupido munerum. Et eodem in loco subditur, In Hierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas & sacerdotes & principes familiarum ex Israël, vt iudicium & causam domini indicarent habitatoribus eius. In quibus verbis, iudicium quod iudicibus committitur, audimus iudicium domini & causam domini appellari. Nec minus clare Paulus Apostolus multis verbis hoc ip-
Rom. 13. sum testatur, cap. 13. Epistolæ ad Romanos, in hæc verba, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo, Quæ autẽ sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt. Et post pauca, Non sine causa (potestas) gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male operatur, & alia huiusmodi plura ibidem commemorat. ¶Versu 2. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Iudicare iniquitatem, positum est pro iudicare quod iniquum est, vel iudicare iniuste: quemadmodum facere iniquitatem vel bonitatem, ex scripturarum consuetudine dici solet, pro bene vel malefacere. In secunda autem parte pro faciebus Græce est πρόσωπα: quod ambi-
G guum est, & verti potest indifferenter facies siue personas. Siquidem πρόσωπον & faciem & personam significat. Eadem autem videtur esse sententia, siue dicamus, sumere facies, siue personas sumere. Qui enim non ipsam in se causæ iustitiam attendit, sed aliud aliquid considerat causæ extraneum, propter quod vel fauore attractus, vel odio aduersus, vel timore perterritus, contra æquitatem iudicat, hic faciem sumit, & personam accipit. Quidam verò præsentem locum sic intelligunt, Quousque similes vos facitis peccatoribus? quousque vestro iniquo iudicio efficitis, vt peccatores appareatis & iniqui iudices? Verum prior sententia videtur verior, magisque probanda. ¶Versu 3. & 4. Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Hæc sunt, in quibus Deus iudices vult sui potissimum similes fieri: & dum hoc fideliter agunt,
Psal. 67. Psal. 9. deorum appellatione dignos se faciunt. Quemadmodum enim primo est Deo cura eorum qui humana sunt ope destituti, quibus non est consilium, non est auxilium ab homine, cuiusmodi sunt orphani, viduæ, pauperes & abiecti, adeò vt peculiari etiam appellatione voluerit in sacra scriptura pater orphanorum, adiutor pupillorum, iudex viduarum, refugium pauperum, saluator rectorum & humilium, nuncupari: ita nihil æque à iudicibus Deus expetit, quàm vt huiusmodi hominum curam gerant, vt pro his iudicent contra aduersantes aut opprimere molientes iusta iudicia. Neque in
H aliqua re tam possunt assimilari Deo iudices quàm in hac pauperum defensione. Plane enim diuinum quiddam est, & supra hominem, saluare, defendere, eripere, vindicare, tutari. Et plane tyrannicũ, imò diabolicum est, pauperem iniuste opprimere tuæ commissum fidei, aut in manus opprimentiũ derelinquere, cùm ex officio possis & debeas, vel omnium bonorum atque etiam tuæ vitæ impendio, liberare. Quapropter, nunquam minus dignum aliquid faciunt iudices suo vocabulo, quàm quoties personam accipientes, contra Dei præceptum, huiusmodi miserorum curam & iudicium postponunt. Hinc apud Prophetas huius rei tam frequens inuenitur admonitio, tam multa passim eius commemoratio, vt vix aliud quicquam ita inuenias replicatum atque inculcatum. Considerent ista, quibus est iudiciaria potestas commissa: attendant etiam illi, qui vel procuratoris vel aduocati (vt vocant) officia exercent: attendant qui Canonibus & legibus dant operam, & intelligant, quid sit in quo maxime gratificari possint domino Deo suo, cuius sunt iustitiæ administratores, & cui in suis administrationibus seruiunt. Discant, nusquam sibi quæstum esse vberiorem, quàm in pauperum tutela, & orphanorum procuratione vel aduocatione. Sciant, non aliunde sibi prouentus ampliores, neque lucrum cumulatius posse accedere, quàm ex miserorum patrocinio: neque Deo vllum se posse gratius præstare obsequium. Tametsi enim non habeant ipsi quod retribuant in præsenti tempore, habent tamen in cælis curatorem ditissimum, qui pro eis beatam mercedem
Lucæ 14. Matt. 25. in æternitate ventura persoluet, qui (ne quicquam dubitemus) ipsemet voce aperta attestatus est, se quicquid vni ex minimis factum fuerit in suo nomine, tanquam sibi factum habere. Et ipse est Sama-

A Samaritanus ille, qui pro vulnerato illo Euangelico stabulario spondens, ait, Curam illius habe, & quæcunque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. Ipse est insuper, qui in sancto Euangelio docet, ad prandiũ aut cœnam non esse vocandos diuites, amicos, cognatos, aut huiusmodi, qui habent vnde retribuant: sed potius cæcos, debiles, claudos ac pauperes: & eos qui huiusmodi inuitauerint, pronunciat beatos, eò ꝙ non habeant isti quod retribuant, ac proinde seruatur beneficenti retributio in resurrectione iustorum. Ita sanè multo beatior est, qui orphano, viduæ, pauperi patrocinium impendit iustitiæ, multo suis rebus melius cõsulit, verè pinguiorem nactus est venationẽ, eo qui diuitis aut potẽtis retribuere causam agit. Sed (quod cum maximo animi dolore proferimus) obtenebrati sunt mortalium plurimorum oculi, execranda auaritia ac philargyriæ pestima cupiditate, excæcatæ sunt eorum mens & cõscientia, vt in futuram retributionem minime intendentes, solis intenti temporarijs mercedibus, nullis minus libenter, minus fideliter, minus alacriter administrent iustitiam, q̃ ijs quibus maxime debuerant, & quibus Deus potissimum impendi volebat, id est, pauperibus non habentibus retributionem. Ita sunt plerique auribus corrupti, vt libentius nummuli vnius impræsentiarum tinnientis sonitum exaudiant, quàm cælestium retributionum suauissimas promissiones: suam quoque operam & studium libentius vilissimo obulo diuendant, quàm pro amplissimo æternæ hæreditatis præmio collocent. Qui vtinam saperent, vtinam intelligerent, & no-
B uissima prouiderent, quando de contemptis ac neglectis misericordiæ operibus, gloriosus ille pupillorum pater, & viduarum iudex, in maiestate sua, de supernis progrediens sedibus, districtam exquiret rationem, & horribilẽ exercebit vltionem. Si enim veterem illum Iudaicum populum toties audimus per Prophetas reprehensum acerrime, ꝙ pupillis non iudicarent, quòd causa viduæ non ingrederetur ad eos, & alia huiusmodi: quid arbitramur Christianis illis euenturum, qui diuitum personas venerantes & mirantes (iuxta Apostoli vocem) quæstus gratia, pauperibus vel iudicium vel patrocinium denegant: aut si nõ plane denegant, certè nimiũ frigidè & oscitãter, ac nihil minus, quàm ex animo agunt, protrahentes ad annos multos iudicij sententiam, & vanis verbis inanibusque spebus misere miseros lactantes, donec omnes illorum pilos vsq; ad nouissimum abraserint, & ex miseris effecerint miserrimos? An putamus Deum, qui olim sanguinis Abel de terra clamorẽ audiuit, non iam exaudire pauperum gemitus, cum quibus ita iam in terris agitur vt libet hominibus, non vt voluit Deus? Cùm ergo venerit pater pauperum istorum, pater orphanorum, & iudex viduarum, susceptor humilium, putas quid faciet suis istis vicarijs? Quæ illos manet, putamus, pro sui officij tali exequutione retributio? Malos male perdet, & infideles seruos, per quos blasphematur nomen eius inter gentes, proijciet in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Cùm autem interierint,
C non ferent secum munera quæ à diuitibus corraserunt, peruertentes iudicium, neque descẽdet cum eis gloria eorum quam sibi parauerant in abusu potestatis suæ. Si quis autem fidelis inuẽtus fuerit in eis, omnia quæcunque pauperibus impendit, accipiet secum: & non apparebit vacuus aut nudus in die illa coram domino. Vtinam hac in re sapiant, quorum oculos plus fulgor oblectat argenti, quàm spes omnis promissionum Dei. Ista forsitan tibi, lector bone, dicta videbuntur tã vehemẽtius, quàm etiã prolixius. Nos tamen nostro dolori nõdum satisfecimus. Qui potens est in omnibus Deus, ipse pro sua bona voluntate cuncta restituat. ¶Versu 5. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamẽta terræ. Chald. Paraph. hoc loco sic habet, Nescierunt bonum operari, & non intellexerunt legem, in tenebris ambulant. Quod accipi potest, vt nostræ lectionis vulgatæ complexio. Quod autem sequitur, Mouebuntur omnia fundamenta terræ: præter exposi-
1. Ioan. 5. tionem suprapositam de terrore diei nouissimi, potest etiam exponi continue ad præcedentia, in hunc sensum, Iudices ipsi non intelligunt, neque sciunt quæ Dei sunt, in tenebris ambulant, peruertentes iudicia, nec secundum legem Dei iudicantes aut dirigentes populum: & ob hoc omnia cõturbantur, ob hoc totus mundus in maligno positus est, omnia sursum ac deorsum voluuntur, peruertuntur & euertuntur omnia, neque quicquam est integrum. Sic enim exprimere solemus grauẽ conturbationem & inordinationem, cùm dicimus, vsque in fundamẽta aliquid commoueri. Secundum
D quem modum in Psalmo 74. dicitur, Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea, iuxta expositionem quã in Elucidatione suprà assignauimus. Cùm enim Deus cõfirmasse se dicit terræ liquefactę columnas, profecto monstrat eas fuisse commotas, præ abundante videlicet malitia, quæ columnas conturbauerat, atq; à sua stabilitate dimouerat. ¶Versu 6. Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Hunc versum Saluator, Ioannis 10. cap. adducens contra Pharisæos, ex eo conuincit, non male se Ioan. 10. fuisse loquutum, cùm Deum aut filium Dei dixisset. Sic enim Iudæis lapidare ipsum vt blasphemum volentibus, respondit, Nónne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum? Est autem talis eius argumentatio: Deus homines alloquens, ipsemet deos illos appellat: non ergo ob hoc blasphemum me potestis ostendere, quòd dixerim, me esse filium Dei. Nam si Deus homines etiam deos appellat, quur blasphemia reputatur, si homo dicatur filius Dei? maxime vbi quod verbo dicitur, operibus confirmatur? Propter quod & subiungit. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autẽ facio opera patris mei, Ibidem. etsi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. ¶Versu vltimo, Surge Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Potest istud accipi, vt prophetia & postulatio de aduentu regis Messiæ, ad quem spectat omnium gẽtium hæreditas, & ipse tãquam iudex aduenit in terram facere iudicium mundi, & principem mundi condemnare. Veruntamen altera expositio, quã in Elucidatione dedimus, Deum postulans superintendere

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm. 7.

tendere rebus humanis, & iusta ferre iudicia, posteaquam apud homines omnia sunt peruersa, toti E processui Psalmi videtur magis quadrare. Atque in hanc sententiam etiam illud supra exposuimus, quod Psalmo septimo dicitur, Exurge domine Deus in præcepto quod mandasti, & synagoga popu lorum circundabit te. Et propter hanc in altum regredere, dominus iudicat populos.

LXXXII. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste oratio est veteris populi Israëlitici, deprecantis Deũ pro vltione contra insurgentes aduersarios, quorum primũ quidem, malignum propositum, & copiosam multitudinem cõgregatarum gentium domino proponit. ac deinde exempla aliquot insignia diuinæ vltionis, præteritis sæculis corã patribus eorum, iudicum tempore exhibita commemorat, postulans similem nunc cõtra insurgentes aduersarios fieri vindictã maxime aduersum principes hostilium exercituum, vt manifesta Dei vltione conuicti cognoscãt magnitudinem diuinæ potẽtiæ, quòd solus ipse sit dominus Deus super omnia altissimus, cui nemo possit cõparari. Poterit nihilominus fidelis Ecclesia accõmodatissime hoc Psalmo vti pro supplicatione ad Deũ, quoties idololatrarũ obruitur impetu, aut infidelium nationũ crudelitate opprimitur. Neq; quicquã obstat, modo sub illis gentiũ nominibus quæ in Psalmo exprimuntur, Idumæis videlicet Ismaëlitis, Moabitis, Agarenis, Gebalitis, Ammonitis, Amalechitis, Philisthæis, Tyrijs, & Assyrijs, generali acceptione intelligantur infideles quælibet nationes contra Christi fidem & Christianum populum consurgentes. Siquidem illi olim oppugnantes Synagogam, figura erant immanissimorum hostium, qui nunc Ecclesiam non cessant iugiter bellis atque omni armorum vi oppugnare. F

OCTVAGESIMI SECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Deus quis similis erit tibi?*
**ne taceas, neque compescaris Deus.*

OMnipotens Deus, tu ità es sublimis & excelsus super omnia, vt nemo possit inueniri similis tui, qui tibi possit comparari, vel in potentia, vel in sapientia, vel in alia qualibet perfectione: * proinde nunc, ô potentissime Deus, quando opportunitas maxima se offert demonstrandi tuam istam magnitudinem, & nostra ex parte suprema occurrit necessitas, ne fileas, ne quiescas, ne cesses, ne dissimules, ne nos populum tuum in manus persequentium derelinquas: sed extende potius manum tuam contra illos, & te nobis ostende placabilem, & exhibe defensorem. 2. Ecce enim opportuna sese offert occasio, & nostra ex parte magna occurrit necessitas, quoniam infideles nationes per circuitũ, aduersarij nominis, fidei & cultꝰ tui, rumores suscitant bellorum, magno fragore & strepitu ad bella se parantes, & in finibus nostris suæ præsentiæ sonitum exhibentes: * & qui tuum cultum oderunt impij idololatræ, caput suũ eleuauerũt per superbiam, erigũt cornua sua, superbia efferuntur, & eleuantur cõtra te & populum tuũ, sperantes posse prævalere nobis, & tui nominis cultum extirpare. 3. Contra populum sanctum tuum, pium, iustum, & innocentem, malitiosè tractauerunt, & nequiter excogitauerunt consilium: * & secundũ astutiam sæcularis prudentiæ suæ cogitauerunt cõtra fideles tuos, quibus modis illos possent opprimere, & vel prorsus delere, vel in suam subiectionẽ perducere. 4. Dixerunt seinuicem excitando & cohortando ad oppugnationem nostri: Venite, pariter iungamus vim exercituũ nostrorum, sicque iunctis copijs coadunati illos inuadentes disperdamus illos ex gentibus & populis, vt amplius nõ sit populus: neque cessemus, donec ita deleamus totum hunc populum, vt ex populo fiat nõ populus, & ex gente non gens: * deleamus memoriã gentis huius, adeò vt non vltra nominetur gens vlla ab Israëlis nomine, cum ea, quæ hoc nomen iam tenet, prorsus fuerit deleta, & vsque ad radices extirpata. H 5. Quoniam cogitauerunt vnanimiter, consilium fecerunt vnanimes, vno cõsensu, vna mente, vno proposito, vna voluntate: * pariter inierũt pactum, & fœdus pepigerunt contra te, vt tuum populum delerent, & cultum tuum annihilarent: in hoc proposito malitiæ, contra te & populum tuum pene omnes gentium nationes per circuitum conspirauerunt, & velut pariter coniurauerunt: * videlicet Idumæi & Ismaëlitæ, primi & inquietissimi hostes nostri, qui sic nos modo sine causa persequuntur à Iacob & Isaac patribus progenitos, quomodo olim patres eorum Edom siue Esau, & Ismaël filius ancillæ Agar, persequebantur innocentes fratres suos, Iacob & Isaac, patres nostros, absque omni iusta causa, cùm magis vt fratres diligere eos debuissent: hoc scilicet vetus odium contra nos innoxios, absque omni causa, etiamnum isti exercent malorum patrum mali filij, cùm magis diligere nos & adiuuare debuissent, ratione cognationis progenitorum nostrorum. 6. Insuper & Moabitæ, & filij Agar, Gebalitæ quoque, & Ammonitæ, & Amalechitæ, qui primi oppugnauerunt patres egressos de

2 *Quoniã ecce inimici tui sonuerunt:*

**& qui oderunt te, extulerunt caput.*

3 *Super populum tuum malignauerũt consiliũ:*
**& cogitauerũt aduersus sanctos tuos.*

4 *Dixerunt, venite, & disperdamus eos de gẽte:*
**& non memoretur nomen Israël vltra.*

5 *Quoniam cogitauerunt vnanimiter:*
**simul aduersum te testamentũ disposuerũt:*
**tabernacula Idumæorum & Ismaëlitæ.*

6 *Moab & Agareni, Gebal & Ammon,*

A *& Amalech alienigenæ cum habitantibus Tyrum.*

7 *Etenim Assur venit cum illis:*
**facti sunt in adiutorium filijs Loth.*

de Aegypto, ipsi nec læsi, nec prouocati: alienigenæ quoque Philistæi, qui nobis per multa tempora maximũ exhibuerunt negotiũ, insuper etiam Tyrij, qui licet aliquando tẽpore Hiram regis, amici fuerint cũ Salomone & populo eius, postmodum tamen cũ cæteris versi sunt ad inimicitias. 7. Neque verò isti solum viciniores contra nos coniurauerunt in malum, sed etiam qui longius distant, Assyrij illi sunt associati, pariterque cum illis venerunt contra nos: * nimirum aduocati & conducti in auxilium à filijs Loth, in subsidium & adiutorium Ammonitarũ & Moabitarum: qui, vt certior esset faciliorque eorũ victoria, Assyriorum etiam virtutem studuerunt sibi coniungere. Omnes hæ gentes, vniuersi populi isti, quanquam inter sese maxime discrepãtes quãquam sibiinuicem alias aduersarij, in nostri tamen oppugnatione cõuenerũt vnanimes, & socij facti sunt, isto cõtra nos pariter fœdere quasi testamento disposito, & pacto firmato de perditione nostra. 8. Veruntamen tu (qui es cunctis nationibus longe fortior, cuius potentiæ nemo potest resistere, eo ꝙ non sit similis tui) age cum illis per virtutẽ tuæ fortitudinis, quemadmodum egisti olim cum Madianitis, tempo-

8 *Fac illis sicut Madian:*

B

**& Sisaræ sicut Iabin, in torrente Cyson.*

re Gedeonis, qui per annos septem grauiter oppresserant Israëlem: * & sicut tempore Delboræ prophetissæ, per Barach fecisti Sisaræ principi exercitus Chanaanitarum: & sicut Iabin regi Chanaã, qui per annos viginti vehementer oppresserat filios Israël, habens iam nominatum Sisaram ducẽ exercitus sui, qui apud torrentem Cyson, per manum Barach, tuã virtute ita sunt contriti, vt ipse Sisara dux exercitus de curru coactus fuerit desilire, ac pedes ad latibulum confugere, vbi à muliere quadã susceptus, clauo per tempora percussus interijt, & omnis exercitus eius ad internitionem vsque percussus interijt. 9. Disperierunt omnes isti, & ad nihilum redacti sunt in Endor, loco vicino iuxta torrentem Cyson: facti sunt quasi stercus & fimus super faciẽ terræ, dum præ multitudine, insepulta eorum corpora remanserunt, & cõputruerunt in fœtore stercoreo: sic etiã conculcati sunt, & pro nihilo contriti atque prostrati, quasi stercus fuissent terræ vilissimi atque impotentissimi. 10. Ita fac cum principibus & ducibus istorum hostium nostrorũ, qui nunc contra nos in pugnam veniunt, sicut quondã fecisti principibus Madianitarum, Oreb & Zeb: quos fugientes à facie Gedeonis & filiorum Israël, cõprehenderunt & interfecerunt filij Ephraim, capitibus eorũ missis ad Gedeonem & Zebee quoq; & Salmana regibus Madianitarum, quos Gedeõ persequutus proprio interfecit gladio, omni eorum exercitu interfecto, circiter centum triginta millia. 11. Tales, inquam, pone omnes principes, ita age cum omnibus principibus eorũ qui in superbia & malitia cordis sui mutuo sese in malum exhortantes & confortantes, dixerunt: * hæreditate possideamus terram filiorũ Israël, in qua est tabernaculum Dei, venite subijciamus illã ditioni nostræ, vendicemus eã nobis, vt de ea faciamus quicquid libuerit, & vel deleamus pro libito nostro, vel seruituti nostræ subijciamus. 12. Deus noster, vltor & defensor noster, fac illos similes rotis quæ voluuntur in orbẽ, fac agitentur spiritu vertiginis in modum rotarum, ita volue ac reuolue eos tua virtute, quẽadmodum rota minimo negotio in curru vel alibi vertẽtis manu voluitur atque reuoluitur: * Fac etiã eos instabiles & mutabundos, in omnibus consilijs & cogitationibus suis: * & quemadmodum stipula abripitur flatu validi venti, sic à facie iræ tuæ illi dispergantur, & omnis eorum fortitudo disipetur, redigaturque ad nihilum. 13. Sicut ignis corripiens & inflãmans syluam aliquam, magno impetu & stridore ligna consumit: & licet ob viriditatem multum repugnent, prævalet tamen ignis, & deuorat vniuersa magno stridore & terribili sonitu: * & sicut flamma cum montes sulphureos forte cõprehenderit, grauissime sæuit ac grassatur vehementissime in materiam illam montis quem inuaserit, vt non sit qui possit ignis grassantis impetum extinguere, aut vel cõpescere, cùm nec à longe accedere quisquã audeat. 14. Ita tu domine pro nobis egrediens ad pugnam & vltionem, persequere inimicos nostros vehementi indignatione tua, quasi ad modum tẽpestatis vehementissime perterrefacientis & conturbantis aduersarios: * sic tu in furore iræ & indignatione conturbabis eos, & grauissima feries vltione. Erit nanq; eis ira indignationis tuæ, quasi ignis rapidissimus, quæ eos in impetu magno consumet, cui nemo vel audebit vel poterit resistere, multo minus quisquã eam poterit extinguere. 15. Ita

Iudic. 7.

Iudic. 4.

9 *Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ.*

C 10 *Pone principes eorũ sicut Oreb & Zeb, & Zebee & Salmana.*

Ibidem.

11 *Omnes principes eorum qui dixerunt:*
**hæreditate possideamus sanctuarium Dei.*

12 *Deus meus, pone illos vt rotam:*

D **& sicut stipulam ante faciem venti.*

13 *Sicut ignis qui comburit syluam:*
**& sicut flamma comburens montes.*

14 *Ita persequeris illos in tempestate tua:*
**& in ira tua turbabis eos.*

15 *Imple facies eorum ignominia: * & quærent nomen tuum Domine.*

16 *Erubescant & cõturbentur in sæculum sæculi: * & confundantur, & pereant.*

Apoc.19. Psal.94. Psal.112. 17 *Et cognoscãt quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.*

15. Ita tu domine pro nobis iudicans, reple facies eorum confusione & ignominia, fac tua manifesta punitione turpiter percussi confundantur & erubescant coram omnibus gẽtibus: * vt sic humiliati quos ex eis forte elegeris ad sanã mentem, vexatione dante intellectum conuertãtur, teque incipiant cognoscere, quem tam manifestissimis signis vident prædicari: & qui prius tuum nomen oppugnauerant increduli & idololatræ, tuæ potentiæ conuicti testimonijs, ipsum iam fidenti corde inuocent facti fideles. 16. Erubescant tua vltione, & conturbentur confusione sempiterna, qui post conspecta tam euidentia tuæ virtutis testimonia, obstinati permanserunt in incredulitate & duritia cordis sui: * confusio sempiterna & interitus æternus portio eorum erunt in profundo abyssi. 17. Et cognoscant omnes gentes (euidentissimis & quibus cõtradici nõ possit, efficacissimis signis conuicti) quia tu es verus Deus, cui soli secũdũ veritatẽ cõpetit nomẽ domini, qui solus es verus dominus, & quòd tu solus excelsus es & altissimus, super omnes qui sunt in terra, quòd tu es rex omnium regum & omnium dominantium dominus, magnus dominus & rex magnus super omnes deos, super omnes gẽtes excelsus, & cui prorsus nemo potest vel in cælo vel in terra comparari: vt sic nomen tuum eum gloria & honore magnificetur super omnem orbem terrarum, quemadmodum dignum est laudari & benedici in sæcula sæculorum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXII.

VErsu 1. Ne taceas, neq; compescaris Deus. Ne compescaris, dictum est, pro non quiescas, quomodo ex Hebræo vertit Hieronymus. Reputatur autem Deus velut compesci, id est, quiescere vel desistere ab vltione, cùm dissimulat, cùm fert patienter (absque præsenti vltione) malorum impietatem. ¶ Versu. 2. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Sonitus iste, apparatus bellici est nõ incognitus, Non enim possunt multa milia hominum galeis, loricis, aliisque id genus armis bellicis armatorum & accinctorum coire in vnum absque fragore & strepitu maximo. Dum ergo inimicos dicunt sonuisse, significant eos sibi bellum intentasse. Illa quoque capitis elatio, de qua secundo loco dicitur, manifestum est q̃ secundum prouerbialem consuetudinem intelligatur, iuxta quam dicunt homines efferre illos caput, qui superbe se eleuãt, quod alibi dicitur exaltare cornua: vt Psalmo 74. ex voce domini, Nolite inique agere, nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu vestrum. Et alterius caput dicitur exaltare vel extollere, qui magnificat alterum, quemadmodum vltimo capite 4. libri Regum legimus, Euilmerodach regem Babylonis subleuasse caput Ioachim regis Iuda de carcere, quando benigne ei loquutus est, & thronum eius posuit super thronos regum qui secum erant in Babylone. Sic per sapiẽtem dicitur, Sapientia humiliati exaltabit caput illius. Et in alio Psalmo is qui super inimicos victor per Deũ euasit. Et nunc, inquit, exaltauit caput meum super inimicos meos. Per contrarium verò, caput deprimere, vel demittere, vel humiliare, significãt submissum esse, ac humilem esse atque subiectum, quomodo in Ecclesiastico dicitur, Magnati humilia caput tuum. In sequenti autem versu, malignauerunt, intellige nequiter tractauerunt, quemadmodum ex Hebræo vertit Hieronymus, atque etiam Felix. ¶ Versu 5. Quoniã cogitauerunt vnanimiter, simul aduersum te testamẽtum disposuerunt &c. Aduerbia illa vnanimiter & simul, quidam pariter annectunt eidem verbo cogitauerunt, ad hunc sensum: Cogitauerunt vnanimes pariter: ac deinde separatim legunt, Aduersum testamentum disposuerunt. Cui distinctioni non male consonat lectio Græca, quæ sic habet ὅτι ἐβουλεύσαντο ἐν ὁμονοίᾳ ἐπὶ τὸ αὐτὸ κατὰ σοῦ διαθήκην ἐδιατάξαντο, hoc est, Quoniam cogitauerunt in vna mente, vel in vno corde, vel in vnanimitate in idipsum, contra te testamentum disposuerunt: vbi in idipsum aptius videtur cum præcedentibus iungi. Manifestius verò eandem connexionem monstrat Chaldaica Paraphrasis quæ ita legit, Quoniam cogitauerunt in toto corde aduersum te pariter, & propterea aduersum te pactum pepigerunt. Communius tamen solent prædicta aduerbia abinuicem separari, hoc modo, Quoniam cogitauerunt vnanimiter, simul aduersum te testamentum disposuerunt, quomodo nos in Elucidatione explicauimus. Hebraica autem lectio ambigua est. Cæterùm tabernacula Idumæorum dicit, vel quia de bellum parantibus & terram alienam inuadentibus loquitur, qui in tabernaculis & tentorijs habitare solent, vel quia populi illi orientales magna ex parte (vt ferunt) in tabernaculis inhabitant. ¶ Versu 6. Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. De istis in Agarenis dubium est, an à præcedentibus differant, scilicet Ismaelitis. Nam Ismaël filius fuit Agar, à qua Agareni. Videbuntur ergo idem esse Ismaëlitæ, qui & Agareni. Forsitan autem præter Ismaëlem habuit Agar & alios filios, à quibus descendentes populi, Agareni vocentur: qui verò ab Ismaële, specialiter appellantur Ismaëlitæ, Et sunt qui dicunt, Agar eandem esse quæ alio nomine appellantur Cethura, quam post mortem Saræ (vt legimus Geneſis 20. capitulo (Abraham duxit vxorem, procreauitque ex ea filios plures, quos omnes separauit ab Isaac electo filio suo, ad orientalem plagam, Populi autem isti qui hic commemorantur, orientales sunt populo Israëlitico. De populo autem Gebalitarum, nihil vsquam peculiare in scripturis possumus inuenire, qualis aut quantus fuerit, aut quid contra Israël, aut quantum egerit. Alienigenas autem singulariter intelligi debere Philistæos, ex Hebræo est manifestum. Pro alienigenis nanq; singulari numero habet Philistæum, quomodo Hieronymus & Felix ac cæteri interpretes vertunt. Quod autem habitatores Tyri inimici fuerint & aduersarij populi Israël vt cæteri, vel ex Esaiæ Prophetia cognoscimus, qui contra omnes gentes per circuitũ prophetans, Israëli fuerant aliquando molesti, & iuum cuiq̃, onus prædicens, nouissime omnium & Tyro suum onus denunciat, quemadmodum videre potes Esaiæ 23. ¶ Versu 7. Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filijs Loth. In historia Geneſis legimus, quemadmodum Loth per filias inebriatus, ex coitu cum filia maiori, nocte prima, genuit Moab: altera autem nocte, ex filia minore, genuit Ammon. De Moab verò dicit eadem historia, quod ipse pater sit Moabitarum vsq; in præsentem diem, & de Ammon, quod pater sit Ammonitarum vsq; hodie. Moabitæ ergo & Ammonitæ, generali appellatione nominantur filij Loth. De hoc autem adiutorio ab Assyrijs impenso filijs Loth, id est, Ammonitis, particulare quoddam factum legimus, secundi libri Regum 10. capite: quando nuncijs regis Dauid per rationem dimidiæ barbæ & vestium præcisionem vsq; ad nates illusis, & turpiter valde confusis, ab Anon rege filiorum Ammon, conscij sceleris, & vltionem Dauid metuentes Ammonitæ, propter illatam iniuriam, miserũt, & mercede conduxerunt Syrum Roab, & Syrum Soba, viginti milia peditum: qui fugati sunt à facie Ioab. Rursum tamen miserunt & adduxerunt Syros qui erant trans flumen, in multitudine magna, ita vt ex eis percusserit Dauid septingentos currus, & quadraginta milia equitum. ¶ Versu 8. Fac illis sicut Madian & Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cyson. Vltio illa Madianitarum, quam vnico verbo attingit in principio sermonis, dicens, sicut Madian, non eadem est cum ea quæ statim sequitur contra Sisarã & Iabin, sed tempore fuit posterior, quemadmodum ex libro Iudicũ est manifestum. Quarto enim & quinto capitibus eius libri, vltio describitur contra Iabin regem Chanaan, qui per viginti annos vehementer Israëlem oppresserat, & Sisaram principem militiæ eius, atq; vniuersum exercitum eius. Idque factũ fuit sub Debora prophetissa, & Barach filio Abinoem. De afflictione autem qua Israëlitæ à Madianitis fuerunt oppressi, & de victoria per Gedeonem contra Madianitas mirabiliter obtenta, & vltione in eos grauissima, tractatur per capita tria sequentia, fluxeruntque inter victoriã Barach & Madianitarum oppressionem, anni quadraginta. Post nanque victoriam Barach contra Sisaram, quieuit terra per annos quadraginta, ac tunc demum filij Israël malum facientes in conspectu domini, traditi sunt in manu Madian septem annos. Itaque, ordo ille, Sicut Madian & Sisaræ, nequaquam secundum historiæ veritatẽ, & rei gestæ seriem intelligitur, sed quod posterius est (vt frequenter in narrationibus fieri solet) breuiter ante prius gesti narrationem perstringitur, postmodum verò versu 10. latius explicatur: vbi principes Madianitarum proprijs suis explicantur nominibus, Oreb videlicet & Zeb, Zebee & Salmana. Notandum verò, quod hic dicitur de Iabin, Fac illis sicut Iabin in torrente Cyson, non intelligẽdum secundum personam ipsius Iabin. Nam Iudicum historia non meminit, nisi de duce exercitus eius Sisara clauo percusso, & contrito exercitu: Ipsum autem regem non legimus fuisse in prælio, neque ipsius personæ mali aliquid accidisse. Nihil autem dubium est, quin regi factum dicitur, quicquid eius duci & exercitui cognoscitur euenisse. Idem de Endor, in historia Iudicum nulla fit mentio. Ex libro autem Iosue cognoscimus, locum esse in tribu Manasse: quem locum credendum est propinquum esse torrenti Cyson. Cuius etiam loci fit mentio primi libri Regum cap. 28. de muliere Phytonissa, quæ habitabat in Endor. Chald. translatio per Endor fontẽ intelligit. Sic enim habet, Dispersi fuerunt ad fontem Dor. Ex loco autem iam citato libri Regum, magis apparet ciuitas vel viculus aliquis fuisse. Stercus autem terræ facti intelliguntur percussi aduersarij, secundum duplicẽ similitudinem: vel quoniam tanquam fimus facti sunt, computrescentes, & dispersi super faciem terræ: vel quoniã sic conculcati sunt absq; resistentia virtute Dei, quomodo stercus calcatur in plateis. Cui posteriori expositioni consonat quod Chal. Parap. habet, Facti sunt sicut stercus conculcatum in terra. ¶ Versu 12. Deus meus, pone illos rotam. Pro rota in Hebræo habetur galgal, quod significat sphæram, circulum, rotam, & quodlibet rotundũ ac volubile, propter volubilitatem & girationem. Nam verbum radicale galgal, idem est quod girauit, mouit, voluit, rotauit. Vnde in Græco habetur ϱόδος, quod manifeste est significationis. Est ergo sensus, Ita illos tuo terrore cõturbatos volue, quomodo voluitur rota, vt nõ sint apud sese præ miseria: sic illos torque, quomodo solet trochus torqueri à pueris, aut quomodo solet sphæra aut globus rotari atq; iactari super terram. Vulgo autem dicere solent homines, de eo quem pro libito tractant absque resistentia, quod quasi sphæram eiusmodi possint voluere, & quod tanquam trochũ possint circungirare, aut tanquam rotam circunuoluere. Videtur autem in hoc sermone, de illo spiritu vertiginis fieri sermo, de quo apud Esaiã legimus cap. 19. in hæc verba, Dominus miscuit in medio eius (scilicet Aegypti) spiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptũ in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens, Vnde & aliter præsens locus potest intelligi, sumpta metaphora ab ijs qui in capite patiuntur vertiginẽ. Nesciunt enim quid agant, aut quo vadant, quasi priuati sensibus, Ita hoc loco intelligi potest postulatio fieri, pro eo vt mittatur in principes aduersariorum talis pauor ac tremor, vt præ pauore nesciant quid agant, fiantq; sine omni consilio, Et quemadmodum facillimum est vertigine capitis laborantes in terrã prosternere, vt sic illi quoq; absq; resistentia, terrore Dei conturbati, possint prosterni atq; deuinci. Sunt tamen, qui dictionem Hebræam hic positã putant significare carduũ talem, qui facit lanuginẽ quandam desuper, quę ad modicum venti flatum dissipatur & fugit. Quæ expositio est Rabbi Salomonis. Verum doctiores & potiores, nostræ potius fauent versioni. Vnde B. Hieronymus & Felix non aliud quam rotã verterunt, neq; alij vlli ex Hebræo interpretes, quos mihi contigit videre, aliud q̃ rotam, verterunt. Sed & Chald. Paraph. manifestissime rotam intelligit, Sic enim habet, Pone eos sicut rotã,

quæ voluitur & mouetur, & non consistit in declíui. Si cui tamen placeat illam Rabbi Salomonis sententiam sequi, poterit etiam in communi lectione eam accipere, si rotam secundum similitudinẽ accipiat. Lanugo enim illa quæ super herbas quasdam post florem apparet in modum rotæ currus disposita videbitur, si quis contempletur exactius. ¶ Versu 15. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. In Elucidatione ita explanauimus, Quærent ipsi impleti ignominia nomen tuum. Tametsi enim maior pars populi infidelis peruersa remanserit, quantiscunque signis conspectis: non tamen dubitandum est, multos ex gentibus, visis tamen manifestissimis diuinæ virtutis
Iudith. 5. indicijs, Deo dedisse gloriam. Vnde in libro Iudith, Achior dux filiorum Ammon coram Holoferne manifestissime de Deo populi Israëlitici loquebatur, atte stans, quod si non in populo peccatum inueniretur, nequaquam vllius quantacunque virtute possent deuinci, talem habentes protectorem. Et quomodo de isto legimus, quod postmodum cum omni sua gente, conspecta virtute per Iudith contra Holofernem facta, se adiunxerit populo Dei, & Deum Israël coluerit: non dubium est, multos alios extitisse, qui similibus diuinæ virtutis signis credentes, ad fidem Dei veri fuerunt conuersi. Posset tamen aliter prædictus versus intelligi hoc modo, Imple hostium facies ignominia: & pij serui tui, cum illi confusi fuerint, quærent nomen tuum, id est, fidelius & perfectius tibi adhærebunt, & seruient: iuxta quem fere modum, vltimum Psalmi versum explanauimus.

LXXXIII. PSALMI ARGVMENTVM.

IDem argumentum habet præsens hic Psalmus cum eo qui ordine est. 41. Quemadmodum desiderat, &c. vehemens scilicet æternorum desiderium hominis cuncta ista temporalia fastidientis, & ad cælestia non peritura toto cordis affectu transeuntis. Mox enim in principio desiderium ardentissimum profert tabernaculorũ cælestium, adducens auicularum passeris & turturis exemplum, ad sui desiderij confortationẽ. vt quomodo irrationales illæ habitationes suas quærunt & inueniunt, sic & ipse homo spiritualis æternam mansionẽ quærere non desinat, donec inueniat, propter quod, magna admiratione ad illa superna altaria suspirẽt, eorũ qui in domo illa iam commorantur, beatitudinẽ prædicat. Et quia nondũ hanc sibi videt posse contingere, ad id quod proximum est, nempe spẽ bonam, se conuertens, illos quoq; secundũ spem beatos nunc cõmemorat, qui meliora in dies proponentes atq; in via Dei semper progredi satagẽtes, Dei benedictionibus corroborati, cõtinuis greßibus ad illã primã beatitudinẽ pergunt. In quorũ numero vt ipse quoq; posßit inueniri, versu 8. precatur suã orationẽ à Deo exaudiri: & quo magis ad misericordiã Deũ flectet, nomen benedicti Meßiæ interponit, iterũ replicãs cælestis mansionis quam tantopere concupiscit præcellentiã: ac tandem versibus duobus vltimis, in Dei misericordia & veritate seipsum consolando, fiducia sancta confirmat, solicitamq; animam spe bonæ quietis in pace componit.

OCTVAGESIMITERTII PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum:*
Matth. 8. ** concupiscit & deficit anima mea in atria domini.*
2 *Cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

3 *Etenim passer inuenit sibi domum:*

** & turtur nidum, vbi reponat pullos suos.*

4 *Altaria tua domine virtutum:*

Apoc. 4. ** rex meus & Deus meus.*

QVàm sunt amabilia, quàm desiderabilia illa superna tua tabernacula, ô exercituum cælestium dominator Deus quàm iocundæ & expetibiles sunt paternæ mansiones illæ domus tuæ, in quibus commorantur tui exercitus, in quibus tui inhabitant domestici, qui coram te sunt omni tempore: * profecto tam sunt amabilia amplissima illa atria tua, tam sunt illæ mansiones expetendæ, vt iam in corpore adhuc mea anima inhabitans, vehementissimo illorum teneatur desiderio, ac velut moræ impatiens deficiat, præ nimio desiderij ardore. 2. Neque verò solum anima mea mansionum harum cælestium æstuat desiderio, sed & omne quod intra me est, cor meum, & corpus hoc meum, & cunctæ corporis vires (quasi diffundente ac spargente sese desiderio superabundanti animæ) cum exultatione oblectantur in te domino Deo meo, qui es Deus vnus, viuus & verus: tantus est affectus animæ, vt & in corporis quoque membra redundans, in te ea faciat velut exultantia præ lætitia. 3. Ecce enim passerculi, irrationalia animalcula, & quibus nulla est spes immortalitatis, naturali ducti instinctu, solo sensus ac naturæ impulsu, quærunt & inueniunt sibi domos, loca iuxta suæ naturæ conditionem apta ad inhabitandum: * & turtures similiter, naturæ ac sensus tantum ductu, possunt inuenire sibi nidos in quibus habitent, progignantq;, & enutriant pullos suos. Ita, inquam, animalia rationis expertia, solo prædita sensu, immortalitatis spem minime habentia, congrua suæ naturæ loca quærunt & inueniunt: & non quæram ego, creatura rationalis, certam habens spem immortalitatis, habitationes tuas æternas, solas mihi iuxta naturæ meæ conditionem conuenientes, vt mortales illi passeres ac turtres quærunt ac inueniunt temporales sibi congruas? 4. Mansiones autem istæ quas desidero, ad quas suspiro, illa sunt tua sacrosancta altaria, ô fortissime Deus exercituum, quæ sunt in conspectu præsentiæ diuinitatis tuæ, in quibus sacrificium perfectæ laudis iugiter & incessanter tibi offertur, vbi requiem non habent sacrificates nocte ac die, dicentes. Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus noster omnipotens, qui est, qui erat, & qui venturus est: * hæc, inquam, sunt illa tabernacula,

cula, ô rex meus & Deus meus, ad quæ suspirat gemens anima mea, in quibus quærit mansionem sibi vt & ipsa his aliquando assistere, & in eis iuge sacrificium laudis ineffabilis tibi posit offerre. 5. Verè beati sunt, & non solum terque quaterque beati, sed in infinitum beati, qui iam inhabitant illam amplissimam iocundissimamq; domum tuam, à qua ego adhuc peregrinãs in corpore longè absum, tametsi illuc contendam spiritu: verè beati illi sunt, quibus iam concessum est stare co- 2. Cor. 5.
ram te omni tempore, dulcissimumq; vultum tuum contueri: beati, qui iam panem manducant in regno tuo, facti conuiuę mensæ tuę: * hi profecto à laudibus tuis nunquam cessabunt, & indeficienti cantico te collaudabunt in perpetuis æternitatibus: ab his æternæ laudis perpetuum accipies sacrificium. 6. Nihilominus & illi aliqua in parte secundum spem bonam sunt beati, quantum beatus esse potest adhuc in mortali degens corpore, qui licet nondum ante conspectum vultus tui sunt admissi, tamen in hac sua peregrinatione omni studio adnituntur, dignam tibique placitam ducere vitam, omnem suam spem in te habentes repositam, omne suum auxilium à tua misericordissima Lucæ. 4.
bonitate sperantes: non vane sibipsis fidentes, sed solidam in te spem Philip. 3.
suam constituentes: * quique ita in tuo auxilio sperantes: indies meliora proponunt, pedem non referunt, neque progredi cessant in vijs Philip. 1.
tuis, neque manum retrahunt semel missam ad aratrum, sed ad anteriora extendunt semetipsos, & altiora continuo meditantur: semper videlicet soliciti, quomodo magis ac magis placeãt tibi suo domino, vt abundent magis: qui sic, inquam, ascensiones disponunt in cordibus suis, interim dum in hac valle lachrymarum degunt, in hoc loco exilij & ploratus, vbi multo vtilius est sanctis lachrymis rigari, quam inepta lætitia dissolui: * in loco isto quem posuit atque constituit eis dominus in loco exilij, cui diuina sententia sunt addicti, vt in eo pœnitentiam agentes, & vitam Deo dignam ducentes, possint tandem aliquando post peractum suæ peregrinationis cursum, ad illas beatas pertingere mansiones. 7. Hi sanè spe beati sunt, qui se tales in hoc exilio præstiterint. Nam is qui legem tulit Deus benedictus, qui mandata atque Psal. 102.
præcepta hominibus dedit, idem ipse benedictionem gratiæ suę paratus est omnibus qui bonæ sunt voluntatis conferre: vt qui legem tu- Ioan. 15.
lit, idem ipse ad legem suam implendam adiuuet eos qui bonæ fuerint voluntatis, cognoscens figmentum nostrum & nostram ex nobisipsis infirmitatem, vtpote quod sine ipso nihil possumus: * ipsi verò ex legislatoris suauissimis benedictionibus continuum accipient in spiritu profectum, efficienturq; in dies robustiores seipsis, progredientur de Psal. 118.
fortitudine in fortitudinem, adijcietur robori robur, corde dilatato Esaiæ 40.
perambulabunt, imò percurrent, imò peruolabunt viam mandatorum Dei: volabunt, & non deficient: * donec tandem pertingant illuc quo Psal. 94.
peruenire omnibus votis desiderant, videlicet ad videndum dominum 1. Cor. 13.
Deũ, qui est rex magnus super omnes Deos, in superna patria, in Sion cælesti, vbi est contemplatio aperta vultus Dei facie ad faciem: venientque tandem à labore itineris ad requiem æternitatis, à desiderio fidei & expectatione spei, ad cõspectionem beatæ faciei, & plenissimam fruitionem rei semper desideratæ. 8. O domine Deus cælestium exercituum, potentissime & gloriosissime princeps, exercitibus mille milium semper stipatus atque circundatus, exaudi (quæso) orationem meam, & ad aures benignitatis tuæ. ô Deus Iacob, introire permittas, vt fiat exaudibilis, quam ego ex hac valle lachrymarum ex intimo affectu effundo, toto desiderio anhelans atque suspirans ad æterna illa tabernacula. 9. Protector, defensor, adiutor, & propugnator noster ô Deus, aspice ad miseriam paupertatis & infirmitatis nostræ, aspice ad locum exilij huius in quo nihil est nisi fletus, nihil nisi miseriæ: vt tua benedictione abundantius conferas, quod ex nobis penitus abest: * attende etiam ad faciem Meßiæ Christi tui, quem vnxisti in salutem generis nostri: in eius nomine petimus, vt tua nos misericordia aspicias, vt qui ex nobis fortè beneficio indigni sumus, eius nomine, qui tibi nõ potest non esse acceptissimus, impetremus quæ nobis in hac misera vita sunt necessaria, vt tandem aliquando ad illa amabilissima tabernacula peruenire mereamur, & non frustra sit omne nostrum suspiriũ. 10. Ecce enim hoc certo scio, quod dies vna in tuis mansionibus melior sit, quam multa dierum milia in hac valle miseriæ: longe magis

vna in atrijs tuis, super milia.

11 Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ.

Matth. 11. Lucæ 7.

12 Quia misericordiã & veritatẽ diligit Deꝰ:

** gratiam & gloriam dabit Dominus.*

13 Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia:

** Domine virtutũ, beatus homo qui sperat in te.*

optandum est, vel vnius diei spatio inhabitare in mansionibus tuis amplissimis atq; iocundissimis, vbi est omnis boni plenitudo, quam mille annos, imò multa annorũ milia in hac valle miseriæ habitare, vbi omnis est boni egestas. 11. Optarem magis ego quidem esse infimus seruulus, abiectissimus custos ostij, & omnium notissimus, in domo domini Dei mei, in supernis illis mansionibus beatissimis, quam habitare in hac vita in habitationibus peccatorum, quam hic inter peccatores vitam ducere, etiamsi primatum hîc gererem, & omnium essem primus. Qui enim minimus est in regno cælorũ, maior est, & infinito fœlicior eo qui in terris videtur maximus, & omnium primus. 12. Et quidem dominus Deus misericordiam diligit, & veritatem, ea diligentissime seruans in cunctis operibus suis, misericordissimus pariter, & veracissimus: vt non potẽs non misereri, ita nõ potens fallere: propter quod, optime confido, iuxta promissum, ad illa, ad quæ nunc suspiro æterna tabernacula aliquando me peruenturũ: * ipse est qui nobis (iuxta promissum) si bonæ voluntatis fuerimus, gratiam dabit suæ benedictionis, per quam in omni bono confirmati, tandem aliquando ad æternã illam gloriam adducamur. A quo enim nunc benedictionẽ gratiæ misericorditer suscepimus, ab eodem perfecto cursu peregrinationis nostræ, supernæ gloriæ brauium & beatę retributionis coronam præstolamur. 13. Illud enim certissimum habeo, quod, eis qui nunc iustitiæ studẽt ambulantibus in simplicitate & innocentia, neq; aduersus Deũ impium aliquid, neque aduersus proximum iniustum quid meditantibus, huiusmodi, inquam, non sit Deus negaturus sua bona, neq; in hac vita, neque in futura: sed dabit illis nunc in præsenti gratiam, & in futuro consummatam gloriam: * ac proinde concludens dico, verè beatum esse hominem illum pro statu huius vitæ, vtpote de futura beatitudine securum, qui in te, ô Domine supernorum exercituum, habet rectam ac bonam fiduciam: videlicet qui ob spem tuarum promissionum, & bonorum quæ à te expectat in venturo sæculo, cuncta huius mundi blandimenta despiciens, vni tibi placere totis viribus studet.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXIII.

VErsu 1. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Hunc Psalmum quidam, maxime Hebræi, intelligunt literaliter nimium de absentia Dauidis à tabernaculo Domini, cum videlicet in persequutione aliqua degens, non permitteretur adesse tabernaculo Domini: vt totum istud desiderium ad præsentiam materialis tabernaculi Domini referatur. Verum multo est sensus fœcundior & spiritualior, ac spirituali Psalmista dignior, vt de absentia ab illis cælestibus mansionibus, ad quas subinde solebat in extasi spiritus hinc commigrare, deq; ipsius ardentissimo ad has mansiones desiderio, omnia exponamus. Sed quare tabernacula appellat cælestes mansiones? Tabernacula enim, militantium sunt, triumphantibus non videntur conuenire. Quur ergo non potius dixit palatia, aut certè atria, vt statim subiungit? Nam hæc magis triumphantibus in gloria cõgruunt. Sed attende qui ista quæris, cælestes illas myriades supernorũ ciuium, in sancta scriptura exercitus appellari. Sæpissime enim legimus Deum appellari Deum sabaoth, id est, Deum exercituũ. Et quoties in Græco habetur Θεὸς Δυνάμεων, hoc est, Deus virtutum: in Hebraico ponitur, Deus sabaoth, id est, Deus exercituum: vt satis probabile sit, per virtutes in his locis exercitus illos fortissimos intelligi, qui semper astant in circuitu regis sui, vt in numero inæstimabili, ita in incõparabili fortitudine. Atqui, ad exercitus spectant tabernacula, Militantiũ enim dicuntur exercitus. In nouo quoque testamento, angelorum multitudinem vocari inuenimus nomine militiæ, cum apud Lucam de angelorũ multitudine in Lucæ 2. Christi ortu apparentium, ita scribitur, Facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum & dicentiũ, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, vbi in Græco στρατιᾶς ponitur, quod proprijssima significatione valet militiam. Quis autẽ ignorat, ad militiam spectare tentoriorum atq; tabernaculorum inhabitationem? Ergo cælestes istas mansiones tabernacula appellat Propheta, non tanquam peregrinantium instabilem, & cito transeuntẽ incolatum: sed tanquam cælestis militiæ semper stabilem, & imperpetuũ duraturam habitationem. ¶ Aduertendum quoq; est, pro eo quod nostra habet lectio, Quàm dilecta tabernacula, in Græco habet ἀγαπητά, quod sæpe verti solet, charissima: vt sit sensus, Quàm amabilia, quàm desiderabilia, quàm summe expetenda. Charissimum enim dicimus, quod nobis est maxime amabile, & desiderabile. Atque ita legit Romanum Psalterium, Quàm amabilia tabernacula tua. ¶ Versu eodem, Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Quòd eædem illæ cælestes mansiones, quæ paulo antè appellatæ sunt tabernacula, iam appellentur atria, diuersa fit consideratione: videlicet ob significandam gloriosam Baruch. 3. amplitudinem, quam alius quidam in spiritu Propheta contemplans, exclamando dicebat, O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Solent enim atria magnæ esse amplitudinis & capacitatis, amplius quàm interiora cubicula, aut partes aliæ domus interiores. Secundum quam amplitudinis considerationem, optimo vtique iure superna mansio, atriorum appellationem meretur;

meretur: in quam tam infinitus mille milium numerus, absq; vlla coarctatione susceptus est initio: suscipitur etiam nunc, & suscipietur vsq; in finem sæculi, ita vt posterius aduenientes prius ingressis nullam faciant angustiæ compressionem: & cum tam multa milium milia iam illi accumbant mensę, etiam ex plateis & vicis, imò & à vijs ac sepibus collectis omnibus, quantumuis miseris, renuncietur nihilominus, quod adhuc locus sit. Deniq;, vbi magnum quodlibet festum, videlicet nuptiarum, aut aliud consimile fuerit celebrandum, aut triumphus aliquis exhibendus, ad atria cubilibus neglectis confugitur. Secundum quam considerationem, in atriorum appellatione (qua frequenter apud hunc Psalmistam inuenimus diuinas mansiones nuncupari) præter amplitudinem supradictã, etiam gaudij festiq; nuptialis, quod illic perpetuo celebratur, possumus intelligere indeficientem iucunditatem. Mirumne igitur nobis videbitur, si ad hæc tã amabilia atria desiderando deficiat fidelis anima? Nam si operarij serui perpetuo grauem in agris colendis, aut alio quolibet graui opere, ferentes laborem magna anhelatione festos expectant dies, aut nuptiarum celebritatem, quo vel paululum requiescant à laboribus: quomodo non multo magis fidelis anima cognoscens illic paratam sibi, non diei vnius requiem non paucularũ horarum tenue gaudiũ, sed indeficientis æternitatis suauissimã quietem, & infinitorum sæculorum interminabilem lætitiam, summo desiderio ad hæc tanta sibi reposita anhelabit gaudia? ¶ Versu 2. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Huic satis consonat, quod Psalmo 62. dicitur, Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea: de quo iam supra tractauimus in annotationibus. Nisi fortè aliud singulare videatur, quod hîc dicit, cor & carnem exultare in Deum viuum, illic verò sitire Deum, Non sunt tamẽ ista ab inuicem multũ diuersa. Quomodo enim cor & caro exultet in Deo, quin simul etiam sitiat ad Deum? atq; econtrario, si in Deum sitit caro, vtique & exultat in eum, quoties illum fideliter cum affectu mens recogitauerit. ¶ Versu 3. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, Vade ad formicam (inquit Sapiens quodam loco ad pigrum) & disce sapientiam. Hic verò Psalmista noster, etiam ad passeres & turtures nidificantes suam dirigit considerationem, & nostram reuocat attentionem. Ita sanè vir Deo deditus, & vitæ spirituali totus intentus, in omnibus vel minimis animalculis inuenit, vnde boni aliquid discat: discit, vnde seipso melior euadat: cum econtrario, animalis homo non sapiens neq; intelligens quę Dei sunt, ac minus etiam qui secundum carnem omnia iudicant bestiales homines, nullam omnino recipiant ex rebus quantumuis maximis bonam eruditionẽ. Quid autem est, quod hic Propheta sanctus in passereulis considerauit: quid vidit in turture, quod sit memoratu dignum? Vtiq; multa & magna, quæ spiritualem hominem valeant ædificare, si iuxta suæ modum naturæ satageret animalcula illa in naturalibus conditionibus imitari. Præcipuum tamen ob quod nunc auicularum istarum introducit considerationem, videtur esse, vt seipsum hortetur ad quærendum congruam sibi domum, neq; cessandum, donec illam assequatur: simul vt seipsum bona spe cõfirmet, quod diligenter quæsitam aliquando sit inuenturus. Quemadmodum enim auiculæ istæ habitationis loca apta sibi quærũt, passer quidem in tectis, turtur autem in locis maximè solitarijs, vtraq; iuxta conditionem suæ naturę (quoniam illud gregale satis & sociale animal est, hoc solitudinis amantius) nullo verò modo cõtenta sunt hæc animalcula loco oblato, vt puta ramusculo cui casu insiderint, nisi domũ alicubi propriam habeant quam norunt, & ad quam cõfugiunt, in qua generationi & nutritioni insistunt, & ad quã semper post multam euagationem redeunt: ita & homo spiritualis, diuina atq; cælestis creatura, ad Dei imaginem & immortalitatis bonum singulari priuilegio creata, iuxta hanc suę naturæ conditionem, congruam domum sibi debet quærere, nec vlla ratione à quærendo desistere, donec inuenerit. Neq; contentus esse debet casulis istis & antris huius mundi, quoniam nulla est hîc stabilitas, nulla securitas: neque multum diu hîc licebit persistere. Cito enim aduenier qui te conturbabit, facietq; auolare, vbicunque tandem resederis, etiamsi in altissima arbore aut in summis montium fastigijs. Veniet (dico) veniet, qui te auolare faciet, neq; securus vsquam locorum esse poteris, nisi nidum tibi congruum elegeris, nisi habitationem propriam iuxta tuæ naturæ exigentia adinuenias. Vbi verò nidus iste erit, & quæ hæc domus, quæ homini quærenda est ad securitatem? Nimirum cælestes illæ mansiones, ad quas possidendas creati sumus. Quicquid enim corporale est, quicquid temporariũ, quicquid peritum, non potest esse creaturæ rationali & immortali congrua domus. Et cum in his homo affectu insederit, similis est auiculę ramo cuilibet extra proprium nidum insidenti, cui donec insidet, proculdubio periculo non caret. Quòd nec ipsæ ignorantes, ad leuissimũ quemq; transeuntium ramusculũ magna celeritate auolantes, ad locũ refugij sese conferunt, id est, ad nidum & habitationẽ propriam. Ita videlicet nostrã tarditatẽ admonentes, vbicunq; tandẽ animus noster conquieuerit, nõ fore absq; periculo vitam nostrã, nisi quantocyus in propriam habitationẽ, in nidum refugij, studeamus auolare. Videlicet in hoc nido iam delitescebat ille minimus apostolorum, & peccatorum omniũ primus, humilis passerculus, cum diceret, Nostra autem conuersatio in cælis est. Ad eundem hunc nidum volabat ille, cuius in alio Psalmo vox est, Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, Expectabã eum qui saluũ me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate. Quò enim elongasset fugiens, qui sibi metuebat de periculo malitiæ, nisi ad nidum proprium? Quare in solitudine mansit, nisi quia illic nidum suum habuit? Atq; hæc quæ hactenus dicta sunt, nihil adhuc peculiare, quantũ ad speciẽ hic expressarum auium aperuerũt, sed tantum generalis auium conditionis faciunt mentionem. Neq; opus est ad speciales earũ conditiones, pro textus sententia, singularius descendere. Nam si quem dubitatio moueat, quur duarum istarum specierum tantum fiat mentio: huic respõderi potest, vt magis notas magisque familiares duas istas species pro toto genere positas. Fuisse enim aues huiusmodi in maxima abundantia in terra illa promissionis, ex Mosaica lege & Euangelica historia ostẽditur. Nam pauperum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth.10. Lucæ 12. rum oblatio erat pār turturum, videlicet quod ob multam copiam vili emerentur pretio. De passeribus quoq; Saluator testatur, passeres duos asse vendi, & quinque dipondio. Sic ergo duas has species, vt in genere auium notissimas & vulgatissimas posuit, significare volens, etiam infimas & vilissimas auiculas hanc ex natura habere prudentiam, quā debeant spirituales homines imitari. Forsitan & duas istas species expressit, vna non cōtentus, propter conditionem diuersam. Nam passer, auis est admodum garrula, audax & temeraria, non multum metuens humana consortia, etiam in tectis, & proxime ad fenestras nidificans. Turtur verò admodum quieta est, & meditabunda, non garrula, sed gemebunda, meticulosa magis & solitaria: vt his diuersarum conditionum speciebus duabus totam comprehendat auium generalitatem, significans, omnes auiculas cuiuscunq; sint conditionis, tam eas quæ frequentiam amant hominum, quam eas quæ solitudinem quærunt, habere hanc naturalē prudentiam, vt locū aliquem tutum firmæ habitationis sibi quærant. Quòd si descendere nobis liberet ad peculiares conditiones hisce auiculis secundum speciem conuenientes, easq; liceret per atramentum & calamum latè depingere, ac spiritualibus hominibus spiritualiter applicare, multę paginæ nequirent cōprehendere quæ super his in spiritus dulcedine posset pius animus meditari. Quapropter nimiā effugere cupientes prolixitatē, quæ dicta sunt, arbitrantes sufficere, generali expositione contenti, specialibus quæ dici poterant supersedemus, atq; ad sequentia pergemus. ¶ Versu 4. Altaria tua Domine virtutum. Quidam hunc versum secundum sententiam cum præcedentibus connectunt, hoc modo, Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos, nempe altaria tua ô Domine virtutum: significando videlicet, aues istas interdū habitationes sibi eligere, & nidos construere circiter altaria in templis, quemadmodum nonnunquam videmus, columbas in templi parte aliqua nidificare: vt sic moneat etiam se spiritualis homo, circa altaria Dei nidum facere, & habitationē firmare. Verum id, quantum ad turtures, non satis probabile est, cum sint animalia solitudinis amantiora, quam vt circa altaria in templis (vbi quotidie fidelium sit conuentus & tumultus plurimus) velint nidificare. Quapropter nobis conuenientius visum fuit, hanc partem separatim legere, quasi cum resumptione suspirij: vt sit oratio incompleta, defectum patiens propter desiderij vehementiam exprimendam suspirio videlicet complementum deuorante: quemadmodū accidere solet hominibus profunda suspiria emittentibus, aut ex magno affectus desiderio sermonem proferentibus. ¶ Versu 5. & sexto, Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir cuius

2. Tim. 2. est auxiliū abs te. Quidam vtrunque versum referunt ad incolas militantis Ecclesiæ, quæ apud Apostolum appellatur domus Dei. Neque mala sententia est, eos qui nunc Ecclesiam sanæ fidei & bonæ conuersationis merito inhabitant, dignè ambulantes secundum vocationem in qua vocati sunt, laudaturos Deum in sæcula sæculorum. Qui enim in finem vsq; perseuerauerint, & in finem opera Dei

Matt. 10. custodierint (iuxta veritatis promissionem) salutis æternæ fient participes, vbi laus diuina nunquam non dico deficiet, sed nunquā intermissa cessabit. Nobis tamen in Elucidatione placuit versum quintum ad beatitudinem rei, sextum autem ad beatitudinem spei accommodare. Pro quo vtcunq; facit, quod in quinto mentio fit de vnico illo opere quod est in beata patria præcipuum, Deum videlicet indefessis laudibus celebrare: in sexto verò, illa exprimuntur opera quæ miseris peregrinis conueniunt expectare scilicet à Deo auxilium, ascensiones in corde disponere, per vallem lachrymarū transire, de virtute in virtutē procedere. ¶ Versu 6. Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. Nota eorum quæ hîc dicuntur pulcherrimum ordinem: quem vt in se habeat spiri-

Matth. 19. tualis quilibet, summo studio conari debet. Primum enim, quia via mandatorum Dei angusta est, & ascensus ad Deum vsque homini mortali crasso isto corpore circundato difficilis, admodum stolidus sit necesse est, qui se putet suis viribus posse viam istam percurrere, & terminum præfinitum at-

Ioan. 15. 2. Cor. 3. tingere. Oportebat enim illud attendere quod ait in Euangelio Saluator, Sine me nihil potestis facere. & quod ait Apostolus, Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Atque ob hoc, qui ad patriam vult proficisci, primum omniū sibijpsi pœnitus diffidens, totam suam spem fiduciamque in Deo constituat, quomodo sanctus Petrus nos monet, dicens, Omnem vestrā solicitudinem proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Absq; hoc fundamento, vt nihil sunt omnia quæcunque proponit homo ita eo firmiter iacto, quantumuis hominum iudicio impossibilia, imbecillibus etiam hominibus fiunt possibilia, imo facilia, imò iucunda & desiderabilia. Absque hoc fundamento, vt quidā iuxta humanum iudicium fortes & validi magna conati turpiter lapsi sunt de sublimi, quo iam cōscendisse videbantur: ita in huius fundamenti stabilitate, multos comperimus secundum hominem, infirmissimos, nimis excelsa petiuisse, & fœliciter obtinuisse. Ita sanè Apostolorum ille minimus, qui ex se neq; cogitare aliquid sufficiebat, in eo

Ibidem: Philip. 4. Esaiæ 40. qui se confortat omnia posse magno animo confidit, & confidenter iactat. Apud Esaiam quoq;, huius fundamenti efficacia pulcherrime describitur, his verbis, Qui sperāt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Iacto autem fundamēto hoc stabili, pergat deinde ascensiones in corde disponere, in omni sanctitate & iustitia domino Deo suo instituat seruire, de die in diem studeat proficere, ac suo Domino magis magisq; placere. Consideret, quę illius maxime placita sunt voluntati, atque ea potissimū sectetur (vt

Lucæ 1. 2. Tim. 2. Iacob. 2. Prou. 24. 1. Ioan. 1. miles fidelis) quibus maxime se commendari nouerit suo domino, cui se probauit atque adiunxit in militiam. Vbi vigilanter intendendum est, quod non dixit Propheta, beatū illum qui semper ascendit, sed qui ascensiones disposuit in corde. Semper enim ascendere, paucissimis datur: cum (iuxta Iacobi Apostoli vocem) in multis offendamus omnes, & (iuxta Sapientis testimonium) septies in die cadit iustus. Insuper (quemadmodum dilectus ait Christi discipulus) si dixerimus quia peccatum non habemus,

habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si ergo solus ille spe beatus pronunciaretur, qui ascendet semper opere, quæ foret spes toties à disposita ascensione labentibus? Mitius ergo dixit, qui ascensiones in corde suo disposuit. Videlicet hoc illud est, quod in nouis Dominici natalis Lucæ 2. gaudijs, angeli gloriam Deo personantes, simul pacem nunciant hominibus bonæ voluntatis, iuxta Latinę Ecclesiæ receptissimā lectionem. In terra, inquiunt, pax hominibus bonę voluntatis. Qui autem bonæ sunt voluntatis, ipsi sunt & qui ascēsiones in corde disponunt: qui quotiescunq; quacunq; tandem occasione lapsi fuerint, non in sordibus permanent iacentes, vt sordescant amplius, sed quantocyus à casu studeant exurgere, rursumque ascensiones à quibus ceciderunt erigere. Tam enim miseri sumus, tam in bono impotentes, & nimium instabiles, vt vix inueniatur qui in eodem iustitię statu, non dico perpetuo, sed diu permaneat, qui non sæpe vel carnis propriæ fragilitate, vel suggestione dæmonis occulta, vel malis proximorum exemplis, aut mundi huius blandimentis, aut alio quolibet modo tepescat à bono proposito, sicq; ab ascentionibus quas disposuerat decidere incipiat. Non ergo beatus ille solus, qui semper ascendit, & ab ascentionibus nunquam decidit, sed qui ascensiones in corde disponit, qui semper proponit meliora: & licet non semper assequatur quod optat, neque quæ proponit, semper inuiolata custodiat, propositum tamen bonum nunquam abijcit, nunquam desponde at animum, donec in hac vita volui se conspexerit. Deniq;, ascensiones dixit in corde dispo- 1. Tim. 1.
B nendas, videlicet quoniam finis præcepti est charitas, & quoniam super omnia Deus cor hominis si- Prou. 23.
bi dari postulat, & corda multo magis quàm manus intuetur. Nam in exteriori opere potest quis multum feruidus cito eousque conscendere, vt vlteriorem non posit ascensum disponere. In corde verò quantumcunque ascenderis, semper altior vlteriorque ascensus relinquitur. Potest quis (verbi gratia) tantam eleëmosynam exteriori dispensatione largiri pauperibus, vt vltra non possit ascendere, vt ampliora dare non possit. Potest item quis tandiu pauperibus ministrare, infirmos visitare, vt non possit amplius: orationem adeò potest protrahere, vt non possit diutius: similiter & ieiunium in summum facile potest adducere, & quicquid est corporalis exercitij, suum habet terminum. Est enim modus in eiusmodi rebus omnibus, sunt certi deniq; fines, quos vltra citraque nequit consistere rectum. Verum in cordis ascensione nullus est definitus terminus. Deum amandi (quod ad cordis voluntatisq; affectum pertinet) nullus est finis: via est latissima, quam penitus percurrere, quantumuis velocissimus cursor nunquam poterit. Vnde & in alio loco idem hic Propheta velut præ admira- Psal. 118.
tione exclamans, ait, Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. ¶ Interim verò, dum hæc agit homo, Deum videlicet ponens suum adiutorium, ac deinde super hoc fundamento innixus, ascēsiones in corde disponens, quid ex parte altera agat benignus Dominus (qui pijs nunquam deest hominum conatibus, versu subsequenti nobis explicat diuinorum secretorum optime
C conscius Propheta, dicens, legislatorem illis sic conantibus daturum benedictionem, vt eant de fortitudine in fortitudinem, donec tandem perueniant ad videndum Deum facie ad faciem. O mira Dei benignitas. O nimia pijssimi patris facilitas. Quàm minimū est, quod à nobis exigit. Quàm maximū verò, quod ipse præstiturum se promittit. Tantum duo sunt, quæ à nobis exiguntur, auxilium videlicet nostrum in Deo constituere, ac deinde in eius fiducia ascensiones in corde disponere. Quibus duobus quid potest esse facilius? Quid enim facilius, quàm in tam pijssimo patre ponere fiduciam? quid lenius, quam ascensiones corde saltem & voluntate disponere? Atq; hæc tantum sunt, quæ nostra ex parte postulantur. Quicquid supereſt, ipse se cuncta præstiturum promittit. Nos illi fidamus, Philp. 2.
& meliora semper proponamus. Cæterum, ab ipso qui dedit velle expectandum est vt det etiam perficere, pro sua bona voluntate: quemadmodum ait sanctus Apostolus. Idem enim est quod ipse bonam appellat Dei voluntatem, & quod noster hic Psalmista appellat benedictionem. A Dei nanque bona Psal. 36.
voluntate, vt ait Apostolus, siue à legislatoris benedictione, vt loquitur Psalmista, expectanda nobis est omnis boni propositi adimpletio, quomodo pulchrè alio quoque in loco idem hic Psalmista ait,
D reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Quàm optime nobiscum agitur; qui tam mitem atq; suauē habemus legislatorem, tam suauia nobis suis legibus proponentē, vt verè dicere possit, Iugum meū suaue est, & onus meum leue. Et nihilominus eundem tam fidelem, tam suauem, tam fortem experimur adiutorem, vt sua propria virtute, quicquid nobis præceperit, ipse in nobis, aut (vt 1. Cor. 15.
verius dicam) ipse nobiscum velit operari, quemadmodum beatus ait Apostolus, Non ego autē, sed gratia Dei mecum. Et hæc quidem, quantum ad generalem sententiam duorum horum versuum, latius diximus. ¶ Sunt tamen, quantum ad particulas horum versuum, quædam adijcienda, Nam circa illud quod dicitur versu sexto, Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarū, in loco quē posuit. Notandum, quod verbo posuit diuersi diuersa assignant suppositā. Nos in Elucidatione exposuimus, In loco quem posuit homini Deus. In hac enim valle lachrymarum nos Deus posuit, post primi parentis peccatum è paradyso eiectos: quemadmodum Genesi 3. cap. legimus, in hæc verba, E- Gene. 3.
misit eum (videlicet Adam) Dominus de paradyso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est. Alij verò intelligunt, in loco quem posuit sibi homo: eadem videlicet ratione: quoniam per propriam culpam, primus parens à paradyso in hanc miseriæ vallem eiectus fuit, sicque modo quodam sibijpsi locum hunc miseriæ posuit, quem sua propria culpa promeruit, cum illi Deus locum constituisset longè alium, ac iam in illum instituisset. Iam enim tulerat Adam Deus, posueratque in paradyso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Ipse verò inobediēs factus, inde se eiecit, quo fuerat per Deum introductus. ¶ In versu quoq; sequenti, caue, ne id quod dicitur de virtute in virtutem, intelligas de moralibus aut Theologicis virtutibus: humilitate videlicet, castitate, iustitia, & similibus. Virtus enim hic pro robore & fortitudine sumitur, quod in Græco manifestum est, vbi non

 operi

Universidad de Deusto Biblioteca

ponitur, quod virtutem (à qua boni dicimur) significat, sed δύναμις, quod significat virtutem potentiæ, siue robur fortitudinis, Vnde & B. Hieronymus ex Hebræo vertit, Ibunt de fortitudine in fortitudinem. Hoc autem quid sit, satis in Elucidatione explicatum meminimus. ¶ Versu 9. Respice in faciem Christi tui. De Messia peculiariter exponit Elucidatio, cui aperte consonat Chal. Paraph. quæ hoc loco sic habet, Meritum patrum nostrorum respice Deus, & attende faciem Messiæ, Posset verò intelligi Dauid de sua ipsius persona loquens, vt sui faciens peculiaré apud Deum memoriam. Quod si ab alio vel alijs hic Psalmus factus asseratur, accipere possumus, ipsos voluisse regis Israëlitici (qui ab vnctione Christus domini appellabatur) specialem facere memoriam. Potest etiam fidelis quilibet se spiritu sancto vnctum confidens, vnctione interna, versiculum istum cum timore & verecundia sancta sibimetipsi applicare (postulando videlicet à Deo) vt quem spiritu suo sancto voluit vngere, quemque tanto est beneficio dignatus, velit benigno semper fauore aspicere, & in omni bono ad finem vsque constabilire, donec ad finem desideratum pertingat.

LXXXIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Mysterium omne redemptionis humanæ, aperté satis hic Psalmus videtur explicare, statim in ipso exordio, pro maledictione collatam benedictionem, pro captiuitate libertatem, pro culpa veniam, pro ira reconciliationem, in temporis plenitudine per Christum Saluatorem factam, iucundo versuum processu commemorans, eueſtigio subiungens orationem, qua Dei misericordiam populo petit ostendi, & omnem auerti iracundiam. Moxq; finita oratione, Propheta se ad audiendum vocem interius loquentis spiritus sancti conuertens, pacem & salutem audit sibi denunciari, super omnes qui essent crediturí in venturum Messiam. In cuius aduentu, mirabili modo dicit obuiam sibi processisse misericordiam & veritatem, iustitiamq; & pacem siue misericordiam redactas esse in osculi concordiam, posteaquam ipse Dei filius prima veritas in terra voluit incarnari, & de cælo ipse, vera iustitia, in hæc infima descendere: idq; modo supernaturali, vt in terris sine patre de virginis matris vtero, sancto spiritu desuper fœcundato, procederet: quomodo é terra germen, desuper veniente fœcunditate, generatur. Ante cuius Messiæ aduentum, venturum prophetat præcursorem, iustitiæ præconem: cuius deinde serui vestigia, statim desideratus cunctis gentibus Messias subsequatur.

OCTVAGESIMIQVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Benedixisti Domine terram tuam:*

* *auertisti captiuitatẽ Iacob.*

2 *Remisisti iniquitatẽ plebis tuæ:*
* *operuisti omnia peccata eorum.*

3 *Mitigasti omnẽ iram tuam:*

* *auertisti ab ira indignationis tuæ.*

4 *Conuerte nos Deus salutaris noster:*

CONuersus tandem in temporis plenitudine abstulisti, pijssime Deus, maledictionem, sub qua vsq; tunc fuerant detenti homines habitantes in terra, & pro maledictione contulisti benedictionem: tandem tibi complacuit misereri humani generis, atque dilectionis complacentiæ, & miserationis signa ostendere: * captiuitatem illam durissimam, cui populus tuus ab initio per primi parentis transgressionem factus fuerat subiectus, in illius manibus cui seipsum subiecerat per consensum in malum: hanc captiuitatem populi tui, tam miserãdam, tam diutinam, placuit tibi tandem definito ad hoc tempore, auferre atque auertere à nobis: vt ex seruitute, imò tyrannide grauissima, nos restitueres ad libertatem gloriæ filiorum Dei, & ex filijs miserandę captiuitatis, filios faceres beatæ libertatis. 2. Et quoniam nos ex nobisipsis omnino soluendo non fuimus, neque vlla ratione potentes ad satisfaciendum pro peccatis nostris, tibi placuit, liberaliter dimittere iniquitates nostras: * neq; tantum vnã aliquam iniquitatem, sed omnia in vniuersum peccata, quibuscunque te quomodocunque offendimus, ita voluisti velare & operire à conspectu tuo, sicque penitus dimittere, vt non ea nobis amplius velis imputare, neque vltra ad vltionem ante oculos tuos adducere, sed perinde quasi nunquam gesta fuissent habere. 3. Omnis illa ira & indignatio tua, qua ante tempus illud aduentus benedicti filij tui indignabaris humano generi, in ipsius aduentu sedata atque mitigata est, & quasi secundum modum aliquẽ extincta siue sopita: quemadmodũ cum homo iracundia exardescens aduersus alterũ, occurrente amico ac loquente pro eo, aduersus quẽ fertur indignatio, statim furorẽ ponit, & iracundiã mitigat, velut flãma aquę superfusione extincta, aut certè mitigata: * auertisti te atq; cessasti ab ira illa indignationis tuæ, desijsti indignari aduersus genus humanum, & factus es nobis placabilis. 4. Veruntamen quid nobis proderit, te primam illam posuisse semel iracundiam, cum per filium tum genus redimeres humanũ, si nos in nostra vel infidelitate, vel vitiorum quorumlibet prauitate remanentes, iustam super nos iram tuam non amoueamus, sed magis etiam duplicemus? Iccirco te oramus, Domine, iam factũ nobis placabilem, Deũ salutis nostræ, te Deum salutarẽ ac saluatorẽ nostrum, vt nos ad te ex toto corde conuertas. Cum enim ex nobisipsis vt oportet conuerti sufficienter haudquaquam valeamus, ad te confugimus; vt postquam tu conuersus es ad nos,

* *& auerte iram tuam à nobis.*

5 *Nũquid in æternum irasceris nobis?*
* *aut extendes iram tuam à generatione in generationem?*

6 *Deus tu cõuersus viuificabis nos:*

* *& plebs tua lætabitur in te:*

7 *Ostende nobis domine misericordiam tuã:*
* *& salutare tuum da nobis.*

8 *Audiam quid loquatur in me dominus Deus:*

* *quoniam loquetur pacem in plebem suam.*

9 *Et super sanctos suos:*
* *& in eos qui conuertuntur ad cor.*

10 *Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius:*
* *vt inhabitet gloria in terra nostra.*

11 *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi:*
* *iustitia & pax osculatæ sunt.*

nos, nos etiam facias conuerti ad te: * sicque tuam iram penitus auferas à nobis, quam certe non euaderemus, si te conuerso nos adhuc permaneremus auersi: imò verò iram tuã ita super nos aggrauaremus, quemadmodum faciunt omnes qui hoc tempore gratiæ te facto placabili, adhuc veteres tenẽt inimicitias in suis iniquitatibus vt ante permanentes, nec ad lucem diuinarum miserationum respicientes. 5. Scio enim quòd non patiatur hoc tua infinita misericordia atque benignitas immensa, vt perpetua permanere posset tua illa aduersum nos indignatio: * neque poterat hoc ferre tua immensa misericordia, vt protenderetur ira tua in omnes generationes: sed in tẽpore placito, in tempore definito, debuit ira tua cõmutari in mansuetudinẽ, & debuisti redire placatus nostro generi. Alioqui vbi nobis apparuisset tua misericordia, in qua gloriaris coram filijs hominum, si nunquam cessatura fuisset illa seueritas iustitiæ? 6. Proinde tu Deus pijssime (qui olim auersus à nobis per tempus iracundiæ permittebas nos detineri sub mortis imperio) conuersus nunc ad nos, iterumq; ad nos rediens, per placationem tuæ gratiæ, ad vitam nos restitues, deq; morte ad vitã reduces, ex filijs mortis & damnationis faciens filios vitæ atq; salutis æternę: * populus autem tuus, tanto per te accepto beneficio, gratum erga te animum gerentes, lætabuntur ex toto cordis affectu, & exultabũt in bonis tuis. 7. Ostende nobis tu domine, & palàm exhibe misericordiam tuam, innotescat coram omnibus tam suauissima misericordia tua: * & salutẽ tuam illam ad quam nos præordinasti, ipsumq; illum saluatorẽ, quem nobis ab æterno prædestinasti dare in tepore suo, da nobis in cunctis populis, vt in ipsum credentes, per eum salui fiamus ab ira in vitã sempiternam. 8. VOX PROPHETICA, Volo ergo aurem cordis mei adhibere ad arcanum diuinæ alloquutionis, vt audiam in silentio quid intra me loquuturus sit dominus de venturæ redemptionis mysterio, & 2.Petr.1. de venturæ salutis ordine ac tempore scrutabor, in quod, vel in quale tempus spiritus prædicat futurum illud iucundissimum, & optatissimum humanæ redemptionis beneficiũ, quibusq; rationibus id sit adimplendum: * id enim certo iam percepi, quod loquetur dominus verbum pacis & propitiationis super populũ suum, super genus hominũ, aduersus quem olim verbum indignationis protulit & maledictionis. 9. Super populum suum (inquam) hoc est, super omnes electos suos & fideles, qui crediturí sunt in eum, quicunq; oblatam sibi gratiam non respuerint, præeligentes in suis pristinis remanere impudicitijs: * & super eos qui conuertuntur ad cor, quicunq; suorum peccatorum considerata turpitudine, in semetipsis ad cor redeuntes meliora proposuerint, verã agentes pœnitentiã, dignosq; facientes pœnitentiæ fructus. 10. Et (vt generaliter dicam) salus ipsius propè erit omnibus timentibus eum, offeretur salus ista omnibus qui ipsum suscipient cum timore & reuerentia, quique verbis illius credulos se & obedientes præstabunt, neq; quisquã omnino hominum excludetur ab ea: * vt magnificentiã glorię eius reueletur atq; inhabitet in ista terra nostra, ita vt gloria diuinitatis inhabitet in loco isto miseriæ, quando ex filijs mortis & damnationis efficientur filij vitæ & gloriæ sempiternæ. 11. In hac autẽ generis humani amabilissima reconciliatione, misericordia & iustitia modo mirabili occurrerũt sibi, & velut obuiam processerũt in amplexus mutuos: * iustitia (inquam) & pax se inuicẽ amplexatę atq; osculatæ sunt, in amicitiæ & concordiæ signum. Siquidẽ in hoc tempore reconciliationis & gratiæ, misericordia & veritas siue iustitia & pax in vnitatem & concordiã mirabiliter tandem redactæ sunt, quæ ab initio velut ex aduerso videbantur contendere, & vsq; tunc modo quodam Apoc. 5. dissentientes, videbantur non posse in eandẽ conuenire sententiã. Exigebat enim seueram nimium satisfactionẽ iustitia, pro offensa humani generis, cum homo ipse nequaquã haberet quod pro reconciliatione persolueret: econtrario autem misericordia infinita remissionẽ quærebat liberalem, neq; exigendam putabat districtã talem solutionem, maxime cum is à quo exigenda erat nequaquã esset soluẽdo, imò, pauper esset, miser, & miserabilis, quo etiã amplius illi videbatur exhibenda miserationis liberalitas. Ad hunc ergo modum videbãtur ab initio contẽdere misericordia atq; iustitia, & iustitia paci se videbatur exaduerso opponere. Pacem enim hominis erga Deũ iustitiæ seueritas prohibebat, reconciliationis precium exposcens, nec aliter pacem volens tribuere,

Universidad de Deusto Biblioteca

tribuere, quantumuis misero. Attamen in temporis plenitudine, cum Deo placeret terram misericorditer respicere, & generis humani salutem operari, modo mirabili in concordiã redactæ sunt iustitia & misericordia, vtraq; in parte aliqua cedens alteri, vtraq; alteri secundũ aliquid condescendens, vt sic rediĝi possent in concordiã. Tali enim medio prouisum est, vt & iustitiæ satisfieret & misericordiæ, ita vt neutra iure posset conqueri. Et tamẽ neutra totum quod à principio videbatur postulare, accepit. Atq; huiusmodi facta compositione, in diuinitatis secreto concilio, quæ vsq; dum dissenserant, redactæ sunt in amicitiam, iuntq; inuicem se in testimoniũ pacis (vt ita loquamur) amplexatæ & deosculatæ. Quemadmodum facere solent qui à veteri inimicitia reuertuntur ad concordiam. 12. Quòd si quis interroget quomodo id fieri potuerit, ecce in hoc totũ est mysterium eius quod sub parabola verborum dicitur, quod verbũ caro factum est, quod filius Dei æterna veritas ipse carnem assumere, & de homine homo fieri est dignatus: ita de purissimo ac sanctissimo virgineo vtero absq; virtute virilis seminis sola operatione spiritus sancti, procedens, quomodo de terra gramen exurgit, à fœcunditate quæ illi inest ex diuino munere: * & in eo quod ipse, qui est vera iustitia, de cælo voluit prospicere, atq; ad nostra exire, nostrã assumere carnem, resq; nostras omnes & cuncta dissidia cõponere. Quid verò non posset ipse, qui veritas est atq; iustitia? Quomodo non sibiipsi posset satisfacere iustitia, posteaquam id quod ab homine exegit, per semetipsam voluit persoluere? 13. Et hoc quomodo intelligi possit, si dubitas, apertius audi, non humanum, sed pure diuinum esse huius operis mysterium. Dominus enim Deus omnipotens desuper dedit benignitatem gratiæ suę, omnium artifice spiritu sancto misso de cælo: cuius mirabili operatione fœcũ lata terra illa super benedicta virginei vteri, protulit nobis fructum salutis, filium Dei benedictũ, per quem salus venit mundo. Spiritus sanctus enim superueniet in terram vteri virginei, & virtus noua altissimi obumbrabit illi: ideoque & quod ex ea natum est, sanctum vocatum est, filius Dei. 14. Prius autem quam hic veniret humani generis redemptor atq; saluator, cõplacuit patri mittere angelum siue nuntium, qui præpararet viam ante eum: præcursorem seruum voluit præmittere, iustitiæ præconem, Ioannem Baptistam, qui pœnitentiam prædicando, & ad iustitiam homines erudiendo, plebem Israëliticam pararet venturo domino: * cuius peracto cursu, posuit deinde dominus ipse pedes suos in via, ad veniendum post illum præcursorem suum: postquam ille suum præcursionis officium peregisset, successit euestigio dominus, ante cuius faciem præcurrerat ille seruus, vt regnum cælorum euangelizaret pauperibus, & sua doctrina illuminaret mundum, operareturque omnia ad quæ missus fuerat à benedicto patre suo, cum quo viuit in vnitate spiritus sancti Deus in omnia sæcula benedictus, AMEN.

12 *Veritas de terra orta est:*

Ioan. 1.

* *& iustitia de cælo prospexit.*

Lucæ. 1. Matth. 1.

13 *Etenim dominus dabit benignitatẽ, & terra nostra dabit fructum suum.*

Ioan. 14.

Lucæ 1.

14 *Iustitia ante eum ambulabit:*

Malac. 3.

Lucæ 1. Matth. 3.

* *& ponet in via gressus suos.*

Esaiæ 49. Lucæ. 3.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXIIII.

VErsu 4. quinto, sexto, & septimo, Conuerte nos Deus salutaris noster, &c. Ita exposuimus in Elucidatione hos versus, vt sint oratio populi fidelis, facta iam generis humani redemptione, postulantis conuerti ad Deum, iram auferri, & misericordiam ostendi, ne perfecta per Messiam salute frustrentur. Non enim omnino ad omnes homines hæc salus ita se extendet, vt eam omnes assequantur. Plurimi enim seipsos facient oblata salute indignos, eo quòd non conuertantur ad Deum salutis authorem. Propter hoc videlicet, populus domini petit à Deo conuerti. Scit enim non posse nos conuerti ad dominum, nisi ille nos ad se conuertat. Id quod Hieremias Propheta apertè satis indicat, cum orando dicit, Conuerte nos Domine, & conuertemur ad te. Et iterum, Scio, quoniam non est in manu hominis via eius, nec viri est vt dirigat gressus suos. Possent tamen isti versus accipi vt prophetica oratio, in spiritu facta, pro adimpletione eorum quæ iam tribus primis versibus commemorauerat, id est, pro generis humani redemptione: vt eo quod venturum erat per modum præteriti proposito, ad illius ciusdem vt nondum exhibiti considerationem Propheta transiens, oret ipsum adimpleri in tempore suo. Cum quo recte etiam concordat, quod versu octauo, ac deinceps, accepta reuelatione interna de futura humani generis restitutione, pulcherrimo canit vaticinio. ¶ Versu 6. Deus, tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Psalterium Romanum pro passiuo conuersus, legit actiuum, conuertens, hoc modo, Deus, tu conuertens viuificabis nos. Et habet quidem lectio ista sensum bonum & commodum, Tu Deus conuertendo nos ad te, facies nos viuere. In hoc enim est hominis vita, si ad dominum Deum suum fuerit conuersus, quemadmodum econtrario mortuus est omnis qui à Deo est auersus. Veritas tamen lectionis huius habet, conuersus. Nam in Græco habetur ἐπιστρέψας, quod significat cõuersus vel reuersus. In Hebræo quoq; passiuum ponitur,

Hier. 31. Hier. 10.

A ponitur, hoc modo, Nónne tu conuerteris, viuificabis nos? vel, Certè tu conuerteris, siue reuerteris, viuificabis nos. Quod nostra quidem lectio verbo priori commutato in participium, pulchrè secundum eandem sententiam dixit Deus, Tu cõuersus viuificabis nos. Quod autem B. Hieronymus vertit, Deus tu reuertens viuificabis nos, quamuis secundum terminationem videatur magis conuenire cum participio conuertens; tamen secundum rem & significationem idem est quod cõuersus, Conuertitur enim Deus ad hominẽ, dum ad ipsum reuertitur: & auertitur ab homine, quoties ab homine recedit. Quantum verò ad sententiam, notandum, quòd sicut sole conuerso ad terram, atq; ex latibulo hyemis, verno tempore ad terram redeunte, omnia lætificãtur, resumuntq; vigorem, quæ eius autumnali hyemaliq; absentia fuerant velut emortua, omniq́ue destituta virore: sic hominum corda Dei absceſſu & auerlione omnino sterilia & infœcunda, omniq́ue virore virtutũ & vigore gratię destituta, Deo conuerso per gratiæ suæ placationem, viuificantur iterum, & accipiunt vigorem atq; virorem admirabilem in omni ornamento, spiritualium virtutum. ¶ Versu 8. 9. & 10. Quoniam loquetur pacem in plebem suam, Et super sanctos suos, &c. Videntur hæc sic per coniunctiones adinuicem iuncta, non diuersis modis esse exponenda, sed pro eodem accipienda, vt sequentia exponant præcedentia, quomodo frequenter fieri solet. Plebs enim Domini qui sunt, nisi sancti eius? & sancti domini qui sunt, nisi qui conuertuntur ad cor? & agentes pœnitentiam mali præteriti, credunt & obediunt

B Deo. Et hi ipsi sunt qui verè censentur timere dominum, quibus salus est propinqua. Vnde illud veruntamen, versu decimo, non significat aduersationem, sed prius dictorum potius completionem vel explanationem. Valet enim illud veruntamen, ac si dicas, quinetiam: vt sit sensus, Quin prope timentes eum: vel, Imò verò prope timentes eum, salutare ipsius. Nonnulli tamen particulas istas omnes distinguunt, dicentes, per sanctos intelligi perfectos: per eos qui conuertuntur ad cor, pœnitentes & imperfectos. Per timentes autem, Iudæos timore pœnarum seruientes, prope quos fuit salus, quoniã salus ex Iudæis orta est, iuxta Saluatoris testimonium. Prior tamen expositio videtur conuenientior. Neque scripturis est infrequens, ita rem eandem pluribus dictionibus explicare. ¶ Versu 11. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Prouerbialis vsus loquendi habet, vt qui mutuo sibi aliquà in parte cedendo, in vnitatem pacis atque concordiæ conueniunt, dicantur sibi inuicem occurrere vel ire obuiam, quod est obuiare: quomodo vulgo dicimus, virum vt perfectiorem, debere subinde mulieri obuiam ire, & mulierem & subiectam & inferiorem debere frequenter suo marito ire obuiam. Nam inter coniuges sibi mutuo obuiare nescientes aut nolentes, rara admodum pax esse poterit. Quoniam videlicet non semper extremum iustitiæ rigorem mordicus tenere debent coniuges pacẽ quærentes, sed frequenter inuicem donare & condescendere debent, & suo iuri frequenter cedere, ac dissimulare aliquid & tolerare, pacis gratia: id est, non semper expostulare, neque semper iurgia conci-

C tare ad omnem occasionem. Ac iuxta hanc loquendi consuetudinem, in Elucidatione obuiationem istam sumus interpretati, insequentes hac in parte melliflui Bernardi sententiam, qui ad eundem modum pulcherrimè dulcissimeq́ue præsentem locum enarrat in sermone de annunciatione: vbi prolixis dissertationibus introducit loquentem misericordiam pro hominis redemptione, iustitiam verò exaduerso pro hominis condemnatione, easq́ue facit velut exaduerso causam dicere coram tribunali & consistorio beatissimæ Trinitatis: atq; post multa, iudicis sententiam proponit, dissentientes (vt videbatur) concordantem: in eo scilicet quòd beata Trinitas, pro homine redimendo, filium in diuinis voluit carnem assumere & humanari, vt homo factus ipse manens verus Deus, pro omnium hominum peccatis moriens, iustitiæ satisfaceret vindictam expoſcenti, nec absque condigna satisfactione volenti peccatum dimittere: & nihilominus satisfieret misericordiæ; pro humani generis reconciliatione solicitissime agenti: ita tamen, vt nequè hæc, neque illa totum quod videbatur postulare obtinerent. Misericordia enim voluisset gratis statim peccatum omne & debitum vniuersum dimitti. Iustitia verò voluisset illum ipsum qui peccatum commiserat satisfactionem dare, & reconciliationis de semetipso persoluere precium. Neutra verò totum hoc quod postulare videbatur

D planè acceþit, sed vtraq; aliqua in parte rigori suæ exactionis debuit cedere. Iustitia enim non potuit summum ius persequi, neq; consequuta est. Misericordia etiam non totum potuit gratuita donatione impetrare. Per mediatorem tamen Christum, iustitiæ satis est factum, vt nõ habeat quod conqueratur, pro homine puro voluntarie ex charitate summa illo mortuo, qui homo simul & Deus erat. Misericordia quoq; licet cum multa difficultate, ac tandem post multa tempora, obtinuit tamen, vel tandem, quod voluit, nempe hominis reconciliationem: ac proinde non est in totum frustrata. Hæc omnia mellifluus ille Bernardus, loco suprà allegato, diffusius & dulcissime prosequitur. Alij verò hanc obuiationem intelligunt concursum & coniunctionem. Concurrerunt enim, & pariter conuenerunt, atq; coniunctę sunt misericordia & iustitia in redemptione generis humani. Neq; enim solius misericordiæ hoc opus erat, quæ sola maluisset hominem simpliciter absq; satisfactione recipere in gratiam. Neq; solius erat opus iustitiæ; quæ sola nunquam Deum innocentem feciſſet pro homine impio ad tam vilia descendere. Sed misericordia & iustitia simul conuenerunt, hocq; admirabile effecerunt consiliũ. Quanuis posit per veritatẽ etiam aliud intelligi, nempe fidelitas & veritas promissionum Dei. Misericordia enim & veritas simul adfuerunt in Christi incarnatione, & humana reconciliatione. Dei misericordia, id est manifestũ. Erat enim hoc opus maximæ profundissimæq; miserationis. Veritas autem & fidelitas non defuit. Quia enim mentiri Deus aut fallere non nouit, promissiones patribus factas in tempore suo debuit implere. Vnde & aliàs in sacris literis hæc duo, videlicet misericordiam & veritatem, coniuncta inuenimus, cum humanæ reconciliationis faciunt mentionẽ. Beata nanq; virgo Maria, in suo gratulatorio cantico mysterium humanæ reconciliationis pandens,

ita cecí-

Universidad de Extremadura Biblioteca

Lucæ.1. ita cecinit, Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: Sicut loquutus est ad patres E
nostros, Abraham, & semini eius in sæcula, Vbi dum priore loco dicit, Recordatus misericordię sue:
Ibidem. aperte misericordiam exprimit. In eo autem quod sequitur, Sicut loquutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius, tacitè veritas atque fidelitas indicatur. Zacharias autem & ipse plenus spiritu sancto, licet priore loco veritatem proponat, dicens, Sicut loquutus est per os sanctorum, &c. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, &c. ante tamen conclusionem cantici, apertissime meminit misericordię Dei nostri, in quibus visitauit nos oriēs ex alto, &c. ¶ Versu eodem, Iustitia & pax osculatæ sunt. Quanquam hæc pars conformiter ad præcedentem rationabilius videatur intelligenda de reconciliatione iustitiæ & pacis, quæ ante Christi incarnationē adinuicem videbantur repugnare (quoniam iustitia pacem super humanum genus prohibere videbatur) Christo autem humano amicitia sunt coniunctæ, & admisit iustitia pacem, nec vltra prohibuit: attamen posset etiam aliter intelligi, de iustitia nō ipsius Dei sed hominis, qua corā Deo iustus est, & quæ à Deo homini procedit, deq; pace non totius generis humani, sed qua anima iusta pacem habet cum Deo. Hoc enim modo iustitia & pax in tempore gratiæ se osculātur, quoniam adinuicē coniunguntur & coūniuntur nexu admirabili, ita vt non sit vnum absq; altero. In quocunq; enim est iustitia, in
Esaiæ 57. eodem & pax est erga Deum: & qui iustitiam non habet, pacem non habet erga Deum. Per iustitiam
enim veram, quæ corā Deo est, pacē quoq; veram habemus. Non enim (iuxta prophetæ testimoniū) F
pax est impijs. Hoc ergo modo secundum metaphoram, iustitia & pax se osculantur, siue amplexantur, sibiq; inuicem cohærent, & mutuo se comitantur. ¶ Versu 12. Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Nos in Elucidatione illam intelligimus veritatē, quæ de semetipsa in sacro Euan-
Ioan.14. gelio loquitur, dicens, Ego sum via, veritas & vita: itemq; iustitiam illam de qua Paulus scribit Apo-
1. Cor.1. stolus, Qui factus est nobis (inquiens) sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Hæc enim veritas de terra orta est, siue de terra germinauit aut pullulauit, quando de virgine benedicta Maria, carne assumpta, Dei filius nasci dignatus est. Prospexit nihilominus de cælo hæc ipsa nostra
Ioan.16. iustitia & veritas, quoniam exiuit à patre, & venit in mundum, vt res humanas restitueret. Prospicere autem istud intelligere possumus, vel deorsum aspicere, vt significetur, iustitiam quæ vsque ad temporis plenitudinem auersa videbatur à nostro genere, iam tandem caput extulisse ad prospiciendum super nos, & ad componendum nostrum miserabile negotium: quomodo & in alio Psalmo scribi-
Psal. 101. tur, Quia prospexit de excelso sancto suo, dominus de cælo in terrā aspexit: vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum. Vel prospicere istud intelligatur prodire, siue exire & descendere, vt iustitiam prospexisse de cælo sit, Dei filium de patris sinu prodijsse, & exijsse de summo cælorum ad ima mundi, Quanuis posset hæc iustitia rectè intelligi ipsa quæ in animabus nostris
à Deo gratuito ipsius munere infunditur. Incarnato nanque Dei filio, & veritate de terra exorta iu- G
Rom.3. stitia simul & pax vera de cælo manauit in corda nostra, ita vt clamaret Apostolus ac diceret, Iustitia
Rom.5. Dei per fidem & ex fide, in omnes qui credunt in eum. Et rursum, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Quidam etiam veritatis de terra ortū siue germinationem secundum metaphoram exponūt, dicentes, per veritatis germinationem de terra, & iustitiæ prospectum vel emanationem de cælo, non aliud significari quàm fœcunditatem spiritualium charismatum, & omnis verè boni abundantiam, in tempore gratiæ: quasi dicat Propheta, Tanta erit in tempore gratiæ spiritualium bonorum abundantia, vt terra non aliud videatur quàm veritatem germinare, neque cælum aliud quàm iustitiam depluere. Cum enim quid desuper simul & de subtus prouenit, non potest non esse illius rei maxima abundantia: quemadmodum in diluuio illo celeber-
Gene.7. rimo quod per arcam euasit Noë, desuper veniente pluuia per dies plurimos absque cessatione & ruptis abyssi fontibus à subtus ascendentibus, aquas copiosissimas legimus excreuisse. Atque ita etiam quod sequitur. Etenim dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum, exponunt non de fœcundato virgineo vtero, nec de spiritus sancti super illam obumbratione, sed de irrigatione spirituali animarum fidelium, totiusque Ecclesiæ. Dat nanq; dominus, & mittit desuper benignitatem beneplaciti sui, benedictionemque gratiæ suæ, & terra cordis nostri huiusmodi salutari imbre
Phil.2. irrigata profert fructum suum. Deus enim (iuxta Apostoli sancti testimonium) est qui operatur in H
1. Cor.15. nobis velle & perficere pro sua bona voluntate: quique nobiscum, & in nobis operatur omne bonū: quemadmodum idem ille testatur, dicens, Non ego, sed gratia Dei mecum. Itaq; terram intelligunt, vel ipsam fidelium Ecclesiam: quam recte terram nostram appellamus, quicunque in Christum credimus: vel ipsa singulorum fidelium corda, quæ singuli velut singulos agros susceptmus colendos de manu Domini. Conformiter quoque & nouissimum illum versum, Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos, exponunt non de præcursore, iustitiæ præcone, vt nos exposuimus, sed de iustitia in cordibus fidelium: quam antę Deum quodammodo ambulare dicunt, quatenus habitaculum Deo in cordibus fidelium præparat, videlicet quia non nisi ad illos Deus accedit, neque nisi in illis habitare dignatur, qui pœnitentiam agunt veterum delictorum, & in sanctitate iustitiaq; Deo placere studeant. Quæ expositio licet nequaquam videatur improbanda, nos tamen in Elucidatione maluimus versus quatuor istos nouissimos de mysterio incarnationis Christi, & humanæ reconciliationis apertius interpretari. Omnino enim singularia quædam in hoc Psalmo sacer vates sibi indicat reuelata, cum ante horum descriptionem speciali modo præmittit, Audiam quid loquatur in me dominus Deus. Propter quod omnia ista ad mysterium incarnationis, & modum humanæ reconciliationis specialiter accommodauimus, vti monstrat aperte satis Elucidatio. Et ne quis arbitretur hanc expositionem nos de capite nostro confingere, & in fauorem sacratissimę nostrę fidei, sciendum est,

præter

A præter antiquorū patrum Latinorum expositiones, etiā veteres Hebræorum Rabbinos ad singularē Messiæ natiuitatem ista retulisse, quæ hic de ortu veritatis è terra dicuntur. Nam Rabbi Moses, in annotationibus super hunc locum, Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit, ita scripsit. Et quur dixit, crescet, siue orietur, siue pullulabit, & non dixit, nascetur? Quoniam nimirum generatio, siue natiuitas eius, non erit similis generationi siue natiuitati creaturarū quæ sunt in mundo, imò diuersa & distans erit absque socio & cōiunctione. Et hic erit saluator noster & iustus noster quem mittet Deus. Et hoc est quod dicit, Vtique Deus dabit bonum vel benignitatē, & terra nostra dabit fructum suum. Hæc ille. In qua expositione manifeste cernimus, indicari virginitatem matris Messiæ nostri, quæ dicitur absque socio & cōiugatione fructum editura, & nouo generationis modo præter naturam paritura. ¶ Versu penultimo, Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Cùm de beata virgine præsentem versum exponimus, hanc benignitatem referre possumus non solū ad ipsam vteri eius fœcunditatem, verumetiam ad animæ eius in omnibus spiritualibus bonis copiosum ornatū. Prius enim Dei Benignitas copiosissime impleuit eius mentem quàm ventrem, prius animam omnibus ornauit pretiosissimis donis, quàm vterum grauidauit puerilibus membris: prius arcam omni ornatu fecit expolitam, quàm cæleste manna in ea reposuit. Et in vtro- Rom.11.
B que horum dominus suam dedit benignitatem, vt digna fieret hęc nostra terra talem nobis dare fructum, vt de tam sancta terra tam sanctus procederet fructus, vt esset sancta delibatio sicut & massa: esset radix sancta, vt erat ramus ille sanctus à principio, qui in tempore ex ea erat processurus: esset Esaiæ 11.
denique virga sancta de radice Iesse, vnde flos ille Nazareus debuit ascendere, in quo erat accepturus requiem spiritus domini. Cæterū, quomodo hæc virgo beatissima simul & fœcūdissima, terra nostra dicatur, fideli cuilibet non est obscurum. Quomodo enim nō nostra terra est, quæ nobis ab æterno ordinata atque præparata est, & in tempore nata, in tempore sanctificata, in tempore spiritu sancto fœcundata, vt nobis fructum proferret nostræ salutis æternæ? Nónne enim terram nostram iuste appellabimus, quæ nobis suum progignit fructum, vnde pascimur, nutrimur, & viuimus? ¶ Versu vltimo, Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos. Partem istam in Elucidatione exposuimus de præcursione Ioannis Baptistæ, qui præco fuit iustitiæ, quēadmodum ex sacris Euangelijs manifestissime cognoscimus. Quicquid enim docuit, iustitia erat. Docuit enim homines agere pœniten- Luc.3.
tiam, & quid iustius? Docuit pœnitentiæ fructus dignos facere, & quid iustius? Turbas docuit mutuo Matth.3.
sibi succurrere alimenta & vestimenta impartiendo non habentibus: & quid iustius? Milites docuit Ibidem.
neminem concutere, nemini calumniam facere: publicanos monuit nō amplius, quàm quod constitutum est, exigere: & hæc nónne ad iustitiam spectant? Denique quod Herodem arguit propter vxo- Luc.3.
C rem Philippi fratris sui Herodiadem, dicens: Non licet tibi habere eam, nónne & hoc palàm ad iustitiam attinet? Merito ergo iustitiæ præco speciali appellatione nuncupari potest Ioannes, qui tandem pro iustitia, vltra omnem exhortationem, etiam vitam impendit, & seipsum superimpēdit. Quòd autem Prophetæ occultum non fuerit mysterium præcursionis huius, etiam ex alio Psalmo aperte satis cognoscimus, cùm in fine Psalmi 31. de populo fideli loquens, ita ait, Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo. Quo in loco per cornu Dauid, Christus Dominus: per lucernam verò ipsius Christi præcursor Baptista intelligitur, quemadmodum in expositione eius Psalmi prolixius tractatum videre licet. In sequenti autem parte, Et ponet in via gressus suos, satis ambiguum & incertum videtur, quid debeat subaudiri pro supposito verbi, ponet. Quidam pro supposito intelligunt iustitiam, ad hunc sensum, Iustitia ponet in via gressus suos, quod ita intelligūt. Iustitia disponet suos gressus ad viam, quia videlicet iustitia facit hominem non stare, non quiescere, sed ambulare de bono in melius, facitque homines perambulare vias rectas & bonas. Alij iustitiam pro supposito accipiunt, sed pro suos legunt eius, vt sit sensus, Iustitia ponet gressus Domini in via, id est, facit dominum aduenire in corda fidelium. Facilius tamen est & melius, vt pro supposito verbi ponatur ipse dominus, iuxta sensum in Elucidatione expositum, Iustitia ante eum ambulabit, & ipse ponet gressus suos in via, id est, præcurret Christum iustitię præco, & ipse deinde subsequetur cuestigio Dominus,
D ante quem seruus ille fuit prę missus. Cui cōsonat quod turbis prædicās Ioannes, dicebat, Veniet for- Ioann.1.
tior me post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius. Est hæc cōstructio omnium aptissima. Nam qui iustitiam pro supposito ponunt, & gressus suos proprie accipiunt, his lectio Græca reclamat, quæ relatiuum habet masculini generis, hoc modo, καὶ θήσει ἐις ὁδὸν τὰ διαβήματα αὐτοῦ. Qui verò iustitiam pro supposito ponunt, & gressus suos exponunt gressus domini, his proprietas relatiui suos, obsistit. Iuxta nostram autem suprapositam expositam expositionem, nullum est incommodum, neque in sermone, neque in veritate.

LXXXV. PSALMI ARGVMENTVM.

FOrmā orandi est hic Psalmus, quēadmodum & titulus indicat: in quo considerans homo suam ex semetipso imperfectionem & indigentiam, à Deo postulat custodiā & misericordiā, cuius bonitatē & potentiā miris extollit modis, vsque ad versum decimum: vbi deinde à Deo in via bona dirigi, et in spiritu lętificari deposcit, promittens confessionem laudis Deo misericordi suo liberatori, per quem se agnoscit ab inferni profundo liberatum, per quem & in posterum orat ab inimicis insurgentibus liberari, sibiq; in bonum fieri signum salutis, vt confusis impijs persequutoribus, ipse lętetur in domino. Quidam hanc orationem peculiariter Christo attribuunt, illum introducentes loquētem ad patrem pro se ac suis fidelibus. Nos autem in Elucidatione maluimus generali expositione ad quemlibet fidelem Psalmum accommodari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LXXXV. PSALMI ELVCIDATIO.

DEus pijssime, qui propè ades omnibus inuocantibus te in veritate, qui adiutor es in tribulatione, & in opportunitatibus, inflecte nunc aures misericordiæ tuæ ad precem meam, & benignum mihi præbe auditũ orantemque exaudi pro tua misericordia: *ego enim qui coram te nunc fundo precem meam, verè egenus sum & pauper, à memetipso nihil habẽs, nisi quæ tua liberalitate accipio: qui absque te sum cæcus, nudus, pauper, miser, & miserabilis: propter q; meã paupertatem agnoscens, ad te ditissimum dominum confugio, vt de tua liberali abundantia nimiæ meæ succurratur inopiæ. 2. Conserua me domine in vita, protectione custodiæ tu me custodi, vt non morte afficiar, & non mihi auferatur vita animæ ab aduersarijs meis, quorum est hoc summum studiũ: sum enim sanctificatus munere spiritus sancti tui, tu sanctificasti animam meam tibi in habitationem, & in templum me consecrasti, per vnctionem spiritus tui: propter quod, me consecratum tibi ac dedicatum, oro, diligenter, fideliterque custodias, ne fortè pollui me contingat ab hostibus id super omnia quærentibus: * ita domine saluũ fac me pauperculum famulum tuum, ex bonæ voluntatis desiderio tibi seruire cupientem, ab omnibus periculis in quibus versatur anima mea: maximè cùm ego omnem habeam in te repositam fiduciam, & de tua bonitate tuoque auxilio confidam plenissime, qui nunquam derelinquis sperantes in te. 3. Ostende mihi misericordiam tuam, miserator Deus, quam iugiter continuis precibus clamans ex toto cordis affectu postulo, pro qua consequenda tota die clamo ad te: * lætam fac animam serui tui benigna exauditione tua, quoniam toto conatu cor meum in oratione ad te eleuaui, quoniam ab omnibus quæ sunt in mundo visibilibus atque delectabilibus auulsi mentem meam & desiderium meum, vt tibi pura mente & mundo corde totus intenderem, sicque fieret mea oratio tibi magis accepta & exaudibilis. 4. Cognoui enim, & certe mihi persuasum habeo de te, quòd non sis tu (vt vulgo sunt potentes inter homines) durus, morosus, & crudelis, sed magis benignus, placidus & dulcis, quem facile sit prece flectere: mitis quoque & propiciabilis, ad dimittendum pœnitentibus pronus ac facilis: item quòd sis magnæ & infinitæ misericordiæ, ad concedendum postulata humiliter petentibus: *idque non erga vnum tantum aut alterum, non erga hanc gentem solam aut solam illam, sed erga omnes indifferenter, absque personarum acceptione, quicunque ex fideli corde te inuocant in veritate, ad eum modum quo tu vis & nos decet te inuocare. 5. Qua consideratione ego animatus, spe exauditionis concepta, fidenter ad te fundo orationem meam, petens, vt aures tuæ misericordiæ ad eam dignanter accommodes, vtique voci deprecationis meæ benignus intendas: vt si iustum & bonum inueneris quod propono, benigne illud adimpleas. 6. Hoc enim mihi consuetudinarium est, hoc vetus ac solitum mihi est refugium, in omni mihi obueniente tribulatione, vt ad te leuem vocem clamoris mei, vt ad te clamans, & orans confugiam: * quoniam te domine fidelem semper inueni auxiliatorem, non soles repellere humiliter deprecanté, sed benigne potius exaudire & opportunum ferre auxilium pro tuo beneplacito. Propter quod, olim non semel tui auxilij fidem expertus, semper in angustijs ad te volo confugere. 7. Et quem alium possem ego cõmodiorem inuocare auxiliatorem, aut ad quem cõfugere protectorem meliorẽ, q̃ ad te domine Deus meus? Non est enim in omnibus diis, qui sit tibi similis: nõ est in omnibus potentibus, siue angelorum bonorũ vel malorũ exercitibus, siue in sæculi potentibus quisquã, qui tibi valeat cõparari: siue potentiam spectemus, siue veritatem & fidelitatem, siue etiam bonitatem & misericordiam: neque in omnibus dijs gentium qui falsa appellatione dij nominantur, quisquã potest inueniri similis tui, qui sic possit subuenire inuocãtibus: * & non est quisquã similis tui in operibus, qui possit operari similia eorum quæ tu facis, opera tantæ potentiæ & virtutis, cuiusmodi tu monstras in omnibus. 8. Propter quam super omnes præcellentiã, cunctæ nationes populorum, quas tu tam secundũ animam, quàm secundum corpus creasti venient ante conspectum tuum, teque adorabunt, ô rex regum & domine

Pſal.144. Pſal.9. Apoc.3. 1 *Inclina domine aurem tuam, & exaudi me:* *quoniam inops & pauper sum ego.*

2 *Custodi animã meã quoniam sanctus sum:*

Pſal.9. ** saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.*

3 *Miserere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die:* *lætifica animã serui tui, quoniam ad te domine animam meam leuaui.*

4 *Quoniam tu domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ:* ** omnibus inuocantibus te.*

5 *Auribus percipe domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.*

6 *In die tribulationis meæ clamaui ad te:* **quia exaudisti me.*

7 *Non est similis tui in dijs domine:*

** & non est secundum opera tua.*

8 *Omnes gentes quascũque fecisti, venient,*

& adorabunt coram te domine: ** & glorificabunt nomen tuum.*

9 *Quoniam magnus es tu, & faciẽs mirabilia:* **tu es Deus solus.*

10 *Deduc me domine in via tua, et ingrediar in veritate tua:* ** lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.*

11 *Cõfitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in æternum.*

12 *Quia misericordia tua magna est super me:* ** & eruisti animã meã ex inferno inferiori.*

13 *Deus iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quæsierũt animã meã:* ** & non proposuerunt te in conspectu suo.*

14 *Et tu domine Deus miserator & misericors:* ** patiens, & multæ misericordiæ & verax:*

15 *Respice in me, & miserere mei:* ** da imperium tuũ puero tuo:*

** & saluum fac filium ancillæ tuæ.*

ne dominantium: * dabuntq; gloriã, & honorẽ exhibebunt magno nomini tuo. Veniet enim tẽpus, quãdo tibi flectetur omne genu cælestiũ, terrestrium, atq; infernorũ: quando ante te cõgregabuntur omnes gẽtes, quãdo omnes manifestabuntur & exhibebuntur ante tribunal tuũ, vt referat vnusquisq; prout gessit in corpore, siue bonum, siue malũ: quãdo, velint, nolint, cogentur omnes tuæ maiestatis superexcellentiã agnoscere, teq; solũ vt verum Deum & supremum iudicem adorare, ac tuæ obedire sententiæ. 9. Et id quidem optimo iure. Tu enim verè es in omnibus, & per omnia magnus, id quod & in opere potẽter ostẽdis, dũ operaris pro tuo placito admirabilia quæcunq; volueris: * profecto tu solus es Deus viuus & verus, & nõ est extra te alius. 10. Vt autem tibi sicut iustum est syncerã valeam seruitute placere, quæso, si tu mihi ductor atq; director in via præceptorum tuorum, per quã tu nos ambulare voluisti, nequando aberrem à via recta aut declinem, siue ad dexterã siue ad sinistram: & tuo ducatu directus ambulem in veritate & æquitate iustitiæ tuæ, alienus ab omni iniquitate & iniustitia: * fac lætari in te sancta lætitia cor meum, fac me sancto gaudere gaudio in dulcedine spiritus tui, vt debito timore & amore reuerear nomen tuũ, vt gustata paternæ suauitatis dulcedine cor meum in hilaritate te discat reuereri, ad eum modũ quo filium decet timere atq; reuereri nomen paternum. 11. Confessione laudis ego te celebrabo domine Deus meus, ex toto affectu cordis mei: & nomen tuũ sanctum atque in sæcula benedictũ ego laudabo & glorificabo, donec viuã in perpetuis æternitatibus, ita vt in perpetuum nunquã penitus deficiat laus tua ab ore meo. 12. Neque illud quidem immerito, quoniã quidem misericordia tua erga me magna est nimis, quoniam misericordiam maximam mihi demonstrasti, egistiq; mecum misericorditer valdè supra quàm explicare aut etiam cogitare possim: * & tu saluasti animam meam à profundo lacu inferni, tu me tua benignissima custodia præseruasti & custodisti à dãnatione mortis & inferni, in quo paulominus habitasset anima mea, nisi tu Domine me adiuuisses. 13. Ecce enim, Deus pijssime, impij dæmones, eorumque ministri & membra, homines peruersi, feroci animo & crudeli proposito insurrexerunt aduersum me: & congregatio fortium, qui me (quantum ex memetipso) multo sunt potentiores, conantur me perdere, & morte afficere: * & non habent te dominum Deum ante oculos, non te metuunt, nõ est timor tui ante oculos eorũ, vt desistant à suo peruerso proposito, à perditione innocentis: * Nõ etiam attendunt te, neq; considerant, quòd tu sis mihi auxiliator: atque idcirco tantum me in memetipso considerantes, & meam debilitatem cum sua fortitudine conferentes, ita confidunt se mihi posse præualere, nec verentur oppugnare seruum tuum. 14. Ego verò nequaquam in memetipso cõfido, neq; in propria virtute spem habeo, sed in te domine Deus meus, qui semper tuis supplicibus misereri es solitus, & cuius sunt miserationes à sæculo super omnia opera tua, quẽadmodum & es natura misericors, imò ipsa immensa & inexhausta misericordia: * qui es insuper longanimis & patiens in dissimulando peccata hominum & differendo vindictã, quo sic per longanimitatem peccatores inuites ad pœnitentiã: multæ quoq; misericordiæ, nimirum infinitæ & inexhaustæ, per quam semper es paratus redeuntes per pœnitentiam recipere in gratiã, & nihilominus verax, iustissimus videlicet remunerator omnium humanarũ actionum, & fidelis in omnibus verbis ac promissionibus tuis. 15. In te (inquam) est spes mea omnis & tota fiducia, tu benignis misericordiæ tuæ oculis in me seruum tuum aspice, & misericordiam tuam ostende mihi: dum illi ecõtrario, omni studio & toto conatu mihi machinantur mala, vt tua misericordia adiutus illorũ possim feritatem effugere, ne mihi iuxta desiderium suũ præualeant: * da mihi seruo tuo ex bona voluntate tibi famulari cupienti, imperium, dominiũ, & victoriã super inimicos meos: da mihi fortitudinem per quã illos possim superare atq; subijcere mihi, per quã exaltari valeã, super illos, illisq; euadere superior: * ab omnibus inimicis saluum fac me, qui sum filius ancillæ tuæ, Ecclesiæ sanctæ ancillæ tuæ, quæ me tibi per fidem & verbum tuum in spiritu sancto genuit: * qui etiam sum pauperculæ matris meæ, humilis tuæ ancillæ filius. Sum enim ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ, quoniam & ego seruus tuus sum, & mater mea tua est vernacula atque ancilla: quoniam æque & ego & omnes progenitores

Rom. 6. Phil. 2. Matth. 13. 2. Cor. 6.

Pſal. 93. & 85.

Pſal. 24.

Rom. 2.

Pſal. 144.

*16 Fac mecũ signũ in bono: * vt videant qui oderunt me & confundantur, quoniã domine adiuuisti me & consolatus es me.*

nitores mei, serui tui sumus. 16. Ostende erga me signum aliquod misericordiæ & beneplaciti tui, quo possint cognoscere aduersarij mei quòd te habeam mihi propitium & protectorem: demonstra indicio aliquo liberationis gratuitæ, quòd tibi sit in me beneplacitum: * vt hostes mei qui me implacabili odio persequuntur: id videntes, confundantur & erubescant, cùm viderint me tuo auxilio defensum atque munitum, & tua consolatione sancta corroboratum, vt nulla illis spes esse possit de me obtinendi impium suum desiderium & iniquum propositum.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXV.

VErsu 2. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Si de Christo domino singulariter Psalmus exponatur, nullum est dubium, quomodo sanctum ipse se iuste possit asserere, cùm sit sanctus sanctorum, sanctificans omnia: qui non ad mensuram accepit spiritum, vt esset absque mensura sanctus. Si verò ad vnumquemque fidelem dicamus pertinere Psalmum (iuxta Elucidationis processum) nec sic quidem difficile est intelligere, quomodo fidelis ex testimonio bonæ conscientiæ se dicat sanctum, videlicet participatione plenitudinis Christi. Nam vt ille per spiritum acceptum non ad mensuram, sanctus est non ad mensuram: ita singuli nos de eius plenitudine accipientes, sanctificamur in spiritu eius, efficimurque ad mensurã sancti. Vnde Paulus Apostolus ab idololatria ad Christum conuersis Corinthijs, Et hæc (inquit) aliquando quidem fuistis, id est, idolis & peccatis seruientes, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. In eodem quoque capitulo, etiam mẽbra & corpora nostra quomodo sancta sint, declarat, dicens: Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Et iterum, An nescitis quia membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Sanctificamur ergo quicunque spiritum Christi accipimus, primum quide in membra Christi, vt illius sancti sanctorum membra simus, sitque ille caput nostrum. Deinde, vt templum simus spiritus sancti, atque adeò totius superbenedictæ Trinitatis. Merito proinde incessanter clamemus ad dominum, dicentes, Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Nisi enim dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilant custodes. Attamen omni diligentia curandum nobis est, vt in quo sanctificati sumus, in eo permaneamus: ne semel facti membra Christi, iterũ efficiamur membra diaboli, & ne semel facti templum spiritus sancti, iterum efficiamur mancipia & habitaculum spiritus maligni. Non est enim æquum tollere membra Christi, & facere membra diaboli: neque iustum est conspurcare templum Christi, & facere habitaculum diaboli. ¶ Versu 3. Lætifica animam serui tui, quoniam ad te domine animam meam leuaui. Diligenter nota, quod addit, Quoniam ad te domine animam meam leuaui. Hic enim ordo seruandus est, vt qui lætificari quærunt à domino Deo suo, qui diuinis refici exoptant cõsolationibus, ad Deum studeant toto conamine leuare suas animas. Quæ enim in imis huius mundi, in fæcibus & cœno temporalium voluptatum adhuc immersæ iacent, capaces non sunt cælestis illius & diuinæ lætitiæ. Quæ autem semetipsas ex lutoso illo cœno temporalium extricantes, ad æterna erigunt, ad Deum se leuant, temporalem & vanam lætitiam abnegantes, iuxta quod in alio Psalmo spiritualis homo loquitur, dicens: Renuit consolari anima mea. Huiusmodi merebuntur diuinis consolationibus & castissima spiritus iocunditate visitari & oblectari. Sed & in alijs compluribus locis, quoties Propheta magnum aliquid à Deo postulat, hoc inuenimus specialiter ipsum præmittere, quòd animam suam eleuauerit ad dominum. Veluti Psalmo 24. Ad te domine (inquit) leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam, Neque irrideant me inimici mei. Et Psalmo 142. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam: Eripe me de inimicis meis, domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam. Videlicet hoc modo orandi significare volens, frustra nos quæ sunt Dei expectare aut postulare, nisi ad illum satagamus leuare animas. ¶ Versu 4. Quoniam tu domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Datiuus ille nouissimo loco positus, omnibus inuocantibus te, refertur ad singula præcedẽtium trium, hoc modo, Tu Domine suauis es omnibus te inuocantibus, tu mitis es omnibus te inuocantibus, tu es multæ misericordiæ omnibus inuocantibus, id est, erga omnes inuocantes es copiosus in misericordia & multum misericors. Potest autem inter hæc tria apta quædam poni distinctio. Est enim Deus suauis, id est, benignus & dulcis. Nam in Græco ponitur χρηστὸς, quod significat benignum, & in Hebræo tof, quod significat simpliciter bonum. Est enim Deus benignus omnino & bonus, benigne & dulciter agens cum seruis suis, pauca ab illis & factu facilia exigens, neque nisi quæ illis vtilia sunt, insuper etiam ad perficiendum illos fideliter adiuuans. Secundo autem loco in Græco habetur ἐπιεικὴς, id est, modestus & mitis, videlicet qui non à pœnitentibus peccatoribus extremum exigit, neque extremum sequitur iustitiæ rigorem, summum ius exigendo extremámve solutionem exposcendo, sed facile placari permittit, facile recipit in gratiam redeuntes. Nam hæc est virtus iustitiæ, non extremum sequi iuris rigorem, sed dispensare ac dissimulare nosse pro loco & tempore, conditione personarum expensa. Et hanc significationem habet etiam vox Hebraica hoc loco posita, quæ venit à verbo salach, quod significat dimisit vel propitiatus est. Vnde dictio hoc loco posita valet fere idem quod propiciabilis, vel facilis ad dimittendum: quemadmodum & beatus Hieronymus vertit, bonus & propiciabilis. Felix adijcit, vel parcens id est, ad parcendũ facilis. Apertius etiam hoc ipsum indicat Chalda. Paraphrasis, quæ sic habet, Quoniam tu Deus bonus es, iustus, & re-

Ioan.3. Ioann.1. 2.Cor.6. Psal.126. Psal.76. Psal.24. Psal.142.

& remittis ijs qui conuertuntur ad legem. Inueniuntur autem duo hæc, quæ Psalmista hic connectit, etiam Paulus quodam in loco coniunxisse, vbi Corinthios obsecrat per mansuetudinem & modestiam Christi. Quod enim mãsuetudinem dicit, ad suauitatem pertinet: quod vero modestiam, ad istã mititatem. Nam pro modestia idem vocabulum ponitur iustitia, cuius hic ponitur adiectiuũ. Quod autem tertio loco ponitur multæ misericordiæ, siue copiosus misericordia, id generale est tam ad peccatorum dimissionem, q̃ ad beneficiorum exhibitionem spectans. ¶ Versu 8. Omnes gentes quascũque fecisti, venient, & adorabunt corã te domine. In Elucidatione hunc versum exposuimus de nouissimo iudicij magni die, quando omnes exhibebuntur ante tribunal iudicis: & palam omnes boni atque mali corã eo astabunt iudicãdi, iuxta illud Propheticum, Viuo ego, dicit dominus, quoniã mihi flectetur omne genu, Potest tamen intelligi de conuersione populorum in tempore gratiæ, quando exeũte sono prædicationis Apostolicæ in omnes fines orbis terrarũ, ex omnibus gẽtibus aliqui conuersi sunt ad fidẽ Christi, qui ipsum adorauerũt & glorificauerunt, vt summũ & verũ Deum. ¶ Versu 10. Deduc me domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. Ingrediar potest accipi, vt sit imperatiui siue deprecatiui modi, sicut quod præcedit verbũ, deduc, & quod subsequitur, lætetur: cui consonat quod ex Hebræo vertit beatus Hierony. Deduc me domine in via tua, vt ambulem in veritate tua: secundũ quem modũ & nos in Elucidatione exposuimus. Vel potest accipi vt indicatiui modi futuri tẽporis: eritq; sensus, Tu esto mihi ductor, & ego ambulabo, te ductore, in veritate tua. ¶ Versu 12. Eruisti animã meã ex inferno inferiori. Si Christo applicetur Psalmus, intelligẽda erit hæc liberatio animæ ipsius ex inferno inferiori, secundũ id quod in alio Psalmo ex persona eiusdem domini nostri ad patrem dicitur, Quoniã non derelinques animã meam in inferno, quoniã videlicet animã Christi omnipotẽs pater non permisit descendere in damnationẽ inferni cum reprobis, qui infernus merito dicitur infernus inferior, pro quo beatus Hierony. vertit infernũ extremũ. Imò neq; in lymbo patrũ (qui superior quidã infernus merito appellari potest, respectu loci damnatorũ) detineri animam eius permisit, sed loco illo tantum visitato, patribusque de captiuitate liberatis, fecit eã in corpus reuerti, atq; ita in cælum vnà cum resuscitato & glorificato corpore gloriose cõscendere. Cùm verò generaliter fideli cuilibet Psalmus applicatur, accipitur versus iste vt gratiarum actio pro liberatione ab inferno, videlicet quoniã per Dei magnam misericordiam agnoscit se à mortalibus peccatis (in quæ ceciderat, & pro quibus inferioris inferni dãnationem cõmeruerat) liberatum, ex misericordia & liberali peccatorũ dimissione. Vel quia agnoscit Dei esse beneficiũ, q̃ nõ in peccata talia ceciderit, & quòd non filius sit mortis effectus. Id enim quotquot omnes fateamur necesse est, Dei gratiã & munus esse, siue q̃ à peccatis nostris pœnitentiã agentes reuertimur, siue quòd in eiusmodi peccata nõ cecidimus, pro quibus mortis damnationẽ fuissemus cõmeriti: vt tã immaculata sanctitas q̃ pœnitẽtię veritas, Deo referatur accepta, & pro vtraq; merito illi agãtur debitę gratię, Veruntamẽ posset infernus iste inferior recte etiã intelligi carcer malæ & desperatæ cõscientiæ. Vere enim infernus est, & inferior atq; extremus infernus est, carnificina malæ & desperatæ cõscientiæ. Et erit hic infernus multo damnatis intolerabilior, q̃ ipse ille corporalis locus horroris, quem illis Deus deputauit, vt in eo cũ angelis malis in æternum puniantur. Ab hoc autẽ inferiori inferno subinde Deus homines in hac vita degentes liberat, & velut à morte ad vitã reducit, atq; ex profundo horroris puteo in claritatẽ auræ supernę educit: qui proinde, agnito Dei beneficio, tanto post maiore affectu suo liberatore afficiuntur, agendisque gratijs tanto affectuosius insistunt, quanto maioris miserationis ei ea se perfectũ opus, reuelato metis oculo, conspiciunt. ¶ Versu 15. Da imperium tuũ puero tuo. Græcadictio quæ respõdet imperio, nẽpe κράτος, ambiguæ est significationis. Interdũ enim significat potentiã, vt apud Lucã in cãtico beatæ Mariæ virginis, Fecit potentiã in brachio suo, vbi Græce legitur ἐποίησε κράτος. Hinc Græco vocabulo Deũ appellamus παντοκράτωρα, id est, omnipotentẽ. interdum verò significat imperium vel potestatẽ, qualem habet superior super inferiorem. Vnde Deum vocamus κοσμοκράτωρα, id est, mundo imperantem, vel mundi dominantem, id est, super omnia quæ in mundo sunt potestatem atque imperium habentẽ. Neque sunt iuxta veritatẽ hæ duæ significationes abinuicem diuersæ, si potentiã intelligamus imperiale & potestatiuã (vt ita loquar) per quã quis super aliũ obtinet imperium. Non enim nisi per imperialem suam potentiã Deus omnium dominatur, neque aliter super cuncta habet imperiũ, nisi quia ipse est omnipotens. Secundũ hæc ergo diuersimode locus præsens à diuersis inuenitur trãslatus. Nam lectio Psalterij Romani pro imperio habet potestatẽ. Da potestatẽ (inquit) puero tuo. Hieronymus autẽ legit fortitudinẽ. Quæ lectiones facile redigun tur in concordiã, si intelligamus talẽ postulari à Deo fortitudinem, qua inimicis persequentibus possumus euadere superiores, vt nõ nos illis veniamus in subiectionẽ, sed ipsi ecõtrario nobis in potestatẽ veniant, & subiiciãtur cõfusi atq; deuicti. Talis est fortitudo, quam à Deo petimus, talis potestas, tale imperiũ, quod postulat in persequutione positus homo spiritualis. Illi tamen qui Psalmum peculiariter accõmodant Christo, imperium istud poterunt exponere absq; incõmodo, potestatem illam quã ipse accepit à patre post resurrectionem, de qua in Psal. 2. ex patris persona dicitur, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionẽ tuã terminos terræ: & de qua ipsemet Christus à discipulis abscedens loquitur in Euangelio, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. De qua etiã potestate, multis in locis multa loquitur sanctus Apostolus. At tunc quidem ancillã illã, cuius se filium Christus loquitur, manifestum est debere intelligi illam benedictam terram, de qua in Psalmo præcedenti fecimus mentionem, Deiparam virginẽ Mariam: quæ etiã seipsam ancillam Dei in suo iucundo cantico humiliter nuncupauit, vt nũc à filio hic loquente eã audimus nũcupari. Conformiter quoq; in versu sequenti illud signum in bono quod secum fieri optat, intelligeretur Christi resu-

2.Cor.10. Esaiæ 45. Rom.14. Psal. 18. Psal. 13. Psal. 2. Psal. 28. Luc.1. Luc.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matt.28. resuscitatio, & in cælum assumptio. Nam hoc signum fuit, quod omnipotens pater cùm Christo fecit quod erga ipsum demonstrauit in bonum, quo, se ostendit illum diligere, sibique in illo esse beneplacitum: in quo etiam signo, euidentissime omnium aduersariorum Christi apparuit confusio, ita vt mendacio & pecunia cogerentur ruborem suæ verecundiæ palliare, quando custodibus data copiosa pecunia, vt veritatem tacerent, mendacibus linguis rumorem falsum sparserunt in populo, dicentes, quòd custodibus dormientibus fuissent illum suffurati discipuli. Quidam etiá personæ Dauid applicant Psalmum, neque omnino incõmode. Iuxta quam applicationem, Dauid in persequutionibus positus postulat, cælitus sibi dari contra hostes fortitudinem, qua posit illorum superare persequutionem, petitque liberationis signum & salutis erga se à Deo monstrari, vt cõfusi hostes abscedant, desistantque à proposita malitia, cùm dominum viderint pro seruo suo dimicantem, quemadmodum non semel in sacris regnorum historijs legimus accidisse, Vsqueadeò enim nouis admirabilibusque modis subinde Deus suum Dauid liberauit de manibus Saulis, vt nemini non esset perspicuum, solius Dei fuisse talem liberationem, ita vt nimia coactus euidentia ipsemet Saul licet obstinatissimo animo esset contra Dauid, aliquoties legatur à persequutione populum reduxisse in propria. Quòd si etiam Dauid introducamus postulantem dari sibi imperium, & regnum super populum domini, non ambitionem aut superbiam illi impingimus. Poterat enim is qui regem se à Deo
1.Reg.24. & 26. vnctum sciebat, postulare, vt Dei in se propositum adimpleretur. Illa tamen sententia, quá in Elucidatione explanauimus, potior videtur. ¶ Versu eodẽ, Saluum fac filium ancillæ tuæ, In Elucidatione duplex est monstrata intelligentia, secundum quarũ vtranq; singulis fidelibus versus iste posit conuenire. Secundum priorẽ namq; intelligentiá, ancilla ista accipitur Ecclesia, quę dicitur ancilla Dei, ip si videlicet seruiens deuotione fidei & operibus placitis. Posterior autẽ magis videtur probanda, qua ad maiorẽ perfectioremq; humiliationem seipsum nominat non solum seruum Dei, sed etiam ancillæ eius filium. Pro cuius intelligentia nota, quosdá esse seruos qui casu aliquo vel euentu in seruitutẽ venerũt suis dominis, vt qui sunt quidem liberi natiuitate, sed bello superati, in captiuitatemq; abducti & vænundati in seruos, tali sic euentu ex libertate veniunt in cõditionẽ seruilem. Idipsum & alijs varijs modis cõtingit. Et qui sic facti sunt serui, licet dominos appellẽt illos quibus venerũt in subiectionẽ, non tamen matres illorum ancillæ fuerunt eorundẽ dominorũ. Nã ex progenitoribus liberæ sunt conditionis, tantum exeuentu facti serui. Sunt verò alij, qui ex ipsa sua origine sunt serui, vtpote qui in seruitute sunt geniti, quorum patres matresq; in seruitute domini alicuius tales proles genuerunt. Atq; hi lõge magis viles & humiles prioribus, estq; maioris humilitatis sic ex progenie natum esse seruum, q̃ ex accidente seruũ tantum fieri. Volens ergo significare seruus Dei maximá suá erga Deũ subiectionẽ, & summá humilitatẽ indicare, non tãtum se fatetur seruum Dei sed & matrem suá fatetur ciusdẽ ancillam, cùm se nominat filium ancillæ eius. Aperto enim cõsequio elicitur, meam matrem esse ancillam Dei, si ego me fatear esse filium ancillæ eius. Intelligit autem in matre totam progeniẽ, patrem, auum, atauum, tritauum, & vniuersum genus vsq; ad primum parentem. Omnes enim progenitores nostri, vilissimi serui & ancillæ Dei fuerunt. Secundũ hunc quoq; modũ in Psalmo 115. positus in extasi vir fidelis, magno deuotionis affectu loquitur, dicens: O domine, quia ego seruus
Psal.115. tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ, ¶ Versu vltimo, Fac mecum signum in bonum. Nos simpliciter interpretati sumus, Demonstra erga me indicium aliquod bonitatis tuæ & beneplaciti, atque amoris erga me, vt videntes inimici tuo me fultum auxilio, cõfundantur. Potest etiá sic intelligi. Exhibe circa me signum & prodigium in bonum, id est, prodigioso aliquo signo me libera ab inimicis, vt aperte vidẽtes inimici tuo me iuuari auxilio, cõfundantur. Vnde quidam ex Hebræo sensum hunc magis quàm textus verba sequutus, ita vertit, Insigniter benefac mihi, &c. Optime autem hanc postulationem impletam cognouimus, tam in persona Christi (in cuius resurrectione signum Ionę Prophetæ, & prodigium maximum fuit exhibitum) quàm in persona Dauid, qui non sine maximo miraLucæ 11. culo de summa miseria in qua erat, cùm fugitiuus ageret in desertis & montibus, ad glorioſi regni magnificentiam tandem fuit subuectus. Vere enim prodigium magnum erat, videre iam super omnẽ Israẽlem longe lateque dominantem, cui pridem vix pro corporis salute tutum erat angustæ alicuius speluncæ latibulum. Cum omnibus quoq; fidelibus signum faciet Deus in bonum, & prodigiosum aliquid erga eos operabitur, quando eos tam ex se imbecilles & miseros, de tantorum hostium, tamque fortium & crudelium potestate liberatos: sublimabit in gloriam fœlicitatis æternæ, impijs ad
Psal.111. suam perpetuam confusionem, id cum dolore dentium q̃ stridore cernentibus.

LXXXVI. PSALMI ARGVMENTVM.

EX abundantia cordis in hoc Psalmo, verborũ quidem numero modico, sed maiestate sensus multum dissimili, prorumpit Psalmista in laudes Ecclesiæ, quam dicit in montibus fundatam, portas habentem Deo super omnia tabernacula Iacob dilectas, de qua gloriosa dicit esse prædicta. Cuius etiam versu tertio & quarto miram describit amplitudinem, vtpote quæ intra sese concludat cunctarum gentium quondam à Deo alienarum nationes. Versu autem quinto admirabilem eius depingit gloriam, quòd in ea natus sit qui ipsam fundauit & cõdidit quòd in ea Deus homo factus sit quemadmodum in scripturis prædictũ id fuerat & præsignatum, ad instructionem populorum: nouissimo tandem versu, huius ciuitatis & omnium in ea habitantium prospiciens prænunciansq; lætitiam. Parum autem refert, an de Ecclesia militante, an de triumphante, Psalmum intelligamus, vtrique enim rectè omnia cõueniunt, sed huic perfectius, illi secundum suum modũ imperfectius. Præstat autem, vt simul de vtraque Ecclesia Psalmus intelligatur. Ad vnum nanque spectãt, & est vnus vtriusque Dominus: ciues quoque iidem sunt qui ab vna transeunt in alteram, quasi ab anteriori atrio ad interiorem thalamum.

LXXXVI. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Fundamenta eius in montibus sanctis:

CIuitatis illius quã mente contẽplor in tempore gratiæ per Messiã ædificandã, Ecclesiæ illius sanctæ quã sibi in domũ & ciuitatẽ ædificabit rex magnus in plenitudine tẽporis aduẽturus, huius, inquã, ciuitatis, domus & ędificij fundamẽta erũt in sublimib⁹ illis mõtib⁹, Apostolis atq; Apostolicis viris, quos sui spirit⁹ primitijs copiose Roma.8. sanctificabit ędificator huius ędificij De⁹, facietq; in veritate sublimes & immobiles. Quicũq; enim in hoc ędificio coædificabũtur in habitaculũ Dei, tanquam lapides viui, superædificari eos necesse erit super 1.Petr.2. Ephe.2. fundamentũ Apostolorum & Prophetarũ: quẽadmodum & ipse cõsequenti ordine super Petrã Christũ, & super fundamentũ illud præter 1.Cor.10. quod nemo potest aliud ponere (quod est Christus Iesus) erũt firmiter 1.Cor.3. ædificati: * neque mirum, si super talia tamq; pretiosa & sublimia fundamenta ædificabitur ciuitas illa, spiritualiter dicta Sion (propter lucentis in ea fidei speculationẽ, atque etiá propter singularem Dei electionẽ) quoniam quidem diligit dominus eam multo amplius, quàm veterem illam Synagogam, imò ipsas portas, ipsum tantum introitum huius Ecclesiæ nouæ, quam in spiritu præuideo ædificandã, magis diligit, quàm omnia tabernacula, omnes habitationes veteris illius Israëlitici populi, adeò vt præ nimio illius amore videri possit hunc populũ nõ amasse: * Ipsam etiam stabilitatem Ecclesiæ nouæ, quam sibi mansionem stabilem & nunquam commutandam elegit, diligit multo amplius, quàm Synagogam veterem, quam ad tempus tantum inhabitare voluit, magis vt in tabernaculis quàm vt in domo & ciuitate stabili.

** diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*

2 Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.

2. O ciuitas nobilis magni Dei, quæ artificem & conditorem es habitura, non Beseliel, non Moysen, non alium quemlibet hominem, sed Dei filium, quamq; Deus ipse vt domum suã inhabitabit: quàm gloriosa, quàm magnifica, quàm eximia sunt, quæ de te per sanctos patres & prophetas sunt prędicta: * quæq; de te sunt in secreto diuinitatis cõcilio definita, & ab æterno ordinata: quàm magna sunt, quæ in te implebuntur in tempore suo, iuxta quod à Deo præordinata sunt, atque per viros sanctos prænunciata. Talia profecto sunt & tanta, vt eorum cõparatione nihil videri possint, quæcunque olim veteri illi Iudaico populo fuere exhibita. 3. Vox domini. Intra hanc ciuitatem non solum vnam aliquã gentem concludam, aut vnius generis populum, quemadmodum olim synagogam mihi ex sola natione Israëlitarum segregaueram: sed ex omnibus gentibus, populis & linguis, ex omnibus nationibus quæ sub cælo sunt: ædificabo eã. In ædificãdo enim ciuitatem istam, etiam Aegypti & Babylonis ero memor, etiam Aegyptios & Babylonios qui antè fuerant idololatræ & alieni à me, ego tum agnoscã, eos videlicet qui ad Apostolorum prædicationem me voluerint agnoscere, quicunque sunt ex eis me per fidem cognituri, & in nomine meo creditur i. 4. Imò verò Philisthæi alienigenæ, qui ante fuerant à me alieniſsimi, imò populi mei aduersissimi hostes, Tyrij quoque & Sidonij, quique longe habitant in extremo terræ Aethiopes, ecce omnes hi illic erunt in ædificio ciuitatis illius, hi omnes inuenientur. Ex omnibus enim gentibus, populis, tribubus, & linguis, ex omnibus finibus orbis terræ cõgregabo mihi electos meos, quos omnes vno eodemque spiritu regeneratos in vnã Ecclesiam coædificabo, tanquã lapides viuos, in habitaculum meũ in spiritu sancto. Neq; omnino quisquã excludetur à ciuitatis illius glorioso ędificio: sed absque personarũ acceptione, in omni gente, qui crediderint in nomine filij mei, eũq; aduenientem receperint, coędificabit eos in habitaculum Dei, facietq; filios Dei illos fieri, qui vsq; tum alieniſsimi fuerant à Deo, & testamẽto promissionum mearum. 5. Vox prophetæ. Illud quoque summe admirabile mysterium, nunquid homo dicet aut explicabit Sion? nũquid explicare vllus homo, aut persuadere ipsi Sion poterit hoc mysteriũ & ænigma quod proponitur? videlicet q̃ in ea esset homo & vir quidem temporali natiuitate nasciturus, qui tamen idem ipse secundum veritatem omnibus excelsior & maior, eam fundaturus esset atq; ædificaturus: quomodo mysterium hoc vllus hominum posset dicere & explicare Ecclesiæ, quod ipse huius ciuitatis ædificator, in ipsa, quã ipse erat ædificaturus, ciuitate nasceretur? Nonne glorioſum, hoc est, & inauditum, humanoque ingenio incomprehensibile? Et hoc tamen ita

3 Memor ero Raab et Babylonis scientiũ me.

4 Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Aethiopũ hi fuerũt illic.

1.Cor.11. 1.Pet.2. Ephes.2. Actu.10. Ioann.1.

5 Nunquid Sion dicet homo? & homo natus est in ea, et ipse fundauit eam altissimus.

2.Tim.3. *6 Dominus narrabit in scripturis populorũ & principum horum qui fuerunt in ea.*

2.Pet.1.

in te futurũ est,ô ciuitas Dei,cũ Dei filius ex virgine fidelissima & immaculatissima carne assumens venerit in mundũ,ad te ex omnibus gẽtibus(vti iam vox domini protestata est) ædificandam. 6. Et quoniam id prorsus foret incredibile humano ingenio,ne ob nostri sensus crassitiem nõ acceptaretur Dei veritas,voluit Deus mysteriũ illud in scripturis sanctis patefacere, vt per fidẽ fieret credibile quod per ingeniũ humanum non potuisset comprehendi: quæ sane scripturę sunt fideliũ populorum, & principũ atq; rectorũ, isti fuerunt, vel futuri sunt in ea ciuitate principes. Sanctæ enim scripturæ à Deo datæ sunt Ecclesiæ sanctæ,in maximum beneficiũ, ad ædificationẽ & instructionẽ populorum,quandoquidem omnis scriptura diuinitus inspirata,vtilis est ad docendum,ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendũ in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonũ instructus. Sunt quoq; scripturæ istæ principum & rectorum qui in ecclesia fuerunt vel futuri sunt, vel quoniã per ipsos sunt descriptæ ex inspiratione Dei. Nam spiritu sancto inspirati, loquuti sunt atq; descripserunt eas sancti Dei homines. Vel quia ipsi ex his hauriunt quæ populis effundant, veritatẽ omnem ex eis quasi ex ore Dei addiscentes, qua cõmissos sibi populos pascunt. 7. Sed quid multa de te ô gloriosa Dei ciuitas, tentamus dicere? Magna quidem & multa sunt,sed adhuc abscõdita quæ de te dicta sunt,& in te implebũtur in tẽpore suo. Neque ego nunc plura adiicia, nisi hoc tantum,q propter abundantiam bonorum quæ in te erunt in lætitia vera & sempiterna viuent omnes habitatores tui, inhabitatio omnium qui intra te erunt,erit sicut magnifice lætantium,exultantiũ, atque tripudiantium: quicunque intra portas tuas habitabunt, eiues sanctorum & domestici Dei,in maximo vtique gaudio(quod nemo ab eis auferre poterit) & in maxima pace cordis (quam illis Deus dabit, & mundus vt non dare,ita nec auferre poterit) illic habitabunt.

Ephe.2. Ioan.16. *7 Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXVI.

Ioan.20. VErsu 1. Fundamenta eius in montibus sanctis. Quomodo Euangelico amore ardens illa peccatrix fœmina,perditũ medici corpus ab eo quẽ ortulanũ existimabat requirens, ex cordis abundantia prorumpens in verba dicebat, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego illum tollam: cùm nihil in sermone præmisisset,quod in pronomine illo posset accipi: ita & in proposito sermone, ex magna affectus abundantia, qui secũ longa meditatione multa voluerat cordis sui tacita cogitatione,tandem spiritus feruore, impulsus in verba prorumpens, ita loquitur acsi omnibus quid ipse mẽte gestat foret notum,neq; aliter q̃ si ante de illo verba multa fecisset quod sola cogitatione apud sese reuoluit. Vnde patet,paucula hæc verba & pauculas syllabas,quibus cõstat hic Psalmus, ex profunda mentis cõsideratione, & abundanti spiritus dulcedine procedere: quam ob causam, multa etiã in eis inuenitur difficultas & obscuritas. Nam sic fere obscurioribus sermonibus solent Prophetæ depromere sacra mysteria,cùm in ea totus animus raperetur profundius. De fundamẽtis autem istis, in Elucidatione satis indicauimus quæ potissimum debeant intelligi,nimirum Apostoli sancti,quos

Psal.71. & alias diximus montium nomine significari,vt Psal 71. Suscipiant montes pacem populo. Et alibi,

Psal.75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. In his autem montibus esse fundamenta ciuitatis Dei, nihil aliud sibi vult, quàm montes istos eius esse fundamenta. Quod autem montes isti fundamenta

Ephe.2. sunt Ecclesiæ Dei,Paulus apostolus manifeste indicat,cùm Ephesijs scribens,ita ait, Itaque iam non estis hospites & aduenæ,sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, Quis verò melius nouit ædificij cuiuslibet fundamenta, quàm

1.Cor.3. 1.Cor.15. architectus ipse ædificij? Paulo ergo credamus necesse est,qui(quod ad hoc ædificium attinet) sapiẽtem se architectum alio in loco epistolarum suarum appellat. Neque verò hic solus Apostolorum

Apoc.21. minimus & abortiuus fœtus fundamenta appellat sanctos Apostolos, verumetiam singulari priuilegio,dilectus ille discipulus,in sua sancta Apocalypsi,ciuitatem quam conspexit, vidit habere fundamenta duodecim: in quo non dubium est, sanctum duodecim Apostolorum cœtum intelligi. Nam duodecim Apostolorum nomina,simul & agni,illis fundamentis duodecim vidit inscripta. Notandũ verò q̃ vtrobiq; pluralem numerum ponens,fundamenta ciuitatis dicit esse in sanctis montibus: videlicet magna illuminatione numerum singularem illi fundamento & illi monti seruans, qui est fun-

1.Cor.3. damentum fundamentorum, & mons montium. Quod vnum fundamentum ille iam antè citatus arhitectus respiciebat,cùm diceret,Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est,quod est Christus Iesus. Cui etiam fundamento vnico, priora illa plura fundamenta inniti,

Ephe.2. & in quo vno multa illa contineri & firmari insinuat,cùm post fundamentum Apostolorum & Prophetarum, subiungit, dicens: Ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum, in domino. Quod & in prædicta Apocalypsi alter ille discipulus indicat, cùm duodecim Apostolorum nomina dicit duodecim fundamentis inscripta, adiiciens,& agni: quasi significare volens multorum fundamentorum vnum hoc præcipuum. Hunc

Apoc.21. eundem montem vnicum super omnes eleuatum, alius Propheta in spiritu conspiciebat, cùm in

ventura tempora eminus prospiciens,clamaret,Erit,inquiens, in nouissimis diebus præparatus mõs domus domini,in vertice montium,& eleuabitur super colles:& fluent ad eũ omnes gentes, & ibunt populi multi. Sic ergo in sanctis montibus sunt ciuitatis huius fundamenta, vt hæc vlterius fundamenta vnum habeant fundamentum primum, in monte illo qui est sanctus sanctorum, altior omnibus. Aduerte autem quòd non solũ Apostolos, verumetiam Prophetas & Patriarchas dicere possumus nouæ Ecclesiæ fundamenta,quatenus eadem est fides Patriarcharum & Prophetarum, qua ante Christi aduentũ cuncta fidei nostræ mysteria credebant, & prædicabant, præsignabantque implenda, & qua sancti Apostoli post Christi aduentum cuncta salutis nostræ mysteria crediderunt,& docuerunt impleta. Prædictæ expositioni non male consonat,quod habet Chaldaica Paraphrasis: Fundamentum eius super ore patrũ qui fuerunt à principio. ¶Versu eodẽ, Diligit Dominus portas Siõ, super omnia tabernacula Iacob. Vide comparationem. Non dicit, Diligit dominus Sion, plusquam Iacob. Non dicit, Diligit dominus portas Sion,super portas Iacob. Non dicit, Diligit tabernacula Sion,super tabernacula Iacob: sed portas tribuens Sion, & tabernacula Iacob, hoc asserit,q portas Sion diligat dominus super tabernacula Iacob. Qua in re illud primum euadit manifestum, distinctionem hîc poni inter Sion & Iacob, neque per duo hæc idem intelligi. Vnde Sion rectè putamus nouam Ecclesiam significari, Iacob verò synagogam veterem, Israëliticam plebem. Quid verò est, quòd portas tribuit Sion,id est, Ecclesiæ: Iacob verò,id est, Synagogæ veteri, tabernacula? Si tu melius aliud nõ habes,puto ego in hoc stabilitatem Ecclesiæ nouæ designari, & Synagogæ repudiationem. Portæ enim non nisi munitorum locorum sunt, & fundamenta ac munitiones firmitatemque & stabilitatem habentium ciuitatum, Tabernacula verò non habent stabilitatem neque firmitatem. Et quidem donec in Synagoga Iudæorum tantũ Deus habitabat, quasi in tabernaculo potius quàm in domo: in castris siue in tentorio, potius quàm in ciuitate habitabat, nimirum vnde post modicum erat emigraturus. In noua autem Ecclesia stabilem sibi posuit mansionem, nõ eam relicturus vsque in consummationẽ sæculi. Nisi forte mentiri ipse potest, ex cuius ore audiuimus, Ecce ego vobiscũ sum vsque ad consummationem sæculi. Atque hanc sententiã in Elucidatione posteriori loco indicauimus. Propter quam,alteram loco priori,nec illã quidẽ incõmodam locauimus: vt secundum vulgatum loquendi modum significetur, longe maiorem & longe alium esse amorem Dei erga Ecclesiã,quàm erga Synagogam: quod significari videtur, cùm portas ipsius Sion dicit esse Deo magis dilectas,quàm ipsa Synagogæ tabernacula. Velut si dicam ego ad præferendum ciuitatẽ alteram alteri,huius solum introitum esse meliorẽ vniuersis illius plateis & habitationibus. Alij verò per portas Sion intelligunt sacramenta nouæ Ecclesiæ, per quæ est in hanc ciuitatem ingressus, sicuti per portam est in ciuitatẽ ingressus. Per tabernacula autem Iacob intelligunt vmbras illas quas lex habebat, & in quibus sub lege Iudæ habitabant,in illis & sub illis ad tempus concluſi, vt coercerentur à grauioribus malis, sed in temporis plenitudine amouendis & abrogandis, vbi aduenisset lex libertatis. Galat.3.

¶Versu 3. Memor ero Raab & Babylonis,scientium me. Per Raab,Latinorum plærique intelligunt mulierem illam quæ in Hiericho exploratores susceptt hospitio,& saluauit. Atque ita per Raab,quę meretrix fuisse dicitur,& Babylonem, per quam solet peccatorum congregatio designari, intelligimus peccatores nominatissimos: quorum Deus memor fuit in tẽpore ædificationis Ecclesiæ, quando illorum plurimos fecit pœnitentiam agere vitæ prioris, & veteri exuto homine in nouitate vitæ diligentissime ambulare, iuxta quod & Saluator ait in Euangelio, loquens Pharisæis, Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Et alio in loco, Multi,inquit,venient ab oriente & occidente:& recumbent cum Abraham,Isaac & Iacob in regno cęlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Apte verò iuxta hanc expositionem, Raab fit specialis mentio, quæ nuncios missos à Iosue susciens saluata est ab internicione & populo Dei adiuncta est, videlicet ad significandum in tempore gratiæ peccatores omnes Apostolica prædicatione conuersos, qui per fidem & obediẽtiam ad Deum conuersi,salutẽ sunt ex nunciis Dei consequuti per Christum. In Babylone quoque extitit Niniue,quam post tempora Dauid ad prædicationem Ionæ missi à domino & ex ore domini pœnam prædicantis, insignem legimus egisse pœnitentiam, adeò vt eam Saluator dignam duxerit proponere in exemplum, ad perfidæ Iudaicæ ceruicis confusionem. Secundum hanc ergo intelligentiam, significatur peccatorum vilissimorum tempore gratiæ conuersio,& in Ecclesiam cũ cæteris coædificatio, omnium eorum qui veram egerunt pœnitentiam: vt deinde in versu sequenti, specialiter gentium intelligatur poni conuersio ad Ecclesiam. Si tamen Hebræum consulamus, videbitur nõ hic nomen haberi mulieris illius supra nominatæ, quæ Rachab per heth in medio scribitur, cùm hoc in loco per he medio Rahab legatur. Propter quod in Elucidatione aliorum sequimur sententiam,qui per Rahab dicunt significari Aegyptum, cuius sententiæ plures sunt Hebraicarum literarum periti: vt sit sensus, Memor ero Aegypti & Babylonis. Cuius etiam sententiæ fuisse Chaldaica Paraphrasis authorẽ manifeste conspicimus,qui pro Rahab posuit Mezraim, quod Hebræis vbique significat Aegyptum,à Mezraim filio Cham: à quo vt originem,ita & nomen acceperunt Aegyptij, quemadmodum diximus in annotatione versus. 56. Psalmi 77. Quidam etiam illud Esaiæ 51. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? de Aegypto dicunt intelligendum, sicque transferendum, Nunquid non tu percussisti Aegyptum,vulnerasti draconem? id est,caput Aegyptiorum Pharaonem? Et in hoc loco penitus eadem dictio inuenitur in Hebræo, quæ in præsenti versu est posita,Rahab per he in medio dictionis. Beatus quoq; Hieronymus non videtur illorum accedere sententiæ,qui Rahab hîc intelligunt meretricem. Nam in sua versione ex Hebræo, non vt nomen proprium,sed vt appellatiuum transtulit,dicens: Cõmemorabor superbiæ & Babylonis scientiũ me.

Matt.28. Iosue 2. Marth.21. Marc.8. Ionæ 3. Luc.11. Psal.77.

Nam

Nam Rahab per he in medio significat etiam superbum vel superbiam, à verbo Rahab, quod significat excellit vel superbiuit. Et fieri potuit, imò verisimile est sic factum esse, vt à superbia siue excellentia Aegyptus tali denominatione fuerit appellata, q̃ insignis eorum fuerit semper superbia siue excellentia & gloria, propter omnium rerum abundantiam & potentiæ sublimitatem. Notandum quoq; est vbi iam vulgo legimus per genitiuum scientium me, in Græco haberi datiuũ, scientibus me, quomodo etiam Psalterium Gallicanum dicũt habere. Nam quod nos vulgo legimus per genitiuum, videtur ex Romana lectione mutuatum. Facit autem casus datiuus aliam q̃ genitiuus sententiam, videlicet istam, Memor ero Rahab & Babylonis cognoscẽtibus me, hoc est, memoriã faciã apud cognoscentes me Rahab & Babylonis, memorabor istorũ apud fideles meos, de eis loquar, & eos intra numerum fidelium meorũ computabo, cęterisque me agnoscentibus adnumerabo. In quẽ sensum quidã ex Hebræo, licet sententiam potius q̃ verba sequutus, sic vertit, Adnumerabo cognoscentibus me Rahab & Babylonẽ. ¶ Versu 4. Ecce alienigenæ. Per alienigenas intelligi Philisthæos (quemadmodum in Elucidatione indicauimus) manifeste demonstrat lectio Hebraica, quæ pro alienigenis habet nomen Palestinæ. Vnde Hieronymus ex Hebræo vertit, Ecce Palestina & Tyrus, &c. Idipsum admonuimus & in annotationibus Psal. 82. in versu 6. ¶ Versu 5. Nunquid Sion dicet homo: & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? Ex Hebræo patet, Sion esse casus datiui. Propter quod ita in Elucidatione exposuimus, Nunquid homo dicet ipsi Sion, hoc est, nunquid aliquis hominum hoc sufficiet ipsi Sion exponere, enarrare, & explicare, quod sequitur, videlicet, q̃ homo sit natus in Sion, qui idem ipse fundauit eam? Neque enim secundum humanum ingenium id credibile aut persuasibile videtur quod in ciuitate aliqua esset nasciturus infans, qui illam ædificauit. Videtur enim includi in hoc repugnantia. Si enim ciuitatem hanc iste ædificauit, fuit ergo antequam ædificaretur ciuitas. Est enim efficiens causa, prior effectu: & artifex opus suum tempore antecedit, velut fabricator domum. Et si in ea hic natus est, fuit ergo illa (vt videtur) ante hunc qui in ea natus est. Locus enim in quo quis nascitur, præfuit ante eum qui in illo nascitur. Sed licet hoc mysterium ipsi Sion homo dicere non potuit, licet non homo id persuadere & credibile efficere potuerit, Deus tamen reuelans mysteria, fecit nobis id esse credibile. Propter quod subiungitur, versu sequenti, Dominus narrabit in scripturis populorum. Et hæc quidem sententia iam assignata facilior est alijs quibusdam, quas in hoc loco ponunt cõmentatores. Veruntamen si ad originalem lectionẽ respiciamus Hebræam, profecto non magnam inuenimus cum prædicta expositione consonantiã, neq; in hoc versu, neque in sequentibus. Propter quod in annotationibus ex Hebræo aliam præter suprapositam dabimus huius loci intelligentiam, Hebraicæ lectioni magis conformem. quam tamen hoc in loco effugiendam cõfusionem noluimus constituere. Illuc te mitto, si tibi non satisfaciunt hic proposita.

LXXXVII. PSALMI ARGVMENTVM.

IN toto Psalmorum libro, vix est inuenire alium sequenti huic Psalmo similem. Alij enim Psalmi qui à tristitia incipiunt, tandem in lætitia finem accipiunt: & plerunque tanto maiori finiuntur gaudio, quanto à grauiori incœperunt ploratu, id quod in Psalmo tertio & sexto, atque alijs plurimis apertißime quilibet videre poterit. Hic verò sicut in luctu incipit, ita & finit, non lenito dolore, non reddito gaudio, animo prorsus in nullo releuato. Est itaque oratio pauperis penitus derelicti in grauißimis afflictionibus & tribulationibus, siue corporis, siue animi, vel potius vtriusque: in qua pauper & afflictus multis verbis suam proponens miseriam affectu maximo postulat misericordiam. Potest verò Psalmus totus rectè admodum Christo domino applicari, de passionis afflictione ad patrem clamanti, quemadmodum in annotationibus monstrabimus. Nos tamen in Elucidatione ita omnia temperauimus, vt vnicuique grauiter tribulato posit apta esse forma clamandi ad dominum, ita tamen, vt Christum clamantem nequaquam excludamus.

OCTVAGESIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te.*
2 *Intret in conspectu tuo oratio mea:*
* *inclina aurem tuam ad precem meam.*
3 *Quia repleta est malis anima mea:*
* *& vita mea inferno appropinquauit.*
4 *Æstimatus sum cum descendentibus*

DOmine Deus saluator meus, in quo omnis est spes salutis meæ, cuius solius est saluare, à quo vno salus vera est expectanda, eleuata voce orationis meæ, magno affectu, clamaui ad te per diem atque noctem, in oratione iugiter perseuerãs ante conspectum tuum, non abijciens fiduciam, orationẽ non remittens, quo vel sic assidua te prece & clamore importuno flecterem. 2. Ingrediatur proinde ante conspectum tuum deprecatio mea, non illam repellas, non abijcias, sed dignanter ante misericordiæ tuę sacrariũ ascendere permittas: * & ad exaudiendũ quod postulat mea oratio, benignè inflecte, & accõmoda auditũ tuum. 3. Neq; verò absque causa est quod oro, non frustra clamo ad te, domine Deus meus. Ecce enim iam plena est malis anima mea, in grauissimis animę & corporis versor angustijs & tribulationibus permaximis, ita vt plenum sit cor meum amaritudine atque dolore: * & vita mea penè ad nihilum deducta est: iam inferno mihi & morti videor proximus, tædet animam meam vitæ huius: tristis est ad mortem vsque anima mea, præ horrore & pauore nimio, & iam in portis inferni mihi videor constitutus. 4. Deputatus sum cum ijs qui iam descenderunt in foueam sepulchri, atque in lacum profundum inferni: cum illis iam computatus sum, & nihil

in lacum: * *factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.*

5 *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius:*
* *& ipsi de manu tua repulsi sunt:*

6 *Posuerunt me in lacu inferiori:*
* *in tenebrosis & in vmbra mortis.*

7 *Super me confirmatus est furor tuus:*

* *& omnes fluctus tuos induxisti super me.*

8 *Longe fecisti notos meos à me:*
* *posuerunt me abominationem sibi.*

9 *Traditus sum, & nõ ingrediebar:*

* *oculi mei languerunt præ inopia.*
10 *Clamaui ad te, domine:*
* *tota die expandi ad te manus meas.*

11 *Nunquid mortuis facies mirabilia?*
* *aut medici suscita-*

nihil vel parum admodũ ab illis videor abesse, quandoquidem præ nimia afflictionis & tribulationis angustia nihil inter me & illos distare videtur, neq; multo melior est hęc mea vita tot plena doloribus, quàm sit mortuorum illorum conditio, iamq; cum illis penitus videor deputatus, vt qui iamiam illis sim adnumerandus, nisi tuæ cõsolationis ope subleuer: * factus sum quasi homo vacuus & destitutus omni auxilio, quasi desperatus, cui nulla sit spes euasionis, quasi derelictus inter mortuos, de quo vltra erigendo nemo cogitat, quẽadmodum solẽt, qui inter mortuos, derelicti sunt à nullo vltra curari. Sic enim & mihi nunc vsuenire video, & de me erigendo, liberando, cõsolando nemo cogitet, nulla ex parte vllum percipiam consolationis leuamen. Maneo totus aridus, desolatus, afflictus, plenus angustijs: & quãtumuis clamem, non sentio subleuantem. 5. Quemadmodum interfectis contingit qui iam in sepulchris mortui quiescunt, & manent in morte, quorum non amplius memor videris vt eos ad vitã reducas, sed eos relinquis in puluere suo donec resuscitationis dies vltima aduenerit: * & ipsi repulsi abiectique videntur de manu tua, videris illos abiecisse à cura tua, vtpote quos ita relinquas in puluere suo, nec manum apponis vt ad vitam resuscites eos: ita planè & mihi nunc videor à te penitus inter mortuos cõputari, & tanquam vnus aliquis ex illis prorsus videor de manu tua repulsus, quoniam quidem manum tuam nõ vltra ad meam protectionem aut consolationem extendis, sed penitus me absq; omni consolatione relinquis. 6. Tribulatores & persequutores mei sua afflictione nimia constituerunt me velut in profundo inferni, doloribus maximis (cuiusmodi in inferno sunt) implentes animam meã, exterius interiusque grauissime me affligẽtes: * posuerunt me in locis tenebrosis inferni, & quasi in vmbra mortis, ita vt super me videretur se mors ipsa expãdere, & totum me obumbrare. Dolores enim mortis circundederunt me, & inuenerũt me inferni pericula, vt iam in inferni profundo, & sub mortis miseria mihi videar vitã agere. 7. Omnis autem hæc mea miseria inde mihi processit, quoniam tuæ misericordiæ solitũ nõ persentio influxum, consuetæ tuæ consolationis non percipio visitationem: clausisse mihi videris misericordiæ puteũ, fontem cõsolationis tuæ, & omnino apparet confirmata esse aduersum me ira tua, dum afflictio super afflictionem venit, nec percipitur cõsolatio: * & omnes tribulationum afflictionumq; inundationes tu venire permisisti super me, quibus velut aquarum fluctibus obruor, & vehementissime timeo mergi in eis, vt non videã quid vltra ad afflictionẽ meam possit adiici. 8. In tantam abominationem, afflictionem & miseriam venire me permisisti, vt etiã noti mei, cõsanguinei, affines, vicini, & quondã familiares mei, fugiant à me: * posuerunt me sibi quasi abominationem, ita me existimauerunt quasi abominabilẽ, ita vt illos mei pudeat, erubescantque vel me alloqui, tã despectum & cõtemptibilẽ, vel mecũ vllam habere familiarem conuersationem: * Insuper & præ timore me fugiunt, quasi abominationẽ, ne fortè ex mea familiaritate, si vllũ amicitiæ mihi signum ostendant, & ipsi veniãt in periculũ à meis persequutoribus: qui ita me persequuntur crudeliter, vt omnẽ mihi propitium habeãt exosum. 9. Veni in manus hostiũ meorũ, permissus sum & traditus in potestate persequutorũ, venit hora & tenebrarum potestas, vt operentur in me persequutores mei tua permissione, quæ voluerint & non datur mihi exitus, non apparet liberatio, non video vsquam mihi patere exitum, non video malum leuari, sed cõtinuo aggrauari magis & cõcludi me ab hostibus: * atque hoc, oculi mei huc & illuc cõsiderantes ad perspectantes ad auxilium, præ inopia & defectu vigoris langueścunt ac deficiunt. 10. Et ego in tanta positus aduersitate, in tanta desolatione constitutus, necdum tamen spem tuæ misericordiæ abijciens, neque in tam desperatis rebus desperans, fidenter ad te in oratione mea clamaui: * iugiter per totã diem in oratione extendi ad te manus meas, absque intermissione toto cordis affectu, insuper & corporis gestibus orans à te postulaui misericordiã: hoc sciens, q̃ nec in rebus desperatissimis tibi sit difficile succurrere periclitantibus, teque vnum esse sciens, qui in tãta necessitate mihi possis ferre suppetias. 11. Clamabam autem in hunc modum, dicens: Nunquid tu domine in illis qui iam morte perierunt, ostendis tua mirabilia, & non magis in viuis exhibes tua magnalia, & in illis glorificare soles potentiam tuam qui adhuc in viuis agunt: * &

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

bunt, & confitebuntur tibi?

Psal. 113.

12 *Nũquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam?*
*& *veritatem tuam in perditione?*

Matth. 8. & 13.

13 *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua?*

*& *iustitia tua in terra obliuionis?*

14 *Et ego ad te domine clamaui:*
* & *mane oratio mea præueniet te.*

15 *Vt quid domine repellis orationẽ meam?*
* *auertis faciem tuam à me.*

16 *Pauper sum ego et in laboribus à iuuentute mea:* * *exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus.*

17 *In me transierunt iræ tuæ:*

* & *terrores tui conturbauerunt me.*

18 *Circundederunt me sicut aqua tota die:*

cum homo morte absumptus fuerit, non est vlla virtus humana, nulla E medicorum industria, quę possit mortuum ad vitã reducere, vt resuscitatus det cõfessionem & laudem tuo nomini. Non enim mortui vltra laudabunt te domine, in vita corporis: neq; semel mortuus reduci potest humana virtute, vt redeat ad iterũ laudandum te in vita corporis. Proinde nunc, ô suauissime Deus, donec adhuc in viuis ago, lætifica animam meam & spiritum meum, vt te donec fuero, laudem in lætitia: quandoquidem tempus breue est quo te laudare possum in vita ista corporis, nec erit semel egresso reditus. 12. Nunquid aliquis ex iis qui iam mortui sunt, iamq; secundum corpus in sepulchro cõditi enarrabit vltra, aut eloquetur per os suum opera misericordiæ tuæ, ad laudem tibi dandum in eis & gloriam?* & iustitia tua atque veritas nequaquam ad laudem tuam narrabitur in damnatione & morte inferni, sed erunt illic potius omnia lamẽtis & fletibus, dentiũq; stridoribus plena: nec audietur ibi vox laudis aut gratiarum actionis, vbi non nisi fletus audietur & stridor dentiũ. Nos itaque qui viuimus, fac in spiritus gaudio benedicere sancto tuo nomini, & ne illis nos similes fieri patiaris F derelictione nimia. 13. Profecto in loco illo horroris, in exterioribus illis tenebris non agnoscentur ad laudem, aut vllam gratiarum actionem, nec commemorabuntur aut recensebuntur mirabilia opera tua: * & iustitia tua nequaquã agnoscetur ad laudem, non cõmemorabitur ad gratiarum actionem, in terra illa obliuionis, in qua nulla erit tui vel tuorum beneficiorũ grata recordatio, in qua nullius est bonæ aut lætæ rei memoria. in qua nulla est rerum præteritarum læta aut consolatoria recordatio: * quam etiam tu prorsus obliuioni dedisti, & abiecisti penitus à facie tua, vt non eorum misereris imperpetuum, nullamque ei mittas in æternum redemptionem. Quapropter ad tui nominis gloriã te rogo, donec adhuc in loco isto peregrinationis dego, donec à misericordia tua nõ sum abalienatus, vt mihi tempestiue succurras? ne in locum illum tenebrarũ & obliuionis descendã, sed tua gratia & cõsolatione sustentatus, in tua semper laude permaneam. 14. Et ego, pijssime domine, illorum cõsiderans sortem miserandã, & meum attendẽs G maximum periculum, ego magis ad te exaltaui clamorem orationis meæ: * adeò vt summo mane exurgens de strato lecti mei, spreto cubili requiei, præuenirem ante conspectum tuum, antequã exoriretur dies, & donec adhuc molliter cubarent in stratis suis cæteri homines, vt vel tanta diligentia & importunitate quasi extorquerem à te quã petebã misericordiã. 15. Et quid est, pijssime Deus, q̃ orationem meam nõ admittis ante conspectum tuum, quòd non exaudis tam solicitè, tamque assiduè & importune clamantem?* & quare auertis à me benignum aspectum fauoris tui? quare non acquiescis clamanti? quomodo ita permanes obfirmatus, neque flecti te sustines? Non enim soles humilium & supplicum vota aspernari, neque obiicere humiliter & fidenter tuam faciem orantes. 16. Ecce ego (quemadmodnm optime tu nosti) pauper sum, & in laboribus ac malis plurimis versatus sum per omnem decursum vitæ meæ, ab infantia mea vsque nunc multas ærumnas, calamitates atque miserias sustinui in diuersis ætatibus, priusquam in hanc vsq; ætatem peruenerim: * nunc autem tandem, cùm videar ex tua ordinatione ad aliquã conscendisse celsitudinem, cùm ad ætatem grandiorẽ H perueniens viderer, vel temporalibus bonis exterius, vel spiritualibus interius sublimatus, iam vel maxime humilior, deiicior, atque conturbor, adeò vt quicquid laborũ in prioribus ætatibus (quando humilis erã & abiectus) pertuli, nihil videri possit, præ malis istis quæ nũc mihi in ætate grandiori & statu altiori (quantum videtur) constituto exurgunt. 17. In me nunc transire videntur omnes iræ tuæ, videtur super me & aduersum me nunc irruere perfecta & obfirmata iracundia furoris tui: tot mihi simul mala ex omni parte interius exteriusq; immittis, vt non videã quid vltra possit mali accedere, nisi viuens mergar in infernum: * & præter hęc ipsa, quæ nunc iam sustineo, etiã terrores tui quibus de subsequuturis æternæ dãnationis angustijs conscientia vexante metuo, valde cõturbabant anxiã, scrupulosam, & in pusillanimitate cõstituta animam meã. 18. Ex omni parte me circundederũt tã punitiones iræ tuæ, q̃ terrores illi, ad modũ aquæ vndiquaq; circundantes animã, nullã relinquentes partẽ corporis vel animæ quam non affligant, quã nõ contingant: quomodo aqua cùm circundederit quempiam, nullam partem

A

** circundederunt me simul.*

19 Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.

B

parte nõ contingit, ita vt vehemẽter mihi metuã ne obruar aut immergar in illis: quèadmodum in maximo est mortis discrimine, qui ex omni parte aquis cõsistit circundatus, maxime si cõtinuò increscat aquæ, & nulla videatur imminutio: * pariter in vnum agglomeratæ afflictiones presentes, & terrores malorum imminẽtium, ex omni me parte circundãt, vt nullum videatur effugium: quèadmodum cùm ex omni parte se aquarum fluctus agglomerant, vt nõ possit qui in aqua cõsistit euadere. 19. Et foret id quidẽ vtcunq; tolerabile, atq; ad ferendum leuius, si in tãtis malis adesset aliquis qui mihi tã afflicto assisteret, qui cõpassionis affectu cõmotus, vllum mihi siue verbo siue facto præberet cõsolationis leuamen. Nunc verò, ad cumulum totius meæ miseriæ, omni à me amicorum, proximorum, & familiarium elõgata cõsolatione, præ nimia miseria: dum illi propter nimiã meã humiliationẽ vel de me erubescunt, vel assistere mihi metuunt, ne & ipsi per me in periculum veniant. In tantis malis, ecce domine quomodo derelinquis seruum tuum, iugiter tamen ad te clamantem, & hactenus non est exauditio. Expectabo tamen in silentio salutare tuum domine, & posisidebo in patientia animam meam, donec tu quem expecto, liberator aduenias. Thre. 3. Lucæ 21.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXVII.

VErsu 3. Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. Per metaphoram dicitur quis appropinquare inferno, quando tantos sustinet cruciatus, vt videatur sibi existentibus in inferno similis, aut ab illis non multum abesse. Vel inferno appropinquare accipiatur, pro, appropinquare morti. Secundum quem modum dicere solemus, eos qui morti corporis sunt propinqui, iam alterum pedem habere in sepulchro. Applicando autem Psalmum Matt. 26. hunc peculiariter Christo domino, intelligendus est hic versus secundum id quod Apostolis dicebat ipse, agoniam illam grauissimam ingrediens, Tristis est anima mea vsque ad mortem, quando Lucæ 22. cœpit pauere & tædere, contristari & mœstus esse: quando in agonia positus, guttas sanguinis in terram decurrentis sudabit. Verè tunc oportuit repletam esse malis animam eius, tunc (vt ita loquamur) via eius inferno erat vicina. Quomodo etiam Dauid nonnunquam in tanta angustia extiterit, vt esset anima ipsius plena malis, & vita inferno proxima, nemo ignorat, nisi cui nõ est nota perC sequutionum impij Saulis sæua & insignis crudelitas. Idipsum quoque subinde experiuntur, qui piè volunt in Deo viuere, dum ad tempus, Dei dispensatione, ad suam probationem, à suo consolatore videntur derelicti: quomodo de seipso satis apertè testatur gentium Apostolus, in Epistola secunda 2. Cor. 1. ad Corinthios ita scribens, Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere: sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. ℂ Versu 4. Aestimatus sum cum descendentibus in lacum. Potest hoc intelligi, Assimilatus sum mortuis atque damnatis, & illis factus sum similis. Vel sic, Aestimatus sum ab inimicis cum descendentibus in lacum, hoc est, inimici me æstimauerunt & reputauerunt quasi vnum ex illis qui descendunt in lacum. Secundum quem modum intelligi etiam potest quod sequitur versu quinto & sexto. Omnia enim ista exponi possunt de æstimatione inimicorum, qui existimabant non posse illum quem persequebantur infernum & mortem effugere, & iam quasi inter mortuos atque habitatores inferni computabant, quem morti apud se destinauerant, definito consilio. Atque id si Christo aptauerimus, optime in eum quadrabit, aduersus quem mortis definita sententia non semel fuit à publico inimicorum concilio: quemadmodum apud Ioannem legimus. Ioann. 11. Ab illo ergo die cogitabant Iudæi interficere eum. Et alibi, Reus, inquiunt, est mortis. Opinati etiam Matt. 26. D sunt nullam fore curam Deo de Christo resuscitando ad vitam, si eum potuissent semel interficere, sicque de eo censebant quemadmodum de cæteris, qui vulnerati & interfecti cadunt in ore gladij, quos nemo conspicit ad vitam redire, sed dormientes manere in suo puluere. Sic enim censebant & de Christo futurum, si tantum ad mortem semel illum potuissent deducere. Nequaquam enim resu- Luc. 23. scitandum illum credebant. Item quasi vnum ex damnandis in inferno illum reputauerunt, quoniam Matth. 11. ab eis quasi blasphemus, quasi seductor populi, quasi seditiosus aduersus potestates ac principes, quasi potator vini & homo vorator, iudicabatur: cuiusmodi hominibus scimus esse deputatum lacum 1. Pet. 5. inferni, loca tenebrosa, & mortis vmbram. Ad eundem modum & de nobis existimant nostri inimici dæmones peruersi, semper nos circumeuntes vt deuorẽt, cùm fortè nos viderint à Deo derelictos ac deiectos animo, viribusque deficientes. Nos tamen in Elucidatione ista omnia nõ secundum inimicorum opinionem vel existimationem exposuimus, sed de ipsis afflictionibus & miserijs quarũ ratione assimilari videtur homo desolatus ijs, qui in morte sunt vel in inferno. ℂ Versu eodem. Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Hæc pars nõnullam videtur habere difficultatem, ex nomine liber, In Elucidatione exposuimus per vacuum vel derelictum: vt sit sensus, Factus sum sicut homo sine adiutorio, derelictus ab omnibus, vel vacuus absq; omni adiutorio. Potestque secundum hunc sensum duplex haberi constructio. Potest enim dictio, liber, coniungi cum illo quod præcedit, sine adiutorio, vt sit sensus, Aestimatus sum sicut homo liber sine adiutorio, inter mortuos, id est, destitutus & vacuus sine adiutorio, secundum quem modum loquẽdi interdum dicunt homines, se esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

nudos absq; vestimento, pauperes absq; pecunia. Potest etiã nomẽ liber copulari immediate eum il- E
lo, inter mortuos, ac tunc sonat derelictum, estq; tunc sensus: Derelictus inter mortuos, vt ad quẽ nemo vltra respiciat. Atq; horum sensuum vtrunq; nos in Elucidatione paucis indicauimus. Secundũ
Rom. 6. verò priorẽ sensum illum de vacuitate siue destitutione & carentia, ferè etiã Paulus Apostolus eodẽ vocabulo vsus inuenitur. cap. 6. Epist. ad Romanos, ita scribens, Cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ, id est, à iustitia vacui, nudi, iustitia destituti, iustitia carẽtes. Quidã intelligunt, liberi à rebus huius vitæ: vt exprimatur mortuorum cõditio, qui hac vita defuncti, à rebus huius vitæ sunt liberi. Si verò hunc versum peculiariter personæ Christi voluerimus accõmodare, præter expositionẽ
Psal. 21. supradictã alia admodum digna & iocunda pro illius gloria in hoc versu accipi poterit intelligentia, sed erit alia accipienda cõstructio. Nam illud quod nouissimo loco ponitur, inter mortuos liber, debebit secundum cõstructionem verbo factus tum præponi, & à parte suppositi cõstitui, ad hunc modum, Ego qui sum inter mortuos liber, factus sum sicut homo sine adiutorio. Nam in passionis humilitate, Christus dominus, qui solus est inter mortuos liber, factus fuit sicut homo omni destitutus adiutorio, patris ac sua voluntate in tantã destitutionẽ derelictus, vt secundum serui formam clamaret, dicens: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Rectissime verò Christus dominus se dicit inter mortuos liberum, & hoc illi peculiariter in omnibus mortuis cõpetit. Neque aliorum hominum quisquã se poterit inter mortuos appellare liberum, præter vnum Christum dominum. Idcirco F
autẽ inter mortuos liber est, quoniã non aliqua necessitate mortẽ sustinuit, quasi fur aut latro, aut ceteri homines, quibus volentibus nolentibus vis inferri potest vt mori cogantur, sed propria sua voluntate, quado voluit, & sicut voluit, mortẽ suscepit: neque potuisset, nisi propriæ voluntatis permissione & acceptatione, à morte apprehendi. Deinde, cùm ad triduum in morte ex sua propria voluntate permaneret, iuxta patris voluntatem, & iuxta quod ipse prædixerat, non habuit ne tunc quidem mors potestatẽ illum detinendi: sed liberrime quando voluit exurrexit, & morte relicta ac superata,
Rom. 6. iterum ad viuos redijt: factusq; est viuus post paululũ qui fuerat mortuus, vt vltra mors illi nõ domi-
Apoc. 1. naretur in æternum, & amodo viueret in sæcula sæculorum: quẽadmodum ipse in Apocalypsi apparens dilecto suo discipulo loquitur. Pulcherrime verò hanc suã libertatẽ ante passionem expressit, corã turbis & discipulis ita loquens, Potestatẽ habeo ponendi animã meã, & potestatem habeo iterũ
Ioann. 10. sumendi eã. Et iterum, Nemo tollet eã à me sed ego pono eã à meipso. Qui enim sic talem habet potestatẽ, & animã ponendi, & iterum pro placito resumẽdi: nihil dubium, quin huiusmodi sit liber etiã inter mortuos. Hoc ergo cõqueritur (secundum hãc applicationẽ) Christus, quòd ipse Dei filius etiã inter mortuos liber, factus sit quasi homo impotẽs absq; adiutorio, vt existimetur nõ posse de manibus inimicorum sese defendere. Verum ista intelligentia nõ videtur quadrare, nisi cum ad Christum Psalmus peculiariter applicatur. Etsi Hebreã respiciamus lectionẽ, obstitit huic quoque intelligẽtiæ, G
q illud inter mortuos liber ita distinguatur, vt sit principium versus sequentis, vt videatur nõ connectendũ cum præcedentibus, ac proinde sensum prædictũ nõ satis cõmode posse haberi. Sic enim distinguunt, Factus sum sicut homo sine adiutorio. Ac deinde, Inter mortuos liber sicut vulnerati. &c. Cùm verò generaliter applicare voluerimus Psalmum, accipienda est altera illarum expositionum, quæ in Elucidatione indicatæ sunt, & in annotationibus priori loco expositæ, quæ etiã originali lectioni Hebraicæ magis cõsonant. ¶ Versu 8. Longe feciſti notos meos à me, posuerũt me abominationem sibi. Hoc ipsum vt magnum miseriæ suæ grauamen repetit versu vltimo, dicens: Elongasti à me amicum & proximum & notos meos à miseria. Experitur enim hoc in se quilibet, q̃ graue sit, ab ijs quos prius amicos habuit, in tempore aduersitatis derelinqui, Quomodo autẽ istud tam in Christo domino, q̃ in persona Dauid valde fuerit impletum, manifeste docent sacræ historiæ: de illo quidẽ noui, de hoc autẽ, veteris testamenti, & nos in Annotatione vers. 14. 15. & 16. Psal. 30. latius deduximus. ¶ Versu 13 Et iustitia tua in terra obliuionis, Terra obliuionis dicitur locus dãnatorum duplici ratione: videlicet quia nõ sunt vltra memores Dei in bonum qui illic sunt, neque etiã memoriã vllã habent priorum, quę ipsis in aliquã esset consolationem. Omnium enim pomparum, delitiarum, voluptatum, quibus in hoc mundo vacabant, iã nõ est illis ad cõsolationem quamcunque vlla memoria: sed prætereunt omnia, acsi nunquã fuissent. Secũdo terra obliuionis est, quia à Deo obliuioni da- H
ta, sic vt nunquã qui in ea degunt inde sint deliberandi. Siquidẽ in inferno nulla est redemptio. Neq; verò solus Deus obliuioni dat terrã illam, verumetiã sancti angeli & super terrã viuentes. Nec enim sancti angeli vllam de illis adiuuandis curã gerunt, scientes definitã Dei sententiam: neque qui super terrã sunt, illorum vltra recordantur, vt quicquam eis impendant vel solatij vel auxilij. Atque hanc posteriorem intelligentiam indicat versio Hieronymi ex Hebræo, quæ sic habet, In terra quæ obliuioni tradita est. Neque male cõsonat quod habet Felix, In terra desolationis, vel in terra desolata & deuastata. ¶ Versu 16. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Quod istud quidã ad laborẽ manuum referunt, dicentes intelligi, ℣ Christus simul cum nutritio Ioseph in exercendo fabrilẽ artem laborauerit, propter pauperiem, id huic loco non admodum videtur cõuenire, etiamsi de Christo totus Psalmus peculiariter exponeretur. Labor enim in scriptura plerunque pro afflictione quã quis sustinet accipitur, & pro difficultatibus quas perpetimur: quemadmodum ex plurimis locis facile posset declarari, si non vt rem certam & notam præsupponeremus. Vnde & hoc in loco B Hieronymus vertit, Pauper ego & ærumnosus ab adolescentia mea. Neque ego nunc differo, an non verum sit aliquando manibus Christum laborasse: sed hoc tantum dico, huic scripturæ non esse illud accommodum, neque de tali labore intelligendum, sed de ærumnis, afflictionibus, & miserijs multimodis, quas ipse pro nobis in sua tenera carne Dei filius portauit à principio suæ natiuitatis: quando in

A do in loco extraneo, in parentum peregrinatione nasci voluit, in loco ad puerperiũ inepto & imparato, minimeque idoneo, nempe in stabulo, vbi pro lecto erat durum præsepium: mox verò in fuga ad Aegyptũ à facie regis Herodis, ac deinceps vsq; ad horã mortis. Admodum verò pulchrè subiungit, Exaltatus autẽ, humiliatus sum & cõturbatus. Nã ea quę Christus pertulit pro nobis, donec latebat abscõditus, donec vt infans, vt puer, vt adolescens viueret mundo incognitus, vtcunque leuia erant, neq; ita ad tolerandũ grauia. At verò posteaquã tricesimo ætatis suæ anno, patris voce desuper into- Matth. 3.
nante, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, ipsum audite: sic magnifice exaltatus & mirabiliter glorificatus est, cœpit iam multo grauioribus laboribus obrui, multo pluribus ijsque difficilioribus molestijs grauari: vt priores ætates dulces videri potuerint præ huius status amaritudine. Ab eo enim tempore quo ita exaltatus fuit, ex quo cœpit patris iussione prædicando Euangelio intendere, extunc cõcitati sunt aduersus eum Scribarum & Pharisæorum animi, qui ipsum odio implacabili per totum prædicationis tẽpus obseruabant amaro inuidoque animo, & persequebantur: qui multas illi exhibuerunt molestias & cõturbationes secundum hominẽ, donec tandem in mortẽ crucis ignominiosissimam illum adegissent. Peculiariter etiã ex illa exaltatione maxima, qua paulò ante suam passionem in Hierosolymam introiuit cum summa gloria, ipse in asino sedens, turbis illi pium Matt. 21.
Osanna acclamãtibus, & Benedictus qui venit in nomine domini, eleuata voce canentibus, in sum-
B mã post paululum venit humiliationem & cõturbationẽ. Extunc enim cõsummatus fuit Iudæorum furor, vt illum irreuocabili sententia, quocunque tandẽ mortis genere auferrẽt de medio: quomodo Matt. 26.
& post paululũ, vbi aduenissent statuta hora, in manus illorum traditus, verè multum cõturbatus fuit, Philip. 2.
vt diceret, Tristis est anima mea vsque ad mortẽ, & humiliatus valde, nimirum (iuxta Apostoli vocẽ) vsq; ad mortẽ crucis. Atq; ita quidem Christo domino ista peculiariter rectè accõmodamus, Neque minus cõmode ipsi quoq; Dauidi hæc valebunt applicari: qui licet ab adolescentia gregẽ patris pascens, & post fœtantes incedens, multos fuisset perpessus labores. (Nõ enim parui laboris erat mag- Gene. 31.
nos greges pascere, quẽadmodum Iacob corã vxoribus suis de patre illarum conquerens, satis luculenter exponit) multo tamen maiora, & his nequaquã conferenda sustinere debuit, post immanem illum gigantẽ blasphemum Goliath gloriose deuictum, quãdo triumpho illo tam magnifico ita sublimatus est, vt ab eo penderent oculi omnium, esset̃que ipse dux populi ante illos ingrediens & egrediens, velut locum regis tenens, factus populi dux & gener regis. Post hãc enim exaltationem, in quãtum venerit laborẽ, ex Saulis persequutione, nemini est incognitum. Idipsum & in nobisipsis passim experimur, quo altius euehimur & subleuamur, eo maiores nobis continuò labores superaddi: vt illos quos vulgus putat propter gloriæ sublimitatẽ beatos, prudentes viri iudicẽt omnium hominum ærumnosissimos, ac laborum prę cunctis mortalibus plenissimos, si modò sibi cõmissa potestate pro
C dignitate & iustitia rectè fungi velint. Spiritualiter verò hoc ipsum subinde solet accidere, vt post summã exaltationẽ veniãt spirituales viri in maximã humiliationem atq; cõturbationem. Interdum enim Deus abundanti cõsolatione suæ prę sentiæ atq; visitationis, adeò lætificat corda seruorũ suorum, vt sibi videantur in maximo gaudio ac summa lætitia & libertate vitã ducere, vt sibi videantur intra cælestes agere ciues. Vicissim verò nõnunquam prorsus se elõgans Deus, & inimicis ad tentandum concedens aditum, eum quẽ prius tanta cõsolatione sic exaltauerat, vt in cælo sibi videretur degere, ita permittit grauissime interius exteriusque affligi, ita permittit cõturbari illum & cõsternari, vt sibi videatur in inferno vitã ducere, & iam se morti iudicet proximum: dum cõtinuò accrescente afflictione, nullã alicunde percipit cõsolatiõnem releuantẽ. Tale aliquid in Psal. 29. Psalmista indica- Psal. 29.
uit, dicens: Ego autẽ dixi in abundantia mea, nõ mouebor inæternum: Domine, in voluntate tua prę stitisti decori meo virtutẽ. Hic certè exaltatio est. Sed audi quod sequitur, & videbis cõturbationem. Auertisti, inquit, faciem tuã à me, & factus sum conturbatus. Videlicet manifesta est hæc cõmutatio, quã etiam prolixa sequitur lamentatio. Ad te domine, inquit, clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descẽdo in corruptionem? Nunquid cõfitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuã? Vide fletum cõturbati, vide gemitum hominis terroribus diuinis cõterriti. Ita sanè dispensatione occulta sapientissimus Deus electos suos nunc humiliat, nunc exaltat,
D nunc subleuat, nunc deprimit pro suo beneplacito: omnia verò propter illorum probationem & lu- Iob 42.
crum salutis, vt ab ea quam tenent, nõ cadant iustitia, & ad altiora Dei munere, cùm probati fuerint, mereantur promoueri, donisque maioribus cumulari, quemadmodum de beato viro Iob in exemplum legimus, quod post probatam patientiam, reddita sunt illi cuncta duplicia.

LXXXVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PRophetat in hoc Psalmo sacer vates sub typo Dauid, de regno regis Messiæ, in cuius typum ille præcessit: prius tamen versibus aliquot in præconio multiplicis Dei laudis occupatus, videlicet in efferendo Dei veritatem, magnificentiæ & gloriæ incomparabilem sublimitatem, summam potestatem, qua etiã mari imperat, quaq; superbos omnes & inimicos conterit: dominij latitudinem, quod se latissime spargit in cælum vsq; & in omnes partes terræ: iustitiam quoque & iudicium, misericordiam & veritatem, in quibus est præparatio sedis Dei: iustis rationibus beatum prædicans populum, qui nouit iubilare suo domino, quod illa à domino fuit futura protectio, & mirabilis danda sublimatio. Atque hæc vsque ad versum decimumnonum. Hinc verò Deus pater introducitur, magnifica promissa Dauidi etiam iuramento confirmans, de seminis sui perpetua conseruatione, de throni regij æterna sublimatione, de misericordia imperpetuum semini ipsius seruanda, & alia huiusmodi multa. quæ omnia ad Dauid quidem vtcunque pertinent, & ad semen eius, secundum temporalem quandã fœ-

licitatem ipsius ac filij Salomonis post eum præcipua tamen intentione, verum illum Messiam (cuius typum gessit filius Isai) spectant, ad quem præcipua & primaria referenda est intelligentia omnium eorum quæ de æterna illa fœlicitate multis versibus describuntur, vsque ad versum 37. Post hæc verò ad finem vsque Psalmi grauis proponitur querimonia, super fidelis populi derelictione & afflictione, cui tam magnifica sunt in Dauide & Christo promissa: quorum etiam commemoratio Deo qui promisit, obijcitur, vt vel sic ad misercendum cogatur, qui cum sit veracissimus, non potest non implere promissa. Nouissime verò circa finem Psalmi graue opprobrium proponitur Deo ante oculos, quo ab impijs populus fidelis afficitur, imò ipsum Dei nomen blasphematur, quo vel sic Dei misericordia ad subueniendum inflectatur.

OCTVAGESIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Misericordias domini in æternum cãtabo.*

Psal.144. 2 *In generatione et generationem, annunciabo veritatem tuam in ore meo.*

3 *Quoniam dixisti in æternum misericordia ædificabitur in cælis, præparabitur veritas tua in eis.*

4 *Disposui testamentum electis meis:*
* *iuraui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuũ.*
5 *Et ædificabo in generatione et generationẽ, sedem tuam.*

Luc.1. 6 *Confitebuntur cæli mirabilia tua domine:*
* *etenim veritatem tuã in Ecclesia sanctorũ.*

7 *Quoniam quis in nubibus æquabitur domino?*

* *similis erit Deo in filijs Dei?*

8 *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum.*

Misericordiam domini maximam & multiplicem, quã semper erga humanum genus monstrauit ab initio, & quam exhibere erga electos nunquam desinet, ego, vt dignum ac iustum est, perpetuis celebrabo canticis, vt sempiternæ misericordiæ perenniter respondeat laus, & carmen æternum. 2. Veritatem quoque & fidelitatem tuam, qua verax es in cunctis sermonibus, F & fidelis in promissionibus tuis, ego prædicabo & celebrabo, notamque faciam per mea cantica in subsequuturis ad consummationem vsque sæculi cunctis generationibus, per Psalmos & cantica, quæ super his dictabo, & canam per os meum, ad tuam sempiternam gloriam. 3. Tu enim dixisti, tu ita apud te statuisti ac definiuisti, q̃ in cælis sempiternam ædificares ac præparares misericordiam tuam, quodque veritatem & fidem tuam præparares & ædificares sempiternam in cælis: Ita tibi placuit ab æterno prædestinare & definire apud temetipsum in cęlis, quomodo in temporis plenitudine præordinatam ab æterno misericordiam & veritatem opere exhiberes in tempore suo. 4. Vox domini. Patribus prioribus, quos elegi & segregaui mihi de coinquinatione sæcularis malitiæ, ego disposui, ordinauiq; testamentum, percussi cum illis fœdus, feci promissionẽ illis de exhibenda in tẽporis plenitudine misericordia semini eorum, cum Abrahã videlicet, Isaac & Iacob atque horum similibus, primis illis Patriarchis: * peculiariter verò G in posteris generationibus pollicitationem stabilem, sic quasi iuramẽto firmatam feci seruo meo Dauid, quem inueni hominem secundum cor meum, promittens illi, q̃ in æternum essem cõseruaturus & stabiliturus posteritatem & semen ipsius. 5. Quodque thronum regni eius ita stabilirem in omnes generationes, vt esset de semine eius qui regnaret in domo Iacob super populum Dei in æternum, & cuius regni nõ esset finis. Huic enim Dauidi cum iuramẽto firmaui, q̃ de semine eius nasciturus esset in tẽporis plenitudine Messias filius meus, qui regnaturus esset super populum meum, cui ego darem sedem Dauid patris ipsius secundum carnem, vt regnaret in domo Iacob, in populo fidelium, in sancta Ecclesia in æternum, & cuius regni nõ foret finis imperpetuum. 6. Vox Prophetæ. Mirabilia ista quæ tu domine decreuisti & cogitasti, ac ab æterno præparasti exhibere generi hominum, in tempore suo, confitebuntur & prædicabunt sancti tui Apostoli viri planè cælestes: * & quidẽ veritatem tuã ac fidem qua fidelissime seruas promissa & imples, ipsi annunciabunt, prædicabunt, & diuulgabunt per H orbem vniuersum in congregationibus sanctorum, per vniuersam Ecclesiam sanctam tuam: insuper & veritatem tuam omnem quam notã facies eis, & quam illos docueris per spiritum veritatis, ipsi diligentissime annunciabunt per vniuersam Ecclesiam. 7. Nec immerito te cæli prædicabunt vbique terrarum, quoniam quidem tu omnibus es excellior, & dignus qui efferaris, quiq; prędiceris super omnia. Nemo enim vel in nubibus desuper, nemo in supernis cælorum habitaculis inueniri potest, qui æquetur tibi, qui possit aut debeat æstimari æqualis tibi, ô altissime: * nemo vel in filijs Dei, in sublimibus illis angelicis spiritibus, qui in conspectu tuo sunt, assignari poterit similis tui, qui tecum in vllo valeat conferri, Quantominus hìc in terra, aut subtus terram in inferno poterit inueniri aliquis, qui tibi possit secundum aliquam æqualitatem vel similitudinem comparari? 8. Tu Deus es qui glorificaris, qui magnificaris, & gloriosus redderis in beata congregatione sanctorum tuorum, cuius maiestas summa relucet, ac sese monstrat siue ostentat in medio angelorum sanctorum, sanctorumque patrum, in quorum medio habitas: sicut glorificatur regia maiestas in medio

A * *magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.*
9 *Domine Deus virtutum, quis similis tibi?*
* *potens es domine, & veritas tua in circuitu tuo.*

B 10 *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuũ eius tu mitigas.*
11 *Tu humiliasti sicut vulneratum superbũ:*
* *in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos:*

C 12 *Tui sunt cæli, & tua est terra:*
* *orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti:*
* *Aquilonem & mare tu creasti.*
13 *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt:*

D * *tuum brachium cum potentia.*

14 *Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua:*

* *iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.*

medio siue in cõcilio magnatũ suorum, cùm in eorũ medio secundũ magnificentiã suã regalibus indumentis adornatus residet: * verè magnus in omnibus tu es, & terribilis ac metuendus, prę omnibus qui sunt in circuitu tuo: tu omnium ministrorũ tuorum gloriã tua præcellentia offusca & obscuras, vt in immensum tuæ maiestatis resplendentia illos superans. 9. O magne & verè maxime domine Deus cælestium illorum & inuictorum exercituũ, qui coram te sunt omni tẽpore, quis posset vel in cęlis desuper, vel in terra deorsum, aut in extremis maris inueniri tui similis, qui exaduerso tibi possit opponi, quasi tibi æqualis, aut tui secundũ omnimodã perfectionis nobilitatem similis? * tu enim Gen. 18. domine potentissimus es, & ita potens, vt nihil tibi sit difficile, neq; sit Luc. 1. apud te impossibile omne verbum insuper, & veritas tua est in circuitu tuo, ipsa te ex omni parte circundat: quicquid in circuitu tuo est, fides est & veritas: inseparabilis est à te veritas & fides, vt nõ possis nõ adimplere quæ es pollicitus, vt nõ possis obliuisci promissionũ tuarum, vt mentiri nõ valeas inæternũ, neq; aliud q̃ quod fides & veritas expostulat præstare. 10. Tu imperiũ habes & dominium nõ solum lõgè ac latè super vniuersam terrã, verumetiã super maris superbiã atq; sæuitiã: & tu potestate habes mitigandi atq; sedandi feritatem, elationemq; fluctuũ eius pro tuo libito, vt nõ se altius q̃ oporteat eleuent, & ad tuæ iussionis mãdatum statim cõquiescant: quod certè nemo potest ex omnibus regibus aut principibus, qui super terrã sunt. 11. Tu in virtute terribilis potentiæ tuæ humiliasti ac deiecisti superbum illum principem exercitus angelorum malorum: tibi se volentem æquare Luciferum, humiliasti atq; depossuisti de sede gloriæ suæ, in mortem eum cõiiciens, sicut hominem interfectum gladio: * in extento brachio gloriosæ tuæ fortitudinis omnes cõplices eius tuæ gloriæ detrahentes deiecisti, & deturbasti potentes illos de sedibus suis, ac rudentibus inferni detractos de cælo in profundi abyssi demersisti eos: * Superbã quoque Aegyptũ tu humiliasti, & interfecisti in plagis tuis pluribus: & rebellantem tibi Ibidem. Pharaonem cum vniuerso populo suo demersisti in profundum ma- 2. Pet. 2. ris, & morte eos perire fecisti, quomodo solent qui iugulãtur & interficiuntur gladio. 12. Tua sunt quæcunque creata subsistunt, suprema & infima, cælestia atque terrestria: tu omnipotenti verbo iussionis tuæ suscitasti de nihilo, propter quod & ad te vt verum dominum spectãt vniuersa, ita vt solus potestatem habeas de eis agendi quicquid libuerit: * vniuersum orbem terrarum, & quicquid in eo continetur, tam animatum quàm inanime, tam sentiens quàm insensibile, tam rationalia quàm rationis expertia, omnia tu potenti verbo tuo creasti de nihilo: * vniuersas quoque orbis partes cum omnibus quæ in eis sunt, partem videlicet Aquilonarẽ, quæ est ad sinistram, & partẽ meridionalem, quæ est ad dexteram, & ad quam situm est mare, æque tu creasti, cum omnibus quæ continentur in eis. 13. Plaga occidentalis in qua situs est mons Thabor, consideratione ad alteram Israël, & plaga orientalis ad quam situs est mons Hermon (qui sunt duo præcipui montes terræ Israel) exultabunt in nomine tuo: omnes habitatores terrę populi tui, siue qui ad orientem habitant, siue qui ad occidentem, in te domino Deo creatore suo lætabuntur, cum exultatione magna, quando tibi placitum erit respicere & visitare populum tuum: * tuum brachiũ nequaquam impotens est, vt est omne humanum brachium: tua potentia minime debilis aut infirma est, sed est tuum brachium prævalidum, & tua potentia est robustissima, ita vt nihil tibi sit impossibile, neque difficile: neque quisquam illi possit resistere, aut impedimentum præ- Gene. 18. bere in omni eo quod agere tibi libuerit. 14. Et quidem de fortitudine Luc. 1. tui brachij, de tua prævalida potentia omnino nihil hæsitamus, nihil diffidimus. Tantũ oramus, vt manꝰ tua ista cõfirmetur super nos in bonũ, ad protectionẽ, defensionẽ, & custodiã nostri, vtque robustissimam istam dexteram tuam nõ sinas in tuo sinu marcescere, & ociosam esse: sed ad operationem mirabilem extendas eã, vt in ea pro tui populi salute operari velis mirabilia opera potentiæ tuæ, sicque exaltetur ipsa & glorificetur in mirabilibus tuis. * iustitia & iudicium sunt, quę tibi præparant sedem tuã, thronus tuus in æquitate & rectitudine constitutus est, fundatus & cõstabilitus, vt nõ possis tu nisi quod iustum & æquum est peragere: ac proinde nullum est bonis & rectis periculum à tua potentia: neque est quod metuamus, ne tu in nos tyrannidem exerceas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.24. 15 *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam:*

* *beatus populus, qui scit iubilationem.*

16 *Domine in lumine vultus tui ambulabũt:*

Ioan.16.

Ioan.14. Philip.4. * *& in nomine tuo exultabunt tota die:*

Ioan.1. * *& in iustitia tua exaltabuntur.*

17 *Quoniã gloria virtutis eorum tu es:*

2.Cor.3. Ioann.15.

Philip.2. Esaiæ 26. 2.Cor.3. * *& in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.*

18 *Quia domini est assumptio nostra, & sancti Israël regis nostri.*

19 *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti:*

* *posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea.*

20 *Inueni Dauid seruum meum:*

1.Reg.16. * *oleo sancto meo vnxi eum.*

(quæ ferè apud mortales magnam & eximiã solet cõsequi potentiã, cum vnum aliquẽ fuerit combusta)eo quod stabilitũ habeas tuũ thronum regiũ & iudiciariam sedem in iustitia & iudicio,neque possis nisi quod iustum est & æquum iudicare vel agere. 15.Misericordia & veritas antecedunt faciem tuam, nusquam à te absunt misericordia & iustitia, aut misericordia & fides siue fidelitas: semper his comitatus incedis,sunt́que tibi velut indiuidui comites & conciliarij,neq; omnino quicquã agis absq; horum præsentia simul & consilio:quoniã quidem vniuersæ viæ tuæ sunt misericordia & veritas, & hæc duo monstrant vbiq; in cunctis operibus tuis: * Beati proinde sunt illi,qui cognoscẽtes fide dominũ Deum suum,quantum habeãt & qualem,quàm iustũ, quàm veracem,quàm misericordem,quàm fidelem,qui hæc,inquam, fide recta cognoscentes,norunt iubilare atque lætari in domino Deo suo,qui spem habentes in domino Deo suo,omni procul pulsa tristitia gaudere norunt in illo, in pace Dei exultantes in cordibus suis, quod talem se cognoscãt habere dominum. 16. Domine,huiusmodi qui recta te sic fide cognouerint, ambulabũt in directione atq; ducatu cælestis & spiritualis luminis,quod à vultu tuo radiare facies,ac resplendere in cordibus eorũ:à resplendentia lucis tuæ facies in mentibus illorũ lucere claritatem spiritualis luminis,per missionem & vnctionẽ internam spiritus tui,in cuius ducatu ambulabunt atq; proficiẽt de virtute in virtutem, & nequaquam torpidi iacebunt aut quiescent:* sic autem ambulantes in lumine tuo nequaquam degent in tristitia, sed eruut in cõtinuo gaudio,quod nemo tollet ab eis,eruntq; semper in te gaudentes,vtpote in cordibus suis tuam pacẽ habentes,quam mundus vt non dare, ita nec auferre potest:sed quã tu dabis,& relinques eis,quæ omnẽ longe sensum exuperat: * & in tua iustitia vera,quã dabis illis,magnifice exaltabuntur:Per iustitiã enim fidei, qua à te iustificabuntur credentes in nomine tuo, potestatẽ accipient, vt fiant ex filijs diaboli filij Dei,quæ sanè exaltatio est omniũ maxima. 17.Tu enim es gloria fortitudinis omnium seruorum tuorũ,vniuersi populi tui gloria tu es,nõ est quod gloriemur in nobis,cum nõ simus sufficientes ex nobis quasi ex nobis,vel cogitare aliquid, neq; sine te quicquam possimus facere, absq; te nulla prorsus sit virtus nostra, nisi nobiscum operetur gratia tua,quę iustificat animas nostras:propter quod,oportet nos nõ in nobisipsis gloriari,nõ fidere in propria fortitudine,sed in te domino Deo nostro,qui operaris in nobis & velle & perficere pro tua bona voluntate,qui omnia opera nostra in nobis,& nobiscum operaris,à quo denique est omnis nostra sufficientia: * & in tua bona atq; benigna voluntate magnifice sublimabitur atq; eleuabitur fortitudo & virtus nostra:cum tibi fuerit in nobis placitum,vt tua nos adiuues gratia, & fauore tuo benigno prosequaris,tunc subleuabimur & exaltabimur super omnes inimicos nostros. 18. Ad te enim domine spectat susceptio nostra,à te esse debet,& est nostra defensio, protectio, liberatioq; populi tui,ab omnib⁹ inimicis nostris, & ad te solũ id spectat,à te vno id expectamus, ô sancte Israël rex noster, qui sanctificaris in populo tuo, & solus verè regnas in eo, vt in electo regno tuo. Non enim est nobis susceptor alius,non alius protector,defensor,aut liberator: tu solus es qui nobis potes, vbi fuerit tibi beneplacitum de inimicis nostris dare salutẽ. 19. Illo in tẽpore,quando tibi placuit respicere & assumere tuũ populum,eumq; ab inimicis & omnibus qui eum oderãt & oppressẽrãt liberare,tunc per spiritũ in visione interius reuelasti aurem sanctorum tuorũ,indicasti sanctis Prophetis tuis,Samuẽli,Nathan,Gad,& si qui alij erant horũ similes,consiliũ beneplaciti tui,dixistiq; eis: * Vox Domini. Elegi mihi virum secundũ cor meum, quẽ ego meo adiutorio faciam potentem,ad liberandum populum meum & saluandum de manibus inimicorũ, & de populo meo ego elegi quem volo exaltare & vngere in regem,vt regnet super populum meum, eumq; defendat. 20.Hic quem loquor Dauid est, filius Isai, quem ego inueni virum secundum cor meũ, quem ego aptaui mihi seruũ meum fidelem, quem ego talibus ornaui dotibus & bonis,vt sit mihi bene in illo complacitum: * hunc ego per Samuelem Prophetã meum volui sancto consecrationis oleo vngere in medio fratrum suorum, atque hac consecratione regem populi mei,Saule abiecto,cõstituere: * Simul verò in hoc Dauide temporaliter regnante super Israëliticum populum secundum carnem,

carnem,præcipuum aliũ specto verũ Dauid & Messiam, in cuius typũ prior ille præcessit,vt typicus Dauid in figura veri Dauidis, in quo cũ aduenerit in temporis plenitudine, ponam ego prævalidum adiutoriũ meum,quem oleo lætitiæ & spiritus mei præ omnibus participibus & consortibus ipsius vngam, non ad mensuram positurus in eo spiritum meum,vt regnet in domo Iacob,in Ecclesia mea in æternũ. 21. Et quidem fortitudo manus meæ adiuuabit tam illum typicum, q̃ hunc verũ Dauidem:*& prævalidum brachium meum confortabit eum & corroborabit:typicum quidẽ illum, vt tẽporaliter sufficiat de corporalibus hostibus per circuitum liberare populum,qui secundum carnẽ Israëliticus dicitur,sibiq; armorum vi omnes per circuitum possit subiugare nationes,vt reddere tributarias:hunc autẽ verum Dauidẽ, vt possit Israëlem secundum spiritum, fidelem populũ meum, saluare à peccatis eorum,& de crudeli tyrannide principis tenebrarum. 22. Nihil poterunt aduersus eũ omnes inimici eius,nõ illi aliquo modo prævalere,sed neque resistere poterunt:iniqui & mendaces non apponent vt noceant illi,nõ ad hoc pertingere poterunt, vt quicquã illi inferant nocumenti. Nam illũ quidem typicum Dauidẽ ita ego mea protectione defendam, simul & regnum eius, vt nullus inimicorum illi possit prævalere, imò neque resistere,neque filij Belial alienigenarum nationum quæ sunt in circuitu eius aduersus illũ quicquã promouere, sed econtrario omnes subiugabuntur ipsius imperio, reddamque illi cunctas per circuitum nationes tributarias.Hunc autẽ verum Dauidem ita exaltabo super omnes inimicos populi sui,super etiã spiritalis nequitię dæmones peruersos(qui sunt veri iniquitatis filij, omnis iniquitatis inuentores, suasores & promotores) atque adeò super ipsum principem tenebrarum, & principẽ huius mundi, ita vt aduersus ipsum nihil habere valeãt,quinimo omnibus his cõdemnatis & foras ejectis, absq; resistentia & nocumento eripiat de manu illorum populum suũ,& de captiuitate durissima ingratissimã restituat libertatem filiorũ Dei. 23. Atq; ad hunc modũ ego percutiã & interficiã coram eo inimicos ipsius,per virtutẽ omnipotentiæ meę:& tẽporales illius hostes,& huius spirituales(qui populum ipsius tyrannide iniusta oppressẽrant)ego confringam, cõminuam atq; humiliabo:* & omnes qui eum oderunt,ego cõfusos reddã, & in fugã conuertã,disperdã,ad nihilum redigã,faciamque nihil eorũ quæ moliuntur,obtinere. 24. Eritq; cũ eo semper veritas siue fidelitas mea & misericordia mea,quæ illũ defendet ad quęcũque perrexerit,& prosperari faciet in omnibus quæcunque fuerit operatus, per quã in omnibus semper tutus ipse erit & securus,etiã in medio vmbræ mortis,& ad omnia quæcunque voluerit, forte habebit auxilium: * & in nomine meo sublimabitur cornu illius, ex virtute quam ego ostendã per illum aduersum inimicos glorificabitur virtus eius, & extolletur caput eius, imperiumque & gloria efferetur per vniuersum orbem terrarum, vbicunque fuerit audita fama virtutum gloriæ eius, quas per illũ ego fuero operatus. 25. Tam latè autẽ regni illius protendã terminos, vt non solum intra montana habeat suę dominationis imperiũ,neque in terra solum Iudææ,verumetiam in insulis maris obtineat principatum,& in regionibus longinquis (quæ per flumina varia diuiduntur abinuicem) habeat principatum & imperium,vt illas habeat suæ subiectas dexterę. Nam & typici mei Dauidis imperiũ latè admodum propagabo, ita vt agnoscant aliquando eius imperium cuncti Syrij vsq; ad Euphratẽ,totaque Mesopotamia dicta Syria fluminum,item & Palestini,qui ad mare habitãt. Ammonitæ quoque,Moabitæ,Edomitæ,& aliæ gentes per circuitum. Messię autẽ mei imperium per orbẽ vniuersum mirabiliter dilatabo in plenitudine temporis, quando illi dabo omnem potestatẽ in cælo & in terra,quando illi dabo gentes in hereditatem,& terminos terræ in possessionem, quando ex omnibus gentibus & populis (tam qui in terra habitant,quàm qui in maris insulis) faciã conuerti ad verum cultum nominis eius. 26. Ipse corde fideli me inuocabit vt patrem suum,dicetque mihi filiali affectu,pater meus es tu, Deus meus es tu, & defensor salutis meæ:solus tu saluator meus,imò tota salus mea: affectu prorsus filiali ita erga me affectus erit,quomodo erga patrem filius afficitur,agnoscens corde grato verè paterna mea beneficia, & in me quomodo pater in filio omnem collocatam habebit fiduciam. Ille quidem typicus patrem me appellabit secundum specialem curationem:

Psal.44. Ioan.3. Luc.1.

Matth.1.

2.Reg.8.

Matt.28. Psal.2.

Psal.17.

21 *Manus enim mea auxiliabitur ei: * & brachiũ meum confortabit eum.*

22 *Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.*

23 *Et cõcidam à facie ipsius inimicos eius.*

* *& odientes eum in fugam conuertam.*

24 *Et veritas mea & misericordia mea cum ipso:*

* *& in nomine meo exaltabitur cornu eius.*

25 *Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexterã eius.*

26 *Ipse inuocauit me, pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.109.
Psal. 2.

27 *Et ego primogenitum ponam illum.*

* *excelsum præ regibus terræ.*

Psal.8.
1.Cor.15.
Philip.2.
Rom. 8.

28 *In æternum seruabo illi misericordiam meam:* * *& testamentum meum fidele ipsi.*

Apoc.1.
Apoc.19.

29 *Et ponã in sæculũ sæculi semen eius, & thronus eius sicut dies cæli.*

Rom. 1.
Lucæ 1.
Ioan.3.

30 *Si autẽ dereliquerint filij eius legẽ meã, & in iudicijs meis non*

Matt. 28.

ambulauerint.

31 *Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint.*

Esaiæ 28.

32 *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*

33 *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.*

Psal.10.
Titum 1.

34 *Neque prophanabo testamentum meũ:* * *& quæ procedunt de labys meis, non fa-*

tionẽ: hic autẽ verus, verum secundum naturã agnoscet me, & appellabit patrẽ, vtpote qui mecum sit vnum, sitque consubstantialis meus filius, quem ego ante luciferum ex vtero & substantia mea ab æterno genui. 27. Et ego vt primogenitum illum cõstituam, & sicut vnicè dilectũ præ omnibus quæ sunt in terra, eleuabo super omnes, quemadmodũ solet primogenitus gloria & dignitate exaltari super omnes posterius genitos, soletque poni velut Dominus & princeps cęterorum fratrum suorum: * excelsum illum ponam super omnes reges qui sunt in terra: gloria regni & diuitijs, latitudineq; imperij illum faciam sublimiorem omnibus regibus qui regnãt in terra. Illum quidem typicum sublimabo, per temporalis regni sublimẽ gloriam, dando illi potentiã nimiam & glorioſissimas victorias, quot, quales, & quantas nunquam quisquã legitur principum huius mundi obtinuisse. Hunc autem verum gloria & honore coronabo, & super cuncta opera manuũ mearum constituã, subiiciamq; omnia sub pedibus eius, nomen illi daturus quod sit super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cęlestium, terrestrium & infernorum: eritq; ipse velut primogenitus in multis fratribus, Dominus omniũ fratrum suorum, etiam princeps & iudex regum terra, rex regum & Dominus dominantium. 28. Imperpetuum seruabo erga illum ac semen eius misericordiã meam, semper erga ipsum ac ipsius filios meæ miserationis demõstrabo effectũ: * & testamentũ quod illi disposui, siue promissionis fœdus quod cũ illo pepigi, erit illi fidele, firmum ac stabile, quod nunquam rumpetur, nunquam euacuabitur. 29. Videlicet semen eius iuxta promissum meum faciam in sempiternũ permanere stabile & indeficiens: & thronum regni eius firmabo & stabiliam, vt perduret imperpetuum iuxta dies cæli secundum dũrationẽ cælorum, donec cęlum perstabit in sæculum sęculi. Quam sanè promissionem, in typico Dauide implebo, primum quidem secundum partẽ aliquam, in filijs post ipsum aliquãdiu regnãtibus: sed plenissime in filio meo, qui de eius semine secundum carnem nascetur, regnabitq; in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Messiæ autem meo semen dabo sempiternum, electos fideles, quod sibi & mihi ex aqua & spiritu sancto regenerabit in filios Dei, quibus vsque in consummationem sæculi, vt nõ ipse deficiet, ita nec ego deero, nunquã ab electis ablaturus directionem spiritus mei, neq; super eis clausurus misericordiæ viscera. 30. Quòd si filios illius cõtingat abscedere à lege mea: & dimissis vijs iudiciorum atque præceptorum meorum ambulare per deuia, declinare siue ad dexteram siue ad sinistrã, relicta via, quam ego illis mõstraui, vt ambularent in ea. 31. Si iusta mandata mea, quæ ego in iustitia & æquitate fundaui, impia sua preuaricatione prophanauerint, coinquinauerint, atque contaminauerint per inobedientiam, & quæ mandaui nõ obseruauerint. 32. Si sic (inquam) inobedientes se mihi præstiterint, non diu morabitur vltio mea, non in longinquum differam punitionẽ, quemadmodum agere soleo cum ijs, quos in damnationem grauiorem seruo reprobatos: sed quãtocyus adero illis in virga disciplinæ meæ, puniturus illos pro impietatibus suis, peste, fame, gladio, opprobrio, captiuitate, exilio, atq; id genus alijs afflictionibus corporalibus: vt his modis, vexatione dante intellectum resipiscant, & pœnitentes ad me reuertantur in toto corde suo: quomodo solent boni patres suorũ filiorũ nõ dissimulare errata, neq; indulgentia male permittere illos in suis iniquitatibus, donec tandẽ adigantur in crucẽ, sed virga & verberibus corrigunt, mox vbi errãtes viderint: ne dilata correctione, in peiora prolapsi, tandem pereant incorrigibiles. 33. Affectum tamẽ atq; etiã effectum miserationis meæ nunquam auferam à semine eius, nunquam desinam semini eius benefacere propter ipsum cuius est semen, sicq; misericorditer cum illo agam in veritate & fide mea: non permittet mea veritas & fides promissionis meæ aliter me agere, q̃ iuraui cum semine illius, neq; potero cum electis populis eius non agere benigne & misericorditer secundum promissionem iuramenti mei. 34. Neq; ego fœdus quod pepigi cum illo prophanare vel infringere vnquã potero, neq; violare promissum: * & quę promisi per os meum, quæ in verbis meis sum pollicitus, nõ faciã irrita, nõ patiar fieri vana, qui sum Deus verax, & Deus vocor veritatis: qui neque mentiri noui, neq; fallere. Propter quod, iuxta promissum meum, nunquam penitus misericordiã amouebo à semine Christi mei, vsque in consummationem

A *ciam irrita.*

nem sæculi, nõ claudã electis & fidelibus viscera misericordię meę, neque thronum gratię meæ illis vnquã præcludã, sed patere illis semper volo fontem misericordiæ & thronum gratiæ meæ, vt liceat omnibus qui voluerint confidenter accedere atq; inde aquas haurire in gaudio, de salutis fontibus, & auxilium reportare in opportuno tempore. Heb.4. Esaiæ 12.

35 Semel iuraui in sancto meo, Si Dauid mẽtiar: semen eius in æternum manebit.

35. Semel ego hoc illi promissione firmissima, & fœdere certissimo cũ iuramenti cõfirmatione pollicitus sum, in sanctitate mea: neq; mẽtiar illi, sed implebo plenissime quæ fuero pollicitus, videlicet quòd semẽ eius coram me permanebit in æternum. 36. Quodq; (vt iam antè dixi) thronus eius & solium regni eius sit permansurum coram me in maxima gloria & splendore, ad modum glorioſe fulgentis Solis glorioſissimum: item & ad similitudinẽ Lunę absq; mutabilitatis defectu in æternum perstãtis in perpetua plenitudine. Regnum nãque Messiæ mei, in quo Dauidis promissioni satisfaciam, absque omni defectu, & mutabilitate integerrimum semper & glorioſissimum perdurabit imperpetuum: neque regni eius vllus erit finis: * & ne forte vanæ existimentur hæ promissiones Dauidi factæ, ecce est in cælis testis fidelis & verax, qui nouit & testatur, quòd hæ promissiones factæ sint Dauidi: hoc est, ego ipse testis simul & promissor existo, quẽadmodum testis idem ipse & iudex, teste nõ indigens alio, neq; admittens alium, in omnibus quęcunq; decreuero, vel egero. Testis sum ego ipse, quòd promiserim, testis sum fidelis qui non negabo quod scio: sed curabo fideliter, vt secundum veritatem cuncta impleantur in tempore suo. 37. VOX PROPHETAE. Ista quidẽ tunc dixisti, hæc tum loquebaris, cùm tibi fuisset placitum respicere & visitare populum tuũ, Nunc verò merito lamentari & querulari nos possumus in tẽpore isto infœlicitatis & miseriæ: quãdo tanta est in populo tuo afflictio, vt prorsus videaris Christi tui & promissionum ex ore tuo factarũ oblitus. Videris enim nunc repulisse, cõtempsisse, & elõgasse, atq; remouisse longe à cõspectu tuo Dauid, item & Messiã tuum, cui tanta promiseras, dum fideles, illorum semen, in tantis derelinquis angustijs, ita miseris modis finis affligi. 38. Videris abiecisse pactum quod cũ seruo tuo Dauid atq; Messia & semine eius pepigeras: promissi videris factus immemor, quod illi fueras pollicitus: * cõtaminari permisisti in terra populũ tuum, in quo vt in sanctuario, & in tẽplo erat tibi firma habitatio: hunc populum tuum permisisti prophanari, faciẽs gentes alienas dominari eorũ, ac super eos gerere principatum, itẽ permittens diuersis vitiorũ generibus cõspurcari populũ, qui olim sanctus erat & mundus, charitatem refrigescere finens, & excrescere iniquitatẽ, mala quoq; plurima & afflictiones euenire inter eos, vt merito velut prophanatus nũc cẽseatur, qui olim sanctus fuerat & quasi sanctuarium tuum. 39. Exposuisti populũ tuũ prędę in manus hostiũ, munimento tuæ solitę protectionis ablato: quẽadmodum cùm à vinea sepes aufertur, patet ipsa direptioni & conculcationi omniũ qui transierint per viã: * etiã munitiones & fortalicia eorum posuisti in formidinem atque pauorem: nusquãiã est nobis securitas, ne in ipsis quidẽ munitionibus & fortalicijs, sed omnia pauor & formido occupat. Dissolutę sunt manus omnium, & nõ est virtus, non est animus, sed resistendum hostibus. 40. Quẽadmodum vinea, confracta sepe & diruta macería, conculcatur & diripitur ab omnibus per viam transeuntibus: ita populus tuus, consuetæ defensionis tuæ munitione priuatus, passim opprimitur & spoliatur, nunc ab hoc populo, nunc ab illo, quæcunque contigerit ad oppugnationem ascendere: * & omnino factus est populus tuus in opprobrium gentibus omnibus quæ sunt in circuitu eorum: illi quibus olim in magna gloria & in magno terrore imperabamus, nunc sibi ludũ & iocũ faciunt de nobis, quos olim venerabãtur, nunc etiã nos oppugnare, molestare, & sibi subiugare tentant: & præualent, qui olim te nos protegente nec audebant aduersum nos hiscere. 41. Exaltasti super populum tuum, dexteram inimicorum qui eum quærũt deprimere: sibique subijcere fecisti illos nobis prędari, & dominari nostri: * lætari fecisti omnes inimicos populi tui, propterea quòd ad tantam miseriam eum permiseris deuenire: & gloriati sunt pro victoria, quam te permittente, obtinuerunt super illum. 42. Abstulisti adiutorium gladij eius, auxilium quod illis in gladio pugnantibus soles impendere iam aufers ab eis, imò eorum gladios auertis, vt nec secundum suam fortitudinem inimicis valeant resistere,

B ** & testis in cælo fidelis.*

Luc.1.

37 Tu verò repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum.

Hier.39.

C *38 Auertisti testamentum serui tui:*
** prophanasti in terra sanctuarium eius.*

39 Destruxisti omnes sepes eius:
** posuisti firmamentũ eius fortitudinem.*

D *40 Diripuerunt eum omnes trãseuntes viã:*

** factus est opprobriũ vicinis suis.*

41 Exaltasti dexterã deprimentium eum:
** lætificasti omnes inimicos eius.*

42 Auertisti adiutorium gladij eius:

& ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& velut retundis aciem gladij eorum,& ictum deflectis,ne feriant hostes suos & vincant:quandoquidem ita decreuisti, vt hostes reportent victoriã, & tuus populus victus succumbat: * & nullũ prorsus auxiliũ eis adfers in prælio, non vltra egrederis ad pugnã cum exercitibus nostris,non amplius pugnas pro nobis,sed prorsus videris reliquisse nos. 43.Destruxisti & dissoluisti populum tuum ab emundatione in qua solet gloriari, auferri permisisti & violari munditiã eius, & omnino pristinus ille splendor munditiæ & sanctitatis dissipatus est,& nusquã apparet,suntque omnia cõspurcata iã & plena immunditię:* & thronum regni,dignitatem regiã,ad terrã siuisti prosterni:regni gloriã, ad summa humilitatẽ & subiectionẽ venire fecisti.44. Minuisti atque abbreuiasti dies temporum eius, fecisti illos ad modicam temporis durationẽ subsistere,morte præmatura ante tẽpus occumbere fecisti plurimos præ nimia miseria & afflictione:*& omnino magna cõfusione atque ignominia affecisti illos,ac velut indumento ex omni parte operuisti.Est enim illorum tanto nunc maior cõfusio, quãto prius gentibus omnibus lõge lateq; imperauerãt glorioſius.Et qui solent in te gloriari vt victores,præ omnibus iã summa operiuntur confusione,dum se vinci cernunt ab omnibus, etiã infimis gentibus, maxime à fœdissimis illis idololatris,canibus & porcis verius, quàm hominibus quibus subijci nõ minus est miserum, q̃ irrationabilibus subijci bestijs. 45. Sed quãdiu tandem,pijssime Deus,dissimulabis, & nõ attendes ad tantam istã populi tui miseriam?quãdiu tandem vultu permanebis auerso, vt non aspicias ad omnem hanc nostram cãlamitatem? * quandiu hic in nos furor iracundiæ tuæ desæuiet ad modum ignis sæuientis & corripientis, ac deuastãtis omnia vsq; ad puluerem? Vel nunc tãdem cõuertere Domine,& benigno tuo vultu aspice in nos,atque ad omnem miseriã nostram,cui viuimus subiecti : factusque placabilis super malitia nostra, qua tuam iram prouocauimus , cessare iube furorem iracundiæ tuæ, mitiga iram tuæ indignationis , & reddere nobis placatus ac placidus. 46.Aspice Domine,& attende ad breuitatem vitæ huius:cõsidera,quę sit nostra subsistentia , q̃ sit breue tempus vitæ & subsistentiæ nostræ, quo subsistimus hic super terram:attende quàm breuis sit morula vitæ huius,& æui quod hic ducimus,vt citò flectaris ad misericordiã : neq; nobis hanc ipsam breuem periodum abbreuies, vt nõ subito præoccupemur à morte,sed tẽpore pœnitentiæ nobis cõcesso,antequam hinc emigremus,te recipiamus placatum , qui per nostras iniquitates tuam prouocaueramus iustitiã:* Quid enim?An tu vane, & ad nullã vtilitatẽ creasti omnes filios hominum?Quis fructus erit,quæve vtilitas tibi ex nobis,si ita nos in tuo furore vniuersos pergas absumere,quemadmodum iam plerique absumpti sunt?An non hoc præstat, vt nobis parcẽdo & indulgendo exhibeas misericordiam , & nos in gratia tua viuẽtes laudemus & celebremus miserationes tuas?.47.Nemo enim hominum est qui vitam sibi possit seruare perpetuã,& qui non tandem per mortem hinc debeat exire,morteq; vitam finire , nemo est qui suam animam poterit custodire , vt non veniat sub imperium inferni,id est,in mortem & interitum. Hæc est enim lex super omnes filios Adam, lex est vniuersæ carnis.Et est omnibus hominibus semel mori statutum,vt nemo possit mortem euadere. Atque ideo interim dum adhuc viuimus in isto corpore,aspice ad nos per tuam misericordiam, antequam nos dies illa mortis præoccupet , aut imparatos opprimat: *A morte quoque æterna & damnatione inferni , nemo se suis proprijs viribus potest saluare,nisi tu Domine solus, qui tua gratia potes efficere , vt nihil sit damnationis ijs qui in te credunt. Propter quod , in te vnum respicientes,tuam salutem supplices deposcimus. 48. Vbi nunc sunt illæ miserationes tuæ,quas exhibuisti in prioribus sæculis,cùm tam manifeste ostenderes illis præsentiam bonitatis tuæ : quando populus tuus, te ductore & directore, in omni virtute & iustitia fulgebat, læto corde tibi seruiens,toto pectore in te cõfidens,toto animo tibi adhęrẽs:quãdo tam in temporalibus q̃ in spiritualibus omnibus abũdare faciebas populum tuum?* iuxta quod in veritate & fide tua pollicitus fueras ipsi Dauidi & Mesiæ tuo , videlicet misericordiã tuam facere cum ipso, & posteris eius vsque in æternum:cùm nunc longe aliter habeant omnia, tuo populo pene ad summam redacto miseriam. 49. Attende vel nunc tandem ad opprobrium & confusionem qua serui tui afficiũntur ab in-

Psal.88.

& non es auxiliatus ei in bello.

43 *Destruxisti eũ ab emundatione:*
& sedem eius in terra collisisti.

44 *Minorasti dies tẽporis eius:*
perfudisti eum confusione.

45 *Vsquequo domine auertis in finem?*
exardescit sicut ignis ira tua?

46 *Memorare, quæ mea substantia:*

nunquid enim vane cõstituisti omnes filios hominum?

47 *Quis est homo qui viuet, & non videbit*
Eccle.40. Heb.9. *mortem,eruet animam suam de manu inferi?*

Rom.8. 48 *Vbi sunt miserationes tuæ antiquæ domine?*

sicut iurasti Dauid in veritate tua?

49 *Memor esto do-*

ab infidelibus & idololatris,quibus conceditur à te victoria:quod opprobriũ à multis gentibus alienigenis nos susciꝑimus & continemus quasi intrã sinũ nostrum,quod nos gemẽtes & dolẽtes accipimus & ferimus ab impijssimis illis oppressoribus nostris , tã inuisibilibus quàm visibilibus inimicis. 50. Quo opprobrio nõ nobis Domine solũ exprobrauerunt,verumetiam tibi & tuo sancto nomini,dicentes, non te esse potentem qui saluares nos de eorum manibus, sibi hanc omnem ascribentes victoriam nõ tuæ permissioni:sicq; nõ nos solum blasphemant,quod gementes vtcunque ferremus,sed insuper etiã sanctum nomẽ tuum,quod nequaquam ferendum est nobis: * quo(inquã) opprobrio exprobrauerunt cõmutationem Christi tui,dicentes, quòd commutatus sit,& auersus à nobis atque elõgatus is quem tu nobis vnxisti in saluatorem.Ita enim exprobrantes dicunt nobis: Vbi est rex vester, vbi saluator vester,in quo soletis gloriari & habere fiduciam? Quare nõ iam vos saluat,quare non adiuuat?51.Quicquid tamen de nobis cõtingat,quicquid tandẽ de nobis,siue ad prosperitatem,siue ad aduersitatem tu disponas & facias in vero iudicio tuo , tu nihilominus omni semper laude & benedictione dignus es:nostrum semper est,in laude & gratiarum actione permanere, & dicere , Sicut Domino placuit,ita factum est,sit nomen Domini benedictum : & tibi domino Deo nostro semper benedictio,claritas,honor,& gratiarum actio debetur,in sęcula sæculorum:* atq; ita optamus,vt etiam atque etiã fiat,vt etiam atq; etiã detur tibi laus & benedictio per omnia sæcula sæculorum,Amen.

mine opprobrij seruorum tuorum quod continui in sinu meo multarum gentium.

50 *Quod exprobrauerunt inimici tui, domine:* *quòd exprobrauerunt commutationẽ Christi tui.*

51 *Benedictus dominus in æternum:*

Sap.12. Iob 1. Apoc.7.

fiat fiat.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXVIII.

VErsu 4. Iuraui Dauid seruo meo,vsque in æternum præparabo semen tuum. Abrahæ quidem Dominus iurasse legitur de semine,cùm post summam obedientiam illam animo impletam,de vnigeniti immolatione,ita illum desuper secundo vocatum alloqueretur, dicens: Per memetipsum iuraui,dicit Dominus,quia fecisti hanc rem,& nõ pepercisti filio tuo vnigenito,benedicam tibi,&c. Et post pauca. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Hoc autem semen Apostolus Paulus in Epistola ad Galatas Christum interpretatur,cùm ait,Abrahę dictæ sunt promissiones,& semini eius. Non dicit seminibus,quasi in multis,sed quasi in vno.Et semini tuo,quod est Christus. Cæterum,ad Dauid nusquã legimus expressum tale fieri iuramentum,sed tãtum promissionem & firmam pollicitationem. Quamobrem, iurare hic videtur accipiendum pro firmiter & irreuocabiliter promittere.Fit enim iuramentum,ad promissi confirmationem atque firmitatem, Dei autem quãtumuis simplex promissio,omnino firmissima est,nec minus certa , quàm si multiplici foret iuramento firmata. De promissione autem hac Dauidi facta , per Nathan Prophetam ex ore Domini legimus. 2.Reg.7.& 1.Paral.17. vbi eadem fere dicta habentur ex ore Nathan, quæ hic per Psalmistam cõmemorantur. Et licet in illa sacra historia Dominus videatur prima facie Salomonem respicere , cùm loquitur de templo ædificando,& de regni eius pace & gloria,manifestum est tamen diligentius cõsiderantibus,in omnibus illis præcipue Christum Dominum spectari , in quo solo perfectè impletæ sunt promissiones illæ factæ Dauidi, nequaquam enim thronus Salomonis stabilis fuit imperpetuũ, & iamdiu per multa sæcula ipsius atque etiam posterorum eius secundum carnem cessauit imperiũ: Christi verò regnum manet in æternum , iuxta quod angelus ad matrem virginem loquitur, dicens: Dabit illi dominus Deus sedẽ Dauid patris eius,& regnabit in domo Iacob in æternũ : & regni eius nõ erit finis. Aduerte autẽ,q̃ præparabo,hîc valet stabiliã,vel confirmabo.Vnde beatus Hieronymus ex Hebræo vertit,Vsque in æternum stabiliam semen tuum. ℂVersu 7.Quis in nubibus æquabitur Domino?similis erit Deo in filijs Dei?In nubibus dictum est,pro in cęlis,quòd nubes supernè locum habeant:sicut econtrario frequenter locus nubium,vel etiam locus superior appellatur cælum: vt cũ volucres cæli subinde appellãtur in sacris Euangelijs aues quæ volitant in aëre.Filij autem Dei intelliguntur sancti angeli.Vnde Chaldai.translatio habet,Inter choros angelorũ. Itidem Felix vertit, Inter ordines angelorum. ℂVersu 10. Tu dominaris potestati maris , motum autem fluctuum eius tu mitigas. Significatur hoc versu, potestatem habere Deus ad compescendam maris superbiam atque elationem,in quo magna valde ostenditur Dei potentia.Nam quia & vulgo homines agnoscunt terribilem maris feritatem,quam nemo possit domare , cùm posset ignis facile aqua extingui , ideirco magis glorificatur in hoc Dei potentia , quòd etiam maris superbiæ & elationibus possit imperare. Hinc & in alio Psalmo dicitur,Mirabiles elationes maris,mirabilis in altis Dominus. In Hebræo autem,loco potestatis,superbia ponitur, ad hunc sensum, Tu dominaris superbiæ maris , & elationes gurgitum eius tu comprimis.Potest verò istud de superbi maris represione,etiam spiritualiter intelligi de superbia huius sæculi,cuius habet ipse dominium : quoniam omnem sæculi superbiam atque potentiam sua potest virtute deprimere & superare , & omnes superbi huius sæculi fluctus, elationes & commotiones potest,cùm serenus illuxerit, mitigare. ℂVersu 12.decimotertio,decimoquarto,decimoquinto,& decimosexto, Tui sunt cæli, & tua est terra,&c. Aliquanto aptius hi versus distinguerentur , si finis præcedentis cum initio sequentis semper iungeretur, iuxtà hunc modum: Tui sunt cæli , & tua est terra : orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti. Aquilonem & mare tu

Matth.13. Luc.8. Psal.92. Luc.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re tu creasti, Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. Tuum brachium cum potẽtia firmetur E
manus tua, & exaltetur dextera tua. Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ: misericordia & veritas
præcedent faciem tuã. Beatus populus qui scit iubilationem. Domine, in lumine vultus tui ambula-
bunt, &c. Quam distinctionẽ, ita per omnia in sua versione Felix obseruat. Notandum autem, quòd
per quatuor illa, aquilonem, mare, Thabor & Hermon, iuxta faciliorem & verisimiliorem expositio-
nẽ, intelligi debeant quatuor partes mundi, videlicet septentrio, meridies, occidẽs & oriens. Vnde in
Hebræo pro mari habetur dextrum. Sic enim vertit Hieronymus, Aquilonem & dextrum tu creasti.
Per dextrum autem significari dicunt meridiem, qui est quasi dextra pars mundi, vt plaga præcipua,
ad latus orientis: septentrio verò quasi sinistra, vt plaga minus digna, ad latus similiter orientis posi-
ta. Vnde Felix meridiem vertit pro eo quod Hieronymus verterat dextrum. Thabor verò montem
terræ Iudææ dicunt esse ab occidente, quemadmodum Hermon ab oriente: vt manifestum sit, qua-
tuor his appellationibus omnes plagas orbis terræ & mundum vniuersum in sua amplitudine signifi
cari. Cui expositioni pulchrè admodum & apertè cõsonat Paraph. Chald. quæ sic habet, Desertum a-
quilonis habitatoresque austri, tu creasti: Thabor ab occidente, & Hermõ ab oriente in nomine tuo
laudes dicunt. Possent verò ista separatim accipi, vt per aquilonẽ & mare, siue sinistrum & dextrum
intelligatur tota mundi latitudo: quẽadmodum cùm subinde in scriptura ab oriente vsque ad occi-
dentẽ, vel ab ortu vsque ad occasum ponitur, ad significandum totam mundi amplitudinem, vt illic, F
Psal.114. Ab ortu solis vsque ad occasum, laudabile nomẽ domini. Per exultationem verò Thabor & Hermõ,
qui sunt montes in partibus Galilææ volunt quidã intelligi priuilegium singulare virtutum & mira-
culorum Christi in tempore gratiæ, quæ primitus in Galilææ partibus maxime claruerunt, vbi pluri-
ma Christus ex Euangelijs & docuisse & feciſſe legitur. Alij insuper mysticas alias intelligentias ex
aquilonis & maris proprietatibus, item ex interpretatione nominum Thabor & Hermon adinue-
niunt, quas nos prolixitatis vitãdæ gratia omittimus. ¶Versu 13. Tuum brachiũ cum potẽtia, Potest
hoc duplicem susceipere constructionem. Primo hanc, Tuum brachium est cum potentia: id est, bra-
chium quod tu habes, non est impotens, sed cum summa potentia. Secundo hanc: Tuum est brachiũ
cum potentia, siue Tibi est brachiũ cum potentia, quomodo vertit Felix: hoc est, tu habes fortissi-
mum brachium, quod possit miranda. Est autem sententia penitus eadem in vtraque constructione.
Quomodo autem peculiariter id Deo attribuatur, quòd habeat brachium cum potentia, euidenter
cognosci poterit ex collatione nostri nimium infirmi & imbecillis brachij, cũ illius potentissimo &
robustissimo, de quo in suo cantico humilis illa mater virgo cecinit, dicens: Fecit potentiam in bra-
Luc.1. chio suo, dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Verè
enim prævalidum sit brachium necesse est, per quod tanta fieri debebat cõmutatio, per quod tã po-
Luc.11. tens erat expugnãdus inimicus, tam fortis vincendus & alligandus armatus, suum atrium custodiẽs. G
¶Versu 18. Quia domini est assumptio nostra. Assumptionem interpretati sumus protectionem atq;
defensionem. Vnde Hieronymus ex Hebræo ita vertit, Quia à domino est protectio nostra, & à san-
cto Israël rege nostro. In Græco etiam habetur ἀντίλημψις, id est, susceptio siue defensio, aut protectio:
quẽadmodum sæpissime ἀντιλήπτωρ ponitur, pro susceptore, defensore, aut protectore. ¶Versu 19.
Tunc loquutus es in visione sanctis tuis: & dixisti, posui adiutorium &c. Hic propheta personam Dei
patris loquentem facit, de promissionibus Dauidi & Christo factis, vsque ad versum trigesimumse-
ptimum. Quę omnia nos in Elucidatione latis clare tam Dauidi filio Isai, quàm Christo filio Dei (ad
quem hæc omnia principaliter diximus spectare) accommodauimus, vt opus nõ sit pro his versibus
Prou.13. prolixiora annotamenta frustra adijcere. ¶Versu 32. Visitabo in virga iniquitates eorum. Per virgã,
Eccle.30. in scriptura, disciplina paterna intelligitur: quemadmodum per gladium, vltio iudicis. Vnde de pa-
Psal.7. terna disciplina Sapiens ait, Qui parcit virgæ, odit filium. Et iterum, Qui diligit filium, assiduat illi fla
gella. De gladio autem dicitur Psalmo septimo, Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, id est,
Apoc.2. iudiciariam vltionem iam habet paratã, qua se de vobis vleiscatur. Et in sacra Apocalypsi, suum ter-
bilem aduentum sub comminatione proponens, ait, Si non pœnitentiam egeris, veniam, & pugnabo
Psal.22. tecum in gladio oris mei. Qua de re, nonnihil etiam diximus in annotationibus Psalmi vigesimise-
cundi, circa illum versum, Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Est autem differentia in-
ter hanc virgam & gladium, quòd gladius quidem non statim adest peccanti, sed differtur plerun-
que in longum ictus gladij, quoniam non vult Deus mortem peccatoris, nec delectatur in perdi-
Sap.1. tione viuorum: sed magis vult eos conuerti & viuere, omnes cupiens fieri saluos: atque ob hoc,
1.Tim.2. plerunque terribilem illum damnationis æternæ gladium diu vibrat & ostentat, antequam feriat,
cupiens videlicet terrore suo feriendos à malo auellere, vt gladij ictum valeant effugere. Vnde de
Psal.59. eodem hoc gladio, sub arcus extenti similitudine loquens alibi Propheta, sic ait, Dedisti me-
Roma.2. tuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Quod ipsum Paulus quoque Apostolus
testatur, cum benignitatem & longanimitatem Dei asserit peccatorem adducere siue inuitare ad
pœnitentiam, & longanimitatem Dei illos dicit contemnere, qui diu patienter tolerati, absque
Ibidem. vltione, recusant pœnitentiam agere. Quanto verò diutius gladij ictus differtur, & quanto ma-
gis feriendus expectatur à Deo, vt effugiat & non feriatur, tantò est ictus grauior & importabi-
lior, cùm desuper aduenerit. Propter quod, eodem in loco Apostolus ait, illos sibi iram thesau-
rizare, in diem reuelationis iusti iudicij Dei, qui secundum duritiam cordis impœnitentis, lon-
ganimi Dei expectatione non emolliuntur ad pœnitentiam. Virga verò econtrario, statim qui-
dem aderit peccanti, si electus fuerit qui delinquit, nec diu differetur, imò quo magis fuerit dile-
ctus & electus qui offendit, eo minus differtur virgæ punitio, eo celerius delinquens ictum per-
sentiet:

A sentiet: sed multo est ictus virgæ leuior quàm gladij (neque durat imperpetuum, sed ad momentum, 2.Reg.11.
vel breuem morulam, & fit percussi emendatio, ipsiusq; ad corripientem patrẽ reconciliatio. Id ma- Ibidem.
nifeste etiam in Dauide ipso, nobis monstrat sancta historia: qui vbi per malam concupiscentiã deli-
quisset cum Bethsabee, ac post iniquitatem iniquitati adijciens, Vriam innoxium dolo perire feciſſet
non diu in errore permissus est: sed quantocyus ad eum Propheta Nathan missus est, qui illum dura 2.Reg.12.
increpatione confundens, & pœnam statim denuncians, quasi virga percussit. Et licet nõ statim gra-
uis aliqua vltio super Dauid venerit: nihil tamen dubium, quin regi sic increpari, & peccatum quod Ibidem.
occultum & latens credebat iam reuelatum sensisse, virga aspera fuit: insuper & prolis mortem, pro
cuius vita impetranda tantum faciebat luctum, debuit sustinere, & alia in posterũ expectare, quæ suo
tempore sustineret. Ita cum aliàs in dinumeratione populi male suggerenti cõsensisset Satanæ, statim 2.Reg.24.
re peracta percussit illum cor suum, quasi virgæ verbere: simul & Gad videns ad eum missus est, qui
illi gladium, famem, & pestilentiam proposuit, vt ex tribus vnum quod vellet eligeret. Vides, quomo-
do non in longũ peccatis dilata punitio est, sed quasi euestigio est commissum peccatũ subsequuta.
Idem quoq; in Salomone & alijs plerisq; qui post ipsum regnauerunt, ex sacra historia est manifestũ.
Hinc ille historiarum Iudaicæ miserię sub Antiocho descriptor, in secundo Machabæorũ libro, cum 2.Mac.6.
horrenda quædam descripsisset, ab illo impio impie in Israëlitas operata, ad suæ gentis consolationẽ,
B atq; legentium commotionem, dignissimã sententiam de hac punitione virgæ proloquitur: quã hic
quoq; ad verbũ describere non duxi inutile. Obsecro autẽ eos (inquit) qui hunc librum lecturi sunt,
ne abhorrescant propter aduersos casus, sed reputent ea quæ acciderint, non ad interitũ, sed ad cor-
reptionem esse generis nostri. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sentẽtia agere, sed
statim vltiones adhibere, magni beneficij est indiciũ. Non enim sicut in nationibus dominus patien-
ter expectat, vt eas, cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis sta-
tuit, vt peccatis nostris in finẽ deuolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod, nunquã quidem
à nobis misericordiã suam amouet, corripiens verò in aduersis populum suum nõ derelinquit. Quæ
profecto sententia optime cum ijs quę hoc in loco ex ore Domini proferuntur, consentiunt, & con-
firmãt ea vsq; in multas generationes recte fuisse impleta in veteri illo populo Israëlitico, donec Sy-
nagogæ perduraret electio. Nunc autem illa reprobata in populo Christiano consideranda hæc pu-
nitio est, quam etiam modo ad oculũ cernimus, dum quotidianis plagis & nouis signis ciuitates om-
nes pene per totum Christianorũ imperium experimur affligi, multo amplius quàm infideles & ob-
stinatos idololatras, quibus iudicium reseruatur importabile, & vltio grauissima in extremum diem,
suo tempore reuelanda. Vnde quæ in præcedentibus ad consolationem Iudaicæ gentis descripta pro-
posuimus, nostra tempestate, Christiani nos, rectissime ad nostrã commotionem & consolationem
C poterimus accommodare: ne cum nouas semper & insolitas punitiones de anno in annum aduersum
nos immitti viderimus, conturbemur, quasi populũ suum Deus in totũ abiecerit. Donec enim id cer-
nimus, magis indiciũ habemus dilectionis Dei. Quandiu enim patris virgã sentit filius, certo colligit
argumento, nondum se à suo patre repudiatum, Propter quod Psalmo 22. hoc intelligens spiritualis Psal.22.
homo, dicebat, Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Et Psalmo 17. Disciplina tua cor- Psal.17.
rexit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit. ¶Versu 43. Destruxisti eum ab emũdatione. Cla-
rius secundum expositionem in Elucidatione positam vertit ex Hebræo Hieronymus, Quiescere fe-
cisti munditiam eius: accipiendo quiescere, pro cessare: quemadmodum alibi, Quiescere faciamus Psal.73.
omnes dies festos Dei à terra. Verti etiam potest ex Hebræo, Retrocedere fecisti eum à mundicia vel
puritate, aut deleuisti mundiciam eius, vel destruxisti splendorem eius. Quę omnia clarius quam no-
stra lectio eandem habent sententiam. ¶Versu 46. Memorare quæ mea substantia. Substantia hoc
loco videtur non accipi debere pro ipso quod subsistit, vel ex quo homo subsistit, videlicet pro ma-
teria & forma, ex quibus homo compositus subsistit, sed pro subsistentia potius vita aut duratione.
Est enim sensus, Memorare quæ sit mea vita, quæ sit mea subsistentia: id est, quàm modica sit dura-
tio vitæ meæ, qua ego subsistam in terra. Vnde ex Hebræo vertit Felix, Memor esto quanti tempo-
ris, vel quàm breuis momenti sim ego. Alij vertunt, Quòd subitaneus sim ego, id est, subito & cito
D admodum absumendus per mortem, quòd cito præcipitabor, & nõ diu durabo. Et secundum hunc
modum indicauimus subsistentiam accipi etiam Psalmo trigesimo octauo, cum dicitur: Ecce men- Psal. 38.
surabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te: quemadmodum videre po-
teris in Elucidatione & in vtrisque annotationibus super eo loco. Poterit tamen præsens locus non
male intelligi de ipsa substãtia, siue materia & compositione, vnde corpus hoc corruptibile compo-
situm subsistit. Atq; ita sensus erit, Memento Domine, quòd de luto & de limo terræ me composui- Gene.3.
sti, propter quod necesse habeo quantocyus redire in puluerem, iuxta quod tua vox ad primum pa-
rentem meum loquuta est, dicens, Puluis es, & in puluerem reuerteris. Sicq; eadem erit hæc queri-
monia, cum illa quam apertius proponit sanctus Iob, cum ait, Memento, quæso quòd sicut lutum fe- Iob.10.
ceris me, & in puluerem reduces me. Atq; huic expositioni consonat manifeste Paraph. Chal. quæ sic
habet, Recordare, quòd creatus sum de puluere. Versio tamen B. Hieronymi, nec huic nec priori no-
stræ fauet intelligentiæ. Sic enim diuersa ab vtraque lectione sententia ille vertit, Memento mei de
profundo: id est, de imo miseriarum quibus iaceo immersus. ¶Versu 49. Memor esto Domine op-
probrij seruorum tuorum, quod continui in sinu meo, multarum gentium. Aliter dicitur opprobria
um seruorum Dei, aliter gentium. Seruorum enim Dei dicitur opprobrium passiue, quatenus ipsi
hoc sustinent. Gentium autem actiue, quatenus ab eis infertur populo Domini. Clarius autem hæc
sententia efferretur, si vltimus ille genitiuus poneretur in ablatiuo ad hunc modum, Memor esto

Universidad de Deusto
Biblioteca

opprobrij ſeruorum tuorum, quod continui in ſinu meo à multis gentibus. ¶Verſu penultimo. E
Quod exprobrauerũt inimici tui Domine, quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui. Poteſt quòd, accipi coniunctionaliter, loco quoniam: vt ſit ſenſus, Memor eſto, & cætera. Quoniam exprobrauerunt tibi Domine, &c. Atque hæc conſtructio difficultatem non habet. Verum lectio tam Græca, quàm Hebræa magis declarat, quod relatiuè accipiendum. Nam & in Hebræo & in Græco relatiuum habetur, atque ita conuenientior eſſet eloquutio per ablatiuum caſum, iuxta quod ex Hebræo vertit B. Hieronymus, & nos in Elucidatione ſimiliter explanauimus: cum & in Græco ſit τῆς caſus genitiui, qui apud Latinos reddi ſolet per ablatiuum.

LXXXIX. PSALMI ARGVMENTVM.

HVmanæ vitæ breuitatem & multiplicem miſeriam Pſalmus iſte coram Deo ſub orationis forma proponit, oſtendens totum hoc tempus vitæ noſtræ, etiamſi mille foret annorum, non niſi vnius Dei ſpatium computari, nec diu in eodem ſtatu poſſe hominem ſecundum corpus perdurare, ſed debere continuo tranſmutari & tranſire ad finem, mox vt exordium cœperit, donec per ſenectutem tandem penitus deficiat, redeatq; in puluerem, iuxta legem omnibus filijs Adam ex ira Dei conſtitutam. Deinde, etiam aliam afflictionem commemorat verſu ſeptimo, & deinceps, quæ homini eſt ex timore diuini furoris atq; diſtricti iudicij, quod poſt huius vitæ F *finem expectatur, quando ſeuere noſtra omnia dijudicabuntur, quæ nunc Deus ante oculos conſiderat vt tunc adducat in iudicium, ad quod iudicium noſtræ vitæ decurſus quantocyus properat, continuo fini accedens vicinius: quæ vita & labore afflictioneq; ſpiritus plena eſt (propter quod, araneæ comparatur exercitationi fruſtra ſeſe fatigantis & exhaurientis) & nimia breuitate deficiens: vtpote quæ non niſi. 70. aut in maximum. 80. annos habet durationis in bona qualicunq; valetudine, vt quicquid ſuperfuerit, ad laborem & dolorẽ pertineat. Deo ſic in manſuetudine ad præteritorum delictorum expiationem in ætate nouiſſima corripiente hominem, vt venturam iamq; de proximo imminentem iudicij iram paterna correctione emendatus poſſit effugere: quæ tam eſt terribilis, vt nemo hominum ſatis poſſit illius terrorem comprehendere, propter quod poſtulat, paternam ſibi dexteram notam fieri, & ex diſciplina paterna erudiri corde in ſapientia. Atq; hæc ad verſum vſque decimumquintum. Vbi ad Deum orationem dirigens, ſe conſolatur in miſericordia Dei, qua repleri confidit omnibus bonis, exultareq; & lætari pro afflictionibus præteritis: quæ licet futura, ſub tempore tamẽ præterito quaſi iam accepta ſignificat. Duobus autem verſibus nouiſſimis, perpetuam Dei directionem & illuminationem poſtulans, ita Pſal. terminum humanæ miſeriæ contemplator imponit.*

OCTVAGESIMINONI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine refugiũ factus es nobis, à generatione in generationem:*

DOmine Deus, tu exhibuiſti te nobis refugium in omnibus G generationibus ab initio, protectorem, defenſorem, ſuſceptorem & auxiliatorem ſemper te præſtitiſti nobis atque patribus noſtris in omnibus generationibus quæ præceſſerunt ab initio. 2. Tu verò, qui factus es nobis refugium in tempore, abſque nobis ſempiternum perſiſtis, neque nobiſcum cœpiſti habere vitæ principium. Siquidem ante omnem creaturam tu eras, antequam fierent montes, antequam altiſsimæ illæ & nobiliſsimę angelicę mentes crearentur: ſic & priuſquam crearetur orbis terrarum, cum omnibus quæ ſunt in ipſo: ante omnia ſæcula in æternitate tu verus eras Deus, & ſubſiſtebas in temetipſo perfectiſsimus omnium bonorum aggregatione perfectiſsimaque poſſeſsione plene beatus. Vnde cognoſcimus, quòd nobis vt te refugium exhibeas, non hoc vllius eſſe tui commodi gratia, qui ante omnem creaturam cuncta in te pleniſsime poſſederis, vt non poſsis à quoquã quicquam ſuſcipere, ſed noſtri cõmodi & boni gratia id facis. 3. Hinc nos populus tuus ſumpta fiducia H bonitatis tuę, oramus, vt non ſinas humanũ genus penitus auerti in humilitatem: ne nos patiaris, neque nunc declinare in vilitatem peccati, neq; poſt huius vitæ exitum in illam infimam & extremam vilitatem damnationis inferni, quæ verè vltima & extrema abiectio ſiue vilitas eſt: * quoniam tu dixiſti, ita definiuiſti de omnibus filijs hominũ, quòd reuerti debeãt ſecundum corpus, per mortem in terram vnde formati ſunt: generali ſententia & lege voluiſti, vt omnes mortales ſicut de puluere facti ſunt, ita quoq; per mortem redirent in puluerem: quam ſententiam tuam nemo poterit effugere. Quapropter, pro huius humilitatis (quę tantum ſecundum corpus eſt) auerſione, nequaquam volumus deprecationem facere, ſed pro illa vltima & peſsima quæ ad animam attinet, oramus, vt non in illam nos auertas, nunquam ad illam nos abijcias, ſed miſericorditer ab ea cuſtodias. 4. Ecce enim mille anni cum iam præterierint, ante oculos tuos ſunt quaſi dies vna videlicet heſterna, quæ iam præterijt, & nihil eius ſupereſt. Idem enim erit de mille annorum ſpatio & duratione, cum illi iam euoluti ſiue tranſacti fuerint, vt nihil illius duratiõis ſuperſit. Vnde quãuis enim hominẽ aliquem

3 *Ne auertas hominem in humilitatem:*

* *& dixiſti, conuertimini filij hominum.*

4 *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquã dies heſterna quæ præteryit:*

A quem contigeret mille annos viuere (quod omnino nemini datur) & huius tamen vita non niſi tanquam diei vnius reputaretur, neque coram te æſtimaretur diuturnior mille annorum, quàm vnius dici duratio, neq; quenquam poteſt longa vita ab illa tua generali ſententia excipere, etiam ſi daretur illi mille annorum duratio. 5. Eritque illa mille annorum duratio non niſi ſicut vigilia noctis, quæ cito tranſit, & ſuccedit ipſa abeunte adueniens altera poſterior, quomodo & ipſa priorem alteram abeuntem ſubſecuta fuit, ab eius termino ſumendo initiũ

5 *Et cuſtodia in nocte:*

* *quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

* anni filiorum hominũ quibus ſuper terram viuunt, ſunt ex numero eorum quæ pro nihilo habentur, id eſt, quaſi nihil exiſtimãtur dies humanæ vitæ, duratio mortalium pro nihilo cõputatur, propter ſucceſsionem perpetuam defectum continuum, ſiue continuam ad finẽ tendentiam, & celerrimum tranſitum. 6. Mane tranſibit quaſi herba in ortus ſui initio tranſibit homo, & permutabitur cõtinuo per augmentationem & profectum ad perfectionem iuſtam conſequẽdam: quemadmodum mane exoriente ſole gramẽ proficit, & tranſit per augmentationem ad perfectiorem valetudinem, augmentaturq; mole, & perficitur conuenientibus qualitatibus: * in ætate prima florebit & vigebit ſecundum corpus, & proficiet in augmentatione atq; perfectione corporis, donec in virile robur euaſerit: quaſi in meridiem & vitæ medium, ſicut herba floret & tranſit continua augmentatione proficiens, donec perueniat ad ſtaturam perfectam: * ſed ad veſperam, cum diei finis, id eſt, vitæ terminus, ſiue ſenectus ipſa aduenerit, deficere incipiet vigor eius, & deperibit, imminueturq; continuo defectu à ſtatu perfectionis & vigoris priſtini: & exhauſtus vigore humoreq; naturali indureſcet conuiſcato corpore, vt ſolent indurari fenum corpora: & prorſus exiccabitur, humido naturali magna ex parte conſumpto, nec vltra ſufficieti ad reparationem corporis & ſuſtentationẽ caloris vitalis, ſicq; tandem redibit in puluerẽ. 7. Hanc enim defectionẽ, hanc mortis neceſsitatem, non in bona voluntate tua ordinaſti in nobis, ſed ex ira tua in vindictã inobedientiæ noſtrę nobis impoſuiſti. Tu enim ab initio rectum feceras homine, & ſic conſtitueras immortalẽ, vt potuiſſet ſi voluiſſet non mori, neq; ab initio iſta lex mortis incumbebat nobis: ſed propter inobedientiam offenſus, in ira tua protuliſti aduerſus nos durã iaſtm ſententiã, vt iam non liceat cuiquam mortis ſtatũ effugere: ſimusq; nõ tua bona volũtate, ſed noſtra culpa, huic legi mortis ſubiecti: * Et forſitan parum id videretur huic neceſsitati corporalis mortis ſubiacere, toleranda vtcunque foret pœnalis illa, ſed teporalis, afflictio. Nunc verò (quod miſeriã noſtram in hac vita valde aggrauat) ex alia parte, conſideratione eorum quæ poſt mortẽ imminent iudiciorũ tuorum valde conturbamur, à facie furoris tui, quem credimus aduerſus omnes impios te oſtenſurum in die illa tremenda, merito cõtremiſcimus & expaueſcimus, ne forte poſt huius vitæ miſeriam temporalẽ, tuo furore illo, proijciamur cum reprobis in ſempiternam. 8. Et merito quidẽ conturbati debemus in hoc tuo furore, in cõſideratione terribilis iudicij tui, quoniã credimus te omnes noſtras iniquitates, quibus nunc tuæ voluntati cõtrariamur exactiſsime cognoſcere, & habere ante conſpectum tuum, eaq; omnia quæ nunc agimus mala non te latere, ſed habere ante oculos: * totum etiam decurſum vitæ credimus te habere ante oculos, atque in lumine ſiue cognitione vultus tui, ita vt omnes noſtras operationes præteritas, præſentes atq; futuras (quas per omnẽ decurſum ſæculi noſtri ſiue durationis vitæ noſtræ operati ſumus, vel operabimur ſuper terram) tu habeas luciditſsime cognitas, quemadmodũ id quod nos ante oculos noſtros poſitum in medio diei lumine clariſsime conſpicimus: neq; quicquã eorum quæ nos hic agimus in obſcuritate poſitũ eſt tibi, quaſi abſconditum ab oculis tuis: vt merito cõturbari debeamus in cõſideratione venturi illius furoris tui, ob conſcientiã plurimorum malorum quæ in te cõmiſimus, & quotidie committimus: cum ſciamus, diſtrictiſsimã de cunctis operibus noſtris à te exquirendã rationem. 9. Quid enim non timeamus venturum illum furoris & iudicij diem? Ecce ex ſententia iræ tuæ, quæ ſuper nos irreuocabiliter prolata eſt, defectionis & mortis nobis incũbit neceſsitas, nec eſt via effugiendi, non eſt fortitudo, non eſt conſiliũ non eſt ſapientia contra hoc decretum tuũ: * tranſieruntque omnes dies & anni noſtri: totũ tempus vitæ noſtræ continuo fluxu ad finẽ proxime accedit,

B

* *mane floreat, & tranſeat:*

* *veſpere decidat, induret, & areſcat.*

7 *Quia defecimus in ira tua:*

C

* *& in furore tuo conturbati ſumus.*

8 *Poſuiſti iniquitates noſtras in cõſpectu tuo:*

D * *ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui.*

9 *Quoniam omnes dies noſtri defecerunt:*

* *& in ira tua defecimus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Cor. 5.

10 *Anni nostri sicut aranea meditabantur:*

Eccles. 1.

** dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.*

11 *Si autem in potẽtatibus, octoginta anni.*

** & amplius eorum labor & dolor.*

12 *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.*

13 *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo, sic notam fac:*

dit, necesse nobis erit velimus nolimus, ante tuum conspectum exhiberi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Nónne igitur stolidissimi fuerimus, id scientes, non posse nos euadere: si non modo studeamus à consideratione furoris illius sic salubriter conturbari, vt pœnitentiam agentes, illius tunc mereamur terribilem vltionẽ euadere? 10. In omnibus annis & toto tempore vitæ nostræ, nos plerique mortaliũ meditamur & exercemur multo labore & sollicitudine, sicut araneus: in multo & superfluo labore & afflictione transigimus annos vitæ nostræ ad similitudinẽ aranei. Quemadmodum enim araneus magna sollicitudine discurrit, & multa instantia laborat in texendo telam, ad componendũ opus suũ, & ob hoc seipsum euiscerat & exhaurit, vt citius ante tempus deficiat exhaustus: è qua tamen tela, modicum admodum habet fructum, tenuẽ scilicet victum in ea sibi venando, neque post omnẽ laborem habet aliud: & frequenter post omnẽ laborem, post perfectã telam, ipse qui texuit, fugatur è suo ædificio, aut scopa circumducta per parietẽ abripit simul in momento temporis & araneũ & telam eius, atque in ignẽ conijcit, sicque omnis perditur labor & qui laborat in eo: ita & homines super terram in annis vitæ suæ frequẽter multis exercentur inutilibus laboribus, quos impendunt rebus temporarijs, maxima sollicitudine & sedulitate operantes, in illis seipsos exhaurientes, euiscerantes, atque mirũ in modum excruciantes, cum non possint ex omnibus, nisi tenuẽ sibi victũ & vestitum accipere: & nõ raro post omnes labores peractos, subito homo vita priuatur, & cogitur relinquere quæ congregauit omnia, vel ipsum etiã opus subito destruitur ac perit absque vtilitate aliqua. Atque ita manifestũ est, totũ hoc tempus nostræ vitæ, non esse nisi laborẽ dolorẽ & afflictionẽ spirit⁹, cuiusmodi est araneorũ vita: * Est præterea humana vita etiã durationis permodicę. Dies enim annorũ hominis, duratio vitæ humanæ qua potest homo vt plurimũ secundum cõsuetum naturæ cursum in sanitate & bona valetudine viuere, sunt anni septuaginta aut circiter, vel paulo infra, vel paulo supra, Iuxta complexionis fortitudinẽ & bonam proportionẽ hominis. 11. Si verò in magnis viribus, siue (vt ita dicam) robusticitatibus, multaque cõplexionis fortitudine, aliquibus detur octoginta annos viuere, in bona valetudine qualicunque robore, profecto id quàm pauciſsimis cõtigit, & optimę robustissimæq; compositionis talis esse deberet, qui ad tantũ terminum in bono corporis robore posset pertingere: * quod vero vltra hos terminos est reliquũ vitæ, in afflictione est atque dolore, propter defectũ continuum. Residuum tempus vitæ humanæ quod in plurimis secundum communẽ humanæ cõplexionis cursum vltra septuaginta annos viuitur, vel in pauciſsimis illis & fortissima cõplexione præditis vltra octoginta annos, id plenũ est dolore & afflictione: eoque magis, quo longius vltra terminũ illum transitur, & fini acceditur vicinius. Omnibus enim viribus destituuntur, neque mẽbris corporis sui vltra valent vti pro libito, propter caloris naturalis & spirituũ defectum, morbisque varijs implẽtur & pœnalitatibus: cum etiamsi aliud nihil mali illis cõtingeret, senectus ipsa per se morbus dicatur, sicuti & vere morbus est. 12. Tunc enim in senectute venit super nos mãsueta disciplina tua, per quam corripimur varijs malis, & erudimur in mansuetudine tua. Afflictio enim illa senectutis, prouide sic à tua benignitate humano generi inducitur & imponitur, in expiationẽ erratorum vitæ priſtinæ, vt pro delictis iuuentutis (quæ donec sensus carnis in nobis viguit cõtraximus) deficiens, iamq; ad finem vergens vltima illa ætas, carne cõsumpta velut satisfaciat: puniatq; illa vitæ ætas nouissima iudicio proxima quod in prioribus delictũ est, antequã hinc abscedere per mortem, homo cogatur, districtoque tribunali assistere: * Superuenit quoque nobis in senectute quædam remissio & defectus quidã vigoris atque feruoris, corporis viribus omnibus deficiẽtibus, & membris flaccescentibus, per quam remissionẽ & deficientiã corripimur & affligimur, estque ipsa nobis pro correptione & disciplina, pro punitione erratorum ætatis prioris, in qua per inordinatũ carnis feruorẽ mala multe commisimus. 13. Quis ex hominibus nouit potestatẽ & fortitudinẽ iræ tuę? & quis nouit dinumerare, mensurare, & cõprehendere irã tuã, præ timore tuo, secundũ quod merito es timendus & formidabilis. Profecto nemo comprehẽdere potest, nemo valet

A *more tuo iram tuam dinumerare.*

14 *Dexteram tuam sic notam fac:*

** & eruditos corde in*
B *sapientia.*

15 *Conuertere domine vsquequo:*
** & deprecabilis esto super seruos tuos.*
16 *Repleti sumus mane misericordia tua:*
** & exultauimus & delectati sumus in omnibus diebus nostris.*
C 17 *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti:*
** annis quibus vidimus mala.*

18 *Respice in seruos*
D *tuos, & in opera tua:*

** & dirige filios eorũ.*

19 *Et sit splendor domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos & opus manuũ nostrarum dirige.*

valet intelligere, quàm potens, quàm terribilis, quàm formidabilis vltio illa iræ tuę sit futura cum sese manifestauerit: atque ob hoc parum nobis videri debet, imò nihil, imò gratũ nobis esse debet, quicquid in hoc mundo pro peccatorum nostrorum expiatione, in mansueta Dei correptione ex ipsius ordinatione sustinemus. Paululũ enim est omne quod in præsenti cruciat: & id quod in præsenti est momentaneum & leue correptionis paternæ, ab illo pondere grauissimæ iræ, quæ tunc reuelabitur, animam alleuiat. 14. Ita pater sic nos affligendo disciplina tua, notifica nobis paternã dexteram tuam: fac nos tuã disciplinã qua nos percutis agnoscere, vt agnoscẽtes à te nobis has obuenire afflictiones, & patris nostri esse hæc verbera, patienter ea cum gratiarũ actione sustineamus, fiantque nobis in purgationẽ peccatorum nostrorũ, & in euasionẽ venturæ illius iracundiæ, quam tunc sentient qui nunc extra disciplinam sunt, aut qui non cum patientia tuam correptionẽ suscipiunt: * & fac nos sicut corpore exterius afflictos, ita corde interius eruditos per sanctam sapientiã tuam: vt dum exterius nos cædis virga tuę correptionis, interius nos erudias institutione sanctæ vnctionis: & vexatione dante intellectũ, ad te penitus conuertas, atq; in tua sapientia perfectos facias: ne si foris tantam manum sentiamus verberantẽ, interiori eruditione deficiẽte, nihil nobis tua disciplina proficiat. 15. Quoniam itaq; sic se habent res humanæ, quoniã omnia nostra plena sunt afflictione & dolore, tandẽ aliquando Deus pijssime ad nos conuertere benigno aspectu tuo: * mitemq;, placidum, benignum & exorabilẽ te ostende erga seruos tuos, vt flectere te possint ad misericordiã. Tota enim vitæ nostræ quã iam exposuimus miseria, non aliud clamat, quã medicinalẽ tuam misericordiã. 16. Te verò ad nos conuertente benignum aspectum tuum, te ad nos redeunte in fauore gratię tuę, quasi in matutino tempore (quando festinus sol exoriens lætificat orbẽ) abunde implebimur omnibus bonis, ex diuitijs thesauri inexhaustę misericordiæ tuæ: * & nos in hac abundantia bonorum tuorum magno gaudio exultabimus atq; delectabimur, omnibus diebus quibus viuemus ante cõspectum tuum, in perpetuis æternitatibus. 17. Tunc lætabimur pro temporibus præteritis, in vita ista corporis transactis, in quibus afflixisti nos, & disciplina tua correxisti: quando fructum illum pacatissimum recipiemus patientię & hæreditatem regni, quod cõparatur, patientia: * lętabimur super diebus & temporibus quibus experti sumus & sustinuimus mala: quemadmodum econtrario veniet aliquando tempus vt tristẽtur impij qui in bonis duxerunt dies suos, pro diebus quibus fuerunt iucundati, & pro annis quibus viderũt bona. Erit enim in futuro retributionis tempore miranda cõmutatio, vt ij qui in hac vita corporis bona receperunt, mala tunc accipiãt: qui verò nunc mala, tum bona suscipiant, vt qui in vita luxerint, tum rideãt: & qui in vita riserint, tum lugeãt. Quam commutationẽ dum mentis oculis attendimus, vtique modis omnibus parati sumus, animo patienti, grato & hilari, tuæ correptionis semper disciplinã susciperе. 18. Vt autẽ ad illam omnis boni abundantiam, & satietatẽ pertingere aliquando valeamus, oramus, vt nos seruos tuos & opera manuum tuarũ, paterno semper aspectu respicias, semper ad nos paternũ oculum solicitudinis, curæ & prouidentiæ dirigas, curam verè paternã de nobis gerens: vt nos qui sumus serui tui & opera manuum tuarũ, quæ tuis manibus fecisti & psalmasti, semper in tuo seruitio stabiles permaneamus: * neq; verò pro nobis tantum, sed & pro filijs ac posteris nostris hoc ipsum postulamus, vt semper te eis directorẽ & ducem in omni bono ad consummationẽ vsque sæculi, exhibeas, & quasi pastor bonus baculo tuo eos dirigas, etiã necessariam correptionẽ & disciplinam nunquam abstrahens ab eis, vt non aliquando à te aberrent. 19. Et sit splendor tuus, ô domine Deus noster, super nos: tu desuper refulge, & respiende in mẽtibus nostris sancta illuminatione tua, per quam dirigamur in cunctis operibus nostris, & in cunctis operibus manuum nostrarum: in omnibus nostris actionibus dirigamur, gubernemur, firmemur, & constabiliamur, vt sanctæ tuæ illuminationis ducatu, in omnibus tuam sanctissimam voluntatem adimplentes, ad perpetuæ tuæ beatitudinis nimis amabile consortium, fœliciter aliquando pertingere valeamus, ac post miseræ, laboriosæ, atque ærumnosæ huius vitæ laborem, in quietissimæ tuæ & beatissimæ mansionis requiem introire. Amen.

2. Cor. 4.

Hebr. 12.

Lucæ 16.
Matth. 5.

ANNOTATIONES IN PSALMVM LXXXIX.

Psal. 124. VErsu 2. Priusquam montes fierent, Elucidatio montes interpretatur angelos, quomodo & aliàs nonnunquam, vt Psalmo 124. Montes in circuitu eius, iuxta vulgatiorem expositionem vt significetur fuisse ab æterno Deum, ante constitutionem omnis creaturæ, tam spiritualis quàm temporalis. Potest tamen simpliciter intelligi de montibus corporalibus, qui sunt terra: quos fecit Deus in initio conditionis rerum tunc (vt verisimilius creditur) quum aquis terram ex parte discooperuit. ¶ Versu 3. Ne auertas hominem in humilitatem, Potest intelligi, in vilitatem peccati atq; damnationis, vt vides in Elucidatione: vel ad humilia ista & vilia huius mundi visibilia bona: vt sit sensus, Non patiaris nos declinare, affectiue incuruari, ad humilia & vilia sæculi bona. Quod etiam sequitur, Et dixisti, conuertimini filij hominum: recipit hoc quoque duplicem intelligentiam. Prior in Elucidatione posita est, de sententia domini post peccatum super Adam prolata, Puluis es, & in puluerem reuerteris: vt accipiatur conuertimini, pro reuertimini. Posterior conuersionem istam proprie intelligit, secundum hunc sensum, Tu dixisti, ac præcepisti filijs hominum, vt se conuerterent ab amore harum rerum humilium, ad amorẽ bonorum æternorum & inuisibilium. Secundum vtranque autem expositionem, aptè hæc pars cum præcedenti connectitur. Meritò enim postulamus, non auerti in humilitatẽ rerum temporalium, eo quòd nobis præceperit Deus conuerti ad æterna, & ab illis auerti. Merito etiam postulamus non auerti in humilitatem peccati & damnationis æternæ, eo quòd nobis iuxta sententiam Dei sit quantocyus secundum corpus moriendum, ne ex vtraque parte mors nos apprehendat, vt saltem spiritus saluus fiat, dum corpus ex statuto quod effugere non potest, reuertetur in terram suam, & in puluerem terræ, de qua formatũ est. Coniunctio autem ista, &, in medio versus posita, videtur accipienda pro quia, vel cum: vt sit sensus, cum tu dixeris, Conuertimini filij hominum. ¶ Versu 5. Et custodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorũ anni erunt. Principium huius versus secundum sententiam iungi debet cum fine præcedentis, hoc modo, Quoniam mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesterna quæ præterijt, & custodia in nocte: ac deinde, Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt, qualem distinctionem habet lectio Hebraica. Apte autem tempus vniuersum vitæ nostræ, imò annorum mille duratio comparatur non tempori noctis, sed custodiæ siue vigiliæ nocturnæ, quæ tribus tantum aut quatuor constat horulis, & continuò vna succedit alteri, suntque singulæ durationis minimæ. Siquidem totum noctis tempus, in quatuor diuidebatur vigilias. Vigiliæ quoq; ad militiam spectant, qua etiam ratione non male nostræ vitæ hoc
Iob. 7. tempus vigiliæ comparatur, quoniamquidem militia est vita hominis super terram. Neq; verò cuilibet vigiliæ comparatur, sed nocturnæ, quoniam omnia hîc tenebris & obscuritate sunt plena. Nocturnam enim vigiliam custodimus, quicunque in hac vita & in sæculo isto tenebroso subsistimus. ¶ Versu 6. Mane sicut herba transeat, Facilius est, vt verba incipiantur, secundum indicatiuum modum, hoc sensu, Mane sicut herba transibit, mane florebit, & transibit vespere, decidet, indurabit, & arescet. Nisi velimus hæc, subito commutata persona, vt ex ore domini sententiam suam pronunciantis accipere, vel secundum optationem Prophetæ, optantis conformiter ad diuinæ voluntatis sententiam. Quod priori tamen loco dicitur, & simplicius & facilius est, Transitus autem ille qui hîc geminatur, idem est: & videtur transitus esse ad statum perfectiorem, id quod satis indicat adiectum verbum floreat. In principio enim vitæ proficit homo & perficitur, ad modum herbæ florentis. Sed quomodo herba, postquam mane floruit, ad vesperam deficit, & vigorem perdit: ita & homo postquam floruerit, & perfectionem iustam adeptus fuerit in vitæ medio, statim ad defectionem tendit, efficiturque aridus & senio contabescens, vti nos docet experientia. Transitum autem illum in priori parte versus intelligi ad perfectionem, etiam Paraphrasis Chaldaica indicat, sic legens, Similes sunt operationes eorum herbæ quæ de mane floret & augetur, vesperi autem decidit & siccatur propter æstum. Nota etiam hoc, quòd distincte tria hîc de hominis defectione dicuntur. Primo enim loco dicitur, decidat: secundo induret: tertio, arescat. Quę tria, ordinate in hominis defectione sic ad oculum conspicimus. Primum enim collabi incipit illud robur virile, & perfectio vigoris imminui deficiente calore naturali, & ad defectionem tendente corpore: sentitque homo, sensim viribus corporis se destitui, & membrorum solito vsu priuari. Statim verò consequitur corporis induratio, dum corporis partes caloris naturalis actione deperditæ & assumptæ nequeunt reparari: sicque conuisacantur senum corpora & indurantur, succo exhausto, quomodo lutum induratur ad solem, si non superfundatur humor continuus. Postremò, cum iam ad vltimum defectionis statum res deuenerit, exiccatur penitus, & arescit, redigiturque in puluerem. Quomodo autem hæc naturaliter in hominis corpore sic proueniant, qualiter homo secundum naturales causas à prima ætate vsque ad mediam proficiat, augmentumque sumat, qualiter ad vesperam senectutis decidat, qualiter indurescat & deficiat in puluerem, hæc (inquam) omnia, plenius exactiusque tractauimus in libris de consideratione rerum naturalium, libro 8. per plura capitula. De conuisatione verò & induratione senilium corporum, libro 5. capitulo 5. ¶ Versu 7. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Possent quidem duæ istæ partes ad idem referri, & posset non male posterior accipi, vt secundum sententiam eandem cum priori. Nobis tamen videtur conuenientius, vt priorem de defectione corporali, quam in præsenti vita ex sententia vindictæ iræ Dei experimur: intelligamus posteriorem de conturbatione quæ in conscientia nostra oritur, ex consideratione venturi furoris Dei, cuius ira ista, quam nunc experimur in defectu & afflictione corporis, tantũ indicium est & signum præuium. Nam afflictio ista quam propter primi parentis peccatum modo in corpore sustinemus, & defectionis necessitas, manifeste nos docet, q̃ terribilis vltio sit exercenda in reprobos, pro peccatis ipsorum proprijs,

proprijs, cum in furore suo iudex aduenerit, Meritò proinde, cum ex ira Dei semel (mansuetè tamen) iratscentis, talem in nobis defectionem experimur, salubriter cõturbemur à facie furoris illius quem venturum scimus: vt dum tempus est ab illo declinare, illum effugere satagamus. ¶ Versu 8. Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Sæculum nostrum appellat, totum decursum & totam durationem vniuscuiusque viuentium. Nam & hoc vulgò appellamus nostrum sæculum, tempus ipsum durationis nostræ, quo super terram viuimus: quemadmodum sæculum futurum appellamus, totam illam æternitatis durationem, in qua sine fine viuemus. Hoc autem nostrum sæculum Deus ponit in illuminatione siue in luce, quia ante suos oculos constituit, & sũæ limpidissimæ cognitionis lumine percipit, vt nihil eorum quæ nos hîc agimus, cogitamus aut dicimus, illum possit latere. Notandum verò, quod non dicit tantum, sæculum nostrum tu conspicis aut vides: sed dicit, sæculum nostrũ posuisti in illuminatione vultus tui. Sic enim est diuinus intellectus in cognitione rerum omniũ, quomodo si oculus humanus de seipso diffunderet lumen, per quod rem exterius positam sibi faceret perceptibilem. Nam vt oculus talis opus non haberet ad colorum distinctionẽ qualibet alia re illuminante, neq; illius obstaret perceptioni, quod res in tenebris essent positæ, quoniamquidẽ ipsemet in suo lumine rem sibi faceret visibilem, nec egeret alieno lumine, nec impediretur tenebris: ita & diuina mens superbenedicta, nullo indiget lumine alieno, vt nostrum sæculum cõspiciat, vt nos & nostra quæ hîc agimus, discernat: non opus habet aliqua illuminatione vel solis, vel lucernæ ardentis: sed ipsamet lux limpidissima, in qua cernit omnia: vt merito dicatur ipsemet ponere sæculũ nostrum in illuminatione vultus sui. Vnde per quendam Sapientem rectissime dicitur, Oculi domini lucidiores sole. Nisi enim quod prædictum est respiceret, non diceret oculos esse sole lucidiores, sed oculos eius diceret ad videndum clarissimos, supra visum omniũ oculorum. Dicens autem oculos sole lucidiores, significat, ipsam mentem diuinam sua propria illuminatione omnia cognoscere, multo melius quam ea quæ corporeo visui obiecta sunt, in lumine solis discernatur. Vnde & in alio loco Psalmista, Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Cuius intellectum difficilem quidem, sed prædictis bene conformẽ (si libet) suo loco require. ¶ Versu 10. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Mirum est, quòd dicat annos nostros meditari, siue exerceri, vt araneum. Non enim ipsi tempori vitę nostræ conuenit meditatio vel exercitatio ista, secundum aranei similitudinem. Accipienda ergo est eloquutio illa improprie, vt idem valeat quod, Nos in annis nostris meditamur, exercemur, sicut araneus: plærique nostrum operationes similes exercent, quales exercet araneus. De hac autem comparatione, multa satis in Elucidatione breuiter indicauimus, quæ si quis dilatare velit (id quod vnicuique vel paululum mentis habenti factu perfacile fuerit) inueniet, comparatione aptissima operationi aranei vitam humanã assimilari. Quibus etiam potest adijci, quod araneus omnem suum laborem videtur impendere ad hoc, vt animalcula innoxia prædetur & interimat. Opus enim eius cum perfectum fuerit, non aliud quam laqueus est, rete quo muscæ, ac huiusmodi capiantur. Et cum venatione muscam cœperit, statim accurrit, vt exugat sanguinem. Ita plærique mortalium, impij videlicet & iniusti homines, omnem impendunt solicitudinem & diligentiam ad decipiendum seducendumque & opprimendum innoxios. Videmus & hoc araneum multo minus liberum ac tutum esse, & magis coangustatum facilius posse comprehendi atque necari, post opus telæ perfectum, post domum consummatam, quam ante potuerit. Nam ante ædificatam domum, mox vbi vel flatum lenem persenserit, magna celeritate longe aufugit, & euadit periculum. Cum verò intra domum ædificatam fixerit iam habitationem, non nouit nisi in cubiculũ interius se subducere è propatulo: in quo, dum non conspicitur, securum se putans, plærunq; simul cum sua aranea araneus inuoluitur, atq; in terram prostratus calcatur, vt eijciat venenosa viscera, ac pereat, qui donec viueret, innoxia oppressit, interemitq; animalcula. Ita & auari homines, huius sæculi filij, multo minus tuti sunt, liberi, & securi, post suas ædificatas telas, post sua ædificia magna & alta, consummata, quam fuerant antequã quicquam omnino ædificassent aut possedissent. Diligunt enim telas suas: & quantumuis metus magnus ingruerit, non volunt relinquere telas quas ædificarunt, sed abscondunt sese in diuitijs quas congesserunt, & in operibus quæ extruxerunt, fiduciã habentes, quod saluari possint in eis, donec tandem veniat qui ipsos latitantes, & videri se nõ putantes, humiliet vsq; ad terram, & pedibus conculcatos, in infernum tremendum proijciat, perpetuo torquendos: sicut & ipsi dum viuerent in telis suis, tortores fuerant simplicium. Verum hæc impijs peculiaria sunt, illa autem quę in Elucidatione posita sunt, generaliter plærisq; mortalium conueniunt, etiam ijs qui absq; iniustitia & fraudibus viuunt, Potest etiam meditatio aranei accommodari ad solicitudinem humanæ vitæ in qua viuimus. Araneos enim experimur, præ cæteris animalibus maxime solicitos & timentes. Dum enim residents in arce sui cubilis, plærunq; dimidio corpore in foramẽ conclauis abscondit, ita quasi excubias videntur agere: vt quam plurimum vel leuiter tela contacta fuerit, cernantur ad interiorẽ suam munitionẽ sese retrahere, atq; illic sese abscondere, donec ad experiendũ, verũmne periculũ sit an non, iterũ caput efferant. Sic in perpetua videntur agere solicitudine. Nec aliter se habet omnis vita hominum, quæ in magna solicitudine ducitur: dum ad quẽlibet leuem timorẽ homo metuit frequenter vbi nullus est timor. Nec illud pro simpliciorib⁹ inutile fuerit annotare, quod aranea apud probatiores authores linguæ Latinæ telã ipsam potius, q̃ animal inuenitur significare: animal autẽ ipsum quod telã texit, genere masculino, araneus appellatur. In præsenti tamẽ loco, aranea genere fœmineo, vulgata lectio ponit pro animali texente, nõ pro tela quę texitur: quomodo etiã subinde apud Poëtas, atq; adeò apud ethnicorũ Poëtarum principẽ Virgilium,

aliquando inuenitur vsurpatum. ¶Versu eodem, Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. E Facilior esset sermo, si tantum diceretur, In diebus annorum nostrorū septuaginta anni, aut dies annorum nostrorum septuaginta continent annos, aut septuaginta annis constant. Cum verò præmittitur dies annorum, ac deinde replicatur, in ipsis, ita difficilior redditur oratio, nominatiuo illo primo absque rectore propter alterum interpositum relicto. Verum id non est scripturarū vsui infrequens, & aliàs non semel similia admonuimus, velut Psalmo decimo, Dominus in cælo sedes eius. Et alibi, Dominus ipse est Deus. Quantum verò ad sententiam, nota ordinem huius partis ad præcedentem: quoniam in parte priori fiebat mentio de afflictione & labore qui est in vita hominis, hic autem de eius breuitate. Duo enim hæc sunt, quæ præsentem vitam faciunt contemptibilem, & aliquo modo vilem ac miserā: videlicet quod vita sit plena laboribus, iuxta quod Sapiens ille dicebat, Omnia quæ fiunt sub sole non esse nisi vanitatem, laborem, & afflictionem spiritus: deinde, quod tantæ sit breuitatis, tantæ celeritatis, vt non nisi pro vno die, imò non nisi pro noctis vna vigilia mereatur computari. Duo hæc in libro quoque Sapientiæ coniungunt impij, ad impietatem sese exhortantes, Exiguum, inquiunt, & cum tædio est tempus vitæ nostræ. Vbi dum exiguum dicunt, posterius notatur eorum quæ diximus: dum verò adijcitur, & cum tædio, prius indicatur, videlicet quæ est in vita præsenti afflictio spiritus. ¶Versu 11. Si autem in potentatibus, &c. Ad perfectum sensum eliciendum expediret hunc versum coniungi cum præcedenti, ipsumque hoc principium legi vt quandam parenF thesim, ad hunc modum, Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni (si autem in potentatibus, octoginta anni) & amplius eorum labor & dolor: vt sit hic sensus, Duratio vitę humanæ annos complectitur septuaginta (aut forte in validissimis & robustissimis quibusdam, octoginta) quod verò vltra hunc terminum est, reliquum vitæ eorum, certè labor & dolor est. Valet enim hoc, in potentatibus, ac si dicamus, in robusticitatibus, in ijs qui singulariter forti & robusta sunt complexione præ cæteris. Debet autem terminus iste humanę vitę hîc assignatus sic accipi, vt ad quem possint homines sani & benè valentes, cum bono robore, absque dolore & afflictione pertingere: secundum communem videlicet cursum, vsque ad annos septuaginta: ex maxima autem complexionis fortitudine, vsque ad octoginta. Quod satis apertè in Paraphrasi Chal. innuitur, quæ septuaginta annos dicit fortitudinis, Dies, inquit, annorum nostrorum septuaginta anni fortitudinis. Vnde patet, periodum siue durationem humanæ vitæ multum esse imminutam citra tempus Moysi, si hic (iuxta tituli prænotationem) dicatur Psalmi author, vel citra tempus Dauid, si ipse Psalmum dicatur conscripsisse. Quapropter, male ex hoc loco arguunt quidam, periodum & durationem humanæ vitæ iam eandem & æqualem habere speciem humanam, quantam habebat tempore Moysi, eo quod etiam nunc multos videamus viuere vsque ad annos septuaginta, paucos quosdam (secundum comparationem loquendo) ad annos octoginta, imò nonnullos, sed pauciss imos, ad annos nonaginta, ad centum. Sed G decipiuntur qui istud asserere conantur, non rectè intelligentes quod hic de numero annorum vitæ humanæ dicitur. Non enim ipsa extrema duratio humanæ vitæ assignatur à Moyse vel à Dauide, ad quam posset humana vita perduci, etiam cum dolore & afflictione: sed illud tempus, quo in vigore potest homo permanere & bona qualicunque valetudine absq; vitæ tædio, cum vsu bono sensuum & membrorum persistere. Nam Moyses cui hunc Psalmum plerique Hebræorum ascribunt, aut saltem, cuius tempus propter inscriptionem tituli videtur considerari debere, centum & viginti annis vixisse inuenitur. Vnde post annum septuagesimum vixit annos quinquaginta. Iosue quoque mortuus est, centum & decem annorum. Sed & ex naturali ratione pulchrè id demonstrari potest, non posse fieri secundum naturam, vt eandem nunc sit humanæ speciei periodus, quam tunc describitur habuisse, quod nimia temporum mora intercesserit. Nos rem istam totam cum declaratione loci ex Psalmo propositi, ex ipsa radice plenissime tractauimus in libris de consideratione rerum naturalium, capitulo 22. lib. 8. vbi ostendimus, quid sit in causa, quur id diuersis mundi ætatibus periodus humanæ vitæ continuo deficiat, deficietq; donec perstabit cursus iste temporum, tam ex authoritate scripturæ sanctæ, quam ex demonstratione rationis naturalis, ac naturalis Philosophiæ principijs. ¶Versu eodem, Et amplius eorum labor & dolor. Verior sententia ista esse videtur: Quod supereret, vel quod residuum vltra septuaginta annos, vel in fortissimis vltra octoginta, afflictione & H dolore est plenum: & vix intra vitæ terminum meretur computari, cum post terminum illum vita sit quasi non vita, estque ille quotidianus defectus corruptionis mors potius dicenda quam vita, & verius mortis protractio siue expectatio, quam prolongatio vitæ. Secundum quam intelligentiā amplius eorum, valet, amplius vltra illos annos, id est, quòd vltra hos annos est. Quidam tamen sic intelligunt, Maior pars annorum vitæ nostrę est labor & dolor, quoniam maiorē partem temporis nostri in labore & dolore consumimus, varijs obnoxij corporis necessitatibus, in fame, siti, frigore, opprobrijs, curis, molestijs, extrinsecus & intrinsecus obuenientibus, & alijs mille malis. Quam sententiam videtur habere lectio Psalterij Romani, quod loco amplius, habet Plurimum, inquiens, eorum labor & dolor, hoc est, potior pars annorum nostrorū labor est & dolor. Græca autē lectio vtranq; patitur expositionem, quemadmodum & lectio nostra vulgata Gallicani Psalterij. Nam si hanc velis secundum intelligentiam, tantum, amplius eorum, accipe, vt valeat, potius eorum, vel maior pars.

Eccles. 1.

Sapien. 2.

Deut. 34. Iosue. 24.

XC. PSALMI ARGVMENTVM.

SEcuritatem hominis in Deo habentis fiduciam, mira iucunditate hic Psalmus depingit, ostendens eum qui in adiutorio omnipotentis per bonam spem inhabitat, & in protectione altissimi commoratur, dominū in protectorē atq; refugiū suum eligendo, ab omnibus insidiatorū laqueis & mortis amaritudine per Deum liberari, sub

A *sub eius scapulis & alis, quomodo solent pulli sub alis maternis tutari, veritate Dei vt scuto circumdari, vt nullum debeat periculum metuere, neq; per noctem, neq; per diem, neq; ex insidijs, neq; in aperto, neq; à quantolibet hostium numero, de quibus omnibus ex Dei munere talem in Deo speranti promittit victoriā, hinc inde cadant hostes deuicti, & ipse saluus absq; omni nocumento euadat gloriosior. adijciens etiā hoc, quod oculis proprijs aliquando sit punitionem inimicorum suorum conspecturus. Quæ omnia illi hinc dicit prouenire (quemadmodum ab initio indicauerat) quòd dominum Deum altissimum posuerit suum refugium, vnde fit, vt nullum malum ipsum possit accedere. Peculiariter etiam ex singulari angelorum auxilio, quibus Deus præceptum dedit super electis omnibus in se confidentibus, quòd eis debeant in omnibus vitæ huius vijs, alioqui vix pertransibilibus absq; summo discrimine, assistere, ne vllum aliquando patiantur scandalum, & in mortem corruant filij regni, quos ad vitam Deus prædestinauit. Insuper & hoc pollicetur versu decimotertio, omne serpentum genus, & omnem inimici rabiem atq; astutiam, nihil illi nocitura qui erga Deum corde fuerit bene fidenti. A versu autem decimoquarto vsq; ad finem, Deus ipse bene sperantem alloquens introducitur, quæcunq; sub Prophetæ persona iam prædicta fuerant, sui verbi indubitata assertione corroborans atq; confirmans, vitæ etiam æternæ beatitudinem post liberationem ab omnibus periculis fideliter promittens.*

NONAGESIMI PSALMI ELVCIDATIO.

B 1 *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.*

QVi suam habitationem & mansionē elegerit in auxilio omnipotentis Dei, non confidens in proprijs viribus, neque spem ponens in homine, aut in diuitijs, aut in potestate, aut sæculi prudentia, aut alia quacunq; huiusmodi vanitate, sed totam suam spem constituit in Domino, huiusmodi homo permanebit & commorabitur in defensione Dei altissimi, regnantis in cælis: huic velut pro habitaculo firmo & secura mansione erit benigna omnipotentis Dei protectio, à qua diuinæ protectionis securitate excluduntur, qui alibi quàm in adiutorio altissimi eligunt suam habitationem. 2. Qui huiusmodi fuerit, cum multa fiducia dicet domino, Tu es defensor meus, cuius protectioni in cunctis mihi obuenientibus malis volo inniti: tu quoque meum es securū refugium, & quasi arx valida, quasi locus munitus, ad quē semper in omnibus periculis volo confugere, quasi ad asylū & salutis locū: * denique tu es Deus meus, & mea omnia, & in te totam cordis mei ponam fiduciam. 3. Tu nanque es qui me tibi fidentem hactenus liberasti, & liberabis (vti non dubito) etiam imposterum, de laqueis & insidijs omnium inimicorum meorum, qui ad modum venatorū paupercula animam meam summo studio & sedulitate maxima persequuntur, vt eam interimant: ponuntq; laqueos multiplices & varias insidias, vt illaqueatam in eis animam meā morte afficiant: quomodo solent venatores maximis laboribus persequi innoxia animalcula, & laqueos ponere, foueas effodere, aliasque insidias struere, tantum vt illa possint comprehendere, & vita priuare: * liberasti tu quoque me hactenus, & liberabis (vti confido) imposterū, à verbo illo aspero, ab illa terribili sentētia damnationis æternæ, quæ super omnes illos aliquando est proferenda, quos illi venatores suis laqueis apprehenderint, qua cuncti iniquitatis operarij in ignem æternū iubēbuntur abscedere cum suis venatoribus, à quibus illaqueari se permiserint, id est, cum diabolo & angelis eius, à quo se præter necessitatem superari permiserunt, cum in auxilia Dei potuissent superare omnes illorū laqueos. Quod sanè verbum erit nimium asperum, nimiū terribile, penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vsq; ad internecionem & perditionē, non corporis modo, verumetiā spiritus & ānimæ. Ab hoc enim aspero verbo me liberasti, dum in laqueos venatorum non peruenire, aut certè in eis nō permanere mihi dedisti. 4. Vox Prophetæ ad eum qui habitat in adiutorio altissimi. O tu quisquis es, qui sic, vt modo dictum est, tali confidentia habitas in adiutorio altissimi, quàm bene tibi erit, & quàm eris securus in tua ista fiducia. Ecce Deus ipse in quo habes fiduciā, suæ potentiæ fortitudine tibi obumbrabit, quasi scapulas suas super te expandet, suum auxilium super te faciet apparere, vt nocumenti nihil ad te possit pertingere: quomodo cum pater scapulas suas & humeros obijcit pro filio, vt is qui paruulo nocere cupit, nō possit, obstaculum præbentibus latis obumbratis patris scapulis: * & sub expansis alis misericordiæ ac bonitatis eius securus ages, & confidendo tutus eris ab omni aduersariorum nocumento: quomodo pulli gallinæ sub alis & pennis maternis agunt securi, qui cum extra alas euagantur, accipitris, aliarumq; rapacium auium patēt vnguibus, suntq; direptioni & morti expositi. 5. Quasi scuto circundabit te veritas & fides eius, sic te eius certissima veritas ex omni parte

Matt. 25.

Hebr. 4.

2 *Dicet domino, susceptor meus es tu, & refugium meum:*
* *Deus meus sperabo in eum.*

C 3 *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium:*

* *& à verbo aspero.*

D

4 *Scapulis suis obumbrabit tibi:*

* *& sub pennis eius sperabis.*

5 *Scuto circundabit te veritas eius.*

securum

Universidad de Deusto Biblioteca

securum custodiet,quomodo is qui scuto vndiquaque circũdatur,nul E
la ex parte vulnerari potest:* nõ erit timor tibi, neque periculũ,sed in
securitate deges,quęcunque tandem tentatio obuenerit:& primũ qui-
dem nõ timebis ab omni terrore qui per noctẽ potest occurrere, nul-
la tibi tẽtatio occulta , quasi per noctis tẽpus ex occulto & ex latebris
proueniens, poterit prævalere:ab omnibus nocturnis huiusmodi ter-
roribus atq; periculis eris securus , vt non te superent in domino cõfi-
dentem : In aduersissimis quoque casibus nullum patieris nocumen-
tum,Deo tibi assistente in omnibus. 6. Aeque etiã non timebis à peri-
culis quæ per diem possint obuenire , nihil tibi nocere poterit malo-
rum quę per diẽ obuenerint in aperto , etiamsi sagitta aduersum te ia-
ctetur,nõ tibi infigetur,nõ ea vulneraberis: si tẽtatio aliqua manifesta,
sed lenis tibi adueniat,nõ te feriet mortali vulnere:* In prospero quo-
que rerum statu,quando nihil apparebit nubilum, sed videbũtur sere-
na tibi & pacata omnia.Dei custodia similiter tutus perstabis,qui & in
prosperis & in aduersis tibi adferet auxilium : * item illæsum te seruа-
bit ab omni malo quod in tenebrarum latibulis obambulat à tenta- F
tione graui molesta & diuturna,quę te multum,& diu quasi circũeun-
do & circumambulando molestat , vt tandem vel importunitate vin-
cat,aut ex occulto tandem aliquando te opprimat, si quando te videat
minus paratum:* tandem etiã ab omnibus insultibus apertis & mani-
festis oppugnationibus eris saluus, cuiusmodi sunt quæ per vim fiunt,
claro tempore meridiei:& ab inimicis huiusmodi sic apertè per vim tẽ
tationum oppugnantibus æque saluaberis in diuino auxilio, vt ab illis
negotijs tenebrarum , hoc est , non tibi poterunt aduersarij dæmones
prævalere,propter diuinam custodiam,quoscunq; tandẽ modos adin-
ueniant,quamcunque tandem viã experiantur,siue occulte nocere cu-
piant,quasi in occulto tenebrarum , absque oppugnatione aperta, sub
latibulo aliquo,siue etiã apertam persequutionem aut tentationẽ,om-
ni sibi cõcessa virtute aduersus te exuscitent:etiamsi in omni sua virtu-
te aduersum te conentur,& aperte te oppugnẽt,nihil patieris incõmo-
di.7.Pugnante pro te Deo tuo protectore,prosternentur in terram,& G
ad nihilum redigẽtur omnes aduersarij tui,qui tibi nocere quæsierint,
concidentque superati ab vtroque latere tuo in maximo numero : ab
hoc quidem latere,nẽpe sinistro,mille,& ab altero latere dextero(quę
est pars fortior)decem milia,id est,absq; numero cadent ex omni par-
te,ex qua te oppugnauerint,siue à dextris,siue à sinistris,& hostium eu
neos ita penetrabis securus,sicut cùm bellator robustus & prævalidus,
dextera lævaque multos prosternens , ictu sui gladij, hostium agmina
perrumpit & pertrãsit illæsus:* tibi verò nõ poterit ad nocendũ appro
pinquare ne vnus quidẽ aduersariorum tuorum,nullus omnino ex om
nibus oppugnãtibus ita tibi poterit approximare, vt expugnet,vt præ-
ualeat,vt quod molitur obtineat. 8. Quod verò amplius est,etiam tuis
oculis aliquando cernes,& videbis dignã impiorum,qui te modo per-
sequuntur,punitionẽ:videbis hisce tuis oculis,illorum ex Dei iudicio
cõdemnationem in tempore illo vltionis,in nouissimo die, quãdo sen
tentiã mortis & dãnationis æternæ videbis aduersum illos proferri, &
exequutionem terribilem accipere.9. Omnia autem hæc tam singula- H
ria diuinę protectionis beneficia inde tibi procedunt,quoniam domi-
num Deum posuisti spem tuã,& fiduciã habuisti in domino Deo tuo:
* quoniam non in caducis & inferioribus his constituisti fiduciam, sed
ipsum omnipotentem, & omnium altissimum dominum tu elegisti in
refugium tuum,ab illo postulans & sperans optime protegi atque tu-
tari. 10. Et quoniã ipsum,qui est altissimus, dominum Deum posuisti
tuum refugium,iccirco non poterit tibi vllum malum appropinquare,
nullum te malum valebit apprehendere , vt nocumenti quicquam inde
sustineas:* & nullum flagellum, nulla pestis,nullum verò malum pote-
rit ad domum mansionis tuę intrare:eris in tuo illo tabernaculo(quod
in altissimo tibi posuisti)ab omni malo,& ab omni peste malitię secu-
rus. Is enim , in quo refugium tuum posuisti,altissimus,te sibi fidentẽ,
ab omni malo seruabit,& noxia omnia longè profligabit.11. Ipse enim
tui solicitam curam gerens , mandatum præceptumque dedit angeli-
cis spiritibus ministris suis , de tua diligenti & firma custodia : videli-
cet vt te diligenter custodiant atque obseruent in omnibus vijs tuis,
quocunque perrexers , vt in omnibus actionibus , ad quas volueris

non timebit à timore nocturno.

6 *A sagitta volante in die:*

* *à negotio perambulante in tenebris:*

* *ab incursu & dæmonio meridiano.*

7 *Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis:*
* *ad te autem non appropinquabit.*

8 *Veruntamen oculis tuis considerabis,et retributionem peccatorum videbis.*

9 *Quoniam tu es domine spes mea:* altissimum posuisti refugiũ tuum.*

10 *Non accedet ad te malum:*
* *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

11 *Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.*

A manum extendere assistant tibi,teq; ita obseruent, & illuminando per-
ficiendoq; dirigant,vt in nullo à via recta deuies,neq; ad dexterã,neq;
ad sinistram declinans, neque ab vlla aduersariorum potestate te pati- Hebr. 1.
antur nocumentum accipere:ita videlicet angelicos suos ministros ti-
bi administratorios & custodes constituens, quomodo solet pater fi-
lio vnicè dilecto assignare custodes,suisq; ministris solicitissime man-
dare de filij obseruatione atque custodia. 12. Atque hi administratorij
spiritus, accepto hoc Dei mandato solicitissime perfectissimeq; iussa
complere satagent,teq; fidelissime omni cura & studio custodient:ita
vt quasi in manibus te portent per viam quam ambulare volueris, in
cunctis actionibus tuis ita tibi suo adiutorio assistendo, ita manifestũ
præstando auxilium , vt in vlnis te gestare videantur: * ne quo modo
contingat alicubi te pedem offendere ad lapidem, vel aliud quodlibet
viæ offendiculum,ne vllum vsquam scandalum patiaris,ne vsquã quic-
quam accipias nocumenti in viã quam ambulas diuinorum præceptо-
rum , sirq; tibi adamanti legem Domini pax multa & nullum scanda-
lum. 13. Denique,nec vniuersum serpentum genus tibi quicquam no- Psal. 118.
cere poterit: sed absq; læsionis nocumento, perambulabis super aspi-
dem & basiliscum, similiter & super aliarum specierum serpentes, cu-
iuscunq; tandem malitiæ aut infectionis fuerint , nihil tibi mali illorũ
venenum inferet: * imò neque leonem neq; draconem in via timebis,
sed securus & imperterritus in via tua conculcabis eorũ capita,tametsi
leo ferocissimum sit animal, draco astutissimum:tu tamen & illius fe-
rocem fortitudinem,& huius nociuam astutiam æque victor calcabis
atq; superabis: hoc est,nulla virtus inimicorum,siue infirmorum,siue
fortiorum,siue magnorum,siue paruorũ, tibi nocere poterit aut præ-
ualere.Ecce enim altissimus quem posuisti refugium & spem tuã, de-
dit tibi potestatẽ calcandi super omnes serpentes & scorpiones,& su- Lucæ 10.
per omnem virtutem inimici: & sicut ipse prior vicit malignũ,iudica- Ioan. 12.
tum,condemnatũ,ac foras eiectum : ita & tibi dedit potestatem,hunc & 16.
quoque vincendi malignum. 14. Vox Domini. Istum cui hactenus te
meum Prophetã audio loquentem,& cui te audio magna fuisse polli-
citum,ego(iuxta verũ verbum tuum)liberabo,& saluũ faciam ab om-
ni malo,propter quod in me spem & fiduciam constituerit,secundum
fidem ipsius faciam illi,& non eum frustrabor,neque confundã ab ex-
pectatione sua, quoniam non noui ego in me sperantes derelinquere:
* ego eum defendã ab omnibus aduersarijs & omni malitia, eo quod
nomen meũ cognouit, eò q; in me credidit & sperauit, atq; vt patrem
dominũ, protectorem, & saluatorẽ inuocauit. 15. Ipse ad me ex corde
fideli nihil hæsitans clamauit,cõfidens de exauditione,quod postulatа
esset accepturus:& ego nequaquã illum frustrabor,sed quod postula- Psal. 33.
uit,concedã,eiusq; supplicationi benignus annuam: * adero illi in tri- Psal. 14.
bulationibus & angustijs,quoniã propè sum ijs qui tribulato sunt cor- Psal. 4.
de,& omnibus me in veritate inuocantibus: * adero, inquã,vt fiam ei
adiutor in opportunitatibus in tribulatione,vt eũ de tentatione & pe- Psal. 26.
riculo eripiam,vt eum liberẽ à malo:& mea singulari protectione glo-
rificabo eum,exaltabo caput eius super omnes inimicos eius,donãdo
illi glorioſam de cunctis hostibus victoriam: * Ereptum etiã de tenta-
tionibus omnibus huius malitiæ super terrã,saluum faciã,& magnifi-
ce sublimabo in regno meo & gloria cælesti. 16. Adimplebo illum de
laboribus & periculis huius vitæ translatum,dierum longitudine:per-
ducam illum ad tempora æternitatis, quorum erit sine fine in immen-
sum longa duratio, viuere illum faciã in perpetuis æternitatibus: * fa-
ciamq; illum meæ salutis participem,meam salutẽ illum videre,gusta-
re,experiri,& possidere faciã,& meam gloriã,meam diuinitatem(quę
est salus & vita omnium beatorum) ego illi ostendam , ita vt facie me
contueatur ad faciem,quomodo videt homo facie ad faciem amicum 1.Cor.13.
& proximum suum, vt qui in hoc tempore in me sperauit, quem non
videbat,in æternitate perpetua meæ diuinitatis visione atque perfecta
fruitione mecum lætetur, per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

12 *In manibus portabunt te:*

* *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

13 *Super aspidem & basiliscum ambulabis:*

* *& cõculcabis leonem & draconem.*

14 *Quoniam in me sperauit, liberabo eum:*

* *protegam eum,quoniam cognouit nomẽ meũ.*

15 *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum:*
* *cum ipso sum in tribulatione:*
* *eripiam eum, & glorificabo eum.*

16 *Longitudine dierũ replebo eum:*
* *& ostendam illi salutare meum.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM XC.

VErsu 1. Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Secunda pars huius versus, quantum ex ipso modo Latinæ eloquutionis, incertum est, an simul debeat iungi cum præcedenti absque sententiæ complemento,vt debeat ad complendum sententiã adiungi proxime

proxime sequens versiculus,an ita separatim,vt compleat sententiam absque illius annexione. Iuxta E
priorem illum modum hæc foret sententia,Qui in adiutorio altissimi habitat,& qui commorabitur
in protectione altissimi,hic dicet domino,susceptor meus es tu,&c.Iuxta posteriorem modum,hæc
est sententia, Qui in adiutorio altissimi habitat, hic commorabitur, & securus deget in protectione
Dei cæli.Ac deinde diuisim subditur : Huiusmodi dicet Domino, susceptor meus es tu. Quam con-
nexionē nos in Elucidatione solàm expressimus,quod hæc sit verisimilior: id quod tam ex Hebræo,
quam ex Græco est manifestum. Vtrobiq; enim ponitur nudum participiū,loco huius, qui habitat,
ad hunc modū,Habitans in adiutorio altissimi,in protectione Dei cæli commorabitur:vbi apertum
est,non nisi primam sententiā posse accipi.Posito enim participio,cessat illa supraposita ambiguitas.
Dei ide,in Hebræo verbum initio sequentis versus positum,primæ personæ est,non tertiæ.Sic enim
legunt,Dicam Deo,&c.Propter quod,nō potest versus præcedens,qui habet verbū personæ tertiæ,
aptè coniungi sequenti,habenti verbum personę primæ. ¶ Versu 3. Quoniam ipse liberauit me de la-
queo venantiū.Venatores istos quos poterimus cōmodius intelligere,quam ipsos illos obfirmatissi-
mos & vigilantissimos hostes nostros,malignos dæmones?Optime enim illis venatorū conditiones
conueniunt. Nam sicut venatores summa diligētia & assiduitate feram sectantur, interdum per plu-
res dies neq; cibum neq; somnum vllum commode capientes, frigora & calores patienter tollerantes,
insuper currendo cornu sonando, & canes insequendo, mirum in modum sese fatigantes, nullis F
parcentes laboribus,non à cursu & persequutione cessantes,donec vlla est feræ adipiscendæ spes re-
liqua:ita per omnia nostri isti aduersarij,summa diligentia & vigilantia nostrarum animarū quærunt
1.Pet.5. perditionem,nihil æque optantes ac perimere nostras animas:cuius etiā gratia (vt Petrus Apostolus
ait) tanquam leones rugientes perpetuò nos circumeuntes, quærentes quem deuorent. Neq; caro &
Ephes.6. sanguis ipsi sunt,cum quibus est nobis colluctatio,vt ait alter ille gentium Apostolus : sed spiritalia
nequitiæ in cælestibus,mundi rectores tenebrarum harum, qui eo quod carnem & sanguinem non
habent,nulla cibi necessitate,nulla somni indigentia,à tentatione & persequutione auelluntur:sed in
sua malitia æque semper vigiles & alacres persistunt. Insuper venatores videmus non tam ipsa carne
delectari ferarū quas persequuntur,neq; tam pretium requirere,quam ipsam animantiū interfectio-
nem (neque enim multum solent venatores auari inueniri,neque multum in esu ferinarum carnium
consueuerunt oblectari) sed præcipuum gaudium quod ex venatione accipiūt,tum habent,cum ha-
sta sua venatoria datum fuerit bestiam cōfodere,Ibi videlicet serio triumphant,ibi voluptas est præ-
cipua, quam requirunt.Et cum feram contigerit sua velocitate illorū manus effugere, vehementis-
sime sibi indignantur,non quod pellē,aut carnem perdiderint,non causa cibi aut lucri perditi:sed ob
hanc tantum,quod bestiā non peremerint:quæ illis nihil nocuit.Hac enim causa etiam nobiles prin-
cipes,quoties magnificè animum releuare voluerint, ad syluas consueuerunt venatum egredi (quod G
indubitatum est) neque cibum,neq; lucrum quærentes,sed gaudium illud quod ex innoxiorum ani-
malium timida fuga, ac deinde violenta interfectione concipiunt. Atq; ita profecto nostri isti hostes
peruersissimi,non aliud quærunt,quam nostram perditionem. Neque enim suum bonum quærunt,
dum nos persequuntur,sed tantum nostrum malum : neque vllum ipsi lucum ex nostra interfectione
norunt,sed nostra ipsa mors,quanquam nullum inde consequantur commodum,est tamen illis vo-
luptati,& mirum in modum ad hoc anhelant,vt nos valeant morte perimere. Neq; id sanè mirum.
Cum enim contrarij sint hi impijssimi diaboli optimo & clementissimo domino Deo nostro,con-
sequitur,vt quomodo ipse nostri est amantissimus,& nihil æque optat ac nostram salutem & vitam,
Ezec.33. omnino nolens mortem peccatoris,neq; delectationem accipiens in perditione viuorum: ita illi no-
Sapien.1. bis inimicissimi nihil æque concupiscunt,quam perditionem & mortem animarū nostrarum:neque
maior illis potest contingere voluptas,quam in morte hominū & perditione viuorum.De his vena-
toribus meminimus dixisse nos quædam etiā in Annotationibus Psalmi quadragesimiprimi,in enar-
ratione versus primi,Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum,ita desiderat anima mea
ad te Deus. ¶ Versu eodem,Et à verbo aspero.Verbum hoc asperū, in Elucidatione sumus interpre-
tati,mortis atq; condemnationis æternæ terribilē sententiam : à quo verbo per Deū liberatur,quis-
quis à peccato seruatur.Potest enim verbum asperum,intelligi maligna persuasio,aut vana suggestio H
peruersorum,aut praua impiorum doctrina:quę bonis verè asperum,verè amarum verbum est,tam-
etsi aliter peruersis videatur.Ab hoc autem aspero verbo electos liberat Deus,cum eos mala sugge-
stione aut pestifera impiorū doctrina seduci non patitur. Potest etiā verbum accipi pro re,vt sit sen-
sus:Ab omni re praua & noxia. ¶ Versu 4.Scapulis suis obūbrabit tibi.Vertit hic Propheta sermonē
ad ipsum qui confidit in Domino,de quo hactenus sub persona tertia,per tres versus loquutus fue-
rat : incipitq; iam illum alloqui sub persona secunda,dicens,Scapulis suis obumbrabit tibi,&c. vsq;
ad versum decimumquartum, vbi Dominus ipse introducitur loquens, & confirmans ea quæ prius
per Prophetam à Prophetico spiritu fuerant prædicta.Notandū verò,quod per scapulas rectè intel-
ligimus Dei fortitudinē,sub qua proteguntur fideles sperantes in Domino. Homines enim latas ha-
bentes scapulas,robustos dicimꝰ,vt merito in scapulis fortitudo intelligatur, Vnde obumbratio ista
scapularum,rectè accipitur protectio fideliū,Ex Dei potenti adiutorio. Nihil enim aliud est,Scapu-
lis suis obumbrabit tibi,quàm,scapulis suis operiet te,sub scapulis suis te occultabit,proteget.Spe-
rabis autem in secunda parte,idem videtur valere quod confides vel confidenter ages,id est,securus
eris,vel tutus ages : vt sit sensus, Sub pennis eius ages securus. Confidenter enim interdum valet se-
Hier.23. curè,quemadmodum cum apud Prophetam dicitur,Israël habitabit confidenter, id est,secure. Pul-
chrè totum hunc versum explicat Chal. Paraphrasis, hoc pacto, Vmbra diuinitatis eius obumbra-
bit

A bit tibi,& sub vmbra gloriæ eius securus consistes. Manifestum est autem, sumi hic comparationē à
pullis gallinarum qui sub matrum alis degunt securi,nec rapacitatem metuunt accipitrum.Secundū Psal. 16.
quam cōparationem & in alio Psalmo dicitur, Sub vmbra alarum tuarū protege me,à facie impio-
rum qui me afflixerunt. ¶ Versu 5.Scuto circundabit te veritas eius.Scuto circundabit,id est,ad mo-
dum scuti circundabit,tanquā scuto ex omni parte cōmuniet, facietq; securum:vt est bene securus,
qui validissimo scuto est circundatus. Quæ autem sequuntur de timore nocturno, sagitta volāte in
die,negotio in tenebris perambulante, & dæmonio meridiano,à diuersis diuersimode exponuntur.
Simpliciter ita possunt intelligi, Veritate Dei te protegente, eris ab omni nocumento securus, siue
quod per noctem obuenire poterit,siue quod per diē, siue quod ex occulto, siue quod in manifesto. Iudic.7.
Nam his quatuor modis solent homines pati periculum. Quidā enim nocturnis insidijs vincuntur,
aut fugātur terroribus,quēadmodum timore nocturno Gedeō Madianitarum vicit exercitum. Qui-
dā clara luce,arcu,hasta,aut gladio feriuntur.In horum enim vsu,diei lumine est opus.Interdū ex oc-
culto,& quasi in tenebris ex improuiso homo ab hoste opprimitur. Interdū violento incursu manu
valida:qui modus est maxime fortium siue audacium. Quomodocūque ergo te hostes tui oppugna-
re tentauerint,nō poterunt tibi scuto optime circundato quicquā nocere. Alij timorem nocturnum
ad aduersitatis tēpus referunt:sagittā in die volantē,ad tēpus prosperitatis:negotium perambulans in
B tenebris intelligentes tentationem grauē & molestā multo tempore velut obambulantē & circum-
euntē hominē,non sub aperta inimicitia,sed quasi sub boni specie,vt ex absōdito capta opportuni- Psal.10.
tate noceat:quēadmodum in alio Psalmo dicitur, Parauerunt sagittas suas, in Pharetra vt sagittent Psal.36.
in obscuro rectos corde.Et sagittent in occultis immaculatum. De quibus negotijs in tenebris per-
ambulātibus,etiā Paulus scribit Corinthijs,dicens:Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. In- 2.Cor.11.
cursum autē & dæmonium meridianum,accipiunt tentationē apertā & violentā, velut sub meridiei
tempus in ciuitatē aut arcem aliquam incursus siue insultus fit ab hostibus violentus.cùm,Vel per ti-
morem nocturnū intelligatur tentatio occulta,& leuiter trāsiens,nō omnino importuna, quomodo
cōtingit timor nocturnus,qui ex occulto est,& non multū durat. Mox enim oblato lumine aufugit,
aut clarescente die. Per sagittā volantem in die,intellige tentationem manifestā,sed celerè & veloci-
ter antequā penitus præuisa fuerit ferientem:quemadmodum sagitta licet manifestè veniat,tamen ce
leriter in carnē infigitur:& vulnerat hominem: attamen si mox extrahatur,& salubre medicamentū
adhibeatur,modicum est à vulnere periculum.Huiusmodi sunt tentationes carnales quæ quasi sagit
tæ celeriter in animum hominis immittuntur, & antequam penitus præuisæ fuerint, vtcunque vul-
nerant.Nam aliqua in parte animā lædunt.Verùm si mox extrahantur hæ sagittæ, & non permittan-
tur malo cōsensu intra affectum habitare,non erit vulnus mortiferum. Per negotium verò perambu
C lans in tenebris,accipiatur tentatio importuna,quę licet non omnino subito hominē oppugnet, vel
subito cōturbet,tamen prolixa mora est mirabiliter homini molesta:& quamuis repellatur, nō ab-
scedit,nec semel repulsa desinit,sed obambulat quasi per circuitum,opportunitatem quærens ad re-
ditum.Per meridianum autē dæmonium & incursum,intelligatur subita grauis oppugnatio cuiuslī-
bet tentationis aut persequutionis,siue corporalis,siue spiritualis. Hanc autem quadruplicis tētatio-
nis distinctionem inuenimus virum illum humana quidē literatura simplicē,sed diuina sententia mi-
nime vacuum, & cū beato Paulo licet sermone,nequaquā tamen scientia imperitum, beatum Frāci- 2.Cor.11.
scum,in egregia illa dominicæ orationis expositione, quā solet Ecclesiasticis horis præmittere,bre-
uibus aptè admodum expressisse:cùm orās non induci in tentationē,ita diceret,Et ne nos inducas in
tentationē,occultā vel manifestā, subitā vel importunā. Ecce quomodo singulis verbis singulas ex-
pressit tētationes.Quomodo autem omnibus his tentationū mille modis diabolus artifex vtatur ad
deceptionem humani generis,hominibus spiritualibus nō est incognitum:qui in seipsis,commutatis
viribus,nunc hanc,nunc illā experiuntur.Vtuntur nanq; inimici nostri nō eadem aduersus omnes,tē-
tationis specie:sed aduersus quosdam hac,aduersus alios alia, iuxta quod sperant faciliorem,sed hoc
aut illo modo posse parare sibi victoriā.Quosdam enim melius timoribus nocturnis cōcutiunt,& à
D bono cessare faciūt,ac in pusillanimitatē pertrahunt:alios,sagittis per diem volātibus vulnerare fata
gunt:alios, obambulant quasi in tenebris,vt non percipiantur eorum fraudes,& incautos habita op-
portunitate prosternant,illos maxime quos aperte nō audent inuadere.Alios etiā aperto insultu gra
uissime oppugnāt.Duæ autē hæ tentationes vltimæ,validiores sunt: priores, minus graues videntur.
Alij alias adhuc ponunt expositiones.Nobis ista impræsentiarum sufficiant, ne nimia expositionum
abundantia faciat,vt nulla placeat:id quod ferè solet euenire, vbi nimia interpretationum congeries
fuerit coaceruata. ¶ Versu 7.Cadent à latere tuo mille,& decem milia à dextris tuis. Ex similitudine
eorum qui in pugnis viriliter agentes,vtraq; ex parte plurimos prosternunt,tā ad sinistrā,q̄ ad dexte-
rā,sumpta videtur ista eloquutio.Propter quod,etiā talis fit distinctio,vt à latere sinistro cadentibus
mille,à dextero dicātur cadere decē milia:quoniā multo plures solent pugnatores ex parte dextera,
q̄ ex sinistra prosternere, eo q̄ ictus gladij & vis brachij magis feratur ad dexteram, & validius illic
operetur.Iuxta hāc verò expositionē, est manifestum, fieri de cursu prostratorū aduersariorum hoc
loco sermonem.Alij verò sic malunt intelligere. Alijs qui in domino non habent fiduciam hinc inde
pereuntibus,potissimum quatuor prædictis speciebus nocendi, ita vt à sinistris tuis interfecti cadāt,
mille,& à dextris tuis decem milia:tu nihilominus in Deo firmatus, spei tuæ fiducia tutus & illæsus
permanebis, & ab omni huiusmodi periculo securus, solusque vel mille milibus pereuntibus, nihil
persenties nocumenti,ad te vnum nullum malum appropinquabit,vt noceat. Et hæc expositio non
minus cōmoda est,quam præcedens.Quidam,duo ista latera mystice,exponunt,per dexteram intel-

ligentes prosperitatem, per sinistrā verò aduersitatem, dicentes, signanter dictum esse, quòd à sinistra E
cadentibus mille, à dextris cadant decem milia: quoniā multo plures rebus prosperis, q̄ aduersis cor-
runt & perduntur. In tēporali nāque prosperitate, omnia velut inuitant ad malū, mundus ad se allicit in otio prosperè agentē, diabolus facilius persuadet quæ vult, & caro ipsa quæ concupiscit, leuiter impetrat. In aduersis verò casibus, ipsa aduersitas velut cōstringit hominem, & auocat animū dolentem ab omni ordinata voluptate. Quæ quidē expositio nō omnino male loco præsenti quadraret, si quod dicitur à latere tuo & dextris tuis, intelligeretur de sinistra & dextera Dei. Nā ita in Deo vtcunq; intelligere possumus diuersitatē dispensationis, qua quibusdā prospera, alijs aduersa in præsenti vita dispensat, quemadmodum & illā vltimę retributionis mæqualitatem, per dexteram & sinistrā, ipsemet dominus in Euāgelio significauit, cùm dixit, oues à dextris, hœdos à sinistris, in illo discretionis die collocādos. Verùm quia in omnibus his versibus sermo dirigitur nō ad Deū, sed ad ipsum in Deo confidentem, ob hoc non satis cōueniens videtur illa expositio: quoniam nusquam legimus, per dexterā hominis significari ipsius statum prosperum, aut per ipsius sinistrā, statum aduersitatis. Aduertendum etiā est, quòd in Græco nominatiui habentur singulares, vbi non habemus plurales. Nam oro mille ponitur χιλιὰς, quod sonat acsi dicamus, millenarius, pro decem milibus autē ponitur μυριὰς, quod significat numerum decem milium. Propter quod, in secūdā parte versus illud, Ad
Matth.25. te autem non appropinquabit, potest exponi, ablato suppositio ex parte priori. Ad te nec chilias nec F
myrias appropinquabit, id est, neq; numerus mille hostiū, neque numerus decem miliū, ad te poterit appropinquare, hoc est, quanticunque fuerint numero, æque nihil efficient: secundum quā intelligētiam verti potuisset, Ad te autē nō appropinquabunt, videlicet nec mille, nec decem milia. In Elucidatione nos exposuimus, Ad te nō appropinquabit vllus ex eis, videlicet ex tanto numero nec vnus. Secundum verò aliā expositionem suprapositā, quæ dicit cadentibus ex omni parte ijs qui in Deo non sperant, ipsum fidelē permansurum illæsum, ita debebit intelligi, Ad te nō appropinquabit vllum malum, videlicet neq; timor nocturnus, neq; sagitta in die volās, neq; negotium in tenebris perābulans, neque incursus, aut dæmonium meridianum. ¶ Versu 9. Quoniam tu es domine spes mea, altissimū posuisti refugium tuum. Prima ista pars versus videtur cum toto cōtextu versuum precedentium atque sequentium male cohærere, quoniā tā in præcedentibus, q̄ in sequentibus verba sunt Prophetę, alloquentis sperantē in domino. Hæc autē vox ex ipsius in domino sperantis, sic tamen vt statim cōtinuetur sermo Prophetę, ad ipsum in domino sperātem. Oportet ergo hoc accipere quasi breuiter ex affectu ipsius sperantis in domino interiectum: vt tā magna audiens sibi polliceri, quasi exultans in spe sua, illo adhuc loquente sermonē aliquantulum interrumpat, dicens: Quoniam tu es domine spes mea. Quasi dicat domino, Quicquid mihi boni pollicetur spiritus, totum mihi ex recta erga te fiducia, procedit. In Elucidatione verò, ob claritatem continuationis huius partis prioris. Quoniā tu es G
domine spes mea, sententiā tanquam ex ore Prophetæ alloquentis in domino sperantem explicauimus sub persona secunda, cùm textus habeat primā. Mox verò Propheta ipse, siue in Propheta Propheticus spiritus, sermonē prosequitur, dicēs: Altissimum posuisti refugium tuum. In quo notandū, quòd altissimum generis est masculini, vt sit sensus, Dominum Deum omnipotentem, qui est altissimus, tu posuisti tuum refugium. Id enim manifeste ex Græco apparet, vbi articulus additur generis masculini τὸν ὕψιστον, hoc est, ipsum altissimum, genere masculino. Vnde quod quidā exponūt sermonem ad Deum dirigentes, hoc modo, Tu Deus posuisti tuum refugium altissimum: ac deinde, Ad te Deum nō accedet malum, & tuo tabernaculo nō appropinquabit flagellum: tametsi possit tolerari, & habeat veritatem, nō videtur tamē hæc esse vera præsentis loci intelligentia: tum (vt diximus) quòd Græca obstet lectio, tum quòd sequētia manifestū est nō ad Deum, sed fideliē esse referenda, cùm dicitur, Quoniam angelis suis mādauit de te, vt custodiant te. &c. ¶ Versu 11. Quoniam angelis suis mādauit de te, Hunc versum vnà cum sequente, ex Euangelijs cognouimus, tentatorem diabolum Chri-
Matt.25. sto obiecisse, ad persuadendum illi de templi pinaculo præcipitium. Sed peruersè ille hanc scripturā citauit, & scripturæ se prauum interpretem atque applicatorem ostendit, pluribus de causis. Primum quidem, ratione prauæ intentionis: quoniā ad malum, scripturæ vsum quęrebat, videlicet vt ad vanā gloriam (iuxta sanctorū Theologorum sententiā) Christum hominem alliceret, aut etiā Dei faceret H
tentatorē. Secundo, quia nō secundum spiritualem sensum, vt debuit, scripturā accommodauit: cùm debeat hæc scriptura nō secundum verborū superficiem intelligi de custodia, & gestatione manuum corporali, sed potius de secura angelorum protectione atque custodia, qua angeli electis superintendunt ex mandato Dei. Manifestissimum enim est, nō debere corporaliter ista intelligi, vel ex eo quòd nullæ sunt angelis corporeæ manus. Quidā etiam hinc diabolum, id est, calumniatorem malum non male calumniantur, id est, iuste arguunt, quòd ea adduxerit quæ pro sua parte facere videbantur, eo tacito quod aduersum se faceret. Vnde quod sequitur. Super aspidem & basiliscum ambulabis &c. (quod de diaboli prostratione & conculcatione intelligitur) subtricuit: quemadmodum hæretici hac in parte suum patrē, mendacij omnis parentem, mendaces filij insequētes, scripturas citare sunt soliti: desumentes ex eis particulas aliquas, quæ secundum aliquā apparentiā pro illorum erroribus facere videntur, dissimulātes & nolentes attendere quæ antecedunt, & quę consequuntur, ne eliciāt rectā sententiam, & veritatem inueniant. Est enim his proprium, truncatè scripturas adducere: & veritatem, si quando citent, proponunt dimidiā. Insuper & hoc reprehendunt in citatione diaboli quòd ea quæ generaliter de quolibet fideli in Deo sperante scripta sunt, vt peculiariter de filio Dei scripta adduxerit. Sic enim ait, Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, Quoniam angelis suis mandauit de te. &c. Cùm enim præmittit, Si filius Dei es, mitte te deorsum, ac deinde ad hoc propositum

A situm subiungit, Scriptum est, &c. indicat ista de filio Dei singulariter dicta, quæ scripta sunt vniuersaliter de quolibet in Deo bonam habente fiduciam. In omnibus autem his modis inuenimus etiam hodie plurimos sacris scripturis turpiter in suam perniciem & cōfusionem æternam abutentes, quēadmodum & ille ex sua peruersa scripturæ citatione nihil præter confusionem reportauit. ¶ Versu 13. Super aspidem & basiliscum ambulabis. Possent hoc loco multa de proprietatibus aspidis, basiliscī, leonis, & draconis adduci, & dęmonibus varijs modis suum venenum fundentibus, aut ferocem malitiam exercentibus applicari. Nos tamen simpliciter putamus (vt in Elucidatione indicauimus) his quatuor nominibus totam dæmonum cohortem, cum omnibus suis artibus, omnibusque viribus intelligi: q; nihil aduersæ potestatis nocere valeat electo, in domino habenti fiduciam. Cui consonat quod in Euangelio Saluator discipulis loquitur, dicens: Ecce dedi vobis potestatem calcandi su- Lucæ 10.
per serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebunt.

XCI. PSALMI ARGVMENTVM.

EXhortatio est Psalmus iste fidelium ad laudem Dei, bonum dicens esse laudare dominum per diem ac noctem, pro misericordia & veritate ipsius, in canticis & instrumentis musicis, ex consideratione mirabiliū
B *& imperuestigabilium operum eius, in quibus homines fideles quæ Dei sunt sapientes norunt oblectari, insipiētes autem & peruersi ea non attendunt: quorum damnatio versu septimo, octauo, & nono describitur, ac deinceps iustorum per Deum exaltatio, virorum atque fœcunditas commemorantur.*

NONAGESIMI PRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 Bonum est confiteri domino, & psallere nomini tuo altissime.

BOnum est, ô altissime Deus, nos humiles tuos seruulos confessione laudis tuā celsitudinem cōcelebrare, & tuo magno nomini, quod est ab ortu solis vsque ad occasum magnum & laudabile, iugiter laudis decātare carmina. Cùm enim tu Malach.1. Psal.111.
vnus & solus sis verè bonus, imò bonitas vniuersa, & cum à te vt omnis boni fontali principio cuncta nobis bona procedant (quoniam omne datum optimum, & omne donum perfectum à te luminū patre est descendēs desuper) optimum dignissimumq; & æquissimum est, vt quā- Iacob.1. Psal.118.
tumcunque valuerimus, dignis te celebremus laudibus. 2. Bonum est Psal.31.
2 Ad annunciandum mane misericordiam tuā, & veritatem tuā per noctem.
C ita te laudare, ita tibi confiteri, vt annunciemus mane primo diluculo Sap.1.
misericordiam tuam, qua plena est omnis terra, qua misereris omniū, Eccles.18.
quæque super omnem carnem expanditur: & etiam per noctem, fidem Psal.144.
atque veritatem tuā, qua fidelis es & verax in omnibus verbis tuis, per Titum 1.
quā nec mentiri potes nec fallere, vt ita tuā misericordiā & veritatem summa diligentia & alacritate primo mane vigiles decantemus: insuper & mediis noctibus cōsurgamus, aut vigiles excubemus, ad celebrādum te condignis laudibus. Dignus enim es, in cuius laudibus vniuersum diei noctisque tempus expendamus. Vt etiā specialiter certis horis ac statutis temporibus misericordiā & veritatem tuam laudemus, cuiusmodi sunt tempus matutinum & tempus vespertinum, dum vel à somno alacres resurgimus, vel ad quietem corpus cōponimus. 3. Laus autē ista & cōfessio quo sit plenior, bonū fuerit etiam instrumenta adhibere musica, per quę canamus cātica domini, videlicet per psalteriū tensis decē chordis cōpositum, cum apto ad personandum in illo cāti-
3 In decachordo psalterio, cum cantico, in cithara.
co, & persuauiter sonantē cithara, ad melodiam domini aptissimam.
4 Quia delectasti me
D *domine in factura tua: & in operibus manuū tuarum exaltabo.*
4. Omnino autem bonū est & iustū sic nos tibi canere, quoniā tu domine lætificasti me, & gaudio refecisti spiritum meum in facturis, figmentis, siue creaturis tuis: & magno me gaudio perfundis in cōsideratione mirabiliū operū tuorū, quę operātur manus tuę, quę tu operaris in potētia, sapientia, & bonitate tua, summā enim mihi adfert voluptatē, tuarū creaturarum attēta cōsideratio: & quāto profundius presiusque contēplor, tanto maiori gaudio reficitur intra me spiritus meus, in singulis tuę infinitę perfectionis agnoscēs vestigium etiā in creaturula omniū minima & vilissima considerando immensam potentiā, sapientiā, & bonitatē tuā. 5. O q̄ magna facta sunt opera tua, potentissime, sa-
5 Quàm magnificata sunt opera tua domine:
pientissime, & perfectissime Deus, in quanta perfectione & nobilitate à te cōdita sunt, q̄ magna potentia & sapientia abs te fabricata. Non
** nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.*
est enim vlla creatura, in qua non tu & potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis tuæ infinitatem demonstraueris: * cogitationes tuæ & tua consilia nimis profunda sunt & imperuestigabilia, omnem humani ingenij excedunt facultatem, ita vt tuum sensum, aut tuos conceptus, cogitatus siue cōsilia nemo hominum possit cognoscere siue comprehēdere: nemo est qui ad ea possit pertingere, quantumuis bene ingeniosus, quantumuis in apprehendendo celer, & in diiudicando extiterit acerrimus. Sunt enim iudicia tua incomprehensibilia, & inuestigabiles viæ tuæ: ne- Rom.11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 *Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intelliget hæc.* 1.Cor. 2.

7 *Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnũ, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.*

8 *Vt intereant in sæculum sæculi:*

* *tu autem altissimus in æternum domine.*

9 *Quoniã ecce inimici tui, domine, quoniã ecce inimici tui peribũt:* Rom.6.
* *& dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.*

10 *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meũ:*

* *& senectus mea in misericordia vberi.*

11 *Et despexit oculus meus inimicos meos:*
* *& ab insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.*

Psal.90. 12 *Iustus vt palma florebit:*

* *sicut cedrus libani multiplicabitur.*

que cognouit aliquis sensum tuum, aut tibi fuit cõsiliarius, vt ea possit E
cognoscere. 6. Homo carnalis aut animalis, qui non percipit quæ Dei
sunt, neq; in cõsideratione tuorum mirabilium se exercitat, sed vel in
desiderijs carnis suæ perficiendis, vel adinuentionibus ingenij sui secũ-
dũ humanã sapientiã siue prudentiã occupat animum: huiusmodi, in-
quã, verè insipiens nõ intelligit pulchritudinẽ & magnitudinem istam
operum domini: & stultus huiusmodi non cognoscet ea quæ diximus,
vt sciat in operibus domini delectari, & pro eis laudem Deo persoluere.
Nõ enim nouit oblectari nisi in desiderijs animæ suæ, vel in cogita-
tionibus cordis sui: & est ab eo aliena omnis in Deo voluptas, quæ ta-
men sola casta & mũda est, sanctum huiusmodi & castum gaudium ille
omnino non nouit. 7. Impij homines Deum nõ habentes ante oculos,
neq; respicientes in opera eius, cùm ipsi per cogitationes cordis sui cœ
perint exurgere, & velut enasci de terra ad aliquam altitudinem, siue in
diuitijs, siue in honoribus, siue in delitijs, vel alijs huiusmodi tempora-
libus rebus: cùm ita, inquã, de terra enati fuerint, quasi gramen de ter- F
ra, quod continuo augmento acquirit pulchritudinẽ viroris, donec ad
staturã perfectam attingat, cùm ipsi operarij iniquitatis quasi florentes
mundo se ostentauerint, & quasi magnũ aliquid facti iam apparuerint,
cœperintque eminere in temporali prosperitate, cui penitus intende-
runt oculis cordis, relicta consideratione mirabilium Dei. 8. Accipiant
ipsi exitũ huius suæ glorię in summa miseria, finietur flos iste & exalta-
tio in maxima ignominia, voluptas modica in pœna infinita, parua atq;
horaria delectatio & gloria in immensa perpetuaq́ue afflictione & ig-
nominia. Morte nãque & dãnatione æterna punientur in sæculũ, quòd
in hoc mundo Deo neglecto vanitatibus totos se dederint: * tu verò
domine Deus, istis in perditione abeuntibus, permanes altissimus, su-
per omnes gloriosus, idem qui eras ab initio in omnia sæcula, neque (vt
illi) vnquam viuere desines. 9. Ita enim habet decretum æternæ iustitiæ
tuæ, vt peccatores inimici tui qui te contempserunt, tuo cultui donec
viuerent noluerunt intendere, qui de acceptis beneficijs ingrati contra
tuã voluntatem, in sola terrena defixos habuerunt mentis oculos, ne- G
gligentes & pręuaricantes æquissima præcepta tua, vt isti, inquam, ini-
mici stipendium peccati accipiant mortẽ, vt in perditionem mittantur
æternam: * & dispergentur, dissipabuntur, atq; ad nihilum redigentur
omnes illi operarij iniquitatis, qui æquissimis tuis præceptis fuerunt
inobedientes. 10. Et exaltabitur vehemẽter potestas ac fortitudo & glo
ria mea, omniumq; qui in te habuerũt fiduciã, qui tuis semper vacarũt
laudibus, ad modum cornu monocerotis siue vnicornis, cuius est præ
cęteris animalibus cornu admodum eleuatum: * & licet multis fuerim
in vita ista fatigatus laboribus, finietur tamen senectus mea tandem in
copiosa misericordia: finem bonũ ego accipiã ex dono Dei in cõside-
ratione abundãti gratiæ quę meã senectã consolabitur, & faciet quasi
iuuenescentẽ ac validã: Et cùm videbor ego secundũ corpus senio de-
ficere, nequaquã vt illi ad perditionẽ ibo, sed copiosiorẽ tunc sentiã &
pinguiorem Dei misericordiã: quæ tanto mihi erit abundãtior & pin-
guior, quanto ad illã subsequuturã retributionis fœlicitatẽ acceda vi- H
cinius. 11. Veniet quoq; tempus, quãdo ego despiciã, & pro nihilo æsti-
mabo omnes inimicos meos, quãdo mihi vltra nocere nihil poterunt,
quando etiam oculis meis illorum punitionem videbo: * & de maligne
agentibus contra me aduersarijs, qui aduersum me persequutiones fu-
scitant, audient aures meæ iustã vltionis sententiã. Oculis meis cõside-
rabo, & videbo retributionẽ peccatorum, & auribus meis audiã sentẽ-
tiam proferri in aduersarios meos. 12. Iusti verò opera domini consideran-
tes, & diuino cultui intendentes, nõ perdentur cum impijs, sed vire-
bunt virore perpetuo, & flores producent honestatis, bonarum virtu-
tũ operationes, à virendo atq; florendo neq; hyeme neq; æstate cessan
tes, neq; in prosperis neq; in aduersis omittentes benefacere, quẽadmo
dum palma in suo semper viroris flore persistit: * neq; solum ipsi in se-
metipsis virebunt, verumetiã in fœcunditate multa (partim verbo salu-
taris doctrinę, partim luce bonæ cõuersationis, partim feruore assiduę
orationis) plurimos ad iustitiã conuertent, suiq; similes facient, operã
te in eis & per eos gratia Dei, ad proximorum conuersionem, quem-
admodum cedri qui in libano sunt, magna fœcunditate vehementer
multiplicantur. * Insuper multiplicantur, id est, proficiunt viribus, &
aug-

A
augmentum sumunt atq; corroborãtur in bono, quẽadmodum cedri
in libano quotidianis proficiunt incremẽtis vsq; ad naturam permaxi-
mã. 13. Iusti isti plãtati in domo domini, insiti in Christo, in Ecclesia san 1.Tim.3.
cta (quę est domus Dei) in atrijs & mãsionibus domus Dei nostri flore- Ioann.15.
bunt, ibi Christo verę viti vt palmites insiti, flores & fructũ dabunt in Psal.1.
tempore suo: quoniã qui in hac vite mãserit, in hoc solo plãtatus persti Ioan.15.
terit, fructum multum afferet: quẽadmodum ecõtrario fructum nullũ
potest facere qui in illo nõ mãserit. 14. Adhuc multiplicabuntur & fru-
ctificabunt pingui senectute, etiã in vltima ætate, deficiente corpore,
multiplicabuntur in operibus bonis, & augmentũ sumẽt profectus ex
copiosa vnctione misericordię Dei, senectutem eorũ velut perungente
sua gratia: * & bene patientes erunt, bona multa & magna patientur,
multis & magnis à Deo bonis afficiẽtur: vt cum tãtis fuerint affecti ab
eo beneficijs, susceptam gratiã non dissimulent neq; sileant, sed palàm
annuncient & cõfiteantur. 15. Annuncient, inquã, & confiteantur, q́ re-
ctus, æquus, iustus, & verax sit dominus Deus noster, & nõ est in eo vlla
B iniquitas aut infidelitas, qui suis seruis ipsum ex corde confitentibus
omnium bonorum tribuit abundantiam, impijs autem contemptori-
bus iustam infert condemnationis sempiternæ vindictam.

13 Plãtati in domo domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.

14 Adhuc multiplicabũtur in senecta vberi:

** & bene patientes erunt, vt annuncient.*

15 Quoniã rectus dominus noster, & non est iniquitas in eo.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCI.

VErsu 2. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Possunt
ista distincte exponi, vt mane laudanda dicatur potissimum Dei misericordia, per noctem auté
veritas: intelligendo per mane, tempus prosperitatis: per noctem, tempus aduersitatis. In prosperitate
enim spirituali, & in alacritate animi constituti, Dei benignã misericordiam collaudamus: in aduer-
sitate autem & tristitia aut tribulatione spirituali positi, veritatem & fidem Dei canimus, eam inuo-
cantes vt adueniat ad liberandum: eamq́ue laudantes, quòd nunquam nos destituerit, vt neque nunc
deserat. Nos in Elucidatione, absque huiusmodi distinctione tempus vtrunque, id est, diem & noctẽ,
applicauimus & misericordiæ & veritati: vt intelligatur & mane & per noctem annuncianda miseri-
cordia, itemq́ue & mane & per noctem annuncianda veritas. Sub altero enim alterum intelligimus.
Simile quid diximus in Psalmum 35. super. ver. 5 Domine in cælo misericordia tua, & vsque ad nubes Psal. 35.
veritas tua. ¶ Versu 6. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Duæ istæ partes se-
cundum faciliorem intelligentiam ita sumuntur, vt eandem habeant sententiam. Si tamen Hebræam
C respicianus lectionẽ, ex vi vocabuli aliquid diuersitatis inuenimus inter eum qui priori loco dicitur
insipiens, & posteriori stultus. Vox enim baar priore loco posita, significat stupidum vel bestialẽ: po-
sita autem loco posteriore chesil, significat praue stultum, vel animi prauitate desipientem. Ex quo ta
lem possumus sumere distinctionem, vt priore loco significetur homines prorsus carnales & omni-
no sensui dediti, qui potius à concupiscentia deuicti vel ignorantia obtenebrati peccant, quàm ex
mentis peruersitate: quales illi fuerant de quibus scribit Apostolus, Scitis, quoniam cum gentes esse- 1.Cor. 12.
tis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes: quales fuerant, inquam, sed esse iam desierant.
Posteriore verò loco vt illi significentur, qui non ex ignorantia neque ex mera infirmitate, sed ex
animi peruersitate negligunt quæ sunt Dei: cuiusmodi erant scribæ illi & Pharisæi, qui agnitam veri- Psal.27.
tatem peruersa mente impugnabant, quos proinde obiurgationibus sæuerissimis pius medicus Sal-
uator noster toties redarguit, vt stultos reduceret ad sapientiã. Hoc ergo modo duas hominum spe-
cies indicat hic versus, qui Dei opera non considerant. De hac autem damnatione impiorum qui
opera domini non studeant intelligere, alio Psalmo ita dicit Propheta. Quoniam non intellexerunt
opera domini, & in opera manuum eius destrues illos, & non ædificabis eos. ¶ Versu 7. Cùm exorti
fuerint peccatores, quasi fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem. Ex Hebræo ali-
D quanto clarius sic legitur, Cùm germinauerint impij quasi fœnum vel herba, & floruerint omnes qui
operantur iniquitatem. Vnde patet, illud apparere, quod habet nostra lectio, accipiendum pro caput
efferre siue eleuari vel exaltari, quod est florere in hoc mundo. Quantum autem ad continuationem
huius versus cum sequentibus, videtur difficultas: quoniã non apparet vlla connexio, nisi aliquid vs-
quam in supplementum adijciatur. Sciendum autem est, eandem hanc difficultatem & in Hebræo &
in Græco occurrere. Nusquam enim apparet bona connexio absque supplemento. Hieronymus vt
habeat connexionem, omittit particulam cum, sic legens, Germinauerunt impij quasi fœnum, & flo-
ruerunt omnes qui operantur iniquitatem, vt conterantur vsque in sempiternum. Atque hic quidem
commoda sententia est, sed particula cum omittitur, quæ tamen manifeste in Hebræa lectione po-
nitur. Felix in sua versione vt sententiam integram acquirat, ita vertit, Dum germinabunt siue flore-
scent impij sicut fœnum, & florescent omnes operantes iniquitatem, destruentur vsque in æternum.
Sed hic iam alteram omittit particulam, videlicet vt, quæ etiam in Hebræo ponitur, hoc modo: Vt
intereant vel conterantur. Duos ergo modos assignabimus, quibus absque omissione vllius parti-
culæ accipi poterit bona connexio. Prior est, ante illud vt intereant, subaudiendo, futurum est, ad
hunc sensum: Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum & apparuerint omnes qui operantur ini-
quitatem, tum futurum est, vt intereant in sæculum sæculi: vt significetur, quanta calamitas modi-
cam fœlicitatem quantocyus sit subsequutura. Quam connexionem aperte monstrat Chald. Para-
phra. quæ sic legit, Quando germinabunt impij sicut herba, & florebunt omnes operarij falsitatis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

futurũ est,quòd destruat eos Deus vsq; in æternũ. Alius modus est,coniungendo illud quod sequitur. E
Tu autem altissimus inæternum domine cum præcedentibus,ad hunc modum,Cùm exorti fuerint peccatores,&c. vt intereant in sæculum sæculi,tu qui es altissimus omnium,nequaquam tum peribis cum illis:sed inæternum permanebis illis pereuntibus.Quæ connexio satis esset commoda, si nõ obstaret coniunctio,autem,quæ connexionem istam nõ satis recte ferre videtur. Ea autem dissimulata, aut secundum Emphasim intellecta,nihil erit in connexione incommodi. Aliqui cum præcedẽtibus quærunt connexionem,hoc modo,Vir insipiens non cognoscet,& stultus non intelliget : quid ? hoc videlicet, quòd cùm exorti fuerint peccatores, &c. futurum sit vt intereant in sæculum sæculi, vt sit sensus,Homines stolidi,carnales,& animales nõ hoc intelligũt,quòd modicam fœlicitatem istam horariam tanta sequetur æterna calamitas. ¶Versu 9. Et dispergentur omnes qui operantur iniquitatẽ. Dispergentur,potest exponi,disperdentur,ad nihilũ redigentur:id est,in perditionẽ æternam abiicientur,quomodo videlicet perire solent quæ dispersa sunt. Atque ita nos in Elucidatione interpretati sumus.Potest etiam accipi pro separabuntur,vt sit sensus. Abijcientur aut separabuntur à conspectu tuo,vel à consortio beatorum.Vnde Chald.Paraph. sic habet,Separabuntur à congregatione iustorũ omnes qui operantur iniquitatem,Hieronymus autẽ legit,dissipabuntur,quod priori sententiæ magis fauet.¶ Versu 10.Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum.Monoceros siue vnicornis prę omnibus animalibus altum habet cornu, & in sublime protensum.Propter quod , commode per ipsius F
cornu exprimitur magna exaltatio.In secũda autem parte,Et senectus mea in misericordia vberi,pro misericordia in Hebręo est oleum. Vnde Hierony.vertit,In oleo vberi:Et Felix,oleo viridi.Chald.Paraph.habet oleum recens oliuæ frondosæ.Quod oleum accipi potest lætitia spiritualis, qua mens ex
Psal.44. Dei gratia vngitur,aut ipsamet gratia Dei,per quam homo vngitur,de quo alibi,Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.Nostra autem lectio quæ pro oleo habet misericordiam, ad eandem sententiam facile reducitur.Potest etiam per hanc senectutem intelligi senectus spiritualis, id est , quidam in bono
Psal.70. tepor & refrigescentia,de quali senectute diximus in Psal.70.in pertractione versus illius , Ne proiicias me in tempore senectutis meæ,cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me,Talis enim senectus
Psal.101. siquando homini aduenerit,ex propriæ infirmitatis defectibilitate , expellitur vetustas illa per vberẽ Dei gratiam atque misericordiam,per quam renouatur vt aquilę nostra iuuentus,restituimurque ad alacritatem & fortitudinem debitam. ¶Versu 11. Et despexit oculus meus inimicos meos.Sic & alibi
Psal.52. dicit,Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me,& super inimicos meos despexit oculus meus.Atque iterum,Non commouebitur iustus,donec despiciat inimicos suos. Illos enim despicimus, quos
Psal.111. vltra non metuimus,neque magnificamus. Editio autem Romana habet, respexit, quomodo etiam in Hebræo legitur. Atque ita est sensus,Respiciet oculus meus inimicos meos, subaudiendo in punitione debita,videlicet cum voluptate contemplando eorum iustam damnationem.Quod illi consonat subsequenti particulę,Et ab insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea,id est,de ijs qui consurgunt aduersum me (vt vertit Hieronymus) vel super eos audiet auris mea sententiam diuinæ
vltionis. In quam sententiam manifeste interpretatur Paraphrasis Chalda. sic habens , Vidit oculus meus interitum molestantium me,qui insurgunt cõtra me vt malignentur,audient aures meę vocem confractionum eorum,id est,vocem perditionis eorum, vtpote qua ipsi confringentur , atque redigentur ad nihilum. Quidam ad perfectius exprimendum sententiam , supplent grata, desiderata,vel optata,hoc modo, Videbit grata,vel optata oculus meus de inimicis meis, & de insurgentibus in me malignantibus grata vel optata audiet auris mea. ¶Versu 12.Iustus vt palma florebit , sicut cedrus libani multiplicabitur.Palmæ cõparatur iustus,vel propter perpetuum virorem , quem neque hyeme
Psal. 1. neque æstate perdit,iuxta illud primi Psalmi,Et folium eius non defluet. Vel propter fructus suauitatem.Est enim fructus palmę suauissimus.Forsitan etiam ob illam nobilem conditionem,quam dicunt palmã habere,nempe quòd oneribus impositis nõ cedat neque demittatur in terram,sed magis contranitatur:quomodo vt iustus tentationum põdere nequaquã deprimitur, sed magis victor euã-
Rom. 8. det:quemadmodũ nobis quædam palma patenti voce clamat,dicẽs,In his omnibus superamus, pro-
2.Cor.4. pter eum qui dilexit nos.Et alio in loco,In omnibus,inquit,tribulationem patimur,sed nõ angustiamur:aperimur,sed nõ destituimur:persequutionem patimur , sed non derelinquimur : humiliamur, sed non confundimur,deiicimur,sed nõ perimus.In secunda autem parte,multiplicatio illa cedri potest vel ad multitudinem & pluralitatem referri,quomodo multiplicari dicitur homo multa prole,& arbor dicitur multiplicari, cùm ab ea multæ arbores enascuntur. Vel multiplicatio ista intelligitur de augmento,robore & perfectione quantitatis , vt sit multiplicabitur dictum, pro magnificabitur vel corroborabitur,aut perficietur. Vnde quidã vertunt ex Hebræo , Sicut cedrus libani magnificabitur,vel crescet,aut pollebit viribus,id est,roboris sumet augmentum.Manifestum est autem,iustos
Matth.5. vtroque modo in Dei gratia fœliciter multiplicari,Robore enim multiplicantur,quando de virtute
2.Cor.4. in virtutẽ quotidianis gressibus pergunt. Numero verò, dum sic lumen suum lucere faciunt coram proximis,vt glorificent patrem in cælis , dum per Euangelium Christo gignunt animas proximorũ, dum sanctis precibus sedulo Deum pro omnium salute deprecantur , peccatores velut parturientes,
Galat.4. & iterum parturientes,donec formetur in eis Christus. Nam his tribus modis multiplicantur cedri nostræ,de quibus loquimur. ¶Versu 13. Plantati in domo domini,in atrijs domus Dei nostri flore-
1.Tim.3. bunt.Per domum domini & atria Dei,in Elucidatione idem intelligimus videlicet sanctam Ecclesiã, quæ(secundum Apostolum)est domus Dei. In sancta enim Ecclesia plantati iusti, florent & fructificant in ea. Altiori tamen contemplatione possent hæc duo distingui , ita vt prius de Ecclesia militãte,posterius de triumphante intelligeretur,ad hunc sensum,Iusti qui nunc plantati fuerint, radicesq; acce-

A acceperint bene firmatas in hac militante ecclesia , hi florebunt in illis amplissimis atrijs domini,ibi apparebunt florentes & pulchri,ibi magnificati erunt & sublimes in gloria superna.Modò enim illorum flos latet,modò videntur aridi,& iudicãtur quasi steriles.Illic autem apparebit flos & decor eorum.Prior tamen expositio videtur simplicior,vt per domum & atria idem intelligamus.Non enim est hoc scripturis infrequens ita eandem rem diuersis appellare nominibus:imò est hæc non minima sanctorum eloquiorum festiuitas,eadem subinde repetere , vel sub diuersis vocabulis , vel etiam sub iisdem.Veluti illud quod in eodem Psalmo antecedit,Quoniam ecce inimici tui, domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, quãtam habet gratiã, quod ita voculas easdem replicando dicitur? ¶Versu 14.Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi,& bene patientes erunt, vt annuncient. Quod versu duodecimo, de hoc verbo multiplicari diximus,idem hic quoque dicendum , posse videlicet ipsum accipi vt dicat multiplicationem secundum numerum,vel secundum virtutem & vigorẽm.Vtroque enim modo,etiam in sua senectute,iusti multiplicantur,dum neque à benefaciendo vnquam cessant, neque ab aliorum (quantum in ipsis est) ad virtutem institutione desistunt. Quanquam enim grandior ætas corpus infirmum reddat,vt ad opera difficilia fiat homo inops , manet tamen vigor mentis,& accedit per ætatem auctoritas,vt tum monendo,tum consulendo, abunde possint etiam in decrepita ætate proximis proficere. Hieronymus verò,pro multiplicabuntur,vertit,fructificabunt. &
B Felix, germinabunt:quorum vtrũque,vtriq; prædictarum expositionũ facile potest aptari. In senecta Psal.90.
autem vberi, intelligi debet in senecta pingui,id est , copiosa Dei gratia & misericordia quasi perunecta.Nam quòd quidam per vberem senectutem,intelligant magnam senectutem,vel etiam æternitatem(quæ copiosa senecta non male posset appellari, sicut Psalmo præcedenti dicta est lõgitudo dierum)Græcę lectioni nõ respondet,quæ habet ἐν γήρᾳ πίονι: hoc est,in senectute pingui. In vberi ergo senectute intelligi debet in senectute pingui , quomodo superius in misericordia vberi , dictum est, pro pingui misericordia.In eo autem quod sequitur,Et bene patientes erunt,notanda est nouitas illius dictionis bene patientes,ne(iuxta quorundam expositionem)existimetur significare bonã patiẽtiam,vt sit sensus, Bonam habebunt patientiam. Græci enim ἐν παθοῦντας dicunt eos qui afficiuntur beneficio.Vt enim in alios beneficia conferentes appropriato vocabulo εὐεργετοῦντας,id est,bene faciẽtes:ita eos qui ab alijs accipiunt beneficia ἐυπαθοῦντας,id est,bene patientes appellat.Benepatientes ergo hoc loco idem valet,quod affecti beneficijs.Vnde in Hebræo huius loco dicitur, Frondentes siue frondosi,aut virides aut viuidi erunt. Cæterum , quod secundum distinctionem nostræ lectionis in eodem versu continue sequitur,vt annuncient melius in versus sequentis caput separaretur:hoc modo,Vt annuncient,quoniam, &c. quam distinctionem habet lectio Hebræa , & nos in Elucidatione indicauimus,ad caput vltimi versus verbum præcedens replicando.
C

XCII. PSALMI ARGVMENTVM.

PRophetat Psalmæ iste de gloria regni Christi, quod accepit passione consummata rediens ad patrem vnde exierat:deq; ædificatione sanctæ ecclesiæ , quæ post Christi ascensionem per apostolorum prædicationem ædificata est, nihil obstantibus grauissimis persequutionibus & insanis tumultibus , quos contra Apostolicam Psal. 92.
prædicationem excitauit mare mundi huius efferuescens,id est,potentes & sapientes sæculi,cum sibi adhærentibus populis,contra veritatem pessima iracundia exardescentibus: quos Deus in altis admirabilis , testimonijs efficacissimis conuicit,vt in omni sua virtute & sapientia neque contradicere,neque resistere potuerint : fitq; ex firmitate verborum & signorum quæ pro veritate monstrata sunt , Ecclesia in sempiternum in sua sanctificatione permansura,vsque in consummationem sæculi , & vltra.

XCII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Dominus regnauit:*

D * *decorem indutus est:*

* *indutus est dominus fortitudinem:*
* *& præcinxit se.*

2 *Etenim firmauit orbem terræ , qui non cõmouebitur.*

CHristus Dominus morte deuicta , cui se sua voluntate subiecerat,iam regnum habet,& imperium tenet in dextera patris,omnia habes subiecta sub pedibus suis omni accepta potestate in cælo & in terra:* depositoq; habitu serui,in quo ab hominibus visus , & cum hominibus conuersatus fuerat,iam gloria & honore circumamictus est:saccoque humanæ mortalitatis conscisso,stola gloriosæ resurrectionis & perpetuæ immortalitatis est vestitus: * abijt iam ab eo procul omnis infirmitas,induitque pro infirmitate fortitudinem: fortẽ nunc Deũ sese mõstrans in cælis,qui olim se hominem infirmum exhibuerat in terris:quẽadmodũ vir pugnator sese accingit gladio,vt aduersus hostẽ dimicet:ita Christus rex,dux,& saluator populi sui,accinctus Psal.44.
est gladio super fœmur suum , ita se aptauit ad salutẽ populi sui,ad eijciendũ è mundo suũ aduersariũ,principẽ tenebrarũ,& electorũ numerum de eius tyrannide per virtutẽ Euangelicæ prædicationis liberandũ. 2. Ipse enim est,qui orbẽ terræ stabiliuit atq; firmauit , qui Ecclesiã suam sanctam in firmitate fidei super petrã firmissimam fundauit , vt nõ possit cõmoueri in sęculum sæculi,aduersus quam nec portæ inferi possint prævalere.Ipse post resurrectionem & gloriosam ascensionẽ, 1.Cor.15. Matt.28. Psal. 8. Psal. 29.
missis in omnem terram Apostolis,ædificauit, fundauitque in fidei firmi- Matt. 16.

 tate

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Parata sedes tua extunc:

Psal.109. Marc.16. Actu.10. Psal.2. * *à sæculo tu es.*

4 Eleuauerunt flumina, domine, eleuauerũt flumina vocem suam.

Esa.58. Psal.18. *5 Eleuauerunt flumina fluctus suos:* * *à vocibus aquarum multarum.*

Luc.21.

6 Mirabiles elationes maris:

1.Ioan.5. * *mirabilis in altis dominus.*

7 Testimonia tua credibilia facta sunt nimis:

* *domum tuam decet sanctitudo domine in longitudinem dierum.*

mitate Ecclesiam sanctã, velut nouum orbem terrarum, quæ vsque in E
cõsummatione sæculi nunquã deficiet: quemadmodum in initio creationis rerum materialem orbem terrarũ fecit, qui perstabit in sæcula.
3. Ex eo autem tempore, quando tu ô rex præclare, regnum accepisti, morte deuicta, quando decorem, gloriam & fortitudinem induisti humilitate, ignobilitate, & infirmitate deposita, paratũ est tibi soliũ glorię, thronus regius & iudiciarius tibi secũdum humanitatis formam in cęlum redeunti cum victoria ad patris dexterã es constitutus, vt tanquã patri coęqualis sederes in ipsius dexteraextunc dixit tibi Deus pater tuus, sede à dextris meis: extunc fecit te considere ad dexterã suam, iudicem te constituens viuorum atq; mortuorum, dans tibi gentes in hæreditatem, & in possessionem terminos terræ: * neque mirum si ad tantã sis prouectus dignitatẽ, quoniã quidẽ patri tuo es secundum diuinã naturam coęternus, ab initio & ante sęcula cum ipso permanes, ante omnem creaturã. 4. Cùm autem propositum tuum de principis tenebrarum expulsione velles perficere, atque ad salutẽ per te operatã tuos electos aduocare, misisti tu domine per vniuersum orbẽ terrarũ sanF
ctos Apostolos tuos prędicatores veritatis: quos sic impleuisti aquis salutaris sapientię, & scientia Euangelicæ doctrinæ, quemadmodum flumina aquis sunt salutaribus plena: quæ quidem flumina in altum leuauerunt vocem suã, exaltauerunt quasi tuba voce prædicationis suæ, ita vt in omnem terram exiret sonus prædicationis eorũ, & in fines orbis terrę peruenirent sonus vocis eorum. 5. Eleuauerunt dico, hæc tua flumina alte resonãtes doctrinas suas, quasi gurgites quosdam & fluctus mundantes, quibus totum orbem implerent, & velut cõcuterent orbẽ ad cõuersionem fidei: * ita eleuauerunt vocem & fluctus suos, prę vocibus aquarum multarum, supra & contra voces multorum populorum contra clamantium & repugnãtium priorum illorum fluminum prædicationi. Vicit enim illa potens vox fluminum, ita vt non potuerit resistere cõtradictio multorum infidelium populorum. Tale enim os & talis sapientia illis data fuit, tam efficax fuit vox sonitus eorum, vt non potuerint resistere neq; cõtradicere, multo verò minus prævalere omnes eorũ aduersarij. 6. Interim enim dũ hæc tua flumina, flumina vriq; G
paradisi & gratiæ, eleuarent vocem suam, mundus totus in maligno positus, hoc mare magnum, spaciosum, & plenũ insanis tumultibus, mirabiliter cõmotum est, mirabiliter efferbuit, sęque in altum nimis extulit: principes, potentes, & sapientes sæculi huius cum sibi adhærentibus, grauissimos persequutionũ tumultus suscitauerunt fidelibus prędicatoribus veritatis: & mirabiliter se aduersus tua mitia flumina extulit hoc mare superbum & semper inquietum: * sed est in excelso cælorum habitaculo mirabilis dominus, qui maris illius quantumuis mirabiles elationes sua potest virtute mitigare, compescere, atque etiã in totum sedare, pro suo beneplacito: qui in hoc se mirabiliter ostendit mirabilẽ, quòd illis talibus maris elationibus possit pro sua voluntate imperare 7. Testimonia ipsa quibus fluminum tuorum vocem, Apostolicam prædicationem confirmasti, signa & prodigia admirabilia in virtute spiritus tui per sanctos tuos prædicatores exhibita, in confirmationem Euãgelicæ doctrinæ, per quæ tu illis cooperabaris prędicantiH
bus, eorumque sermonem confirmabas, facta sunt admodũ persuasibilia, valde ad persuadendum efficacia, vt quauis etiam inuitum (modò ratione vtentem, & mente obstinata non insanientem) possint inducere, imò cogere quodãmodo & cõpellere ad credendum veritati mundo annunciatæ: ita vt per ea etiã barbaræ nationes plurimæ ad fidem sint persuasæ siue inductæ, plerique etiam potentia & sapientia in mari sæculi huius admodum pollentes: * Et quoniam tu domine pro tua sancta Ecclesia ædificanda, tam mirabilia operari dignatus es, domum tuã istam, quam tibi per Apostolicæ prædicationis ministerium ædificasti, decet sanctitas atque munditia, tam interior quàm exterior, vsque in consummationem sæculi: & imperpetuum decens est, vt domus illa, quam sic tibi tam mirabiliter ædificasti & comparasti, non polluatur in æternum, neque deficiat vnquam in ea sanctificatio fidei tuæ: sed iustum est, eam sic à te fundatam, in consummationem vsque sæculi semper in veritate persistere, & nullam vnquam malitiam prorsus illi dominari, donec secundum plenitudinem gloriæ tuæ eam plenissime inhabites in æternum, Amen.

ANNO-

A

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCII.

VErsu 1. Dominus regnauit, decorẽ indutus est. Regnauit, nõ debet exponi, rex fuit, quasi significetur regni trãsitus: sed regnũ accepit, vt significetur iam illum accepisse sibi regnum & imperium: quomodo ipse de se ad patrem redeunte, post resurrectionẽ, aiebat, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Quod autem dicitur, Induit decorem, induit fortitudinem, vel significat ornatum quo se Christus ornauit decore & fortitudine: vel assumptionem qua assumpsit ea: vel plenitudinem designat. Ita enim abundantiam & plenitudinem, sacræ literæ solent non rarò per induitionem significare. Velut cùm in alio Psalmo dicitur, Induantur quasi diploide confusione sua. Et iterum, Induantur confusione & reuerentia, qui quærunt mala mihi. Item, Et induet maledictionẽ quasi vestimentum. Sic & in bonam partem Psalmo 131. Sacerdotes tui induantur iustitiam. Sacerdotes eius induam salutari. Et in actis Apostolicis, Donec induamini virtute ex alto: & in alijs plus mille locis. Præcinctio verò illa, cuius meminit finis versus, intelligitur pręparatio ad prelium contra principem tenebrarum, Christi aduersarium, in salutem electorum. Atq; hæc est ista prącinctio, ad quam in alio Psalmo Prophera dulce sponso canens epithalamium, eundem adhortatur, dicens: Accingere gladio tuo super fœmur tuum, potentissime: Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagit-
B tæ tuæ acutæ populi sub te cadent, &c. Quod illic (inquam) in spiritus desiderio postulatur, vt veniat id iam hoc Psalmo, quasi peractum decantatur. Comparatur ergo Christus, iam in patris dextera sedens, duci siue regi pugnatori, ad pugnam se pro liberatione sui populi apparantis. Posset tamen ista prącinctio considerari secundum consuetudinem eorum qui operari aliquid volunt, qui se prącingendo componunt, vt expediti possint esse ad laborem, nec patiantur impedimentum. Prącinctos enim esse oportet eos qui magni operis quippiam volunt agere. Atque ita per Christi hanc prącinctionem intelligeretur ipsius velut prąparatio ad ædificationem Ecclesiæ, & noui orbis terrarum constitutionem. ¶ Versu 2. Etenim firmauit orbem terræ. Nos in Elucidatione orbem terrarum spiritualem exposuimus Ecclesiam sanctam, velut nouum mundum & nouum orbem: quæ non commouebitur, fundata supra firmam petram, quemadmodum ipse in Euangelio Saluator Petro ait, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. De orbe autem terrarum materiali, quomodo firmatus sit, vt non commoueatur, vt nõ pereat, stabilisque persistat, est manifestum. Notandum tamen est, cùm de orbe terrarum materiali exponitur Psalmus, prącinctionem istam, de qua fit in prącedenti versu sermo conuenientius tum intelligi de prąparatione ad opus. Cùm enim ab æterno Deus decore suo & fortitudine fuisset indutus, voluit tamen in tẽpore ad opus se prącingere, vt orbem terrarum in sua stabilitate perpetuo mansurum
C conderet. Atque ita quod sequitur, Parata est sedes tua Deus extunc, intelligi debet, quòd à principio creationis rerum steterit regnũ eius, & quòd thronus regni eius paratus fuerit ab initio: id est, quod ab initio omnium creaturarum rex & dominus fuerit. Nos tamen omnia ad Christi glorificati regnum & thronum retulimus. ¶ Versu 4. Eleuauerunt flumina domine, &c. Mira est sermonis festiuitas & magnificentia in trina ista replicatione, cùm dicitur primum, Eleuauerunt flumina domine: deinde subditur, Eleuauerunt flumina vocem suam: atque iterum, Eleuauerunt flumina fluctus suos. Est enim quasi gradatio quædam verborum, dum in posteriori semper plus dicitur, quàm in priori, quemadmodum in Psalmo 28. Afferte domino filij Dei, afferte domino filios arietum, afferte domino gloriam & honorem. Et alibi, Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriam & honorem, afferte domino gloriam nomini eius. Quod autem per flumina intelligimus sanctos Apostolos, id nos recte fecisse arbitramur: quoniam sicut flumina à fonte accipiunt in sui aluei capacitate abundantiam aquarum, perpetuò è fonte currẽtium: ita & hi in capacitate credulorum cordium suorum aquas vitales ad abundantiam capientes, implebantur ex plenitudine sui fontis, id est, Christi domini, apud quem (vt in alio Psalmo dicitur) est fons vitæ, quique (iuxta Hieremiam) vena est aquarum viD
uentium. Neque verò mirum videri debet, si ipsos prædicatores fidei nos flumina appellauerimus: quandoquidem Dominus non eos tantum flumina appellauit qui in ipsum credunt, sed flumina etiã dixit de eis effluere: iuxta quod apud Ioannem in templo clamat publica voce, dicens: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Non solum ergo flumina dicit credentes, sed fluminum velut quosdam fontes, quatenus ex eorum ventre effluunt flumina: qua etiam consideratione, fontes appellari diximus fideles Apostolos, Psalmo 67. cùm dicitur, In Ecclesijs benedicite Deo domino de fontibus Israël. ¶ Versu 5. Eleuauerunt flumina fluctus suos. Quidam hæc flumina intelligunt opposita & contraria prioribus. Illa enim flumina Dei & agni erant flumina paradisi & vitæ. Hæc verò intelligunt flumina Satanæ, flumina mortis & inferni. Quæ flumina tum intelige sæcularem potentiam & sapientiam, quæ se contra Apostolos erexerunt. Secundum quam sententiam, notanda est diligenter sermonis huius proprietas. Dicuntur enim flumina ista posteriora eleuasse fluctus suos, cùm illa priora dicantur eleuasse vocem suam: vt significetur, aduersus vocem Apostolicam homines mundi huius eleuasse non vocem, sed fluctus suos. Videlicet, quoniam illi efficacia verbi pollebant, isti persequutionis insania sæuiebant, neque vocem voci opponebant. Non enim poterant voce: id est, rationabili responsione contradicere, non poterant (quomodo de beato Stephano in Actis Apostolicis scribitur) resistere sapiẽtiæ & spiritui qui loquebatur. Promissum enim Saluatoris nostri irritum non cecidit, quo suis electis testificatus est, dicens: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. Quia ergo ori os non potuerunt sæcularia flumina opponere, quia non vocem voce repellere, ad fluctuum impetum & gurgi-

Psal. 108. Psal. 34. Psal 108. Psal. 131. Psal. 1. Psal.44. Ioan.7. Psal.67. Actu.6. Luc.21.

surgitum ſeuas cõcuſsiones cõfugerunt, vt quibus ratione cõtradicere non poterant, eos violentia perſequutionum deſtruerent. Vbi etiam hoc notandum, quòd flumina priora vocẽ dicuntur eleuare ſingulari numero, nõ plurali: quoniã videlicet quaſi ex vno ore loquebãtur omnes, idipſum docẽtes & prædicãtes, iuxta quod ab vno magiſtro Chriſto & doctore eodem ſpiritu ſancto acceperant, qui nõ eſt magiſter neq; Deus diſſenſionis, ſed pacis. Flumina autem poſteriora fluctus eleuauerũt, quoniã multas & frequentes perſequutiones excitauerũt aduerſus populũ fideliũ. Quod autẽ ſequitur, A vocibus aquarum multarũ, ſecundũ prædictã expoſitionẽ ita intellige: Sæculi potentes & ſapientes ſuperbe excitauerunt perſequutiones graues, cõtra Apoſtolicam doctrinã, à vocibus aquarum multarum, id eſt, ab inſanis clamoribus & cõtradictionibus multorum populorũ veritati recuſantium acquieſcere, & ſuorũ principum atq; ſapientũ infidelitati adhærentium. Sæculi enim potentes & ſapientes, tantum ex fiducia in multitudine populorum ſibi adhærentium & ſubiectorũ, auſi ſunt obſiſtere fluminibus Dei, ſuam aquã ſalutarem effundẽtibus, nõ autẽ ex vllo interno bonæ cõſcientiæ teſtimonio, aut vlla rationabili perſuaſione ad hoc inducti. Verũ iuxta expoſitionẽ noſtrã, quã in Elucidatione aſsignauimus, à vocibus, idẽ valet quod, pro vocib⁹, vel ſuper voces, id eſt, pluſquã voces aquarũ multarum. Altior enim fuit vox prædicationis Euangelicæ omnibus vocibus aquarum multarũ, id eſt, populorum obmurmurantium. Vicit enim veritas: & nihil obſtãtibus incredulorum turmis, numero plurimis, fœliciter triumphauit, vt vſque hodie non defecerit eius regnum in Eccleſia, quemadmodum neq; deficiet vſq; in conſummationem ſæculi. ¶ Verſu 6. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominus. Nota pulcherrimã partium harum adinuicem correſpondentiã. Non nego (inquit) elationes maris fuiſſe mirabiles, tales profecto, vt ſecundum hominem ſpes nõ videretur poſſe eas ſupprimi. Verum hoc aduerti & ſciri debet, eſſe in cælis admirabilem dominum, qui iſtas elationes maris, quãtumuis mirabiles, & ſi millecuplo magis mirabiles, ſolo poteſt verbo cõpeſcere. Quod etiam de elationibus maris corporei veritatem habet. Mirabilem enim ſe Deus oſtendit quòd mirabilibus huius maris elationibus, cum plena poteſtate & authoritate imperat, iuxta quod in alio Pſalmo dicitur, Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.

1.Cor. 11.

Pſal. 88.

XCIII. PSALMI ARGVMENTVM.

ADuerſus impios bonorum oppreſſores Pſalmus iſte dirigitur, poſtulans ſimul & prædicens Dei aduerſum illos iuſta venire iudicia, quorum impietatem pluribus verſibus deſcribit, in oppreſsione maxime illorum qui humana carent defenſione: ac deinde eorum inſipientiam, putantium Deum ſua latere facinora: qua de re illos arguit & conuincit, impoſsibile eſſe oſtendens, vt Deus oculorum & aurium fictor, largiens omnibus videre & audire, ipſe non cognoſcat quæ agunt homines, dicens, etiã cogitationes hominum ſingulas Deo eſſe cognitas, & omnem illarum vanitatem non latere Deum. Quorum impietate confutata, verſu duodecimo beatum pronunciat, quem Deus in ſua lege erudit, illiq; bene futurum dicit in nouiſsimo, quando peccatoribus fodietur fouea, & iuſtitia exercebit vltionis iudicium. Verſu autem 16. ſpiritu feruens aduerſus malitiæ deſtructionem optat ſibi ad id perficiendum auxilium. ſed abſq; Deo nihil fieri poſſe ipſe in ſe expertus, confitetur dicẽs, quòd niſi per Deum fuiſſet adiutus, in inferno iam haberet mãſionem: & diuinæ aſſcribit miſericordiæ, quòd nõ fuerit in infernum collapſus, à qua etiam conſolationem abundantem iuxta afflictionis proportionem, ſe confitetur ſemper percepiſſe vt non deficeret. Qua de re, verſu vigeſimo, acri obiurgatione in illos ſubitaneo ſpiritus motu mouetur, qui præcepta Dei vt grauia & obſeruatu impoſsibilia calumniantes, ſic loquuntur, & ſic agunt, acſi non aliter quàm male poſſent viuere: contra quorum prauitatem & fraudem, ipſe ſe in domino tutum cõfidit habere refugium, illis ſuo tempore iuſta condemnatione pro ſua impietate puniendis.

XCIII. PSALMI ELVCIDATIO.

Pſal. 50.

Matt. 22.

1 *Deus vltionũ dominus, Deus vltionum libere egit.*

2 *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis.*

3 *Vſquequo peccatores domine, vſquequo peccatores gloriabuntur?*

DEus potentiſsimus, cuius eſt vltionem facere aduerſus omnem impietatem & iniuſtitiam, ad quem ſpectat vltio & retributio vindictæ, vt iudicem verum & primũ, cui ſoli peccant homines, ipſe Deus ſcelerum vltor, libere, & confidenter egit, ſemperque agit confidenter & liberè, in cunctis vltionibus quas ſecundum ſuam iuſtitiam peragit. Non enim reſpicit cuiuſquam perſonam, neque metuit vultum potentis, neque defert vllius dignitati aut gloriæ, neque concedit prudentiæ aut ſcientiæ: ſed libere abſque omni perſonarum reſpectu vltionem in omnes exercet impios, ſiue magnos, ſiue puſillos. 2. Tu itaque ſcelerum vltor, qui ſemper liberè agis in impiorum punitione, tu qui terram iudicas, qui iudex es hominum, ad quem ſpectat cunctarum humanarum actionum diſcuſsio atque remuneratio, oſtende nunc gloriam potentiæ tuæ: & ſuperbis impijs iſtis qui nunc in mundo dominantur, & opprimunt bonos, redde viciſsitudinem, debita ſceleribus præmia. 3. Quàmdiu enim tu iudex confidentiſsime atque liberrime, patieris homines impios, qui te non agnoſcunt, neque tibi ſeruiunt: quàmdiu (inquam) patieris iſtos impune euadere, atque etiam gloriari in ſua malitia, degentes in multa ſecuritate & voluptate, abſque timore iudiciorum tuorum, eo quòd ſe videant ita

4 *Effabuntur & loquentur iniquitatẽ, loquẽtur omnes qui operantur iniuſtitiam?*

5 *Populum tuum domine humiliauerũt, & hæreditatem tuam vexauerunt.*

6 *Viduam & aduenã interfecerunt, & pupillos occiderunt.*

7 *Et dixerunt, non videbit dominus:*

* *nec intelliget Deus Iacob.*

8 *Intelligite inſipiẽtes in populo:*

* *& ſtulti aliquando ſapite.*

9 *Qui plantauit aurẽ, non audiet?*

* *aut qui finxit oculum non conſiderat?*

10 *Qui corripit gentes non arguet?*

* *qui docet hominem ſcientiam?*

11 *Dominus ſcit co-*

ita lõganimiter à te tolerari, & omnino nihil ſuſtinere mali. 4. Quãdiu patieris impune, vt effutiant, & eloquantur quę ſunt iniqua & noxia, & cõtra te blaſphemias, & contra proximos, dolos atq; iniuſtitiã: vt talia proponant in cordibus, & loquantur in ore, atque etiã opere exerceãt operarij iniquitatis: quãdiu diſsimulabis, & feres impiorum iſtam malitiam impunitam? Exurge quantocyus, & oſtende vltionem tuam, vt bonis tuo iudicio creptis de tentatione, impij illi iuſtã accipiant operũ ſuorum mercedem. 5. Ecce enim Domine afflixerunt populum tuum, humiles & pauperes tuos ſeruos humiliauerunt, populum humilem & ſimplicem, quem tu velut tuã peculiarem hæreditatem habes & reputas, ipſi tuo timore propoſito crudeliter oppreſſerunt, & multis modis per ſuam potentiam atque aſtutiam vexauerunt. 6. Homines pauperes & derelictos deſtitutosque humano auxilio, cuiuſmodi ſunt viduæ, orphani, pupilli, & aduenæ, & huiuſmodi, nõ habentes inter homines auxilium vel conſilium, in hos crudelius ſuam malitiam exercuerunt impij, non ſolùm bonis illos ſpoliantes, verumetiam vitam eis auferentes ſine cauſa: vel propter bonorum acquirendam poſſeſsionem, mortis falſas cauſas comminiſcendo, vel bonorum iniuſta ablatione & graui oppreſsione eorum vitam in dolore ad mortẽ deducendo, præ nimia animi amaritudine. 7. Iſta autem omnia ſic libere agunt pro ſua mala voluntate, quoniam perſuaſum habent, Deum non attendere ad res humanas, dicẽtes eum perambulare circa cardines cæli, neque noſtra cõſiderare, vt pro operibus reddat aliquado condigna præmia? dicuntq; in cordibus ſuis, nõ videbit dominus quæ nos agimus: * & non intelliget Deus Iſraël, Deus cæli nõ attendet, nõ conſiderabit ea quæ nos hic in terris agimus, ſic vt ea aliquando adducat in iudicium. Atque ita hac perſuaſione faciunt, vt non ſit timor Dei ante oculos eorum: propter quod, abſque omni retinaculo feruntur in omne malũ præcipites, abiecto timore tuo, per quẽ declinat omnis à malo, quiq; ſapiẽtię eſt initium, & ſine quo nemo poteſt iuſtificari. 8. Vos verò, ô inſipientes in populis, qui nõ ſapitis quæ Dei ſunt, ſed terrena ſolum, ponite iſtã veſtrã inſipientiã, quę vos exęcęat, & rationis veſtræ lumẽ quod vobis à Deo inditum eſt, conuertite ad conſiderandum & intelligendũ id quod verum eſt: * & ô ſtulti, ac ſtolidi homines, qui vobis huiuſmodi tam ſtolide perſuadetis, quę nullam habent veriſimilitudinem, quæ etiam ratio naturalis monſtrat eſſe falſa & vana, tandem aliquando ſapere curate & attente conſiderate quod verum eſt, vt non in veſtra inſipientia atque ſtultitia pereatis. 9. Voſipſi quæ dico iudicate, veſtrã ipſorum rationem cõſtituo iudicẽ. An fieri poteſt, vt ille qui aures finxit, deditq; hominibus, à quo omnes homines auditum habent, & audiẽdi ad hoc aptum organum, qui dat omnibus vt audiant, hic ipſe non poſsit audire ſiue percipere nũc quæ vos ſuperba & impia loquimini? * & qui mirabili artificio hominis oculos finxit, taliq; virtute formauit, vt poſsit per eos videre, & quæ foris ſunt, obiecta apprehendere, ipſe non poterit videre, nõ poterit cõſiderare, atque percipere eã quę vos pro veſtra mala voluntate nunc in terris agitis? An hoc perſuadere vobiſipſis poteſtis? poteſt hoc veſtro inſidere animo? patitur lumen naturale quod vobis ineſt, vt ita ſentiatis, Deum qui dat hominibus vt audiant & videat, nõ audire neq; videre, & nõ percipere quæ dicuntur & aguntur à vobis? Eſt hoc profecto omni rationi contrariũ, neq; quiſquam habet apparentiæ talis exiſtimatio. 10. Denique ipſe qui corripit & caſtigat populos, qui vltionem facit de peccatis gentium, exiſtimatis hunc non arguturum ſuo tempore & puniturũ veſtra ſcelera? putatis illum latere veſtra dicta, aut facta, vt exiſtimare poſsitis, nõ vos ab eo pro illis eſſe corrigendos? * ipſe qui docet hominem ſcientiam, à quo eſt omnis ſcientia & omnis veritas, qui cuncta manifeſtat hominibus, & cognoſcere facit ea quidem quæ ad corpus per naturale lumẽ quod ſignauit in nobis: ea verò quæ ad animæ ſalutem per internã ſpiritus ſui inſtructionẽ, atque etiam per dictamen naturalis luminis: ſcilicet iſte à quo ſic eſt omnis veritatis cognitio, ſola veſtra non videbit opera? ſcilicet hunc veſtra dicta factaque ſola latebunt? Quam mirandum eſt, vos iſta tam irrationabilia, tam nõ cohęrentia, tam diſſona rationi, tã nihil apparentiæ probabilitatisve habentia poſſe inducere in animum, ſicque agere & viuere, quaſi hæc vera eſſe credatis. 11. Vt autem planam vobis enunciem veritatem, & veſtra confundatur inſipiens iſta perſuaſio,

Pſal. 13.

Pſal. 110.

Eccle. 1.

Iob 22.

gitationes hominum: quoniam vanæ sunt.

12 *Beatus homo quem tu erudieris domine:*

* *& de lege tua docueris eum.*

13 *Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea.*

Matt.25.

14 *Quia non repellet dominus plebem suam: & hæreditatem suam non derelinquet.*

Esaiæ 40. Ephe.2. Roma.2. 15 *Quoadusq; iustitia cõuertatur in iudiciũ:*

* *& qui iuxta illam, omnes qui recto sunt corde.*

16 *Quis cõsurget mihi aduersus malignãtes?*
* *aut quis stabit mecũ aduersus operãtes iniquitatem?*

17 *Nisi quia dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.*

sio, hoc scitote, dominum Deũ non solũ dicta audire & facta cõspicere, verumetiã latentes in occulto cordis cogitationes & proposita omnium hominũ: & hoc cognoscit, q̃ hominum cogitationes vanæ sint ac futiles, q̃ homines terrena sapientes (quãtum ex semetipsis) vana & inutilia cogitant, & omnem vanitatem cogitationum nostrarum ipse cõspicit: propter quod, nõ solùm à dictis & ab operibus malis, verumetiam à malis, vanisq; cogitationibus solicitissime districtissimeq; abstinere nos conuenit. 12. Et quoniã homo, quãtum ex semetipso, mendax ac vanus est, vt de terra natus, & de nihilo factus: ita plerũq; de terra & de vanitate, siue de nihilo cogitãs, idcirco illum ego iudico fœlicem quẽ tu domine erudieris, quem tu interna tua vnctione instruxeris, vt sciat cogitare quæ bona sunt & salutaria, eaq; loqui & agere: * & quem tu instruxeris in lege tua, cui tu intelligentiam dederis præceptorum atque mãdatorum tuorũ eorum, secundũ quę tu nos vitã instituere præcepisti, vt illa intimo cordis affectu percipiat, ita vt illi sapiat doctrina æquissimæ legis tuæ, & in ea oblectetur ac meditetur iugiter. 13. Huic enim, quẽ tu sic erudieris & instruxeris, tu mitigabis à diebus malis, huic facies bene esse in tẽpore angustię, in diebus in quibus male erit omnibus impijs, quibus per sententiã districti iudicij fodietur & aperietur fouea inferni, dũ iubebũtur discedere in ignẽ æternum: quãdo his (inquã) impijs ita male erit, quando cum eis ita terribiliter agetur, vt cũ sordidis hircis: tu mitigabis iusto, tu illi molliter & bene esse facies, cum illo benigne ages, vt cũ tua ouicula, nimirũ locaturus illum ad dexteram tuã, atque proloquuturus super illum æternę beatitudinis vocem suauissimam. Et cum impijs fodietur in inferno fouea, quando in inferno sepelientur reprobi, iusto in supernis cęlorum mansionibus glorioſa sedes exaltabitur, in qua cũ suo domino fœliciter regnabit & triumphabit imperpetuũ. 14. Non enim à se abijciet dominus populũ suum, & illos quos ipse vt suam hęreditatem possidet quos ipse vt suas oues agnoscit, in suam possessionem cõputat, nõ eos derelinquet imperpetuum, sed custodiet ab omni malo, & faciet saluos in regnum suũ cæleste: non eos abiiciet vt reprobos in sepulchra inferni, sed colliget eos in sinum suum, & cõsidere faciet eos secum in cælestibus. 15. Futurum est enim, vt iustitia Dei, quę ad tempus dissimulat, differtque vindictam, velut expectans peccatorem ad misericordiam, & velut inuitãs ad pœnitentiam, tandem aliquando reueletur, & conuertatur ad vltionis iudicium: futurum est, vt iustitia exequutionem accipiat, atque in opus procedat, ad reddendum vnicuiq; secundum opera debitam mercedem, ad faciendam in impios vindictam de omnibus quę sunt operati malis. * & qui tunc inuenientur iuxta illã, qui tunc adiuncti erunt iustitiæ Dei, omnes illi & soli erunt, qui nunc recto sunt corde: qui corã iustitia Dei stabunt atque cõsistent absque repulsa, erunt iusti, fideles, & recti corde. Nam impij qui prauo sunt corde, nunc nequaquam inuenientur iuxta illã Dei iustitiam, non poterunt in conspectu iustitiæ illius iudicium exercentis consistere, sed repulsam quantocyus patientur, & lõgè proijcientur ab ea in profundum inferni, in ignem æternũ, elongati à Dei conspectu in æternum. Tolletur enim impius, vt nõ videat gloriam Dei: * Erunt etiam omnes recti corde iuxta illum Dei iustitiam iudicantẽ, quando sancti omnes quasi assessores astabunt, vel assidebunt, vel assentientur iustitiæ iudicanti, approbabuntq; iudicij sententiã. 16. Cùm verò tanta sit hominum impiorum in hoc sæculo praeuitas, vbi potero ego reperire aliquem, qui pro me velit ac possit exurgere cõtra maligne agentes, & malum quærentes innoxijs? * aut vbi inueniam, qui pro me ex mea parte velit ac possit stare contra operarios iniquitatis, ad illos expugnãdum & prohibendum, ne sua peruersa implere possint cõsilia? O vtinã tale possem alicubi reperire adiutorium, quo omnia impiorum machinamenta (quod vehemẽtissime desidero) possem dissoluere atq; dissipare, eorumq; pessimis conatibus obsistere. 17. Sed non inuenio in hominibus potentiã huiusmodi, quæ mihi id possit præstare, neq; hominis hoc est opus, tam abundãtem mundi malitiã effugere vel destruere, nisi quem tua domine misericordia adiuuerit. Vnde de meipso hoc expertus loquor, q̃ nisi tu domine misericorditer adiuuisses me, periculum mihi fuisset maximum, ne iã morte absorptus inhabitarem lacum inferni, iam malitia nimia deuictus succubuissent tentationi, nõ potuissem inuenire malorum exitum; atque idcirco

18 *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua domine adiuuabat me.*

19 *Secundum multitudinem dolorum meorũ in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

20 *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?*

21 *Captabunt in animam iusti:*
* *& sanguinẽ innocentem condemnabunt.*

22 *Et factus est mihi dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium spei meæ.*

23 *Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet illos dominus Deus noster.*

circo quod nunc saluus adhuc in vita consisto, nõ meis nudis viribus, sed tuæ potissimum gratiæ debeo. 18. Si existimabã ego in corde meo, motus est pes meus, si mihi videbar venisse in lapsus periculũ, quotiescunq; in tale discrimen me contingeret incidisse, vt mihi viderer non diu posse consistere, iamq; in tentationẽ induci inciperem, tu domine quantocyus præsentẽ te mihi exhibebas in auxilio tuæ gratię, per misericordiã tuam opportunum mihi mittebas adiutorium, non patiens tentari me supra vires, faciensq; cum tentatione prouentũ, vt possem sustinere & inuenire exitũ, misericorditerque me liberasti ab omni lapsus periculo, vel lapsum quantocyus erigendo, vel labi incipientem à casu præseruando. 19. Neque solum à casu me custodiuit misericordia tua, sed abundãter insuper adimpleuit consolationibus. Secundũ enim multitudinem dolorum & afflictionum, quibus affligebatur cor meũ, ex proportionis æqualitate, tuæ suauissimæ consolationes ex altera parte lætificauerũt animã meam: ita facis semper cum tentatione prouentum, vt quemadmodum abundant passiones & afflictiones, ita & abundet per te consolatio mea ne sub pondere tribulationũ deficiam, victusq; succumbã, si non tuis suauissimis consolationib⁹ iuxta mensuram tribulationũ sufficienter existam confortatus. 20. Et cum ego ipse tantã sim expertus in memetipso Diuinæ miserationis dulcedinẽ, etiam in afflictionib⁹ maximis nunquã me deserentẽ: quare vos ô peruersi, falsas excusationes quæritis, dicentes, præcepta Dei nimium grauia esse, & obseruatu difficillima, non posse vos peccata derelinquere, & Deo seruire? Nunquid vobis qui sic fingitis laborẽ, difficultatem, & velut impossibilitatem quandã inæquissimis præceptis Dei, nunquid vobis (inquã) adhæret sedes iniquitatis, vt non positis iniquitatẽ deserere? an vlla vobis est adglutinata peccandi maleq; viuendi necessitas? vt nõ positis ex iniquitatis sede in qua nunc quiescitis exurgere, eamque surgendo relinquere? Si hæc dicitis, mentimini, & blasphematis dulcedinẽ miserationis Dei, quæ (vt ego certissima didici experientia) parata semper est vobis auxiliũ ferre, vt à malitia vestra, in qua turpiter sedetis & requiescitis, valeatis resurgere, si vos tantũ vobisipsis non defueritis. Neq; verum est quod fingitis, in eius præceptis esse laborẽ, difficultatẽ, & velut impossibilitatem. Mandata enim eius grauia non sunt, estq; iugũ eius suaue, & onus leue, & amanti nihil est difficile. 21. Impij isti persequutionẽ excitabunt, & quasi venationẽ instituent aduersus animas iustorum, cupientes eos in laqueum & perditionem inducere: * & homines innocentes ipsi, si poterũt, ad mortem deducent absq; tuo timore, occasiones quærent, vt innocẽtes possint de vita tollere. 22. Verum aduersus omnẽ impiorum malitiã, contra omnem impietatem, dolos & machinamenta prauorum, factus est mihi dominus Deus refugium, tanquam arx munita, ad quam semper ego confugiã, & in qua ab omnibus malorũ periculis tutus abscõdar: & Deus meus factus est mihi in auxilium fiduciæ meæ, in adiutoriũ, in quo ego spero omnia malorum superare pericula. In ipsius enim refugio & protectione ero ab omni malo securus. 23. Illis autẽ impijs retribuet mercedem debitam impietatibus eorum: propter malitiam eorum condemnabit & perdet eos dominus Deus noster, Deus vltionũ qui semper agit libere, ipse perditione sempiterna condemnabit illos, proijcietque & separabit à facie sua in æternum, pro omnibus iniquitatibus, quas sunt operati, redditurus illis mortem, peccati totum stipendium, à qua suos electos omnes, qui bonitatem sedulò sunt sectati, faciet saluos in vitam æternam, AMEN.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCIII.

VErsu 1. Deus vltionum libere egit. Apud homines, qui iudicum funguntur officio, frequenter non possunt, vt volunt, exercere in maleficos vindictam, vel quòd non satis potentes sint ad exequendum vltionem, vel quòd præ timore, aut spe lucri, vel alicuius accipiendi beneficij non audeant, vel quia potestatem habent restrictam, atque limitatam, ab eo qui est potestate & authoritate superior. Atque ita fit vt vltores & iudices in terris, qui loco Dei super terram sunt vltionũ domini, ad quos ex commisso officio spectat vindicta malorũ, frequenter non libere agant, non secure, non confidenter, non pro voluntate, neq; pro æquitate: dum vel spe, vel timore, vel superiori authoritate, ita eorum brachium constringitur, vt non quantum debeant, velint, aut certè non valeant, quantum velint. Deus verò, quoniam est omnipotens, cui nihil est impossibile, neque difficile, qui omnia quæcunq; vult facit, sub cuius ditione cuncta sunt posita, vt non inueniatur qui possit resistere eius voluntati: ditissimus item & sibi sufficientissimus, vt bonorum nostrorum non indigeat, neq; à quo-

Gene. 17. Luc.1. Psal. 113.

Heſt.13. Pſal.15. Pſal. 94.

quàm quicquam debeat expectare: ſupremus omnium dominus, rex magnus ſuper omnes reges, vt non poſsit vlla ſuperiori authoritate prohiberi: quoniã talis (inquam) eſt dominus Deus vltionum, iccirco libere ſemper & confidenter agit, in exequutione ſuæ iuſtitiæ. ¶ Verſu 10. Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem ſcientiam? Ad vltimam partẽ hanc, Qui docet hominem ſcientiam, repeti debet illud ex parte præcedenti, non arguet hoc modo. Qui docet hominem ſcientiam, non arguet? Quare in eundem ſenſum ſic dici poterat abſque repetitione, Qui corripit gentes, qui docet hominem ſcientiam, non arguet? Cum autẽ dicitur, Qui corripit gentes, videtur reſpicere celebriores punitiones factas in priorib⁹ ſæculis ſuper totas gentes, cuiuſmodi erat punitio diluuij ſuper totum orbem, & ignis ſulphuris ſuper Sodomam & Gomorrham, plagarum per Moyſen ſuper terram Aegypti, aliarumq; his ſimilium. Eſt ergo ſenſus, Is qui totas gentes corripit pro ſuis ſceleribus, vos impios non arguet pro veſtris impietatibus? Si totę gentes non poſſunt illius effugere vltionem, vos effugietis? Si non parcit nec populis, vos impunè peccabitis, quaſi ignoret Deus quæ agitis? ¶ Verſu 13. Vt mitigetis ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Clarius ex Hebræo vertit Hieronymus, Vt quieſcat à diebus afflictionis: & Felix, Vt præſtes quietẽ illi à diebus malis: hoc eſt, vt illum cuſtodias à diebus malis, ne dies malos ſentiat, tunćq; illum facias habere requiem, quando impijs erunt dies mali & dies afflictionis, In eo etiã quod ſequitur, Donec fodiatur peccatori fouea, particula donec improprie ſumi videtur: & facilior appareret ſententia, ſi ita diceretur, Vt mitiges ei à diebus malis, quando fodietur peccatori fouea. Poteſt tamen etiam improprie accipi hæc particula, & talem efficiet ſententiam, Beatus quem tu erudieris, & cætera, vt bene illi eſſe facias, & quietem præſtes per patientiæ tuæ doctrinam, à diebus afflictionis in quibus nunc agit, preſſus nimia peccatorum malitia: vt interim ex inſtitutione tuæ legis conſoletur in aduerſis, perferatque in patientia & dulcedine ſpiritus impiorum malitiam, donec tandem aduerſum impios perſequutores videat fieri

Lucæ 16.

vltionem in nouiſsimo, quando illis fodietur fouea, id eſt, reuelabitur interitus atque perditio mortis æternæ, vt cum diuite illo epulone ſepeliantur in inferno. Atque ita per dies malos, intelliguntur dies afflictionis & tribulationis in præſenti tempore. Iuxta priorem verò ſententiam, intelliguntur tempora æternitatis, quibus impij in tormentis detinebuntur. ¶ Verſu 15. Quoaduſque iuſtitia conuertatur in iudicium, Manifeſtum eſt, particulã quoaduſque non accipi vt denotet excluſionẽ, quaſi ſignificetur, interim non derelinquẽdos ſanctos donec iuſtitia conuertatur in iudicium, ac tum ſanctos derelinquendos, quando iuſtitia conuertetur in iudicium: ſed accipitur vt ſignificet conſequutionem eius, quod poſterius futurum eſt, ſecundum temporis ordinem: quemadmodũ in Euangelio

Matth.1. Pſal. 109.

de Ioſeph dicitur, quòd deſpõſatam ſibi vxorem Mariam non cognouit, donec peperit filium ſuum primogenitum. Et in Pſalmo 109. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, &c. Iuſtitiam autem conuerti in iudicium, intelligunt duobus modis, videlicet vel de iuſtitia Dei, vel de iuſtitia ſanctorum. Iuxta priorem modum in Elucidatione diximus, iuſtitiam Dei conuertendam in iudicium, quia ipſa quæ nunc diſsimulat & differt punitionem impiorum, & velut otioſa ceſſare videtur, tandem ad vltionis iudicium præcedet. Sicut enim nunc à iudicio ceſſare videtur, ita tum manifeſtè conuertetur ad iudicium. Alij de iuſtitia ſanctorum interpretãtes, dicunt, iuſtitiam ſanctorum, quæ nunc contemnitur, deridetur, & perſequutionem ſuſtinet, aliquando venturam in iudiciũ, quando coram omnibus reuelabitur, & quanti ſit precij monſtrabitur, pro qua glorioſam accipient ſtolam incorruptionis. Nunc enim quaſi abſque iudicio, abſque æſtimatione, & velut nullius precij habetur iuſtitia: ſed veniet tempus, quando in iudiciũ conuertetur, quando præ ſubitatione inſperatæ ſalutis con-

Sapien. 5.

turbati impij dicent. Ecce quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinẽ improperij. Ecce, quomodo cõputati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. ¶ Verſu eodem, Et qui iuxta illã, omnes qui recto ſunt corde. Plerique id legunt accentu quæſtionis ac ſubnexæ reſponſionis, hoc modo, Et qui iuxta illam? omnes qui recto ſunt corde. Verum ſi originalem Græcã lectionem reſpiciamus, videbimus manifeſte, nequaquam hanc eſſe rectam lectionem, In Græco enim ſic legitur καὶ οἱ ἐχόμενοι αὐτοῖς πᾶντες οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ. Vbi manifeſtum eſt, nullũ poni ſignum quæſitiuum: poteſtq; ſic verti, Et exiſtentes iuxta illam, omnes recti corde, ſubaudiẽdo verbum ſubſtantiuũ, ſunt. Vnde patet, qui, in noſtra lectione non eſſe ſignum quæſitiuũ, ſed indefinite poſitum, vt hunc faciat ſenſum, Et omnes qui recto ſunt corde, ſunt illi qui ſunt iuxta eam. Foretque ſermo aliquanto facilior ſi ita legeretur, Et iuxta illam omnes recti corde. Cæterum quod ad ſententiam pertinet huius lectionis, nos in Elucidatione duplicem indicauimus. Priorem de bonis in die iudicij, abſque confuſione aſtitutis iuſtitiæ Dei, quando tolletur impius, ne videat gloriam Dei: poſteriorem de approbatione diuinæ ſententiæ, quemadmodum aſſeſſores iuxta iudicis iuſtitiã iudicantem aſsiſtunt per cuitum. In lectione autem Græca, relatiuũ poſſet referre iudicium æque atq; iuſtitiã: quoniam in eo idiomate vtrunq; eſt generis fœminini. Vnde legi poteſt, Et qui iuxta illud, omnes recti corde. Quod ad eundem modum poteſt exponi. Sancti enim iuxta iudicium Dei erunt, quoniam ei adhærebunt, ipſumque approbabunt, tanquã aſſeſſores. B. Hieronymus vertit ex Hebræo, Et ſequentur illud omnes recti corde, quod in eandem ſententiam recte poteſt interpretari. Dicuntur enim aſſeſſores ſequi iudicium iudicis. Ad quem modum exponi poteſt etiam lectio noſtra vulgata, per ſequelam iuſtitiæ, intelligendo eius approbationem. ¶ Verſu 16. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Intelligitur hæc interrogatio pronunciari, vel ex metu periculi, propter mala & pericula quibus plenus eſt mundus, vel ex feruore indignationis bonæ ſecundum Deum, propter deſiderium diſsipandi improborum malitiam. Priori ſatis conſonat quod mox ſequitur, Niſi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea, Poſteriorem

A riorem tamen ſententiam explicat Elucidatio, & connexionem cum verſu ſequẽti non ineptam demonſtrat. ¶ Verſu 20. Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Nos in Elucidatione hunc verſum ſumus interpretati, quaſi interiectum ad obiurgationem impij in peccatis permanere eligentis, prætextu difficultatis, quam fingit eſſe in obſeruatione mandatorum Dei. Atque ita pronomen, tibi, demonſtrat ipſummet impium, ad quem dicitur fieri ſermo: qua autem occaſione hìc ad peccatorem dicamus verti ſermonem, ſatis id monſtrat continuatio Elucidationis. Et hoc incognitum non eſt, quomodo impij laborem fingunt in præceptis Dei, quomodo difficultatem cauſantur, & queruntur de labore atque dolore, quem dicunt eſſe in obſeruatione diuini mandati: cum ſecundum veritatem, impiorum viæ ſint multo magis difficiles, & plenæ laboribus, quem-admodum in lib. Sapien. ſero pœnitentes impij atteſtantur, dicentes, Laſſati ſumus in via iniquitatis, Sapien. 5. ambulauimus vias difficiles. Et in Pſal. 13. de vijs impiorũ dicitur, Contritio & infœlicitas in vijs eorum. Pſal. 13. Hos autẽ qui ſic fingunt in præcepto laborem, vbi verè labor non eſt, amara obiurgatione ferit Propheta, cum ait. Nunquid tibi, qui ſic fingis in præcepto laborẽ, adhæret ſedes iniquitatis? Solent enim dicere, non poſſe ſe vitam malam deſerere, debere ſe hoc pacto, id eſt, male in peccato quopiã viuere, non poſſe aliter agere, vitium non poſſe deſerere, de quo fortè commouentur: atque ita ſibi dicunt ſedem iniquitatis adhærere, vt non poſsint ab ea, in quã ſedent, iniquitatis ſede exurgere, vt

B non poſsint prauitatem ſuam, in qua firmati ſunt, derelinquere. Dicunt quoq; à natura ſe habere vt ſic viuant, contrarium eſſe ſuæ naturæ non ſic viuere vt viuunt, atque etiam hoc pacto ſedem iniquitatis ſibi dicunt adhærere. Contrarium tamẽ indicat Prophetæ hæc obiurgatoria interrogatio, cum ait, Nunquid tibi adhæret ſedes iniquitatis, qui fingis in præcepto laborẽ? quaſi dicat, Nequaquam adhæret, vt tu impie & obſtinate fingis. Quacunque enim hora pœnitentiam agere volueris, poteris aſsiſtente Dei gratia, à tua malitia exurgere. Alij verò ſermonem dirigunt ad Deum, ad quem ſermo fit in verſu mox præcedenti, hoc modo, Nunquid tibi ô Deus, adhæret ſedes iniquitatis? vt ſignificetur nequaquam Deo adhærere eos qui in iniquitatibus ſedent, quoniam (vt in alio Pſalmo dici- Pſal. 5.
tur) non habitabit iuxta eum malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos eius. Quod autem ſequitur aliqui legunt per verbum perſonæ ſecundæ hoc modo, Qui fingis laborem in præcepto: vt, qui, referat Deum. Fingit enim Deus in præcepto laborem quia præcepta nobis talia poſuit, quæ in obſeruatione ſua propter carnis noſtræ ad mala pronitatem, habent quandam difficultatem: verum id propter noſtram fecit vtilitatem, vt tanto fiat nobis remuneratio glorioſior. Et iuxta hanc ſententiam præſens verſus cum præcedenti ſermone hoc pacto poterit continuari, Quando ego in periculis eram, & ad caſum tendebam, tua miſericordia Domine adiuuabat me: & ſecundum multitudinem dolorum, in corde meo, lætificatus ſum conſolationibus tuis. Tibi enim nequaquam adhæ-

C ret ſedes iniquitatis, tu in iniquitate non reſides, qui laborem formas, & ponis nobis in præcepto. Et licet laborem poſueris in præcepto quod dediſti nobis minimè tamen id feciſti, quòd iniquitatem diligas, vt labore deterriti præceptum violaremus: quandoquidem ita nobis ſemper paratus aſsiſtis tuis cõſolationibus, ne frangamur laboribus. Alij legunt per tertiam perſonam, Qui fingit laborem in præcepto. Nam in Græco relatiuum nullum eſt, ſed tantum participium πλάσσων, id eſt, formans, quod iungunt cum nomine θρόνος, hoc modo, Nunquid adhæret tibi thronus iniquitatis, qui fingit laborem in præcepto? Eſtq; ſenſus, Nequaquam tibi domine adhærent throni iudicũ & hominum impiorum, qui throni (id eſt, iudices & principes ipſi in eis reſidentes) fingunt laborem in præcepto, præcipiunt grauia, difficillima, & ferè impoſsibilia alijs, vt cum non pro voto ſatisfacerint, iuſtam inueniſſe videantur anſam ad perdendum innoxios. Nequaquam Deo tales throni iniquitatis adhærent, nequaquam ad ipſum tales iniquitatis ſedes pertinent. Noſtra tamen lectio, quæ habet perſonam ſecundam, fingis, rectè etiam ex Græco accipitur, nec aliter vertit ex Hebræo Hieronymus. ¶ Verſu 21. Captabunt in animam iuſti. In Græco eſt θηρεύσειν, id eſt, venabuntur, vel venationem inſtituent aduerſus animam iuſti, vel ſuper animam iuſti: videlicet vt eam comprehendant, & morte il-

D laqueent. Idem valet captabunt, id eſt, capere, ſiue comprehendere ſtudebũt & conabuntur. Eſt enim hoc captare, quaſi cum obſeruatione diligenter venari & ſedulò quærere.

XCIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

INuitatio eſt hic Pſalmus fidelium ad laudem Dei, propterea quòd ipſe rex & Dominus ſit omnium ſupremus, qui omnia fecit, & vbiq; tam in terra quàm in mari plenum & perfectum tenet imperium, qui eſt omnium ſuorum fidelium paſtor & curator benigniſsimus. Dehinc à verſu octauo ad finem vſq;, exhortatio ponitur fidelis populi, ad credendum & obediendum illi potentiſsimo domino, ad cuius laudem iam ante inuitauerat, proponens exemplum veteris illius populi Iudaici, inobedientis & murmuratoris, ne, vt illi vltione Dei in terram promiſsionis propter ſuam impietatem non fuerunt introducti, ita et nos contingat à terra quietis æternæ nobis promiſſa excidere, ſi voci Domini fuerimus inobedientes.

NONAGESIMIQVARTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 Venite exultemus domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro.

2 Præoccupemus fa-

VEnite pariter omnes qui timetis Dominũ, vt vnà lætemur & exultemus in domino Deo noſtro, laudesque in iubilo alacriter cantemus Saluatori noſtro, qui nos à morte ſaluos facit, & vita donat ſempiterna. 2. Maturemus, feſtinemus, quaſi prævenientes & præoccupantes ante conſpectum vultus eius, laudibusque & actionibus gratiarum accedere eius præſentiam

Universidad de Deusto Biblioteca

ciem eius in cõfessione:
** & in psalmis iubilemus ei.*
Apoc. 19. *3 Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes Deos:*
** quoniam non repellet dominus plebem suam.*
4 Quia in manu eius sunt omnes fines terræ:

festinemus, velut contendentes quis prior sit aduenturus: neq; tamen E appareamus ante conspectum eius vacui, sed laudis & actionis gratiarum adferamus coram eo munera: * & in psalmis, hymnis, atq; canticis spiritualibus ei Saluatori nostro. 3. Quoniam Deus noster est magnus Dominus, & rex magnus, præ omnibus qui dij nominantur vel existimantur in cælo aut in terra. Ipse enim est rex regum & Dominus dominantium, qui dominatur super omnes habentes potestatem vel imperium in terris, & ipsi nemo dominatur superior. Omnes quoque qui dij nominãtur, huic sunt vt primo & soli vero Deo subiecti, quomodo serui erga dominum suum: * & ipse dominus non abijciet in sempiternum populum suum, nunquam derelinquet sibi seruientes, & in se habentes fiduciam. 4. Est profecto Deus noster magnus Dominus, & rex magnus super omnes deos, quoniam plenissimo imperio dominatur & imperat omnibus finibus terræ: tota latitudo terræ ab oriente vsque ad occidentem, & à septentrione vsq; ad meridiem eius est ditioni plenissimè subiecta: & quæcunq; tota hac terræ latitudine continentur, ipse habet quasi in manu sua, vt de eis possit agere & cõ- F
stituere quicquid libuerit, & quæcunque voluerit facere: cum cæteri interim domini vel dij, non nisi in aliqua terræ angusta particula suæ habeant dominationis imperium, angustis valde terminis conclusum: & illo ipso in loco vbi dominantur, non omnia possunt agere, ac disponere pro sua voluntate, neque omnia agere illic valent, quæ volunt, vt merito horũ comparatione, Deus noster magnus Dominus, & rex magnus debeat nuncupari: * imò & altissima montium, summos vertices montium ipse possidet: adeò nihil est in vniuersa terra ipsius imperio non subditum, vt loca etiam altissima & hominibus inaccessa, in sua habeat possessione. 5. Neque verò solum in terra suum habet imperium, verum æque etiam in amplitudine maris. Ipse enim est, qui mare in principio creationis rerum de nihilo condidit, propter quod iure ipsi quoque ascribi debet in dominium: * sicuti & terram (quę propter naturalem suam siccitatem arida siccaq; merito nuncupatur) ipse formauit suis manibus, hoc est, virtute suæ potentiæ & sapientiæ ipsius industria: quomodo artifex manibus suis format opus de luto, ita ipse G
sua potentia de nihilo. 6. Venite vnà mecum vt summo illi regi, & domino summum exhibeamus honorem, adorãtes illum in spiritu & veritate, vt primum & supremum dominatorem, & coram eo in profundissima cordis humilitate procidentes, simul & corda & corpora nostra, hoc est, totos nos sub illius potentissima manu humiliantes: * insuper & lachrymas fundamus coram eo tum ad obtinendam peccatorum veniam, quibus ipsius magnificentiam vehementer, multipliciter, & frequenter offendimus, tum ad impetranda sancta dona salutaris gratiæ eius: * & merito corã illo procidere atque flere debemus, quoniam ipse est qui nos de nihilo creauit, & rationales creaturas esse fecit, cum nihil fuissemus, & ipse est dominus Deus noster, cui totos nosipsos debemus quanti quanti sumus, cui debemus hoc ipsum quod sumus, & quòd homines sumus, & cui insuper omnia quæ sunt in nobis debemus referre accepta, omnemque dare gloriam, honorem, benedictionem, & gratiarum actionem. 7. Nos verò sumus populus pa- H
scuæ eius, sumus quasi grex ouium, quas ipse vt pastor bonus regit &
pascit ab infantia nostra: qui secundum corpus in hoc mundo nos pascit abundanter, omnibus quę sunt ad corporis sustentationem necessaria, faciẽs terram germinare herbam, & fructus humano vsui aptos, terramque fœcundans & irrigans desuper, ad subministrandum nobis commoda cibaria: secundum spiritum verò, intra suam Ecclesiam ornatissimã nos pascit viuificis doctrinis atq; sacramentis, donans abunde nobis omnia quæ ad salutem sunt necessaria, ita vt non deficiamus in vllo bono siue gratia: * & sumus nos quasi oues sub manu eius, sub eius cura viuẽtes, sub eius ducatu, protectione & custodia securi, quomodo oues sunt sub manu pastoris, qui nos etiã facit numerãdo transire per manũ suam, siue sub manu sua, quomodo greges ouiũ transeũt sub manu numerãtis, per oĩa fidelissimi pastoris erga nos exercẽs officiũ. 8. Proinde vos, quicunq; Deo placere cupitis, si in hoc die salutis, in hoc acceptabili tẽpore gratię, vocẽ audieritis domini Dei vestri ad vos loquentis, siue per exteriorẽ sermonem, siue per internã alloquutionẽ, siue per alium quemlibet vocationis modũ, cauete ne obduretis corda vestra,

** & altitudines montium ipsius sunt.*
5 Quoniam ipsius est mare,
** ipse fecit illud:*
** & siccam manus eius formauerunt.*
6 Venite, adoremus, & procidamus:
** & ploremus ante dominum:*
** qui fecit nos, quia ipse est dominus Deus noster.*
Gene. 48. *7 Et nos populus pascuæ eius:*
** & oues manus eius.*
Hier. 33. Esaiæ 49. 2. Cor. 6. *8 Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

A vestra, ne vestræ voluntatis arbitrium liberũ obfirmetis aduersus vocem Domini vocantis, vt nolitis vocantem sequi, nolitis monentẽ audire, obedire præcipienti: sed mitia & mollia illi exhibete corda vestra obedientes estote vocanti, monenti, præcipienti. 9. Nolite (inquam) in hoc die vestra corda obdurare, sicut olim patres vestri, illa vetus Iudæorum synagoga, populus duræ ceruicis & cordis lapidei, obdurauit cor suum aduersus Dominum in tempore illo quando irritauit, exacerbauit, & ad iracundiam, siue ad amaritudinem prouocauit Dominum per infidelitatem in tempore tentationis, in deserto. 10. In quo deserto patres vestri, illi duræ ceruicis Iudæi, me tentauerunt multis vicibus, non credentes, neq; obedientes voci meæ, qui illis per Moysen & Aaron seruos meos loquebar, & operabar pro eis mirabilia: * ipsi experimentum quæsierunt potentiæ meæ, perpetuo diffidentes, nõ credentes, & murmurantes, & viderunt opera mirabilia quæ ego coram eis, licet incredulis & murmurantibus, exhibui: & ne sic quidem ab infidelitate & murmure eos potui prohibere. 11. Et propter hanc
B illorum infidelitatem, diffidentiam, atque murmurationem, per annos quadraginta offensus fui veteri populo illi, generationi peruersæ incredulorum & tentatorum: circumduxi eos in indignatione mea per Psal. 94.
annos quadraginta per desertum, quod iter intra quadraginta dierum spatium perfecissent, si voci meæ credidissent, fuissentque obedientes: * & dixi (videns illorum obstinatam malitiam, quòd malum super malum adderent, quodque nec mirabilibus beneficijs, nec terribilibus vltionibus possent à sua prauitate auerti) populus iste semper errat corde, perpetuò murmurant, diffidunt, non credunt, tentant, & me ad iracundiam prouocant: quomodocunque ego cum illis agam, siue beneficia conferendo, siue terrores ostendendo, nihil proficio, perseuerant illi in sua malitia, nihil aliud quàm tentant & murmurant, neque beneficijs emolliri, neque terroribus compelli possunt ad obedientiã. 12. Et ipsi non cognouerunt vias meas, meam iustitiam, meam misericordiam, meam veritatem, meam fidem, quibus ego ambulo & incedo in omnibus actionibus meis, non crediderunt mihi, nec in me confisi sunt, vti faciunt quibus cognitæ sunt viæ meæ: * propter quod ego illis iuraui in iracundia mea, propter quam infidelitatem atque malitiam firmissimo decreto statui, & tanquam irreuocabilem sententiam protuli, quod non essent ingressuri in terram quietis, quam promiseram patribus eorum, & in quam eos introduxissem, si debitam mihi præstitissent obedientiam. Propter quod, omni attentione solicitissime cauendum est in hac die, in hoc tempore gratiæ, ne illorum culpa & inobedientia similes inuenti, digni efficiamur consimili pœna: ne videlicet ob incredulitatem & inobedientiam excludamur ab illa fœlici repromissionis terra, quam expectant & desiderant omnes electi, vt in ea habitent, & regnent in sæcula sæculorum.

9 Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto.
10 Vbi tentauerũt me patres vestri:
** probauerunt, & viderunt opera mea.*
11 Quadraginta annis offensus fui generationi illi:
** & dixi, semper hi errant corde.*
12 Et isti non cognouerunt vias meas:
C ** vt iuraui in ira mea, si introibũt in requiem meam.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCIIII.

VErsu 1. Venite exultemus Domino. Valde iucundum est, quod in hoc Psalmo, quoties fit inuitatio vel ad Deum laudandum, vel ad Deum adorandum, non dicit Prophera per secundam
D tantum personam, Venite, exultate Domino, iubilate Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius, &c. sed prima persona dicit, Adoremus, exultemus, procidamus, ploremus. Nõ enim est hic Propheta ex illorum numero qui alios docentes, & ad bonũ exhortantes, ipsi nihil agunt eorum, ad quę adhortantur alios: qui ad fortiter bellandum contra hostẽ classicũ canunt, tubam suæ vocis exaltantes, ipsi interim viuentes in otio, ac sub hostili tyrannide miserè seruire præeligentes. Sanè qui huiusmodi sunt, ita dicũt, Venite, exultate, iubilate, procidite, plorate: sed prima persona negligunt seipsos includere cum ijs quos adhortãtur. Videlicet tales erant illi de quibus Saluator terribiliter in Euan-
gelio loquitur, dicens, Super cathedrã Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæ dixerint Matth. 23.
vobis, seruate & facite: secundum opera autem eorũ nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia in humeros hominum, digito autẽ suo nolunt ea mouere. Horum verò longe dissimilis est, qui proximis dicens venite, statim illis se adiungẽs, subiicit, exulremus, iubilemus, procidamus, ploremus, &c. Sic & apud Esaiã se inuicem adhortantes fideles populi, Esaiæ 2.
dicunt, Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. ¶ Versu 2. Præoccupemus, faciem eius in confessione. Præoccupemus idem est quod præueniamus, quemadmodum vertit Felix, siue maturemus, aut festinemus: hoc est, tempestiuè veniamus, dum tempus est laudandi, quemadmodum alibi dicitur, Antici- auerũt vigilias Psal. 76.
oculi mei. Et rursum, Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Potest etiam Psal. 118.
ista præoccupatio indicare quandam contentionem & vehemẽs studium, quo sancti Dei serui quasi

contendere videntur adinuicem, præueniendum in Dei laudibus, dum ſancta quadam æmulatione E
vnuſquiſque ſuum proximum conatur ſuperare: vt ſit ſenſus, Quaſi inuicem præoccupādo ſiue præueniendo, feſtinemus venire ante conſpectū Domini Dei noſtri. Confeſsio autem in qua monemur præoccupare faciem Domini, intelligitur confeſsio laudis & actionis gratiarum. Vnde Hieronymus ſic vertit, Præoccupemus vultum eius in actione gratiarum. Et Felix, Præueniamus faciē eius in confeſsione, celebratione, vel laude. ¶ Verſu 3. Quoniam non repellet Dominus plebem ſuam. Hanc particulam, quæ ſecundum vſum Romani Pſalterij in templis canitur, non habet lectio Hebræa, neque aliquid eius loco, Et dicunt, Gallicanū Pſalterium ipſam ſimiliter non habere, quamuis communiter in libris habeatur inſerta ex Pſalterio Romano. Neque habet hoc loco ſatis aptā connexionem, quæ melior eſſet, ſi illo omiſſo ita legeretur, Quoniā Deus magnus Domin⁹, & rex magnus ſuper omnes deos: Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſius ſunt. Sic enim verſus ſubſequens manifeſte cauſam reddit eius quod dicit præcedēs. Ratio enim magnitudinis regni & dominij Dei noſtri, rectè ex hoc ſumitur, quia in manu ſua habet omnes fines terræ, & quoniā altitudines montium ipſius ſunt. Propter quod in Elucidatione licet particulā illam, Quoniam non repellet Dominus plebē ſuam adiecerimus & explicauerimus, ſic tamen eam poſuimus quaſi impertinentem, & velut ex abundāti interiectā. Illud autem quod ſequitur, Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, &c. iunximus cum præcedenti illo, Quoniam Deus magnus Dominus & rex magnus. Vbi no- F
tandum, quòd regnū atq; dominium domini noſtri in duobus hic commendatur, & vt magnum eleuatur. Primum quidem in hoc quod latiſsime expanditur, quoniam videlicet non in vna aliqua terrę parte, non in Europa ſola, neque tantum in Aſia, neque in Africa tantum: quemadmodum qui inter homines dominātur, nemo prorſus inuenitur ex illis, qui vniuerſale habeat totius terræ dominium: ſed vel vnius tantū plagę in terra, vel minimę alicuius particulæ, quę cōparatione facta ad totius terræ magnitudinē, non niſi punctulus venit æſtimanda. Dominus autē Deus noſter in omnibus finibus terræ imperiū tenet, imò & altiſsima montiū loca hominibus inacceſſa, imò incognita poſsidet. Secundo commēdatur dominiū Dei noſtri in perfectione imperij & perfecta ſubiectione, cū dicuntur fines terræ eſſe in manu eius. Quod enim in manu quis habet, pleniſsime illud ſuæ habet voluntati ſubiectū, vt poſsit agere de eo quicquid libuerit: quemadmodū etiam vulgo dicere ſolemus, illud nos habere in manu, quod in plena eſt noſtra poteſtate, vt agere de eo poſsimus pro noſtro placito. Non ſic enim alij qui dominantur ſuper terrā, in manu habent terras, quarū ſunt domini: neq; eos omnino in manu habent quibus dominantur, neq; agere ſemper poſſunt quodcunq; voluerint, niſi & ipſi velint aliquando pati quodcunq; ſubditis placuerit. ¶ Verſu. 5. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud. Illud poſterius, Et ipſe fecit illud, accipi poteſt, vt exprimatur in eo cauſa dicti prioris. Ratio enim quare Domini ſit mare, eſt, quia ipſe fecit illud. Vnde Hieronymus in ſua verſione coniunctionē G
cauſalē pro copulatiua ponit in hunc modū, Quoniam ipſius eſt mare, ipſe enim fecit illud. Quod ſi quis obijciat, artifices plæraq; ædificia facere, & domos conſtruere, quorū tamen ob hoc ipſi nō ſunt domini: Manifeſta obiectionis huius eſt ſolutio, quoniā artifices illi tantum in conſtruendo miniſtri ſunt ex aliena materia, ex precio & lucro alieno ædificantes, neq; ſibi, ſed illi qui eos cōducit precio, ædificant. Deus autē cælum, terrā, & omnia quæ condidit, non vt miniſter fecit conductitius, non ex aliena materia, quā ſibi alius quiſquā ſuppeditaſſet, non ab aliquo mercede conductus, non operans ſub lucro, non etiā vtens cuiuſcunq; adiutorio: ſed de nihilo, propter ſemetipſum & per ſemetipſum omnia creauit: propter quod, merito omniū dominus habetur, & vt talis colitur atque adoratur, ab omnibus qui incolunt locū dominationis eius. Per ſiccā autem ſiue aridā, quam in parte poſteriori dicuntur formaſſe manus Domini, manifeſtum eſt intelligi terrā, quę ſic appellatur à qualitate prima in ea prædominante. Vnumquodq; enim elementū, vnam ex quatuor primis qualitatibus in ſe habet excellentē & prædominātem, vtpote ignis dominantē, habet caliditatē: aēr, humiditatē, aqua, frigiditatem: terra, ſiccitatē. Qua de re latius ex propoſito egimus in libris de conſideratione rerum naturaliū, lib. 5. quem inſcripſimus de generatione & corruptione rerum naturaliū. A prædominante ergo ſiccitate, terra in ſcripturis appellatur arida vel ſicca, quemadmodum Geneſis 1. dicitur, Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt in locū vnum, & appareat arida. Et iterū, Et vocauit aridam terram. H
¶ Verſu 7. Oues manus eius, Oues manus Domini, intelligi poſſunt, quas creauit & fecit. Melius tamē videtur, vt intelligantur oues ſub manu eius, vel ſub cura eius, quemadmodū in Elucidatione expoſuimus. Sub manu enim paſtoris dicuntur oues paſci, ſub cuius cura & defenſione paſcuntur. Paſcua autē iſta, cuius nos dicimur eſſe populus, altera corporalis eſt mūdi huius, de qua paſcua in alio Pſalmo dicitur, Spera in Domino, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius: vel ſpiritualis, de qua iterum in alio Pſalmo, Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Et ipſe paſtor in Euangelio, Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet: nihil dubium, quin ſpiritualia paſcua ſignificare volens. ¶ Verſu 8. ac deinceps, Hodie ſi vocem eius audieritis, &c. Totum hunc locū ad fine Pſalmi prolixè tractat Paulus Apoſtol⁹, tertio & quarto capitulis Epiſtolæ ad Hebræos: per hodie iſtud, cuius ſit hic mentio, intelligendo tepus iſtud gratiæ & ſalutis, de quo in alia Epiſtola Corinthijs ſcribens, ait, Ecce nunc tepus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Monemur autem exemplo vetteris illius increduli populi, non obdurare corda noſtra ad vocē Domini, ne ſimili pœna pereamus, ne quomodo illi in deſerto proſtrati non potuerunt introire in requiē, ita & nos contingat à requie æterna fieri alienos: ne patrū imitatores facti in culpa, ſimiles efficiamur etiam in pœna. Fœlix enim quem faciunt aliena pericula cautum. ¶ Verſu 11. Quadraginta annis offenſus fui generationi illi. Pſalterium Romanū hoc loco legit. Quadraginta annis proximus fui

Gene. 1.

Pſal. 36.
Pſal 22
Ioan. 10.

2. Cor. 6.

A fui generationi huic, quomodo etiam in Eccleſiaſtico recitatur officio, in horarū matutinarum inuitatorio, de cuius lectionis veritate non magna eſt difficultas, ſi intelligamus, Deum illis fuiſſe proximum in beneficiorū collatione & mirabili prouiſione, qui & manna illos per annos quadraginta pauit, & veſtimenta eorum cuſtodiuit vt non deterererentur, & in omnibus eos protexit atq; ſeruauit à nocumento beſtiarum & hoſtiū, ſemperque præſentem ſe exhibuit in tabernaculo, loquens Moyſi & Aaron. Attamen lectio Hebraica non habet, proximus fui, neque etiā lectio Græca: ſed vtraq; habet offenſus fui. Vnde ex Hebræo vertit Hieronymus, Quadraginta annis diſplicuit mihi generatio illa. Felix autem, Tæduit me generationis huius, vel faſtidium perpeſſus ſum de generatione hac, aut moleſtia ſum affectus. Alius vertit, Iurgatus ſum cum generatione hac: quæ omnia ſatis cum noſtra lectione conueniunt. Cum enim offenſi ſumus, illius nos ſolet tædere, ab illo perpetimur moleſtiam, cum illo iurgamur. Poſſet verò etiā illa lectio Romani Pſalterij ad hanc reduci ſententiam, ſi intelligamus, Deum illi generationi quadraginta annis fuiſſe proximum ad vltionē & caſtigationem, quomodo præceptor ſe proximū ſemper exhibet diſcipulo commiſſo ſuæ fidei, quem perpetuò obſeruat, vt mox vbi deliquerit, caſtiget, nec impunè patiatur delinquere. ¶ Verſu vltimo, Vt iuraui in ira mea, ſi introibūt in requiem meam. Lectio Romana pro vt, habet, quibus, hoc modo, Quibus iuraui in ira mea. Et eſt ſententia aliquanto clarior, quàm ſit in lectione noſtra vulgata. In Græco tamen ha-
B betur ὡς ὤμοσα, hoc eſt, vt iuraui, quomodo habet noſtra lectio Gallicana: vbi, vt, videtur accipiendū loco quamobrem, vt ſit ſenſus, Quamobrē, vel propter quod, iuraui in ira mea. Ex Hebraico autem quidam vertunt, Quibus iuraui alij, propter quod, vel quamobrem iuraui. In eo autem quod ſequitur, Si introibunt in requiem meam, nota modum huius enunciationis, quæ ex conſuetudine hominum in ira loquentium defectum patitur, & negationem firmiſsimā, abſque tamen vllius negationis expreſsione, ſignificat. Exprimit enim Dominus in huiuſmodi loquutionibus modum hominū iracundia inflammatorum, qui talibus ſolent eclypticis ſiue deficientibus vti ſermonibus, velut ira ſupprimente orationis complemētum. Quod autem quidam dicunt, in huiuſmodi orationibus, ſi, idem valere quod non, non videtur aptè dici. Sic enim non eſſet oratio deficiens, ſed perfecta, ſi idem valeret, ſi, quod non. Qui enim dicit, Non introibunt in requiem meā: manifeſtum eſt, eum facere orationem completam. Hoc tamen verum eſt, vbi ſic ponitur ſi coniunctio tali modo quo hīc ponitur in imperfectione ſermonis, per modum iuramenti vel proteſtationis, illic negationem fortem & vehementem indicari ex ipſo modo loquēdi, non tamen ex vi ſignificationis ipſius dictionis, ſi quæ hīc non aliter quàm ſolet, accipitur. Et notandum, quod cum abſque negatione ſi ponitur, tunc negatio vehemens indicatur. Quando autem negatio apponitur, tunc per contrarium vehemens affirmatio inſinuatur. Secundum affirmationem dicitur in Pſalmo, Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid men- Pſal. 88.
C tiar, hoc eſt, nequaquam ei mentiar. Sic Eſaiæ 32. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriami- Eſaiæ 32.
ni, dicit dominus Deus exercituum. Atque hic manifeſtum eſt indicari vehementem negationem, quaſi dicat, Nequaquam mentiar, nequaquam dimittetur. Secundum negationem verò, apud Hieremiam Dominus loquitur, dicens, Galaad tu mihi caput Libani, ſi non poſuero te ſolitudinē, & vrbes Hier. 22.
inhabitabiles, hoc eſt, vtique ponam te in ſolitudinem, & vrbes tuas inhabitabiles. Et apud Eſaiam, Iurauit Dominus exercituum, dicens, Si non, vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, ſic eue- Eſaiæ 14.
niet: quaſi dicat, omnino vt putaui erit, & quomodo mente tractaui, eueniet. Item in libris Regum, de 3. Reg. 21.
Achab homicida innocentis Naboth interfectore, Si non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum eius quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro iſto, dicit Dominus, hoc eſt, indubie reddam. In omnibus his manifeſtum eſt addita negatione indicari affirmationem, abſente autem negatione indicari negationem. Et interdum quidem in ſcripturis inuenimus completam hanc iuramenti formam, interdum incompletam. Incompletam audiuimus in exemplis iam citatis. Alibi tamen non rarò hanc formam iurandi vel promittendi completam legimus. Veluti cum Sauli interro- 2. Reg. 17.
ganti de Dauid poſt cæſum Goliath de qua ſtirpe eſſet. Ioab interrogatus, reſpondit, Viuit anima tua 2. Reg. 3.
rex, ſi noui. Et vbi Saul lugens ſuper morte Abner populo cōenienti ad ſumendum cibum, reſpon-
D dit, Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quicquam. Sic Helias ad Achab loquitur ex ore Domini, Viuit dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto, ſi 3. Reg. 17.
erit annis his ros vel pluuia, niſi iuxta oris mei verba: Ita rex Iſraēl, nimia commotus inediæ miſeria, aduerſus Helizeum loquebatur, dicens, Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Helizei 4. Reg. 6.
filij Saphat ſuper ipſum hodie. Poſſunt huiuſmodi ex ſcripturis plura adduci, ſed quæ modò citata ſunt, abundè ſufficiunt. Eſt tamen & hoc aduertendum, maxime illa iuramenta incompleto ſermone pronunciari, quæ à domino, vel per Prophetas ex ore Domini proferuntur: quemadmodum in exemplis illis primis omnibus manifeſtum eſt videre. Quæ autem iam citata ſunt, hominum erāt iuramenta, & illa quidem completa. Cuius differētiæ cauſa iſta videtur, quia homines maiorem ſui habent per quem poſsint iurare, & cuius in iuramento poſſunt nomen interponere. Deus autem ma- Hebr. 6.
iorem ſe non habet, per quem poſsit iurare: & ipſius vel ſolum verbū debēt propter infallibilis veritatis certitudinē, merito ſufficere ad faciendam fidem. Et licet aliquando inueniatur per ſemetipſum iuraſſe (vt cum ad Abraham de ſeminis promiſsione loqueretur, dicens, Per memetipſum iuraui, &c. Gene. 22.
de quo iuramento tractat etiam Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, dicens, Deum quia maio- Hebr. 6.
rem per quem poſſet iurare non habuit, iccirco iuraſſe per ſemetipſum) id tamen non paſsim, neque niſi in rebus maximis facit, vt ſuum nomen ſanctificet ipſe qui nobis ſuum nomen ſanctificare & non in vanum aſſumere præcepit. Tanta enim debet eſſe verbi eius authoritas, vt etiamſi non interponat eius nomen per quem iurat, ipſe iurandi modus ſufficere debeat, ac pro firmo iuramento re-

putari. Hæc de modo iuramenti semel prolixius diximus, ne sæpius eadem ista opus haberemus cum minore fructu frustatim & particulatim proponere. Præstat enim, rem semel in sua plenitudine ad integrum, quantum iustum est, pertractare, quàm per multa loca dispergere, particulatimque diuidere, & nusquam pro dignitate tractari. B

XCV. PSALMI ARGVMENTVM.

INuitantur in hoc Psalmo omnes fines terræ, non soli Iudæi, sed vniuersæ quoq; quæ procul sunt nationes, ad cantica, laudes, & prædicationem gloriæ magni Dei, cuius magnitudini atq; sublimitati (qua omnes Deos immenso interuallo superexcedit) monentur patriæ gentium gloriam & honorem afferre, eumq; cum hostiarum muneribus in atrio sancto adorare. Versu autem decimo, prædicari iubet Christi gloriosum regnum, & orbis correctionem siue reparationem, id est, humani generis redemptionem, & Ecclesiæ sanctæ ædificationem. Ad cuius tanti gaudij congratulationem, in ebrietate spiritus Propheta omnem creaturam superiorem pariter atq; inferiorem exhortatur, dicens, Lætentur cæli, & exultet terra, &c. ita vt nec ligna nemorum omittat inuitare. Gaudij autem huius materiam duobus vltimis versibus apertius exprimit, videlicet quoniam esset venturus Dominus iudex & vindex populi, qui pro orbe terrarum in sua æquitate esset facturus iudicium, & populos iuxta fidem & veritatem suam redempturus. Nihil autem dubium videtur, quin hunc Psalmum Propheta componens, illam tunc venturam, iam verò factam humani generis per Christum liberationem, in spiritu præuiderit, de qua totum hoc tam iucundum, tam gaudio plenum cecinit exhortatorium canticum. Aeque non dubium, quin gentium futuram conuersionem, spiritu monstrante, præcognouit, qui eisdem tam solicite totum veritatis mysterium prædicare satagit, & vniuersos multa verborum replicatione ad gloriam, honorem, & hostias offerendum, atq; in Domni atria ingrediendum, studiosissime exhortatur. F

NONAGESIMIQVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.*

Malac. 1. Psal. 12.

2 *Cantate Domino, & benedicite nomini eius: * annunciate de die in diem salutare eius.*

3 *Annunciate inter gẽtes gloriam eius:*

Psal. 88.

* *in omnibus populis mirabilia eius.*

4 *Quoniã magnus Dominus:*

* *& laudabilis nimis:*

* *terribilis est super omnes deos.*

5 *Quoniam omnes dij gentium dæmonia:*

1. Cor. 10.

* *Dominus autem cælos fecit.*

6 *Confessio & pulchritudo in conspectu eius:*

* *sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.*

CAntate Domino noua cantica in alacritate cordis vestri, ex animo hilari & gaudenti depromite cantica omnes inhabitatores terræ, quicunque siue orientem, siue occidentem, siue meridiem, siue septentrionem inhabitatis, pariter absque exceptione vniuersi carmina laudum concinite Domino. 2. Cantate Domino, & laudem dicite nomini eius, quod ab ortu solis vsque ad occasum est magnum in gentibus, estque ab ortu solis vsque ad occasum laudabile: * de die in diem annunciate, iugiter prædicate, & proclamate incessanter salutem, quam ipse venit adferre populo suo. Nequaquam enim tanta salus premi debet silentio. 3. Neque verò in Iudæa tantum, at in alia qualibet vnica regione, sed & in omnibus gentibus atque nationibus per vniuersum orbem terrarum dispersis, prædicate magnificentiam glorię eius: * & in omnibus populis, tribubus, ac linguis, absque personarum acceptione, sine vllius gentis exceptione, annunciate mirabilia eius, quæ cogitauit ab æterno, & in tempore suo exhibuit, ad ostensionem magnificentissimæ gloriæ suæ. 4. Et est quidem dignissimus ipse, cuius gloria sic prædicetur in vniuersis gentibus: quoniam Dominus est verè & plenè magnus in omnibus, magnus potentia, magnus sapientia, magnus bonitate, magnus imperio, magnus duratione, magnus in iustitia, magnus in misericordia, deniq; perfectè magnus per omnia: * & secundum hanc suam perfectã in omnibus magnitudinẽ, qua excedit omnia, est etiam multum laudabilis: vt omnibus incomparabiliter maior, ita laude omnibus in immensum superior: * & est ipse terribilis, honorabilis, atque metuendus, super omnes qui dij nominantur in cælo vel in terra. Non enim est similis ei in dijs, & non est secundum opera eius quisquam alius. 5. Omnes enim dij gentium, quos idololatræ gentes pro dijs colunt, omnia idola nationum quæ pro dijs adorãt, quibus vt dijs sacrificant, & per omnia vt dijs famulantur, non sunt veri dij, sed dæmonia, quę in huiusmodi idolis coluntur. Quæ enim ipsi immolant, dæmonijs immolant, non Deo: & in omni suo cultu dæmonijs seruiunt, nõ Deo: * dominus autẽ Deus & saluator noster, ipse est verus Deus, qui creauit cælos & terrã, & omnia quę in eis sunt: qui suam diuinitatem operibus patentissime comprobat, quod illi facere minime possunt. 6. Ante faciẽ eius nihil aliud est quàm confessio & pulchritudo, nihil aliud quàm gloria & decor: omnia in conspectu eius sunt plena confessione & pulchritudine, omnia ante oculos maiestatis eius sunt confitenda, celebranda, magnificanda, decora atq; nitidissima: nihil coinquinatum ipse patitur in conspectu præsentiæ suæ, nihil fœdum, nihil sordidum, nihil turpe, nihil indecens, aut indecorum potest esse ante oculos eius. Ab his enim ipse auertit oculos: * in sanctificatione vel sanctuario eius, in templo quod ipse sibi ad inhabitationẽ sanctificauit, nihil esse potest nisi sanctimonia & G H

nia & magnificentia, debent illic omnia esse sancta, munda, nitida, pretiosa, & magnifica. Nihil enim illic immundum, pollutum, aut sordidũ potest inesse: sed debent omnia pro dignitate tanti regis esse sancta, magnifice ornata, polita, atq; fulgida, ita vt præ decore illic cuncta resplendeant. 7. Huic proinde tam magnifico domino, cunctæ patriæ & familiæ gentiũ, omnes tribus nationũ adferte & offerte quasi pro munere & sacrificio, non dico vitulos & hircos, oues & boues, aut alia huiusmodi, sed gloriam & honorem: adferte, inquã, & offerte domino & nomini eius gloriã in laude & debita actione gratiarum. Hoc est enim sacrificiũ quod super omnia postulat dominus Deus noster, videlicet immolari sibi sacrificiũ laudis, quod omnibus corporalibus oblationibus habet gratius. Non enim ipse nostrorũ bonorum indiget, vt expectare à nobis quicquã debeat: attamẽ quia dominus & pater noster est, paternum honorẽ à filijs requirit, nosq; seruos & creaturas æquissimum est domino & creatori nostro dare gloriam. 8. Accipite hostias, quas illum nostis habere acceptissimas, hostias videlicet laudis & gratiarum actionis: & cum hostijs istis confidenter ingredimini etiam vos gentiũ nationes in atrium eius. Ne appareatis ante conspectũ domini Dei vestri vacui, assumite vobis hostias laudis, ficque confidenter introite in aulam eius, in sanctam Ecclesiam, in qua tanquã in aula sua residet atque inhabitat: * non vos alienos putate, ô patriæ & familiæ gentium, tametsi olim longe fuistis à domino Deo, sed accedite nunc confidenter, & adorate illum in spiritu & veritate: qui non Iudæorum est Deus tantum, sed etiam gentium, atq; adeò vniuersæ terræ, & omnium finium eius. 9. A facie eius cõmoueatur vniuersa terra, ipso adueniente à conspectu eius salubriter commoueantur omnes inhabitatores vniuersæ terræ, salubriterq; commoueantur & conturbentur ad pœnitentiam veteris idololatriæ & paternæ malitiæ: * & hoc in omnibus gentibus prædicetur atq; proclametur, q̃ Dominus verus mundi huius iniquo principe condemnato ac foras eiecto, regnum iam sibi accepit, & imperat in omnibus populis: quòd morte deuicta regnum mundi huius de principis tenebrarum tyrannide per filium suum vindicauit, atque in se, ipsumque suum filium suo iure transtulit, omnibus subiectis sub pedibus eius, omnique illi potestate tradita in cælo & in terra. 10. Etenim ipse rectificauit, ad rectitudinẽ restituit, reparauit, & velut innouauit orbem terrarum, qui in æternum iam ab illa restauratione & innouatione non mutabitur, aduersus quem vltra nec portæ inferi prævalebunt: per filij mortẽ & Euangelicam prædicationẽ mundum perditum reparauit, Ecclesiamq; sanctam fundauit, quæ in æternum non commouebitur, neq; deficiet: * & ipse Dominus facit iudicium pro populis in æquitate iustitiæ suæ, iudicabit pro gentibus contra principem tenebrarum, hunc condemnando, illos saluando & eripiendo de illius tyrannide. 11. Et quoniam tam immensa est hæc lætitia, quia tam magnum est huius salutis beneficium, ad congratulationem super tantis bonis debet inuitari vniuersus creaturarũ superiorũ simul atque inferiorũ ordo. Cæli proinde lætentur, & terra exultet ad congratulationẽ: mare quoq; velut plaudendo, suis fluctibus commoueatur, ad ostendendum exultationis signũ: & omne quod in ipso est, simul plaudat & commoueatur: * camporum quoq; planities & omnia quæ sunt in eis, agri & omnes segetes fructusque crescentes in eis, lætentur & exultent, vnà cum creaturis cæteris. 12. Neque erunt nemora expertia exultationis huius, sed debebunt etiam ipsa exultando congratulari, vnà cum arboribus, quæ nascuntur in ipsis. Dignum est enim, vt omnis omnino creatura hominis reparationi congratuletur & congaudeat, propter quẽ facta sunt omnia: * exultatio autẽ ista & congratulatio, ad quam omnẽ modò inuitauimus creaturã, erit à conspectu Domini, propter præsentiã aduentus Domini: videlicet quoniã venit facere iudicium pro terra & habitatoribus eius, iudicare contra principẽ tenebrarum pro orbe terrarum: ad saluum faciendum populum suum, eumq; de potestate tenebrarum eripiendum, & transferendum in regnum lucis suæ. 13. Ipse iudicabit pro orbe terrarũ in æquitate, iustè condemnato impio tyranno, & liberato humano genere: * & populos vniuersos, qui omnes detinebantur sub morte, & erant natura filij iræ, ipse vt iudex ac vindex liberauit in veritate & fide sua: quando visitauit & fecit redemptionem plebis suę, sicut loquutus fuerat ad patres A B C D

7 *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.*

8 *Tollite hostias, & introite in atria eius.*

* *adorate Dominum in atrio sancto eius.*

9 *Commoueatur à facie eius vniuersa terra:*
* *dicite in gentibus, qa Dominus regnauit.*

10 *Etenim correxit orbem terræ qui nõ commouebitur:*

* *iudicabit populos in æquitate.*

11 *Lætentur cæli & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius:*

* *gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.*

12 *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum:*
* *à facie Domini: quia venit, quoniam venit iudicare terram.*

13 *Iudicabit orbẽ terræ in æquitate:*
* *& populos in veritate sua.*

Psal. 15. Exod. 23. & 34. Ephe. 2. Ioan. 4. Rom. 3. Ioan. 12. & 16. 1. Cor. 15. Matt. 28. Matt. 16. Matth. 16. Lucæ. 2. Colloss. 1. Ephe. 2. Luc. 1.

patres nostros, & per os sanctorum Prophetarum suorum à sæculo. E
Olim etiam in consummatione sæculi adueniet in iudicis forma, in
gloria patris sui, cum angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum
opera sua, iudicabitque viuos & mortuos in æquitate & veritate.

Matt. 26.
2. Cor. 4.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCV.

VErsu 1. Quoniam omnes dij gentium dæmonia. Quomodo hic dicuntur omnes dij gentium esse dæmonia, cum sint dij gentiũ simulacra, vel sculptilia, vel fusilia, artificis manu facta? quem-
Psal. 113. admodum in alio Psalmo dicitur, Simulacra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Hæc autem dæmonia non sunt, quæ nulla artificis manu, non ex vlla præiacente materia facta sunt, sed de nihilo, sola diuinæ potentiæ virtute creata ab initio. Sed aduertendum est, quod gentiles idololatræ in simulacris illis suis manufactis & arte fabricatis, adorabant spiritus illusores, qui illudentes miseris, simulabant aliquid numinis inesse lignis illis & lapidibus, & diuinitatem illis inesse fingebant, dantes responsa, & signa quædam edentes permissione Dei veri, per quæ seducebant populum, vt coram illis sua vota & sacrificia offerrent, sicq; debitum Deo summo honorem sibi vsurparent serui profugi & infidelissimi. Vnde manifestum est, in idolis gentes non coluisse ligna & lapi-
F des, sed magis ipsa illa dæmonia, quæ in illis venerabantur, quasi numina Deitatis, cum nõ essent nisi figmenta vanitatis & effictores illusionis. In Hebræo autem hoc loco nõ habetur, dæmonia, sed sculptilia, vt vertit Hieronymus: aut vanitates, & nihil, quomodo ad marginem ponit Felix, vt iuxta Hebraicam veritatẽ sic legatur, Omnes dij gentium sunt sculptilia, aut sunt vanitates, & nihilum. ¶ Versu 6. Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Accipiendum hoc est secundum eum modum, quo
Psal. 110. dicitur in Psalmo centesimo decimo, Confessio & magnificentia opus eius, hoc est, omne opus eius est confessione vel laude dignum, & plenum magnificentia: omne opus eius est laudabile & magnificum. Ita propositi sermonis hic sensus est, Quicquid in conspectu Dei est, confessione dignum est, & plenum pulchritudine, summe laudandum est, & maxime decorum. Atque ita & in eo quod proxime sequitur, Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius, dicendum. Vbi sanctificatio accipienda videtur pro sanctuario, quemadmodum ex Hebræo vertunt Hieronymus, Felix, & cæteri
Hier. 51. ex Hebræo interpretes. Nam & aliàs sanctificatio inuenitur posita in scripturis pro sanctuario, vt apud Hieremiam, Venerũt alieni super sanctificationem domus Domini. Et primo Machabæorum,
1. Mac. 1. de Antiocho dicitur, quod intrauit in sanctificationem cum superbia magna. Ac rursum quarto ca-
1. Mac. 4. pite, Iudas debellato hoste cum suis ad templum ascendens, dicitur sanctificationem vidisse desertam, hoc est, desertum templum & sanctuarium. Psalmo autem septuagesimo septimo, sanctuarium,
Psal. 77. quod hîc dicitur sanctificatio, etiam sanctificium inuenitur appellatum, cum iuxta nostram lectio- G
nem dicitur. Et ædificauit sicut vnicornis sanctificium suum, in terra quam fundauit in sæcula. Per hanc autem sanctificationem siue hoc sanctuarium, in Elucidatione intelligimus sanctam Ecclesiam, quam etiam postmodũ per atrium siue aulam domini accipimus. Potest tamen similiter & ad vniuscuiusq; fidelis mundum & sanctificatum cor intelligẽtia accommodari, quatenus omnes sanctificatio & sanctum templum Dei sumus, quicunque spiritũ Christi habemus inhabitãtem in nobis: quẽ-
1. Cor. 3. admodum sanctus ait Apostolus, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et iterũ, Vos estis tem-
2. Cor. 6. plum Dei. In hoc autem templo cordis nostri oportet sanctimoniam esse & magnificentiam, oportet omnia sancta esse, ornata, nitida, siue magnifica, & velut splendore quodã refulgentia. Hinc idem
1. Cor. 3. Apostolus ait, Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autẽ templum
1. Cor. 6. Dei violauerit, disperdet illum Deus. Et rursum, An nescitis quia membra vestra templũ sunt spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? videlicet vt non liceat vobis contaminare vosipsos pro vestro libito, sed sanctimoniæ intendere debeatis propter honorem eius, qui
2. Cor. 6. vos sibi in sanctificationem & templũ elegit. Et iterum, Quis consensus templo Dei cum idolis? Vos
Leuit. 26. enim estis templum Dei viui, sicut dicit Dominus, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo in
Esaiæ 52. ter eos, & ero illorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod, exite de medio eorum, & sepa- H
ramini, dicit Dominus. In his omnibus manifeste cernimus, quomodo nos Apostolus moneat & iubeat sanctimoniam & magnificentiã spiritualem sectari, ex eo quod corda nostra sunt sanctificatio
Dei. Omnino enim iustum est, vt ille qui est sanctus sanctorũ, magnificus super omnes, habeat etiam
Leuit. 19. sanctum & magnificũ habitaculum. Non enim conuenit, sanctum Dominum, pollutum inhabitare
Lucæ 6. tabernaculũ, neq; magnificum regem vile habere habitaculũ. Propter quod, ipsa etiam voce Domi-
Matt. 5. ni non semel admonemur, Sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Et in Euangelio, Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Estote vos perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. ¶ Versu 7. Afferte Domino patriæ gentium. In Hebræo est familię gentium, vel populorum. Atque ita etiam vox Græca sonat, πατριὰ. Significat etiam familiam vel cognationem. Et verisimile est, quod nos modò patriam, totos alicuius regionis incolas appellamus, ab illa significatione prima sic denominari, quod in numero populorum sint quasi vna πατριὰ siue familia vna, ortum trahens, vim, genusque ducens ab eodem patre. Neque secundum vim significationis aliud esse videtur patria vna, quàm familia, siue stirps vna, aut vnum genus: tota videlicet aliqua collectio magna ab eodem patre originem longam trahentium. In postrema autẽ parte, cum dicitur, Afferte Domino gloriam nomini eius: nota, præter consuetudinem duos datiuos absque coniunctione eidem verbo, ex abundantia spiritus, appositos, videlicet domino & nomini. Cuius effugiendi incommodi gratia, quidam subintelligunt dignum, hoc modo, Afferte Domino gloriam, digna nomini eius. Verum id non admodum

A admodum videtur probandum. ¶ Versu 8. Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate dominum in atrio sancto eius. Tollite hostias, id est, accipite hostias, vel (vt ex Hebræo vertit Hieronymus) leuate munera. Atria autem dixit pluraliter, pro atrio. ¶ Versu 9. Commoueatur à facie eius vniuersa terra. Commotio ista non mala, sed bona intelligitur, videlicet qua quis per timorem iustum salu- Psal. 66.
briter commouetur. Idem enim est cum eo, quod in alio Psalmo dicitur, Metuant eum omnes fines Psal. 32.
terræ. Et alibi, Timeat dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Vnde ex Hebræo hoc loco vertit Hieronymus, Paueat à facie eius omnis terra: hoc est, timeat Dominum omnis terra. Quod exponit Paraph. Chald. dicens, Contremiscite vel expauescite à conspectu eius omnes inhabitatores terræ. ¶ Versu eodem, Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit. In Psalterio Romano, ad finem huius versus additur, à ligno, Sic enim habet, Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno. Atque ita per tempus illud quod inter octauam Paschæ & Pentecosten interiacet, in commemoratione victorię crucis Christi, pro versiculo cantatur, secundum ordinem Ecclesiæ Romanę, in matutinis atque vespertinis horis. Quam etiam lectionem sequutus est, qui crucis triumphalem hymnum composuit, cuius est initium, Vexilla regis prodeunt. Nam versu tertio ita canitur, Impleta sunt quæ cecinit Dauid fidelis carmine, dicens, In nationibus regnauit à
B ligno Deus. Neque difficile est intelligere, quomodo dicatur Dominus regnasse à ligno: videlicet quia per lignum crucis de diabolo triumphauit, mundumque de potestate illius exemit, & sibi in regnum comparauit, maximo vtique sui sanguinis pretio. A ligno ergo regnauit, quia per lignum sic sibi regnum istud comparauit, in illo persoluens pretium redemptionis nostræ, id est, sacratissimum sanguinem fundens, pro salute mundi. Veruntamen additamentum istud à ligno, neq; in Hebraicis, neque in Græcis codicibus inuenitur, neque in Psalterio Gallicano. De correctione autem siue confirmatione orbis terræ, cuius fit mentio versu sequenti, & quomodo non commouebitur, dictum fuit etiã Psalmo nonagesimosecundo, in versu secundo, Etenim firmauit orbem terræ, qui non cõ- Psal. 92.
mouebitur. Potest enim vel de prima rerum creatione, vel potius de ipsa mundi restitutione exponi: quemadmodum illud iudicium, de quo subsequenter fit sermo, potest vel nouissimum quod expectatur, vel primum quod iam perfectum creditur, intelligi. ¶ Versu 11. Lætentur cæli, & exultet terra, &c. Quidam ista omnia, videlicet cælos, terram, mare, campos, & syluarum ligna, exponunt mystice. Nobis videbatur secundum modum Propheticum conuenientius, vt absque mystico sensu intelligamus secundum literam, inuitari hîc omnem creaturam ad laudem Dei: quomodo solent facere Prophetę, quando singulari aliqua illuminatione super venturis mirabilibus humanæ redemptionis mysterijs visitabantur, vt inuitarent montes & colles, cælos & terram, mare & aridam, campos &
C syluas, & omnia quæ in eis sunt. Tam pleni enim sunt gaudio, vt ferre in seipsis totum non possint, quin effundant, quin & alias omnes creaturas faciant participes. Si tamẽ per cælos intelligamus angelos, & per terram homines inhabitantes eam, nihil erit insolitum. Vnde & Chal. Paraph. sic exponit, Lætentur exercitus cælorum, & exultent iusti terræ. Maris autem commotionem quæ subiungitur, quidam intelligunt sæculi huius ad prædicationem Euangelicam malitiosam commotionem siue persequutionem: & item quæ sequuntur de camporum gaudio, & lignorum syluestrium exultatione, mysticis exponunt sensibus: sed magis (vt dixi) Propheticæ exultationi videtur conueniens, vt secundum literam intelligatur, tali inanimatarum creaturarum alloquutione vniuersitas creaturarum ad congratulationem inuitari. Atque ita commotio maris intelligitur fluctuum concussio, siue fluctuum eius resonatio. In quem sensum vertit Hierony. Tonet mare & plenitudo eius. ¶ Versu 12. & 13. Quoniam venit iudicare terram, Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Possunt hæc intelligi vel de iudicio, quo in primo aduentu Dominus iudicauit mundum, id est, pro mundo, aduersus principem tenebrarum: vel de iudicio nouissimo, quod expectatur futurum in aduentu secundo, quando orbem iudicabit, id est, habitatores orbis: quando de ipsis ipsorumque operibus faciet iustum iudicium. Vtrunque autem hoc iudicium in æquitate & iustitia est, quoniam Ioan. 16.
in illo priori iustè princeps mundi condemnatus est, & è regno mundi foras eiectus: in hoc autem Ioan. 12.
posteriori iustè iudicabitur de singulis orbis habitatoribus, quando recipiet vnusquisq; prout gesD sit in corpore, siue bonũ siue malum: quando vnusquisque metet quæ in corpore seminauit. Vtranq; autem prædictarum intelligentiarum nos in Elucidatione indicauimus. Iuxta priorem, iudicare terram, est iudicium facere terræ, siue pro terra: iuxta posteriorem, est facere siue exercere iudicium de 2. Cor. 5.
terra, id est, de habitantibus in ea. Super hæc verò, iudicare terram, accipi potest vt valeat, agere iudi- Galat. 6.
cem terræ, vel regnare aut imperare super terram: quemadmodum dicitur in libris Iudicum & Regum, quod hic iudex aut ille iudicabat populum, id est, iudicẽ populi agebat, & quodammodo principem agebat. Ita & venit in hunc mundum Dominus iudicem agere, & regnare in terra, mundoque imperare, illo iniquitatis iudice principe tenebrarum deuicto, forasque expulso.

XCVI. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste de Christi regno & gloria canit, orbemq; terrarum vocat ad lætitiam, enarrans Dominimagnificentiam & ex aduerso idolorum vanitatem atq; confusionem, vsq; ad versum octauum: vbi angelos hortatur adorare Dominum, & sanctam Ecclesiam dicit in eo oblectatam, propter nimiam ipsius super omnes deos exultationem. Versu autem vndecimo, monet seruos Domini iniquitatem habere odio, quòd iustitiæ studentes, & odientes iniquitatem ipse custodiat, luce quoq; sua illustret, & recreet cordis lætitia: in exhortatione ad Dei laudem canticum finiens, vt cœpit in lætitia.

NONA-

NONAGESIMISEXTI PSALMI ELVCIDATIO.

Marc.16. Matt.28. Actu.10. 1 *Dominus regnauit:*

* *exultet terra, lætentur insulæ multæ.*

2 *Nubes & caligo in circuitu eius:*

Ioan. 1. Apoc. 1.

Actu.1.

* *iustitia & iudicium correctio sedis eius.*

3 *Ignis ante ipsum præcedet:*

* *& inflammabit in circuitu inimicos eius.*

Lucæ 12.

Lucæ 21.

4 *Alluxerunt fulgura eius orbi terræ:*

Ibidem.

* *vidit, & commota est terra.*

5 *Mõtes sicut cera fluxerunt à facie domini:*

* *à facie domini omnis terra.*

Lucæ 12. 6 *Annunciauerunt cæli iustitiam eius:*

Matt. 24. Ibidem. * *& viderunt omnes populi gloriam eius.*

Matt. 25. Apoc. 1. Zach. 12. 7 *Confundantur omnes qui adorant sculptilia,*

CHristus Dominus morte deuicta regnum accipit, & imperiũ tenet, sedẽs ad dexteram patris, potestatem habens omnium quæ in cælo & quæ in terra, constitutus iudex viuorum atq; mortuorum: * propter quod, lætari atque exultare debent omnes habitatores terræ, simul & illi qui in insulis procul habitant, etiam in nouissimis maris: omnes de Christi domini hoc imperio, hacque sublimatione, gaudere debebunt. 2. Nube & caligine circundatus est, in nube & caligine habitat, quem secundum diuinitatem nemo hominum vidit, cuius maiestatem nemo perscrutari suffieit. Nube quoque & caligine terribiliter circundatus veniet ad iudicium, quando veniet cum nubib⁹ in gloria patris sui: & sicut à nube ex hoc mundo ad patrem ascendens fuit assumptus in cælum, quæ eum ascendentem accepit, & abscondit ab oculis spectantium, ita in nube veniet, & in nube reuelabitur mundo, cum ad iudicandum aduenerit: * iustitia & iudicium sunt præparatio, firmatio, & rectificatio sedis eius: thronus ipsius in æquitate & iudicio situs, præparatus, firmatus est atq; rectè dispositꝰ: imperat & iudicat in iustitia & iudicio, vt nõ possit apud eum inueniri iniquitas aut iudicium iniustitiæ. 3. Cum verò aduenerit rex iste ad exercendum iudiciũ, vltrix flamma corã facie eius præibit, vel ignis ille conflagrationis, qui aduentum præcedet iudicis: vel ignis ille æternus, quo quodammodo ante faciẽ Domini præcedet quasi vltionis minister, quatenus à iudice prolata sententia: ignis hic statim condemnatos vorabit: * & exuret atq; consumet hostes ipsius per circuitum, inuoluet ignis ille, & comburet omnes iniquitatis operarios, qui dum viuerent, inobedientes se atq; rebelles exhibuerunt mandatis iudicis. Præcesit quoq; iamdiu ignis ille, quẽ venit ipse homo factus mittere in terram, & quem voluit ardere ac vehemẽter incendi, id est, ignitum eloquium Euangelicę prædicationis, & vorans flamma spiritus sancti: quo duplici igne, hostes Domini sunt inflammati atque cõsumpti: hi quidẽm salubriter, zelo bono per pœnitentiam: illi verò in suum malum, per iracundiã & contradictionem. 4. Terribilia fulgura eius illucescent & apparebunt toti orbi terrarũ, antequã aduenier ad iudicium: demonstrabuntur terrores mirabiles, & erunt signa in sole & luna terribilia: * quibus visis, vniuersi habitatores terræ conturbabuntur timore horribili, ita vt arescant & dissoluantur præ expectatione eorũ quæ superueniet vniuerso orbi, & præ terrore nimio prodigiorum terribilium. Iam quoque fulgura diuinorũ eloquiorum, micantiũ ad modum coruscationis desuper venientis, orbi apparuerunt: iam agnouit omnis terra, & salubriter commota est, quantum ad fideles, sicut quantum ad incredulos malitiosè conturbata. 5. Montes liquescent, diffluent, & resoluentur, ad modum liquescentis & diffluentis ceræ, ante conspectũ Domini: cum ita in terrore suo aduenerit, vidébuntur ardere montes, & diffluere per ignis vorantis impetum, ad eum modum quo cera liquescit igni admota vel iniecta: * à præsentia Domini sic terribiliter aduenientis liquescet & cõmouebitur omnis terra, cum omnibus suis inhabitatoribus. Iam quoq; in tempore isto Christi præcedente iudicium, per Euangelicę prædicationis & spiritus sancti gratiam, altissimi montes sæculi huius, sublimes potentia, ac sapientia gloriosi, emolliti, & humiliati sunt à facie Domini, per ignem quem venit mittere in terram: & omnis terra vim persensit ignis huius conflagrantis. 6. Annunciabunt & manifestabunt cæli desuper aduenientem in terrore iustitiam iudicis cæli illum glorioſum demittent, & demonstrabunt venientem mundo in gloria patris sui: item & angeli cælorum habitatores prædicabunt iustitiam venientis iudicis, qui mittentur ante filium hominis, cum tuba & voce magna, vt prædicent iudicium venturũ, & congregent omnes electos à quatuor ventis terræ: * & omnes populi, tribus ac linguæ, videbunt eum venientem in gloria sua, & patris, & sanctorum angelorum: & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum pupugerunt, vt videant in quem confixerunt. Iam quoq; in tempore isto annunciauerunt Apostoli regnum Dei & iustitiam eius, iustitiam veram quæ ex fide est: & cognouerunt omnes populi gloriam Domini, illorũ prædicatione edocti. 7. Confundentur in illo terribili vltionis tempore omnes qui adorant idola, sculptilia, siue fusilia, siue quomodocunque aliter artificis manu facta: & oẽs qui gloriantur

A *& qui gloriãtur in simulachris suis.*

8 *Adorate eum omnes angeli eius:*

* *audiuit, & lætata est Sion.*

B

9 *Et exultauerũt filiæ Iudæ, propter iudicia tua domine.*

10 *Quoniã tu dominus altissimus super omnem terram:*

* *nimis exaltatus es super omnes deos.*

C 11 *Qui diligitis dominum, odite malum:*

* *custodit dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.*

12 *Lux orta est iusto:*

* *& rectis corde lætitia.*

D

13 *Lætamini iusti in domino:*

* *& confitemini memoriæ sanctificationis eius.*

riantur, spemq; & fiduciam ponũt in idolis suis, quæ non sunt dij veri, sed vanitas sunt & mendacium quemadmodum & confundi cœperunt ad prædicationem Euangelicam, quando passim homines, abiuratis & confractis idolis, se conuertebant ad seruiendum Deo viuenti, & gloriandum atque sperãdum in Deo viuo & vero. 8. Hic dominus est, quẽ adorare debet etiam vniuersitas angelorum. Non sunt adoranda idola gentium, quæ non nisi dæmonia sunt, siue argentum & aurum, opera manuum hominum: sed iste noster dominus, qui mundum saluauit, regnum accepit, & vt iudex suo tempore cum terrore reuelabitur, ipse est ab omnibus adorãdus, etiã ab angelicis exercitibus, id est, ab ijs qui sunt inter omnes creaturas præcellentissimi & nobilissimi: quanto magis à nobis hominibus adorari debet, qui illis multo sumus secundum naturæ dignitatem inferiores & ignobiliores? * audiuit hoc Sion, audiuit sancta Ecclesia hanc Christi prędicationẽ, hanc annunciationem, quòd Christus dominus sit adorandus solus, vtpote solus verus Deus & dominus, & contemnenda esse idola gentium, nimirũ vana: hæcque audiens, & corde fideli suscipiens, lætata est in Christo salutari suo, lætata est super Christi gloria & eiectione idolorũ atq; dæmonum. Audiens etiam sancta Ecclesia de ipsius aduentu ad iustum iudicium, gauisa est in spe bonæ retributionis. 9. Et exultauerunt omnes animæ fideles, omnes filij fidei & cõfessionis magna sunt affecti lætitia, propter tua æquissima iudicia, quibus tu iustissime domine decreuisti agere cũ humano genere, tã propter iudicia iusta, quibus in nouissimo die redditurus es vnicuique secundum opera sua: quàm propter iudicia, quibus iam pro mundo iudicasti, aduersus tyrannum diabolum. 10. Et merito sane te adorent angeli, merito in tuis iudicijs exultare debent homines fideles: quoniam tu es dominus excelsus & altissimus super omnem terram, tu es eleuatus & sublimis super omnes habitatores terrę: * valde tu exaltatus es super omnes qui vel sola hominum imaginatione & appellatione dij æstimãtur, vel etiam qui secundum participationem vere dij nuncupantur: hos omnes tu immẽso interuallo superas, nec est in dijs similis tui domine. 11. Vos proinde quicũque vere in dominum creditis, eumq; vere diligitis, qui solus est bonus & infinitè bonus, odio habete malitiam, & omnem execramini impietatem. Cùm enim ipse perfectè bonus existens, imò ipsa infinita bonitas, ex diametro pugnet cum malitia, oportet, si illum velitis diligere, odio habere iniquitatem. Non enim potestis simul & ipsum amare, & mala diligere: * eorum enim qui sic malum odiunt & fugiunt, ipse misericorditer & fideliter custodit, animas piorum atque sanctorum ipse saluat à malo, & custodit in vitam æternam, & de potestate omnium impiorum eos liberabit: nõ sinet eos venire in manus peccatorum qui ipsis quærunt malum, sed ab omni malo saluos faciet in suum regnum cę leste. 12. Iustis quoque peculiariter lux oritur, singulari illuminatione Dei donantur & visitantur qui studeut iustitię, diligentes dominum, & odientes iniquitatem: * & rectis ac mundis corde, quibus est affectus syncerus & cor purũ ab omni malitia, oritur lætitia, ex testimonio bonæ conscientiæ & securæ mentis, quæ est quasi iuge conuiuium, & super omnia ex continua Dei præsentia & inhabitatione. Beati enim mundi & recti corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Non possunt autẽ non plurimum lætari, qui sic mundo corde Deum iugiter conspiciũt. 13. Exultate proinde & lætamini in domino Deo vestro, quicunque diligitis iustitiam, & odio habetis iniquitatem, gaudete in domino semper, iterum dico gaudete: * & date confessionem ac laudem memoriæ sanctificationis vel sanctitatis eius: confitemini illi, rememorantes sanctitatẽ eius, qua ipse solus est sanctus in semetipso, super omnes deos, atque etiam sanctificationem, qua suos electos sanctificauit & sanctificat. Est enim in vtroque valde laudabilis, & quia ipse in se sanctus est, & quia sanctificator est fidelium.

Psal. 93. Psal. 113.

Prou. 15.

Philip. 4.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCVI.

VErsu 2. Iustitia & iudicium correctio sedis eius. Si correctionem acciperemus quomodo vulgo solet apud Latinos accipi, videlicet pro reductione ad rectitudinem, posset prętens locus sic intelligi, Omnis correctio quæ à sede eius procedit, iustitia est & iudicium, id est, secundum iustitiam & in iudicio. Sed ex Hebræo cognoscimus, correctionem isto in loco idem valere quod præparationem vel fundationem, aut stabilitionem aut ædificationem, siue in rectitudine fundationem aut rectam constitutionem. Vnde correctio sedis eius hic intelligenda est, ipsa fundatio aut recta situatio

Universidad de Deusto Biblioteca

siue cõstitutio regalis solij: vt quod hîc dicitur correctionẽ sedis eius esse iustitiam & iudicium, idẽ E
Psal.9. sit cum eo quod in alio Psalmo dicitur, Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbẽ terrã in æquitate. Iuxta quam sententiam, ex Hebræo vertit Hieronymus, Iustitia & iudiciũ firmamentum solij eius. Felix, Iustitia & iudicium, habitatio sedis eius, vel bases sedis eius. Quod autem nos de sede domini iudiciaria exposuimus in Elucidatione, posset etiam ad eam, quam in se habet quælibet fidelis anima, sedẽ Dei referre. Iustitia enim & iudicio præparatur in homine locus & sedes Dei. Nõ
Sap.1. enim intrabit Deus, neq; spiritus eius in maliuolam animam, in qua non est iustitia & iudicium: sed
Esa.66. requiescit super mitem & tremẽtem sermones suos, id est, super eum in quo est iustitia & iudicium. Sed illa expositio quæ in Elucidatione est posita, magis videtur facere ad propositum. ¶ Versu 3. Ignis ante ipsum præcedet. Hic versus cum aliquot sequentibus, æque commode possent exponi, vel de terrore eorum quę futura sunt ante aduentum, siue in aduentu iudicis, vel de iucunditate eorum quæ facta sunt post Christi resurrectionem, vbi ascendisset ad patris dexteram, accipere sibi regnum & imperium super orbem. Atque ob hoc, in Elucidatione per plures versus geminam constituimus intelligentiam, cõsueto duplicis intelligentiæ signo adiecto. Quòd si tertius hic versus de igne intelligatur terribili aduentus secundi, iterum ostendimus duplicẽ intelligentiã. Prior est de igne cõflagra-
2.Pet.3. tionis, per quã sancti Theologi in aduentu iudicis mundum dicunt purgandum: quemadmodum Petrus Apostolus in posteriori sua Epistola indicat, dicens: Adueniet autẽ dies domini vt fur in quo cęli F
Psal.49. magno impetu transient, elemẽta verò calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. De quo igne etiam in alio Psalmo dicitur, Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Hîc autem non videtur esse ille ignis æternus, de quo subinde loquitur Saluator in Euangelio. Non enim ille ad purgationẽ cælis aut elementis, sed ad punitionem & cruciatus
Matt.25. diabolo & angelis eius, præparatus est: quemadmodum in sententia domini dicitur, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. De hoc ergo igne cõflagrationis & purgationis prior est intelligentia. Posterior verò est de igne illo condemnationis æterno, qui (vt etiam diximus) diabolo & angelis eius paratus est, qui ante facie iudicis præcedere dicitur, non quòd prius tempore realiter debeat præcedere aduentum iudicis in mundũ, sed quomodo minister vel instrumentum exequendæ iustitiæ præcedere dicitur ante iudicem, quomodo gladius solet iudice præcedere, vt ministeriale instrumentum exequutionis iustitiæ. Quia enim ignis ille infernalis mox ad pronunciationẽ iudicialis sententiæ corripiet impios: & in eos ipso momento desæuiet, iccirco rectè
2.Thes.1. quasi cum iudice vel ante iudice aduenisse dici potest, Et iuxta hunc modum videtur etiam intelligendum, quod in Epistola posteriore ad Thessalonicẽses scribit apostolus Paulus, in hunc modum, Si tamen iustum est apud Deum retribuere retributionem ijs qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiẽ nobiscum, in reuelatione domini Iesu de cælo, cũ angelis virtutis eius, & in flãma ignis G
dantis vindictã ijs qui nõ nouerunt Deum, & qui nõ obediunt Euangelio. Nam si participium illud dantis iungatur cum genitiuo proxime præcedenti ignis (quæ connexio prima facie apparet cõmodior) videtur per ignem istum dantem vindictam intelligi ignis infernalis, per quẽ proprie vltio cõdigna exercebitur in reprobos. Nã ignis cõflagrationis, etiã si corpora impiorum possit breui momento interimere, animam tamen impiam non potest æterna punitione (quæ illam decet) affligere. Quare per ignem dantem vindictam, intelligẽdus videtur in citato iam Pauli loco ignis æternus, vt dicat Paulus, reuelandum dominum Iesum cum angelis virturis eius, & cum flãma ignis æterni vindicis. ¶ Versu 8. Adorate eum omnes angeli eius. Hunc locum Paulus Apostolus allegat, capitulo primo Epistolæ ad Hebræos, ad probandum Christum filium Dei esse angelis maiorem, ex eo quòd illum iubeantur adorare. Non adorat enim nisi minor maiorem. Adducens autem Paulus hunc locũ,
Heb.1. sic ait, Et cùm iterum introducit (videlicet pater) primogenitum in orbem terrę, dicit, Et adorent eũ omnes angeli eius. Ex qua citatione difficultas est, quid sibi velit quod ait, Et cùm iterum introducit pater primogenitum in orbem terræ. Dicendum est, quòd iccirco hoc dicitur, quoniam in illo Psalmo mentio fit de regno Christi quod ei datum est à patre, morte deuicta, Vnde & initium Psalmi sic habet, Dominus regnauit, exultet terra. Quod si prędicta in versibus prioribus exponantur de terribili aduentu domini ad iudicium, rectè dicitur iterum introduci à patre in orbem terrarũ ad ipsum H
Ioann.5. iudicandum: quoniã venturus est in gloria patris sui iudicium exequuturus, per potestatem à patre
Ibidem. sibi datam, quemadmodum apud Ioannem dicitur, Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Si verò prædicta intelligantur tantum de conuersione populorum per Euangelicã prædicationem, dicitur introduci filius à patre in orbem terrarum, quatenus ita Christus regnum recuperauit in populis, vbi prius idola colebantur, & ipiè ignorabatur. Quid autem per Sion & per filias Iudæ intelligatur, ex Elucidatione patet & plenius diximus in Psalmo quadragesimoseptimo circa versum illum, Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua domine: vbi etia prolixius ostendimus, quare gaudendum sit monti Sion & filijs Iudæ propter hæc domini iudicia. ¶ Versu 12. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Nos in Elucidatione lucem illam, quæ intra mentes iustorum oritur, indicauimus accipiendam, consimilemque in posteriori parte lætitiam. Posset verò & de futura illa plenitudine lucis ac gaudij exponi, præteritum accipiendo pro futuro, vt sit sensus, Lux æterna lucebit, & orietur iusto, & rectis corde
Esaiæ 35. & 51. orietur sempiterna & inæstimabilis lætitia quemadmodum in alio loco dicitur, Lux perpetua lucebit sanctis tuis domine. Et iterum, Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Ad quem sensum rectè quadraret quod ex Hebræo vertit Felix, & alij quidã, Lux iusto vel seminata est iusto, & rectis corde lætitia. Nunc enim iusto lux illa seritur, nunc seminatur, quia nondum

A nondum iustus eam metit, nondũ ea perfruitur, sed ad eam aliquando suscipiendam & acquirendam præparatur, & modo quodam nunc illi seritur, & seminatur vt suo tempore metatur tam lux plena, quàm perfecta lætitia. Quemadmodum enim quod seminatum est, in occulto latet, & nondum apparet quid futurum sit, postmodum verò in tempore suo caput effert, seq; manifestat: ita nunc lux & lętitia beatorum seminatur & occultatur, vt aliquando lucis plenæ & perfectæ lętitiæ fructus inde metatur. De qua re, pulchre dilectus discipulus ita loquitur discipulis, Charissimi, nunc filij Dei sumus & nondum apparuit quid erimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus 1.Ioan.3.
eum sicuti est. Quasi dicat, Mira quidem gloria vobis iam seminata est, sed nondum enata est, nondũ apparuit, Neque male consonat huic expositioni quod in Chald. Parap. dicitur, Lux quieuit, & reposita est iustis, quo modo beatus Petrus hæreditatem illam incorruptibilem, incontaminatam, & im- 1.Petr.1.
marcescibilem, dicit conseruatam in cælis, & salutem ait paratam reuelari tempore nouissimo.

XCVII. PSALMI ARGVMENTVM.

HAbet Psalmus iste argumentum idem cum præcedentibus. Est nanque inuitatio ad laudem Dei pro mirabilibus per eum patratis mundo q; exhibitis inter quæ, præcipua est salus illa quam Deus per suæ diuinitatis dexteram voluit operari, & in conspectu omnium gentium manifestari, propter misericordiam & veritatem suam. Post quæ paucis enarrata, à versu sexto vsque ad finem, nihil aliud quàm inuitatio ad laudem, ad iubilationem, ad cantica ponitur, non hominum tantum, verumetiam maris, & omnium quæ in eo sunt, terræ & omnium quæ in ea fluminum & montium, propterea quod ipse venit iudicare terram. B

NONAGESIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Cantate domino canticum nouum:*
* *quia mirabilia fecit.*
2 *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.*

C

3 *Notum fecit dominus salutare suum:*
* *in conspectu gentium reuelauit iustitiã suã.*

4 *Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israël.*

D

5 *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

6 *Iubilate Deo omnis terra:*
* *cantate, & exultate & psallite.*

CAntate domino in alacritate cordis carmen nouum nouæ laudis, & insoliti gaudij canticum illi depromite de plenitudine æterni gaudij: * fecit enim miranda, & quæ nouis peculiaribusque canticis decantentur dignissima. 2. Et licet multa admodum sint Dei opera miranda, quæ ipse patrauit ab initio sæculi in rerum omnium creatione & sapientissima administratione siue gubernatione, peculiariter etiam in admirabilis generis humani directione ab initio sæculi. illud tamen omnia superat, & quasi obscurat quod in nouissimis diebus in temporis plenitudine operari dignatus est, in redemptione humani generis: quando omnipotens dextera eius, pro sua voluntate salutem est operata, & sanctum brachium eius fecit salutem magnam in populo & pro populo suo, quando per suam potentiam genus humanum de captiuitate & seruitute durissima redemit. 3 Hanc autem salutem sic sua dextera perfectam, Dominus voluit reuelare, & notam facere, ac prædicare in omnibus populis: ipsum quoque salutare, ipsum Saluatorem Christum filium suum, per quem tantam fecit salutem, mundo voluit notum facere: * iustitiam suam prædicari fecit, & notificari in conspectu omnium populorum, iustitiam suam, iustitiam quæ est ex fide, & per fidem in Christo filio eius, sanctos Apostolos suos prædicare fecit, & notificari in omnibus populis. * Notum etiam Roma.3.
fecit salutare suum & auxilium suum, in exhibitione salutis quam contulit mundo: & in hoc aperte monstrauit suam iustitiam, per quam genus humanum redemit de manu & tyrannide iniuste ipsum opprimẽtis. 4. Recordatus est dominus misericordiæ & fidei siue veritatis suæ: ipse qui per multa anteacta sæcula oblitus videbatur misericordię, obfirmatam habens iram suã aduersus genus humanum: & qui suam fidẽ videbatur negligere aut violare, non exhibendo quondam promissa patribus Abraham, Isaac, & Iacob, ipse tandem in temporis plenitudine curauit suæ misericordiæ satisfacere, & suam fidem liberare, seque veracem & fidelem in promissis, operis exhibitione demonstrare: sicque velut recordatus est misericordiæ & veritatis suæ erga domum Israël, super populum fidelem, verum ex fide semẽ Patriarcharum, quibus fuerat facta repromissio. 5. Neque verò hæc salus intra Iudææ angustos limites delituit, neque intra tam angusta spatia fuit occultata, licet in Iudæa fuerit orta & perfecta: sed nota facta est & diuulgata per Apostolorum prædicationem, hæc salus simul, & ipse Saluator qui eam operatus est, in vniuersos terminos terræ, ab oriente vsque ad occidẽtem, & à septentrione vsque ad meridiem. Siquidem in omnem terrã exiuit salutis huius prædicatio, & vbique terrarum salus hæc agnita fuit. 6. Proinde omnes qui inhabitatis terram, Deo (qui tam miranda pro vobis in temporis plenitudine operari dignatus est) in cordis vestri lætitia iubilate: * cordis quoque lætitiam vocalibus canticis declarate, exultantes insuper gestibus etiam corporis lætitiam exhibete &

Universidad de Deusto
Biblioteca

psalmos illi de mirabilibus editis facinoribus componite & canite. E
Omnium enim est hoc cõmune gaudium, vniuersalis est omnium hæ
lætitia & exultatio, quoniã omnibus salus ista facta & annunciata est
7. Imperfectum verò gaudij testimonium, etiam musica adhibete ve-
stris laudibus instrumenta, cõcinite illi in citharis, nablis, & alijs ad e-
rem aptis musicis instrumentis:* in citharis simul adiuncta voce cant-
ci, sic vt manu contingente musicum instrumentum lingua non cesset
à laudibus, sed modulationem aptam simul decantet, quę sono instru-
menti suaui melodia respondeat:* in tubis quoque ductilibus, ad con-
cinendum in vocis fortitudine, & in clangore concrepantis buccinæ,
siue tubæ corneæ, cuius est sonus fortis ac prævalidus. 8. Iubilate in
conspectu regis nostri domini, qui videlicet rex noster & dominus est
rex regum & dominus dominantium: iubilate coram eo, laudes con-
cinite, vt dignum est tanto ac tali domino iubilari à nobis, qui eius su-
mus plusquam seruissimi serui:* & quoniam non est vniuersa terrarum
habitatio, neq; tota rationalis creatura sufficiens ad dignæ laudis perso- F.
lutionem, atque iterum quia omnis creatura vna cum homine merito
debet collætari & congaudere, iccirco & cæteras creaturas omnes iu-
stum est pro suo modulo laudare dominum. Itaque mare suorum col-
lisione siue collusione fluctuum sõnitum edat, & tonet, pro suo modo
sic collaudans dominum, simul & omnia quæ in ipso sunt: vniuersus
quoque orbis terrarum cum omnibus suis inhabitatoribus, cum om-
nibus quæ in eo sunt, pro suo vnumquodque modo laudem canat do-
mino. 9. Flumina quoque exultabunt, & quasi plaudẽt manibus in dul-
ci allusione fluctuum: simul etiam montes quasi exilient & exultabunt
à præsentia domini, denique cæli & terra & omnia quæ in eis sunt, om
nia præ gaudio gestient, à præsentia aduenientis domini:* quoniam ad
hoc veniet in temporis plenitudine, vt iudicet terram, vt faciat iudiciũ
mundi, vt principe mundi diabolo eiecto, ipse regnet in domo Iacob
in populo suo inæternum, eosque regat, pascat, & iudicet imperpe-
tuum. 10. Iudicabit pro orbe terrarum, & reget eum in iustitia, & popu
los omnes in æquitate. Non enim regnabit in tyrannide & iniustitia, G
vt ille pater mendacij, mũdi rector tenebrarum harum, sed in omni-
moda æquitate regnabit super populum suum:* In iustitia quoque fa-
ciet pro orbe terrarum iudicium, aduersus iniquum mũdi principem,
& liberabit populos in æquitate sua de oppressione iniqua.* Denique
& in nouissimo die, in iustitia iudicabit totum orbem terrarum, reddi-
turus vnicuique pro operibus condignam retributionem.

7 *Psallite domino in citharа:*
* *in citharа & voce psalmi:*
Apoc.19. * *in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ.*
8 *Iubilate in conspectu regis domini:*
* *moueatur mare & plenitudo eius orbis terrarum, & qui habitant in eo.*

9 *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu domini:*
Ioan.12. Luc.1. * *quoniam venit iudicare terram.*
10 *Iudicabit orbẽ terrarum in iustitia, & populos in æquitate.*
Luc.8. Ephes.6.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCVII.

VErsu 2. Saluauit sibi dextera eius. Datiuus ille sibi, facit difficultatem in oratione. Nos in Elucidatione indicauimus, sibi positum esse, acsi diceretur, iuxta suum placitum, vel iuxta quod voluit: saluauit autem, pro salutem fecit, vel salutem operatus est: vt sit sensus. Dextera eius iuxta suum bene placitum, salutem est operata. Alij verò putant, vulgatam lectionem male habere casum dativum: pro datiuo autem constituendum accusatiuum, ad hunc modum, Saluauit eum dextera eius quo modo habet Romanum Psalterium, sicut in Græco legitur, ἔσωσεν αὐτὸν ἡ δεξιὰ αὐτοῦ, hoc est, Saluauit ipsum dextera eius. Cuius lectionis sensus est, Dextera Christi, id est, diuinitas Christi, saluauit H
ipsum, hoc est, à morte fecit saluum, & ad vitam resurgere, & brachium sanctum eius saluauit ipsum. Beatus tamen Hieronymus ita vertit, vt habet nostra lectio Gallicana, De hoc quoque nonnihil dicemus in annotationibus ex Hebræo. ¶ Versu 3. In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Potest intelligi iustitia, qua ipse Deus in se iustus est: quam in conspectu gentium reuelauit, quando principem tenebrarum iuste condemnauit, & sibi regnum resumpsit orbis terrarum. Iterum, suam iustitiam, qua in se iustus est, reuelauit in conspectu gentium, quando per Apostolicam prædicationem omnibus hominibus per vniuersum orbem eam fecit notam. Potest aliter intelligi iustitia Dei non illa qua in se ipse iustus, sed illa qua homo coram Deo iustus est, de qua Paulus ait, Nunc autem
Roma.3. iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis. Et iterum, Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Atque hanc iustitiam adueniens dominus per Apostolicam prædicationem reuelauit in conspectu omnium gentium, quando Apostolos suos fecit, prædicare ac dicere, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. ¶ Versu 4. Recordatus est misericor-
Marc.16. diæ suæ, & veritatis suæ domui Israël, Quòd dominus dicitur recordari, manifestum est hoc ita dici secundum similitudinem humanæ recordationis, sicut per oppositum interdum dicitur obliuisci, quando ad modum obliuiscentis se habet. Cùm enim promissa dissimulat, multumque tardat persoluere, iustitiæ & fidei suæ videtur oblitus: & cùm misericordiam non exhibet, videtur oblitus misericordię. At verò vbi misereri cœperit, & promissis facere satis, dicimus eum recordari misericordię & veritatis, quomodo etiam in cantico virginis matris dicitur, Suscepit Israël puerum suum, recordatus

A tus misericordiæ suæ: vbi & recordatio veritatis innuitur, cùm subsequenter adiungitur, Sicut loquutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula. Et in suo cantico Zacharias, Deum Luc.1.
parentem in filio suo salutẽ mundo, hoc agere dicit, ad faciendam misericordiam cum patribus no- Ibidem.
stris, & ad memorandũ testamenti sui sancti, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. Ita ergo recordatus est dominus in hac hora nouissima misericordiæ & veritatis suæ. Ille autem datiuus, domui Israël, secundum commodiorem constructionem iungatur cũ verbo recordatus est, ad hunc sensum, Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ erga domũ Israël, siue, vt vertit Felix) pro domo Israël, id est, ad faciendam misericordiam & veritatem cum domo Israël. Posset etiã intelligi promissam domui Israël: sed absq; aliqua subauditione, sensus prior apparet melior. ¶ Versu 9. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt. Aduerbium simul ab aliquibus iungitur cum præcedentibus, hoc modo, Flumina plaudent manu simul: ac deinde, montes exultabunt. Nos in Elucidatione iunximus cum sequentibus, hoc modo distinguentes, Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt. Quam distinctionem etiam sequitur versio Felicis, Flumina plaudent palma, sicut montes exultent. Hebraica lectio ad vtranque connexionem est indifferens.

XCVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

B *IN hoc etiam Psalmo, vt in præcedentibus exhortatio ponitur ad reuerentiam Dei sedentis super Cherubim & laudem magni nominis eius, cuius honor diligit iudicium, qui parat directiones populo suo, cuius etiam scabellum pedum vt sanctificatum ab eo qui illud calcat, dicitur adorandum. Versu autem sexto, patrum quorundam exempla proponit, nominatim mẽtionem faciens Moysi Aaron, & Samuel: qui quoniam dominum fideliter inuocabant, eius q; præcepta diligenter obseruabant iccirco familiari Dei etiam alloquutione digni sunt habiti, fuerunt q; exauditi in precibus suis, & iram potuerunt Dei aduersus populum suum irati mitigare, vt leui disciplina paterna peccatis populi tantum punitis, non penitus reprobarentur: quemadmodum alijs solet gentibus contingere, qui in suis adinuentionibus impune permanere & pergere sinuntur, iusto Dei iudicio, vsque in diẽ extremæ vltionis. Vltimo autem versu iterum laudis replicat exhortationem.*

NONAGESIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Dominus regnauit, irascantur populi:*

DOminus Deus noster regnum & imperium tenet: irascantur, indignentur, & commoueantur vt voluerint incredulæ nationes, velint nolint, ferre debent eius imperium, & regem debent eum atque dominum agnoscere, quantumuis reluctentur & contradicere, videantur:

C * *qui sedes super Cherubim, moueatur terra.*

* qui sedes super Cherubim, qui præsides angelicis exercitibus, & cælestes illos spiritus habes velut sedem, super quam requiescit gloriæ tuæ maiestas: qui etiam in vereri illa area tabernaculi, super propitiatorium inter duo Cherubim locum visibilem tibi olim delegisti, ad signum eius sedis quã habes gloriosam inter cęlestes exercitus in cælis: à facie tua commoueatur omnis terra, æquum est vt te omnes reuereantur & timeant qui terram inhabitant.

2 *Dominus in Siõ magnus & excelsus super omnes populos.*

2. Dominus qui est in Sion, in populo fideli ipsum agnoscite, qui in Ecclesia sancta inhabitat, ipse per omnia magnus est & excelsus super omnes populos, ita vt in omnibus gentibus nemo sit qui illi possit comparari, estque excelsior & sublimior omnibus, sicut rex omnibus est celsior in regno suo. 3. Quapropter tuo magno nomini, ô rex altissime, cõfiteri debent omnes populi tuo subiecti imperio: quoniam nomen tuũ sanctum est atque modis omnibus venerabile, nomen est super omne

3 *Confiteãtur nomini tuo magno, quoniã terribile & sanctum est.*

D * *& honor regis iudicium diligit.*

nomen, in quo flecti debet omne genu cælestium, terrestrium & infer- Philip.2.
norum: quod q; ab omni creatura debet immẽsis efferri præconijs, vt-
pote ab ortu solis vsque ad occasum laudabile & benedictum in sæcu- Psal.112.
la: * & honor regis nostri, regia dignitas, & imperatoria maiestas eius, qua præeminet omnibus, diligit iudicium, expoſcit & exigit hoc à nobis, vt in iudicio & iustitia illi seruiamus, quomodo æquum est. Vult enim tantus rex iusta & munda seruitia exhiberi sibi, & seruos iustos requirit, quomodo ipse iustus est, & omnia quę facit, in vero facit iudicio. 4. Et quia diligis tu domine iudicium iccirco parasti populo tuo

4 *Tu parasti directiones:*
* *iudicium & iustitiã in Iacob tu fecisti.*

directiones, dedisti seruis tuis præcepta atque mandata tua quibus in iudicio atq; iustitia dirigantur: * tu fecisti in Iacob, in populo tuo, iudicium & iustitiã, tu ipse cum eis iuste in omnibus egisti in iudicio & iustitia: & vt similiter agerent ipsi, tam erga te q̃ erga proximos, voluisti, atque mandasti. 5. Exaltate, ô populi omnes, & magnificate dominum

5 *Exaltate dominum Deũ nostrũ, et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.*

Deum nostrum, & procidite ante thronum gratiæ eius, humiliãtes vos corã scabello pedũ eius, quasi prostrati ante pedes eius: quoniam sanctum & honorandũ est quicquid ad ipsum attinet, etiã si infimũ fuerit, quemadmodum est pedum scabellum. Tam enim sanctus est dominus vt quicquid ad ipsum spectat, sanctum sit, adorandum q; & venerandũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 *Moyses & Aaron, in sacerdotibus eius:*
1.Reg.3. * *& Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.*
7 *Inuocabāt dominū, et ipse exaudiebat eos:*
Exod.33. Num.12. * *& in columna nubis loquebatur ad eos.*
8 *Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis.*
Psal.17. Psal.144. 9 *Domine Deus noster tu exaudiebas eos:*

* *Deus tu propitius fuisti eis:*

Exod.32. Num..16.

& vlciscens in omnes adinuentiones eorum.

10 *Exaltate dominū Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius:*
* *quoniam sanctus dominus Deus noster.*

etiam quod infimum reputatum fuerit: quemadmodum regis magnifici non solum corona, quam in capite gestat, honoratur, nō solum pallium quo est circumamictus, verumetiā calciamenta pedum eius, imò scabellum throni eius. 6. Moyses & Aarō erant de numero sacerdotum eius: qui colebant eū, erant specialiter Deo sacri: ille quidē à Deo specialiter consecratus, vt legislator fieret & ordinator atq; minister legalis sacerdotij: hic verò vnctus à fratre suo Moyse: ex ore domini etiam visibiliter, & sacerdotalibus adornatus vestibus: * & Samuel prophetæ domini, erat de numero fidelium seruorum, qui cognoscunt per fidem & inuocant ex fide & conscientia bona nomen domini, Samuel fidelis minister corā fuit domino. 7. Isti patres nostri, egregia virtutum exempla, inuocabant dominum, orantes tā pro se quàm pro commisso sibi populo: & dominus benignū se illis exhibuit, exaudiens orationes eorum & postulata concedens: * imò etiā familiarem suam societatem ad illos ostendit, loquens ad illos (Moysen & Aarō) de colūna nubis, quæ apparebat super tabernaculum, sic illos suo speciali colloquio singulariter honorans, coram populo suo. 8. Ratio autem quare sic ipsi exaudiebantur orantes, & quare sic diuino honorarentur colloquio hæc erat, quia obedientes fuerunt præceptis dominicis. Custodiebant enim testimonia eius quibus cōtestatus fuerat populum, id est legem & omnia præcepta quę illis obseruanda tradidit. 9. Et quoniam sic obedientes & fideles fuerunt in adimpletione tuæ voluntatis, iccirco vicissim te illis benignum exhibuisti dominum, qui cum sancto sanctus es, & cum innocente innocens, & cum electo electus, qui voluntatem facis te timentium. Iccirco, inquam, tu domine Deus noster illos benignè exaudiebas in omnibus quæ à te postulabant, siue pro sua, siue pro populi sui salute: * ostendisti quoque te illis benignum & propitium, dimittens propter illorum precem peccata populi: siquando te offendisset populus, illis pro eo orantibus, tu flexus fuisti ad misericordiam, dimisistiq; illis peccatum, quemadmodū orante Moyse populus quē delere voluisti saluatus fuit, & Aarō offerente thus in thuribulo plaga incendij cessauit: * & in singulare beneficium, hoc eis contulisti, quòd populum eorum pro quo supplicabant, nō permittebas diu impunè agere in peccatis, vt tandem in die iudicij super eos adduceres cōdemnationis sententiā, quomodo cum reprobis gentibus agis quæ te ignorant: sed in omnia opera eorum mala, quæ ipsi secundum malitiā cordis sui adinuenerunt, vt te offenderent, te exhibuisti seuerum vltorem & vindicem, vt cogerentur vltionis tuæ præsentia, quātocyus ab excogitatis vel cœptis desistere. 10. Exaltate & magnificate dominum Deū nostrum, & adorate eum in mōte sancto eius in quo habitat, in Ecclesia: siue hac militante, per fidem excelsa, & per spem atque charitatem firma & immobili: siue illa triumphanti, per apertam Dei visionem & perfectā fruitionē altissime sublimata, & immobiliter firmata: * quoniā dominus Deus noster sanctus est, & super omnes solus sanctus ac summe metuendus: propter quod, omni laudis & honoris exaltatione semper est dignissimus, neq; pro dignitate satis vnquā potest exaltari.

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCVIII.

VErsu 1. Qui sedes super Cherubim, moueatur terra, Quomodo dicatur Deus sedere super Cherubim, diximus in Psal. 79. in versu illo, Qui sedes super Cherubim manifestare corā Ephraim, Beniamin & Manasse. Quidam autem hoc loco pro secunda persona, ponunt tertiam, legentes, qui sedet: coniungentes istud, qui sedet, ad principium versus, hoc modo, Dominus qui sedet super Cherubim, regnauit, irascantur populi, moueatur terra. Alij repetūt verbum regnauit, hoc modo, Dominus regnauit, irascātur populi: qui sedet super Cherubim regnauit, moueatur terra. Nos sub secunda persona absque repetitione ista coniunximus, ad hunc modum, Qui sedes super Cherubim, ô magne Deus, à facie tua moueatur terra. In Hebræo, similiter & in Græco, participium est, acsi dicatur iuxta Hebræum, sessor Cherubim, vel insidens Cherubim: aut iuxta Græcum, sedens super vel in Cherubim. ¶ Versu 2. Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos. Duplici distinctione hoc legi potest. Primò, ad hunc sensum, Dominus qui est vel habitat, vel colitur in Sion, à populo suo filij Deli, ipse est magnus & excelsus super omnes populos, hoc est, Deus Israël, est rex magnus super omnem terram. Secundo ita distingui potest, Dominus est in Sion magnus, & excelsus est super omnes populos vt dominus Deus dicatur magnus esse & laudabilis valde in suo populo, & nihilominus super omnes populos excelsus. In Sion enim magnus est, dum se glorioſe in suo populo magnificat, in mirabilibus quæ pro eo potenter & magnifice operatur. Excelsus verò est etiam super omnes populos, quoniam in manu eius sunt omnes fines terræ, & ipse pleno imperio dominatur omnium.

Psal.79.

Psal.94.

omnium. ¶ Versu 3. Et honor regis iudicium diligit. Istud iudicium quod diligit Deus, intelligere possumus in nobis ipsis, vel in Deo. Honor regis diligit in nobis iudicium, quia dignitas & maiestas Dei nostri exigit à nobis & in nobis seruis suis iudicium, videlicet vt in iudicio illi seruiamus. Iustum enim est, vt tam magnifici domini & tam summi regis ministri, in iustitia & iudicio satagant perficere suū ministerium. Vnde illud toties veteri illi populo in legislatione replicatū, Ego dominus, Sancti estote, quoniā ego sanctus sum. Et in lege gratiæ, nouo populo nouus præceptor Christus dominus, Estote (inquit) misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est. Estote vos perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est. Iterum verò secundum hanc intelligentiam, iudicium accipi potest pro æquitate & rectitudine iustitiæ, vt iam expositum est: vel etiā pro iudicio quod diseretionem solemus appellare. Exigit enim honor magnificentissimi & regis nostri, vt illi cum magno iudicio, cū magna diserētione & attentione seruiamus, non quomodo vili alicui aut plebeio domino seruiri solet, sed cum magno timore & tremore, cum magna alacritate, diligētia, solicitudine, & reuerentia, tāquā illi qui est omnium rex supremus, & quo est nemo celsior: vt ob hoc merito summo cum honore illi debeat seruiri. In quem ferè sensum scribens Corinthijs Paulus, vult sanctissima mysteria corporis & sanguinis domini sumentes, cum iudicio manducare, dum ait, Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini, non dijudicans corpus domini: quia scilicet non cum iudicio debito accedit ad sumenda tā sacrosancta mysteria, tam sacrum panem, tā sacrum vinum: panem nō panem, sed corpus filij Dei: vinum nō vinum, sed sanguinem vnigeniti patris. Idcirco enim non dijudicat sufficienter qui indignè accedit, quia absque debito iudicio, nō discernens hunc panem tam sanctum à pane cibario & crasso, quem in publicis conuiuijs vulgo māducant homines: nec illum sanctissimum sanguinem aliter sumit, quàm vinum quod è penu depromitur. Atque ita sanè perquàmplurimi inueniuntur, qui seruiunt quidem Deo, quantū exterius videri potest: sed absque debito iudicio, absq; necessaria diserētione. Nō enim qua oportet reuerentia, non qua oportet alacritate & promptitudine bonæ voluntatis, non qua oportet integritate bonæ intentionis, non qua oportet sedulitate bonæ operationis: sed cum pigritia, torpore, fastidio, simulatione, tanquam si alicui temporali domino ad mercedem pauculam inseruiret: imo (quod nullis vnquā lachrymis satis defleri potest) multo etiam minori fidelitate & sedulitate, quàm huiusmodi mercenarij dominis: à quibus vili tātum sunt mercede cōducti, nullo autem vinculo alio obligati. Veros autem Dei seruos oportet cum magno iudicio, suæ seruitutis obsequia præstare, vigilantissime scilicet discernentes & dijudicantes attentissime, quanto hic dominus omnibus tēporalibus dominis superemineat, quanto hic rex omnibus sit regibus terræ excelsior, quāto hic Deus super omnes deos sit in immensum eleuatus, quanto sit omnibus potentibus potentior, quāto omnibus terribilibus potestatibus terribilior, quanto denique amabilibus omnibus ipse in immensum amabilior: ne satis putent, vt plebeio alicui terreno, corruptibili vel tēporali domino, ita huic cælesti immortali & æterno seruire. Omnino enim hoc iudiciū requirit à nobis Dei honor & magnificentia, quomodo & sanctus homo Dei Moyses sibi cōmissum populū adhortabatur, dicens. Non est alia natio tam grādis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis: sic videlicet ex honore regis, illos exhortando ad iudiciū. Potest verò (vt ab initio annotationis cœpimus dicere) iudicium istud intelligi in ipsomet Deo, ad hunc sensum, Honor regis amat iudicium, maiestas Dei amat iustitiam, & omnia vult agere in iudicio, amplexatur iudicium, gaudet iustitia, nihil potest agere absque iudicio, siue contra iustitiā. ¶ Versu 4. Tu parasti directiones. Psalterium Romanum habet pro directionibus, æquitatem, Tu parasti æquitatem: Idem autem per vtrunq; intelligitur, videlicet mandata domini: quæ æquitas dicuntur, quoniam in æquitate & iustitia fundantur, & quia nō nisi quod æquū & iustum est, præscribunt. Propter quod, Psal. 118. dicitur, Omnia mandata tua æquitas, Et rursum, Aequitas testimonia tua in æternum. Directiones verò appellantur, quia hominem ad Deum dirigunt, & in agendis ducatum præstant, quemadmodum Psalmo suprà citato dicitur, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumē semitis meis. Pro eodem etiam accipi potest iudicium & iustitia, in parte sequenti, cùm dicitur, Iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti. Vel sic intellige, Præcepisti fieri iudicium & iustitiam in Iacob. Vel sic, Tu ipse fecisti in populo tuo iudicium & iustitiam. Sed priora videntur magis conuenientia, & melius cum præcedentibus cohærent. Quòd enim honor regis diligat iudicium, inde manifestè apparet, quod ipse fundauerit æquitates, quòd legem dederit suo populo, & quòd præceperit fieri iudicium & iustitiā in populo suo. Nisi enim honor regis diligeret iudicium, non præcepisset iudicium & iustitiam fieri, neque legem tulisset, quæ monstrat quid iustum atque iniustum. ¶ Versu 5. Et adorate scabellum pedum eius. Præter expositionē in Elucidatione posita, per scabellum pedum domini intelligi etiam potest arca fœderis, Quia enim super propitiatorium quod erat operculum arcæ, inter duo Cherubim, sedem habere & habitare dicebatur dominus, rectè proculdubio dici potest arca, scabellū pedum eius. Erat enim quasi sub sede Dei. Atq; hæc arca sancta erat, nimirum à Deo specialiter sanctificata, & adeò sancta, vt eā tangens Oza morte fuerit percussus: & qui eam nudam conspexissent, morte punirentur subitanea. Attamen cū ipsa adorari iubetur, non debet intelligi proprie dicta adoratio, quę non nisi Deo debet attribui, vtpote enti primo & supremo domino: sed adoratio improprie debet accipi pro specialis honoris exhibitione, quomodo frequenter in sacris historijs inuenimus homines adorare seinuicem, quod nō nisi cuiusdam reuerentiæ magnæ significat exhibitionem. Quidā verò, adorate scabellum, accipiunt loco huius, adorate ad scabellum, vel ante scabellum, vel corā scabello eius, vt intelligatur adoratio proprie dicta ipsius Dei, non arcæ tamen adoratio, sed Dei super arcam sedentis: quemadmodum nos Christia-

Deut.4.

Pſal.118.

2.Reg.6. Num.4.

Universidad de Deusto Biblioteca

stiani, Deum sub admirabili sacramento latentem adoramus, & ad locum vel ante locum, vel versus E
locum illum in quo sanctissima illa mysteria cõseruantur, adorationis exhibemus reuerentiam: non
ipsum tamen locum adorantes, id est, ligna, lapides, aut claustra, sed ipsum quem illo in loco pro sua
arcanissima bonitate credimus seruari. Secundum hanc verò intelligentiam, mystice per arcam accipere
nobis licebit Ecclesiam sanctam militantem, quæ est velut scabellum pedum domini: vt cælestis illa
Ecclesia triumphãs, hac ratione eius sedes potest appellari, & huic illa sit subiecta, quasi inferior su-
periori, quemadmodum scabellum subiectum est sedi. Vel intelligi potest ipsa Christi humanitas quę
est scabellum pedum inhabitantis diuinitatis: in qua videlicet inhabitat & requiescit diuinitas. Nos
in Elucidatione nullum horum sequimur, sed secundum considerationem similitudinis, dicimus si-
gnificari maximam reuerentiam, vt summo domino exhibendam, cùm præcipitur etiã scabellũ pe-
dum eius esse adorandum & honorandum, quemadmodũ satis diluciде illic ostendimus. ¶ Versu pe-
nultimo, Deus tu propitius fuisti eis, & vleiscens in omnes adinuentiones eorum. Nos in Elucidatio-
ne ista ad populum retulimus, cui illi præerant sacerdotes, de quibus prius factus est sermo, quèad-
modum & Chaldæa indicat Paraph. cùm ait, Deus, tu propitius fuisti populo, propter eos. Atque ita
istud, Propitius fuisti eis, valet, Propitius fuisti populo, propter illos. Nam de Moyse manifestum est,
quomodo frequẽter iram à populo auerterit suis precibus, neq; semel parcitum sit multitudini ipso
Num. 16. deprecãte pro illa. De Aarõ autem Num. 16. legitur, quòd plaga incendij, incensi oblatione & preci- F
bus cessare fecerit. De Samuele verò, quòd ad Dei placandam iram multum potens fuerit, vel illud
Hier. 15. indicat, quod apud Hieremiam ex ore domini dicitur, Si steterint corã me Moyses & Samuel, nõ erit
anima mea ad populũ istum. Quod autem sequitur, Et vleiscens in omnes adinuentiones eorũ, simi-
liter ad populum referimus, idq; secundum duplicem intelligentiam. Quarũ prior in Elucidatione
exprimitur, & in magnum beneficium Deus populi peccantis peccata ad pręces Sanctorum tantum
disciplina paterna puniuit, vt cauerent impostorum, & nõ impuniti peccarent licentius, ne ita in totũ
eos abijceret. Altera verò est, secundum quam per adinuentiones istas populi intelligimus opera ma
la, quæ contra sanctos à Deo sibi præfectos, Moysen, Aaron, & Samuel, excogitauerunt, videlicet re-
belliones & seditiones cõtra ipsos excitatas: quemadmodum Chore, Dathan, & Abyron seditiosi cõ-
Num. 16. tra Moysen & Aaron, misere perditi sunt, cum tabernaculis suis, viui absorpti à terra. Deinde ducen-
ti & quinquaginta quinque offerentes incensum, igne consumpti. Dehinc & illa. 14. milia, quæ cõtra
Ibidem. Moysen & Aaron, propter prædictorum mortem, seditionem excitauerant. Atque ita adinuentiones
eorum intelliguntur adinuentiones contra illos, id est, mala consilia excogitata contra sanctos do-
mini. Sicut enim fuit dominus populo propitius propter orationes sanctorum, ita & ira commouc-
batur aduersum illum, quando contra sanctos ipsius seditionibus atque murmurationibus insurge-
bant. Quidam tamen ista intelligunt de propitiatione & punitione propriorum peccatorum ipsius G
Moysi, Aaron, & Samuelis. Moyses enim peccauit ad aquas contradictionis, non sanctificando domi-
num coram filijs Israël. Aaron præter hoc, etiam in conflando vitulũ. Samuelem verò dicunt peccas-
se in hoc, quòd non sufficienter filios peccantes corripuerit. Atque ira Dei significatur districtum iu
dicium, quo etiam sanctis suis ab vltione non pepercit, si quando aduersus ipsum deliquissent.

XCIX. PSALMI ARGVMENTVM.

*Exhortatio est Psalmus iste, vniuersos terræ habitatores conuocans ad lætandum & exultandum in confes-
sione domini, qui est omnium creator vnus & conditor, cuius misericordia nunquam deficiet, neque veri-
tas vsque in consummationem sæculi.*

XCIX. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Iubilate Deo omnis terra, seruite domino in lætitia.*

2 *Introite in conspectu eius in exultatione.*

3 *Scitote, quoniam dominus ipse est Deus:*

* *ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

CVm iubilo cordis laudate dominum vniuersi habitato-
res terræ, & seruite illi in cordis lætitia. Non exigit à ser
uis suis vt in tristitia aut seruili terrore sibi seruiant, sed
populum amat qui nouit iubilationem, qui scit exulta- H
re semper in nomine eius, & alacrem de hilari corde
præstare seruitutem. 2. Venite, accedite ad eum in cor-
dis deuotione, & introgrediamini ante conspectum eius: non quasi an-
te morosum & difficilem dominum, trepidi & anxij serui in tristitia
& seruili solicitudine, sed cum exultatione liberæ conscientiæ, tan-
quam filij ante patrem pijssimum, pastoremque benignissimum.
3. Illud enim vobis sciendum est, & etiam atque etiam profunda men-
te recogitandum, quòd dominus, ad cuius confessionem nunc vos
exhortor, ipse est solus verus Deus, & præter eum non est alius: ipse
est, quo nihil est maius, nihil prius, nihil dignius potest cogitari: * ipse
nos fecit de nihilo, vt essemus aliquid: & totum hoc esse quod in no-
bis est, & tam nobile esse, quo cæteris omnibus supereminemus cor-
poreis creaturis, ipse donauit nobis: & nequaquam nosmetipsos feci-
mus, neque à nobisipsis habemus quicquam, sed ab illo vno omnia:
propter quod, iustissimum est, vt illi à quo ita nos cuncta accepisse
cognouimus, corde lætissimo iubilemus & seruiamus, quantum va-
luerimus.

A 4 *Populus eius, et oues pascuæ eius, introite portas eius in confessione:*
* *atria eius in hymnis:*
* *confitemini illi.*
5 *Laudate nomẽ eius, quoniam suauis est dominus:* * *in æternũ misericordia eius:* * *et vsq; in generatione & generationem veritas eius.*

luerimus. 4. Specialiter verò, ô vos omnes qui estis de populo eius, qui de numero estis electorum eius, qui estis quasi oues pascuæ eius, quos ipse quasi pastor bonus, tam secundum corpus in hoc corporeo mundo, quàm secundum animam, in sancta Ecclesia pascit, & ab omni malo defendit: vos (inquam) peculiari exhortatione admoneo, vt portas eius ingrediamini, vt introeatis ante faciem eius in cõfessione laudis & gratiarum actionis: * vt atria eius ingrediamini cum hymnis, psalmis, & laudibus: domum cultus eius, vel sanctam Ecclesiam, vel materiale templum, sic introite cum hymnis & laudibus: * vos (inquam) date confessionem illi. 5. Et laudem dicite benedicto in sæcula nomini eius, quoniam ipse dominus erga seruos suos non est crudelis, nõ morosus, non difficilis, sed mitis, benignus, mansuetus, bonus, facilis, dulcis, & pius: * misericordia eius in sempiternum non deficiet, semper erit expolita petentibus eam vsque in consummationem sæculi: * item & veritas siue fides eius atque iustitia, in omnes generationes perdurabit, non poterit vnquam mentiri neque fallere: sed quęcunque pollicitus est, seruabit electis suis, donec perstabit sæculum.

B

ANNOTATIONES IN PSALMVM XCIX.

VErsu 4. Introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: confitemini illi. Debet versus iste ita distingui, vt in confessione iungatur cum præcedenti verbo, hoc modo, Introite portas eius in confessione: deinde repetatur introite, ad regendum accusatiuum atria, adiuncto eo quod sequitur, in hymnis, hoc modo, Introite atria eius in hymnis: vt deinde diuisim sequatur, Confitemini illi: quod rectius in principiũ versus sequẽtis referretur, iuxta quod in Hebræo legitur. Sic enim clarius vertit Hieronymus, Ingredimini portas eius in gratiarũ actione, atria eius in laude. Confitemini ei, benedicite nomini eius, quia bonus dominus. Eandem etiam distinctionem habet lectio Græca.

C. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste centesimus formam videtur describere, & officium designare hominis iusti, maxime autem principis: quem licet quidam interpretentur singulariter de Christo domino, quòd vix alius inueniatur cui omnia hic posita perfecte conueniant: melius tamen apparet ipsum in persona Dauid pronunciari de se omnia illa non ad iactantiam, sed ad laudem & gratiarum actionem recitantis: quod videlicet in innocentia ambulauerit
C *in medio domus suæ, quod malum non proposuit ante oculos, quòd odio habuerit impios, eorumq; fuerit consortia auersatus, fideles autem & iustos sibi adiunxerit & exaltauerit, superbis humiliatis, & peccatoribus punitione debita peremptis. Hæc enim sunt officia regis, neque regis solum, verumetiam cuiuslibet patrisfamilias in sua domo, aut cuiuslibet præsidentis in ea communitate cui præsidet.*

C. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine.*

2 *Psallã & intelligã in via immaculata:*
D * *quãdo venies ad me?*

3 *Perambulabã in innocentia cordis mei in medio domus meæ.*

4 *Non proponebam ante oculos meos rem*

DE misericordia simul & iudicio atque iustitia cantabo tibi domine: videlicet quòd misericors simul & iustus sis tu domine in cunctis operibus tuis: ita semper misericors, vt nihilominus iustus: ac rursum ita iustus, vt nihilominus misericors: ita super his duobus semper & vbique cõiunctis tibi cantabo. 2. Super his tibi psalmos dicam & canam, cantansque & psallens tibi, ego erudiar in via innocẽtiæ: discam, intelligã, & instructus à te sciam ambulare viã immaculatã mãdatorum tuorũ. Qui enim in vijs immũditiæ psallunt, horũ non est speciosa laus in conspectu tuo: * ô vtinam tu mihi citò aduenias, ô si iam nunc ad me venias, vt ignorantem instruas & illumines in via mandatorum tuorum, vt tibi queã digne psallere, Hoc enim totũ est quod cupio, te videlicet meis canticis imitare, te ad me aduocare: nihil est quod æque atque tuum aduentum desiderem. 3. Volo autem quod ex tuo munere in me est boni propositi, tibi ad gloriã, & proximis subditisque ad exemplum, hoc cantico proponere, ex bonæ conscientiæ testimonio: vt exprimã qualis esse debeam, si in via immaculata psallere voluero. Ecce ego ex munere gratiæ tuæ studebã conuersari in medio familiæ meæ, cũ innocẽtia, iustitia, & simplicitate, quasi pater in medio filiorũ, quasi dominus in medio seruorum, quasi pastor in medio ouiũ, singulos attendens & cõsiderans, singulis prospiciens domesticis meis, singulisque superintendens, quantum opus erat: vt sua quisque administratione iustè fungeretur, neque malum vllum notabile paterer in domo ac familia mea, pro quo non emendando gererem solicitudinẽ.

4 *Non proponebam ante oculos meos rem*

4. Caui mihi sedulo, ne rem iniustam siue vllam iniustitiam menti meę proponerẽ, ad eam perficiendã opere, ne de vlla cogitarem perficienda (siue aduersus Deum, siue aduersus hominẽ) iniquitate aut iniustitia: *neque

Universidad de Deusto Biblioteca

*iniustam: * facientes prævaricationes odiui.*

*neq; solum ipse non volui mala facere, verumetiã in alijs odiebã peccatum, vt transgressores legis Dei mei odio habui: nõ quidẽ ipsam illorum personã, sed prævaricantium vitia: ita vt quantũ in me esset, illis obsisterẽ mala agẽtibus, & impedirẽ mala eorum proposita, ne possent ea perficere: pro mea autẽ virili ad bonũ inducerẽ. 5. Et quoniã ita me iniquitatis aduersariũ præstiti, elõgati sunt à me omnes qui prauo sunt corde, nõ adhæserunt, nõ associati sunt, nõ se cõiunxerũt mihi qui malę sunt voluntatis & prauo corde, amatores iniustitiæ: * malignos à me abscedentes, meã vel societatem vel seruitutẽ deserentes, propter malitiã, q̃ viderent se nõ posse apud me suã impietatẽ, iuxta desideriũ perficere, qui ob hoc à me declinabant, recedebãt, siue meã amicitiã atq; societatem, siue meam seruitutem derelinquentes, hos ego nihili feci, quasi nunquã cognouissem eos, sic ab illis me alienaui, quantũuis alioqui illorũ amicitia grata aut seruitus cõmoda fuisset: qui propter iniustitiæ amorem odium q̃; bonitatis, ita me deserebant illos prorsus cõtempsi, & permisi separari à me pro suo placito, lõge malens illos à me abscedere, quicunque tandẽ aut quanticunq; fuissent, q̃ vt à me in sua impietate foueretur aut tolerarẽtur. 6. Si quem videbam ad detractiones pronum, qui prõptus esset ad detrahendum secreto proximo suo, ad male loquendum in occulto de fratre, ad auferendũ vel imminuendum bonum nomen proximi, hunc ego redarguebã acriter, & seuere corripiebã, hunc ego toruo aspectu atque etiam increpatorijs verbis cum authoritate compescui: non arridebam detrahenti, non dissimulãbã, non fouebã illũ in detractionis malo, sed cõtradicendo resistebã, & seuere increpando cõpescebam. 7. Quos ego aduertebã esse superba & elata mente, monstrãte se foris per oculos, mentis interioi elatione, & quos cõperiebã esse corde insatiabili, siue diuitijs per auaritiam, siue honoribus per ambitionem, ad huiusmodi me abstraxi, cum his non duxi familiarem vitam, hos nolui habere familiares siue domesticos, aut etiã cum his nulla volui familiari iungi societate siue amicitia, vt vel cum illis inuitatus familiariter cõuiuarer vel ipsi mecum à me inuitati 8. Sed si quẽ in terra, vbicunq; tandem locorum, aut quocunque tandem genere natum, viderem fidelem, iustum & bonum, benè, iustè, simpliciter, & fideliter ex corde syncero cõmissa sibi peragentem officia, in hoc fuit mihi beneplacitum, ad eiusmodi homines oculũ & respectum habebã, vt tales exaltarem, & mecum considere facerem, mecumq; demorari, & ad mensam meam vt domesticos & amicos accumbere: * quos cõpericbã benè, iustè, & fideliter cõuersari, huiusmodi elegi ad ministerium meum, huiusmodi ego exaltaui ad officia regni, & domus meæ talibus ministris cõmittebam quæ vel in regno vel domo mea erant agẽda, talibus credebã rerum omnium agendarum administrationẽ. 9. Qui autẽ in factis suis superbiã vllam aut dolum ostendũt, per superbiã alios iniuste calumniari, molestare aut opprimere volẽtes, eiusmodi nõ habitabũt corã me in tota domo mea quos tales esse cognouero, nequaquã illos intra domum meam recipiam, vt mihi in vllo seruiant ministerio: atque etiamsi intra domum meã habitauerint, vbi tales deprehendero, expellam atque eijciam eos, neque patiar tales impietatis amatores permanere ante oculos meos: * qui loquuntur iniqua, non prosperantur, nõ prospere agunt apud me, nunquam illis bene erit, nunquam inuenient gratiam in oculis meis, vt eos euchã, foueã aut promoueam: non erit ad tales animus meus, sed aduersabor illis, & durum me illis ostendam, donec ab impietate huiusmodi desinant. 10. In primo mane, admodum mature, quantum in me erat, ego omnes malefactores in terra mihi subiecta puniebam & auferebam de medio: mox vbi persensissem malum cõtagiosum alicubi exurgere, curaui, vt quantocyus malum illud supprimeretur vel auferretur; ipsos mali authores rigidè puniendo, aut etiam si malitia id exigeret, morte mulctando * vt sic disperderem de populo domini, de Ecclesia fidelium omnes iniquitatis operarios, quantum mihi foret possibile: ne si impunitum aliquandiu malum permisissem, in peius excrescceret, sicque abundantia malitiæ inficeretur terra & ciuitas domini, ipsius cultui deputata & sanctificata. Malum enim nisi quantocyus rigida punitione extinguatur, celeriter increscit, & serpit latissime ab vno in plurimos: propter quod, eum qui populo domini præsidet, si Deo placere velit, huic rei vigilantissime necesse est intendere.

*5 Non adhæsit mihi cor prauum: * declinantem à me malignum non cognoscebam:*

6 Detrahentem secreta proximo suo, hunc persequebar.

7 Superbo oculo & insatiabili corde, cũ hoc non edebam.

8 Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeãt mecũ:

** ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.*

9 Nõ habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam.

** qui loquitur iniqua, nõ direxit in conspectu oculorum meorum.*

10 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ:

** vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.*

ANNO-

ANNOTATIONES IN PSALMVM CENTESIMVM.

CVm Psalmum istum iuxta modum in Elucidatione expositum, ipsi Dauid applicamus, in seipso iusti viri & boni principis exemplum describenti, non sic ista accipienda sunt, quasi omnia perfectè Dauidi cõueniant, quasi semper in innocentia perambulauerit in medio domus suæ, quasi nunquam ante oculos proposuerit rem malam, quasi semper oculi eius fuerint ad fideles terræ. Profecto non ambulauit in medio domus suæ in innocentia, quando de fenestra videns Bethsabee lauantem, concupiuit alienam in corde suo, & ad malam cõcupiscentiam implendam nuncios misit, opereque impleuit, quod male concupierat: profecto non erat hoc in innocentia cordis ambulare in medio domus suæ. Et neque hoc erat, non proponere ante oculos rem iniustã. Et cùm adijciens malum malo, Vriam fidelissimum comprobatum, fecit dolo & fraude, traditis illi proditorijs literis, occumbere: nunquid tum erant oculi eius ad fideles terræ, vt sederent cum eo, aut habitarent cum eo, & nõ magis contra fidelissimum seruum, vt innocentem impiè sine causa auferret de medio? Non ergo ista sic accipienda sunt, quasi per omnem vitam Dauid ea obseruauerit, quasi nunquã fuerit trãsgressor: sed accipienda sunt, vt ab eo pronunciata, cùm in bono esset proposito & bona cõscientia, quando nullius sibi erat facinoris conscius, Aut sic accipitur totus Psalmus, vt potius qualis esse debeat, seipsum Dauid admoneat, q̃ qualis sit, alijs prædicet. ¶ Versu 1. Misericordia & iudiciũ cantabo tibi domine. Cantare debemus Deo non misericordiam solam, non iudicium solum: quoniam neque misericors solum est: neque solum iustus dominus noster, sed misericordiam simul & iudicium: quia simul misericors & iustus est. Iustum est enim sic illum cantari, vt est in semetipso: propter quod, misericordiã simul & iudicium (vt simul misericors & iustus est) cantare illi debemus. Nam si solam cantemus misericordiam, periculum est, ne nimium remisse, nimiumq; securè agamus, absque timore & debita solicitudine. Solius enim misericordiæ recordatio ad remissionẽ inuitat, & minus cautum ac timoratũ reddit. Qui verò solum recogitant & cantant iudicium, his est ex altera parte graue periculum, ne vel deijciantur animo, vel timore potius q̃ amore agantur: dum in misericordiam blandientem, nunquã leuantes oculos, solius intuentur iudicij terrorem. Bene autem psallunt, & bene sibi consulunt, qui neque misericordiam obliuiscuntur, neque iudicium, sed adinuicem ista sapienter coniungunt. Qui enim sic psallunt, in via immaculata redduntur intelligentes, & instituuntur in via iustitiæ, vt habet versus proxime sequens. ¶ Versu 2. Quando venies ad me. Conuenientius est vt accipiatur hoc secũdum modum optandi, vt sit sensus, O quando venies ad me, ô vtinam quantocyus aduenias, vt in Elucidatione explicauimus. Posset tamen quando accipi temporaliter, intelligam in via immaculata, tũe quando tu venies ad me scilicet, vt me in via immaculata & in lege tua instruas, quando ad me quasi doctor ad discipulum aduenies. ¶ Versu 3. Perambulabam in innocẽtia cordis mei, in medio domus meæ. Diligenter notandum, quod dicitur, In medio domus meæ, Oportet nanque eum qui præsidet, siue regno, siue communitati, siue domui, aut cuilibet tandem congregationi, non in angulo aliquo domus desidere, non in abdito cubilis semper latere conclusum, non in molli strato otiosum stertere, non ad opiparam mensam in cœnaculo amœno accumbentem deliciari, cutemque sic in delicijs curare: sed in medio sibi creditæ domus perambulare, tanquam qui sit rationem redditurus de omnibus quæ in domo illa sibi credita aguntur. Propter quod, ab Apostolo dictum est, eum qui præest, præesse debere in solicitudine: & aptissimo vocabulo Ecclesiastici patres, eos, qui dominico gregi præficiuntur, Episcopos duxerunt nominandos, videlicet vt ex ipsa sui nominis appellatione incumbens, sibi solicitudinis onus agnoscerẽt, eiusque sedulo admonerentur. Siquidem ἐπίσκοπος Græce, Latinis significat superintendentem vel supercontemplantem aut superconsiderantem: quod eius sit intendere, & inuigilare gregi commisso, & diligenter considerare, ne quid ipsorum culpa alicubi depereat, quomodo pastoris est officium, seruare ouiculas ne pereant. Intendere autem debent tanto solicitius, quanto non corporum, sed animarum positi sunt custodes. Vnde per eundem Apostolum subiectis ouibus dicitur, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Admodum autem pulchrè dicitur, Perambulabam in medio domus meæ. Eum qui præest, in medio domus oportet perambulare. Omnium enim gerat curã, necesse est: & diligenter peruidẽdum est illi, ne vlla vsquam ouis, vel ex hac parte, vel ex illa parte depereat. Propter quod, in medio illum oportet ambulare vt æque propinquus, æque expositus sit omnibus, vt ex æquo omnibus absque personarum acceptione inuigilet, non solos curet diuites, non solum intendat ijs qui sunt in Ecclesia siue familia præcipui, sed infimis etiam atque vilissimis. Aeque enim pauperis & diuitis, nobilis & ignobilis anima requiretur ab eo, cùm in iudicium aduenerit iudex iustus, qui æquali potentia, sapientia, & bonitate singulorum animas condidit, cui omnes æque sunt magni pretij, vtpote qui finxit sigillatim corda filiorum hominum. Notãdum etiam hoc, quòd pastor in medio domus perambulare dicitur, aduersarius autem per domus circuitum, quemadmodum Petrus Apostolus ait, Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Et alibi, In circuitu impij ambulant. Diabolus ergo, & qui ex parte eius sunt, in circuitu gregis circumambulant, vt noceant: bonus autem pastor, in medio gregis & domus perambulat, vt ex omni parte circumeuntes aduersarios repellat, & nullibi illis, quantum quidem in ipso fuerit, nocendi concedat aditum. Atque vtinã hac nostra tempestate, istud tam præclarum Prophetæ exemplum imitarentur principes populorum, maxime autem Ecclesiarum prælati. Vtinam magis assuescerent ad perambulandum in medio domus suæ, vtinam à perequitandis campis, & syluis percurrendis prorsus abstinerent, vtinam non in angulis, in cubilibus otiosi desiderent, magis autem in

Rom. 12.

Heb. 13.

Pſal. 32.

1. Pet. 5.

Pſal. 11.

debita

debita solicitudine medium domus suæ,imò Dei (quemadmodum ex officio illis incumbit)peram- E
bularent.Proculdubio nō ita multæ passim animæ miserè deperirent,quot nunc cernimus ante oculos maximo perdi numero: dum ex omni parte circuiens hostis,ad nocendum semper vigilat: bona autem pars eorum,quorum erat lupis obsistere,somnū grauem in cubilium penetralibus dormiunt, nihil minus quàm de commissa sibi domo soliciti. ¶Versu 4. Non proponebam ante oculos meos
rem iniustam,facientes prævaricationes odiui.Expostulat hoc perfecta iustitia,primum vt ante oculos tuos non proponas impium aut iniustum aliquid,vt nullam tibi impietatem proponas in animo
ad implendum eam.Est enim hoc proponere ante oculos,rei intendere ad assequendum eam. Deinde,vt sicut iniquitatem in teipso odis,atque ideo ante oculos tuos non proponis: ita & in proximis
habeas exosam,& operarios impietatis vt huiusmodi sunt,persequaris,ad illos humiliandos,atque il
Psal.138. lorum conatus malos infringendos. Hinc in alio Psalmo noster Propheta loquitur, dicens, Nonne qui oderunt te domine oderam,& super inimicos tuos tabescebam?Perfecto odio oderam illos,inimici facti sunt mihi.Alibi verò etiam fleusse se dicit, & vehementer admodum fuisse conturbatum,
Psal.118. propter impiorum transgressiones.Sic enim Psalmo.118.ait, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei,
Ibidem. quia non custodierunt legem tuam.Mei oculi(inquit)exitus aquarum deduxerunt,quia illi impij nō
Psal.14. custodierunt legem tuam.Et iterum,Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem F
tuam. Secundum eandem cōsideratione iterum in alio Psalmo describens quisnam sit inhabitaturus tabernaculum domini,aut in monte sancto accepturus requiem, prius dicit, Qui ingreditur sine
macula,& operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo,qui non egit dolum in lingua sua,
ac deinde subiungit.Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, hoc est, qui pro nihilo reputat,qui penitus contemnit,& pessime odit malignos,conaturque illos, quātum in se fuerit,humiliare,& conatibus eorum improbis obsistere ¶Versu 5.Non adhæsit mihi cor prauum,declinantem
à me malignum non cognoscebam. Ea est vis probitatis, vt fugat atque elongat à se omnem malignum.Quomodo enim luminis fulgentem claritatem tenebræ non ferunt, & ante illā hæ aufugiunt,
item & cum tenebris omnes tenebrarum amatores,ita à facie virtutis siue probitatis omnis fugit improbitas: atque hinc fit,vt improbi vehementer exhorreant bonorum consortia, quemadmodum econtrario societatem cum sui similibus vehementer exquirunt. Ita cùm is qui regno aut familiæ
præsidet,bonus ac iustus fuerit,adiunguntur illi veri,boni,& recti corde: qui autem prauo sunt corde,fugiunt ab illius probitate,& declinant ab eo. Hinc in præsenti loco cùm dixisset. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam,facientes prævaricationes odiui:mox subiungit, Non adhæsit
mihi cor prauum,Quasi dicat,Quoniam virtutem sectatus sum, & odiui impietatem, tam in memetipso quàm in alijs proximis & subditis meis,idcirco non adhæserunt mihi homines prauo corde,nō
se adiunxerunt mihi, sed magis se elongauerunt à me. Iustus verò cùm viderit ita à se elongari & de- G
clinari impios,nunquid dolet,nunquid illos ad se conatur allicere,nunquid blandimentis ad se inuitat declinantes? Nequaquam.Sic enim ait Propheta, Declinantem à me malignum non cognoscebam.
Psal.118. Nam iustorum societatem sicut semper iustus optat, iuxta illud quod in alio Psalmo dicitur, Conuertantur mihi timentes te,& qui nouerunt testimonia tua: ita peccatorum cōsortium vel amicitiam omnino nihili pendi, & à se propter impietatis amorem declinantes adeò reputat extraneos,
vt nolit vel agnoscere. ¶Versu vltimo,In matutino interficiebā omnes peccatores terræ,vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Secundum mysticam intelligentiam exponitur hoc aliquando de terra cordis nostri,cuius terræ peccatores in matutino interficimus, quando
in tranquillitate mentis positi(quod maxime est tempore matutino)omnes cogitationes & affectiones malas, quas inuenerimus in corde, studemus perimere & prorsus eijcere, vt mundemus animas
nostras(quæ sunt ciuitates Domini)ab omnibus huiusmodi operarijs iniquitatis,id est,ab huiusmodi impietatibus, vel certè peccatorum initijs: quibus ad consummatam iniquitatem perducimur si
consenserimus,& non quantocyus interfecerimus,allidentes eas ad petram.Vel in matutino intelligitur, mane & mature, quam primum senserimus cogitationes tales aut affectiones in nobis exurgere,Mature enim antequam increscant, mox debent supprimi & interfici. Quòd autem in Elucidatione expositum est, magis ad propositum Psalmi fecit de peccatoribus puniendis, sicque suppri- H
menda malitia.

ARGV-

A

ARGVMENTVM IN PSALMVM CENTESIMVM PRIMVM.

PSalmus iste secundum Ecclesiasticam consuetudinem inter pœnitentiales Psalmos quinto loco ponitur: qui cum alijs eiusdem nominationis in hoc optime conuenit,quòd à luctu & fletu magno mitium sumit exordium: priæ miseriæ consideratione:finitur autem in multo gaudio & consolatione,ex contemplatione Diuinæ magnitudinis,bonitatis & æternitatis. Primum ita ꝯ,in afflictione & angustia multa cōstitutus postulat à Deo suam orationem exaudiri, proponens sub similitudine fumi euanescentis,arefacti cremij, & fœni solis æstu percussi, vitæ huius corporalis vanitatem: se verò,ob afflictionē & desolationem suam,comparat pellicano solitudinis, nycticoraci in domicilio, & solitario passeri: his comparationibus significare intendens,quomodo præ dolore societatem omnem cæterorum hominum fugerit, propter quod etiam exprobrationes & conspirationes ab aduersarijs quos fugiebat perpetitur: iterumq; versu decimo, sui doloris magnitudinem repetit, ob quem ipsum quoq; cibum & potum sibi dicit fuisse insipidum propter vehementem humiliationem & collisionem, qua se à
B Deo cognoscit percussum. Versu autem 13.tristia ista relinquens de sui doloris pondere transit ad latam considerationem diuinitatis: cuius primo stabilem æternitatē sibi proponit ob oculos, deinde compatientem misericordiam, qua in tempore gratiæ salutem est operatus generis humani, nouamq; fidelium Ecclesiam per seruos suos Apostolos ædificauit, precibus supplicum inflexus, & eorum qui sub captiuitate grauissima tenebantur longo gemitu tandem exoratus, propter laudem sui nominis. De quibus omnibus partim sub tempore præterito partim in tempore futuro,promiscue canit,quòd ad horum temporū Prophetiæ spiritus non attendat differentiam, Versibus autem 24. & 25. desiderium & oratio fidelium conuersorum pro dierum suorum plenitudine orantium interponitur, vt non ante tempus suæ perfectionis auferantur de medio. Atq; hinc iterum versu 26. totus in considerationem Diuinæ stabilitatis transiens, cælos (qui tamen videntur inter res creatas magis stabiles) comparatione facta ad Deum prorsus immutabilem ostendens admodum esse mutabiles, vtpote qui sunt immutandi aliquando & innouandi,cum Deus semper idem, idem ipse permaneat: semen tamen fidelium,id est, electos,versu vltimo semper dicit coram Deo habituros,& in conspectu ipsius dirigendos.

CENTESIMIPRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

C

1 Domine exaudi orationem meam:
** & clamor meus ad te veniat.*

DOmine Deus meus cuius misericordia semper miseris & afflictis est refugium, quæso,vt orationē meam istam qua nunc oro ante conspectū tuum in amaritudine afflicti & contribulati spiritus,dignanter exaudias: * vtq; meus iste clamor,quo ex cordis magno affectu ad te in oratione clamito, introgrediatur vlq; ad sacrarium exauditionis tuæ, ne frustra illum ego emiserim, sed quæ postulo impetrata referat. 2. Noli auertere à me afflicto benignum aspectum tuum,

2 Non auertas faciem tuam à me:
** in quacunq; die tribulor, inclina ad me aurē tuam.*

noli abscōdere à me placidum vultū tuum,vt nolis ad orationē meam attendere: * magis autem in quacunq; die tribulationē passus fuero accede tribulatione ad te clamauero,promptum te exhibeas ad orationem meam, & aures pias auditumq; benignū accommodes meis precibus. 3. Quacunq; (inquam) die,quocunque tempore,quacunque hora cōtigerit me afflictū & orantē ex cordis bono affectu te inuocare,quæso

D

3 In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.

ne moreris respicere,ne differas exaudire,sed quantocyus orantem respicere,& subueni postulatis desiderio. Tam enim sum ex memetipsō miser, vt longā moram non patiatur mea (quæ ferè ad extremū vsque gradum deuenit) miseria,vt sit vel in morula modica non modicū mihi periculum. 4. Ecce enim dies,anni & tempora mea consumpta sunt,

4 Quia defecerunt sicut fumus dies mei:

præterierunt, transierunt, & euanuerunt ad modum fumi qui subito euanescit atq; resoluitur,nec vllam habet consistentiæ firmitatē: ita vt postquā euanuerit,nihil videatur illius superesse. Ita planè transierunt euncti dies vitæ meæ,& iam nihil illorum superest,efficioriq; ego consumptis illis, termino vitæ huius in dies propinquior: * & ossa continuò arefiunt,exiccantur,suoq; robore destituuntur, & omni exhauri-

** & ossa mea sicut cremium aruerunt.*

untur vigore, ad modum cremij quod in fartagine per subiecti ignis actionem torretur vehementissime, vt eliquetur ex eo omnis pinguedo.Ossa quidem corporis ita arescunt ob nimia afflictionem tristitiæ, quoniam spiritus tristis exiccat ossa. Ossa quoque animæ meæ,id est, Prou.17.
virtutes omnes, atque potētię quæ in ea sunt, aruerunt,langerunt,& penitus defecerunt præ inopia, velut facta impotentia atq; inualida ad omne bonum,& ad quæcunq; aduersa sufferendum imbecillia,dum in

5 Percussus sum vt fœnum:

tam longa afflictione, absque vlla consolatione permaneo,dumq; ipse ille vehemens ignis praui sensualis affectus,velut depascit,consumit,& in bono languere facit omnem animæ virtutem.5. Quomodo gramen

Universidad de Deusto Biblioteca

virens ab æstu solis percutitur, læditur, cogiturque arescere, virore de- E
perdito: ita ego percussum me sentio, siue ab æstu indignationis & iræ
tuæ, quã sentio desuper, siue ab æstu malæ cõcupiscentiæ, quam ab in-
fra crudeliter sæuiente experior: * & arefactum est cor meum, spiritus
meus omni virore atq; vigore destituitur, vt nihil vltra videatur in me
supereſſe vigoris siue virtutis, ad bene agendum: * quæ quidem debilita-
tio, & cordis arefactio, inde mihi etiã pueniebat q̃ præ nimio cordis
dolore neglexi sumere cibũ, per quẽ ex tua institutione debet confir-
mari cor hominis. Dum enim prę nimio dolore & tristitia, immoderã-
to ieiunio me exhaurio, propter cibi defectũ mẽbris cõtabescentibus,
perit corporis vigor, ob continuã actionẽ naturalis caloris, qui corpo-
ris insitus est, perpetuoq; edit siue assumit aliquid: vt si nõ cõtinuò per
cibũ fiat deperditi reparatio, necessarium sit corporis vigorẽ deficere.
Cibum verò spiritus dum obliuiscor comedere, panẽ verbi Dei (quod
est spiritus et vita, in quo melius, q̃ in corporali pane viuit homo) dum
neglexi comedere, deglutire, ruminare, atq; intra spiritus intimũ traij-
cere, merito infirmatus est, merito exaruit intra me spiritꝰ meus, videli F
cet necessario destitutꝰ pabulo. Siquidẽ vt corporis vigor corporali pa-
ne sustentatur atq; fouetur, ita vigor spiritus pane indiget spiritali, ne-
que sine eo potest anima in suo robore firma cõsistere. 6. Propter vo-
cem gemitus mei, propter dolorẽ nimiũ, quẽ suspirijs, gemitibꝰ, & fle-
tibus testabar, ita exiccata sunt ossa mea, vt omni carne cõsumpta ad-
hæserint ossa cuti, quẽadmodũ illi qui multo tẽpore cibũ non sumpse-
runt, sola ossa habere videtur, cute & pelle obtecta. 7. Assimilatus sum
pelicano, solitudinariæ aui, quæ sicut diligit solitudinẽ, & moratur in
solitudine siue in deserto, ita & ego propter nimiũ animi mœrorẽ quo
pœnitens angor, hominũ fugio consortia, publicum fugio, & loca se-
creta quærito, amica mœroribꝰ: * factus sum quasi coruus nocturnus,
quasi noctua, aut bubo habitans in secreto & tenebroso aliquo angu-
lo domicilij, qui lucẽ fugit atque conspectũ hominũ, noctibus autem
vigilat, & grauiter cantat velut cantieũ lugubre. Sic enim & ego lucem
& conspectũ hominũ fugiens, per noctẽ vaco fletibus, & lugubres edo
gemitus. 8. Ita vigilaui, in prolixã vsque noctẽ seruans vigilias, ablato G
præ nimio dolore somno ab oculis meis & assimilatus sum passeri so-
litario, habitanti in tecto ædificij, qui aliorũ fugiens cõsortium; conti-
nuo clamore, & eo quidem vnico atque inuariato clamat fortiter, sed
tamẽ absque omni modulationis dulcedine. Ita enim & ego elongaui
fugiens, & mansi in solitudine, expectans eum qui saluũ me faceret: ità
ego sedens solitarius, & leuans me supra me, vel cõuertens me ad me,
recogitaui oẽs annos meos in amaritudine animæ meæ, fortiq; & con-
tinuo clamore asperum pœnitentię cantũ inclamaui corã te, nihil aliud
clamans, q̃ peccaui, peccaui, iniuste egi, iniquitatẽ feci, Deus propicius
esto mihi peccatori: Miserere mei Deus, miserere mei: Parce Domine,
parce, dimitte, dimitte: respice, respice, atque his similia aspera canti-
ca. 9. Super hæc autem mala quę ego abintus grauissima pertuli, acces-
serũt etiam ea quæ extrinsecus ab aduersarijs meis susceпi. Cum enim
sic in afflictione & luctu pœnitentiæ perssisterem, aduersarij mei ita me
lugentem conspicientes, iugiter probra & conuicia iactabant in me, &
verbis in me scommata iacientes, & factis vt poterant turpiter mihi il- H
ludentes: * & qui prius, donec essem eis in peccato socius, me lauda-
bant, mihi adulabantur, mihi applaudebant, hi postquã ab ipsorũ co-
inquinatione & vijs malis me subduxissem, iam coniurauerunt aduer-
sum me, vt omnibus modis quibus possent, mihi illuderẽt mihique in
proposito pœnitentiæ obsisterent: * illi etiã qui mihi blandiebantur,
amicitiã verbis simulabant, & confictis adulationibus exterius applau-
dere, ac amicitiam ostendere videbantur, aduersum me coniurabant,
in meum malum definito consilio conueniebãt, vt sub specie amicitiæ
incautum in mortem traherent. 10. Ego autem in nimio dolore posi-
tus, panem & cibum (quem ad vitæ sustentationẽ accepi) comedi quasi
cinerem, acsi cinis fuisset, absque omni delectatione & refectione: ita
insipidus fuit mihi, propter animi dolorem, omnis cibus corporis, nec
erat mihi inter panem & cinerem differentia: neq; delectationis multo
amplius ex panis esu accepi, quam si ipro pane sumpsissem cinerem:
* Aut cinerem manducabã tanquam panem, cinerem acsi panis fuisset
comedi, panem simul comedi cum cinere qui adhæserat, non curans quid

* & aruit cor meum:
* quia oblitus sum comedere panem meum.

Psal. 103.

Ioan. 6.

6 A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.
7 Similis factus sum pelicano solitudinis:
* factus sum sicut nycticorax in domicilio.

8 Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Psal. 54. Thren. 3. Esaiæ 38.

9 Tota die exprobrabant mihi inimici mei:
* & qui laudabant me aduersum me iurabant.

10 Quia cinerem tanquam panem manducabam:

A quid ederem præ dolore, vt solent homines plurimum afflicti non cu-
rioſe perſpicere quid edant, aut quàm ſit mundum quod comedunt:
* ſed neq; potus ipſe vllam mihi attulit delectationẽ aut voluptatem:
quoniã bibendo à lachrymis non abſtinui, ſed tam eas abundanter ef-
fudi, vt ſimul cum potu qui erat in poculo, commixte fuerint. In ſum-
ma, tantus fuit mœror animi, tanta ſpiritus anguſtia, vt ne illa quidem,
quæ ſummã hominibus ſolent adferre voluptatem, vllam mihi potue-
rint adferre conſolationẽ. 11. Omnem autem hanc afflictionẽ ego ac-
cepi à conſpectu iræ indignationis tuæ, eo quòd indignationem tuam
aduerſum me oſtẽderis, te mihi demõſtrare volueris offenſum: * quo-
niam tu vehementer me humiliaſti & afflixiſti, quaſi colliſione valida
me allidens ad terrã: quemadmodũ ſolent homines, cum fortiter quip-
piam voluerint collidere in terrã, illud prius in altum eleuare, ac dein-
de toto conatu & pleno impetu ad terrã proijcere: vt tanto ſit caſus &
colliſio grauior, quanto eſt magis in altum facta eius quod proijcitur
eleuatio. 12. Dies mei abſceſſerunt & tranſierunt ad modum vmbræ,
quæ nullam habet ſoliditatẽ ſubſiſtentiæ, & continuo imminuti ſunt,
breuioresq; facti quanto longius in viuendo progredior: quemadmo-
dum vmbra continuò minor apparet, quanto magis ad ipſum corpus
luminoſum vnde venit vmbra, acceditur: * & ego continuò defectu ſic
ad mortem tendens, ad modũ herbæ exarui, virore conſumpto, & ex-
hauſto vigore deficiens. 13. Tu verò Domine, nequaquã noſtri ſimilis,
nullum defectum pateris, vigore & fortitudine nõ imminueris, neque
ad terminum durationis tuæ appropinquas: ſed in perpetua æternitate
ſtabilis & immutabilis perſeueras, idem ipſe nunc exiſtẽs qui eras ante
mundi principium, & ante omne tempus, atq; idem permanſurus oĩa
poſt ventura ſæcula: * & tui memoria tecum permanet æterna, in om-
nes generationes poſt venturas celebris futura vt fuit in prioribus ge-
nerationibus. Indeficienti enim fortitudine tua & bonitate inexhauſta
oſtendis in omnibus generationibus tam admiranda opera, vt nunquã
poſsit tui memoria deficere de hominũ cordibus. 14. Tu Domine qui
in prioribus generationibus viſus es hominibꝰ dormire, quaſi de ſom-
no exurgens, reſpiciens tandẽ aliquando ad Sion: & populi tui miſere- Matth. 1.
beris, veniesque in tempore cõſtituto, vt ſaluum facias populũ tuum à Eſaiæ 46.
peccatis eorum, & in libertatem reſtituas: * veniet enim tempus gratię 2. Cor. 6.
& miſerationis ab æterno definitum & præordinatum, quo decreuiſti
cum illo facere miſericordiam, tempus illud gratiæ & reconciliationis,
tempus illud acceptabile & dies ſalutis aduenier: * illud (inquam) tem-
pus aduenier, neque imperpetuũ durabit hoc tempus iræ, ſub quo fue-
runt patres noſtri in præteritis generationibus. 15. Quoniã ſeruis tuis,
quos mittes in tempore illo ad ædificandum Sion, ſanctã ſuam Eccle-
ſiam, complacebunt lapides eius, Apoſtoli atque Apoſtolici viri, fide- Ephe. 2.
les artifices & ſapientes architecti operis tui, diligent homines fidem
ſuſcipientes, tanquã lapides viuos: & quemadmodũ artifex cõplacen-
tiam & gratiam habet in lapidibus ad ædificium quod intendit conue-
nientibus, ita illi per quos tu Sion ædificare volueris, gratiam & com-
placentiam magnã habebunt in fidelibus hominibus, qui per fidẽ apti
erunt, vt tanquam lapides viui coædificentur in habitaculũ Dei, vt ſu-
perædificentur ſummo angulari lapidi: * & miſericordia cõmouebun-
tur ſuper terrã, cinerem, & puluerẽ ipſius Sion, id eſt, etiam ſuper infi-
mos & viliſsimos peccatorũ exiſtentium vt pulvis terræ qui crediderint prędicationi eorum: facientque illos ex puluere mortuo fieri lapi-
des viuos, ex peccatoribus iuſtos, ex infidelibus fideles, vt apti fiant ad
ædificium Eccleſiæ domus Dei, & corporis Chriſti. 16. Et in tempore
illo, cum tibi ita placuerit per abundantem tuam miſericordia ædifi-
care Eccleſiam, populi, tribus, & linguæ ac nationes alienigenæ, quæ
prius te ignorauerant, agnoſcent te, & reuerebuntur, atque adorabunt
inclytum nomẽ tuum: * & per vniuerſum orbem plurimi reges terra-
rum agnoſcentes magnificentiã gloriæ tuæ, venerabuntur te, & colent
vt ſupremum dominũ, agnoſcentes te regem eſſe regum, & dominan-
tium cunctorum dominum. 17. Quia Dominus ipſe in tempore placiti
ædificabit ſibi Eccleſiam ſuam ex lapidibus viuis, ex multitudine po-
pulorũ fidelium: * & in ea ipſe apparebit in gloria ſua, manifeſtabitur
palam omnibus in filio ſuo, quem mittet in carne factũ viſibilem: * In
gloria quoq; ſignorum & prodigiorũ admirabilium, quæ illo in tem-

* & poculum meũ cum fletu miſcebam.

11 A facie iræ indignationis tuæ:
* quia eleuans allisisti me.

12 Dies mei sicut vmbra declinauerunt: B

* & ego sicut fœnum arui.
13 Tu autem Domine in æternum permanes:

* & memoriale tuum in generatione & generationem.
14 Tu exurgens Domine misereberis Sion: C

* quia tempus miserendi eius:
* quia venit tempus.

15 Quoniã placuerunt seruis tuis lapides eius.

D

* & terræ eius miserebuntur.

16 Et timebunt gentes nomen tuum Domine:

* & omnes reges terræ gloriam tuam.
17 Quia ædificauit dominus Sion:
* & videbitur in gloria sua.

Universidad de Deusto Biblioteca

18 *Respexit in orationem humilium:*

* *& non sprevit precem eorum.*

19 *Scribantur hæc in generatione altera:*

Ioan. 3. * *& populus qui creabitur, laudabit Dominum.*

20 *Quia prospexit de excelso sancto suo:*

Psal. 47. * *Dominus de cælo in terram aspexit.*

21 *Vt audiret gemitus compeditorum:*

* *vt solueret filios interemptorum.*

22 *Vt annuntient in Sion nomen Domini:*

* *& laudẽ eius in Hierusalem.*

Ioan. 8. 23 *In conueniendo populos in vnum & reges vt seruiant Domino.*

24 *Respondit ei in via virtutis suæ:*

* *paucitatem dierum meorum nuncia mihi.*

25 *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum:*

pore per ædificatores Sion glorioſe operabitur, agnoſcetur ipſe & E manifeſtabitur mundo, oſtendetque ſuam fidelibus præſentiã. 18. Ideirco autem ædificabit Sion, & manifeſtabit gloriã ſuam in ea, quoniam miſericordia commouebitur Dominus, & ad miſerendum inflectetur precibus humilium miſerorum & afflictorũ, qui ad ipſum de ſua miſeria pro ſalute iugiter exclamant: * nequaquam abijciet aut repellet orationes eorum qui ad ipſum de tribulatione & afflictione clamauerint, in humilitate ſupplicantes. Videns enim videbit afflictionẽ populi ſui clamantis ad ſe de anguſtia venietque vt ſaluet & liberet eum ab inimicorum tyrannide. 19. Scribenda ſunt hæc, & digna vtique quę ſcribantur in generationibus poſterioribus, vt omnis generatio quæ pòſt ventura eſt vſque ad conſummationem ſæculi, miſericordiã iſtam maximam nõ ignoret, neque obliuiſcatur imperpetuũ: * Maxime etiã hæc ſignanda & ſcribenda ſunt pro generatione illa ventura, pro populo qui naſcetur in plenitudine temporis, pro nouo illo populo, qui ſpirituali natiuitate ex aqua & ſpiritu ſancto generabitur Domino, in Eccleſia noua: * Et populus ille qui creabitur hæc legẽs & cognoſcens F collaudabit Dominum: generationes pòſt venturæ, quæ in poſterioribus ſæculis naſcituræ ſunt, agnoſcentes hanc olim in temporis plenitudine exhibitam ſibi miſericordiam, cum gratiarum actione in cordis lætitia collaudabunt Dominum, pro accepto verè ſummo beneficio: * Item & populus iſte nouus, qui in noua Eccleſia generabitur domino, qui hanc (de qua nunc vt futura loquimur) miſericordiã ſuſcipiet in medio templi ſui, ea ſuſcepta, quàm maxime laudauit Dominũ cum viderint impleſſe omnia Deum quæ olim promiſerat. 20. Videlicet hæc ſcribantur & ſignentur in generatione altera, quòd in temporis plenitudine Deus pater omnipotens de altiſsimo tabernaculo & ſancto tẽplo ac throno ſuo, quod inhabitat glorioſus, benigno aſpectu deſuper reſpexit: * quòd dominus (inquam) ipſe ſummus de ſummo cælorum, vbi reſidet, in magnificentiæ glorię ſuæ oculos ſuæ miſericordiæ benignumque aſpectum ſuum dignatus ſit inflectere ad hæc infima noſtra, ad eos qui in terra iſta habitant mortales & ignobiles. 21. Neque verò ad hoc aſpexit in hæc infima noſtra, vt veniret, & iu- G dicaret, ac perderet mundum pro iniquitatibus, per ſuę rigorem iuſtitiæ, ſed ad miſerendum potius miſeris & afflictis, qui hic ſuper terram iacebant in captiuitate duriſsima, ſub principe tenebrarum, violentiſſimo & crudeliſsimo tyranno, vinculis peccatorum & mortis irretiti: qui vt gemere potuiſſent, certè liberare ſe non potuerunt: vt horum gemitum exaudiret, & gementes de tam dura captiuitate, ſua miſericordia faceret ſaluos, diſruptis vinculis & tyranno deuicto: * atque vt filios hominum, qui omnes per illum impiũ ab initio homicidam interfecti fuerant, & morte damnati, à mortis iugo abſolueret, & morti deſtinatos à morte faceret ſaluos. 22. Vt ipſi à vinculis peccati ac mortis & diaboli ſeruitute liberati, in ſancta Eccleſia prædicarẽt cum gratiarum actione, & decantarent cum laude nomen Domini, annunciarent etiam & prædicarent alijs qui adhuc captiui detinerentur oblatã ſalutis gratiam: * vtque laudem eius annunciarent & proclamarent in Hieruſalem ciuitate ſancta, in Eccleſia, quæ eſt veræ pacis locus & habitatio. Propter nanque ſuam gloriã & ſui nominis laudem, ipſe hanc H fecit miſericordiam cum genere hominũ. 23. Vt annunciarent (inquã) laudem Domini in Sion, tunc cum in vnum conuenturi eſſent populi ſimul & reges, vt ſeruirent Domino in tempore ſcilicet gratiæ & die ſalutis, quando plurimi populi ſimul conuerſi, & in vnitatem fidei cõgregati, vnam conſtituent componentque Eccleſiam, ſimul & reges ac duces populorum cum ipſis, vt in vnitate & concordia vno cultu omnes vni famulentur Domino. 24. Et ipſe populus fidelis, populus Sion & Hieruſalem, reſpondit liberatori ac ſaluatori Domino in via fortitudinis ſuæ, viam fidei ac mandatorum eius fortiter perambulans, & percurrens alacriter: ſic (inquam) reſpondit, & ſic illi loquutus eſt, dicens: * Nuncia mihi, indica mihi breuitatem temporis mei, fac me cognoſcere quàm ſit breuis & modica vitæ meæ duratio, vt tanto diligẽtius atque feruentius, dum tempus eſt, ſemper ad te feſtinem, neq; ceſſem à curſu, donec ad te perueniam. 25. Ne tamen me ex hac vita reuoces, ne me auferas à vita in dimidio temporis mei, antequam conſtituta dies aduenìat, ſine implere me numerum dierum quos conſtituiſti mihi,

A mihi, vt non ante tempus in ira tua ſubito me ſuccidas, ſine me ad iuſtã peruenire ætatem: id eſt, ad debitam virtutum perfectionem attingere, & in virum perfectum excreſcere, fierique conſummatum in bono, vt dignè valeam tibi occurrere: & non donec puer adhuc ſum, nec adhuc in imperfectione viuo, ante tempus maturitatis, me ſuccidas, ſed facias pro tua voluntate in virtutibus cõſummatum, plenos habere dies, antequam hinc me auferas, aut migrare iubeas: * & merito quidem ego perfectionem durationis meæ poſtulo, tua enim duratio omnimodis integra & perfecta eſt abſque omni defectu, in omnes generationes & priores & poſteriores ſeſe extendens, imò omnes generationes in immenſum excedens, vt initium nullum habens ita nec finem. 26. Et tu quidem, Domine, in principio temporis creaſti terrã, eamq; in ſua firmitate fundaſti & conſtituiſti ſolidã: * & ampliſsimi illi cælorũ orbes ſunt opera manuum tuarum, opera potentiæ, ſapientiæ atque virtutis tuæ, quæ tu potenter ſolo verbo creaſti de nihilo. 27. Ipſi quidẽ à ſuo ſtatu in quo nunc ſunt, recedent, neq; in ea ſemper diſpoſitione in qua nunc cernuntur, remanebunt: ſed tu in æternum permanes idem ipſe, omnino inuariatus & prorſus immutabilis, vtpote qui nec acquirere aliquid poſsis in teipſo, quod non habeas, aut eorum quæ habueris, quicquam deperdere: * & omnes illi veteraſcent, ſiue antiquabuntur ad modum veſtimenti, quod cum per vetuſtatem ad extremum deuenerit ſtatum ſuæ durationis, innouari debet. Sic enim & cæli cum ad finem vſque ſtatus huius deuenerint, in quo nunc ſunt, immutabuntur ad nouitatem maioris gloriæ. 28. Et ſicut mutari ſolet operimentum aut indumentũ, aſſumendo nouũ pro veteri, ita mutabis illos & innouabis mutatione glorioſa: & ipſi immutabuntur, ſic innouati, cum liberabuntur à ſeruitute & vanitate, cui nunc propter hominẽ ſunt ſubiecti: * at tu Domine prorſus idem ipſe ſemper inuariatus & immutabilis perſiſtis, nullam omnino vel acquirẽdo vel deperdendo mutationem in teipſo admittens, hæc eſt apud te vlla tranſmutatio, aut viciſſitudinis obumbratio: & tua duratio (quę eſt æternitas) nunquam finem accipiet. Eſt enim æternitas duratio infinita, neque initiantem neq; fi- Iacob. 1. nientem habens terminum. 29. Et licet tibi ſoli hæc æternitatis duratio à temetipſo conueniat, facies tamen ex bonitate tua etiam electos tuos huius tuæ durationis ſecundũ partem aliquã participes. Nam filios ſeruorũ tuorum: quos tibi per Euangelium genuerint ſancti Apoſtoli tui & doctores, facies habitare atq; permanere coram te in ſempiternum: * & ſemen eorũ, quod poſt ſe reliquerint, poſteritas eorum filij quos ſpirituali generationi in te per Euangeliũ genuerint, in ſempiternum coram te dirigentur, vt non deficiant à cõſpectu tuo imperpetuum. Nam & in hac militante Eccleſia nunquam fidelibus aberis vſque in conſummationem ſæculi: & in ventura illa triumphante ſocietate beatorum, perpetuò inhabitabis in medio eorum, eruntq; ipſi ante conſpectum tuum in ſæcula ſæculorum, AMEN.

* *in generatione & generationem anni tui.*

26 *Initio tu Domine terram fundasti:*

* *& opera manuũ tuarum sunt cæli.*

B 27 *Ipsi peribunt, tu autem permanes:*

* *& omnes sicut vestimentum veterascent.*

28 *Et sicut opertoriũ mutabis eos, & mutabuntur:*

* *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

C 29 *Filij seruorum tuorum habitabunt:*

* *& semen eorum in sæculum dirigetur.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM CI.

VErſu 1. Domine exaudi orationem meam. Hunc Pſalmum, tametſi vnus quilibet fidelium in pœnitentia ſua dolens, & in Dei miſericordia reſpirans, ac ſeipſum conſolans, *in dono* gratiæ eius aptè poſsit proferre: videtur tamen non minus congruum futurum, ſi in perſona totius humani D generis, vt in ea miſeria poſiti, qua ante Chriſti erat aduentum, in illa tanta captiuitate & ariditate pronuncietur. Secundum quem modum, nonnulli ad populum illum veteris Synagogæ accommodare nituntur deprecationem: quæ in Pſalmi principio ponitur: quod autem circa medium dicitur, de exhibita miſericordia, benigno reſpectu Dei, ædificatione Sion, & alia quæ ſequuntur, ad temporalem illam liberationem de Babylonica captiuitate, quæ ex Dei miſericordia poſt exactum ſeptuaginta annorũ ſpatium afflicto populo, & de afflictione humiliter clamanti fuit conceſſa. Vnde illud quod dicitur, Venit tempus miſerendi eius, quia venit tempus, de illo definito tempore ſeptuaginta annorũ, quod fuerat per Hieremiã prædictũ, exponunt. Quæ expoſitio, noſtræ nihil præiudicat: cum illa temporalis liberatio de Babylonica captiuitate, ſignũ & typus fuerit veræ liberationis per Chriſtum, in tempore gratiæ perfectæ, de qua Pſalmum nos ſumus interpretati. Siue autem vnum aliquẽ accipiamus in hoc Pſalmo orantem, ſiue populũ vniuerſum gementẽ pro liberatione, rectè quadrat applicationi titulus, qui ſic habet, Oratio pauperis, cum anxiatus fuerit, & coram Domino effuderit precẽ ſuam. Nam ſub huius pauperis nomine, indifferẽter vel vnus quilibet ſpiritu tribulato & contrito corde, vel ſimiliter affectus totus populus fidelis poteſt intelligi. ¶ Verſu 4. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei. Generaliter id quidem de omnibus hac vita corporis viuentibus veritate habet, omniũ hominum qui viuunt ſuper terrã in hoc mortali corpore dies velut fumũ deficere ſiue euaneſcere, quatenus vnuſcuiuſq; vita celerrime auſugit, & quantocyus pertranſit, vt poſtquã tranſacti

 fuerint

fuerint anni multi, sic videatur tota illa duratio præterijsse, acsi nihil fuerit, Vnde Psalmo 89. mille E
anni dicuntur esse sicut dies hesterna quæ præterijt: & anni humanæ durationis, inibi computantur
inter ea quæ pro nihilo habentur. Diligenter autem notandũ, quòd non dicit, dies suos defeciſſe ve-
lut lignum quod igne consumitur, aut velut stipulam quæ subito ardore multo corripitur, sed fumo
suæ vitæ durationem facit similem. Nam cum lignum aut stipula comburitur, aliquid videtur coram
oculis relinqui, nempe cineres aut carbones. Similiter & cum aliud quippiam solidum corrumpitur,
remanere aliquid cernimus ante oculos, quod post corruptionẽ rei illius supereſt. Verum fumus no-
bis prorsus videtur euaneſcere, ac penitus in nihilum diffluere, quantũ ad iudicium pertinet oculorũ:
nisi quòd ratio nos docet, non posse in nihilum quicquam secundum naturam resolui. Ac secundum
hoc totalis illa nostrę durationis deficientia, per comparationem fumi multo aptius, quàm per aliud
quidlibet exprimitur. Quod autem iam dictum eſt, diebus malorum atque bonorũ æque conuenit.
Omnium enim dies, quasi fumus deficiunt & pertranseunt, & ad mortẽ æque sapiens & insipiens, iu-
stus & impius, continuò tendunt. Speciali tamen modo de peccatorũ diebus dicere possumus, quod
ipsorum dies quasi fumus deficiant, quomodo non deficiunt dies iustorum: videlicet quatenus impij
tempus istud sibi à Deo benigniſsimo donatũ ad bene operandum, male expendunt, seruientes vani-
tati in desiderijs & malis concupiſcentijs suis, neque donec lucri & negociationis tempus eſt, in Dei
præceptis studeant se exercitare. Propter quod cum nihil in diebus vitæ suæ lucrati fuerint, nisi perdi- F
tionẽ & mortem, neq; vllum fructum fecerint, recte speciali modo dicuntur illorũ dies velut fumus
defeciſſe: non solum quia ipsum illud tempus huius vitę secundũ suam substantiam & suum esse per-
transijt, verumetiã qui ex tempore illo nihil boni fructus impijs remansit. Iustorum autem dies, licet
& ipsi secundum durationem transeant, tamen quodammodo in æternum permanent, nimirum se-
cundum fructum æternũ quem in vita labili bonis actionibus studuerunt apud Dei misericordiam
promereri. Quomodo enim omnino tempus illud perijsse dicemus, quod absccedens, tẽpus sine tem-
pore, id eſt, æternitatẽ vitę relinquit? Cum enim vitę huius abscedentis terminus, initium præbeat al-
terius vitæ nunquã finiendæ, nequaquam dicere nobis licebit, quod sicut fumus dies illi omnino de-
ficiant. Secundum quam consideratione, etiam vulgo tempora illa, aut dies illos non dicimus perijs-
se, quæ in bonis operationibus vtiliter & cum fructu expendimus. Quæ autem sine bono fructu, pe-
rijsse nobis (& id quidẽ iustiſsime) fatemur. Non enim perditur tempus, nõ euanescit vt fumus quod
tam solida vitę beatę æternitate commutatur. Omnino autẽ perijt tempus: quod cum euanuerit, ter-
minumq; ceperit, nihil vltra vitæ relinquit, nisi perditione & mortem æternã. Hinc & in alio Psalmo
Psal. 36. dicitur, Nouit Dominus dies immaculatorũ. Quæ autem nouit Deus, & quæ ipse ponit ante oculos
suos, profecto nõ omnino euanuerunt vt fumus, cuius nulla eſt memoria cum diſparuerit. Manifeſtũ
eſt itaque, locum propositũ de dierum huius vitæ defectu, posse duobus modis intelligi, siue genera- G
liter ad omnes bonos atq; malos, siue specialiter ad malos: quomodo recte accipi poteſt, cum à pœ-
nitente Psalmus pronunciatur, qui confitetur in vanitate se consumpsisse dies suos. ¶ Versu eodem,
Ossa mea sicut cremiũ aruerunt. Pro cremio in Græco ponitur φρύγιον: pro aruerunt verò, συνεφρύγη-
σαν. Significat autẽ phrygion, aliquid quod frigitur. Vnde ad verbum verti posset, Ossa mea quasi fri-
xum aliquid confrixa sunt. Secundum quem fere modum habet Psalteriũ Romanum, Ossa mea sicut
in frixorio (id eſt, in patella frixoria) confrixa sunt. Nostra autem lectio, pulchre apteque eandem ex-
primit sententiam, pro eo quod frigitur, ponens cremium. Nihil enim eſt quod sic igne solet frigi, vt
cremium. Tam diu enim in frixorio torreri permittitur, donec vel minimum aliquid pinguedinis in
eo fuerit reliquum. Quin & ferreo instrumento solet ad patellæ latera igne velut candentia fortiter
comprimi, vt omnis ex eo per vim ignis extorqueatur pinguedo. Pulchre quoq; eandem sententiam
expreſsit Hieronymus, dicens, Ossa mea quasi frixa contabuerunt. Ossa autem ista, in Elucidatione
indicauimus intelligi posse, vel corporis ossa, vel spiritus: & hanc confrixionẽ siue arefactionẽ, posse
item de corporali vel spirituali defectu intelligi. Qui enim in multo dolore eſt positus, spiritu trişti
Prou. 17. (iuxta verbum Sapientis) exiccante ossa medullis consumptis, vehementer deficit, solitoque priua-
tur corporis robore. Frequenter etiam animæ ossa, id eſt, vires & potentiæ exhauriuntur, flaccescũt, H
deficiunt, ac velut eneruantur, fiuntque omnia torpida, & ad bonum pigra, cum nimia fuerit & ni-
mium prolixa tribulatio. Triſtitia enim per se vires animæ diſſoluit, & torpidas facit, vt nihil boni
agere libeat. Specialiter etiam confrixantur & exhauriuntur ossa animæ, quasi cremium, per feruen-
tem malæ concupiſcentię ignem: qui ignis vbi sæuire permittitur, mirum in modum cunctas exhaur-
rit & eneruat animæ vires, vt ad omne bonum fiant impotẽtes. Vnde cum pœnitens hunc Psalmum
pronunciat, recte de tali arefactione poterit partem istam intelligere. ¶ Versu 5. Percuſsus sum vt fœ-
num, & aruit cor meum. Sol dicitur percutere herbam, vel gramen, vel aliud quippiam, cum suo ve-
hementi ardoris æstu flagrans, nocumentum infert virori illius: vt flaccescere, arescere, languere, vel
exiccari ipsum faciat, eo quòd sui ardoris vehementia super ipsum ceciderit. Aeſtus autem iste vel ex
dolore afflictionis intelligitur, qua Dei permiſsione affligi homo sinitur, vel ex feruore (quem iam
diximus) malæ concupiſcentiæ. Ab vtroque enim æstu contingit percuti hominem vt arescat. In par-
te autem secunda, quod dicitur de pane quem oblitus eſt comedere, id similiter vt priora, vel de cor-
Deut. 8. porali, vel de spirituali pane, poteſt exponi, quemadmodum in Elucidatione indicauimus. Quomo-
Matt. 4. do autem panis aliquis sit spiritualis, Saluator monſtrat in Euangelio, cum tentatori respondens ait,
Lucæ 4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Et iterum ad discipu-
Ioan. 4. los, Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me. Hunc autem obliuiſcuntur manducare,
Ioan. 6. qui mandata & verba Dei negligunt meditari, atque intra cordis intima traijcere, vt inde paſcantur:

quoniam

A quoniam spiritus & vita sunt. Cuiusmodi neglectores impoſsibile eſt non continuò in spiritu defi-
cere. Vt enim in corpore eſt calor corporalis, qui continua sua actione aliquid deperdit humoris si-
ue vigoris corporalis, nisi per alimentum prospiciatur, vt continua fiat deperditi reparatio: sic eſt in
homine ignis concupiſcentiæ carnalis, qui semper ad malum solicitans atq; ab omni bono auocans,
sic continuò velut hauriat animam suo vigore, quantum ad bonum virtutis, eamq; in bono debilem
& infimam reddit, nisi per continuam meditationem diuinorum eloquiorum & iugem ruminatio-
nem diuinæ legis, animæ prospiciatur aduersus illius mali æstus prauam actionẽ. Ac de pane isto spi-
rituali manifeste exponit Paraph. Chald. quæ hoc loco habet, Oblitus sum legem doctrinæ meæ, id
eſt, legem quam sum edoctus, quam didici à Deo. ¶ Versu 6. Adhæsit os meum carni meæ. Caro vi-
detur pro cute posita. Vnde Threnorum quarto, vbi translatio nostra habet, Adhæsit cutis eorum
ossibus, aruit & facta eſt quasi lignum, in Hebræo habetur vocabulum significans carnem, sed pro Thren. 4.
cute ponitur. Econtrario verò interdum cutis pro carne ponitur. Sunt enim hæc sibiinuicem proxi-
ma, vt facile accipi possit alterum pro altero. ¶ Versu 7. Similis factus sum pelicano solitudinis. Per
comparationem harum auium quæ hic exprimuntur, præcipue suam quærit exprimere desolatio-
nem. Pelicanus solitudinis siue deserti dicitur, quod solitudinem siue desertum quærat, publicum fu-
B giens, vt solent homines amaro & afflicto animo, quibus eſt grauis atque molestus omnis tumultus
multitudinis. Nycticorax autem in domicilio, auem significat lucifugam & quærentẽ tenebras, quæ
comparatio rectè etiam animo contribulato competit, quærenti tenebrarum latibula. Eſt autem
nycticorax Græca vox secundum suam compositionem significans nocturnum coruum. Siquidem
Græcis νὺξ significat noctem, κόραξ verò coruum. Vnde νυκτικόραξ, noctis coruum vel nocturnum cor-
uum valet. Et putant quidem significari vel spertilionem, quæ nocte volitat: sed melius noctuam in-
telligimus siue bubonem. Nam B. Hieronymus, pro nycticorace in domicilio, vertit, bubonem soli-
tudinum. Felix, nocticoracem vel bubonem deuastationum, vertit: id eſt, habitantẽ in loco deuasta-
to, derelicto, & solitario. Pro pelicano autem, priore loco quidam vertunt onocrotalum vel mone-
dulam. Hieronymus autem nobiscum vertit pelicanum. Perparum autem refert, quid legatur: quo-
niam non tam auium proprietates vllæ speciales quæruntur, quàm ipsa solitudinis desolatio. Et ipsi
quoque Hebræi non consentiunt in huiusmodi auium cæterarumque specierum animalium nomi-
nationibus, plurimumque abinuicem in his diſsentiunt. ¶ Versu 9. Qui laudabant me, aduersum me
iurabant. Laudantes istos in Elucidatione exposuimus eos qui olim ante conuersionem nos lauda-
bant, cum essemus ipsis peccatorum socij: qui postmodum pœnitentiæ propositum sectari volentes
perſequuntur, ad priſtinam vitam mala sua vexatione pertrahere molientes. Cui consonat, quod in
C tertio pœnitentiali Psalmo pluribus verbis dicitur, Amici mei & proximi mei, aduersum me appro- Psal. 37.
pinquauerunt & steterunt. Et qui iuxta me erant, de longe steterunt, & vim faciebant qui quærebant
animam meam. Secunda quoque interpretatione indicauimus significari eos, qui verbis simulato-
rijs & fictis adulantur, vt sub specie amicitiæ siue boni facilius noceant. Possumus tamen his tertiam
adijcere intelligentiã, vt laudantes accipiamus per contrarium, pro deridentibus siue deludentibus.
Solemus enim effictis laudibus deludere. Atque ita sensus erit, Deludentes vel deridentes me aduer-
sum me iurabant. Pro quo facit, quod vertit Felix, Deludentes me, vel dicentes me stultum, vel deri-
dentes me, in me iurauerunt. Nec diſsonat quod habet Chal. Paraph. Blaſphemantes siue conuician-
tes verbis, iurantesq; in vanũ. Ad quem etiam sensum reduci poteſt quod vertit Hieronymus, Exul-
tantes per me iurabant. Exultant enim in illusione, qui derident. ¶ Versu 10. Quia cinerem tanquam
panem manducabam. Poteſt hæc oratio accipi secundum transpositionem verborum, ad hunc sen-
sum, Panem sicut cinerem comedi, secundum quem forè modum apud Poëtam dicitur, Perflauit fi-
ſtula buccas, loco huius, Perflarunt buccæ fiſtulam. Atq; ita significat dolens, panem sibi non magis
quàm cinerem fuiſse sapidum, & absque omni delectatione se cibum manducaſse, æque acsi mandu-
caſſet cinerem, in cuius esu manifeſtum eſt non esse voluptatem. Secundo accipitur hæc oratio se-
cundum proprium situm partium, vt sit sensus, Comedi cinerem loco panis. Perinde mihi fuit, siue
D panem siue cinerem manducarem. Iuxta quam sententiam quidam ex Hebræo vertunt, Cinerem lo-
co panis comedi, vel comedi cinerem simul cum pane, quasi non discernens inter panem & cinerem,
nec curans à pane abstergere adhærentem, vel abscindere coctione adglutinatum cinerem. Atque
ita vertit Felix, Quia cinerem vnà cum pane comedi. ¶ Versu 11. Quia eleuans allisisti me. Hoc ser-
mone significare videtur grauem collisionem, & vehementem contritionem. Quæ enim in altum
eleuata in terram proijcimus, fortius alliduntur, & vehementius conteruntur. Iuxta quem modum,
in Elucidatione nos sumus interpretati. Poteſt tamen etiam aliter intelligi, secundum quod in alio
Psalmo dicitur, Exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus. Quoldam enim Deus post ma- Psal. 87.
gnam exaltationem humiliat, quorum tanto eſt casus grauior, quanto erat gradus altior, ad quem
fuerant sublimati. Quod de toto genere humano facile eſt intelligere. In sublimi siquidem nobili
tatis gradu Deus hominem constituerat ab initio: vnde illum in lapsum miserandum permisit cor-
ruere. Specialiter etiam singularibus hominibus id frequenter accidit, vt post magnam exaltationem
in graues tentationes permittantur ex Dei dispensatione incidere. De qua re, præsentem versum nõ
incongrue licebit accipere. ¶ Versu 14. Qua tempus miserendi eius, quia venit tempus. Tempus mi- Ephe. 4.
serendi eius, valet, vt, vel quo miserearis eius. Vnde Hieronymus ex Hebræo sic vertit, Quia tempus
eſt, vt miserearis eius. Secundo autem loco, cum iterum dicitur, quia venit tempus, in Hebræo alia di-
ctio eſt, quàm in loco priore. Hic enim simpliciter tempus ponitur. Dictio autem quæ secundo loco
habetur, non significat simpliciter tempus, sed quasi tempus definitum, siue ex pacto atque con-

dicto constitutum. Propter quod explicandum B.Hieronymus in sua versione & tempus & pactum E
constituit,hoc modo,Quoniam venit tempus,quoniam venit pactum:quod vno sermone dicere po-
tuisset, Tempus pacti vel tempus condicti, siue tempus condictum & constitutum, videlicet ad mi-
serendum:quod aliqui(vt iam antè diximus)exponunt de impletione 70.annorum,nos verò de tem-
poris plenitudine,de tempore acceptabili,& die salutis,cuius meminit ex Esaia Propheta Paulus A-
postolus capitulo sexto Epistolæ posterioris ad Corinthios. ¶Versu 15. Quoniam placuerunt seruis
Esaiæ 49. tuis lapides eius. Quomodo lapides,ex quibus Sion ædificata est,complacuerint seruis Dei architec-
2.Cor.6. tis illis & ædificatoribus sanctis Apostolis, per quorũ ministerium ædificata est, ex ipsorũ scriptis,
gestis & passionibus euidentissime cognoscimus. Quid enim aliud omnia Apostolorum scripta te-
1.Cor. 4. stantur,quàm immensum quendã summæ charitatis affectum, quo fideles suos,lapides Sion,diligebant:
2.Cor.12. quos vt filios charissimos, affectu plusquam paterno siue materno complexabantur, vt cuperent & sua omnia impendere,& seipsos superimpendere pro animabus illorum? Quid aliud sibi volunt tanti illi labores, quos causa horum lapidum in vnum hoc ædificium pariter colligendorum, subierunt? Quid aliud denique insignes illi martyriorũ agones,quibus tam viriliter pro nostrę salutaris fidei confirmatione decertarunt?Verè ergo placuerunt seruis tuis lapides Sion,id est,dilexerunt eos,& beneplacẽtes habuerunt.Terram autem in secunda parte versus accipe pro puluere. Nam ita
sonat dictio Græca χοῦν,hoc loco posita.Vertit etiã ita Hieronymus,& cæteri ex Hebræo interpre- F
tes, Pulueri eius miserebuntur, Per puluerem autem conuenienter intelligimus viliſsimos filiorum hominum,qui erant velut conculcatio pedum,quibus etiam Deus in tempore gratię misericordiam contulit.Non enim tantum ad lapides vsque,non solum vsq; ad eos,qui aliquid esse videbantur,verumetiam ad infimum vsq; puluerem saluandum se humiliauit, qui nostrum puluerem in sese assumere est dignatus Iesus Christus Dominus noster in sæcula benedictus,Amen. ¶Versu 19. Scribantur hæc in generatione altera,&c. Intelligi potest,in generationibus alijs posterioribus, vel specialiPsal. 21. ter de generatione noua quæ erat ventura in tempore gratiæ,de qua dicitur Psal. 2 . Annunciabitur Domino generatio ventura. Pro quo etiam facit, quod in Hebræo habetur, generatio nouissima, quemadmodum legit Hieronymus ac cæteri ex Hebræo interpretes. Quanuis & hoc conuenienter sic posset intelligi, Scribẽtur hæc etiã in generatione vel pro generatione nouissima,id est ita vt etiã vltima generatio cognoscat & intelligat: vt significetur,in æternum misericordiæ Dei non futuram obliuionem.Præpositio autem in,cum dicitur,In generatione altera,videtur posita loco pro,vel ad: vt sit sensus,Scribentur hæc pro generatione altera,vel ad generationẽ alteram:vel per datiuum,ipsi generationi alteri. ¶Versu 21. Vt solueret filios interemptorũ.Facilius est quod in Hebræo ponitur, Vt solueret filios mortis,hoc est,morti deuotos,destinatos siue addictos, cuiusmodi erant omnes filij hominum. Iuxta quam sententiam habet Chal.Paraph. Vt solueret eos qui morti traditi siue ad- G
dicti sunt. Et Felix,Appropinquantes morti,vel iudicatos ad mortem interpretatur.In quã fere ten-
tentiam etiam nostra lectio reduci potest, vt in Elucidatione monstrauimus. ¶Versu 23 In conueniendo populos in vnum & reges,vt seruiant Domino. Clarius hoc ita legit Hieronymus,Cum cõgregati fuerint populi simul & regna,vt seruiant Domino.Cum autem loco regũ ponit regna,hoc ipso indicat, sub regibus debere populos simul quibus præsunt comprehendi. ¶Versu 24. Respondit ei in via virtutis suæ. Per virtutem,hoc loco non accipias bonitatẽ. Significat enim virtus hic nõ aliud, quam robur aut fortitudinẽ,id quod tam ex Hebræo,quam ex Græco est euidens.Vnde non ad intentionẽ Psalmi loquuntur,qui viam virtutis suæ exponunt,viam bonitatis & æquitatis Dei: sed via fortitudinis debet intelligi. Sciendum tamen quod hunc locum diuersi diuersimode exponunt. Alij enim pro suppositio verbi respondit,constituunt Deum, & eundem pro antecedente relatiui suæ assignant,ad hunc sensum,Respondit Dominus populo suo in via fortitudinis suę. Cuius lectionis potest hic accipi sensus, Cum congregarentur populi in vnum,& reges vt seruiant Domino,non defuit suo populo Deus,sed ipse beneficio gratiæ suæ illis respondit,illis satisfecit (vt ita loquamur) illorũ bonam voluntatem & pium desiderium sua gratia adimplens:sic,inquam,eis respondit in via suę for- H
titudinis,id est,iuxta viam suæ fortitudinis,iuxta quod potens est in auxiliando,& fortis vt auxilium præbeat populo suo,Quod autem deinde subsequitur, Paucitatem dierum meorũ nuncia mihi,&c. Vox est populi alloquentis adiutorem Dominum,In Elucidatione verò pro suppositio verbi respondit,accepimus populum,itemq; pro antecedente relatiui suę,ad hunc sensum,Populus Domini,Sion & Hierusalem,respondit ei suo Domino in via suæ fortitudinis,id est,alloquutus est Dominũ in via, per quam in fortitudine currebat post ipsum,dicens,Paucitatem dierum meorum,&c. Quam interpretationem in Elucidatione semel positam non replicamus.Hebraica tamen lectio cum neutra iam dictarum expositionum consentit, de quo videre poteris in annotationibus ex Hebræo. ¶Versu 25. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.Inuenimus in scripturis dierũ plenitudinem,inuenimus & dimidium. Atque hæc non secundum temporis mensuram simpliciter accipiuntur, sed potius seSapien.4. cundum perfectionem virtutum.Vnde de annorũ plenitudine apud Sapientem ita legimus,Consummatus in breui,expleuit tempora multa.Et iterum,Senectus venerabilis est,non diuturna,neque anEphe.4. norum numero computata.Cani enim sensus hominis,& ætas senectutis vita immaculata.Et hæc est illa ætatis perfectio,de qua Paulus apud Ephesios loquitur,dicens,Donec occurramus omnes in virum perfectum,in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nam in consummatione fidei atq; virtutũ, vult fideles fieri perfectos viros, & iustam quantitatem siue mensuram ætatis accipere, vt digni sint Christo,& in illo pleni inueniantur.Per oppositum verò,dimidium dierum tantum habent,qui nondum in Christo iustam & sufficientem perfectionem habent, qui consummati nondum in Deo sunt, minus

A minus habentes quam habere oporteat,siue quam requirat Deus.Hinc etiam pueros centum annorum nouit scriptura, qui nondum ad dimidium dierum peruenerunt, annum agentes centesimum, cum adhuc pueri nuncupantur. Et puer centum annorum (inquit Esaias) maledictus erit.Et in alio Esaiæ 65.
Psalmo scribitur, Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, quod conuenienter ad pro- Psal. 54.
positam sententiam potest exponi.Et frequẽter Paulus Apostolus pueros vocat,quamuis secundum
ætatem viros, eos qui nondum in fide & virtutibus perfecti sunt. Merito ergo oramus, non auferri Apoc. 3.
in dimidio dierum, sed magis petimus plenitudinem dierum donari nobis, id est, consummati fieri
in fide,virtutibus atque operibus bonis,antequam hinc auferamur:videlicet metuentes,ne illud audire nos contingat,quod in Apocalypsi cum increpatione dicitur,Non inuenio opera tua plena coram Deo,& ne cum fatuis virginibus in dimidio dierũ subito præoccupati,tantum lampades inueniamur manibus tenere,destituti oleo. Quidam verò dimidium istud dierum accipiunt secundum literam,de medio tempore ætatis humanæ.Videtur enim tempus hoc,quo homo viuit in medio vitæ, esse minus ad mortem commodum : quoniam tunc solent vt plurimum homines esse minus boni. Optima verò mors est,quæ in optimo statu hominẽ inuenit.Vnde ad oculum cernimus,quosdã eorum qui in ætate puerili atq; etiam in adolescentia,qualemcunq; vitam duxerunt,fuerunt q; studioſi
B vtcunque virtutũ & bonarum actionum, vbi ad ætatem virilem peruenerint,ad vitæ suæ dimidium, Deum derelinquere,& penitus se vel impudicitiæ tradere,vel auaritiæ mancipare,aut ambitioni inseruire, atq; ita prorsus Deum negligere:vt multo huiusmodi melius fuisset in ætate minori tolli de medio,quam in vitæ suæ dimidio.In senectute verò(quæ est dierũ hominis vltimum) non raro fit,vt appropinquante fine,& deficiente corporis robore,plæriq; agant pœnitentiã vitæ prioris,passionibꝰ quæ vigebant in ætate priori in vitæ dimidio, iam vel in totũ cessantibus, vel vt minimum aliqua ex parte sedatis.Et castigantur tum ipsi de manu Domini,varijs morbis & miserijs, quibus ætatis prioris delicta purgantur, cum vt de manu Domini, cum patientia & gratitudine fuerunt susceptæ. Vnde multo est salubrior mors istorũ, in dierũ vltimo,quam fuisset in dierũ dimidio. Adde,quod in pueritia siue in adolescẽtia, priusquã rebus huius mundi impliciti sunt homines,& malitiã sæculi experti, parum sibi metuentes,propter qualemcunque innocentiã,& non ita multũ vitæ huius rebus implici ti,facile se ad mortem Domino vocante resignant, & libenter pulsanti Domino aperiunt ostium. Necdum enim penitus illis viget mundus, neq; curis vxorũ, filiorum,familiæ,aut aliarũ similium rerum sunt impliciti,neque habent quæ illos multũ remorentur.Senes quoque,corpore penitus defi-
ciente,morte iam multo antè expectata,& ipsi plærunque facilius se dedunt in manus Domini,& ve-
nienti occurrere solent,si est in illis quicquam veræ sapientiæ. In medio autẽ dierum,quando maxi-
C me homini floret mundus,quando iam diuitias, honores, gloriã incipit põsidere, lætari in vxore & liberis,in familia,prædijs,alijsq; huiusmodi,ô quam es amara mors eiusmodi hominibus, q̃ reluctãtes tu huiusmodi prosternis,siquando in illos venenato tuo telo desæuire te contigerit.Solent enim huiusmodi ægerrime reddere animã, & vix induci possunt, vt ad mortẽ se dignam Deo præparent, non credentes in medio suo robore,ita se posse morbo superari:& tam ardens est adhuc affectus erga eam in qua demorantur substantiã, vt non nisi maxima difficultate ab ea possint auelli. Propter quod,per Sapientẽ recte dicitur,O mors,quàm amara est memoria tua homini habenti pacẽ in sub- Eccle. 41.
stantijs suis,viro quieto,& cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. Hac ergo consideratione, secundũ formam præsentis versiculi, quidam sic merito existimant orandum, vt non reuocet nos Deus in dierum nostrorum dimidio. Altera autem sententia illa prior magis est spiritualis,& spiritualiter oranti magis congruit. Non est enim hominis, Deo præscribere tempus, quando auferri velit de medio.Hoc tantum oret,vt mortẽ bonam cõsequatur:cæterum,quando,vbi aut quomodo,in Dei manu relinquat, cui pro nostra vtilitate nouit cuncta sapienter administrare.

CII. PSALMI ARGVMENTVM.

D *PSalmus iste exhortationem continet ad laudem Dei, pro immensis & innumeris eius beneficijs,quæ misericorditer præstitit humano generi: peccata dimittens pœnitentibus, infirmitates sanans, à morte redimens, in misericordia coronans,desiderium adimplens bonis,iuuentutem renouans,misericordiam & iudicium faciens oppressis,legem directricem ferens populo, propter nimiam misericordiam non irascens imperpetuum,neq; seuere agens cum suis,etiam peccantes electos non pro exigentia & condignitate demeriti puniens,sed paterna disciplina ad emendationem potius corripiens , propter misericordiam super omnes electos confirmatam, qua etiam longissime à pœnitentibus abijcit peccata, affectu plusquam paterno erga nos affectus, cognoscens qualesimus figmentum, quodq; non aliud quàm puluis & terra simus, & durationis permodicæ, ad modum graminis virentis,& floris exorientis, quorum est viror & pulchritudo nimium instabilis.* Atq; hæc omnia vsq; ad ver- *sum decimum sextum. Vbi deinde,Dei misericordiam simul & iustitiam,siue veritatem prædicat erga omnes fideles seruos, qui soliciti sunt obseruare mandata Domini.Versu autem decimo nono,eius gloriosa in cælis sede & imperio vniuersali prædicatis,sequentibus deinde versibus,angelicos exercitus ad collaudandum inuitat,simul & vniuersa opera altissimi,vt omnis creatura in laude versetur creatoris.*

CENTESIMISECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Benedic anima mea Domino:*

Mea anima, creatura nobilis, & dignitate nimium excelsa, te hortor ad laudem domini Dei, qui in sua natura condidit omnia, ac te peculiariter rationalem esse fecit, vt illum posses agnoscere,agnitũ laudare: insuper & imaginem suã in te impressit siue inspirauit, suiq; fecit capacem, vt eo tu in æternum perfrua-

Universidad de Deusto Biblioteca

* *& omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.*

Psal. 112. 2 *Benedic anima mea Domino:*

* *& noli obliuiſci omnes retributiones eius.*

3 *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis:*

* *qui ſanat omnes infirmitates tuas.*

Psal. 9. 1. Cor. 10. 4 *Qui redemit de interitu vitam tuam:*

Psal. 32. Psal. 118. Psal. 144. 1. Cor. 1. * *qui coronat te in miſericordia & miſeratio nibus.*

Iacob. 1. Lucæ 1. 5 *Qui replet in bonis deſiderium tuum:*

* *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*

6 *Faciens miſericordias Dominus & iudicium omnibus iniuriã patientibus.*

7 *Notas fecit vias ſuas Moyſi:*

* *filijs Iſraël voluntates ſuas.*

8 *Miſerator & miſericors Dominus:*

Psal. 147.

perfruaris: * quæcunq; intra me ſunt, etiam intima mihi, omnia membra, omnes vires, ſiue ex parte corporis, ſiue ex parte animæ mihi inexiſtentes, oſa hæc interiora mea, vos ego inuito & exhortor ad dandam laudem & confeſsionem ſancto nomini eius, quod eſt benedictũ in omnia ſæcula. 2. Iterum tibi dico, ô mea anima, rurſum te exhortor creatura nobilis & excelſa, dominum Deum creatorem tuũ celebra, laude qua poteris, tam pro temetipſa, quam pro vniuerſis mirabilibus operibus eius: * & caue diligentiſsime, ne ingrata inueniaris beneficentiſsimo creatori tuo, caue negligas, vel obliuiſcaris beneficia Dei tui, tanta & tam multa, quę tibi præſtitit, de nihilo te creando, ſua imagine atque ſimilitudine te inſigniendo, cæteris omnibus ſecundum nobilitatem auferendo, & ad ventura inæſtimabilia bona præparãdo: cauendum vtiq; tibi eſt, ne poſt tanta accepta beneficia, ô anima mea, taceas à laude talis benefactoris tui, quaſi vel non acceperis, vel non attendas beneficia eius. 3. Vt enim illa taceam maxima, quę ad naturalem dignitatem & ſublimitatẽ attinẽt, & illa quæ gratiæ ſunt commemorẽ: ecce ipſe eſt, qui ſolus dimittit tibi peccata, qui ſolus te poteſt ſaluam facere ab omnibus tuis iniquitatibus, quantumcunque magnis, quantumlibet multis, quocunq; tandẽ modo, ſiue cogitatione, ſiue loquutione, ſiue opere patratis: qui tam potens eſt, vt poſsit te à peccatis emundare & tam bonus atq; miſericors vt velit, quotieſcunq; ex vero corde iniquitatis tuæ egeris pœnitentiã: * ipſe ſolus tuus eſt medicus, qui te poteſt & vult curare ab omnibus vulneribus, ſanare ab omnib⁹ infirmitatibus, id eſt, ab omnibus defectibus atque miſerijs facere liberã, & in bona ſpiritus valetudine confirmare: quomodo medicus corporalia ſanat vulnera. 4. Ipſe eſt qui tuam vitam redemit à morte, qui te à morte cuſtodit vel liberat, qui etiã in grauiſsimis periculis te præſeruat ne abſorbearis à morte: ſicque à portis mortis te exaltat, faciens cum tentatione prouentũ, vt ſuſtinere poſsis, atq; etiã, ſi in mortem te contigerit incidiſſe, ipſe eſt qui te poteſt de faucibus mortis eripere, mortis condemnationẽ auferre, & in ſpem vitę æternę reſtituere: ſicque de ventre inferni reducere: quomodo genus humanũ ſub morte cõcluſum, ſaluauit à perditione interitus, & ad ſpem vitæ reparauit: * ipſe eſt qui te coronat & circumcingit miſericordia ſua inexhauſta, qua plena eſt terra, & indeficientibus miſerationibus, quæ ſunt ſuper omnia opera eius: qui ex omni parte abundantiſsime tibi prouidet, & cumulatiſsime te adornat, ne quicquam tibi deſit in vlla gratia, donec tandem omnis boni accumulatione perfecte te fœlicem reddat. 5. Ipſe eſt qui tuũ deſiderium adimplet in omnibus verè bonis, qui ſolus potens eſt humanum adimplere deſiderium, qui tibi dat petitiones cordis tui, qui tibi omnia quæ petieris, abundanter tribuit, & non improperat, eſurientemque adimplet bonis: * per quem iuuentus tua renouatur ad modum reiuueneſcentis aquilæ, qui te à corpore & defectu malæ ſenectutis ſpiritualis poteſt ad vigorem debitum & fortitudinẽ bonã reſtaurare, ſicque velut à ſenectute ad iuuentutẽ reparare, etiamſi ad maximam vſque ſenectutem deueniſſes, cuiuſmodi eſt aquilarum ſenectus. Et cum te à ſenectute ad iuuentutem reparauerit, erit iſta tua iuuentus, quaſi iuuentus aquilæ, viuaciſsima ſcilicet, & ad excelſa petẽdum cæleſtiaq; contemplandũ validiſsima: quomodo aquila in iuuentute ſua viuaciſsima eſt, & ad volandum in excelſum prævalida, inſuper & ad contuendum Solis rotam irreuerberatis oculis ſufficiens. 6. Ipſe eſt qui miſericordiam & iudicium facit cum omnibus patientibus iniuriam, per miſericordiã illis ſubueniendo, vel de tentatione & oppreſſione eripiat patientes, vel in tentatione confirmet ſua gratia: per iudicium verò, oppreſſos liberando, & opprimentes iuſta vltione puniendo. 7. Ipſe notas fecit Moyſi patri noſtro vias ſuas: præcepta, mãdata, & iuſtificationes, in quibus ambulare & viuere voluit populũ ſuũ, Moyſi ipſe omnia reuelauit: * ac per hunc deinde oẽs filios Iſraël cognoſcere fecit voluntatẽ ſuam, cuncta videlicet quę ab illis voluiſſet obſeruari. Per hunc enim Dominus legẽ dedit populo ſuo, qua ſignificatur & exprimitur voluntas legẽ dantis: ꝙ indubie magnũ eſt beneficium, ſic lege cælitus data eſt in denſiſsimis huius mundi tenebris Dei voluntatem reuelari, tanquã ſi per tenebroſam viam in multo periculo ambulantibus, ſubito quis claritatẽ lucis attulerit. Neq; taliter omni nationi fecit Dominus, neq; iudicia ſua omnib⁹ ſic manifeſtauit. 8. Ipſe eſt cui proprium

* *longanimis:*

* *& multum miſericors.*

9 *Non inperpetuũ iraſcetur:*

* *neq; in æternum comminabitur:*

10 *Nõ ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.*

11 *Quoniam ſecũdum altitudinem cæli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.*

12 *Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras.*

13 *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe:*

* *quoniam ipſe cognouit figmentũ noſtrum.*

proprium eſt miſereri & parcere, ſemper miſereri ſolitus omnib⁹ miſericordiã poſtulantibus, vt eſt natura clemẽs atq; miſericors, imò ipſa miſericordia: * eſt longanimis & patiens, non ſtatim vindicta inferens peccantibus, nõ continuò in peccatorẽ condẽnationis ſententiã pronuncians, ſed longanimitate ſua & patientia inuitas peccatorẽ ad pœnitentiã, ita vt quodammodo ſtet expectans, donec miſereatur noſtri: * & eſt in omnibus ſupra modũ miſericors: præ omnibus q̃ in eo prædicatur, effulget & eminet miſericordia, qua plena eſt terra, quę eſt ſuper omnẽ carnẽ, quæ ſuperexaltat iudicium, quę eſt à progenie in progenies omnibus timentibus eum. 9. Et quia ſic clemens eſt, & multum miſericors, fieri nõ poterit, vt nihil niſi iraſcatur, & in finẽ penitus iraſcatur aduerſus genus humanũ, ita vt nunquã ſe placari permittat: ſed poſtquã aliquandiu iratum ſe monſtrauerit propter iuſtitiã, ſuperuincet miſericordia, & ea flectetur ad miſerendũ atque parcendũ infirmo generi: * & licet aliquãdiu videatur cõminari, videatur dura loqui, minas intẽtare, oſtentare terrores, vel in verbis increpatorijs per ora prophetarũ aut ſcripturę ſanctę, vel etiã in plagis & afflictionibus tẽporalibus, nõ id tamẽ perpetuò durabit, ſed opportuno tẽpore recordabitur miſericordiæ ſuæ, & vultum benignũ demõſtrabit pœnitẽti populo, & blãdius cum eo aget cõuerſo, cum quo durius antè egerat, vt ad pœnitentiã adduceret delinquentes. 10. Et licet ſubinde ad correptionẽ delinquẽtium, terribiles plagas immittat in populũ ſuũ, ſemper tamen ſuperuincit miſericordia, in eo q̃ longe infrà condignitatẽ ſceleris punit peccatum, neq; ſecundũ proportionẽ ad patratã malitiã ſuffi cienter dignã infert peccantibus pœnã, nõ ſatis pro demerito, puniendo delicta, ſi rigorem ſpectemus iuſtitiæ ac iuſti iudicij eius. Nos enim quotidie offendimus in multis, & grauiter nimiũ ſubinde offendimus: ipſe tamen nõ ſtatim, neq; ſemper adhibet vltionẽ. Et cum ſubinde ad vindicta extendit manũ ſuã, non iuxta condignitatẽ demeriti, extremo rigore punit ſeruos delinquẽtes, ſed paterna correctione ſiue diſciplina vtiliter corripit: nõ vt damnet, ſed vt ſaluet electos, & vt nõ in æternum pereant, ſi impuniti permaneant in impietatibus ſuis. 11. Nam ſecundum altitudinẽ cæli à terra, quantũ altius eſt cælũ à terra, ita dominus corroborauit, confortauit, prævalere fecit, & ſuperexaltauit ſuam miſericordiã ſuper oẽs qui timent eũ: longe ſuperat miſericordia eius omnẽ noſtram malitiã, neque fieri poteſt vt aliquando exhauriatur vel deſtruatur Dei miſericordia noſtra quantacunq; & quãlibet multiplicata malitia: nõ poteſt eſſe tanta noſtra iniquitas, cui nõ poſsit propitiari illius miſericordia, ſi in vero corde egerimus pœnitentiam. 12. Ipſe eſt qui à nobis pœnitẽtib⁹ longiſsime profligauit & elongauit iniquitates noſtras ſecundũ maximã diſtantiã, cuiuſmodi eſt diſtãtia orientis ab occidente, hoc eſt, puriſsimos nos fecit à peccatis noſtris, & pleniſsime abſtulit, amouit, & ſeparauit à nobis pœnitẽtibus peccata noſtra, tanquã ſi nunquã fuiſsẽt in nobis, nec facile poſsint ipſa ad nos aut nos ad ea redire: quemadmodũ id ꝙ in occidente eſt, longiſsime abeſt ab eo ꝙ in oriente eſt ſitum, nec poſſunt iſta facile adinuicem accidere. 13. Neque mirum, ſi tam benigne nobis Deus noſter miſereatur, & iniquitates auferat. Eſt enim affectu verè paterno, imò pluſquã paterno, erga oẽs metuentes eum: & ſic miſeretur noſtri, ſiquando cõtingat nos offendere, vt nõ ſtatim proijciat in mortẽ, quõ pater miſeretur filij errantis, nõ ſtatim illũ à ſe repellens, ac penitus abijciẽs, vbi in aliquo offenderit, ſed potius corripiẽs verbo ac verbere, vt ad bonã viã reducat errantẽ, omniq; ſolicitudine laborãs emendare illũ, vt nõ pereat: pœnitenti verò libentiſsime indulgẽs, & condonans omnia ſcelera, ſuper perditi filij reditu feſtũ & gaudiũ magnum faciẽs, quoniã perierat ille, & inuentus eſt, mortuus fuerat & reuixit: * Quare autẽ ad miſerendũ humano generi ſit Dei miſericordia ita prompta, ſemperq; parata, ratio eſt, quoniã ipſe cognouit conditionẽ figmenti noſtri, ipſe optime nouit, q̃ vile figmentum, q̃ pauperculę creaturę nos ſimus, qui de limo terræ ſumus formati, & carne cõſtamus, atq; ſanguine, in quib⁹ ex vitiata natura correptio praua pronitasque ad omne malũ inhabitat, ita vt ſenſus hoĩs & cuncta cogitatio humani cordis intenta ſint ad malũ omni tẽpore, ab adoleſcentia ſua: cuius noſtræ infirmitatis cõſideratio cõmouet illũ ad ſic miſeris miſerendũ, quomodo ſolent etiã homines illis facilius cõdonare, quos videt naturali inclinatione vehemẽtiſsime ad mala

14 *Recordatus est quoniam puluis sumus:*
* *homo sicut fœnũ dies eius:*
Gene. 3. Matt. 6. Lucæ 12. * *tanquam flos agri sic efflorebit.*
15 *Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & non cognoscet amplius locũ suum.*
Psal. 145.
16 *Misericordia autẽ Domini ab æterno & vsq; in æternum, super timentes eum.*
17 *Et iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamẽtum eius.*
18 *Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.*
19 *Dominus in cælo parauit sedem suam:*
* *& regnum ipsius omnibus dominabitur.*
20 *Benedicite domino omnes angeli eius:*
* *potentes virtute:*
Hebr. 1.
* *facientes verbum illius, ad audiendum vocem sermonum eius.*
21 *Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.*
22 *Benedicite Domino omnia opera eius,*

ad mala solicitari, & fortissime velut impelli ab inhabitante prauo fomite. 14. Attendit & cõsiderat Dominus, q̃ puluis & terra simus, facti atque plasmati de luto & limo terræ, sicut de terra figulus fingit vas fictile, atq; in terrã & cinerem iterũ redituri, cõmuni lege & necessitate omnium filiorũ Adam: * homo dies suos habet ad modũ fœni, hominis duratio ad modũ graminis est, homo in diebus suis & in duratione vitæ suæ gramini assimilatur, q̃ hodie floret & cras in clibanum mittitur: quod mane pulchre viret, & vespere decidit exiccatum: * homo ipse sic floret & viret, quomodo flos agri, qui ad modicũ tẽpus admodũ specios us, lætus & festiuus apparet, sed nimiũ cito exiccat⁹, arescit, ac decidit, omni spoliatus ornatu. 15. Nã statim vt flatus venti super illum fortiter vtcunq; vel paruo impetu flauerit, abripitur flatu venti, & non habet firmã consistentiã, non potest resistere aduersus vẽti flantis impetũ, sed ab eo prosternitur & deficit: & nõ ampli⁹ poterit cognosci, inueniri, aut demonstrari locus eius: sic est acsi nunquã fuisset, nusquã apparet illius vestigiũ: * Spiritus quoq; humanus & rationalis anima pertransit in homine, quatenus ad modicã durationem in corpore inhabitat, ipsumq; viuificat, & non habet vllã firmã in eo subsistentiã siue durationẽ, cogiturq; nimiũ cito emigrare, quantocyus exit à corpore spiritus, & reuertitur homo in terrã suã, & post modicũ nullũ remanet defuncti vestigiũ, corpore abdito in terrã, & anima in occultũ locũ sub Dei manu recepta: efficiturq; ita alienus à loco habitationis suæ, acsi nunquã ibi habuisset mansionẽ: prorsus auferetur de terra viuentiũ, eritque mundo ipse incognitus, & ipsi vicissim erit incognitus mundus. 16. At verò domini misericordia nunquam arescit, nunquam deficit, sed in æternum stabilis permanet in omnia sæcula, nullo vnquã tẽpore absumẽda aut exhaurienda, q̃ in perpetuis æternibus superplenissimè sentient electi eius, oẽs qui nunc timẽt, adorant, & colunt dominum, quibus tam in vita ista corporis, q̃ in vita illa æternitatis, misericordia eius nunquã deficiet. 17. Et iustitiã, fidem, atq; veritatẽ suam ipse seruabit atque implebit erga filios filiorũ, erga vniuersum semen electorum suorum, erga oẽs quicunque patrũ fidelium fideles se præstiterint imitatores, ijs videlicet qui obseruãt & diligenter custodiunt præcepta eius. 18. Quique non obliuiscuntur, non negligunt, nõ transgrediuntur præcepta Domini, sed ea iugiter habent ante mentis oculos, cum bona voluntate adimplendi ea, qui in lege Domini habẽt voluntatẽ, & in lege eius meditantur die ac nocte, vt ambulent in ea, perficiantq; diligenter quæcunque illa facienda præceperit, & solicite caueant ac fugiant quæcunque vt fugienda prohibuerit. 19. Ipse autẽ hic Dominus noster qui nobis misero pulueri hic in terris degenti sic miseretur, ipse sibi magnifice thronum regium præparauit, sedẽ maiestatis & glorios am habitationem sibi in excelso cælo constituit, vbi cum angelorũ milibus regnat in maiestate: * & ipsius regnum latissime patet, ipsius imperium se spargit ac fundit longe ac late in omnes angulos orbis terrarũ, & in omnes partes mũdi: omnia subiiciũtur eius ditioni, potestati atq; imperio, vt nihil vsquam locorum sit quod non habeat ipse sibi subditum. 20. Vos verò, ô angelicæ mentes nobilissimi spiritus, in quorum medio habitat excellsus noster dominus, vos maxime decet voce incessabili semper laudare dominum, cui semper ministratis & assistitis: * vos qui estis virtute & fortitudine præualidi, quorum est virtus nostræ imbecillitati incõparabilis, qui robore ac virtute humanum genus immenso superatis interuallo, nimirũ spiritus immateriales & incorporei, infirmum limum & fragile lutum: * vos qui estis exequutores voluntatis eius, administratorij spiritus, ministrantes ei in mille milibus, promptissime pergentes ad omnia ad quæ ille vos suo præcepto destinauerit, & omnia potẽtissime adimplentes, quę implenda cõmiserit: sic vt in omnibus obedientes vos præstetis voci sermonũ eius, iussioni & imperio eius per omnia absque dilatione, tædio, fastidio, contramurmuratione, parentes & satisfacientes. 21. Benedicite Domino oẽs cælestes exercitus, immensæ virtutis & fortitudinis, qui illi ministratis singuli in ordinibus vestris, & in omnibus eius adimplentis voluntatẽ, per omnia eius paretis imperio, summaque cum alacritate & ineffabili gaudio eius iussa perficere satagitis. 22. Benedicite & collaudate Dominum simul omnia opera eius, in omni loco dominationis & imperij eius: opera omnia eius, vbicunque tandem consistant, quorum-

A *in omni loco dominationis eius:* quorũcunque in loco dominationis eius maneant, laudem cõfiteantur creatori, cõseruatori, & gubernatori suo. Nihil enim est operũ eius quã tũcunque hominibus æstimetur minimũ, vbicunque tandẽ locorũ delitescat, in quo nõ infinita reluceat eius potentia, sapientia, bonitas, atq; omnimoda perfectio: & habet omnis creatura, siue in cælo, siue in terra, siue in mari existens, laudẽ copiosam, qua possit celebrare omnipotentẽ omnium cõditorem Deum: * proinde etiam nunc, ô mea anima, te adhortor (quomodo in huius hymni faciebam initio) ad debitas domino laudes persoluendas: nõ desino monere te, & exhortari, vt à creatoris omnium laude nunquam cesses, sed quantum potes, quantum vales, illum exaltes, & magnifices in sæcula sæculorum.
* *benedic anima mea domino.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM CII.

VErsu. 3. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Duæ istæ partes in eandem possunt accipi sententiam, vt idem sit infirmitates sanare, quod propiciari iniquitatibus. Siquidem iniquitas, vere morbus est, languor est, infirmitas est animi, videlicet animum pessime disponens, & innoxia inordinatione constituens: quomodo morbus siue infirmitas corporalis corpus male disponit, iustum temperamentũ (in quo consistit sanitas) dissoluens. Sed & alibi in scripturis peccata infirmitates appellantur, siue languores, vt in illo est Esaiæ de Christo vaticinantis, Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Quod licet ad beneficium corporalis sanationis populis exhibitum, Euangelista alicubi adducat, principali tamen intentione de spiritualium languorum ablatione videtur intelligendũ. Possumus tamen aliter per infirmitates, accipere malas inclinationes & pronitates ad quelibet vitia. Tot enim morbis, tot languoribus, tot infirmitatibus laborat anima, quot est malis subdita inclinationibus, quot pronitatibus ad mala vitia versus interitum tendit. Nulla autem tanta est huiusmodi infirmitas, nullus adeò magnus talis languor, quem non sanet sua medicinali gratia dominus, optimus medicus, si humiliter & instanter (vt decet) ab ægrotantibus fuerit postulatus, quemadmodum in alio Psalmo audiuimus clamantem, Miserere mei domine, quoniã infirmus sum: sana me domine, quoniam cõturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde. ¶ Versu. 4. Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Coronare accipimus pro, ex omni parte circundare, vel vndique cumulare: vt non aliud sit coronari in misericordia & miserationibus, q̃ Dei miserationibus omni ex parte circundari & cumulari, co-
C pioss imeque impleri. Secundum quẽ fere modum, & in alio Psalmo dicitur, Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, hoc est, benigna voluntate tua ex omni parte circundas, & circuncingis nos, quasi scuto, Si tamen coronare hic accipiatur, vt significet retributionẽ vitæ æternæ donare pro bonis operibus, nõ erit incõmoda sententia. Quicunque enim coronã illam beatæ retributionis susc ipient de manu domini, nihil dubium est, quin à misericordia & miserationibus domini illã cõsequantur. Misericordiæ enim domini, quia nõ sumus cõsumpti, & miserationis altissimi est quicquid boni agimus. Nam sine illo misericorditer adiuuante, nihil possumus. Deus erga suos electos & nunc coronat in miserationibus, dum in eis suarum gratiarum dona accumulat, & in sæculo vẽturo coronabit in ornatu gloriæ. ¶ Versu. 5. Qui replet in bonis desiderium tuũ. Scilicet hoc est, quod in suo cantico Maria canit, esurientes à Deo impleri bonis. Nam esuries ista, desiderium est, Et quod aliquanto apertius apud Iacobum dicitur, Qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat: intelligens de esurientibus atque desiderantibus, id est, de rectè fideliterque postulantibus. Et notandum, q̃ nõ simpliciter dicitur, Qui replet in bonis vacuitatem tuam. Non enim omnes vacui implentur bonis. sunt enim vacui, qui se plenos putant: & quia vacuitatem suam ignorant, non desiderant: & hi iusto
D De iudicio relinquuntur inanes. De cuiusmodi in Apocalypsi ex ore domini dicitur, Dicis, quia diues sum, & nullius egeo, cum sis pauper, cæcus, nudus, miser & miserabilis. Audis verè vacuũ, sed non desiderantẽ, & ideo inanem ac vacuum permanentem, non impleri bonis. Subdit autẽ ex eiusdem ore sanum consilium, vt bonis vacuus iste possit impleri. Suadeo tibi (inquit dominus) à me emere aurũ ignitum, probatum vt locuples fias. Quid autem est hoc emere, nisi per desiderium quærere? Sic enim emitur à domino, quicquid emitur, absque argento & auro & omnicõmutatione, quẽadmodum per Esaiam ex ore domini dicitur, Omnes sitientes, venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla cõmutatione, vinum & lac, id est, optima quæque, & maxime vitæ spirituali necessaria, tantũ desiderantes & postulantes accipite. Rectè ergo dicitur Deus non quamlibet implere vacuitatẽ, sed desiderium tantum. Nam vbi vacuitas est absque desiderio, aut etiam fastidio & contemptu deficientis boni, ibique est, permanet vacuitas, quemadmodum ait Maria diuites dimitti à Deo inanes. ¶ Versu eodem, Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. De hac renouatione iuuentæ aquilarum, diuersi diuersa tradunt. Quidam dicunt aquilam vbi senuerit pennis grauari, & oculorum aciẽ fieri obtusam, vt neque alta volatu petere queat, vt assolet, neque solare lumen ita ex directo aspicere. Quod vbi persentit, in illis, in quibus maxime solet præualere, se iam deficere, fontẽ quærit, in quem trina immersione se immergens pristino dicitur vigori restitui, vt superuacaneis excidentibus plumis residuæ erigantur, & in iustã leuitatem reparentur, redeatque oculis suus ad consp iciendum vigor, sicque iuuentutẽ recuperet. Quidam scribunt, aquilam quolibet decennio, donec ad centum annos perueniat, ignem petere elemẽta

rē,& hinc se in mare mergere,indeque nouas plumas illi succrescere,ac ita reiuuenescere. Sed horū E
neutrum multā habet probabilitatem. Verisimilius autem est,& tam authoritati magis consonum,
quàm proposito magis accōmodum,quod scribit beatus pater Augustinus,aquilam,cum ad senectā
deuenerit,rostrum acquirere aduncatum,superiori labio supercrescente inferiori,ita vt hic uncus
quo incuruatur nostrum superius super inferius,non patiatur aquilam sumere cibum,sicque viribus
necessario deficere:quæ vbi id persentit, se videlicet propter aduncati rostri impedimentū nō posse
cibum sumere,cibiq; defectu,forti adhuc permanēte interno vigore,destitui viribus, & ad defectio
nem tendere,ad petram aduolat,allidensque & atterens rostrum aduncum ad petram,aufert impedi
mentum cibi sumendi:impedimentoque sublato cibum sumit,& viribus reparatur,ac modo quodā
reiuuenescit:vbi verò rostrum illud nequiuerit conterere,necessario deficit, non ex interno defectu
sed sustractione cibi. Atque huic dicto satis consentit quod Aristoteles & Plinius,hac certe in re side
digni authores,scribunt,aquilam esse ad modū longæ vitæ,ipsamque non senio contabescere,aut æ-
gritudine consumi,sed magis fame mori,cum propter aduncatum rostrum non vltravaluerit cibum
sumere.Illud tamen de rostri ad petram attritione,ex illorū non habetur authoritate. Verumid veri-
simile est beatum Augustinum ex alijs habere dignis fide authoribus, quorum forsitan nobis ignoti
sunt libri. Et satis,hoc est,rationi consonum,& astipulatur natura, quæ omni solicitudine curat vitæ
impedimenta amouere,vitæque terminū protelare. Neque multū id mirandū videtur,si auis illa ro- F
strum aduncum quo se aduertit impediri,dicatur ad petrā allidere & conterere,quandoquidem ani-
malia ægrotātia maiori miraculo videmus ad certe speciei herbas,medendi sibi gratia,natura docēte
confugere.Hanc itaque narrationē,vi magis authoritate confirmatā, magisque rationi consonā, in-
sequentes,ostendamus,in quo sit facienda præsens cōparatio:quemadmodum videlicet reparatio ho
minis per gratiā fiat,ad modum reiuuenescentis aquilæ. Sanè homo per spiritum rationalem qui in
ipso est(ratione intellectus & voluntatis) animal est omnibus animalibus ex suæ naturæ conditione
viuacius,nimirū inter cętera omnia animalium genera solum immortale & incorruptibile,secūdum
iam dictā suæ compositionis partem:& ad vitam æternā ab initio creatus est non ad mortem. Atta-
men qui ex immortalis est,& ad perpetuò viuendum conditus, à rostro aduncato patitur periculum
Rom.7. mortis. Est autem hoc aduncatum rostrum,ratio siue voluntas ad prauam sensualitatem inclinata fo
miti prauo(qui inferne habitat)condescendens,& peccato illi quod(iuxta Apostolū)in carne habi-
tat consentiens. Ab hoc enim aduncato rostro impeditur homo,ne cibum animæ sumat, ad vitā ve-
Ioan.4. rā necessarium,de quo cibo per Saluatorem dicitur,Meus cibus est,vt faciā voluntatem eius qui mi-
Matth.4. sit me. Et iterum,Operamini nō cibum qui perit,sed qui permanet in vitā æternam. Ac rursum,Non
Deut 8. in solo pane viuit homo,sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Et alibi, Verba quæ ego lo-
Ioan.6. quor vobis,spiritus & vita sunt.Hunc panē non potest sumere, qui rostrum habet sic (vt dictum est) G
aduncatum & incuruatum,atque ita continuo defectu in seipso contabescens, necessario ad interitū
Psal.101. tendit:quēadmodum pœnitentē in Psalmo hunc proxime præcedēti,conquerentem audiuimus, his
verbis, Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meū,quia oblitus sum comedere panē meum. Sed qui
Psal.136. sic male aduncatum forte semel acquisierit rostrum,annon habet vbi illud conterat?Habet certe pe-
tram,de qua secundum mysticam intelligentiam scriptum est,Beatus qui tenebit & allidet paruulos
1.Cor.10. tuos(id est,Babylonis)ad petram. Quæ verò hæc sit petra,breui verbo nos docet Apostolus,dicens,
Bibebant autē de spirituali consequente eos petra,petra autem erat Christus. Ad hunc ergo aduolare
nos oportet si de male incuruato rostro curari voluerimus,ad hunc allidere,ad hunc atterere.nostrū
Psal.50. enim contritum ipse habet pro sacrificio,queadmodum in Psalmo quinquagesimo dicitur, Sacrifi-
cium Deo,spiritus contribulatus,cor cōtritum & humiliatum Deus non despicies.Hoc enim est ro-
strum allisum ad petram & contritum,ꝙ cor contritum & humiliatum, siue contribulatus spiritus:
quandoquidem contritio ista per pœnitentiam est. Vbi autem sic rostrum incuruatum ad petrā allī-
sum confregerimus,tum panē nostrum quem obliti fueramus resumemus, iterum gratia Dei & ver-
Ibidem. bo eius pascemur,exultabunt ossa humiliata,reparabitur in nobis virtus spiritus, cor mundū in no-
bis creabitur,spiritus rectus innouabitur in visceribus nostris,& redibit ad nos lætitia salutaris Dei;
Ad hunc ergo modum sumi potest ista cōparatio. Beatus Augustinus similitudinem accōmodat ad H
resurrectionem futuram iustorum. Aduertendum tamen est,præsentē locum commode posse expo-
ni absque prædicta illa comparatione, vt dicamus non hic indicari, ꝙ sit iuuenta hominis renouan-
da ad eum modum quo renouatur iuuenta aquilæ:sed hoc tantum , ꝙ iuuenta hominis sit renouan-
da,vt talis fiat,qualis est iuuenta aquilæ. Atque ita sensus erit, Iuuentus tua per Deū renouabitur, vt
fiat quasi iuuentus aquilæ, ita reiuuenescens per Deū pristino redditus vigori, vt videatur iuuentus
tua magis esse aquilæ iuuentus q̄ hominis: videlicet vt sicut aquila in iuuentute sua nondū senio præ-
grauata,altissima petit volando, & irreuerberatis oculis absque nocumento solis rotā contuendo:
sic & tu in Dei gratia vigoratus & cōfirmatus,possis in altissima vsque cæli conscendere tabernacu
la,ac in verū iustitiæ solem,in Dei claritatē mentis aciem iugiter tenere defixam. Secundum quē fere
modum in alio scripturæ loco dicitur,Qui sperant in domino,mutabunt fortitudinē,assument pen-
Esaiæ 40. nas vt aquilæ,volabunt,& non deficient. Non enim videtur hoc sermone indicari, quòd sperantes
in domino assument pennas, sicut aquila in senectute pennas renouat, aut pennas nouas sibi assu-
mit: sed hoc tantum indicatur, quòd fortitudinem nouam à Deo induent, & nouo confirmabun-
tur robore, quodque pennæ illis dabuntur similes pennis aquilarum:vt quomodo aquilæ suis vali-
dissimis subnixæ pennis,etiam altissima loca petunt absque fatigatione, quæ aliorum generum vo-
lucribus forent inaccescibilia:sic & ipsi in domino sperantes,ad altissimum possint perfectionis gra-
dum

A dum conscendere,& Deo proximi fieri per cordis puritatem, mentis contemplationē,& vitæ inte-
gritatem, quò nequaquā peruenire possunt qui in semetipsis, inque proprijs suis viribus habent fi-
duciam.Hoc enim indicat quod sequitur,Volabunt,& non deficient. ¶Versu.9. Neque in æternum
comminabitur. Comminabitur positum est, pro,irascetur vel indignabitur. Vnde Psalterium Ro-
manum habet,Non in finē irascetur, neque in æternū indignabitur. Et Hieronymus ex Hebræo pro
comminabitur,vertit,irascetur.Felix,Non in æternum seruabit odium.Omnia verò eandem habent
sententiam. ¶Versu.11. Quoniam secundum altitudinem cæli à terra corroborauit misericordiam
suam super timentes se. Aliquanto clarius ex Hebræo sic vertit Hieronymus. Quantum enim ex-
celsius est cælum terra, tantum confirmata est misericordia eius super timentes eum. ¶Versu.13.
Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus, &c. Iccirco
dicit nostri Deum misertum, quia cognouit figmentum nostrum siue plasmationem nostram, vt
vertit Hieronymus: hoc est, quid simus, & vnde formati, quàm viles scilicet & modicæ subsistēti-
æ,secundum corporis plasmationem. Nemo enim melius nouit operis figmentum siue plasmatio-
nem (videlicet vnde factum sit opus, & quàm vile sit vel nobile, quantique momenti,pretij,vel du-
rationis)quàm figulus ipse qui finxit opus. Habet autem se erga Deum vniuersum genus humanū,
sicut opus ad figulum & factorem suum, quemadmodum in Psalmo dicitur, Manus tuæ fecerunt Psal.118.
B me, & plasmauerunt me. Et in eandem sententiam Iob sanctus, Manus tuæ,inquit,fecerunt me,& Iob.10.
plasmauerunt me totum in circuitu. Ac deinde, Memento(quæso) quòd sicut lutum feceris me, &
in puluerem reduces me.Nónne sicut lac mulsisti me,& sicut caseū me coagulasti? Pelle & carne ve-
stisti me,ossibus & neruis compegisti me.Tale videlicet est figmentum nostrum,hæc nostra est plas-
matio,quam attendens Deus nostri miseretur.Est enim insita & ingenita magnificis animis erga mi
seros quædam naturalis commiseratio, quemadmodum erga superbos quædam detestatio. Vnde &
illud Poëtæ,Parcere subiectis,& debellare superbos. Deus ergo cum sit super omnes magnus domi-
nus & magnificentissimus,summeque(vt ita dicā)magnanimus, tanto magis erga nos mouetur affe-
ctu misericordiæ,quanto magis viles nos attendit,migisque cōspicit humiles: modo tales apud nos-
metipsos nos comprobet in corde, quales esse videt in corpore. Non tamen solum intelligendum
est istud quod hic dicitur,Deum cognoscere figmentum nostrum de vilitate materiæ ex qua conditi
sumus,sed magis etiam de prauitate fomitis,qui est in corrupta hac carne nostra,& in miserabili isto
puluere inhabitat quēadmodum in Elucidatione apertius explicauimus. Nam id maxime Dei com-
mouet erga nos misericordiam,quòd nos videt sic esse corruptos ac miseros,talem in nobis haben- Psal.50.
tes ab origine vitiosam corruptionem,quam ex ipsa natiuitatis atque conceptionis origine à paren-
tibus per traducem accipimus, Propter quod, lapsus aliquando in turpia facinora,ille cui incerta &
C occulta sapientiæ suæ reuelauerat Deus,cum pœnitentiam agens,suę impietatis postularet à Deo re- Ibidem.
missionem, sui figmenti conditionem signanter Deo ponit ob oculos, dicens, Ecce enim in ini-
quitatibus conceptus sum,& in peccatis concepit me mater mea: hac ratione facilius se putans Deū
posse ad misericordiam flectere,si vitiatæ naturæ corruptionē(ex qua ad omne malum est homo fa-
cilis)illius considerationi obijceret. Atque huic intelligentiæ de prauo fomite, manifestissime con-
sentit Chaldaica Paraphrasis, quæ pulchrè hoc loco sic habet, Quoniam ipse nouit fomitem prauū,
qui peccatum suggerit:in memoria venit coram,eo quòd ex puluere sumus nos. Nec desunt,qui pro
figmento ex Hebræo vertunt fomitem. ¶Versu.14. Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos
agri sic efflorebit.Diuersimode hic versus distinguitur. Quod enim in medio ponitur,dies,ad prio-
ra referri potest, ad hunc modum: Homo sicut fœnum dies eius: ac deinde, tanquam flos agri sic
efflorebit,quam distinctionem habet Elucidatio. Estque hæc loquutio penitus similis illi, qua di- Psal.10.
citur in Psalmo decimo,Dominus in cælo sedes eius:vbi sicut nominatiuus, dominus, ponitur abs-
que rectore, sic & in proposito nominatiuus homo rectore caret, propter superuenientem alium
nempe dies,qui se supponit verbo in oratione appositio,sicque priori nominatiuo suo aduentu quasi
surripit verbum regens. Secundum rectam autem Grammaticæ formam, aptius diceretur, Dies
homini sunt sicut fœnum,vel homo habet dies suos quasi fœnum,ad modum fœni. Alij tamen iun-
D gunt cum sequenti, ad hunc modum, Dies eius tanquam flos agri, sic efflorebit. Verum hæc di-
stinctio non est conueniens, quoniam ex Græca lectione manifeste cognoscimus nominatiuum
dies esse numeri pluralis, non singularis. Sic enim Græca habet lectio: ἄνθρωπος ὡσεὶ χόρτος αἱ ἡμέραι
αὐτοῦ,ὡσεὶ ἄνθος τοῦ ἀγροῦ οὕτως ἐξανθήσει. ¶Versu.15.Quoniā spiritus pertransibit in illo,& non subsistet.
Quemadmodum ex Elucidatione liquet, indifferenter hoc potest intelligi, vel de flore vel de ho-
mine. Conuenientius tamen videtur de flore accipiendum, in quem flando pertransit ventus, fla-
tusque deiicitur, vt non appareat locus eius.Nam secundum hunc modum & apud Esaiam dicitur, Esaiæ 40.
Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exaruit fœnum, & cecidit flos, quia spi-
ritus domini sufflauit in illud,id est,ventus vrens(qui à domino egreditur atque emittitur)in vtrun-
que,id est,in fœnum atque in florem sufflat,vt illud arescat, hic decidat. Cui expositioni fauet quod
habet Chaldaica Paraphrasis. Quia flatus siue ventus spirauit in eum, & non subsistit amplius. Nec
male consonat quòd vertit Hieronymus,Quoniam spiritus pertransibit eum, & non subsistet.Si ve-
rò de homine intelligatur, spiritus iste intelligi poterit anima hominis, quæ in corpore pertransit
non habens hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirens,& in corpore quasi peregre agens, do- Hebr.13.
nec in eo est secundum hanc mortalitatis conditionem, Mox autem vbi pertranslerit anima, & ab- 2.Cor.5.
scesserit à corpore, nequit vltra homo subsistere, quoniam animam perdidit totius vitæ, & omnis
vitalis operationis principium.Vel proprius ad floris similitudinem, intelligi potest spiritus aut fla-

tus indignationis Dei. Nam exardescens furor Dei, non inconuenienter per spiritum, flatũ, aut ventum vrentem significatur. Atque ita aperta est hominis cum flore cõparatio. Sicut enim flos vbi perflauerit, ipsum vrens ventus, consumptus deficit: ita homo cũ in ipsum pertransit flatus iræ atque vindictæ Dei, morte absumptus, non subsistit amplius. Hoc verò non de illorum tantum morte intelligendum venit, qui subita aliqua & insolita punitione propter enormia facinora auferuntur de medio, sed generaliter de omnibus hominibus. Omnes enim ex sententia iræ Dei absumimur per legem mortis, propter inobedientiam primi parentis, semel in ira Dei aduersum omnes filios Adam prolatam, atque etiamnon super genus nostrum vniuersum permanẽtem irreuocabilem, quemadmodum Psalm. 89. ex persona totius humani generis dicitur, Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo conturbati sumus. Et iterum, Quia omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus. In eo autem quod sequitur, Et nõ cognoscet amplius locum suum, accipi potest pro suppposito indefinitum aliquid, ad hunc modum, Et non cognoscet quis amplius locum suum, id est, nemo amplius cognoscet locum eius, hoc est, non vltra cognoscetur locus eius, non videbitur vllum vitæ eius vestigium, nõ erit eius vlla memoria, tãquam si nunquam fuisset: quemadmodum in alio Psalmo dicitur, Transiui, & nõ erat peccator. quæsiui eum, & nõ est inuentus locus eius. Vel intellige, Non cognoscet homo ipse amplius locum suum, non erit vltra illi quicquam commercij, cum ijs quæ reliquit in mundo: relinquet omnia alijs, & nihil ipse posthac cognoscet quid agatur de habitationibus & omni gloria eius. ¶ Versu 19. Regnum ipsius omnibus dominabitur. Potest, omnibus, accipi substãtiue, vt sit sensus, Regnum ipsius dominatur, aut super omnia, vel omnia subiecta sunt eius regno, ditioni, & imperio. Vel adiectiue, intelligendo omnibus regnis: vt significetur ipsius regnum esse superius atque excelsius omnibus regnis, quoniam ipse est rex magnus super omnes deos, rex regum & dominus dominãtium. Eandem ambiguitatem habet vtraque originalis lectio, & Græca, & Hebræa, item & Chaldaica. ¶ Versu vltimo, Benedicite domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius, benedic anima mea domino. Quod hîc in medio ponitur, in omni loco dominationis eius, ambiguæ est cõstructionis. Vel enim cum præcedẽti iungitur, hoc modo, Benedicite domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius: vt deinde diuisim pro Psalmi conclusione constituatur illud à quo sumpsit exordiũ, Benedic anima mea domino. Quam distinctionem nos in Elucidatione sequimur. Vel cum sequenti iungi potest, ad hunc modum. In omni loco, dominationis eius benedic anima mea domino, vt moneatur anima laudare dominum in omni loco, quomodo ipse in omni loco est dominꝰ. Decẽs enim est, vt in omni loco benedicat anima nostra Deo, qui dominatur in omni loco: quemadmodum in omni tempore laudari idem ipse debet, quòd sit omniũ tẽporum dominus. Vel laudare monetur anima dominum in omni loco dominationis eius, quoniã in omnibus creaturis, quæcunque, vbicunque tandem locorum reperiantur, siue in cælo sursum, siue in terra deorsum, siue in latitudine & profunditate maris, debet celebrare dominum, solum in omnibus verè magnum & admirabilem.

Pſal. 89.

Pſal. 36.

Pſal. 94.

Apoc. 19.

CIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Pvlcherrima in sequenti Psalmo ponitur consideratio Diuinæ prouidentiæ & sapientiæ, ex contemplatione ordinationis & dispositionis prouidissimæ, qua mirabiliter omnia à Deo sunt condita, atque dispostа ab initio, atque etiamnum similiter gubernantur. Et primum quidem Dei in semetipso magnitudinem proponit, lucem eum dicens habitare inaccessibilem. deinde ad creaturam transit, ostendens, quomodo cæli amplitudinem distenderit ad gloriam suam, quomodo nubibus & ventis vtatur quasi pro vehiculo, quomodo nobilissimos spiritus habeat pro ministris, quomodo terram fundauerit immobilem, quã à principio aquis operuit quasi vestimento: post verò aliqua ex parte nudam fecit, cuius etiam partes quasdam eleuatiores in montes posuit, quasdam demissiores in valles: sic tamen & montium altitudini, & maris amplitudini terminos ponens, vt terram in totum non obruant: quomodo in conuallibus ex radice montium fontes oriantur, è quibus decurrentia flumina potant bestias agrorum atque syluarum, superne volucribus cæli dulciter cantillantibus: quomodo desuper Deus pluuiam donat, qua etiam montes possint irrigari: quomodo Deus terram satiat, & abundãtissime replet variis terræ nascentibus, quæ omnia ipse nasci facit: videlicet herbam producens pro cibo pecorum, panem, vinum & oleum pro necessitate & exhilaratione hominis, etiam arbores syluarum atque camporum non negligens, quas pabulo conuenienti sustentat: quomodo in arboribus ex Dei ordinatione aues sibi nidos struunt, quædam altius, quædam humilius: item diuersa loca quærunt diuersa animalia, vt cerui altitudines montium, herinacij angustias & cauernas petrarum: quomodo lunam in sua mutabilitate posuit Deus, in distinctionem temporum, sol quoque sui occasus habet tempus determinatum, vnde nox super terram venit, in qua fere omnes quæ venatione viuunt, ad venationem discurrunt. sicuti rugientes leones, quæ sole redeunte terris ad suas redeunt latibula, vt securè possit homo foris in agris ac syluis in operibus necessariis diuersari. In mari quoque vasto & continentiæ amplissimæ miranda omnis generis animalia considerantur, quædam maiora, quædam minora, quædam maxima: in quo etiam dignum spectatu cernitur miraculum nauigationis humanæ. Omnia autem hæc, siue quæ in aëre, siue quæ in terris, siue quæ in mari viuunt, ab vno Deo omnium benignissimo prouisore necesse est ali & educari: qui vbi cibum præbet manducant & viuunt ista: vbi autem ille manum subtrahit, coguntur ista deficere: qui pro viuentium sustentamento quotannis terram perfiat sua bonitate & creantur terræ nascentia, innouaturq; facies terræ. Post quorum omnium profundam considerationem, signo terroris Diuini in terræ tremore, & montium fumatione interposito, Psalmista iactat, perpetuis laudibus se velle tam magnificum semper dominum celebrare.

CENTE-

CENTESIMI TERTII PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Benedic anima mea domino, domine Deus meus magnificatus es vehementer.*

LAuda dominũ ô anima mea, in tota virtute qua potueris: vtique enim tu domine omni es laude & benedictione dignus, qui magnificaris, & glorioſe exaltaris mirum in modum, ſuper magna & excelſa omnia: qui vt es in temetipſo per omnia glorioſus, ita te magnũ valde demonſtras, in potenti rerum omnium creatione, earumdemque ſapientiſſima ſimul & beniginſima diſpoſitione, gubernatione & prouiſione. 2. Confeſsio & decor ſunt indumentum tuum, laus & pulchritudo ſunt tibi quaſi pro veſtimento, confeſsio & pulchritudo ſunt in cõſpectu tuo, his ex omni parte circundaris, quomodo circumamicitur homo veſtimẽto ſuo: quæcunque apud te ſunt digna cõfeſsione, decora ſunt, pulchra ſunt, magnifica ſunt, totus es laudabilis in præcellentiſsimo decore tuo: * amictus lumine quaſi veſtimento, luce habitans inacceſsibilem, in claritate inæſtimabili fulgens in medio angelorũ tuorum: ita vt de tuæ lucis claritate, totã illam innumerabilium angelorum multitudinem illumines & lætifices. 3. Qui totã cæleſtem machinã ita extendiſti in ampliſsima latitudine abſque vlla ruga, in ſumma vtique planitie & æqualitate, ad eũ modum quo extẽdit homo pellem, tanta facilitate, tã minimo negotio totã illam machinã cęleſtium orbiũ ſic in ſua amplitudine diſtendens: extendis quoque eã velut cortinã aut operculum quoddam ſuper vniuerſum orbem quomodo artifex domũ tecto cooperit: * & in ſuperioribus partibus cæleſtis machinæ aquas cõſtituis: ſupra firmamentũ poſuiſti cælum aqueum ſiue criſtallinũ, quod eſt quodammodo aqueæ naturæ. Cælum enim firmamenti aqueo cælo operitur ac tegitur, vt ſphæra inferior ſuperiori: & has aquas ſupernas, firmamentum ab aquis quæ infernè ſunt diuidit. 4. Qui nubibus vteris pro vehiculo, conſcendis ſuper nubes quaſi ſuper equos aut currus, videris nubibus vti pro curru ſiue pro equis, dum appares in fragorẽ nubiũ, adueniens contra inimicos tuos, quẽadmodum aduenire ſolent reges huius mundi in equis & curribus: * tanta autem velocitate tu aduenis, vt videaris non equis vehi aut curribus, ſed magis pennis ſiue alis vẽtorũ aduolare: tanta pernicitate, tanta celeritate aduenis vbi volueris, vt vẽto puteris vehi magis, q̃ curru vel equis. & ſoles plerunque in magna tempeſtate venti apparere, vt ob hoc quaſi aduectus vento puteris. 5. Qui ſpiritus facis angelos tuos, nuncios tuos facis eſſe nobiliſsimos illos ſpiritus: non corporeos habes aut tardos nuncios, cuiuſmodi ſunt homines: ſed nobiliſsimas illas creaturas ſpiritualis naturæ, nobilitate hoĩes multo ſublimiores, facis eſſe angelos & nucios tuos, qui ſunt potentes virtute ad celerrimè perficiendum verbum tuum, ad perficiendũ quæcunque tu iuſſeris: * & nobiliſsimos etiam cæleſtes ſpiritus eos, qui ſunt quaſi flamma & globus ignis, ſed ardentes perfecto charitatis amore, tu facis eſſe tuos miniſtros, qui tanquã miniſtri coram domino aſsiſtunt tibi omni tempore, cũ omni laude & reuerẽtia, Milia milium facis tibi miniſtrare, & decies centena milia tibi aſsiſtere: in quorũ omnium medio tu glorioſiſsimus reſides, quaſi rex & triumphator glorioſus in maieſtate tua. 6. Qui fundaſti atque firmaſti, id eſt, firmiter & immobiliter collocaſti globum terræ in ſua perpetua ſtabilitate, ſic vt nos poſsit imperpetuum nutare, moueri vel inclinari, vt ſe vertat de parte vna in alterã, neque de loco poſsit in locum moueri, quomodo cætera omnia elementa, aqua, aër, & ignis mouentur continuò, qui ſic admirabili potẽtia & ſapientia in medio totius mundialis machinæ cõſtituiſti ſuper aquas tantum pondus terræ, quaſi cẽtrum immobile: ita vt iacens ſuper aquas elementum maxime fluidum & inſtabile, nunquã tamẽ ſubſidat, neque immergatur in aquas, neque ſe vertat aliquãdo de parte vna in alterã, quomodo aqua hæc illacque fluit & refluit, idque ſic prouidiſsime diſpoſuiſti, vt eſſet terra apta habitationi hominũ cæterorumque animalium. 7. Elementum aquæ maximæ quantitatis & profunditatis, ad modum abyſsi, eſt amictus terræ, ſicut veſtimentum terra cooperitur abyſſo aquarũ, ſicut homo operitur veſtimento, à principio quidẽ creationis, omnino per circuitũ aquis circuncincta, poſtmodũ vero iuſsione Dei in pratibus aliquot diſcooperta, quomodo etiã veſtimentũ non totũ operit corpus, ſed partes aliquot relinquit nudas: * & eſt quidẽ aquarũ, quę ſunt in abyſſo elementa, tanta copia, tata abundãtia, vt niſi diuina cohiberẽtur voluntate, facile omnium mõtium

1. Tim. 6.

Gene. 1.

Danie. 7.

Universidad de Deusto Biblioteca

Gene.7.

8 *Ab increpatione tua fugient:*

Gene.1.

* *à voce tonitrui tui formidabunt.*

9 *Ascendunt montes & descendunt campi:*

* *in locum quem fundasti eis.*

10 *Terminum posuisti quē nō trāsgredientur:*

* *neque conuertentur operire terram.*

11 *Qui emittis fontes in conuallibus:*

* *inter mediū montium pertransibunt aquæ.*

12 *Potabunt omnes bestiæ agri:*

* *expectabunt onagri in siti sua.*

13 *Super ea volucres cæli habitabunt:*

* *de medio petrarum dabunt voces.*

14 *Rigans montes de superioribus suis:*

* *de fructu operum tuorum satiabitur terra.*

superarent cacumina, facileque altissima terræ occuparent: quomodo olim in diluuio illo celeberrimo, tempore Noë, super omnium mōtium altitudinē aquæ fuerunt voluntate Dei eleuatæ: neque etiā nunc vniuersa montium altitudo posset impedire, quin terra tota aquis esset ex omni parte operta, nisi esset voluntas tua, quæ illas intra suos limites cōcluderet. 8. Verum ab increpatione tua fugiunt aquæ, te seriò iubente & præcipiente aquis, vt congregarentur in locum vnum, appareretque arida, statim dicto audiens creatura creatori obediuit, & congregatæ sunt verbo Dei aquæ, quæ sub cælo erant in locum vnū: quæ aquarum congregationes appellatæ sunt maria, quo in statu etiā nunc aquæ permanent. * à voce seueræ & potentis iussionis tuæ, quæ est quasi vox tonitrui, vox fortis, præceptum validum (quod non potest non audiri, etiā ab omni creatura, quēadmodum non potest tonitruum ab homine nō audiri) aquæ quasi formidinē & timorem ostenderunt, dum statim ad vocis illius prolationē naturalem situm relinquentes, in vnum locum segregatæ terram apparere fecerunt. 9. Spectabili quoque miraculo hoc ordinasti, vt terræ quædam partes eleuarentur in altum, secundum humanum iudicium vsque ad nubes & sydera: aliæ verò partes locum acciperent demissiorem, vt quædam partes eminerent, quædam essent demissiores: videlicet vt sic cōuenientius producerentur omnia quæcunque ad hominum vitā sunt opportuna vel necessaria, dum quædam fœlicius in montibus, alia commodius nascuntur in vallibus: illis solare lumē directius requirētibus, his reflexo lumine & moderatiori melius habentibus: * factæ sunt autem mōtium istæ eleuationes, & camporum planities ex imperio voluntatis tuæ, iuxta ordinationem sapientiæ tuæ, secundū loca quæ definiuisti eis. 10. Posuisti terminū vtrisque, & abyssō videlicet aquarum & altitudini montium, quē non possint transgredi, certis illa limitibus cōclusisti, per hoc quod ea cohibes & contines: * vt non possint reuerti & immitere se super terram, sicque eam cum inhabitantibus omnibus opprimere. Nisi enim tua Diuina potentia & sapientia maria & montes contineres, impossibile esset ab impetu fluctuum intumescentis maris, & ab altitudine montium vsque ad sydera tendentium, non opprimi & operiri vniuersam terram. 11. Tu es qui in locis humilioribus ad montium radices mirabiliter facis scaturire fontes, qui suas venas habent ex mōtibus, meatusque mirabiles in locis subterraneis per quos perpetuò defluentes & cōcurrentes aquæ guttulæ in vnum cōfluunt, & fluxum indeficientē efficiunt, vt non cessent neque æstate neque hyeme: * atq; ex his fontibus cōgregatæ aquæ, fluunt inter mōtes, è quibus ortū trahunt, exoriunturque flumina maiora siue minora, iuxta proportionem suæ originis, ad cōmoditatem hominum in ciuitatibus secundum ciuilem congregationem viuentium. 12. Et his aquis refocillantur, potumque accipiunt omnes bestiæ agri & feræ deserti, ad has aquas naturæ ductu conueniunt sitientes bestiæ causa sumendi potus: * syluestres asini in siti sua anhelabunt & festinabunt ad ciusmodi aquas, vt extinguant sitim qua cruciantur plurimum: cū magna expectatione & anhelatione properabunt sitientes onagri, vt sitim sedent, seque refrigerent. 13. Super ista autem, nempe super fontes & fluuios istos, in arboribus iuxta positis, nidificant volucres cæli, habitationes suas illic constituunt iuxta aquarum fluentā, & in altitudine montium, atque etiā super bestias agri & onagros & alia iumenta, quæ infernè locum habēt in terra, cum aues supernè in arboribus & rupibus consideant: * de medio rupium atque frondium in quibus vel habitant vel residēt, dulciter cantillant, voces edunt suauis melodiæ iuxta conditionem suæ naturæ, vnaquæque suam cantilenam fortiter canens, ad magnificam sui creatoris laudem: vt infernè dulci susurro currentibus vndis limpidissimis, supernè verò concentu suaui varij generis auiculis resonantibus, iucundissimū pertranseuntibus exhibeatur naturæ spectaculum: quod in amorē tā sapientissimi gubernatoris, merito quemlibet debeat animaduertentem commouere. 14. Qui sicut valles humectas fontibus, ex montibus originē trahentibus ita montes (vbi desunt fontes) rigas de superioribus tuis, id est, de locis nubium, quę sunt mōtibus superiores, aquis videlicet pluuialibus, quæ descēdunt de nubib* vt primū montes irrigent, ac deinde in valles defluentes eas adimpleāt copiosius, augmententque ex montibus effluentia flumina: * vniuersa quoque terra satiatur, & abunde impletur atque adornatur de fructu operum

15 *Producens fœnum iumentis: & herbam seruituti hominum.*

16 *Vt educas panem de terra:*

* *& vinum lætificet cor hominis.*

17 *Exhilaret faciem in oleo:*

* *& panis cor hominis confirmet.*

18 *Saturabuntur ligna campi:*

* *& Cedri Libani quas plantauit:*

* *illic passeres nidificabunt.*

19 *Erodij domus dux est eorum:*

* *montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis.*

19 *Fecit lunam in tempora:*

* *sol cognouit occasum suum.*

20 *Posuisti tenebras, & facta est nox:*

operum tuorū, de fructibus omnis generis quos tu facis de terra exurgere atque enasci. 15. Qui producis iumentis fœnū, qui facis terrā producere gramina virētia, ad esum iumentorum, & herbā virentē seruituti hominum, id est iumentis quæ sunt subiecta seruituti hominū, vt iumenta quæ ad inseruiendum à Deo subiecta sunt homini, inde pascantur, viuāt atque corroborentur, vt sufficiant homini suū exhibere ministerium. 16. Ita (inquam) satiabitur terra de fructu operum tuorum, vt quomodo iumentis è terra præbes herbā & gramina, sic hominibus de terra facias nasci frumentum & triticum, ex quibus panis conficitur & coquitur, optimum hominis sustentamentum: * & vinum facias de terra nasci in vitibus, cuius sobrio ac moderato vsu exhilarentur corda hominum, & perfundantur honesta lætitia, aduersus deprimentē tristitiā, aut locordiā grauantem, augentémve timorem: dum eius singulari virtute reparantur vitales spiritus, membrisque innouatur vigor, & occulta quadam efficacia omnia in homine redduntur viuaciora. 17. Super hæc quæ ad victum & potum faciunt, etiam oleum præbes quo exhilaret homo faciem suam, oleum præbes vnde vnguenta conficiantur, quibus inuncti homines secundum mediocrem vsum, ad membrorum lassorum defatigationē, & contrā sudorum aliarumque exhalationum fœtorē, exhilarantur vultu, & recreantur corpore toto: vt non solū de ijs quæ ad vitæ sustentationem, verumetiā de ijs quæ ad castam faciunt voluptatē, honestamque delectationem, abundē sit prouisum homini: * omnium tamen hoc est potissimum, & maxime spectandum beneficium, q\u0304 frumentum ac triticum de terra nasci facis, vnde panis conficitur, quo sustentatur vita hominis, quo vigor corporis totius conseruatur, vt non depereat: quo cor confirmatur & alitur, vt sufficiat ad viuificationem corporis, quēadmodum illius defectu penitus collabitur vigor cordis, neque vltra vitam sufficit in membra cætera influere. 18. Neque verò solum ad bruta vsque enutrienda, neque ad solos enutriendos homines se extendit tua prouidentia, sed etiā vsque ad vegetabiles plantas tuo pabulo enutriendas. Nam & arbores quæ in capris & syluis deserte crescunt, à te abūdè enutriuntur, copioso è terra & piuia præbito pabulo: quas arbores manifestum est sic à te nutriri, cū nemo illud conspiciatur hominū ad eas enutriendas accedere, aut vel manum apponere: * atque illæ etiam altissimæ cedri, cuiusmodi sunt quæ crescunt in Libano, nisi à te saturarentur, & abundè pascuntur, vt possint in tam altā excrescere staturā: quas sicut tu solus absque hominis manu plantasti, absque auxilio humano illic faciens per virtutem generatiuam pullulare nouas è veteribus: ita & solus eas nutris ac pascis tua latissima prouidentia: * atque illic in lignis camporum atque cedris aues nidos suos cōstruunt, aliæ quidem in altioribus arboribus, aliæ in humilioribus, iuxta quod vnicuique natura indidit, & naturæ author instituit. 19. Præ cæteris autem, nidus erodij dux est, ac velut princeps aliarum auium, eo q\u0304 amplior & altior sit nidus eius nidis auium cæterarum: quoniā præ cæteris altius ædificat erodius siue ardea, in magna altitudine simul & in magna amplitudine, supra multas auium species, ponit nidum suū: vt merito nidus eius dicatur præcellere vel anteire cæteras aues, nimirum amplior & excelsior: * ordinata quoque sunt à Deo diuersis animaliū speciebus diuersa confugia, in quibus saluētur à periculis: dum alia sua celeritate alta petendo se saluat à persequentibus, quemadmodum cerui cum persequutionē sentiunt, celeri cursu ad mōtes cōfugiunt: alia, intra loca arcta & inaccessibilia suā tutantur salutem vitamque custodiunt, quemadmodum herinacij siue hericij in angustis petrarum latibulis se occultant, quoties periculum metuunt quōd fuga celeri sibi non possint consulere. 19. Lunam insuper fecit Deus & posuit in cælo, vt sua mutabilitate & varietate tēpora distingueret per menses, nouiluuia atque plenilunia aceestiuitatum celebrādarum tempora, ex eius vicissitudine aduerterentur: * sol verò adeò determinate, adeò definite suum semper cursum retinet, mane oriēs & ad vesperum occidēs, vt quasi per intellectum cognoscere videatur tempus occasus sui, nunc citius, nunc serius oriens & occidens mundo, iuxta certissimā definitionem & legem sibi præstitutam, quam nunquam transgreditur. 20. Occidente autem sole, tu facis esse tenebras, quę sunt luminis super terrā priuatio, ablato à terris sole, qui est luminis author, tunc nox venit terris (quando omnia in tenebris & in silentio degunt) ad quietem

 ate

Universidad de Deusto Biblioteca

* *in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ.*

21 *Catuli leonum rugientes, vt rapiant:*
* *& quærant à Deo escam sibi.*

22 *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubiculis suis collocabuntur.*

23 *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.*

Gene.3.

24 *Quam magnificata sunt opera tua domine:*
* *omnia in sapientia fecisti:* * *impleta est terra possessione tua.*

25 *Hoc mare magnum & spacioſum manibus:*
* *illic reptilia quorum non est numerus.*

26 *Animalia pusilla cum magnis:*
* *illic naues pertransibunt.*

27 *Draco iste quem formastiad illudendum ei:*

* *omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.*

28 *Dante te illis, colligent:*

à te ordinata, vt per diem fatigata corpora, per noctis tempus requiem accipiant, & ad opera subsequuturæ diei reddantur alacriora: * in ipsa nocte pertransibunt omnes bestiæ syluæ, feræ bestiæ tum perabulant syluas & agros, ad quærendum sibi victum. Est enim tempus noctis ad rapinam commodius, dum à longe nequit raptor videri. 21. At tunc quidem leones vt nacti cõmodissimum tempus ad venationem, procedunt vt prædam agant de animalibus, rugitum emittentes, quo perterrefaciant in vicino existẽtia animalcula, quo sic facilius ea rapiãt timore obstupefacta, ne possint effugere: * vt sic quærant sibi escam à Deo, vt sic iuxta Dei ordinationẽ de esca commoda suæ naturæ sibi prouideant per venationem. Quomodo enim Deus iumentis naturam dedit vt pasci debeant herbis, sic leonibus naturam dedit vt nutriantur non graminibus aut pane, sed animaliũ exterorũ carnibus. Propter quod, vt illa priora herbam à Deo requirũt in cibum, sic ista per venationem carnes aliorum animalium. 22. Sole verò oriente, cum iam terris cœperit dies restitui, rapacia illa animalia, quæ per noctẽ prædas agebant, congregantur in antra sua, seque recipiunt in sua latibula, vt accubent atque quiescant, venatione & cursu nocturnis fatigata, prædãque condant & diuidant. 23. Et prouidè id quidem Deus ita disposuit, vt animalia huiusmodi rapacia, ex venatione viuentia, per noctem discurrent gratia quæritãdi pabuli: vt possit absque timore homo per diẽ in agro operari, iuxta institutionem Dei pro vitæ necessarijs, vt possit homo secure exire in agrum aut syluam causa operis necessarij, & ad exercendam operationẽ suam, videlicet ad agrũ arandum, seminandũ, metendum, ad cædẽda ligna in syluis, aut alia huiusmodi: idque à mane ad vesperam. Sic enim voluit Deus, hominẽ in sudore vultus pane suo vesci, in operando terrã. Qua in re impediretur plurimum, si per diem feræ huiusmodi discurrarẽt ad venationẽ. 24. O magne Deus, quàm magna sunt, q̃ eximia omnia opera tua, ô vtinam pro dignitate ea contemplari autenarrare sufficerem: * omnia fecisti in maxima sapientia in omnibus, etiam in ijs quæ vulgo non animaduertunt homines, & quæ quasi quotidiana non attendunt neque considerant: relucet illa tua incõprehensibilis sapientia, qua cuncta ab initio condidisti & instituisti atque etiamnum in eadem institutione custodis atque gubernas: * vniuersus orbis terrarum impletus est diuitijs tuis, vbique locorum inueniuntur creaturæ quas tu creasti & possides: quicquid vbique locorũ est, tuum est, quoniam tu creasti & possides omnia. 25. Neque verò terra sola plena est bonis tuis, verumetiã mare istud maximum & latissimũ manibus, id est, spacio, continentia atque cõprehensione amplissimum: * in illo enim sunt natatilia absque numero, innumeræ in eo inueniuntur animalium species, absque cõparatione multo plures & magis admirabiles, quam super terram. 26. Illic sunt animalia quædam maiora, quædam minora, quædam admodum modicæ quantitatis, quædam mediocris, quædã permaxime, quantæ non inuenitur vllum animal in terra: * illic nouum videtur miraculum de transfretatione per natium vsum, quod sanè admodũ mirabile est, homines per fragilis ligni opus talem abyssum audere ingredi, & posse per eius mediũ, tantis vndarum tumultibus nihil obstantibus, cum salute transuehi. 27. Illic etiam dracones illi insignes sunt & cete grandia, supra quàm credi possit molis immensæ, quos formasti ad ludendũ in eo, vt in illo amplissimo mari sese natando voluant atque reuoluant, velut ludendo: quomodo videtur in minoribus fluminibus parui pisciculi iucũdo motu atque discursu ludere: * vt etiam in eo ludant & iucundentur, faciendo quicquid eis libitum fuerit, cum sint totius maris & omnium aliorum piscium domini, & propter nimiã fortitudine nulla alia piscium species illis possit resistere, quin de eis agant vt voluerint, plane in mari regnates, & quæcunque voluerint agentes, ob præcellentem suam fortitudinem: * Sic omnia, tã quæ in aere volitant, q̃ ea quæ super terrã grãdiuntur, quàm etiã quæ in aquis natant, à te expectant vt des illis cibum, iuxta naturæ suæ cõuenientiam in opportuno tempore: cum esurierint, omnia à te quærunt cibum, omnia ex tua prouidentia pẽdent & nutriuntur, tu es qui omnibus cibum debes præbere, & nemo alius. 28. Cum tu illis dederis cibum, ipsa colligent, accipientque vt mãducent: te producente de terra herbã, carpunt eam iumẽta atque mãducant: te offerente prædã, leones rapiunt eam & comedunt: te educente de terra frumentũ, triticum,

A * *aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.*

29 *Auertente autem te faciem, turbabuntur:*
* *auferes spiritum eorũ & deficient, & in pulverem suum reuertentur.*

30 *Emitte spiritũ tuum & creabuntur: & renouabis faciem terræ.*

B

31 *Sit gloria domini in sæculũ:* * *lætabitur dominus in operibus suis.*

32 *Qui respicit terrã, & facit eam tremere:*

C

* *qui tangit montes, & fumigant.*

33 *Cantabo domino in vita mea, psallam Deo meo quàm diu sum.*

34 *Iocundum sit ei eloquium meum:*
* *ego verò delectabor in domino.*

35 *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita*
D *vt non sint:*
* *benedic anima mea domino.*

cum, & vinũ, accipiunt ea homines, & cibũ potumq̃ hinc colligunt: neque potest vllum animalium sibiipsi de terra cibum educere, sed tantum à te eductum colligere: * cum tu aperueris manum tuam, cũ liberalem manum tuam volueris extendere atque aperire, ad dandum liberaliter, tum videntur omnia bonitate adimpleri, tum quæ bona sunt & cõmoda siue salutaria accipiunt, nullius q̃ necessariæ rei patiũtur defectum. 29. At verò vbi tu auerteris faciem tuam, vbi tu manum subtraxeris, vbi tu deseris illis dare, turbabuntur miserè, non habẽtes quò confugiant pabuli cõquirendi gratia, cum nõ nisi à te possint illud expectare, & necesse erit deficiẽte pabulo ea infirmari atque deficere: * & præ defectu cibi viribus omnibus destituta cogentur exhalare animã, non poterit anima diutius seruari in corpore, quod continua per cibũ eget reparatione, sicque in terram cogentur redire, de qua formata fuerant: cum possibile non sit, vllum animalium absque conuenientis cibi sumptione vitã hanc viuere. Ita tibi pro nihilo fuerit, vniuersum genus super terram viuentium, sola cibi subtractione interimere. 30. Cum verò tibi placuerit super terram emittere spiritum bonæ iussionis tuæ, cum bona voluntate tua terrã fœcundare & vegetare volueris, tũ creabuntur in ea quæcunque erunt necessaria vel commoda: * & innouabitur nouitate terræ nascentiũ tota superficies terræ, quẽadmodum per tempus veris cõspicimus, ex virtute operationis Diuinæ omnia reuirere, & terram quasi nouam faciem iuuentutis induere. 31. Sit stabilis, ac firma perstãt in æternũ inæstimabilis ista gloria domini, quæ relucet in omnibus operibus eius: benedicta sit gloria eius in æternum & vltra: * lætabitur dominus ipse in omnibus operibus suis, complacet sibi in ijs quæ fecit bona, bona valde. Videt omnia quæ fecit, quoniam bona sunt valde, & oblectatur in operibus manuũ suarum: quẽadmodum & omnis qui ex Deo est in factura Dei debet oblectari. 32. Qui tam est terribilis ac metuendus, tamque summe potens & prævalidus, vt solo suo aspectu toti terræ possit tremorem incutere: qui si toruo tantum vultu in indignatione terram aspiciat, commouebitur & contremiscet ab iracundo aspectu eius, quomodo paterfamiliãs aliquis magnæ authoritatis in domo sua, aut rex terribilis in regno suo, solo aspectu toruo vultuque iracundo totam perterrefacit familiã, facitque pauere omnes & contremiscere: * qui in ostentionem terroris sui contingens montes præsentia sua, incẽdit eos, facitq; ardere & flãmas vomere, tumũque grandem in fornacis modum exhalare terribili specie, vt suæ potentiæ mortalibus ostentet terrorem. 33. Pro omnibus his tam admirabilibus, pro omni potentia, sapientia & bonitate, quæ in cunctis eius operibus conspicio, cantare volo laudẽ domino Deo meo, donec viuam: canam illi psalmos & laudũ cantica, donec ero, & hìc super terram in sæculo isto præsenti, pro mea virili, & in sæculo vẽturo gutture pleno exultationibus Dei, & laude indeficiẽti, in omnia sæcula. 34. Opto & oro, domine, vt sit tibi eloquium laudationis meæ iucundũ, quæso vt accepta fiat coram te laudatio mea: cantica laudis quæ ego tibi cano, desidero placita fieri ante conspectũ tuum: * ego certe in te oblectabor perpetuò: mihi absit gloriari, gaudere, iucundari, nisi in te, in quo tã copiosissimã inuenio oblectationis gaudij q̃ purissimi & solidissimi materiã. 35. Peccatores à terra deficient ita vt nõ sint, qui elongẽt se à te, teque relicto adhæreãt & inhæreãt vanitatibus, peribũt, de terra auferentur, & in ignẽ conijcientur æternũ: qui te abijciunt, erunt ignobiles & miseri, eruntque quasi nõ sint, mittendi scilicet in perditionẽ mortis æternæ: * tu verò ô anima mea, cui incerta & occulta sapientiæ Dei sunt reuelata, ne quaquã horum efficiaris similis: sed in tota virtute tua, semper laudẽ da illi in cunctis operib⁹ suis: per omnes creaturas tu discursa sollicite cũctaque regerens in gloriam factoris, ita teipsum in eius nunc laude cõfirma, vt in venturo sæculo (quando impij in perditione vlulabunt) tu cum beatis in voce exultationis & confessionis viuas, & iucunderis coram eo in sæcula sæculorum. Amen.

Gene.1. Psal.46. & 95. Psal.148. Psal.72. Matth.25. 1.Reg.2.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CIII.

VErsu 3. Extendens cælum sicut pellem. Quæcũque in hoc Psalmo dicuntur, nos in Elucidatione non nisi ad literam, secundum naturalem cõsiderationem explicauimus. Patrum tamen diligentia, hæc omnia naturalia secundum mysticos sensus pie fideliterque interpretatur, quorum interpre-

erpretationē quanquā nō ponimus, nequaquā tamen damnamus. Nimiā prolixitatē pertimescimus E
maxime q̄ mystica eiusmodi, si cum breuitate perstringantur, nullam vel perpaucam habeant gratiā.
Quare potius nobis visum fuit in totū ea omittere, & ad aliorum Commentarios remittere eos qui
talia requisierint, quàm vel obiter transcurrendo negotio non satisfacere, vel commentationes lon-
gas super singulis texendo, nimia prolixitate lectori fastidium ingerere. ¶Versu 4. Qui ponis nu-
bem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. Ascensum intellige vehiculum siue cur-
rū, quomodo habetur in Hebræo. Vtitur enim Deus quasi pro curru nubibus, quando aduenit ad
pugnandum contra impios, siue ad se manifestandum populo suo: quemadmodum in nube apparuit
Exod. 14. coram filijs Israël, quando interfecit Aegyptios, ex qua nube eiaculabantur quasi ex arce quadā flu-
Exod. 19. mina & tonitrua. Iterum, in nube ignis apparuit in monte Sinai. Sic & alibi nubes apparuit super ta-
Exod. 33. bernaculum, & caligo impleuit templum domini, Salomone orante in eo. Sic & in alio Psalmo dici-
3. Reg. 8. tur, Posuit tenebras latitubulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubi-
Psal. 17. bus aëris. Alij tamen istum ascensum super nubē ad literam intelligunt, de nube in qua ad cælū Chri-
stum assumptus est. ¶Versu 5. Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.
Istud nos ordine conuerso explanauimus, ad hunc sensum, Qui facis spiritus angelos tuos, & ignem
vrentē ministros tuos: ad quē modum etiam in Elucidatione Apostolicarū Epistolarum, hoc ipsum
sumus interpretati, in capite primo Epistolæ ad Hebræos, vbi locū præsentem citat Paulus, ad mon- F
strandum Christi super angelos præcellentiā. Atque ita loquutio similis erit illi, qua antè dictum est,
Psal. 44. Virga directionis, virga regni tui: hoc est, virga regni tui, est virga directionis. Et in alio Psalmo, Ci-
nerem tanquam panem manducabam, loco huius, Manducabam panem tanquam cinerē. Potest ta-
Psal. 101. men intelligi secundum proprium ordinem & situm partium, hoc modo, Qui facis vt tui angeli sint
spiritus, qui hoc fecisti atque curasti, vt pro angelis tuis haberes non carnem & sanguinem, sed spi-
rituales creaturas: & vt ministros tuos habeas flammā vrentem, id est, non frigidos, non tepidos in
seruitute, sed perpetui amoris viuacissimo igne flagrantes: vel ignem vrentem, id est, fortissimos &
validissimos ad perficiendum vltionē Dei, vt nemo possit resistere: quemadmodum est ignis maxi-
4. Reg. 19. me in agendo violentus. Sic enim ignis vrens fuit ille angelus, qui in castris Sennacherib interfe-
cit nocte vna centum octogintaquinque milia hominū, corpora omnia in cinerem redigens. Quidā
verò, spiritus hic intelligunt ventos & turbines, quibus Deus quasi nuncijs vti videtur, quum ante
Gene. 19. se eiusmodi præmittit ad prænunciandum aduentum suum: & flammam ignis siue ignem vrentem,
4. Reg. 1. intelligunt ignem materialem, punientem malos, cuius subinde Deus legitur vsus ministerio: velut
cum de cælo ignem & sulphur pluit, ad deletionē Sodomæ & Gomorrhæ, item super quinquagena-
rios venientes ad adducendum Heliam. Sed Pauli authoritas in capite primo Epistolæ ad Hebræos,
Hebr. 1. manifestissime ostendit, de angelicis spiritibus istud intelligendū: cum ex hoc loco ostendere co- G
netur, quanto sit differentius nomen quod hæreditauit Christus, præ nomine angelicorum spirituū.
Quòd si locus iste de flatibus ventorū intelligeretur, & de igne consumente, quorsum illi proposito
conduceret? ¶Versu 7. Super montes stabunt aquæ. Alij hoc intelligunt de aquis pluuialibus, quæ
cum pendeant in nubibus, super montes quodammodo consistunt. Sed mihi videtur, quod sequitur
de fuga ad increpationem domini, non satis conuenire cum illa expositione, Nos ad magnitudinem
elementi aquæ istud retulimus, quod tantum est, vt possit vniuersos etiam montes operire, nisi Di-
uina iussione & increpatione fugientes aquæ compulsæ fuissent terram aliqua ex parte nudam re-
linquere, pro terræ fructificatione & animantium inhabitatione. Rectè autem increpatio dicitur
fuisse præceptum illud, quo coactæ sunt relinquere situm naturalem, secundum quē totā ambibant
terrā, & in vnum locū se congregare, vbi & continentur sola iussione Dei, ne se penitus super terram
effundant, eāque opprimant. Videtur enim aquarū increpatio esse, quando cū imperio sic iubentur
quæ obtinent relinquere, & ab oppressione terræ recedere. De hac autē terræ discoopertione, quo-
modo facta sit voce Dei, & quomodo vsque nunc conseruetur, à proposito plenissime tractauimus
in libris de consideratione rerum naturalium, libro septimo, qui inscribitur de cælo & mundo, ca-
pite tertio. Propter quod, pluribus de eadē re hoc in loco agere non curamus. Similiter & de mon-
tium altitudine, valliumque humilitate in terra, ad quam vtilitatem à Deo facta sit, eodem in libro H
ex intentione tractauimus, capite sexto. ¶Versu 12. Expectabunt onagri in siti sua. Quidam secundū
facie istud accipientes, huius dicti causa putant onagros esse fitis admodū patientes, atque ob hoc
non statim vbi sitiunt pergere ad potum, quomodo cætera animalia: & hoc esse quod hic dicitur,
Expectare onagros in siti sua. Alij dicunt, onagros vehementes esse sitibundos, sed tamen non liben-
ter in aquam, vel pedes vel os intingere. Quæ si ita se habent, facile in lectione Latina intelligitur sin-
gularis natura onagrorum, qui sitientes non statim festinent ad potum, cum alia animalia contrarium
faciant statim ad potum recurrentes, vbi sitierint. Huiusmodi tamen incerta non est necesse com-
mentari, pro expositione loci præsentis, maxime si originalem consulamus Hebræam lectionē,
ex qua Hieronymus sic vertit, Reficiet onager fitim suam, & Felix, Extinguent vel frangent onagri
sitim suam. Quibus aptando nostræ lectionis intelligentiam, dicimus onagros expectare in siti sua:
id est, cum sitierint, festinare vel vehementer anhelare, & expectatione cruciari, donec illuc per-
ueniant, vt sitim sedent. ¶Versum 14. Rigans montes de superioribus suis. De superiobus suis in-
tellige, non de superioribus montium, sed de superioribus ipsius rigantis Dei: hoc est, de excelsis,
vel de sublimibus Dei, id est de nubibus. Vnde Felix vertit, Irrigans montes de excelsis, vel de nu-
bibus suis, vel de æthere suo. Hieronymus per secundam personam: Qui irrigas montes de cœna-
culis tuis. & Paraphrasis Chaldaica, Qui irrigas montes de domo thesauri excelsi tui. ¶Versu. 28.
Hoc

A Hoc mare magnum & spacioſum manibus. Manus poſitæ ſunt pro continentia & amplitudine, qua
mare velut amplexatur & continet quęcunque in ipſo ſunt, Vnde Chaldaica tranſlatio habet, ſpacio-
ſum terminis. Intra nanque terminorum ſuorum amplitudinem, omnia illa continet. Alij vertunt, la-
tum ſpacijs. ¶Verſu 28. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Deberet ſecundum ſententiam
pars iſta coniungi cum præcedentibus, hoc modo, Illic reptilia, quorū nō eſt numerus. Animalia pu-
ſilla cum magnis, Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei: ac deinde ſeparatim eſt legendum, Om
nia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore, &c. Dracones autē iſti videntur eſſe cete grandia, de
quibus ſit ſermo in 1. c. Gene. Nam ſingulare politum videtur pro plurali. Circa illud autē quod dici-
tur, Quem formaſti ad illudendum ei, nota, dictū eſſe illudendum ei, pro ludere in eo: quomodo dici Gene. 1.
mus incidere equo, pro ſedere in equo, inſtare operi, pro ſtare ſiue perſiſtere cū diligētia in opere: re-
latiuum autem ei nō refert draconē, ſed mare. Eſt enim ſenſus, Vt illuderet mari, ſiue vt luderet in ma
ri. Quā ſententiā nos in Elucidatione prolixius explicauimus. Atq; huic expoſitioni manifeſte conſo
nat quod vertit Felix, Leuiathan quē formaſti, vt rideat in ipſo, videlicet mari, id eſt, vt gaudeat in ma
ri, quoniā (vt aiunt) dominus eſt aliorum piſcium. Et in eādem ſententiam alius quidam ſic vertit, Et
certe illa quæ finxiſti, vt ibi luderent. Hieronymus verò ſic vertit, Leuiathan iſtum plaſmaſti, vt illu-
deret ei. Quod videtur in eandem ſententiam intelligendum. Cum enim dicit, vt illuderet ei, non vi-
B detur poſſe hoc commode aliter intelligi, quàm vt ipſe Leuiathan illuderet mari, hoc eſt, luderet in
mari. Et in Hebræo expreſſe habetur, in eo. Vulgo tamen ita ſolet hic ſermo accipi, vt illudere ſigni-
ficet deludere vel decipere: ei verò putant referre ipſum draconem, huncque ſenſum accipiunt, Dra-
co iſte quē formaſti vt illudatur ei, vel vt illudant ei, videlicet piſces minores alij. Quod intelligunt,
ratione magnæ molis ipſius. Cum enim cibi gratia piſces alios vorare voluerit, aufugiunt ab eo, &
verſus littus natitant, vbi viderint eſſe arenā & profunditatem minorē: quo cum ille cibi auidus cum
impetu aquam ſecum adducens fugientes fuerit inſequutus, defluente quantocyus aqua, ille ob cor-
poris molem deſtitutus aquæ ſufficientia, nequit ſe mouere, ſicque ſua venatione deluditur & inter-
dum in captiuitatem nautis venit. Atque ita dicunt factum eſſe hunc draconē, vt ſic illudatur ei, non
quidem particula, vt, ſignificante finalem cauſam, ſed conſequutionem tantum. Ex eo nanque quod
tanta mole ipſum Deus condidit, huic quodāmodo illuſioni eundem ſubiecit, eo quòd corporis ni-
mia moles huic illuſioni det occaſione: quomodo homines nimia longitudine frequenter alijs fiunt
in deriſum, dum ſua capita non rarò allidunt, vbi abſque nocumento cæteri mediocris ſtaturæ per-
tranſeunt. Hoc modo exponunt, qui (ſicut dictum eſt) illuſionem intelligunt deceptionem vel delu-
ſionem. Quanquā autem prior expoſitio magis vera videatur, magisque conſona literæ Hebraicæ, at
tamen hæc ſecunda rectè etiā poterit ex Hebræo accipi. In Hebræo enim ad verbum ſic habetur, Ad
C ridendū in ipſo, quod ſic intelligatur, Vt rideant de ipſo, vel in ipſo dracone, ſiue propter ipſum dra-
conem, idem eſt ſenſus, ac ſi dicatur, ad deludendum eum, vel deridendum eum, ſiue ad illudendū ei,
vt illuſio ſignificet deriſionē vel deluſionem. ¶Verſu penultimo, Iucundum ſit ei eloquium meum.
Hieronymus, Placeat ei eloquium meum, Felix, Dulceſcat, vel ſuaue ſit ei eloquium meum. Pſalteriū
Romanum, ſuauis ſit ei laudatio mea.

CIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iſte, quemadmodum, & ſequentes duo, exhortatio eſt populi Dei ad laudem eius, & commemoratio beneficiorum olim exhibitorum patribus, tam Patriarchis illis primis Abraham, Iſaac & Iacob, quam poſteris eorum in Aegypto oppreſsis: pro quibus Aegyptus plagis terribilibus percuſſa fuit, ipſi verò in manu valida liberati fuerunt, & introducti in terram patribus eorum repromiſſam. Pſalmus totus ſatis eſt facilis, & ex hiſtoria Geneſis atque Exodi eius cognoſcitur ſententia.

CIIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Confitemini domino, & inuocate nomen eius:*
D **annunciate inter gētes opera eius.*
2 *Cantate ei, & pſallite ei, narrate omnia mirabilia eius.*
3 *Laudamini in nomine ſancto eius:* * *lætetur cor quærentium dominum.*
4 *Quærite dominum,*

Onfeſsione laudis celebrate dominum, & ex corde bo
no cum fiducia inuocate nomen eius. Sic enim maxi-
me honorari putat, cum à fidelibus ſuis ſine hæſita-
tione inuocatur in die tribulationis: * opera eius mi- Pſal. 49.
rabilia & magna quæ fecit vobiſcum & cum patribus
veſtris, narrate & prædicate omnibus populis, pro-
clamate ea in aures omnium nationum. 2. Cantate illi laudem, & can-
ticis pſalmorum laudate eum, enarrantes in pſalmis laudatorijs &
gratulatorijs canticis vniuerſa mirabilia eius, quorum ad vos perue-
nit memoria, quæ & cum patribus veſtris fecit in ſæculis præteritis,
atque etiamnum erga vos non ceſſat operari. 3. Exultate laudando,
& magnifice lætamini, lætandoque gloriamini in nomine ſancto eius,
ſancto gaudio & exultatione gloriamini in eo. Eſt enim eius in ſæcula
benedictum nomen iuſtiſsima gaudij atque gloriationis materia, om-
nibus qui ipſum cognoſcunt & credunt in illud: * lætentur ſpiritus, &
affectus boni omnium eorum qui requirunt dominum, agant in gau-
dio corda omnium credentium in dominum, illique fideliter ſeruien-
tium. 4. Quærite dominum ex toto corde veſtro, omni ſtudio conten-
dite placere illi, gratamque præſtare ſeruitutem, & confortentur corda

veſtra

Galat.6. Psal.29. *& confirmamini:* * *quærite faciem eius semper.*

2.Cor.6. 1.Cor.10. Colloſ.3. Hier.29. 5 *Memento mirabilium eius quæ fecit prodigia eius, & iudicia oris eius.*

Mala.1. Rom.9. 6 *Semen Abraham ſerui eius, filij Iacob electi eius.*

7 *Ipſe dominus Deus noſter:* * *in vniuerſa terra iudicia eius.*

8 *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi quod mãdauit in mille generationes.*

9 *Quod diſpoſuit ad Abraham:* * *& iuramenti ſui ad Iſaac.*

10 *Et ſtatuit illud Iacob in præceptum:* * *& Iſraël in teſtamentum æternum.*

11 *Dicens, Tibi dabo terrã Chanaã, funiculum hæreditatis veſtræ.*

12 *Cum eſſent numero breui, pauciſſimi, & incolæ eius.*

Heb.11. 13 *Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.*

Gene.49. Gene.12. Gene.20. 14 *Non reliquit homines nocere eis:* * *& corripit pro eis reges.*

veſtra in eo: bonũ facientes ne deficite, ne flacceſsite, ſed viriliter agite, & cõfortentur corda veſtra, in fiducia omnipotẽtis Dei: * quærite ſemper faciem eius, nunquam ab eo auertite oculos, ſed coram eo ſemper ambulate, ei ſemper ſpiritu præſentes vos exhibere contendite, tametſi corpore abſentes, vt placeatis in oculis eius: quicquid agitis, ſemper in nomine eius facite, tanquã ipſo inſpectore, teſte, & iudice. 5. Ad memoriam reuocate, memorique mente & animo grato reuoluite mirabilia illa opera quæ fecit in priſtinis generationibus, coram patribus veſtris, illa ſtupẽda atque inaudita prodigia, & iudicia illa terribilia qui per ſententiã oris ſui ex iuſſione præcepti ſui exercuit pro populo ſuo aduerſum inimicos. 6. Vos (inquam) horum mementote, qui eſtis verũ ſemen Abraham fidelis ſerui domini: vos iſta ad laudem commemorate, qui ſecundum fidei imitationem potius quam ſecundum carnis originem illius eſtis vera progenies, quique eſtis veri ſecundum ſpiritũ & repromiſsionem filij Iacob electi eius, quẽ ſingulari electione dominus dilexit & elegit, fratrem primogenitum Eſau odio habens & reprobans 7. Ipſe eſt dominus Deus noſter viuus & verus, Deus patrum noſtrorum, Abraham, Iſaac, & Iacob, & præter eum nõ eſt alius: opera eius, mirabilia & terribilia quę fecit contra aduerſarios populi ſui, pro his iudicando, palàm toti mundo ſunt exhibita: tam glorioſa fuerũt, vt eorum fama vniuerſum pertranſierit habitabilem orbem: * Eſt quoque iudex & iudicia exercens ſuper vniuerſam terrã, non ſolum in Iudæa, neque ſolum in finibus eius habens imperium, ſed longè ac latè per vniuerſam orbem terrarum. 8. Non eſt oblitus pacti ſui in æternum facti, quod fecit vt in æternum perduret & nunquam fiat irritum: recordatus eſt (in qua) verbi illius, promiſsi, teſtamenti, ſiue pacti, quod firmauit non ſolũ pro patriarchis illis primis patribus noſtris, neque pro proximis generationibus per aliquot ſecula de ipſis naſcituris, ſed prorſus pro omnibus generationibus vſque ad conſummationem ſeculi: quod pactum ſecundum veritatem voluit firmum habere robur, vſque dum hic mundus perſtabit in omnes generationes. Quod teſtamentum diſpoſuit primum omnium ipſi Abraham ſeruo ſuo, expreſſa pollicitatione ſua promittens illi ſui ſeminis multiplicationem, & in terram promiſsionis introductionem: * memor fuit promiſsionis iuramento firmatæ, quam ſicut fecerat primũ Abrahæ, ita fecit & filio Iſaac. 10. Et ſtatuit illud, firmiterque conſtituit ipſi Iacob pro æterno præcepto, tam ipſi Iacob Patriarchæ, quàm toti populo, volens firmiſsime credi promiſsioni ſuæ: * & eidem ipſi alio nomine dicto Iſraël, firmauit promiſsionem illam in pactum æternum, tam ipſi patriarchæ, q̃ omni ſemini eius, vt impleretur quidem illa promiſsio in ſemine corporali corporaliter, & ſpirituali autem ſemine ſpiritualiter. 11. Dicens ad patres noſtros, Abraham, Iſaac, & Iacob, Tibi & ſemini tuo poſt te, dabo terram Chanaam in ſortem, diuiſionem, & portionem hæreditatis veſtræ: terram Chanaã pinguiſsimam & optimam, lacte & melle manantem, vobis & ſemini veſtro dabo in hæreditariam poſſeſsionem: ſemini quidem corporali, ſuo in tempore craſſam, & corpoream hæreditatem: vero autem ſemini ſecundum ſpiritum, hæreditatem illam precioſam, & omnibus verè bonis fœcundiſsimam, terram viuentium. 12. Et quanquam in longum diſtulit dominus implere promiſsum ſuum, ſemper tamen ex quo elegit patres noſtros, & teſtamentum illis diſpoſuit, ſingularem geſsit illorum curã, & peculiari eos reſpectu fouit. Nam & in principio, cũ eſſent adhuc in modico numero, cum anguſta eſſet adhuc eorum familia, cum eſſent pauciſsimi numero, & tantum vt aduenæ incolerent terram promiſsionis, tanquam peregrini & aduenæ in tabernaculis demorantes in ea. 13. Et cum famis inedia compulſi, cum omni familia ſua & gregibus tranſirent de gente vna ad aliam, & de populo ſiue regno altero ad alterum, vt peregrinarentur illuc vbi audirent annonã eſſe copioſiorem, veluti nunc peregrè diſcedentes in Aegygtum in regnum Pharaonis, nunc in Paleſtinam in regnum Abimelech. 14. Cum ita vt aduenæ & peregrini tranſirent de loco ad locum, ſemper illis ſua ſingulari protectione & cuſtodia adfuit Deus, vt non permiſerit illos ab vllo vnquam vim pati, aut nocumentum accipere, ſed protector illorum & cuſtos fuit in omnibus quocunque pergebant: * quin & reges magnos pro eis corripuit, & tam verbo increpationis quàm pœna vltionis arguit, propterea quòd ipſis feciſſent iniuriam. Quemadmodum Pharao rex Aegypti,

15 *Nolite tãgere chriſtos meos:* * *& in Prophetis meis nolite malignari.*

16 *Et vocauit famen ſuper terram:* * *& omne firmamentũ panis contriuit.*

17 *Miſit ante eos virum:* * *in ſeruum vænundatus eſt Ioſeph.*

18 *Humiliauerunt in compedibus pedes eius:* * *ferrum pertranſit animam eius:* * *donec veniret verbũ eius.*

19 *Eloquium Domini inflammauit eum:* * *miſit rex, et ſoluit eũ:* * *princeps populorum, & dimiſit eum.*

20 *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ:* * *& principem omnis poſſeſsionis ſuæ.*

21 *Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum & ſenes eius prudentiam doceret.*

22 *Et intrauit Iſraël in Ægyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.*

23 *Et auxit populum ſuum vehementer:* * *& firmauit eum ſuper inimicos eius.*

Aegypti, vbi Saram ſuſtuliſſet in domum ſuã, flagellatus eſt à Deo plagis maximis cum omni domo ſua, donec reſtituiſſet illi vxorem ſuam. Gene.20. Atque iterũ Abimelech rex Gerarę, cum tuliſſet Sarã, apparuit ei Dominus per ſomniũ nocte, mortemq; ei eſt comminatus, niſi reſtituiſſet, quam tulerat viro ſuo. 15. Nolite (inquiebat Dominus effectu huiuſmodi correptionum) cõtingere ſanctos & electos, quos ego mihi ſpecialiter elegi, & vnctione mea ſanctificaui, ac ſanctificatione vnxi: nolite eos, aut eorum quicquã contingere, vt noceatis eis: * & cõtra ſanctos meos, cõtra prophetas iſtos meos, quib' ego manifeſto meipſum, quibuſcum familiariter ego loquor & verſor, nolite mali quicquam attentare. Alioqui morte moriemini, & ego pugnabo pro eis, ſi vel in minimo quicquam eorum contigeritis. 15. Et poſt tempus aliquantum iuſsit Dominus famen magnam venire ſuper terram Chanaan, & ſuper omnem terram, ſterilitatem magnam annorum ſeptem induxit, ita vt vbique locorum maxima eſſet frumentorum inopia: * & deficere fecit Pſal.103. omne firmamentum panis, omne frumentum ex quo conficitur pa- Gene.41. nis, confirmans cor hominis, abſumptum eſt, neque vſquam potuit in- & 42. ueniri frumenti copia vel ſufficientia, niſi tantum in terra Aegypti, vbi per ſingularem Dei prouidentiam abundantia frumentorum fuerat conſeruata. 17. Et hic, ne paterentur defectum Iacob & domus eius, mirabili diſpoſitione à Deo prouiſum eſt, dum ex eius diſpoſitione, antequam tempus hoc famis veniret, Ioſeph filius Iacob in Aegyptum Gene.37. ductus eſt, qui poſtmodum & Iacob patrẽ cum familia & totam ter- Gene.39. ram cibaret ſua prouidentia: * Ioſeph filius minor & vnicè dilectus patri Iacob, & fratribus ſuis, per odium & inuidiam venditus eſt in ſeruum Iſmaëlitis, ac deinde ab his Putiphari Aegyptio. 18. Hic ab vxore Domini ſui iniuſte accuſatus propter iuſtitiam, quaſi qui voluiſſet heram opprimere, à domino ſuo in carcerem remiſſus eſt, vinctusque & afflictus compedibus, vt ſolent vinciri malefactores: * ferreę illę compedes dolore afflixerunt, & cruciauerunt animam eius, in dolore & afflictione vixit poſitus in captiuitate, innocens inter noxios: * vſquedũ veniret verbum eius, & enarratio ſomnij, quã prædixerat duobus concaptiuis quæ ipſis eſſent ventura, donec illa enarratio compleretur in opere, haęque occaſione tandem fuiſſet eductus de iniuſta captiuitate carceris. 19. Eloquium Domini in eo viguit, ſpiritus Prophetiæ ipſi à Deo datus fuit, per quem ſapientiſsime potuit conijcere ſomnia, & futura occultaque cognoſcere: * Pharao rex Aegypti audita à pincerna Gene.41. ſuo ſapientia eius, & diuinandi peritia, miſit qui eum à captiuitate liberarent, & adornatum decenti habitu coram ſe adducerent, ad conijciendum & enarrandum ſomnia, quæ viderat, & diuinorum nemo poterat exponere: * miſit (inquam) princeps iſte magnus multorum populorum Pharao glorioſus, atque è captiuitate eduxit Ioſeph, libertateque donauit. 20. Comprobata in eo ſapientia Dei, quòd prudentiſsime ſimul & vtiliſsime expoſuiſſet ſomnia, cõſtituit eum Pharao diſpenſatorem & procuratorem domus regię, illum ſibi faciens dignitate proximũ, ita vt vno tantum regni ſolio illum antecederet: * & prin- Ibidem; cipem illum fecit ſuper omnem poſſeſsionem ſuam, dans illi poteſtatem ſuper omnem terram Aegypti, ita vt abſq; eius imperio non moueretur manus in vniuerſa terra Aegypti, & ad eius nutum agerentur omnia. 21. Vt per abundantem ſapientiam Dei quæ in ipſo erat, principes & nobiles Pharaonis erudiret, ſicut & ipſe à Deo eruditus fuerat, & vt presbyteros, illos etiam qui propter ſenium & ſapiẽtiam magnę authoritatis & exiſtimationis erat in populo Aegypti, doceret prudentiam: vt ipſe totum regnum in ſapientia inſtitueret, & ex eius coram toto populo ingreſſu atque gubernatione diſcerent prudentiam. 22. Et factum eſt, vbi nunciantibus filijs audiſſet Iacob viuere adhuc Gene.45. filium ſuum, quem iam diu mortuum, & à beſtia voratum exiſtimauerat, ipſumque præeſſe toti terræ Aegypti, & peculiariter diſtributioni frumentorum, quorum erat in terra vniuerſa maxima penuria, venit ad Ioſeph filium ſuum in Aegyptũ, vt ibi ab eo paſceretur ipſe & omnis domus eius, fuitque ibi accola & inhabitator cum filijs ſuis, in terra Aegypti. 23. Fecitque ibi creſcere populum electum ſuum & mul- Gene.46. tiplicari ſemen Iacob vehementiſsime, vt qui in animabus ſeptuaginta ingreſſi fuerant Aegyptum, non poſt ita multum temporis in maximam multitudinem excreuiſſent: * fecitque eum multiplicatione ni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exod. 1. 24 *Cõuertit cor eorum vt odirẽt populum eius:*

Ibidem. Ibidem. ** & dolum facerent in seruos eius.*

25 *Misit Moysen seruum suum, Aaron quẽ elegit ipsum.*

Exod. 4. Exod. 7. 26 *Posuisti in eis verba signorum suorum et*

Exod. 10. *prodigiorum in terra Cham.*

27 *Misit tenebras & obscurauit:*
** non exacerbauit sermones suos.*

Exod. 7. 28 *Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.*

Exod. 8. 29 *Et dedit terra eorũ ranas, in penetralibus regum ipsorum.*

30 *Dixit & venit cœnomya & cynifes, omnibus finibus eorum.*

Psal. 104. 31 *Posuit pluuias eorum grandinem, ignem conburentem in terra ipsorum.*

Exod. 9. 32 *Et percussit vineas eorum: & ficulneas eorum, & contriuit lignũ finium eorum.*

Ibidem. 33 *Dixit, & venit locusta & brucus, cuius non erat numerus.*

Exod. 10. 34 *Et comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum.*

mia ita fortem ac validum, vt sibi metuere inciperent Aegyptij, odientes eos propter odium atque inuidiam, vt iam hostibus suis inciperent fieri fortiores atq; etiam formidabiles. 24. Et permisit Dominus corda Aegyptiorum conuerti in odium contra populum Israëliticũ: post mortem Ioseph surrexit rex nouus &, populus nouus, qui non cognouerunt Ioseph & quæ Dominus per eum Aegypto fecerat, qui odio moti sunt contra filios Israël, inuidentes & dolentes de multiplicatione eorum: * egeruntq; aduersum seruos Dei malitiose & nequiter cõpellentes illos proijcere in flumen filios suos, grauissimaque seruitute opprimentes, ita vt ad amaritudinem perducerent vitam eorũ, in seruitute grauissima luti & lateris, & in flagellis quibus affligebantur ab exactoribus regis. 25. Vidensque tandem afflictionẽ populi sui Deus, & misereri volens iuxta promissum iam nimium fatigati populi, misit ad filios Israël & Pharaonem & seruos eius, Moysen famulum suum, de stirpe Israëlitica, adiungens ei fratrẽ suum Aaron ipsum quem elegit, vt esset os & propheta fratris sui Moysi, vt loqueretur coram Pharaone, vtque postmodum sacerdotio fungeretur ipse & omnis posteritas eius. 26. Posuit in eis verba signorum suorum, dedit eis mandata de operandis supernaturali virtute mirabilibus signis, quę coram Pharaone & seruis eius ostenderent, & prodigiorum stupendorum qualia nunquam ab initio fuerant visa, vt ea exhiberent in terra Mezraim filij Cham in terra Aegyptiorum. 27. Percusit Aegyptum horribili plaga tenebrarum densissimarum, quæ factæ fuerunt per vniuersam terram Aegypti, ita vt tribus diebus & noctibus nemo posset videre proximũ suum, neque quisquam è loco se moueret, cum apud filios Israël esset lux clara: * & non irritauit, non irritos fecit Dominus sermones suos: sicut prædixerat comminando Pharaoni, per Moysen & Aaron, ita factum fuit: * Pharao etiam videns tantum miraculum non exacerbauit verba sua, non amara, neque blasphema loquutus est: sed veniam quæsiuit, & accersito Moyse, à plaga petijt liberari. 28. Aquas eorum, virga percutiente Moyse, conuertit in sanguinem omnes videlicet fluuios, paludes, riuos & lacus aquarum commutando in sanguinem, ita vt non possent bibere Aegyptij aquam fluminis, quæ computruerat in sanguinem: & mortui sunt pisces qui erant in flumine propter aquæ putrefactionem, quam ferre non potuerunt. 29. Ebulliuit insuper terra eorum ranas, Moyse extendente manum super aquas Aegypti, ascenderunt ranæ in maxima abundantia, & operuerunt omnem terrã Aegypti, ingredientes etiam domum Pharaonis & principum eius & in cubiculum lecti, & in domos, & in furnos, & in reliquias ciborum: nec quicquam erat ab harum ranarum vexatione liberũ, vt nec penitissima cubilia sua, rex atque principes eius potuerint seruare immunia, vt nõ omnia ranis implerentur. 30. Iterũ iussit venire muscã omnis generis, muscã grauissimã, omne genus muscarũ, ita vt implerentur muscis venenatis omnes Aegyptiorũ domus: percussoque terræ puluere facti sunt cynifes tam in hominibus quàm in iumentis, in vniuersis terminis Aegypti, vt omnis puluis terræ Aegypti versus videretur in cynifes. 31. Super hæc, Pharaone indurante cor suũ, nec volente acquiescere verbis Moysi & Aaron, & addidit Dominus plagam aliam grandinis per maximam, q̃ sicut pluuiã copiosissimã misit super vniuersam Aegyptũ super homines & super iumenta, & super omnem herbã agri, mittens simul ignẽ comburentẽ & discurrentia fulgura, vt grando & ignis pariter mixta ferrentur super vniuersam terrã eorum. 32. Et per grandinem hanc maximam, quanta nunquam antè fuerat, percussæ sunt oẽs vineę fines eorũ, omnesque arbores quæ erant in vniuersa terra Aegypti. Percussit enim cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsq; ad iumẽtum, cunctãq; herbã agri percussit grando, & omne lignũ regionis cõfregit. 33. Cumq; nec sic Pharao dimitteret populũ, sed augeret peccatum, & obduraret magis cor suum, præcepit dominus vento vrenti, vt flaret tota die illa & nocte: qui mane facto leuauit & adduxit locustas cõmixtas cum brucis, quæ ascenderunt super vniuersam terrã Aegypti, in multitudine innumerabili, & operuerũt vniuersam superficiẽ terræ vastantes oĩa. 34. Per quas locustas & brucos innumerabiles cõmestũ atq; consumptũ est omne gramen & omne viride in terra Aegyptiorum: & quicquid fructuũ erat in arboribus residuum à grandine, per locustas deuastatum est. Deuorata nãmque est ab eis herba terræ & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat. Nihil quoq; virens relictum est in lignis & herbis terræ, in cuncta Aegypto.

35 *Et percussit omne primogenitum in terra eorũ, primitias omnis laboris eorum.*

Exod. 12. 35. Nouissime verò omnium plaga grauissima dominus percussit Aegyptum, interficiens in terra eorum omne primogenitum, & primitias omnis doloris siue partus eorũ: à primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat vsq; ad primogenitũ captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum, vt non esset domus in qua nõ iaceret mortuus. 36. Et post hæc omnia ostenta atque prodigia in Pharaonẽ

Ibidem. 36 *Et eduxit eos cum argento & auro:*
** & non erat in tribubus eorum infirmus.*

& seruos eius exhibita, eduxit dominus populum suum in manu valida & brachio extẽto, ditatos multis vasis aureis & argenteis & pretiosis vestimẽtis, quæ ex domini præcepto, cõmodato acceperant ab Aegyptijs, vt spoliarent eos: * nõ erat in omnibus tribubus eorum infirmus, omnes fortes ac robusti erãt, atq; gaudentes pro liberatione sua domino eos confirmante in bona sospitate, vel ad vnum vsque omnes educeret. 37. Et factum est mirabiliter, vt Aegyptij qui prius nequaquã voluerãt populum dimittere, iam etiam compellerent & rogarent eos vt egrederentur: & lætati sunt, cùm filios Israël viderent egredientes:

Ibidem. 37 *Lætata est Aegyptus in profectione eorum: * quia incubuit timor eorum super eos.*

* conspecta enim tam horrenda interfectione primogenitorum suorũ, timuerunt, ne & ipsi morte ablumerentur, timebantq; vltra apud se detinere populum domini, imò vrgebant eos de terra sua exire velociter

Exod. 13. dicentes, Omnes moriemur. 38. Cùm autem proficiscerentur filij Israël expãdit dominus nubẽ super eos in protectionẽ, ipse eis comes & dux viæ fuit, per columnã nubis in die, & per noctẽ in columnã ignis. Dominus enim præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. In protectionem quoque specialiter nubes ista populo fuit, quando persequentibus Aegyptijs, angelus domini, qui eos præcedebat, abijt post eos, simul & cum eo columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Aegyptiorum & filios Israël, vt non possent Aegyptij ad filios Israël per totam noctem accedere facta verò vi-

Exod. 16. gilia matutina, respiciens dominus super castra Aegyptiorum, per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum. 39. Filijs autem Israël in deserto iam agentibus, cùm petijssent carnes à domino, data est eis coturnicum maxima abundantia, vt iuxta desiderium suum carnes manducarent, vel vsque ad nauseam: * pane non humana arte aut naturali virtute de terra formato, sed supernaturali dono desuper dato,

39 *Petierunt, & venit coturnix: * & pane cæli saturauit eos.*

pauit eos annos multos in deserto, absque suo labore omni & solicitudine. 40. Et cùm sitirent in deserto, aperuit dominus rupem pro eis, vt aquæ fluerent in abundantia, quas biberet populus & omnia iumẽta eorum: * eruperunt ex petra ad iussionem domini tantæ aquarum inundationes, vt in loco deserto, sicco, & arido facerent velut flumina, illic vbi antea non fuerant aquæ. 41. Ita magnificè, ita mirabiliter, & glo-

Rom. 11. riosè semper & in omnibus egit dominus cum populo suo propter testamentum quod pepigerat cum patribus eorum, Abraham, Isaac, & Iacob: quoniam secundum electionem ei erant dilecti & charissimi, propter patres eorũ, quoniã memor fuit promissi firmi sui, quod pollicitus fuerat Abraham seruo suo: cui promisso, vt satisfaceret ita magnifice omnia hæc pro populo electo voluit agere. 42. Et gloriose e-

Hier. 11. duxit populum suum de domo seruitutis, de fornace ferreâ Aegypti, in magna exultatione: suos electos eduxit in magna lætitia, quorum erat tãto ex liberatione maior lætitia & exultatio, quanto fuerat sub seruitutis pondere grauior afflictio. 43. Eductosque de terra captiuitatis filios Israël, introduxit in terram promissionis, in regiones alienigenarum gentium, expellens ac delens pro eis gentes quę inhabitauerant terram Chanaã, Amorrhæos, Chananæos, Euæos, Ethæos, Iebusæos, Gergezæos, & Pherezæos: vt filijs Israël traderet possidendas terras eorum: * & possederunt filij Israël ex domini mandato labores populorum illorum, agros quos illi coluerant, & vineas quas illi plantauerant, vrbesque, & ciuitates quas illi ædificauerant. 44. Fecit autem hęc omnia Deus, ob gloriã sui magni nominis, vt tantis beneficijs populũ sibi deuinciret, suæque obstringeret seruituti, vt tantis affecti à Deo

Num. 16. beneficijs, & completis promissionibus eorum patribus factis, ipsi filij

40 *Dirupit petrã, & fluxerunt aquæ:*
** & abierunt in sicco flumina.*

41 *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.*

42 *Et eduxit populũ suum in exultatione:*
** & electos suos in lætitia:*

43 *Et dedit illis regiones gentium:*
** & labores populorũ possederunt.*

44 *Vt custodiat iustificationes eius, & legem eius requirant.*

in toto corde suo studerent perficere: hicque in obedientia legis & præceptorum cum gratitudine famularentur domino Deo suo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANNOTATIONES IN PSALMVM CIIII.

PSalmo huic præmittitur tituli vice, nihil aliud quàm Hallelu-ia, quod significat, laudate dominũ, videlicet quoniã totus Psalmus ad confessionem & laudem exhortatur, & quæcunque proponit veterũ illorum facinorum olim per Deum pro electis suis patratorum, ob hoc cõmemorat, vt laudetur in eis Deus, qui semper tam prouidam curam & benignam custodiam suis impendit electis. ¶Versu 3. Laudamini in nomine sancto eius. De verbo laudari, quomodo significet interdum gloriari, vel lætari quasi cum laude, diximus in Psalmum 33 circa versum illum, In domino laudabitur anima mea. Vnde hoc loco vertit Hieronymus, Exultate in nomine sancto eius. Felix, Laudamini vel laudate. Intelligi etiam potest, Complacete vobisipsis in nomine sancto eius, gaudium habete in vobis super nomine sancto eius: in eo gloriemini: videlicet quòd ipsius talis ac tanti Dei serui sitis, & ipsius populus. Apostolus namque ait, Qui gloriatur, in domino glorietur. Merito enim in hoc gloriari possumus, quoniam (vt ait sanctus Moyses) nõ est alia natio tam grandis, quę habeat deos appropinquãtes sibi, sicut Deus noster adest nobis: neque est Deo nostro similis in omnibus dijs, neque est alius secundum opera eius. ¶Versu 5. Prodigia & iudicia oris eius. Nos idem per prodigia & iudicia intelleximus, appellantes illa mirabilia signa prodigia oris Dei, eo quòd ex iussione & præcepto Dei sic facta fuerint: iudicia verò, quatenus cõtra reprobos edita ex sententia oris domini. Possemus tamen F hæc nõ incommode distinguere, vt exhortatio fiat ad recordandum Dei prodigia, simul & præcepta quæ per os suum dedit, id est, legem quã tulit & dedit. Solent enim nõ rarò ista Dei præcepta appellari iudicia. Melior tamen videtur prior expositio, quoniã in versu septimo cùm dicitur, In vniuersa terra iudicia eius: iterum de illis prodigijs videtur sermo fieri, non autem de præceptis legis, quæ peculiaris fuit populo Israëlitico. ¶Versu 18. Donec veniret verbũ eius. Nos in Elucidatione istud exposuimus de verbo Ioseph, eiusque coniecturæ impletione, post quam opportuno tempore recordatus pincerna sui coniectoris, curauit apud Pharaonem de iniusto carcere illum educi. Alij intelligunt, nõ verbum Ioseph, sed verbum domini, ad hunc sensum, Tandiu Ioseph in carcere mansit cõclusus, donec veniret verbum domini, donec tẽpus veniret quod cõstitutum & definitũ fuit à Deo, vt exaltaretur Ioseph humiliatus. Illud quoque quod sequitur, Eloquium domini inflammauit eum, quod nos exposuimus de verbo sapientiæ Dei, quo illum Deus induit & donauit, vt sapienter posset futura præuidere. Alij sic intelligunt, Verbum domini velut igne examinauit & probauit eum, voluntas domini quæ erat, vt sic Ioseph humiliaretur, per patientiam, quasi igne examinauit eum, probauit eum, exercitauit & quasi repurgauit eum, vt ex bono fieret probatior, dignusque fieret fidelis & probatus iuuenis, ampliori prophetię munere: vt significetur illa captiuitas à Deo permissa, ad ipsius Ioseph probationem, vt (iuxta beati Pauli sententiam) tribulatio patientiam operaretur, patientia G probationem. ¶Versu 21. Vt erudiret principes eius, sicut semetipsum. Illa oratio sicut semetipsum, facit nonnullam difficultatem. Nos in Elucidatione sumus interpretati, sicut ipsemet edoctus fuit à Deo, quamuis secundum eum sensum non admodum propria sit per accusatiuum eloquutio, nisi sic intelligeretur: Sicut semetipsum cognouit à Deo eruditum. Posset verò etiam aliter intelligi: vt erudiret principes Pharaonis: eosque regeret, gubernaret, moderaretur, & institueret, legibusque vinciret pro sua voluntate, quomodocunque voluisset: tanta vtique erga illos libertate potens vti, quanta erga semetipsum. Cui satis cõsonat quod ex Hebręo vertit Hieronymus, vt erudiret principes eius secundum voluntatem suam. Loco illius namque, quod nos habemus, sicut semetipsum, in Hebræo, est, in anima sua, vel secundum animam suam, hoc est, iuxta suam voluntatem, aut suum desiderium. ¶Versu 26. Et prodigiorum suorum in terra Cham. Quare Aegyptus terra Cham vocetur, diximus in Psalmum 77. ¶Versu 27. Et nõ exacerbauit sermones suos. Lectio vulgata nostri Gallicani Psalterij hoc loco, neque cum Græco, neque cum Hebræo consonat, neque cum Psalterio Romano. Sic enim in Græco legitur: ὅτι παρικίκρανεν τοὺς λόγους αὐτοῦ. Atq; ita habet lectio Romana, Quoniam exacerbauerunt sermones eius: hoc est, quia verbo domini restiterunt & cõtradixerunt, nec fuerunt obedientes ijs quæ per Moysen & Aaron dominus illis dixerat de populi dimissione. In Hebræo autem H sic legitur, Hieronymo interprete, Et non fuerunt increduli verbis eius. Quod intelligi potest de populo ipso Israëlitico, qui pro se tanta signa fieri videns, solosque Aegyptios talibus plagis grauari: se autem immunes viuere confisi sunt de verbis domini, quibus tamen ob amaritudinem animi prius ægre voluerãt acquiescere, dicentes Moysi, Fecisti fœtere odorem nostrum corã Pharaone & seruis eius, & alia huiusmodi. Vel de Pharaone & Aegyptijs, qui manifestè cõprobantes diuinã virtutem, nõ male loquuti sunt, neque blasphemauerunt, sed agnoscentes peccatum suum, Moysen & Aaron vocauerunt, petierunt à se illorum precibus reuelari manum domini. Nostra autem lectio vulgata, neque cum hac lectione Hebraica, neq; cum Græca videtur cõsentire. Habet tamen & ipsa commodam intelligentiam, quemadmodum duplici interpretatione in Elucidatione ostendimus. ¶Versu 29. Et dedit terra eorum ranas. Quod vulgo legitur in nostris codicibus, Et dedit, legendum videtur vno verbo, edidit. Neque enim in Hebræo, neque in Græco prępositur cõiunctio, sed à verbo tali incipitur oratio, quòd significat edidit, vel emisit, vel produxit. Vnde ex Hebræo Hieronymus vertit, ebulliuit pro edidit: Felix produxit. Quod autem quidam libri habent terrã in accusatiuo, Et dedit terram eorum ranas, est etiam hoc deprauatum. Per nominatiuũ enim legendũ est, quomodo Græca habent & correctiores Latini codices, quomodo etiam ex Hebræo concorditer vertunt interpretes. De cynomya autem in versu sequenti, an legendum sit cœnomya per œ diphthongum, vt significet muscam omnis generis, an cynomya per y, diximus in annotationibus Psalmi 77. vbi eadem dictio ponitur.

1.Pet.5.

Psal.33.

2.Cor.10.
Deut.4.
Psal.85.

Gene. 41.

Rom. 5.

Exod. 5.

Exod. 9.

CV. PSAL-

A CV. PSALMI ARGVMENTVM.

IN hoc Psalmo, vt in præcedenti, commemoratio ponitur mirabilium Dei veteri olim populo exhibitorum, atque hinc ad laudem exhortatio. Est tamen in his Psalmis duobus notãda diuersitas, quòd præcedens nõ meminit malorum, quæ filij Israël egerunt contra dominum: sed tãtum illa proponit stupenda prodigia & admirãda beneficia, quæ pro illis maximè contra inimicos & hostes eorum, fecisset dominus. In hoc autem Psalmo cõmemorantur potißimum mala filiorum Israël, quibus impie egerunt contra dominum, & eorum punitiones, quibus ob suas impietates à domino fuerunt afflicti: quæ tamen ob hoc cõmemorantur, vt manifestior fiat Dei erga populum suum inæstimabilis & inexhausta misericordia: qui toties grauißime delinquentibus semper misertus fuit, quotiescunque egissent pœnitentiã, recordatus misericordiæ suæ & veritatis, quã promiserat patribus eorum. Tanto enim spectabilior, & maiori digna laude relucet misericordia domini et veritas eius, quãto frequẽtißime lapsis atque relapsis nunquam viscera claudit, neque promißiones implere desinit factas patribus.

CV. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Confitemini domino quoniam bonus:
B ** quoniam in sæculum misericordia eius.*
2 Quis loquetur potentias domini?
** auditas faciet omnes laudes eius?*

3 Beati qui custodiũt iudiciũ, & faciunt iustitiã in omni tẽpore.
4 Memento nostri domine in beneplacito po
C *puli tui:*
** visita nos in salutari nostro.*
5 Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ:
** vt laudẽris cum hæreditate tua.*
6 Peccauimus cum patribus nostris, iniustè
D *egimus, iniquitatem fecimus.*
7 Patres nostri in Aegypto nõ intellexerunt mirabilia tua:
** non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.*
8 Et irritauerunt ascendentes in mare, mare rubrum.

CEonfessione laudis celebrate dominũ omnes serui ei⁹, quoniã vnus & solus ipse est verè bonus: & sicut solus per se vere bonus, ita solus vere laude dignus: * quoniã misericordia eius perdurat in sæculum, in æternũ nõ deficiet, persentiẽtq; eã omnes generationes venturæ vsq; in cõsummationem sæculi, quemadmodum & persenserunt quæcunq; præcesserunt ab initio. 2. Et quis eloqui ad plenum valeret omnia illa opera admirãdæ potentię atq; fortitudinis domini? quis ea pro dignitate posset explicare? * quis pro dignitate prædicare poterit omnes laudes eius? quis illum sicuti dignus est, laudare sufficiet? Est enim ipse magnus valde, nimiumque laudabilis: opera verò illa potentiæ eius, & nimium multa sunt, vt nemo ea omnia possit enumerare, & nimium magna, vt nec vnum pro dignitate quisquam hominum sufficiat explicare. 3. Illi beati sunt, illi sibi Psal.94. bene consulunt atque prospiciunt saluti suæ, illos Deus gratos habet, qui custodiunt iudicium, id est, qui faciunt iustitiam in omni tempore: qui ea quæ recta & iusta sunt, operantur omni tempore, qui nunquam quicquam iniustũ aut impium agunt, cõtra Deum vel proximos suos. Qui enim huiusmodi fuerint, misericordiam Dei persentient. 4. Memento nostri in bonum domine, in beneplacito erga populum tuum, in bona voluntate qua afficeris erga populum, secundum benignitatẽ quã exhibes & ostendes seruis tuis nomen tuũ timentibus: * visita nos in salute tua, adfer nobis salutẽ quã optamus de inimicis nostris, & de manu omnium qui nos oderunt: visita nos nõ quomodo iratus iudex reos visitat in tormentis & damnatione, sed vt pius pater filios benigna tua visitatione, libertatẽ adferendo captiuis, ægris medicinã, vitam mor Luc.1. tuis. 5. Vt videamus in bonitate electorum tuorũ, vt experiamur bona dilectorum seruorum tuorum, bona illa æterna quæ promisisti & præparasti diligentibus te, quæ non vidit oculus, audiuit auris, & quæ non Esaię 64. ascenderunt in cor hominis, vt pariter lætemur in lætitia gentis tuę, 1.Cor.2. vt participes efficiamur lætitię populi tui, gaudij quod præparasti electis tuis: * vt laudẽris à nobis pariter cum hæreditate tua, vt à nobis simul cum populo electorum tuorum, quem tibi in hæreditatẽ redemisti, laudẽris, & glorificẽris imperpetuum, cũ nos bonorum illorum, quę præparasti te diligẽtibus, effeceris participes. 6. Et merito nos quidem tuam debemus implorare misericordiã. Nos enim parentum prævaricatorum prȩuaricatores filij effecti, peccauimus, iniuste egimus, & iniquitatem commisimus aduersum te, sicut & patres nostri in generationibus suis peccauerũt in omnẽ iustitiam tuã. 7. Iam inde ab initio, quãdo cœpisti liberare populũ tuũ de manu opprimentiũ, patres nostri in Aegypto agẽtes, nõ cognouerũt recta fidei scientia mirabilia opera tua, non ea cõsiderauerunt, nõ ęstimauerũt pro dignitate: * nõ fuerunt memores multarũ miserationũ, quas tu domine exhibueras patribus eorum electis tuis, Abraham, Isaac, Iacob & Ioseph, quos semper misericorditer custodisti & protexisti mirabiliter: neque fuerunt memores multæ & magnæ misericordiæ, quã fueras tu domine pollicitus facere cum vniuerso semine illorũ, vt sic ex fide discerẽt in te habere fiduciã. 8. Imò iã coram eorũ oculis, insignibus prodigijs super vniuersam terrã Aegypti editis, nõ sunt edocti ad credẽdum & sperandũ in domino. Post nãq; multa gloriosa ostenta in Pharaonẽ & seruos eius exhibita, cũ eduxisset eos dominus in manu valida & brachio extento ascendentes de Aegypto, eamque egressi, vsque ad locũ maris rubri, illic positi cũ vidissent venientes ad se persequendum Aegyptios, non habuerunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 *Et saluauit eos propter nomen suũ, vt notam faceret potentiam suam.*

10 *Et increpuit mare rubrũ, & exiccatũ est:*
* *& deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.*

11 *Et saluauit eos de manu odientiũ, & redemit eos de manu inimici.*

12 *Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit.*

13 *Et crediderũt verbis eius, & laudauerũt laudem eius.*

Exod. 14.

Exod. 15.

14 *Cito fecerunt, obliti sunt operum eius:*
* *& non sustinuerunt consilium eius.*

15 *Et concupierunt cõcupiscentiã in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso.*

16 *Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum.*

Num. 16.

17 *Et irritauerunt Moysen in castris Aaron sanctum domini.*

18 *Aperta est terra et deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abyron.*

Ibidem.

Ibidem.

19 *Et exarsit ignis in Synagoga eorũ, flãma combussit peccatores.*

fiduciã in auxilio domini, cuius potentiã tot tãq; euidẽtissimis argumẽ E
tis iã cõspexerãt: sed quasi diffidẽtes & desperãtes murmurauerunt cõtra Moysen, & dominũ ad iracundiã prouocauerũt, in murmuratione & diffidentia sua. 9. Attamen murmurantibus parcens, de manu persequentium Aegyptiorũ saluos eos fecit, nõ illorũ aspiciẽs demerita, sed ob nominis sui gloriã, vt in Aegyptiorũ submersione glorificaret potentiã suã. Nam si illorũ respiciamus diffidentiã, merebãtur ipsi magis diuino auxilio destitui, imò seuera vltione puniri: verum propter suam virtutem manifestandã, dissimulãs Deus illorũ peccata, indignus salutẽ immeritã cõtulit. 10. Et increpauit dominus mare rubrum, & ad increpationẽ eius exiccatũ est suo præcepto, cõtra naturæ institutã alueũ maris rubri exiccauit, aquas stare faciens ab vtraq; parte quasi murum: *ficque spectãdo miraculo transitũ fecit filijs Israël per locum profundi maris, per alueum profundissimum quẽ replere solet copia aquarum multarum, vt absq; nocumento & periculo sic trãsire possent per medium maris rubri, sicut per viã deserti ficcissimi. 11. Atque ita inaudito prodigio saluos eos fecit de potestate Aegyptiorum, qui eos oderant, F
eosq; ad interfectionem requirebãt, & de manibus inimicorum nouo prodigio ita liberauit eos. Solus enim ipse pugnabat pro populo suo cõtra Aegyptios, filij autem Israël tãtum stabãt & videbant perdi hostes suos. 12. Et posteaquã trasijssent filij Israël, volẽtes eos sequi Aegyptij, ad persequendũ & cõprehendẽdum, iussu Dei redierũt aquę in locum suum, iterumque cõclusę sunt, vt antè fuerãt: sicq; totus exercitus Aegyptiorum persequentium filios Israël, aquis rursum conuenientibus obrutus & oppressus est ita vt ex infinita multitudine nõ effugeret nec vnus, qui renunciare potuisset quod cõtigerat. 13. Tunc verò ad horam, cùm ante oculos videret pro se tantum à Deo fieri prodigium, tamque nouo modo sibi præstitã salutẽ & inimicos perditos, crediderunt verbis domini, & bene fideles atq; bene fidentes se tum demonstrauerunt: id quod ostenderunt in eo quod cecinerunt pro gratiarum actione laudis canticum, dicentes, Cantemus domino. gloriose enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. 14. Sed non ad multum tẽpus hæc fidei illorum perstitit deuotio. Nam cito fecerunt, id est ac- G
celerauerunt & properauerunt ad obliuiscendum opera domini, non diu memores fuerunt illorum quæ viderãt, nimium cito, nimium properè obliti sunt operum illorum quæ pro se facta viderant: * vbi aduenit vllum discrimen, nõ expectauerunt cum fiducia consilium domini, nõ sustinuerunt cũ patientia voluntatem Dei: sed mox vbi non pro voto omnia succederent, impatientes facti murmurabant & clamitabãt cõtra Moysen & Aaron, tentantes dominũ. 15. Id satis ostenderunt: quãdo contra dominum murmurauerunt in deserto, in cõcupiscentia carnium, quado recordati ciborum Aegypti, murmurabant propter defectum carnium, cùm alioqui magnificè à Deo cælesti pane pascerentur, & absq; omni necessitate tentauerunt Deũ in solitudine, petentes dari sibi carnes, vbi pabuli cælestis abunde multum acciperent, quantum mãducare poterat. 16. Et hic dominus irã differens, fecit eis iuxta quod petierant, mittens eis carnes in abundãtia, vt colligerent & mãducaret H
quãtum voluissent, vsq; ad nauseã: & dedit illis, vt satiari possent carnibus quas concupierant. 17. Iterum alia murmuratione contra Moysen in castris male loquuti sunt, & contra Aaron, quem sibi per Moysen dominus iã in sacerdotem vnxerat, atq; sanctificauerat in suum ministerium: seditionem susciauerunt contra Moysen & Aarõ, quasi ipsi sibi vsurparent dominiũ in populum domini. 18. In vltionẽ autem huius trãsgressionis, terra nouo miraculo aperta est, absorbuitq; Dathã huius seditionis præcipuum authorem, item & Abyrõ complicẽ cum omnibus sibi adhærentibus absorbuit: & super istos sic absorptor clausit os suum. Diruptą nãq; fuit terra sub pedibus eorum, & aperiẽs os suum deuorauit eos cũ tabernaculis suis, & vniuersa substãtia sua. Descenderuntq; viui in infernũ operti humo. 19. Insuper & ignis à domino egressus exarsit in synagoga impiorum, in congregatione murmurantium, percussitq; ac vorauit flãma eius peccatores: primum videlicet ducẽtos illos & quinquaginta viros proceres Synagogę tenẽtes thuribula, & offerentes incensum, consentientes seditioni priorum quos terra absorbuerat: deinde alia quatuordecim milia & septingentos è vulgo murmurantes ob interfectionem priorum, percussit Deus plaga incendij,

20. Post

A 20 *Et fecerunt vitulũ in Oreb:*

* *& adorauerunt sculptile.*

21 *Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

22 *Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit malignalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.*

B

23 *Et dixit vt disperderet eos:*

* *si non Moyses electus eius stetisset in confractione in cõspectu eius.*

24 *Vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.*

* *& pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

C

25 *Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis:*

* *non exaudierunt vocem domini.*

D 26 *Et leuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos ī deserto.*

27 *Et vt deijceret semẽ eorũ in nationibus, & disperderet eos in regionibus.*

28 *Et initiati sũt Beelphegor:* * *& comederũt sacrificia mortuorum.*

20. Post hęc, malũ malo accumulãtes, iuxta montẽ Oreb, qui est Sinai, facti impatientes morę, quã Moyses faciebat in monte apud dominum accipiens legẽ, extorserunt ab Aaron, vt sibi faceret vitulum quem pro Exod. 32.
Deo colerent, petentes sibi deos fieri qui eos præcederẽt perinde quasi Deũ in se nondum sensissent, quem tã multis, tãq; euidentissimis indicijs iã in se inhabitare cõpererant: * factoque & conflato vitulo aureo, adorauerunt illum, festum & gaudium magnum fecerunt, choreasque duxerunt coram illo, dicentes: Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. 21. Atq; ita suam gloriam, Deum verum qui erat illorum honor & gloria, cõmutauerunt in similitudinem vituli, quod animal est irrationale, mãducans herbã terræ: cultum soli Deo debitum exhibuerunt imagini bruti animalis, in quo nõ est intellectus: talẽ videlicet vilem creaturã dixerunt esse Deum suum. 22. Obliti sunt illius tã potentissimi Dei, qui tanta eis ostenderat sua magnalia, qui eos in stupendis signis atque prodigijs saluauerat de manu Aegyptiorum, qui tam mirabilia atque omnibus sæculis inaudita pro ipsis egerat in terra Aegypti, antequam inde eos educeret, ac deinde horribilia in mari rubro, quãdo ipsis astantibus & videntibus, omnem persequutorum exercitum ad vltimum vsque virum aquis oppressit. 23. Et dixit dominus ad Moysen, tanta exacerbatus ingratitudine, se deleturum populum illũ, & penitus disperditurũ: Moysen verò facturum in gentem alteram maiorem & potentiorem, q̃ erat populus ille: * verũ Moyses famulus domini pro cõmisso sibi populo paterno affectu solicitus, oratione sua se opposuit furori domini, vt irã eius confringeret atq; placaret, orãs pro populo, ac dicens: Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem Exod. 23.
scripsisti. 24. Ita Moyses Deũ sua oratione placauit, vt auerteret à populo indignationem domini, ne disperderentur subito, & penitus delerẽtur: * sed neq; hic finẽ accepit malitia. Rursum enim post missos exploratores ad terram promissionis, eorumq; à terra illa reditum despexerunt, cõtempserunt, & pro nihilo habuerunt terram illã promissionis lacte & melle manãtem: sic pro nihilo habuerunt vt oblatã & promissam sibi ex verbo domini, nequaquã vellent ingredi, cùm (iuxta pollicitationem domini) absq; suo periculo & labore potuissent eam accipere, quod certe est pro nihilo habere, nihilque æstimare, nolle videlicet rem sic absq; labore ad possidendum oblatã suscipere, nolle ad possidẽdum accedere. 25. Non crediderunt verbo domini, quo illis promiserat & patribus eorũ, promissionis terrã accipere: nõ sunt confisi domino, q̃ terrã illã esset sibi daturus: factiq; increduli & diffidetes murmurauerunt in tabernaculis suis, moti voce exploratorũ, qui dixerunt, terrã esse plenã fortissimis inhabitatoribus, nec posse expugnari: propter quod, diffidens de auxilio & promisso domini populus incredulus, murmurauit cõtra dominũ, insurrexitq; aduersum Moysen & Aa- Num. 14.
ron, item & cõtra Iosue atq; Caleb terrã commendãtes, ita vt eos velent opprimere lapidibus: * & in omnibus his nõ exaudierunt vocẽ domini, non crediderunt verbo Dei, quo illis promiserat suo adiutorio in terrã introducere lacte & melle manãtem: pluris æstimauerunt verba exploratorum, terrę detrahentium, q̃ verbum domini pollicẽtis eã. 26. Et eleuauit dominus ad vltionem brachium suum, potentiã virtutis suę eleuauit super illos murmuratores in vltionem, vt cadauera omniũ eorum qui huic murmurationi consenserant, in deserto prosterneret: in vltionem huius murmurationis, per quadraginta annos dominus populum circũduxit per desertum, donec omnis illa generatio murmurantium defecisset, essetque consumpta, iudicio domini, Iosue tantũ & Caleb exceptis, qui eo q̃ bene loquuti fuissent de terra ad quã cum reliquis explorãdum missi fuerãt, digni habiti sunt promissionis terrã ingredi & possidere. 27. Neq; solum ipsi patres murmurantes in sua meruerunt persona puniri, verumetiã in posteris: quos Deus, propter vltionem sceleris, permisit deijci & humiliari in gentibus, quos permisit subinde vinci ab alienigenis: atq; sub eis interdũ seruire, quos Deus ad vnum omnes à facie eorum cõtriuisset atq; subiugasset perfecta victoria, si nõ aliud promeruisset murmuratoria semper eorũ incredulitas. 28. Et post hæc initiati sunt, consecrati sunt, addicti sunt idolo Moabitarum, nomine Beelphegor: adiunxerunt se illi, vt ipsum pro Deo gẽtili ritu colerent, illique sacrificarent, inuitati à filiabus Moab, adornatis iuxta consilium maligni Balaam: * & inuitati ab istis, comederunt Num. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

29 *Et irritauerunt eũ in adinuẽtionibus suis:*
Num.25. ** & multiplicata est in eis ruina.*

30 *Et stetit Phinees:*
Ibidem. ** & placauit, & cessauit quassatio.*

31 *Et reputatum est ei ad iustitiam, in generatione & generationem, vsque in sempiternum.*
Ibidem.

32 *Et irritauerunt eũ ad aquas contradictionis:*
Num.20. ** & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius.*

33 *Et distinxit in labiis suis:*
Num.16. ** non disperdiderunt gentes quas dixit dominus illis.*

34 *Et commixti sunt inter gentes:*
Deut.7. ** & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum:*
** & factum est illis in scandalum.*

35 *Et immolauerũt filios suos & filias suas*
Ibidem. *dæmonijs.*

36 *Et effuderunt sanguinẽ innocẽtẽ, sanguinẽ filiorũ suorũ & filiarũ suarũ, quas sacri-*

de sacrificijs idolorum, in quibus nõ est vita, & proinde neque verum E
Diuinitatis numẽ: mãducauerunt de idolothytis, quod illis Diuina fuerat lege prohibitum. 29. Et irritauerunt dominum in adinuentionibus suis, in excogitatis nequissimis cõsilijs praui cordis sui, quibus egerunt cõtra dominum:* & facta est in eis grauis vltio, cæsis de populo viginti quatuor milibus, & principibus populi suspendi iussis cõtra solẽ in patibulis. 30 Et stetit Phinees, filius Eleazari, filij Aaron, stetit viriliter, virum se præstitit in vltione huius impietatis: qui cernens vnum de principibus filiorum Israël, videntibus fratribus suis, intrantem ad scortum Madianitidem, sequutus illum pugione perfodit ambos simul in locis genitalib⁹:* hocq; facto ex zelo magno honoris Dei, placauit illę furorem domini: & cessauit plaga in populo, neq; vltra plures voluit percuti dominus, cæsis vigintiquatuor milibus: adeò gratum fuit domino, quod ille in zelo Dei, ad vltionem impietatis, sic audaćter peregerat. 31. Et reputatum est hoc ipsi Phinei ad iustitiam, placuit domino opus hoc tanti feruoris, adeoque factum illud vitio nõ dedit authori, vt etiã F
ad iustitiã ei asscripserit, plurimumque inde cõmendarit, imò & pactũ
æterni sacerdotij illi statuerit in omnes generationes, vsque in sempiternum, iuxta verbũ domini dicentis ad Moysen, Ecce do ei pacem fœderis mei, tam ipsi quàm semini eius, pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit seelus filiorum Israël, auertit iram meam à filijs Israël, quia zelo meo cõmotus est cõtra eos, vt nõ ip se eos delerem in zelo meo. 32. Rursum cum veniissent filij Israël in desertum Sin, & aquæ paterentur penuriã, in loco qui pòst ab euentu miraculoso nomen accepit, aquarum contradictionis, ibi ad iracundiam (vt antè frequenter) iterum prouocauerunt dominum:* & vexatus, plurimumque afflictus fuit Moyses propter eos, quoniã ipsi sui murmuratione toties repetita, & impatientia assidua, ad amaritudinem prouocauerunt spiritum eius. Siquidem egestatem aquæ patientes conuenerunt pariter, & in seditionem versi sunt contra Moysen & Aaron, multaque illis probra dixerunt, & blasphemias contra dominum, quibus grauissime fuit conturbatus spiritus Moysi, ita vt dimissa multitudine, G
ad tabernaculum fœderis confugiens, pronus ibi in terram corrueret, prostratusque iacens oraret dominum. 33. Et propter hæc omnia toties repetita infidelitatis ac diffidentiæ murmura, propter omnes istas irritationes, quibus prouocauerunt dominum, ipse loquutus est per labia sua, protulit in hos vltricem sententiam:* quòd nõ essent dispersuturi penitus, funditusque deleturi gentes illas, de quibus eis dominus loquutus fuerat, quasque ante peccatum penitus de terra delere promiserat: & penitus vtiq; deleuisset, ita vt nullam vnquã ex eis Israëlitę sentirent molestiã, si non eorum id culpa prohibuisset. Quia enim toties cõtra Deum insurrexerunt adhuc in solitudine, voluit nõ statim ad interitum eorum delere penitus omnes habitatores terrę illius, sed relinqui voluit ex eis multos, ad exercitium illorum, vt in eis probaret Israëlem, atq; etiã erudiret & castigaret, siquando offenderent. 34. Et cõ-
mixti sunt ipsi simul cum gentibus, pacta & amicitiam cũ illis ineuntes, imò etiam matrimonia adinuicem celebrantes, contra domini præceptum, qui illos nolebat cũ gentibus inire coniugia aut fœdera:* & ex H
hac commixtione didicerũt opera gentilium, assimilati sunt gentibus in cultu & sacrificijs, vt adorarent idola fusilia atque sculptilia gentiũ illarum, quibus erant commixti:* & facta est illis commixtio hæc in scãdalum & occasionem ruinæ, ista cõtra domini præceptum coniunctio cum alienigenis, occasio illis facta est idololatrandi, & recedenti à cultu domini. Nam & ob hoc illis præceperat dominus non inire huiusmodi cõiunctiones, ne animi filiorum Israël per alienigenas vxores auerterentur ab eo, & inclinarentur ad cultũ idolorum, quomodo per mulieres Moabitidas illis antè euenerat. 35. Ac pòst, eo etiam deuenerunt, vt prorsus abominandos imitarentur ritus gentilium, ita vt crudelissimo sacrificio filios suos & filias suas immolaret idolis, & dæmonijs quæ colebantur in idolis: eo dementiæ proceserunt, vt filios suos & filias domino sacratos, vt domino viuerent, ipsi interficerent dæmonibus. 36. Et hoc pacto effunderũt impij isti homicidæ sanguinẽ innoxium, interfectores contra naturam crudeles facti filiorum suorum & filiarum suarum, quos immolauerunt idolis terræ Chanaan, idolis gentium relictarũ in terra promissionis: sicque cade illa, ob quæ dominus

deleue-

A *ficauerunt sculptilibus Chanaan.*
37 Et infecta est terra in sanguinibus & contaminata est in operibus eorum:

** & fornicati sunt in adinuentionibus suis:*
38 Et iratus est furore dominus in populum
B *suũ, & abominatus est hæreditatem suam.*
39 Et tradidit eos in manus gentium:
** & dominati sunt eorum qui oderunt eos:*

40 Et tribulauerunt eos inimici eorum:
**humiliati sunt sub manibus eorum:*
** & sæpe liberauit eos.*
C

41 Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo:

** & humiliati sunt in iniquitatibus suis.*
42 Et vidit cùm tribularentur, & audiuit orationem eorum.
D *43 Et memor fuit testamenti sui:*

** & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.*

44 Et dedit eos in misericordias, in con-

deleuerat populum, terræ abominanda facinora commiserunt, contra præceptum & voluntatẽ domini, multo grauius in eis offendentes dominum, post susceptam ab eo legem talia admittentes, q̃ illi vnquam offenderant ablq; scripta lege peccantes. 37. Sicque factum est, vt terra illa promissionis, propter quam sanctificandam voluerat dominus interficere omnes inhabitatores eius, rursum amplius pollueretur & cõtaminaretur in effusione sanguinis innoxij, inque huiusmodi operibus impijssimis, quæ gentili ritu perficiebant: ita factum est, vt terra ista, pro cuius expiatione & sanctificatione dominus idololatrarum inhabitantium noxium sanguinem voluit effundi, semel mundata, iterum turpius coinquinaretur, effusione sanguinis innoxij: * fornicati sunt à Deo suo, in peruersis studijs suis, recesserũt à cultu domini Dei sui, cui se astrinxerat per legis susceptionẽ, & adiunxerunt se dijs alienis, vt illos adorarent & colerẽt. 38. Propter hęc iratus est dominus cõtra populum suũ ira graui, & quasi abominari visus est populũ illũ, quem antè vt hereditatem suã sibi elegerat, & in peculium ex omnibus gentibus: indignatione grauissima fuit cõmotus & conturbatus cõtra populum suum, ita fœdus idololatriæ ritibus contra tam districtissima præcepta se coinquinantem. 39. Hanc quoq; iram magnam ostendit opere dominus, tradens eos in potestatem nationum idololatrarum quæ erant per circuitum, faciens nationes illas potestatem acquirere super filios Israël, & hos permittens illis venire in subiectionẽ: * & nationes per circuitum, quæ crudeli semper odio oderant filios Israël, ab initio ex quo interfectis habitatoribus ingressi sunt terrã promissionis, acquisierunt dominationẽ in eos, seruitute graui eos opprimentes. 40. Et tribulationibus afflictionibusque grauibus afflixerunt eos inimici eorum, tyrannidem magnam exercentes in eos:* & humiliati afflictique sunt sub potestate & dominatione illorũ, Deo hoc permittente & disponente, ad iustam punitionem peccatorum, simul vt vexatione date intellectũ, agnoscerent suum seelus, & quàm impiè suum reliquissent dominum, cui si obedientes permansissent, subditi in seruitute non venissent hostibus, sed ipsi magis dominati fuissent eorum: * non sic tamen fratus fuit illis, vt in totum à se repelleret, & penitus obliuisceretur eorũ, sed per multas vices misericordia motus liberauit eos de manu opprimentium, quotiescunque videlicet suæ impietatis agentes pœnitentiam, exclamassent ad dominum. 41. Ipsi verò, post liberationis acceptum beneficiũ, rursum ad ingeniũ redibant, iterũ ad pristina mala reuersi sunt: sicut canis reuertitur ad vomitum, & sus lota ad volutabrum luti redit, ita ipsi nõ diu memores accepti beneficij, rursum se dederunt idololatriæ, alijsque malis pristinis, ob quæ antè traditi fuerant in captiuitatẽ: *& cùm ipsi post liberationem iterarent priora mala, mox illis aduenit vltio Dei, qui eos iterum tradidit in captiuitatem & seruitutem hostibus per circuitum, vt ab illis opprimerentur & affligerentur propter peccata sua. 42. Cumq; tribularentur & affligerentur sub oppressione inimicorum, afflictiq; agnoscerent peccatum suum, & agerent pœnitẽtiam de malo suo, aspexit dominus oculo misericordię suę ad afflictionem eorum, & exaudiuit clamorem orationis, quæ de tribulatione clamabant ad ipsum, cõfitentes peccata sua, Deique misericordiam in spiritu contribulato & cõtrito corde suppliciter inuocantes. 43. Et licet eorum iam toties repetita infidelitas, secundum iustitiæ rigorem hoc promeruisset, vt non vltra eorum misereretur dominus, vt merito non exaudiret inuocantes de afflictionibus: attamen voluit ipse magis aspicere ad testamentum & pactum quod pepigerat cũ patribus eorum, ad promissionẽ factam patribus: vt propter suam veritatem glorificanda, faceret cum illis misericordiam: * & propter multitudinem misericordiæ suæ pœnituit eũ mali quod super illos induxerat, propter inexhaustam suam misericordiã cogitauit de malo quod induxerat auferendo, deque illis liberandis è manu hostium: quemadmodum homo pœnitens de dicto aut facto aliquo, super illius commutatione solet cogitare, & ad reuocationem commutationemq; eius quod dixit aut fecit adhibere operam, vt si quidem nondum factum fuerit, prohibeat vt infectum maneat: si autẽ iam perfectum fuerit, vt in statum pristinũ, quantum fieri possit, rem restituat. 44. Agensque pœnitentiam Deus de malo quod induxerat super populum suum, fecit eos inuenire misericordiam coram illis qui eos sibi subiugauerant, vel vt penitus ab eorum libera-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpectu omnium qui ce-
perant eos.

45 *Saluos fac nos domine Deus noſter.*
* *& congrega nos de nationibus.*

46 *Vt confiteamur nomini ſancto tuo?*
* *& gloriemur in laude tua.*

47 *Benedictus dominus Deus Iſraël à ſæculo & vſque in ſæculũ:*
* *& dicet omnis populus, fiat fiat.*

berarentur ſeruitute, vel certe vt mitius ab illis tractarentur efficiẽdo: E interdũ quidem penitus eos liberauit de hoſtiũ manu, & viciſſim conſtituit hoſtiũ dominos, vt prius illis ipſi fuerant ſubiecti: interdũ verò tantum hoſtium repreſsit tyrannidem, & ſeruiturem effecit toleràbiliorem, etiamſi non penitus eam auferret. 45. Et nunc domine Deus noſter, ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationũ tuarum, nos ad te de tribulatione & afflictione hoſtili ex corde humiliato clamantes, ſaluos fac ab omnibus inimicis noſtris: * & cõgrega nos ex omnibus nationibus, in quas diſperſus eſt populus tuus: vt quos tu peccantes dediſti in captiuitatem atq; diſperſionem, nunc pœnitentes reſtituas in libertatem, & in vnitatem colligas. 46. Vt in pace & ſecuritate, ab omni malo liberi, confiteamur ſancto nomini tuo: vt ſalutem conſequuti ab inimicis noſtris, in ſanctitate & iuſtitia ſeruiamus tibi, omnibus diebus noſtris, deq; magnis periculis à te liberati, magnifice gratias agamus tibi: * & vt glorieмur atque exultemus in confeſsionibus laudis tuæ. 47. Sis tu domine benedictus, ſis laudatus, ſis honoratus & glorioſus, domine Deus Iſraël, Deus populi F tui: laus tua in æternum perduret, & imperpetuum non deficiat: * & omnis populus tuus, conſideratione tantorum tuorum mirabilium incitatus, in laude conſentiat, tuiſque laudibus faueat, dicens: fiat fiat, ſit ſemper in omnibus benedictus Deus in omnia ſæcula, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CV.

PRiori Pſalmo vnicũ tantum Halleluia præmittitur, huic verò præmittitur duplicatum iuxta communem diſtinctionem Latinorum exemplarium: forſitan ob hoc, quòd in priori Pſalmo tantum fiebat cõmemoratio beneficiorum Dei, & ob hoc ſimplex laudatio. Hic verò & beneficiorum Dei fit commendatio, & præterea propriæ malitiæ aperta confeſsio: ſicque velut geminata ponitur Dei laudatio. Alij tamen duo iſta Halleluia abinuicem ſeparant, prius referentes in finem Pſalmi præcedentis, vt ſit eius concluſio in exhortatione diuinæ laudis, quale fuerat & principium. ¶ Verſu 10. Et increpuit mare rubrum, & exiccatum eſt. Increpatio dicitur iuſsio Dei, illa qua præcepit aquis, quod contrà ipſarum erat naturam. Increpando enim ſedemus prohibere homines ab ijs, ad quæ ex le proni ſunt ac faciles. Simili modo in Pſal. 103. de aquis dicitur, Super montes ſtabunt aquæ. Ab increpa- Pſal. 103. G tione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Secundũ quam ferè metaphoram in alio Pſalmo dicitur, Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatę ſunt abyſsi, Timore enim Pſal. 76. maxime conſtringitur & compeſcitur homo, ab eo ad quod ex ſe eſt propenſus. ¶ Verſu 14. Cito fecerunt, obliti ſunt operum eius, In Græco, loco illius, cito fecerunt vnicum eſt verbum ἐποίησαν, quod verti poſſet, acceleràuerunt, aut feſtinàuerunt, vel properàuerunt: in quem ſenſum videtur accipiendum, quod habet lectio vulgata, cito fecerunt, quemadmodum in Elucidatione explicauimus. Eſſet autem ſermo facilior, & non incompletior ſententia, ſi tantum aduerbium poneretur omiſſo verbo fecerunt, in hunc modum, Cito obliti ſunt operum eius, quomodo vertunt ex Hebræo Hieronymus & Felix, Cum feſtinatione obliti ſunt, vel acceleràuerunt, obliti ſunt, &c. Et habet vulgata lectio eandem hanc ſententiam, ſi exponatur ad hunc modum, Cito fecerunt, vt obliuiſcerentur operum domini, id eſt, feſtinàuerunt obliuiſci, quod eſt, non diu recordati ſunt. Poſſet tamen illud cito fecerunt vel acceleràuerunt, referri ad ſubitaneam illam lætitiam & contentum quem fecerunt in ſubmerſione Ægyptiorum, pro ſua liberatione. Omnia enim ſua faciebant Iudæi quadam velocitate & quodam impetu, non maturè perpendentes rei pondus: quemadmodum cum illis Moyſes loqueretur, tum clamabant ſubitò, ſe velle obſeruare omnia, & obedientiam vociferabantur magnis H clamoribus: ſed nihil eorum quæ loquebantur, ex ſtabili radice proueniebat, nèque grauiter ſatis iſta agebant bona, quæ aliquando videbantur ſubita aliqua paſſione commoti agere. Huiuſmodi autem quæ ſic ſubitò fiunt, cum impetu magis quàm cum iudicio, etiam ſi ſecundum ſpeciem bona ſint, nullam tamen habent firmitatem. Ad tempus enim credunt, & in tempore tentationis ſtatim recedunt. Poteſt etiam aliter iſta acceleratio in vitium referri, intelligendo accelerationem illam quæ a- Eſaiæ 28. pud Eſaiam prohibetur, Qui crediderit, inquit, non ſuſtinet. Oportet enim eum qui credit, ſuſtinere cum patientia, & expectare conſilium domini, quemadmodum Abraham poſt acceptam promiſsio- Rom. 4. nem non feſtinauit, non acceleràuit, non (vt iuxta modum noſtra lectionis loquar) cito fecit, ſed longanimiter expectauit etiam contra ſpem in ſpem credens. Increduli autem nolunt expectare conſilium domini, nolunt ſuſtinere, donec pro ſuo placito ipſe agat quæ ſibi bona videntur, ſed mox impleri volunt ſua deſideria, aut ſi non quantocyus ſatisfiat, murmurant. Cui ſententiæ conſonat quod dicitur in vltima parte verſus, Et non ſuſtinuerunt conſilium eius. ¶ Verſu 26. Et leuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos. Manus leuationem, In Elucidatione expoſuimus extenſionem potentiæ Dei ad vindictam, ſumpta metaphora ex conſuetudine eorum qui graui verbere cædere volunt. Hi enim manum eleuant, vt fortiter feriant. Ita Deus ſuper populum manum ſuam leuauit, quando eam extendit ad feriendum valide, ad vniuerſos illos murmuratores proſternendos in ſolitudine, vt nec vnus quidem ex eis ingrederetur terram promiſsionis. Et ſecundum hanc ſignificationem in alio Pſalmo populus afflictus dominum precatur, vltionem facere de aduerſarijs, dicens: Pſal. 137. Leua

A Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem, quanta malignatus eſt inimicus in ſancta. Poteſt tamẽ & aliter iſta manus leuatio accipi, vt ſignificet formã iurandi. Solent enim qui iuramentum faciunt, in altum leuare manum iurantes. Vnde in Cantico Moyſi Dominus loquitur, dicens: Leuabo ad cælum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddã vltionem hoſtibus meis, &c. Vbi manifeſtum eſt, manus eleuationem ad formam iurandi pertinere. Et Geneſis. 14. rogatus Abrahã à rege Sodomorũ, accipere omnia præter animas, reſpondit, Leuo manum meam ad dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cæli & terræ, &c. Secundum hanc ergo metaphoram, recte intelligimus dominum leuaſſe manum ſuã, vt eos proſterneret, id eſt, iuramento firmaſſe, quaſi irreuocabilem ſententiam & irreuocabile promiſſum, q̃ eos omnes eſſet proſtraturus in deſerto. Atq; huic ſententiæ manifeſte ſubſcribit Parap. Chald. quæ ſic habet, Et leuauit manum ſuam, & iurauit in illos, q̃ daret eos internitioni in deſerto. ¶ Verſu 37. Et infecta eſt terra in ſanguinibus. Hoc loco quædam exemplaria Latina habent interfecta eſt: cui certe Græca lectio conſentit, habens ἐφονοκτονήθη, quod ſignificat interfecta eſt. Siquidẽ φόνος, à quo verbum illud deſcendit, ſignificat homicidium vel interfectionem. Significat autem hæc lectio, multos è terra innocẽtes eſſe interfectos in ſanguinibus, id eſt, in effuſionibus ſanguinis, vel in ſceleribus & impietatibus. Omnino tamen ſimplicior & verior videtur eſſe litera quæ habet infecta eſt, quam B etiam lectionem antiqua & correctiora habent exemplaria. Cui & Hebraica lectio manifeſte conſentit. Hierony. enim vertit, Polluta eſt terra ſanguinibus. Felix ſimiliter, Polluta eſt, vel infecta. Deut. 32. Gene. 14.

CVI. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iſte totus in confeſsione eſt miſericordiæ Dei, non quidem ſpecialiter de beneficijs exhibitis populo Iudaico, quales erant pſalmi præcedentes: ſed de ijs quæ in totum contulit genus humanum. In quo frequenter admodum replicatur exhortatio ad confeſsionem laudis, multiplexq; deſcribitur humani generis miſeria: vt poſt morbũ, congruo ordine, veſtigio ſubiungatur ratio medicinæ, & deinde medici ſanãtis laudatio. Ex morbi enim qualitate & quantitate, ſanantis medici eſt commendatio, ponitur autem in hoc Pſalmo totus pene proceſſus, quo cum genere humano egit Deus ab initio conditionis & lapſus ſui, vſque ad conſummationem ſæculi. Nam in ipſo ſtatim initio, redemptos fideles exhortans ad laudem, humanæ miſeriæ calamitatem, qua ante Chriſti aduentum premebatur, commemorat, eamq; multis verſibus deſcribit: ſubinde laudis exhortationem replicans, & auxilium atq; liberationem Dei, donec tandem verſu vigeſimo apertam faciat mentionem miſſi verbi, per quod inſtaurata ſunt omnia: poſt quod deinde, ſtatum Eccleſiæ ſub apoſtolorum prædicatione depingit, quæ in grauium perſequutionum fuit tumultu, donec placuit Deo quietem reſtituere Eccleſiæ, magna exultatione fidelium. Deinde, à verſu trigeſimotertio, mirabilem exprimit cõmutationem quæ facta eſt in populo Iudæorum & gentium, priore illo reprobato, poſteriore electo ad conſtitutionem Eccleſiæ nouæ: in qua gentes C mirum in modum Dei gratia fœcunditate fructificant, tam merito quàm numero proficientes. Peſtis tamen magna in populo Eccleſiæ nouæ frequenter graſſatur, & multorũ perditio bonorum copia vehementer imminuẽs, quæ à magiſtris errorum hæreticis ortum trahit: qui ſtudio contentionis ipſi primum aberrantes, poſt ſua figmenta, alios deinde ſimpliciores poſt ſe trahunt in deuia & praua perditionis itinera: attamen pauperes & ſimplices electos ſuos ſemper Deus adiuuat, & cuſtodit ab impiorum ſeductione: in quorum conſideratione, ſolidum eſt pijs & ſapientibus gaudium, quæ verſibus canuntur nouiſſimis.

CENTESIMISEXTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Confitemini domino quoniã bonus, quoniã in ſæculum miſericordia eius.*

D 2 *Dicant nunc qui redempti ſunt à domino:*
* *quos redemit de manu inimici, de regionibus congregauit eos.*
3 *A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone et mari.*
4 *Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo:*

CONfeſsione laudis, vt dignum eſt, celebrate dominum omnes ſerui eius, quoniã ipſe bonus eſt, atque ob hoc laude & celebratione dignus, quoniã in ſempiternum perdurat miſericordia eius. 2. Illi loquantur, illi dicant laudem & confiteantur domino, qui ab eo ſe redemptos cognoſcunt, qui experti ſunt beneficium redemptionis eius, ad eos maxime ſpectat non tacere laudes ſui redemptoris: * illi quos de poteſtate liberauit inimicorum, à quibus opprimebantur ſeruitute graui, quosque de diſperſione qua diſperſi erant in regionibus mortis, ſub vitijs atque peccatis varijs degentes, longinqui à Deo, ſua bonitate congregare dignatus eſt, & in vnum fecit habitare. 3. Quos vocauit ex omnibus mundi partibus, ab oriente, occidente, aquilone, & meridie, ex omnibus gentibus, tribubus, populis, Pſal. 67. & linguis: quos vndecunque collectos, in vnam congregauit Eccle- 1. Tim. 3. ſiam, tam diuerſarum nationum, diuerſorumque locorum homines Pſal. 132. faciens habitare vnanimes in domo ſua, quæ eſt Eccleſia, & cum magna iucunditate quaſi fratres habitare in vnum. 4. Prius enim quàm dignaretur Deus ad humanum genus miſericordiæ oculo reſpicere, poſt lapſum primi parentis, & ex eo inductam mundo corruptionem, homines abſque lege ſcripta viuentes in hoc mundo, errabant, naturæ corruptæ praua inſequentes deſideria: ſicque mirum in modum erroribus & peccatis inuoluebantur in hoc mundo, qui erat quaſi deſertum & locus inuius, abſque vllius viæ indicio, dum lex omnis ſcripta

deſuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

* *viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.*

Hebr.13. 5 *Esurientes & sitientes: anima eorum in ipsis defecit.*

Psal.4. 6 *Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur:*
* *& de necessitatibus eorum eripuit eos.*
7 *Et deduxit eos in viam rectam:*

Gene.6. * *vt irent in ciuitatem habitationis.*

8 *Confiteãtur domino*
Psal.135. *misericordiæ eius:*
* *& mirabilia eius filijs hominum.*
9 *Quia satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis.*
10 *Sedẽtes in tenebris & vmbra mortis:*
* *vinctos in mendicitate & ferro.*

11 *Quia exacerbauerunt eloquia Dei, &*
Rom.5. *consilium altissimi irritauerunt.*

defuit, & lex naturæ ab initio hominũ insculpta mẽtibus, nimium erat E ex corruptione naturæ obducta spinis & vepribus, id est, corruptis passionibus & prauis inclinationibus: eratq; etiã locus inaquosus, vbi erãt omnia ârida & siticulosa, non erant sacramenta viuificantia, non erant fontes doctrinæ veritatis, quibus potuissent irrigari: * atque in hac solitudine positi, non inuenerunt viam qua potuissent & debuissent recta pergere ad ciuitatem habitaculi, ad ciuitatem habitationis beatorum, quam beati inhabitãt, & ad quam inhabitandã omnes creati sumus: in deserto isto positi, sequentes deuia vitiorum, quę caro monstrat: aberrauerunt à via virtutis, per quã viam peruenire debet ad illam manentẽ ciuitatem, quã futuram debemus inquirere: quoniã ad eam inhabitandam sumus conditi. 5. Positi verò sic in huius mundi deserto homines, in corruptione illa & miseria absque adiutorio, pessime habebãt, egestatemque patiebantur omnes boni: fame & siti grauissima periclitabãtur, ita vt deficeret in eis anima & vita: non vtique fame aut siti corporali panis aut potus huius corporei, sed fame verbi Dei, & siti gratiæ eius, in quibus viuit homo verius, quàm in pane aut aqua corporea. F 6. In tantã autem egestate, & tam manifesto discrimine positi, nescientes quo confugerent pro auxilio, ducatu luminis naturalis (quod super hominem signatum est) simul adiuti per illuminationẽ gratiæ Dei conuerterunt se ad dominum in tribulatione sua, vt ab illo postularent auxilium, cõfidentes quòd is qui figmentum fecerat, posset iam deficienti quoq; ne periret succurrere, lapsumq; instaurare: * & de necessitatibus eorum, de omnibus miserijs, de periculis, de angustijs in quibus versabantur, ipse suo benigno respectu liberauit eos, ipse etiam tum ad se clamantes non despexit, sed supplicatibus sibi adfuit. 7. Et quanquam mundus totus versarctur tum in ignorantiæ tenebris, esset que passim incognita via virtutis, hominibus per carnis desideria ad malum (quo proni feruntur ab infantia sua omni tempore) tendentibus, illis tamen qui ipsum inuocabãt, doctorem & ductorem se exhibuit, interius illos sua gratia illuminans, nõnullos etiã exterius docens viã virtutis: * vt per eam recta pergerent ad illã manentem ciuitatẽ, ad quã posidendam & inhabitandam sumus conditi, ad ciuitatẽ & patriam supernã, quæ sola G homini immortali debet esse ciuitas & patria: cùm sint omnes huius mundi habitationes corruptibiles, incorruptibili homini non aliud q̃ tuguriola & casulæ peregrinationis absque fundamentis & firmitate habitationis. 8. Confiteantur proinde domino miserationes eius, quæ sunt multæ & magnæ nimis, ipsę dent cõfessionẽ domino, & celebretur dominus in eis, narrenturque ipsæ, prædicentur, & celebrentur ad gloriam eius: * & mirabilia eius quæ exhibuit filijs hominum, confiteantur domino, celebrentur & commemorentur ad gloriam domini, qui facit solus mirabilia. 9. Ipse enim animas hominum inanes & vacuas, omni bono copiosè adimpleuit, & animas esurientes copiosè bonis repleuit. Homines enim secundũ animam prorsus vacuos, originali iustitia priuatos, & omnis boni ex se egestate laborantes, omni virtutũ ornatu destitutos, & veritatis salutari doctrina carentes, omnibus ad salutem necessarijs copiosè donauit, modò suam egestatem voluissent agnoscere, ipsiusque auxiliũ tantum inuocare. 10. Satiauit dico il- H los qui sedebãt in horridis tenebris, nõ vtiq; tenebris oculorũ, sed tenebris mentium, lumine gratiæ priuati, obscuratũ cor habentes, & sub vmbra mortis, positi sub damnatione mortis: * qui erant vincti, & iam in captiuitatẽ concluſi, libertate perdita, in magna egestate, & in durissimis cõpedibus captiuitate molestissima summe afflictiua & validissima, vt difficillimum foret captiuitatem illam tam tolerare quàm effugere, quemadmodum ij qui in egestate vincti sunt, difficilem habẽt ea- ptiuitatẽ, vt difficile sit eam tolerare: quoniam captiuitas cũ egestate, duplex est miseria, & qui in ferro vincti sunt, firmam habent diutinamque captiuitatem, vt non possint facile effugere. 11. Omnis autem hæc miseria super homines ex inobedientia venit, quoniam præuaricati sunt præceptum Dei, & voluntatem altissimi transgressi sunt: quoniam in vno omnes peccauerunt, in cuius lumbis erant: qui dum præceptum Dei transgressus est, omnem hanc miseriam suæ toti posteritati superinduxit, spernens que consilium Dei (in quo si permansisset, mortem & omnem miseriam non vidisset) in omnia hæc mala nepotes vniuersos coniecit, in has tenebras, in hanc vmbram mortis, in hanc mendicitatem

A 12 *Et humiliatum est in laboribus cor eorum & infirmati sunt.*

* *nec fuit qui adiuuaret:*
13 *Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur:*
* *& de necessitatibus eorum liberauit eos.*
B 14 *Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis.*
* *& vincula eorum disrupit?*
15 *Confiteantur domino misericordiæ eius:*
* *& mirabilia eius filiis hominum.*
16 *Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.*
C

17 *Suscepit eos de via iniquitatis eorũ:* * *propter iniustitias enim suas humiliati sunt.*
18 *Omnẽ escam abominata est anima eorum:*
* *& appropinquauerunt vsque ad portas*
D *mortis.*
19 *Et clamauerunt ad dominum, cum tribularentur:*
* *& de necessitatibus eorum liberauit eos.*
20 *Misit verbum suũ, & sanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.*

tatem in hanc captiuitatem ferream. 12. Et in peccati pœnam, & ex Dei sententia, humiliata atque afflicta sunt corda hominũ in laboribus multis & magnis, tã externis quàm internis, tam corporalibus quàm spiritualibus, dicente domino, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, do- Gene.3. nec reuertaris in terrã de qua sumptus es: & infirmati, humiliati atque depressi sunt valde in laboribus huiusmodi, grauiter sudauerunt & debilitati sunt in incumbentibus laboribus: * nec potuerunt in suis istis miserijs quenquã inuenire qui ferret auxiliũ, qui humanũ genus ab ista miseria absolueret. Omnes enim totius humani generis, cõmili erant subiecti miserię, neque propriã suam hominũ potuit depellere miseriã: quanto minus auxilium alijs ferre valuisset? 13. Positi verò in hac tribulatione, leuauerunt oculos ad dominum, adiutorem fortissimũ, supplicibus vocibus ab eo postulantes auxilium: * de omnibus periculis, angustijs atque miserijs saluos fecit eos. 14. Eduxitque eos de tenebris ignorantię & malorum errorum, quibus erant obuoluti atque obtenebrati, & de vmbra mortis, quæ super illos incumbebat, salutari sua doctrina & gratia illuminans eos atque viuificans, sicque luminis & vitæ beneficio à tenebris & morte eos liberans: * & vincula illa infidelitatis, errorum atque vitiorum, quibus in carcere malæ cõscientiæ sub expectatione certæ damnationis seruabantur concluſi, cõminuit, confregit, atque dissoluit: ex captiuis filijs iræ (quales natura erant) faciens liberos filios Dei per gratiam. 15. Narrentur domino ad laudem & confessio- Ephe.2. nem miserationes eius multæ & magnæ, ex ipsis Dei miserationibus detur ei laudis confessio: * & mirabilia eius quæ ostendit erga filios hominum, cõfiteantur domino, recenseantur, & cõmemorẽtur ad laudem Dei, qui solus facit huiusmodi mirabilia. 16. Ipse enim populum suum de captiuitate pessima liberauit, vnde impossibile fuisset hominem suã virtute euadere è carcere fortissimo, velut habente portas ferreas siue æneas, easque confirmatas ferreis vectibus, populũ suum eduxit, portis illis contritis & vectibus confractis. Quẽadmodum enim captiuus carcere portas æreas & ferreos vectes habente cõclusus, seipsum nõ potest è tali captiuitate liberare, neque spem habet eiusmodi per se effugiendi ex hoc carcere: ita erat genus humanum absque Deo in captiuitate fortissima, quam per se nunquam potuisset effugere. Et quemadmodum si quis præpotens, tali munitissimo carcere conclusum suã virtute liberaret, contrita ferrea porta & vectibus ferreis, liberatori tali sic liberatus, maximã haberet gratiam, eiusque fortitudinem plurimum collaudaret: ita æquum est, vt genus humanum, portis æreis contritis, & cõminutis ferreis vectibus suo liberatori (qui hæc in magnifica virtute operatus est) per maximas agat gratias. 17. Suscepit populum suum de iniquitatibus eorum: per pœnitentiam redeuntes ad impietatibus, recepit in gratiam: nõ eos mundos inuenit, cum eos susceperet in gratiam, sed cum adhuc peccatores essemus & inimici, misertus est nostri Deus, vt Rom.5. recordatus misericordiæ suæ, susciperet Israël puerum suum: * nam pro Lucæ 1. pter iniustitiam suam, propter transgressiones suas, & illam primam inobedientiam primi præuaricatoris, & alias insuper iniquitates, quas sibi quisque per propriam malitiam superiecit, humiliati fuerant, & in talem duram captiuitatem, in tam obfirmatum carcerem coniecti. Siquidem sola transgressio, in captiuitatem istam pessimam humanum genus induxerat. 18. Eo miseriæ tandem deuenerunt homines, vt omnis doctrina virtutis & veritatis, qua potuisset cor hominis confirmari aut in vita sustentari, abominationi fieret: vt omnis cibus veritatis esset & mortalibus insipidus, cum omnia plena essent doctrinis mendacij & doctrinis dęmoniorũ: * atque ita præ nimio defectu veri cibi in mundo totum ferè humanum genus proximũ videbatur internitioni, nihil nisi mors videbatur imminere, filij mortis erant vniuersi, & filij damnationis, nisi adueniſſet Deus auxiliator. 19 Positi verò in tanta miseria leuauerunt oculos ad dominum deũ patrum suorum, cumque supplicibus precibus inuocauerunt de tribulationibus suis: * & de angustijs, miserijs, atq; necessitatibus omnibus per eum sunt modo mirabili saluati. 20. Videns nãque Deus in tãta egestate inque miseria positũ genus humanũ, sicque omnia morti esse proxima, misericordia motus, vbi venit plenitudo tẽporis, mittit deus pater filium suum sibi coæternum & coæ- Galat.4. qualem verbum suum quod erat in principio apud patrẽ, vt per ipsum Ioan.1. sanaret genus humanũ atque restitueret, quomodo per ipsum à princi-

Universidad de Deusto Biblioteca

Matth.1. Matth.8. Esaiæ 55.

pio omnia facta fuerant. Per hoc verbũ suum, Deus pater mundũ iam E nimium ægrotantẽ, nimiaque ægritudine ad mortem vsq; deductũ, sanauit: quoniã quidem populum suum saluũ fecit à peccatis eorum, languores corũ ipse tulit, & dolores portauit, sicque vulnera curãs, & medicinali sua gratia, vnctioneque olei sui saluberrima (id est, sancti spiritus dono) bonã valetudine cõfirmans, eripuit eos ab omnibus malis, ab omnibus mortibus & mortalibus periculis, vt nihil iam dãnationis sit ijs qui sunt in verbo Dei in Christo Iesu. 21. Merito proinde ad confessionem diuinæ laudis narrari debent misericordiæ domini, & mirabilia eius pro filijs hominum exhibita, merito ad confessionẽ laudis narrentur domino. 22. Et pro gratiarum actione liberati fideles, offerant domino sacrificium quod illi nouerint acceptissimũ esse, id est, sacrificium laudis, quo ipse potissimũ honorificatur, magis q̃ immolatione hircorum aut vitulorum: * & opera eius mirabilia, tantæ potentiç, tantæ benignitatis, tantæ miserationis, nequaquam sileant homines ea experti, sed cum gaudio cordis & mentis tripudio, ea narrent ac recitent omnibus ad gloriam liberatoris. 23. Specialiter verò illi qui post salutẽ F fic per filium Dei omnibus in cõmune operatã electi sunt ad prædicandam mundo salutem & gratiam istam, quibus iniunctum est à domino, mare istud magnũ & spatiosum pernauigare, id est, mundum vniuersum perãbulare in omnẽ terram & in fines orbis terræ, prædicandæ salutis gratia exire: qui missi sunt facere operationẽ in omnibus populis (qui sunt aquæ multæ) docere scilicet omnes gentes, prædicare eis & testificari de salute & præceptis Dei, eosque baptizare in nomine patris & filij & spiritus sancti, docẽtes eos seruare omnia quæcunq; præcepisset medicus ille, qui à Deo patre venerat mundo. 24. Qui sic, inquam, in mare istud pernauigandum missi à Deo descenderunt, & quibus commissum fuit sic operari operationes in aquis multis & populis, ipsi viderunt & experti sunt mirabilia opera domini, quæ potentissime cum eis egit, & per eos exercuit, in varijs signis, prodigijs atque ostẽtis virtutis Dei: quibus Deus cooperabatur, ipsis operatibus in aquis multis: * ipsi viderunt mirabilia quæ Deus fecit cum eis, & per eos, in profundo, id est, in mari quod pernauigabant missi à Deo. 25. Voluntate, dispositione, ac permissione Dei factũ est, cum sancti Apostoli atque discipuli G domini in mare inciperẽt descẽdere, ad faciendam operationẽ in aquis multis, vt mox spiritus tempestatis staret, exurgeret ventus turbinis, persequutio & commotio tumultuosissima exoriretur, cõtra illos mare ingressos, & operationẽ suam operãtes, id est, populis Euãgelium salutis annunciantes: * & tumultus huius commotionis mirum in modum cõtinuò auctus est, tumultuosa tempestas sæuç persequutionis facta est prævalida. 26. In tanta autem commotione, ipsi qui descenderunt in mare ad faciendas ibi operationes in aquis multis, mirabiliter iactati sunt, tentati atque probati, vt nunc viderentur vsque ad cælum eleuati, nũc vsque in profundum demergi: quemadmodum ad oculum cernimus, naues in mari, dum vehemens est tempestas, nunc velut ad sydera iactari, nunc subito quasi in infernum collabi: ita illi in mari operantes, in mundo Euangelium salutis prædicantes, persequutione exorta, mirũ in modum iactati sunt: * in tantis malis agebãt, adeò hac persequutione grauissima subinde defatigabantur, vt videretur cõsumi vita eorum, vt viderentur morti proximi, vt eos nonnunq̃ tederet viuere, aut vt de vi- H ta penitus desperarent, in tantis periculis, imò tantis mortibus continuò agentes. 27. Præ nimia immanitate persequutionis, videbantur veluti homines consternati animo & conturbati, tanquam homines sine mente apparebant, ad modum hominis ebrij, qui non est cõpos mentis, neq; apud se habet consiliũ: ita quantũ ex se, videbatur penitus mente & consilio carere, vt non viderent quid agerent in tantis malis: * & omnis eorum sapientia nihil potuit aduersus tãta mala, quasi cõsumpta à nimijs malis, ita vt per sua prudentiam aut per suũ consilium nõ possent inuenire quid agerent. 28. Qui verò ex semetipsis non habebant cõsilium, neque ad suas faciendas operationes in tanta tẽpestate peritiam atque sapientiã, in tribulatione positi, in tãtis periculis, clamauerunt ad dominum, vt ipse pro suo beneplacito opus dirigeret, ad quod miserat illos, vtque fluctus tẽpestatis pro sua bona voluntate mitigaret: * & ipse laborantibus non abfuit, subuenit prærielitãtibus, deficientibus ex sole tulit suppetias, liberauitque eos de omnibus eorum angustijs, de tantis peri-

Rom.8.

21 *Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.*

Psal.49.

22 *Et sacrificent sacrificium laudis:*
* *& annuncient opera eius in exultatione.*

Psal.118. Apoc.17. Matt.28.

23 *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis.*

24 *Ipsi viderunt opera domini:*

Mar.16.

* *& mirabilia eius in profundo.*

25 *Dixit, & stetit spiritus procellæ:*

* *& exaltati sunt fluctus eius.*

26 *Ascendunt vsque ad cælos, & descendũt vsque ad abyssos:*

2.Cor.1.

* *anima eorum in malis tabescebat.*

27 *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius:*

* *& omnis sapientia eorum deuorata est.*

28 *Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur:*
* *& de necessitatibus eorum eduxit eos.*

A periculis eos liberans, faciendo cum tẽpestate tentationis prouentum vt possent nauigãtes & operãtes in mari sustinere: & secundum mensuram passionum, multiplicando in eis cõsolationes, denique patientiam in aduersis donando, & in agendis omnibus spiritus sui prudentiam. 29. Quando aũt voluit Deus, tempestatem illam omnẽ &, persequutionem (quã in primordijs Ecclesiæ initio euãgelicæ prædicationis permiserat exurgere) ipse sedauit, & procellam siue tempestatem cõuertit in tranquillam & quietam aurã: * & fluctus maris siluerũt persequutiones & commotiones cessauerunt, mala quæ contra prædicatores Euãgelij sese extulerant, mitigata fuerunt atque sedata. 30. Et videntes Ecclesiæ, earumque prælati redditã sibi pacem & quiete à persequutionibus, gaPsal.75. uisi sunt in domino, propterea quòd in suo beneplacito cessare fecisset Deus tumultus illos & fluctus sæuarum persequutionum: & in portum optatũ deduxit illos, in requiẽ diu optatam, multisque precibus postulatam, tandem illos perduxit: desiderabilem & beneplacentem requiem tandem eis largitus est, non permittẽs fluctus maris sæuire imperpetuũ. 31. Meritò proinde cõfiteantur domino, & ad laudem commemoretur. misericordiæ eius, & mirabilia illa quæ exhibuit filijs hominum. 32. Et exaltent eum in congregatione sancta fidelis populi, populus omnis fidelis beneficio ipsius liberatus à morte, & in pace iam confirmatus, in Ecclesia sancta, dignis suum liberatorem pacis largitorem efferat præconijs: * etiam in cathedris seniorũ laudetur: non solum à vulgo & humili populo laudatus est, nõ tantum vulgares in celebrando dominum decet esse intentos, verumetiã qui in cathedris presbyterorum residentmaiores in Ecclesia, qui præsunt dominico gregi, qui super cęteros eminent, in suo venerando concessu debent exaltare dominum, cuius ipsi vicem gerunt, & cuius locum tenent in terris præfecti super populum domini. 33. Quam verò admirabilem commutationẽ fecit Deus in temporis plenitudine, post Euangelicæ statim prædicationis initium. Ad prædicationẽ nanque Apostolorum, talem fecit Deus omnipotẽs in terris commutationem, vt flumina fierent quasi desertum, vt locus ille qui antè fuerat plenus aquarum abundantia, fieret quasi desertum aridum & inaquosum: & illic vbi prius exibant aquæ in abundantia, defectus aquæ veniret, & magna valde ariditas, hoc est, vt terra Iudeæ, quæ prius lege Dei, itemque eius scientia & cultu sola videbatur aquis irrigata, in qua sola notus erat Deus, in qua fontes omnis boni emanabant ex beneficijs Dei, vt hæc Iudæa facta sit quasi solitudo, & quasi desertum absque aqua: dum repellentes Euangelicæ gratiæ prędicationem, eique contradicentes, & ea se indignos facientes, iusto Dei iudicio bonis omnibus sunt priuati, vt viuant nunc in maxima ariditate absque vera scientia Dei & legis, id est, absque humore omnis gratiæ, vt summa iam siti veri potus priuentur. 34. Terram istam, quæ olim ad modum erat fructifera, quæ olim in cultu Dei vberes fructus afferebat, in qua so la agnoscebatur & colebatur Deus, conuertit in terram sterilem & infœcundam: in terram salsuginosam, quasi esset sale vel salsugine perfusa, vt amplius fructum non posset producere: * idque non propter Dei mutabilitatem, quasi is absque horum demerito pro sua tantum muta- Rom.11. bilitate sic voluisset eos relinquere (sine pœnitentia enim sunt dona Dei atque vocatio eius) sed propter demeritum & malitiam eorum qui habitabant in terra illa, propter Iudæorum nimiam impietatem atque consummatam tandem malitiam: qui sicut à principio eductionis de Aegypto semper fuerunt rebelles & murmuratores, ac pòst etiam Prophetarum interfectores, ita tandem in temporis plenitudine Prophetarum dominum interfecerunt, & plerosque seruorũ eius, vt adimplerent mensuram patrum suorum: & veritati Euangelicæ, quam Deus voluit mundo prædicari, pertinacissime restiterunt, vt meritò super eos veniret omnis sanguis interfectorum, & vltio de eis perfecta sumeretur, in eorum reprobatione & totali abiectione. 35. Econtrario verò, loca deserta & inaquosa, in quibus antè nulla fuerat aqua, cõmutauit Deus in stagna aquarum: maximam illic copiam præbuit aquarum, vbi prius nullæ fuerant, & terram quæ prius fuerat sine aqua, commutauit in fontes aquarum, dedit ibi scaturigines, vnde copiosæ effluerent aquæ, hoc est, gentilitatem siue populum gentiũ (qui prius quasi non gens & non populus æstimatus, totus erat aridus & omni humore bono destitutus Deut.32. non habens scientiam Dei, neque legis, neque Prophetarum, in summa Rom.10.

29 *Et statuit procellam eius in auram:*
* *& siluerunt fluctus eius.*

30 *Et lætati sunt, quia siluerunt:*
* *& deduxit eos in portum voluntatis eorum.*

B 31 *Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.*

32 *Et exaltent eum in Ecclesia plebis:*
* *& in cathedra seniorum laudent eum.*

33 *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.*

C

34 *Terram fructiferam in salsugimem:*

* *à malitia inhabitantium in ea.*

D

35 *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.*

1.Cor.3. 36 *Et collocauit illic esurientes:*

Lucæ 1. Ephe.4. ** & constituerunt ciuitatem habitationis.*

Matth.16. Matt.28. 37 *Et seminauerunt agros & plantauerunt vineas;*

** & fecerunt fructum natiuitatis.*

1.Cor.3.

38 *Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis:*
** & iumenta eorum non minorauit.*

39 *Et pauci facti sunt:*

** & vexati sunt:*
** à tribulatione malorum & dolore.*

2.Tim.3. 2.Petri.2. 1.Ioan.1.

Matt.24. 40 *Effusa est contentio super principes.*

viuens ariditate) per apostolicam prædicationem Deus ab unde rigauit, scientia fidei donauit, spiritu sancto suo fœcundauit, & omnibus bonis copiose adimpleuit, ita vt nihil desit illis in vlla gratia. 36. Et collocauit illic Deus in populo gentium pauperes & famelicos, quos omnes ibi collocauit & congregauit, tanquam in ouili suo, vt illic esurientes pasceret & impleret bonis, diuitibus illis & fastidiosis ludæis in vacuitate sua relictis: * & congregati gentium populi in vna fide, in vna spe vocationis suæ, in vna doctrina veritatis, in vno baptismo, in vno domino, in vno spiritu, constituerunt ciuitatem Dei, quę est sancta Ecclesia, vt inhabitarent in ea, tanquam in domo domini Dei sui: quomodo olim populus ille Iudaicus Synagogam constituerat, ita hac abiecta, succedens in electione & vero cultu Dei gentium populus, nouam cōposuit Ecclesiam, quæ supra firmam petram fundata, & per architectos peritissimos constructa, voluntate Dei nō deficiet vsque in consummationem sæculi. 37. Et qui hanc ciuitatem inhabitant, qui priores in eam fuerant ingressi, soliciti atque diligentes fuerunt de proximorum salute in opere Dei se fideles ac strennuos exhibuerunt, nequaquam otiosi defecerunt, sed viriliter & fortiter egerunt, soliciti in vicinis locis & regionibus seminare verbum Dei aliasque particulares Ecclesias fundare, quasi vineas domini sabbaoth electas: alius seminabat, alius plantabat, alius rigabat, alius quasi sapiēs architectus fundabat: * neque frustrati sunt labore suo, non fuit absq; fructu & vtilitate labor corū. Deo enim incrementum dante, & interius efficaciter illis cooperante fructum bonum protulerunt agri & vineæ, in quibus colēdis laborem insumpserant, & fecerunt fructum natiuitatis, fructum bonum & naturalem: * Ipsi quoque singuli fideles inhabitantes Ecclesiam, corda sua cum magno studio præparantes, tales agros seminabant, & tales vineas plantabant, semen verbi Dei in illa studiose recondentes, vt mortuum faceret fructū plurimū, virtutūque germina solicite inferentes, vt inde cresceret vinum salutis: & fecerunt ipsi fructum bonū, prouentus amplissimos, operum bonorum multam abundantiam, in fructum vitæ æternæ. 38. Adfuit illis desuper benedictio Dei, & beneuolentia gratiæ eius, per quam abundanter multiplicati sunt fideles & excreuerunt in magnum numerum multorum miliū, qui antè pauculi erant, & in numero admodum modico: * & iumenta inhabitantiū Ecclesiam non minorauit, id est, fideles simplices, qui tanquam iumenta in sua simplicitate sub obedientia maiorum viuunt, non paucos esse fecit, sed plurimos valde, in abundantia maxima. Copiosa enim Dei benedictio, Ecclesiam adimpleuit fidelibus: qui licet simplices sint, & non multum alta eruditione, in recta tamē fide & bona obedientia Ecclesiæ subditi, sicut iumenta suis dominis diriguntur à præpositis in via salutis. 39. Veruntamen in posterioribus temporibus, & maxime circa tēpora nouissima, magna illa simpliciū fidelium atque etiā fideliūm præpositorū multitudo ad paucitatem redacta est: * insuper & à tranquillitate illa pacis, in qua viuunt homines, donec in simplicitate sua permanent, turbati sunt & in vexationē conscientiarum inducti: * idque à tribulatione, angustia, & dolore malorū multorum, exurgentium temporis processu in Ecclesia. In nouissimis nanq; tēporibus, venientibus illusoribus & falsis magistris plurimis, & Antichristis multis vnum nouissimum præcurrentibus, per diuersa tempora multi seducti sunt, in maximo subinde numero: dum iumenta illa absque debita discretione magistros mendacij insequentia, abduci se permiserunt in vanos errores & prauas vanitates, multisque vicibus ex huiusmodi hæreticorū tumultibus atq; schismatibus mira vexatio & persequutio, interdum etiam exterior in corpore & corporalibus bonis, semper autē interior in conscientia, exorta est: & mala plurimis ex horū nequitia, simplicibus in Ecclesia processerūt, quæ etiā plenius implebuntur in nouissima Antichristi persequutione quando in errorē inducerentur (si fieri potest) etiam electi. 40. Contentio se effudit super principes, studium cōtentionis inuasit plerosque ex ijs qui in Ecclesia, non vt iumenta, sed tanquam principes habebantur, ingenio, scientia, eloquentia præcellentes: inuasit istorū plerosq; ex ambitiosa & superba mente procedens cōtentio, pro defensandis suis sententijs, cum animi elatione & pertinacia: confidentes in ingenijs suis, aut eruditione eloquētiaue sæculi, ausi sunt cōtentiones suscitare, schismata erigere, hæreses confringere, atque in his suis placitis defensandis omne

A * *& errare fecit eos in inuio, & non in via.*

41 *Et adiuuit pauperem de inopia:*

B

* *& posuit sicut oues familias.*
42 *Videbunt recti, & lætabuntur:*
* *& omnis iniquitas oppilabit os suum.*

C

43 *Quis sapiens & custodiet hæc, & intelliget misericordias domini?*

omne studium omnēque conatū adhibere: * & hoc contentionis studiū quod omnes possidet hæreticos, errare facit plerosque maiorū in inuio falsitatis & mendacij, & non in via veritatis, videlicet vt recta & regia via catholicæ veritatis relicta, sequātur deuia & falsa, sectantes suorum ingeniorum adinuentiones & somnia, quæ ipsi nec de fidei regula, nec de scripturarū authoritate sumpserunt: neque ipsi solū authores hęresiarchæ abducti sunt in deuia, sed (quod magis dolendū est) secū iumentorum illorum supplicium plurimā multitudinem abduxerunt & abducunt in perditionis itinera. 41. Deus tamen (qui suorum semper pauperum & humilium curam gerit) auxilium præbet, & per gratiam suam assistit humilibus & pauperibus spiritu, qui non sibi videntur sapientes, non sunt prudentes apud semetipsos, qui in simplicitate sua fundatæ catholicæ fidei inhærent, & rectam fidei regulam ab illis primis operarijs (qui primum operationē fecerunt in aquis multis, id est, à sanctis Apostolis Apostolicisque viris) traditā cum humilitate tenent, nec sequuntur noua hominū vanorum cōmenta, quātumuis loqui videantur placentia: hos sanè pauperes & simplices adiuuat Deus & custodit, ne seducantur à magistris errorum: hos illuminat, vt lupos discernant à pastoribus: hos probare docet spiritus, vtrū ex Deo sint: hos sibi seruat & custodit, vt non seducantur: quomodo etiam in illa nouissima & grauissima persequutione vltimi Antichristi, semper aliquot sibi est seruaturus electos: * & posuit familias horum pauperum, sicut oues, sicut gregē suum faciet simplices istos: ita eos fundabit & custodiet, quomodo pastor gregem suum custodit, ita se erga generationes pauperum habebit & geret, quomodo pastor erga oues suas. 42. Videbūt ista qui sunt recto corde, considerabunt istam dei erga suos electos firmatam bonitatem (qua semper cognoscit qui sunt eius, & facit vt ab iniquitate discedant) & lætabuntur in hac Dei inæstimabili bonitate & electorū salute: * & omnis impietas confundetur, aduersus electos & sanctos Dei nihil poterit omnis impietas, nō poterunt aduersus bonos præualere portæ inferi: omnes hereses, omnes impietates cōprimentur, conticescent & confundentur, & erunt quasi obturato ore vt nō possint persuadere malum electis Dei, & confundentur omnes errorum magistri, inuentores mendacij, omnes in nouissimo redarguentur, inuenientur-que confusi. 43. Hæc autem quæ iam diximus, quisquis sapiens est, diligentur custodiet, sollicitēque obseruabit: & omnis verè sapiens in ijs meditabitur, tota mentis attentione cōsiderabit misericordias domini, quas sam multa verborum replicatione cecinimus, neque tame pro dignitate quicquam diximus. Abyssus nanque inexhausta est profunditas misericordiæ Dei, neque ab homine, quantumuis eam consideret diligenter aut contempletur, perueſtigari potest.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CVI.

PSalmum istum quidam conantur literali intelligentia exponere de variis casibus qui obuenerunt olim veteri populo, quemadmodum Chaldæa Paraphrasis multa in hoc Psalmo de Sedechia & principibus eius loquitur, de Ezechia ægrotante & sanato, de Iona misso in mare & tempestate sedata, & de caristia tempora Iohel, aliaque huiusmodi. Alij de iis intelligunt Psalmū, quæ generaliter
D secundum corpus solent euenire mortalibus. Nam principium Psalmi, in quo mentio fit erroris & reductionis ab errore, exponunt de ijs quos contingit à recti itineris tramite deuiare, in loca deserta, & inuia: vbi periculis maximis tum propter defectū cibi & potus, tum propter metū ferarum syluestriū & viam incognitam, expositi, clamant ad dominum, hunc vnicum reputantes suum fidele refugium: à quo & exaudiuntur, cum soleat ipse in rebus desperatis libenter inuocatus succurrere, & reducuntur ipso duce ad viam rectam, ad loca habitata & frequentata hominibus. Quod deinde, sequitur de esurientibus & siti deficientibus, vinctisque in mēdicitate & ferro, exponunt de vinctis corporaliter, qui graui fame & siti in duro carcere affliguntur: qui licet ob suas impietates plerique sic puniantur, si tamen fideli corde dominum inuocauerint, non raro sentiunt liberatione, vt de tetro & tenebroso carcere educantur ad exoptatam lucem. Quæ etiam de mare ingredientibus dicuntur, exponunt de periculis eorum qui naufragium patiuntur, qui in rebus desperatis inuocantes cum fiducia dominum, non raro sentiunt Dei sibi adesse auxilium. Quod deinde à versu trigesimotertio dicitur, de cōmutatione deserti in stagna aquarum, & econtrario, exponunt de potenti commutatione qua Deus loca commutat pro suo placito, vt vbi nunc nulla est aqua, post annos aliquot aquarum fluat abundantia: & ecōtrario, vbi nunc est aquarum copia, ibi pòst ariditas maxima inueniatur. Ast hunc, inquā, modum, alij secundum literalem quandam & historialem intelligentiam, præsentem Psalmum totum tentant exponere. Nobis tamen magis videbatur conuenire, vt ad spiritum omnia illa referretur. Et profecto

Vnicuique attentius consideranti, facile liquebit, Psalmũ istum spiritualem intellectum magis q̃ histo- E
rialem præ se ferre. Pro quo etiam facit (meo quidem iudicio) quòd toties replicatur exhortatio laudis, toties Dei inculcantur mirabilia, versu eiulmodi, Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominũ. Proinde non in expositione, de errore spirituali, captiuitate spirituali, egestate, fame & siti spiritualibus, mari spirituali, tẽpestate spirituali, tranquillitate spirituali, cõmutatione spirituali, benedictione & fructificatione spirituali, totũ Psalmi processum (quantũ potuimus) rationabiliter & lucidè conati sumus interpretari. Nos tamen absque prætudicio ita nostra attulimus, vt neminẽ diuersa ponentem per nos velimus repudiari. ¶ Versu. 8. Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominũ. Confiteantur, videtur accipi improprie, secundum significationẽ passiuã: vt tantũdem valeat, quantũ confessione cõmemorentur, vel laudando cõmemorentur. Beatus Hieronymus ex Hebræo vertens, verbũ cõfiteantur, accipit in significatione actiua: sed accusatiuũ adiungit, non nominatiuũ, ad hunc modum, Confiteantur domino misericordiã eius, & mirabilia eius in filios hominũ. Sic & Felix, manifestent vel celebrent domino misericordiã eius, & mirabilia eius filijs hominum. Atque ita sensus idem est huius lectionis, accepto verbo in significatione actiua, qui est lectionis vulgatæ, accepto verbo in significatione passiua. Siue enim dicas, confiteantur homines misericordias domini, & mirabilia eius: siue ita dicas, Confessione laudis celebrentur ab hominibus misericordiæ domini, & mirabilia eius, eadẽ proculdubio sententia est. In eo quoque quod sequitur, Et mirabilia eius filijs hominũ, filijs hominũ, casus est datiui, subaudiendo participiũ facta vel ex- F
hibita, vt sit sensus, Mirabilia exhibita vel facta filijs hominũ. Cui consonat q̃ (vt iam auditũ est) vertit Hieronymus, Mirabilia eius in filios hominũ. ¶ Versu. 26. Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos. Intelligi possunt pro suppolito, ipsi qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, vel etiã fluctus maris. Et eadem fere est sententia, siue intelligas fluctus maris ascendere & descendere, siue ipsos nauigantes. Nam fluctibus maris iactantur sursum ac deorsum qui nauigant. Nauẽ enim fluctus propellunt, & inflati ipsi naue eleuant in aëra: concidentes verò nauẽ quoque faciunt in ima concidere. Quomodo autẽ secundum mysticã intelligentiã Apostolis Dei operatoribus illud conueniat, Anima eorũ in malis tabescebat: item & quod sequitur, Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est, facile ex illo discimus verbo apostoli Pauli (qui vnus fuit ex ipsis facientibus operationẽ in aquis multis, imò plus omnibus in aquis istis laborauit) quod in secunda Epistola suis scribit Corinthijs, Nolo, inquit, vos ignorare fratres, de tribulatione
2. Cor. 1. nostra quæ facta est in Asia, quoniã supra modum grauati sumus supra virtutẽ, ita vt tæderet nos etiã viuere, vel (vt ex Græco etiã verti potest) vt desperaremus de vita. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit. ¶ Versu. 29. Et statuit procellã eius in auram. Clarius in eandem sententiã Hieronymus, Statuet turbinẽ in tranquillitatem. Item pro eo quod sequitur. Et deduxit eos in portum voluntatis eorũ: sic habet, Et deducet eos ad portum quẽ voluerunt. Et loco eius quod versu trigemo nono habemus, Constituerunt illic ciuitatẽ habitationis. Hieronymus clarius dixit, Formabunt vrbẽ ad habitandum. Vrbs autẽ ista, nihil dubium quin illa sit ciuitas regis magni, ciuitas Dei nostri, G
quã alio in loco idẽ Psalmista cecinit, dicens, Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius, Fundatur exultatione vniuersæ terræ, mons Sion altera Aquilonis, ciuitas
Psal. 47. regis magni. Et in Psalmo alio, Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.

CVII. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste contexitur ex Psalmo quinquagesimo sexto & quinquagesimonono. Nam quinque priores versus huius Psalmi, vsque ad locum illum, Vt liberentur dilecti tui, habet finis Psalmi quinquagesimi sexti, vix in vllo facta mutatione, nisi q̃ illic gloria mea iungitur, cum sequenti, dicendo, Exurge gloria mea, exurge Psalterium & chitara, cũ hic iungatur præcedenti, hoc modo, Cantabo, & Psallã tibi in gloria mea: ac deinde diutiũ legatur, Exurge Psalterium, &c. Et in versu quarto, cũ hic dicitur, Magna est super cælos illic dicebatur, vsque ad cælos. Versus autem reliqui, post quintum ad finem vsque, omnes inueniuntur in Psalmo quinquagesimonono. Quæ omnia, quia semel exposita sunt, non iterum hic prolixius à nobis explicabuntur: Argumentum (quod est gratiarum actionis, pro victorijs habitis) require ante Psalmum quinquagesimum nonum. Annotationes quoque suis locis, si libet, require: Elucidationem tamen non grauabimur iterare, quæ prius dicta sunt, etiam huc reuocantes, eo quòd Prophetam non piguit diuersis locis eadem canere. H

CENTESIMI SEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Paratum cor meum Deus, paratũ cor meũ.*

**cantabo, & psallam in gloria mea.*

PRo tuis erga me innumeris & inæstimabilibus beneficijs ô potentissime Deus, paratum est cor meum, & modis omnibus iterum iterumque paratum, id est, quam paratissimum, ad te laudandum, te glorificandum, tibique vt dignum est per omnia & spiritu & corpore famulandum: * cantabo coram te, & psalmos dictabo atque cantabo tibi, in omni gloria mea: ita vt quicquid in me gloriæ fuerit, quicquid virtutis, quicquid vigoris, quicquid fortitudinis, ingenij, memoriæ, affectus, ceterarumque virium, omnis meus decor & gloria siue quæ in corpore, siue quæ in anima mihi inexistit, totum velim in tuam laudem impen-

A

2 *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: *exurgam diluculo.*

3 *Confitebor tibi in populis domine, & psallam tibi in nationibus.*
4 *Quia magna est super cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritatis tua.*

B 5 *Exaltare super cælos Deus: *& super omnem terram gloria tua: * vt liberentur dilecti tui.*

6 *Saluum fac dextera tua, & exaudi me:*
** Deus loquutus est in*
C *sancto suo.*
7 *Exultabo, & diuidã Sichimam: *& conuallẽ tabernaculorum ego dimetiar.*
8 *Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim susceptio capitis mei.*
9 *Iuda rex meus:*
** Moab lebes spei meæ.*
D 10 *In Idumæam extendam calciamentum meũ:*
** mihi alienigenæ amici facti sunt.*
11 *Quis deducet me in ciuitatem munitam?*
** quis deducet me vsque in Idumæam?*
12 *Nonne tu Deus? qui repulisti nos, & non exibis Deus in virtutibus nostris.*
13 *Da nobis auxilium*

impendere, vt in tota gloria & virtute, pro mea virili digne tibi psallam, tam magnificentissimo domino. 2. Et quo sit laus plenior, etiam instrumentis decantata musicis, accedite huc in manus meas psalterium & cithara, venite, vt in vobis psalmum canam altissimo domino: *& ego primo mane, admodum diluculo, exurgam de strato quietis meæ, vt in tempore illo quietissimo, simul & amœnissimo, diuinas laudes cum alacritate valeam decantare. 3. Celebrabo te, laudemque tibi dicam in gentibus, domine, & in omnibus per vniuersum orbem terrarum diffusis nationibus populorum, te laudabo in psalmis & canticis. 4. Iustum verò, ac rationabile est, vt tibi psallatur in omnibus gentibus, & nationibus, quoniam misericordia tua magnificata, glorificata, & exaltata est vsque ad cælos, immo & super cælorum altitudinem: & veritas tua vsque ad nubes magnificata est, hoc est, vtraque adeò sublimis, & excelsa est, vt à nobis comprehendi non valeat. Nemo enim sufficit comprehendere numerum & mensuram magnitudinis misericordię & veritatis tuæ. 5. Fac, ô potentissime Deus, vt super cælos cognoscatur maiestas tua, fac per ostensionem potentiæ tuæ cognoscere homines altitudinem gloriæ, & sublimitatem altissimæ maiestatis tuæ, quæ cælis est altior, & nec cælorum amplitudine, siue altitudine comprehenditur, sed in immensum superexcedit altius: * & super omnem terram fac cognosci celsitudinem gloriæ tuæ, vt in omnibus finibus orbis terrarum cognoscaris, & habearis is qui verè es, potentissimus Deus, ac dominus vniuersæ creaturæ: * ita (inquam) tu Deus potentissime exalteris, & glorificeris, vt electi tui, quos ad vitam ab æterno prædestinasti, liberentur, fiantque salui ab omni malo. In illorum namque liberatione & saluatione, tuam simul misericordiam & veritatem singulariter glorificas. 6. Et quoniam hominis opus non est liberare & saluare, tua ad id peragendum opus est dextera, vt per tuam prævalidam omnipotentiam, salutem consequantur electi tui, quam à seipsis, vel ab hominibus quibuscumque habere non possunt: & hac in re exaudi me, vt dextera tua salues electos, populumque tuum de hostium manu liberes: * sic enim tu Deus loqnutus es in sanctuario tuo, ita definiuisti apud te in sancto & secreto habitaculo tuo. 7. Videlicet quòd ego Dauid, vt rex & princeps electi populi tui, lætabor in triumphis victoriæ, ex virtute dexteræ tuæ contra aduersarios populi tui, & diuidam terram Sichem, tanquam bello partam populo meo: *& vallem illam, quæ Sochot dicitur, id est, tabernaculorum, ego dimetiar, tanquam meo dominio & iuri subiectam. 8. Populus Galaadites mihi subiectus est, similiter & Manasse: populus autem Ephraim, præcipua & velut capitanea est fortitudo mea, & quasi robur ac virtus capitis, id est, principatus mei, vt pote alijs tribubus potentior, bellicosior, & numerosior. 9. Tribus Iudæ mihi regnum præstat, in qua & principium fuit regni mei: * populus Moabitarum est mihi velut olla & lebes oblectationis, vnde haurire possem delicias & oblectationem, eisque libere vti iuxta desiderium. 10. Super filios Edom extendam calciamentum meum, super illos calcabo, tanquam perfecta subiectione plenissime subiectos mihi: * Philisthijm, Amelechitæ, & alienigenæ per circuitum, facti sunt mihi tributarij, & subiecti ditioni meæ. 11. Et quis est, qui me perduxit vsque in ciuitates munitas, vt loca etiam munitissima obtinerem? * quis me deduxit in ciuitates Idumæorum, admodum robustas & populosas, vt eas cogerem sub imperium regni Dei? 12. Quis alius præter te domine? qui olim videbaris abiecisse nos, ac velut prorsus deseruisse absque auxilio, & non volebas cum exercitibus nostris ad pugnam egredi, nolebas pugnare cum exercitibus nostris, nolebas tua præsentia defendere populum tuum pugnantem, sed quasi à prælio absens permisisti vinci exercitus nostros ab aduersarijs. Profectò tu qui olim ita repulisti populum tuum, & cum eis nolebas egredi ad pugnam, idem ipse nunc respexisti nos, & egressus nobiscum dedisti nobis præclaras victorias. 13. Tu itaque domine, semper præsta nobis de tribulatione auxilium: si insurrexerint aduersum nos aduersarij, & tribulatores populi tui, succurres tu nobis auxilio tuo: * verè enim vana est salus, quæ expectatur ab homine, & prorsus vanissimum est auxilium & salutem expectare ab humana potentia, cum tu illam habeas in manu tua. 14. Ex nobis quidem

de tribulatione: quia vana salus hominis.*

14 *In Deo faciemus virtutem:* & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*

dem prorsus imbecilles & impotẽtes sumus magnum aliquid efficere, sed in tuæ virtutis fiducia & auxilio fortiter agere poterimus magnæ virtutis opera, agemusq; tua virtute cõfortati viriliter:* tu quoq, facillime destrues, & absque omni labore siue molestia ad nihilum deduces, omnipotenti fortitudine tua, aduersarios nostros, quanticunq; tandem siue numero, siue fortitudine extiterint, propter quod, in te semper fiducialiter perstare volumus, & tuo sancto cultui semper inhærere, neque abscedere abs te imperpetuum.

CVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste videtur maledictiones continere aduersum hostes prolatas. Personæ autem Christi applicari eũ contra suos hostes & interfectores Iudæos, & singulariter etiã contra Iudam proditorem, qui illorũ vnus erat, vel ex hoc fit manifestum quod Petrus Apostolus in primo cap. Actuũ Apostolicorum, de Iuda proditore verba faciens, partẽ huius Psalmi in eo dicit fuisse impletã, illud videlicet q, habet versus septimus, Episcopatũ eius accipiat alter. Quanuis ergo secundum substratũ literæ sensum, possit accipi vt à Dauide cõtra suos hostes, Doeg Idumæũ, & alios huius similes prolatus, qui ipsi innocenti apud Saulem detrahebant, & alioqui satis ad malum Dauidis propensum magis exasperabant, secundum tamen veritatem & intellectũ præcipuũ, ipsius Christi est oratio, in qua patrem alloquens, & inuocans iudicẽ, hostium suorum proposita malitia, & sua è regione innocentia, digna deinde vltionem peruersorum describit, tam in personis propriis, quàm in relictis liberis, vxoribus & bonis omnibus. Idque facit multis versibus, in quibus ea quæ impijs veritatis cõtradictoribus ventura erant ex Dei iudicio, vt præuidebat, ita exprimit, & secundum diuinæ iustitiæ conformitatẽ eadem etiam præcari videtur. A versu autem vigesimo ad finem vsque suam paupertatem & afflictionem exponens, à Deo salutare postulat auxilium, in conclusione tandem liberatori promittens laudis cantica.

CENTESIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

Hebr.4. 1 *Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.*

DOmine Deus pater meus, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, qui omnia nosti vt in veritate se habent, tu ne tacueris laudẽ: quoniã ecce ora peccatorũ, & hominũ nequã cõtra me apta sunt, ad blasphemiã atque cõuicia, vt dũ illi contra me blasphemãtes impia falso loquũtur, tu ecõtrario meã laudẽ prædices, & prædicari facias, meáque innocẽtiã manifestã facias, tuũ mihi impẽdendo auxiliũ: dũ illi improperia, cõuicia, & blasphemias aduersum me effutiũt, tu ecõtrario me apud tuos prædices, meũ nomẽ mundo clarifices, sicut ego te mũdo clarificaui: qua etiã causa potissimũ isti impijnune aduersum me impudẽtia ora sua aperiunt. 2 Loquunti sunt aduersum me linguis mendacib⁹ atque fraudulentis mihi detrahẽtes meq; calũniantes absque causa, propter suã peruersam nequitiã: & sermonib⁹ odij ex omni parte me circundederunt, odiosis verbis omni ex parte me aggressi sunt, verbis duris & grauibus, aut etiã verbis detractorijs & diffamatorijs, quib⁹ me conati sunt omnib⁹ reddere odiosum: appellãtes me seductorẽ populi, vini potorẽ, voratorẽ, publicanorũ amicũ, sabbathi violatorẽ, Dei blasphematorẽ, aduersum principes seditiosum, cum dæmonibus pacta habentẽ, aliaq; huiusmodi:* absque omni rationabili causa impugnauerũt me, omni qua voluerint virtute, mihi machinãtes mala, conciliũ facientes nunc quo mihi os obstruerent, & confusum me redderent, impositio silentio, quomodo aliquid ex ore meo raperent in calumniã, nunc quo me perderẽt, aut dolo tenerẽt, & interficerent: atque hæc omnia absque vlla causa, absque vllo meo merito, cum nihil aduersus illos egerim, ob qđ iuste talia aduersum me debuerint, aut potuerint machinari. 3 Imò verò loco eiusquod me diligere debebãt, pro dilectione quã mihi debebãt, vt benefactori, ipsi malum reddiderunt, & detraxerunt mihi: cũ diligere me pro acceptis beneficijs debuissent, nõ solum nõ dilexerũt, verumetiã hostiliter mecũ egerunt, cõtra me mala loquentes, mihiq; vbicunque poterant, tã in nomine, q̃ invita, aduersantes:* ego verò nõ sum cõmotus ad impatientiã, patienter tuli illorũ improbitatẽ, non reddidi malũ pro malo, non maledicebã maledicentibus: sed orabã ad te domine, cõmendans tibi causam animæ meæ, ad te oratione leuaui spiritum meum, vt tibi vindictam cõmitterẽ, & ipse nõ offenderem in te per impatientiam:* Orabam etiam pro illis mihi detrahentibus, & aduersantibus, vt ignosceres eis, & parceres, donec viderentur nescire quid facerent, donec nõ ex obstinatione eorum peruersitas cerneretur procedere, donec spes apparebat vlla conuersionis eorum. 4 Et ipsi omnis benefi-

Ioan.7. Matth 11. Ioan.9. Lucæ 5. Lucæ.11. 2 *Loquuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me:*

* *& expugnauerunt me gratis.*

Lucæ 20. Ibidem. Matt.29. 3 *Pro eo vt me diligerẽt, detrahebant mihi:*

* *ego autem orabam.*

4 *Et posuerunt aduer-*

A *sum me mala pro bonis.*

* *& odium pro dilectione mea.*

neficij immemorrs, prorsusque ingrati in omnibus, mea mansuetudine nihil emolliti, mea potentia nihil emendati, apponebant beneficijs maleficia, pro bonis rependebant mala:* & pro dilectione mea, qua ego illos dilexi, itẽ & pro dilectione mea, qua me ipsi debuissent meritò diligere, reddiderunt mihi odium: cum ego illos amarẽ, neque solum lingua diligerem, sed opere & veritate dilectionem abunde ostenderem, eorum languidos curando, eosque veritatis Euangelicæ doctrina pascẽdo, insuper & peccata tollendo, languores auferendo, & dolores portando, ac proinde meritò me prius amantem & benefacientem saltem redamare debuissent, ipsi non solum non amorem rependerunt, sed insuper odium crudele, quod & opere testati sunt grauissimam aduersum me contradictionem suscitantes, vsque ad ignominiæ opprobrium. Matth.8. Hebr.12.

5 *Constitue super eum peccatorem:*

B

5. Et quoniam tanta est, tamque peruersa & obstinata illorum impietas, iuste tu sancte pater, iudex animæ, & defensor cauiæ meæ, cui causam meam commendaui secũdum tuam iustitiam, rigidum, & seuerum in illos exercebis iudicium: quod sicut tu ex ordinatione tuę iustitiæ, illis superinducere decreuisti, ita ego meã voluntatem tuæ conformans, precor illis euenire, ad tuæ iustitiæ glorificationem, & iustam tantæ impietatis vltionem. Itaque tu constitues super eum peccatorẽ, super populum illum impiũ, & omnes illos iniquos aduersarios meos, tu iudex iuste dominari facies impium: primum quidem, tradendo illum in manus crudelis illius tyranni & exactoris diaboli, qui est rex super omnes filios superbiæ, primus impietatis author: & pater mendacij, ex cuius parte sunt omnes qui imitantur illum: deinde etiam hominibus impijs, & crudelibus tyrannis eos subijciendo, vt ab illis digna afflictione puniti, suæ perfidiæ debitas pœnas luant:* & diabolus ille malignus stabit à dextris illorum, semper illis aderit, & velut obseruabit, tanquam captiuos eos tenens laqueis suis, vt ad omne malum instiget suæ traditos potestati, ac pòst in damnationem secum abducat æternam. 6. Cum iudicium fiet de eis, non inuenietur excusatio, non absoluentur liberi, sed condẽnati exibunt, referent sententiã condemnationis, quia mortis damnatione sunt digni:* imò & oratio eorum reputabitur immunda & sordida, quasi peccatum: etiam cum ore videbuntur clamare, & in hypocrisi sua se orare simulauerint, labijs tantum orantes, quasi sordida oratio eorum repelletur, nõ erit exaudibilis: quia cor longe est à domino, quod impietate plenum est: imò erit oratio illa execrabilis, quoniã cum irreuerẽtia & hypocrisi orantes quodãmodo tentare Deũ videntur. 7. Dies illorum pauci fient & modici, abbreuiabitur duratio vitæ eorum, morte præmatura & intẽpestiua morientur, sicut & ipsi innocenti mortem iniustam sunt meditati:* & eorum episcopatum, eorum munus, quo à Deo honorati sunt atque sublimati, alij accipient: quemadmodum pontificũ & scribarum synagogæ dignitas, ad apostolos, eorũque successores translata est: & impius ille traditor Iudas, dux omniũ interfectorũ innocẽtis domini sui, apostolatus munere priuatus est, laqueo sibi animam ante tẽpus extorquens, & in locũ eius suffectus est atque substitutus alius. Imò & totus ille Iudæorũ populus, qui prius omnibus populis speciali sua sanctificatione præeminebat, existẽs gens sancta, populus peculiaris ex omnibus gentibus, & regnum sacerdotale siue sacerdotium regale, perdidit omnem hanc præeminentiam, & successit illi populus alter ex gentibus, qui iam genus electum appellatur, gens sancta, populus peculiaris, & regale sacerdotium. 8. Fient filij eorũ orphani, & vxores eorum fient viduæ. Ipsis enim hostium manu cadentibus, relinquentur eorum liberi absque patre, & erunt orphani, vxor autẽ viro destituta erit vidua: quod certe non modica est morienti afflictio, videlicet præter omnem dolorem vulneris, relinquere matrem pauperem superstitẽ, multis onustam prolibus, & proles multas in paupertate superstites, vt nõ habeant vltra quiipsis de vitæ necessarijs prospiciat. 9. Filij eorum nutantes & instabiles, de loco ad locum (iuxta morẽ nutantium) se transferent, vel ab hostibus transferentur de loco ad locum: & in tanta egestate atque penuria expulsi patrijs sedibus vi-uent, vt mẽdicatim sibi victum cogãtur quæritare:* & eijcientur de patrijs sedibus, de habitationibus quas inhabitauerant patres eorum: nõ permittentur inhabitare terrã quam patribus eorũ Deus singulari miraculo donauerat, sed dispergentur, & captiui ducẽtur in omnes gẽtes, & erunt exules per orbem vniuersum, seruiẽtes sub tributis, in seruitu-

D

8 *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.*

9 *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent:* & eijciantur de habitationibus suis.*

Matt.27. Actu.1. Exod. 19. 1.Petri.2. Lucæ.21.

te &

10 *Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius:*
* *& diripiant alieni labores eius.*

11 *Non sit illi adiutor:*
* *nec sit qui misereatur pupillis eius.*

12 *Fiant nati eius in interitum:*
* *in generatione vna deleatur nomen eius.*

13 *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini:*

* *& peccatum matris eius non deleatur.*

14 *Fiant contra dominum semper:*
* *& dispereat de terra memoria eorum:*

* *pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.*

15 *Et persequutus est hominem inopẽ & mendicum & compunctum corde mortificare.*

te & despectione maxima. 10. Scrutabuntur fœneratores omnem substantiam eorum, exactores quibus officium commissum fuerit spoliadi deuictas & bello captas ciuitates, penitus nihil relinquent, quin omnia prædentur & auferat: vt de patrijs bonis, illis fugientibus, aut in captiuitatẽ vel dispersionem abeũtibus, nihil liceat secum auferre: * & alieni, id est, hostes prorsus extranei, imò aduersarij, diripient labores eorum: quæcunque illi collegerant & thesaurizauerant in vsus suorum filiorũ atque hæredum, non ad filios aut hæredes legitimos peruenient, sed rapientur ab hostibus, etiá vsque ad occultissima, & minima quæque omnia prædaturis. 11. Non erit qui illis in tanta oppressione positis possit vllo, vel cõsilio vel auxilio, ferre suppetias: * neque solum ipsis non erit auxilium, sed neque filijs eorũ, quos orphanos relinquent, vllus cõtinget miserator, neque cum pupillis eorum quisquam aget misericorditer. Nam absque misericordia plerique cadent, interfecti hostium gladij, alij patris eiicientur habitationibus, & bonis omnibus spoliabuntur, quæ sibi thesaurizauerant patres eorũ, ducenturque sic nudi & miseri in omnes gentes captiui, in afflictione nimia. 12. Imò & in perditionem dabuntur filij eorum, plurimorum filij simul cum parentibus, imò in oculis parentum interficienter ad maiorem parentum afflictionem: * neque pauci erunt, quorum progenies hostium gladio maxime infirmata ac pene extincta, licet ad modicũ post mortem parentũ subsistet, mox tamen vnica absumpta generatione deficiet. Nam quod pene extinctum est, si non reparetur, cito prorsus deficiet. 13. Ante oculos domini redibit ad considerationem iniquitas parentum eorum, vt adducatur super eos vltio grauissima, quasi pro omnium parentũ suorum delictis, vt inquiratur ab istis homicidis, qui adimpleuerũt mensurã patrum suorum, sanguis omnium iustorum & Prophetarũ, qui effusus est ab origine mundi ita scilicet, vt grauissima de eis sumatur vltio: * & peccatum matris eorum nõ erit in obliuione, quantum ad punitionem eorum, vt etiã pro illo adducatur super illos vltio: hoc est, vltione tam graui, tam manifesta, tam horribili videbuntur puniri, vt appareat Deum, quicquid vnquã peccati admiserunt parentes, super hos eorum posteros imposuisse, & ad horum punitionem, grauiorem reuocasse ad memoriã. 14. Derelicti quoque & reprobati à deo, ita efficientur obstinati in sua malitia, vt sint perpetuò contra dominum, nunquã redeant in gratiam, donec venerit consummatio sæculi, quando eorum reliquiæ saluæ fient: * & prorsus de terra viuentium, de sancta Ecclesia & militante & triũphante, peribit eorum memoria, erunt quasi incogniti extranei à veris Ecclesiæ fidelibus, & erit execrabilis ac detestabilis eorũ memoria, vsque dum venerit tẽpus constitutum cõuersionis eorum, quo conuersi recipiantur in gratiam: * propterea quòd non cogitauerunt facere misericordiam, propterea quòd crudeliter nimium semper egit ista generatio, non solum cũ seruis Dei & prophetis, quos percusserunt & interfecerunt, verumetiã cum Prophetarum domino, quem crucifixerunt. Propter quod merito iudiciũ illis fiet sine misericordia, qui non fecerunt misericordiam. 15. Et persequuti sunt filium hominis, pauperem, humilem, mansuetum & egenum, qui erat virorum nouissimus, imò vermis & nõ homo, hominẽ dolente corde, virum dolorum & scientem infirmitates, qui totam vitam in multa austeritate transegit atque doloribus multis: vt hunc (inquam) filium hominis sic pauperem & afflictum morti traderent. Non enim satis illis erat videre filium hominis miseris modis tractatum, flagellatum, spinis coronatum, veste regia & arũdine illusum: nõ (inquam) satis illis erat videre innocentem filium hominis, quasi leprosum & quasi nouissimum virorum, absq; de core & specie, vt merito debuissent intima illorum commoueri viscera super tãta innocẽtis miseria: verum insuper ad mortem illum popposcerunt, vocibus fortissimis inclamantes, Tolle, tolle, crucifige eum. Propter quod, non mirum si iusta Dei vltio non vna aliqua modica pœna cõtenta quiescat, sed punitione multiplici penitus eos velit disperdere. Iustum est enim, vt pœna culpæ respondeat. 16. Dilexerunt maledictionem, quæsieruntque eã in praua sua nequitia, & inuenient eam: benedictionem verò odio habuerunt, atque à se abegerunt, & non veniet eis. Non est quod conquerantur impij isti, male & inique secum agi in his punitionibus, Accipiunt enim qđ semper quæsierunt & dilexerunt, & eo priuantur quod semper fugerunt. Omnibus namque cogitationibus

Matth. 23.

Rom. 11.

Iacobi. 2.

Esaiæ 53. Psal. 21. Esaiæ 53.

Matt. 27.

Esaiæ. 53.

Ioan. 19.

16 *Et dilexit maledictionẽ, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

nibus cordis, sermonibus oris, & operibus manuum suarum impietate plenis, nihil aliud visi sunt quærere, quàm maledictionẽ mortis & perditionis æternæ: benedictionẽ autem & salutẽ visi sunt quàm maxime fugere, dum nihil ea dignum voluerunt operari: & quomodo quæsierunt perditionem, sic eueniet eis. (Accipient enim mortem peccati stipendium) vt benedictionẽ à qua semper abhorrere visi sunt, à qua semper se elongauerunt, studio prauæ voluntatis, nequaquã percipient filij maledictionis atque perditionis æternæ: quomodo econtrario, iustis ac timentibus benedictio, quã semper quæsierunt, veniet, & maledictio quam oderunt, elongabitur ab eis. 17. Induentur impij isti maledictione sicut vestimenti, ex omni parte illos circundabit maledictio, operietque perditio, qnomodo vestimẽtum ex omni parte circundabit hominem: * imò in ipsos intrabit, quomodo aqua quæ bibitur intrat in interiora hominis, imò vsque ad penitissima eorum penetrabit, ad modum olei, cuius virtus etiam vsque ad ossa penetrat, & intra ossa se porrigit. Est enim sicut oleum maxime penetratiuum, ita & impiorum maledictio 18 Fiet (inquam) illis maledictio quasi vestimentum, quo operiuntur homines, vt sic penitus maledictione circundentur, & ad modũ zonæ, qua homo per medium sui per totum corpus cingitur, vt quomodo totum corpus zona cingit & semper cingit, ita maledictio impios illos penitus circundet: hoc est, maledictio & perditio totos ipsos peruadat tam secundum corpus quàm secundum animam, semelque correptos & peruasos imperpetuũ affligat. 19. Hoc erit eorum qui detrahunt mihi opus ante dominũ, hæc punitio illis qui mihi aduersantur eueniet à domino: sic illis fiet, talis vltio exercebitur ex iusto iudicio Dei aduersum illos qui me graris persequuti sunt: * & talis manet vltio eos qui mala loquuntur aduersus animam meam, qui insidiantur vitæ meæ, qui aduersum me concilium faciunt, & dolosis adinuentionibus cogitant quo me interficiãt, & veritatem Euangelij opprimãt. 20. Et tu pater, domine sancte, age mecũ benigne pro tua misericordia: propter gloriam nominis tui, misericorditer fac mecum, & cum omnibus meis fidelibus qui futuri sunt vsque in consummationẽ sæculi, in bona voluntate tua: * tua nanque misericordia suauis est, dulcis & benigna, ita exposcit tua misericordia, vt cum me misero agas, non vt illi impij crudeliter, sed tanto magis misericorditer, quanto illi magis crudeliter. 21. Libera me domine, quoniam ego pauper & egenus sum, humilis & despectus, vir dolorum in multis tribulationibus degens, opprobrium hominum, & abiectio plebis: * & præ nimia afflictionum miseria, cor meum conturbatur intra me. 22. Ad nihilum deuenit vita mea, abstulerunt me de vita isti impij, & finem meum appropinquare fecerunt, ad eum modum quo vmbra continuò ad nihilum tendit, postquam declinat, quando iam est sol occasui proximus: * & quemadmodum locusta nusquã habet fixã sedem, sed vbicunque reperitur, abigitur, loco pellitur, & velut excutitur: ita de hoc mũdo ego sum excussus, nimiæ persequutionis tumultu siue impetu, nec permittunt inimici in hac vita me habere requiem: * Item quomodo locustæ tanquam noxiæ, corrodentes terrenascentia, abiguntur & excutiuntur, vbi earum fuerit copia, sic & ego ab inimicis meis, tanquã noxius & pestifer homo, tanquã seductor & corruptor hominum, tollor de medio. 23. Vixi inter eos in magna sobrietate & tenuitate, continuò ferè ieiunans, & frequenter inediam patiens: tam eram occupatus in ijs quæ erant patris mei, in illis docẽdis atque erudiendis, vt ita nonnunquam præ vitium defectu nutarent & vacillarent genua mea, nec valere supra pedes firmus consistere: * & caro mea immutata est, facta velut marcida atque exustione consumpta, propter defectum olei: quoniã multo tempore absque vnctione fui, quicquid ad corporis cura attinebat negligens, propter orationis & prædicationis studium, ita vt propter cibi neglectum, viribus destituerer interius, & ob neglectam vnctionem (quã pro carnis reparatione aduersum nimium calore & exhalationum fœtorem homines vti solent) visa fuerit caro mea velut arefacta, & mirum in modum immutata. 24. Et ego in omnibus quæ agebam, factus sum illis in derisum, atque in opprobrium, & quasi ludum & iocum me sibi fecerunt: consideraverunt me, & in derisionis signum mouerunt super me capita sua. 25. Verum contra horum prauam malitiam, præbe tu mihi auxilium, ô domine Deus meus: illis me irridentibus atque subsannatibus, tu me adiuua

Rom. 6.

Psal. 21.

17 *Et induit maledictionẽ sicut vestimẽtũ:*
* *& intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleũ in ossibus eius.*

18 *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur:*
& sicut zona qua semper præcingitur.

19 *Hoc opus eorũ qui detrahunt mihi apud dominũ:* * *& qui loquuntur mala aduersus animam meam.*

20 *Et tu domine domine fac mecum propter nomen tuum:*
* *quoniam suauis est misericordia tua.*

21 *Libera me, quia egenus & pauper ego sum:* * *& cor meũ cõturbatum est intra me.*

22 *Sicut vmbra cum declinat, ablatus sum:*
* *& excussus sicut locusta.*

23 *Genua mea infirmata sunt à ieiunio:*

* *& caro mea immutata est propter oleum.*

24 *Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt me, & mouerunt capita sua.*

25 *Adiuua me domine Deus meus:*

Universidad de Deusto Biblioteca

* *saluum me fac secundum misericordiã tuã.*
26 *Et scient quia manus tua hæc:*
Hebr.10. * *& tu domine fecisti eam.*
27 *Maledicent illi, & tu benedices:*

Hier.25. Psal.84. * *qui insurgunt in me, confundantur, seruus autem tuus lætabitur.*
28 *Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua.*
29 *Confitebor domino nimis in ore meo:*
* *& in medio multorum laudabo eum.*
Ioan.8. 30 *Qui astitit à dextris pauperis:* * *vt saluam faceret à persequẽtibus animam meam.*

adiuua misericorditer: * de manu illorũ persequutorũ meorũ saluа me propter tuã misericordiam, cuius est semper miseris misereri, afflictisque in opportunitate adferre auxiliũ. 26. Et fac illos experiri, ꝙ hæc vltio tua sit, ꝙ punitio ista quã in se persentient, tua sit, ꝙ à te procedat: talem sentiant vindictã ab vltrice manu tua, vt cognoscant diuinũ sibi superueniſſe iudicium, vt cognoscãt in manus tuas se incidisse, in quas est horrendũ incidere: * & ꝙ tu domine istam omnẽ punitionem, & omnia mala ista in tua prævalida potẽtia feceris, induxerisq; super eos: ipso vltionis põdere cognoscãt, non humanũ, sed diuinum esse iudicium, quo obteruntur. 27. Maledicent quidẽ illi mihi seruo tuo, sed maledictio eorũ apud te cõuertetur in benedictionẽ: illi blasphemabunt, mala imprecabuntur, mala loquentur cõtra seruum tuum, cogitabunt afflictionẽ & perditionẽ: & tu ecõtrario cogitabis super seruo tuo cogitationes pacis & nõ afflictionis, salutis non perditionis: loqueris pacẽ erga seruum tuum, & bene itẽ facies illi in bona voluntate tua: * qui cõtra me hostiliter insurgunt, vt aduersentur mihi, vt me oppugnent, mihi noceãt, tua benedictione mihi præbẽte auxiliũ, confundetur, cũ non potuerint sui cordis impia perficere desideria, & ego seruus tuus cũ mihi adhærentibus, in te lætabimur adiutore, & saluatore nostro. 28. Qui detrahũt mihi, qui cõtra me loquuntur mala, ipsi induuntur confusione & pudore, & operientur confessione sua sicut indumẽto: sic eis adhæreat cõfusio, sic eos totos operiat, sic penit⁹ circumuestiat, sic eã vbique circũferant, qũo diplois siue vestimentũ adhæret corpori, & ipsum operit. 29. Ego verò illis datis in confusionẽ & opprobrium sempiternũ, collaudo dominum vehementer, & q̃ magnificentissime potero, per os meum & labia mea, canendo illi cãtica laudis & actionis gratiarũ: & in medio multorum, corã multis fidelibus, in medio Ecclesiæ sanctæ, palam omnibus laudes canã tibi ego, & quicunque mihi adhærint fideles mei. 30. Quoniã dominus Deus pater meus astitit mihi pauperi, cum in afflictione essem à dextris, tanquã paratus ferre afflicto auxilium, tanquã intẽdens mihi, atque saluti meæ prospiciens, non me reliquit solum, sed mecum adfuit in tribulatione: * ad hoc (inquam) mihi à dextris sic astitit, vt nõ sineret animã meam venire hostibus in perditionem, vt non eã permitteret in mortem æternã dari, aut in inferno permanere, sed de manibus persequentium eam faceret saluã in vitam æternam, quemadmodum & omnes qui ex mea parte sunt, ab omni malo saluos faciet in regnum suum cæleste & vitam æternam.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CVIII.

VErsu. 3. Pro eo vt me diligerent, detrahebãt mihi. In Græco est ἀντὶ τοῦ ἀγαπᾶν με, quod ad verbum sonat, Pro diligere me: quod Latini interpretes recte expresserunt circumloquendo, Pro eo, vt me diligerent, hoc est, loco eius quod me diligere debuerant, vt sit sensus, Cum me debuissent diligere, detrahebant mihi. Veruntamen Græca illa lectio, Pro diligere me, posset etiam aliter intelligi, ad hunc sensum, Pro eo quod ego dilexi eos, detrahebant mihi: hoc est, pro dilectione qua ego illos dilexi, vel propterea quòd ego illos dilexi, & propter opera dilectionis quæ illis ostendi, ipsi mihi reddiderunt mala detrahentes mihi. Cui sententiæ consonat quod vertit Hieronymus, Pro eo quod eos diligebam, aduersabantur mihi. Alij ex Hebræo vertunt, Pro dilectione mea, quod vtramque sententiam patitur. Potest enim hoc vel actiue vel passiue exponi, pro dilectione mea, videlicet qua ego diligo illos: vel pro dilectione qua ego diligi deberem ab illis, quemadmodum in H
versu quarto, cum dicitur, Odium pro dilectione mea. ¶ Versu eodem, Ego autem orabam. Exemplum hîc accipe, quomodo nõ statim ad blasphemias conuerti debeas, vbi hominum in quos beneficia collocasti, senseris ingratitudinẽ, quomodo nõ statim furere & exclamare debeas, vbi malũ acce-
Matth.5. peris pro bono, quemadmodum plerique faciunt, nõ recte instituti in patientia & lõganimitate Dei, qui solem suũ semper oriri facit super bonos & malos, gratos & ingratos: magis verò ad Deũ nos debemus cõuertere, vbi hominum persenserimus ingratitudinẽ. Idq; duplici ratione. Primum quidem, vt nosipsos consolemur in domino, ne in impatientiam corruentes, meritum perdamus operis boni, quod proximo, licet ingrato impendimus. Cogitare enim debemus, quod ad domini gloriã, ex bono corde & syncera voluntate, hoc aut illud fecimus: tametsi ille cui factũ est nõ eo animo id acceperit, tametsi pro bono malum reddat: atque ita, cum ab homine nullam viderimus redire gratiã, ad Deum tanto affectuosius conuersi, ipsum orabimus nostra quæ ingratis impendimus aspicere, acceptaque
Iucæ. 23. & grata habere, vt pro factis ipse nobis retribuat, ob cuius honorẽ ea fecimus. Secundo, pro illis in-
Actu.7. gratis ad Deum orabimus, vt beneficium beneficio cumulemus, quemadmodum, in cruce Saluator faciebat, & Stephanus optimi magistri bonus discipulus, inter volitantes lapides. ¶ Versu 7. Et episcopatum eius accipiat alter. Beatus Petrus Apostolus, in primo capite actuum Apostolicorum verba faciens

A ciens coram fratribus, hanc partem peculiariter ad Iudam proditorẽ refert, cum ita ait, Viri fratres, oportet impleri scripturã, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum Actu.1.
qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat nobis, & sortitus erat sortem ministerij huius. Et post pauca. Scriptum est in libro Psalmorũ, Fiat commoratio eorũ deserta, & non sit qui inhabi- Ibidem.
tet in ea: Et episcopatum eius accipiat alter. Et quidem de Iuda, quomodo præsens locus sit impletus notissimũ est, Aduertendum tamen, quòd nõ omnino singulariter Psalmus intelligatur de Iuda pro- Psal. 108.
ditore & duce eorum qui comprehenderunt dominum, verumetiã de omnibus quorum consilio & auxilio ille suam proditionem exercuit, & quorum consensu Christus interfectus fuit. In hoc autem
numero fuerunt primi, Scribę, Pharisæi, & seniores populi, deinde & populus vniuersus, qui corã Pi- Matt. 27.
lato clamauit, dicẽs, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Propter quod, nos in Elucidatione ostendimus, quomodo etiam de his præsens particula intelligatur, quomodo videlicet Scribarum & Pharisæorum episcopatum alij acceperũt, similiter & episcopatum totius Iudaici populi populus alter. Cæterum, quòd ante hunc versum septimũ in Psalterio Romano ponitur versus alius, qui non est in Hebræo, neque in Græco, neq; in Psalterio Gallicano, videlicet iste, Fiat habitatio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, videtur hoc factum esse ex eo quod B. Petrus hos duos versus in supra
B citato loco pariter iunctos adduxit, vt videri possit, ex Psalmo vno duos illos versus fuisse à Petro citatos. Verum non ita res habet. Nam versus ille, Fiat habitatio, &c. ex psalmo 68. adducitur, qui sicut & iste, malas imprecationes videtur continere. ¶ Versu 9. Nutantes transferantur filij eius. Clarius ex Hebræo legunt Hieronymus & Felix, instabiles vagentur filij eius. Nutantes enim, valet, instabiles. Qui enim nutant, firmi non sunt, neque bene stabiles, dum hac & illac mouentur. ¶ Versu 10. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius. Potest illud dupliciter intelligi. Primo, secundum violentiam, accipiendo fœneratorem pro exactore: quomodo fieri solet in ciuitatibus bello captis, & hostibus superatis, vt ab ijs qui rei illi præfecti sunt, diligenter perquirantur omnia, & abripiantur, auehanturque ab hostibus, quam sententiam nos in Elucidatione expresimus. Neq; male consonat quod vertit Hieronymus, Scrutetur exactor vniuersa quæ habet: similiter Felix, perdat vel illaqueat exactor vniuersa quæ habet: & Chal. Paraph. Colligat fiscus omnia quæ ipsius sunt. Consonat & quod mox subditur, Et diripiant alieni labores eius. Potest etiam intelligi, ratione nimiæ indigentiæ & inopiæ, vt significetur summa inopia, ita vt præ nimio defectu omnia quæcunque habuerint, veniant in manus & potestatem fœneratoris, accipiendo fœneratorem proprie pro vsurario, vel pro
O eo qui dat mutuum. Ita enim frequenter contingit, homines tantis obstringi debitis, vt soluendo nõ sint: ac tunc fœnerator siue creditor vniuersa illorum bona (vt dicere solent) confiscat & obstringit,
C vt ex illis possit solutionem accipere debitorum. Atque ita, summæ egestatis & extremæ inopiæ est hæc imprecatio. ¶ Versu 13. In memoriam redeat iniquitas patrum in conspectu Domini. Quod hic Matth.13.
dicitur de rememorandis parentum iniquitatibus, in punitione filiorum, in eandem sententiam videtur accipiendum esse, qua in Euangelio Saluator impiorum Iudæorum prædicens pœnam, dicit sanguinem omnium Prophetarum ab Abel vsque ad Zachariam requirendum esse ab illa generatione, Ita (inquit) dico vobis, requiretur à generatione hac. Cuius verbi sententia talis esse videtur, Tam grauis vltio, & tam diuturna punitio Dei iudicio ventura est super hanc generationem (quæ patrum mensuram impleuit, Prophetarum dominum Dei filium persequendo & interficiendo, cum patres non nisi seruos Prophetas persequuti fuerunt) vt videatur vltio fieri super istos præ effusione sanguinis omnium prophetarum, qui fuerunt à principio interfecti: tam ipsi grauiter & seuere punientur, acsi pro omnibus illis suorum peccatis punirentur. Atque in hunc modum conuenientius videtur, præsentem passum intelligi, Quanuis possit aliter exponi dicendo, Quòd filij temporaliter puniuntur pro peccatis parentum. Sed quia peccatũ eorum qui interfecerunt Dominum, vt Iudæ proditoris, Scribarum & Pharisæorum, per se nimium graue fuit, & tam enorme, vt illius comparatione peccata patrũ videri possint admodum modica, & ipsum eorum proprium peccatum omnẽ hanc punitionem abundè fuit promeritum, atque etiã longe maiora: iccirco nobis videtur conuenientius, iuxta priorẽ expositionem præsentem locum enarrari, & non de punitione eorũ propter peccata pa-
D rentum quasi proprium eorum peccatũ non satis dignũ fuerit tanta vltione, nisi adiungatur & alienа. ¶ Versu 16. Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Quo modo verum hoc est, impios diligere maledictionẽ & nolle benedictionem? cum videamus etiã pessimos homines, si interrogentur, benedictionẽ malint an maledictionem, respondere, vtiq; benedictionem, non maledictionem. Sciendum ergo, ꝙ non ipsam maledictionem secundum propria rationem, vel secundum considerationem maledictionis, diligunt impij neq; amant, neque volunt, neque quærunt: ob hoc tamen dicuntur maledictionem diligere, quoniam ea diligunt & concupiscunt, illis intendunt, & illa agunt, ad quæ per se consequitur ex decreto iustitiæ Dei æterna maledictio: & econtrario benedictionẽ nolunt, auersantur, & fugiunt, quatenus illa fugiunt, & auersantur, ex quib⁹ secundum decretũ Dei, consequerentur benedictionem æternæ hæreditatis, id est, quatenus virtutes auersantur, & sequuntur vitia. Secundum quem modum, de ijs qui faciles sunt ad percutiendum gladio, siue ad dimicandum cum socijs, cum fortè quempiã interfecerint, vel ipli ab alio fuerint interfecti, dicere solent homines, inuenisse eos tandem quod multo tempore quæsierant: & cum qui multum tempus vixit prodigè, cum tandem ad paupertatem deuenerit, dicunt vulgò homines, inuenisse quod quæsiuit. ¶ Versu 19. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, Particula apud Dominum, iungenda est, non cum verbo detrahunt, vt sit sensus, Qui detrahunt mihi apud Dominum, sed cum prioribus, ad hunc sensum, Hoc erit apud dominum, opus eorum qui mihi detrahunt.

Nouè autem hîc dicitur, opus eorum, pro punitione, retributione, vel mercede eorum. Non enim E
est sensus qui prima facie se offert, Hoc est, vel erit opus, quod operantur illi qui mihi detrahunt, sed
opus eorum passiue exponi debet pro opere quod eis fiet, vt sit sensus, Ita apud dominum, vel à do-
mino cum eis agetur, sic à domino fiet illis, sic tractabuntur, sic punientur à domino, qui mihi detra-
hunt. Quam sententiam clarius exprimit Hieronymus, his verbis. Hæc est retributio ijs qui aduer-
santur mihi, à Domino. ¶ Versu 25. Et caro mea immutata est propter oleum. Quidam hoc intelli-
gunt propter vsum olei esse immutatam carnem. Verum id non videtur originali lectioni Hebraicæ
bene consonare, neque etiam rationi. Hieronymus enim vertit, Caro mea immutata est absq; oleo:
hoc est propter defectum olei. In quem sensum nos in Elucidatione sumus interpretati vulgatam le-
ctionem propter oleum exponentes, propter defectum olei. Quod licet improprie dictum videa-
tur, tamen ad sententiam magis quadrat, quàm si exponamus, propter vsum olei. Nam olei vsu non
Psal.103. Matth.6. immutatur caro in peius, sed magis in melius, sicut in alio Psalmo dicitur, Vt exhilaret faciẽ in oleo.
Et Saluator in Euangelio, volens ieiunantes docere exteriorem lætitiam, vult caput inungi oleo, &
lauari faciem. Vnde sicut apud nos, illota manere facie ad tristitiam spectat, sic apud veteres in tristi-
tia promissionis, non vngi oleo vel vnguento, ad tristitiam & luctum pertinebat, quemadmodum ex
multis veteris scripturæ locis est manifestum. ¶ Versu vltimo, Qui astitit à dextris pauperis, vt sal-
uam faceret à persequentibus animam meam. Esse à dextris, vel stare, siue stare à dextris, aliquando F
Psal. 15. in bonam partem sumitur, veluti Psalmo 15. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quo-
niam à dextris est mihi, ne commouear. A dextris enim est Deus illi, cui semper in auxilium est pa-
ratus: in quem fere sensum & illud videtur accipiendum, quod dicitur in Psalmo, Dominus prote-
ctio tua super manum dexteram tuam. Aliquando autem stare à dextris accipitur in malam partem,
Psal. 120. velut in hoc ipso Psalmo, qui iam est in manib⁹, cum dicitur, Constitue super eum peccatore, & dia-
bolus stet à dextris eius. Sic autem ad dexteram stare in malum, est assistere ad tribulandum, ad ve-
xandum, & quasi captiuum in potestate tenere, ac trahere, & agere quò voluerit ille qui sic ad dexte-
ram astat, quemadmodum ex Elucidatione est manifestum.

CIX. PSALMI ARGVMENTVM.

*PEculiari quadam illuminatione illustratus Psalmista, sequentem cecinit Psalmum, Christi hominis exalta-
tionem potissimum describens in patris dextera, ac super inimicos perfectam victoriam, cum pleno domi-
nio: quod per resurrectionem quidem & ascensionem incœptum est, perfectus q; implebitur in consummatione
sæculi, iuxta quod Apostolus Paulus capite 15. prioris epistolæ ad Corinthios declarat. Christi quo q; ortum, G
temporalem ex Iudæis secundum humanitatem, ex patris autem substantia processionem æternam consequenter
describit, & sempiternum à patre sibi datum sacerdotium, Ac deinde specialius atq; distinctius victoriæ prius
in generalitate prædictæ modum, & ipsius exultationis causam manifestans ita terminat Psalmum, verbis qui-
dem parcum, sed mysteriorum plenitudine copiosissimum.*

CENTESIMINONI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.*

DEus pater omnipotens, omnium dominator, Christo filio suo, totiusque humani generis saluatori iussit, morte deuicta & opere laboriosissimo redemptionis humanæ, ad quod exierat consummato, in dextera suæ considere, atque in æqualitatem paternæ gloriæ conscendere: dans illi potestatem super omnia quæ in cælo & quæ in terra, iudicemq́ eum constituens viuorum & mortuo-
Matt.28. Actu.10. rum. 2. Quin & futurum est, vt suo tempore pater filio subijciat om-
2 *Donec ponam inimicos tuos:*
** scabellum pedum tuorum.*
nes aduersarios eius, & inuisibiles malignos spiritus, & homines infi-
deles siue inobedientes, subiectione adeò plena atque perfecta: * quo-
modo scabellum sub pedibus est eius cui supponitur, quod humillime H
vtique, & vilissime constat sub alio prostratum atque subiectum esse,
& in plena esse calcantis voluntate, vt pro suo libito illud voluere pos-
sit atque reuoluere. Et huiusmodi profecto erit post iudicium dæmo-
num atque malorum hominum sub Christo misera, vilis, & plenissima
subiectio: necessitatis: dico, non bonæ voluntatis. 3. Omnipotens pater
3 *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion:*
ex Iudæorum populo suscitabit, surgereq́ue faciet & nasci bæculum,
in quo tu Christe fili Dei saluator mundi demonstraturus es & perfe-
cturus fortitudinem tuam: hoc est, carnem te assumere faciet, atque
humanitatem accipere, per quam velut instrumentum potentissimæ
diuinitatis tuæ, fortissimum humanæ redemptionis opus perficies:
** dominare in medio inimicorum tuorum.*
* atq; ita comparabis tibi dominium & principatum super omnes ini-
micos & aduersarios tuos per circuitum, & plenius atque perfectius
4 *Tecum principium,*
es accepturus in nouissimo venturo examine. 4. Neque verò mirum
id videri debet, quòd tantam per infirmum corpus humanum assum-
ptum feceris victoriam, quoniam secundum diuinitatem tuam coæ-
ternus es tuo principio, id est, tuo patri, à quo æterno coæternus pro-
cedis,

A
** in die virtutis tuæ,*
** in splendoribus sanctorum:*
** ex vtero ante luciferum genui te.*

cedis, & ipse semper est tecum, & tu semper cum illo & apud illum es:
* in die æternitatis tuæ, duratione sempiterna, quæ nunquam defluit,
nunquam labitur, nunquam deficit: * In hac (inquam) die tecum est
pater tuus, & es tu cum patre tuo, non quemadmodum inter homines
ad tempus apparuisti in infirmitate & vilitate, sed in splendore & cla-
ritate paternæ gloriæ, qua splendent omnes sancti, patri tuo vt in du-
ratione coæternus, ita in gloria coæqualis existens: * Neque id mirum:
quandoquidem ipsemet pater de te testificatur, quòd ab æterno ante
omnem creaturam tam inuisibilem quàm visibilem, te genuerit, & gi-
gnat semper: ex vtero, id est, sua naturali fœcunditate, de propria sub-
stantia atque essentia, sibiq́ue consubstantialem, ac proinde per omnia
æqualem. 5. Omnipotens pater quasi iuramento confirmatum firmis-
5 *Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum:*
sime statuit & ordinauit, neque vnquam retractabit, te fore sacerdotẽ
sacerdotio sempiterno, quod nunquam mutabitur, siue per alterius
superuenientis sacerdotij innouationem, siue per alterius sacerdotis
B * *secundum ordinem Melchisedech.*
hæreditariam, vel aliam quamlibet successionem: quemadmodum de
veteris legis Aaronico sacerdotio factũ constat: * sacerdotio (inquam) Hebr. 7.
secundum similitudinem Melchisedech, qui tui sempiterni sacerdotij
typum gessit, panem offerens & vinum, sine patre in scripturarũ nar-
ratione inuentus ac sine matre, & prorsus absq; genealogia, finem die-
rum ac principium non habens, secundum nomen rex pacis atque iu-
stitiæ, non autem secundum similitudinem Aaron, qui corporales ho-
6 *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges.*
stias legitur immolasse, cuiusque sacerdotij initium in scriptura aperte Psal. 15.
describitur, atque item hæreditaria filiorum successio. 6. En Deus pa- Ioan. 8.
ter omnipotens, totaque adeò diuinitas, quę tibi Christo homini sem-
per à dextris præsens astat in auxilium, quæ solum te nunquam relin-
quit, ipsa per instrumentũ tuæ humanitatis, in tempore vltionis, quan-
do iram suam aduersus oppressores & iniustos possessores generis hu-
mani voluit ostendere quam vsque tunc videbatur propter patientiã
& dissimulationem continuisse. In die (inquam) sue huius iræ, eos qui
C
7 *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas:*
per tyrannidem regnum huius mundi occupabant, ipse confregit, hu-
miliauit, atque eorum virtutem imminuit: quando huius mundi prin-
ceps & mundi rectores tenebrarum harum, per Christi mortem iudi-
cati sunt, atque foras eiecti. 7. Tunc vtique iudicium fecit pro miseris
misere oppressis gentium populis, eos de manu oppressorum per te
Christum liberando: * eorum quoque ruinas & casus miserandos im-
pleuit, quos olim ab angelorum bonorum consortio proiecit, nunc
etiam à suo regno & principatu foras eijciens, quos tandem quoque
** conquassabit capita in terra multorum.*
omnes est in abysi profundum demersurus: * Sed & plurimorum su-
per terram commorantium infidelium atque peruersorum hominũ,
qui membra sunt & filij diaboli, comminuet capita, eosq́ue morte fe-
riet sempiterna. Siquidem cum peruerso diabolo condemnabuntur,
8 *De torrente in via bibet:*
qui ex parte illius sunt, infideles atque peruersi homines, qui nunc as-
sistunt contra Dominum & Christum eius. 8. Quod si quis forte re-
quirat, vnde Christo homini tanta prouenerit gloria in patris dexte-
ra? Certe in via mortalitatis huius, inque hac peregrinatione, turbi- Philip. 2.
dissimas atque amarissimas gustauit, & abunde bibit sæculi huius pas-
siones atque miserias: quoniam vsque ad mortem crucis humiliauit
D * *propterea exaltabit caput.*
semetipsum: * Atq; ob hoc exaltatum est caput eius super omnia quæ
sunt in cælo & in terris, hoc est, exaltatus est & sublimatus creaturis
omnibus altius, in dextera Dei, in gloria patris sui, quando datum est Ibidem.
illi nomen à patre, quod est super omne nomen, ita vt in eius nomine
omne flectatur genu, eiq́ue omnis lingua confiteatur quòd sit in glo-
ria Dei patris, AMEN.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CIX.

PRæsentem Psalmum de Christo intelligendum, ipsemet in Euangelio testatur, cum Scribas atq; Matt. 22.
Pharisæos tentans interrogat de Christo, cuius filius sit: vbi adducens hanc Psalmi authoritatem
Dauidem ita scribentem, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, ait Christum appellare
suum Dominum. Quomodo (inquit) eum Dauid appellat Dominum, si filius eius est? Ipsi quoque Ibidem.
Scribæ & Pharisæi interrogati, dum silent, neque propositam quæstionem valent dissoluere, osten-
dunt similiter de Christo, se hunc Psalmum intelligere. Alioqui statim fuisset illis in promptu quod
respondérent dicendo, non loqui illic Dauidem de Christo, sed de alio aliquo. Insuper Paulus Apo- Hebr. 1.
stolus primo capite epistolæ ad Hebræos, comparationem faciens Christi ad angelos, secundum su-
perexcellentiam, præsentem locum adducit, vt de Christo dictum. Ad quem (inquit) angelorum ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quandō dictum est, Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo- E
rum? Quasi dicat, Ad Christum legimus hoc dictum apud Psalmistam: ad angelos, aut angelorum
aliquem non legimus. Quapropter manifeste vani sunt, quī post tam euidentia testimonia subterfu-
gere volentes, Psalmum hunc conantur interpretari de Dauide, quasi eum Dauid de se composue-
rit, vt de sui regni præcellentia, & spirituali sacerdotio, ac perfecta super inimicos victoria, profere-
dum & decantandum à suo populo. Horum (inquam) conatus manifeste vanus ostenditur, dum &
Christi & Apostoli testimonio, de Christo Domino comprobatur Psalmum esse intelligendum.
¶ Versu 1. Sede à dextris meis. Non fecit pater cōsidere filium à sinistris, ne significetur patre minor,
qui est vnum cum patre: non rursum fecit illum sedere super caput, ne significetur superioritas filij:
sed à dextris vt sederet dixit, ad significandum æqualitatem regni & imperij. Sed hic forte obijcias,
Si ad dextram sedet filius, pater ergo ad sinistram residet, & significatur filio inferior. Dicendū, quòd
in diuinis, cum more humano loquimur, ad significandum conceptam veritatem, quam non aliter
nisi humano more eloqui sufficimus, oportet imperfectiones secludere, & tantum id quod perfectū
est, intelligere. Vnde licet in rebus humanis, qui alium ad dexteram collocat, ipse sedeat ad sinistram
illius qui ei est ad dexterā: in diuina tamen sessione, dextera absque sinistra debet intelligi. Non enim
ibi simstra intelligitur, vbi non est inæqualitas. Nec ideo pater ad sinistram sedet filij, quia filium ha-
bet sibi ad dexteram residentem: sicut non est filio minor, pater, quia coæqualem sibi habet filium. F
¶ Versu 2. Donec ponam inimicos tuos scabellū pedum tuorum. Operæprecium est, aduertere vim
& significationem particulæ donec, quam in vsu habet scriptura. Plerisque enim in locis exceptionē
& exclusionem non designat, quemadmodū ex vulgari vsu solet accipi, sed consequutionem & quasi
expectationem alicuius quod futurum est. Vnde in proposito loco non volebat per exclusionē Pro-
pheta asserere, Christum sessurum in patris dextera, vsquedum ponantur inimici sub pedibus eius:
quasi tunc à patris dextera illi foret emigrandum, vbi illud esset impletum quod prædicit futurum:
interim verò donec illud impleatur inibi resideat: sed tantum significatur, Christo iam residente ad
patris dexteram, hoc insuper expectari restare & supereſſe, implendum que adhuc & sequuturum, vt
ita subigantur illi omnes inimici, quomodo scabellum subijcitur pedibus. Ita cum in Psalmo mox
Psal. 111. sequenti 111. de iusto dicitur, quòd non sit commouendus donec despiciat inimicos suos, non ita se-
cundum exclusionem intelligit Propheta, quasi tunc sit iustus conturbandus, cum eo peruenerit vt
inimicos despiciat, interim verò sine conturbatione existat (est enim id prorsus absurdissimum) sed
hoc tantum significare volebat, iustum nunquam commouendum, imò sequuturū adhuc & implen-
dum aliquando, vt non solum non conturbetur ab inimicis, sed etiam pro nihilo eos despiciat. Item
Matth. 1. cùm Matthæi primo dicitur, Ioseph Mariam non cognouisse, donec ipsa peperit filium suum primo- G
genitum, sensus non est per exclusionem accipiendus, quasi vsque ad tempus partus, Ioseph à Maria
abstinuerit, pòst verò eam cognouerit (est enim hoc sanæ fidei repugnans) sed mera significatur con-
sequutio, acsi dicatur, Non cognouit eam Ioseph, & factum est, sequutum est deinde, & suo tempore
impletum est, vt pareret filium suum. Huius particulæ ita semel latius explicatæ declaratio sufficiat
& pro cæteris locis, vbi forte eandem in consimili acceptione poni contigerit. ¶ Versu eodem, Do-
Rom. 8. nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nota differentem subiectionem inimicorum
Christi, à subiectione amicorū & electorum eius. Erunt enim & amici siue electi Christi ei subiecti,
& summe subiecti, subiectione perpetua: sed quomodo filij subiecti sunt patri, dulci, voluntaria &
nobili subiectione, quomodo filij regis regi subiecti sunt, & quomodo primogenito in multis fra-
tribus fratres cæteri non primogeniti, quomodo primo hæredi facti cohæredes, sicut naturali filio
adoptione tantum facti filij. Nequaquam autem de his amicis Christi dicitur, quòd ponentur quasi
scabellum sub pedibus eius. Nam longe aliter ipse de eis Christus loquitur, dum in sacra Apocalypsi
Apoc. 1. sic ait, Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in
Ibidem. throno eius. Et iterum, Qui vicerit & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem su-
Psal. 2. per gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à pa-
tre meo, & dabo illi stellā matutinam. Et in Euangelio suis fidelibus amicis magna dispōnit, dicens, H
Luc. 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono vobis, sicut dispositit mihi
pater meus, regnū, vt edātis & bibatis super mensam meā in regno patris mei. Ista quæ amicis Chri-
sti promittuntur quàm longe absunt ab eo quod nunc de inimicis dicitur, quod sint ponendi quasi
scabellum pedum eius: vt significetur horum extrema futura despectio, quomodo illorum erit sum-
ma exaltatio. ¶ Versu 3. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Per virgam virtutis in Eluci-
datione intelligimus corpus Christi, siue humanitatem assumptam, quę fuit ei quasi baculus fortitu-
dinis, in qua fortiter egit, & fortitudinem suam demonstrauit. Ita enim in generis humani saluatione
& inimici cōtritione se habuit Christi humanitas, sicut se habet virga, baculus aut gladius, quo quis
ad percutiendum vtitur. Quemadmodum enim virga, baculus, aut gladius per se non inimicum in-
terficeret, neque innocentem liberaret, nisi ipsum dextera fortis viri dirigat & impellat, nisi eo vt in-
strumento percutiens aut pugnans vtatur: sic corpus Christi assumptū, assumptaque humanitas, per
se nunquam generis humani inimicum contriuisset, nunquam liberasset humanum genus, si non ad-
iuncta fuisset virtus diuinitatis, quæ per assumptam humanitatē, vt per instrumentū conueniens po-
tenter fuisset operata. Quomodo autem Christi humanitas in opere humanæ redemptionis fuerit
quasi instrumentum, ipsa autem virtus diuinitatis principale efficiens, apud sacros Theologos tertio
sententiarum Theologicarum libro plenius tractatur. Potest tamen non minus cōmode, per virgam
virtutis intelligi verbum fidei & prædicationis Euangelicæ: quod ideo Deus emisisse dicitur ex Sion
quia

A quia ex Iudæa, in qua per seipsum Christus prædicauit, in omnes deinde fines orbis terrarū, per Apo-
stolorum prædicationē, ipsum Deus fecit diuulgari, iuxta illud Esaiæ Prophetę vaticinium, De Sion Esaiæ 2.
exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Hoc autem verbum Euangelicæ prædicationis, vtique
virga virtutis & fortitudinis est magnæ, qua percussi sunt principes tenebrarū, & infideles gentium
populi salubriter sunt conuersi. De qua virga illud etiā potest intelligi quod de Christo apud Esaiā Esaiæ 11.
legitur, Percutiet terram virga oris sui: atque etiam illud quod in Psalmo secundo dicitur, Reges eos Psal. 2.
in virga ferrea, quemadmodum in annotatione huius versus latius & plenius declarauimus. Iterum
per hanc virgam virtutis accipere possumus ipsum Christi imperium siue regnum, quemadmodum
dicitur in alio Psalmo, Virga directionis, virga regni tui, hoc est, sceptrū regni tui, est sceptrum recti- Psal. 44.
tudinis, id est, regnum & imperium tuum est in iustitia & rectitudine. Atque hæc etiā virga virtutis,
hoc sceptrum virtutis: hoc regnum Christi forte & prævalidum emissum est ex Sion, quia in Iudæa
cœpit Christiana fides, & regnum Ecclesiæ, atque à Iudæa in gente sese dilatauit. ¶ Cæterum, domi-
nium illud in medio inimicorum (cuius in secunda parte fit mentio) intelligi potest in bonam par-
tem vel in malam, id est, vel de dominatione qua gentibus factis per Apostolicam prædicationē fide-
libus nunc dominatur per totam Ecclesiā, qui prius fuerant increduli & inimici Dei: vt qui prius ab
ipso fuerant alieni & sine Deo, nunc in illorum medio habitet Deus, & inambulet inter illos, sitque
B illorum Deus, & ipsi populus eius. Vel de dominatione, qua omnibus generaliter dominatur, etiā ijs Esaiæ 52.
qui sanctum nomen eius blasphemant, impugnant, & oppugnant. In medio autem inimicorum do- 2. Cor. 6.
minatio, significat dominationem omnium qui sunt in circuitu, ab omni parte, vbicunque locorum
consistant, nullis exceptis. Quod enim in medio est, omnibus extremis æque est proximum. Si priori
modo intelligas, inimicos accipe secundum præteritum tempus, videlicet qui aliquando inimici fue-
runt. Si posteriori, secundum tempus præsens, qui adhuc inimici existunt. Nam & ij qui peruersa ad-
huc voluntate Christo sunt inimici, coguntur nihilominus velint nolint eius ditioni esse subiecti, nec
est effugere eius dominiū, in cuius ditione cuncta sunt posita, & cuius pedibus à patre subiecta sunt
omnia. ¶ Versu 4. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum. Loco principij Psal. 8.
in Græco nomen ἐρχὴ, quod indifferenter significat principium vel principatum. Vnde quidam pu- 1. Cor. 15.
tant ex Græco vertendum fuisse, Tecum principatus in die virtutis tuæ, hanc assignantes intelligen-
tiam, Tecum est principatus regnum & imperium in hoc tempore virtutis & gloriæ, in quo nunc
post resurrectionem à mortuis regnas in splendoribus sanctorum, in gloria beatorum, tanquam pri-
mogenitus, post transactū in hoc mundo diem infirmitatis, tempus passionis & miseriæ, cui ad tem-
pus voluisti te subdere causa salutis humanæ. Et hæc quidem lectio non incommodam habet sentē-
tiam. Veruntamen, vtraque translatio Psalterij, tam Romana quàm Gallicana, non principatum ha-
C bet, sed principium quomodo nos in Elucidatione sumus interpretati, per principium intelligentes
patrem, qui est principium filij, id est, à quo semper gignitur, semperque procedit filius, quemadmo-
dum pater & filius indifferens sunt principiū spiritus sancti. Hoc autem principiū, cum Christo fuit,
& est in die virtutis, per quam nos intelligimus durationem æternitatis: diem videlicet illam quæ in-
dicatur Psalmo secundo, cum ex ore patris dicitur, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Christus Psal. 2.
enim homo simul & Deus existens, non solum diem habuit infirmitatis durationem vitæ huius tem-
poralis, verumetiam diem æternitatis, quæ est dies virtutis, non infirmitatis: illam quidem secundum
humanitatem adhuc mortalem, hanc verò secundum diuinitatem immortalem. Est autem in hac die
die virtutis cum filio principium eius, id est, pater in sanctorum splendoribus: quia in æternitate si-
mul viuunt in magnifico splendore & immensa gloria, vnde sanctis omnibus tam angelis quàm ho-
minibus sua procedit gloria. Omnis enim gloria sanctorum, quædam est refulgentia & imago, quæ-
dam illius immensæ claritatis & gloriæ, qua in æternitate pater & filius gloriantur atque refulgent.
Aut diem istam virtutis intelligere possumus tempus illud, in quo post passionem & resurrectionem 2. Cor. 13.
iam regnat gloriosus. Nam hoc tempus rectè dies virtutis dicitur, quia (iuxta Apostolum) & si olim Actu. 10.
semel passus sit ex infirmitate, nunc tamen viuit & regnat ex virtute Dei, iudex constitutus viuorum Marc. 19.
D & mortuorum, sedensque ad dexteram Dei. In hoc autem die, quomodo cum ipso sit principium in
splendoribus sanctorum, per se quisque ex prædictis intelligit. Veruntamen præter prædictas expo-
sitiones, potest etiam aliter, & pene contrario modo dies ista virtutis intelligi, ipsum tempus passio- Ioan. 1.
nis & mortis, quo agnus Dei tulit peccata mundi, quo moriēs Christus operatus est salutem in me- Psal. 73.
dio terræ. Quæ sane dies, tametsi infirmitatis videretur & miseriæ, quantum ad humanum iudicium,
ratione passionis & mortis, quam secundum humanitatem ille pro nobis ferebat, tanquam agnus
immolatitius: vere tamen dies erat virtutis & fortitudinis, quando virtutem magnam fecit agnus,
opus redemptionis humanæ, quod non nisi maximæ virtutis atque potentiæ erat: quando vicit leo
de tribu Iuda, radix Dauid: quando agnus qui occisus est redemit nos Deo in sanguine suo, ex omni Apoc. 5.
tribu & lingua & populo & natione, & fecit nos Deo regnum & sacerdotes. Quis enim dubiter, Apoc. 1.
diem hanc appellare diem virtutis, in qua tantę fortitudinis opus peractum est? In hac autem die non & 5.
abfuit Christo principium suum, id est, pater, neque illum reliquit solum. Non enim humanitas di- Ioan. 8.
uinitate erat destituta, sed fuit cum illo & in illo principium, pater, vt per filium suum opus perfice-
ret redemptionis humanæ. Non enim potuit coæternum sibi & coæqualem filium, quem gignit ex
vtero ante luciferum, in passionis tempore derelinquere, qui pauperibus est adiutor in opportunita- Psal. 9.
tibus, in tribulatione. Erat ergo cum Christo suū principium in die virtutis, & erat cum eo in splen-
doribus sanctorum: hoc est, vt sanctis suus compararetur splendor, vt electi suam acciperent glo-
riam, ad quam ab æterno fuerant prædestinati. Ita enim oportuit Christum pati: & sic introire in

Lucæ 24. Hebr. 2. gloriam patris, ſicque & electis ſuam gloriam communicare: & (vt Apoſtolus ait) authorem ſalutis ſanctorum per paſsionem conſummari decebat. ¶ Verſu eodem, Ex vtero ante luciferum genui te. Hæc particula, vt ex ore patris ad filium pronunciata debet accipi: poteſtque vel de generatione Chriſti æterna, ſecundum diuinitatem, vel de temporali ſecundum humanitatem exponi. Verum in vtraque expoſitione, nonnihil prima fronte apparet difficultatis. Sic enim de æterna generatione exponas, quomodo ex vtero pater filium ſic genuit, qui non habet vterum, neque vllam habet coæternam coniugem, ex qua more generationis humanæ æternum filium æternaliter gigneret? Secundum generationem nanque æternam, Chriſtus matrem neſcit, quomodo ſecundum temporalem natiuitatem patrem temporalem non habet. Quomodo ergo dicere poteſt pater, quòd ex vtero ante Luciferum gignat filium, cum nec ex vtero proprio, nec ex vtero alieno? Si verò de natiuitate temporali exponas, quomodo hæc generatione filium pater genuit ante Luciferum? Nónne (iuxta Apoſtolum) quando venit plenitudo temporis, tum miſit ſuum filium Deus in mundum natum ex muliere, factum ſub lege, & cætera? Quòd ſi in temporis plenitudine ex vtero mulieris illum genuit, quomodo ante Luciferum id fecit? Oſtendendum eſt ergo, quomodo vtrunque hoc incommodum debeat diſſolui. Et quidem quod ad priorem expoſitionem attinet, omne incommodum euadis, ſi metaphorice generationem ex vtero intelligas. Quomodo enim in ſcripturis Deo, manus, caput, pedes, aures, oculos, legimus attribui, cum ipſe horum membrorum nullum ſecundum veritatem habeat: ſic & vterum in illo poſſumus deſignare, ratione naturalis ſuæ perfectiſſimæ fœcunditatis: qua tam eſt fœcundus, tamque efficacis in generando virtutis, vt abſque coniuge, de ſua ipſius ſubſtantia, poſsit gignere filium, non ſolum ſibi ſecundum ſpeciem ſimilem, verumetiam ſibi conſubſtantialem, vnius eiuſdemque ſubſtantiæ, vt ſint pater & filius vna ſubſtantia & eſſentia vna. Nulla autem creatura, quantumuis præcellens, quantumuis nobilis, ſecundum genus ſuum, proprie dici poteſt genita ex vtero Dei. Omnia nanque creata fecit Deus quaſi artifex, creator & conditor, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, & iuxta ideas ſiue formas quæ ſunt in mente diuina: non quaſi pater genuit, naturali fœcunditate, ſed ſua ſubſtantia. Quantum verò ad ſecundam expoſitionem, effugitur incommodum, ſecundum prædeſtinationem æternam ſermonem intelligendo, vt ſit ſenſus, Ante omnem creaturam, ante mundi conſtitutionem, ego propoſui, præordinaui, prædefiniui, per ſolius ſpiritus ſancti fœcundationem te ex vtero virgineo immaculato immaculatum gignere in temporis plenitudine, ad perficiendum opus redemptionis humanæ, Quemadmodum cum Eccleſia, illa quæ apud Sapientem dicuntur de æterna ſapientia, Ab initio & ante ſæcula creata ſum. Ante omnes montes & colles ego parturiebam, & ſimilia ſecundum piam deuotionem accommodat Deiparæ Mariæ, manifeſtum eſt ea debere accipi ſecundum prædeſtinationem & præuiſionem Dei. Et illud quoque intelligendum, quòd per Luciferum æquè intelligi poſsit ſiue ſpiritualis ſiue corporalis creatura. Angelica enim natura rectè dicitur Lucifer, quatenus limpiditate naturalium donorum relucens, ex ſua naturali conditione abſque omni commixtione eſt tenebrarum & corporeæ obſcuritatis, & abſque omni malitiæ caligine. Vnde & communiter ſacri doctores illud Eſaiæ, quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris: quod de rege Babylonis ſecundum literam dicitur, exponunt de illo angelorum primo, qui ſe contra Deum erexit per ſuperbiam. Quod ſi Lucifer materialis ſtella accipiatur, debet ſub particulari ſtella tota multitudo ſtellarum intelligi: vt ſit ſenſus, Ante omnium ſtellarum conditionem, antequam ſtellæ eſſent creatæ, id eſt, antequam quicquam eſſet corporale creatum. ¶ Verſu 5. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Hunc locum tractans Paulus Apoſtolus ſeptimo capite Epiſtolæ ad Hebræos, multis rationibus oſtendit Melchiſedech ſacerdotem typum fuiſſe & figuram ſummi ſacerdotis CHRISTI. Et primum quidem nominis interpretationem applicat CHRISTO, quoniam Melchiſedech ſecundum vim Hebræi idiomatis ſignificat regem iuſtitiæ. Appellatio quoque loci, in quo regnabat ille, Chriſto conuenit: quoniam rex erat ſalem, id eſt, rex pacis. Inſuper & hoc notat Apoſtolus, quòd ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, id eſt, ſine patre & ſine matre fuerit, & omnino ſine genealogia: quod non ita eſt intelligendum, quaſi ipſe nullum habuerit patrem, aut nullam matrem, aut quaſi nullam habuerit genealogiam: ſed quia in ſcripturis, neque patrem, aut nullam matrem, aut quaſi nullam habuerit genealogiam: ſed quia in ſcripturis, neque qui ſecundum generationem diuinam æternitatis eſt, ἀμήτωρ, id eſt, ſine matre: ſecundum temporalem verò natiuitatem, ἀπάτωρ, id eſt, ſine patre: quoniam ex immaculata virgine Maria, ſine virili cooperatione, in terris fuit conceptus & natus. Genealogia quoque Chriſti ſecundum diuinitatem nulla extitit, quoniam generationem eius quis enarrabit? neque etiam genealogiam ſecundum humanam natiuitatem habet, talem qualem habent cæteri puri homines, ex vtroque parente. Ad hæc quòd neque initium vitæ, neque finis dierum Melchiſedech in ſcripturis legitur, ſignificat Chriſti æternitatem, qui erat in principio apud Deum patrem. Decimas inſuper accepit Melchiſedech ab Abraham, qui omnium extitit pater Iſraëlitarum, ipſius etiam Leui & Aaron, qui tum adhuc in lumbis patris erant: & benedixit Abrahæ Melchiſedech, tanquã maior minori. In quo ſignificatur, Chriſti ſacerdotiũ vere præſtantius eſſe Aaronico: quandoquidẽ Melchiſedech, vt typus Chriſti, benedixit Abrahę omnium ſacerdotum veteris legis progenitori, atque ab eo decimas accepit. Neque de Melchiſedech legitur, quòd eo mortuo ſucceſſerit aliis in locum eius, vt ſignificetur ſempiternum fore Chriſti ſacerdotiũ, quod nullo alio vnquam cõmutabitur. Hic enim ſacerdos, eo quòd maneat in æternũ, ſempiternũ habet ſacerdotiũ. Hæc omnia Paulus Apoſtolus, loco ſuprà citato diligẽter commemorat, declarans rectè in propoſito Pſalmo appellatum eſſe Chriſtum ſacerdotẽ, ſecundum ordinem Melchiſedech. Superaddunt poſteriores

Ecclꝛ. 24.

Eſaiæ 14.

Hebr. 7.

Eſaiæ 53.

Ioan. 1.

Gene. 14.

A ſteriores & aliam conuenientiam, quaſi præcipuam, prædictisque omnibus maiorẽ, de oblatione panis & vini, dicentes, in hoc vel maximè Melchidech typum geſsiſſe Chriſti domini, quòd panẽ & vinum obtulit, in ſignum eius oblationis quam inſtituturus erat Chriſtus, nempe corporis ſui & ſanguinis, ſub ſpecie panis & vini: quam ſimilitudinem reſpexiſſe videtur celebris eccleſiæ doctor, Thomas Aquinas, in eccleſiaſtico officio, quod in honorem ſanctiſsimi eucharistiæ ſacramenti (iubente Vrbano papa) compoſuit, cum in prima priorum veſperarum antiphona, ita canit: Sacerdos in æternum Chriſtus dominus ſecundum ordinem Melchiſedech, panem & vinum obtulit. Verum hoc loco nouelli quidam noſtræ tempeſtatis hæreſon authores, ſiue fautores, admodum acriter inſurgunt aduerſus piam prædictorum patrum ſententiam, dicentes nuſquam in ſcriptura inueniri, quòd Melchidech Deo obtulerit panem & vinum: ſed hoc tantum, quòd Abrahæ & ſocijs redeuntibus de cæde regum & fatigatis, protulerit panem & vinum, eisque benedixerit.
Qua etiam ratione, ſacrum eccleſiaſticum canonem, quo in miſſarum celebratione Eccleſia ſacerdotes vti ſanciuit, multis ſæculis in ſumma reuerentia habitum, impudenter quidam audent mordere, quòd in oratione poſt calicis eleuationem, ſacrificij Melchidech cum ſacrificio Abel & Abrahæ faciat mentionem: in quo videtur ad corporalem oblationem panis & vini reſpicere, ſicut ſacrificium corporale fuit quod obtulit Abel, & quod obtulit Abraham, qui frequenter legitur æd-
B ficato altari obtuliſſe holocauſtum domino, paratus etiam immolare vnigenitum. Cum enim de oblatione Melchiſedech prorſus nihil legatur in ſcriptura, putant illos qui canonem hunc compoſuerunt eccleſiaſticos patres, ad hoc ſacrificium panis & vini reſpexiſſe, iſtamque intendiſſe oblationem, cum dicunt, Sacrificium quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech. Hæretici ergo qui dolent miſſam ſacrificium appellari, & contra eccleſiaſticam determinationem contrarium aſtruere contendunt, ignorantiæ & inauertentiæ prædictos arguunt, quòd Melchiſedech dicant obtuliſſe Deo panem & vinum, cum nihil aliud legatur de eo, niſi quòd (vt dictum eſt) Abrahæ redeunti illa protulerit. Horum autem quæſtioni, quod quidem ad canonem attinet, duplici ratione nos ſatisfecimus in tractatu quem edidimus de expoſitione ſacri canonis, circiter finem diſtinctionis tertiæ. Quod autem ad piam prædictorum patrum in præſenti loco interpretationem pertiner, dicimus, nihil contra pietatem illos dicere, neque contra ſacram ſcripturam, qui Melchiſedech obtuliſſe dicunt Deo panem & vinum. Nam licet in ſcriptura non expreſſe dicatur, niſi quòd panem & vinum protulit Abrahæ, piè tamen creditur & abſque omni impietate ſentitur, ipſum Melchiſedech vt ſacerdotem Dei excelſi, primum ea obtuliſſe domino, quæ protulit voluitque proponere populo domini: quemadmodum & ſacerdotes veteris legis prius hoſtiam offerebant domino, quàm de ea manducarent ipſi, aut manducandam darent populo: & nunc in Chri-
C ſti fidelium Eccleſia ſanctiſsima myſteria dominici corporis & ſanguinis, prius à ſacerdote offeruntur domino, quàm populo præbeantur ſumenda: licet diuerſum morem ſequentes ſui cordis adinuentiones obſeruent. Synagoge Sathanæ, quæ ſe dicunt Chriſti eſſe, & non ſunt: quoniam vnitatem Chriſtianæ fidei diſrumpunt. Quorum irrationabiles contra patrum orthodoxorum pietatem latratus, quoniam à viris grauiſsimis editis iuſtis libris egregiè confutati ſunt, nihil opus eſt nos pro ea re prolixius agere, vt neque patitur ipſa rei magnitudo annotationum breuitate, ſed pro dignitate tractari. Illud certe negare non poſſunt, quin ex authoritate ſacræ ſcripturæ hanc admittant comparationem, Melchiſedech in hoc typum geſsiſſe Chriſti, quòd ſicut ille Abrahæ redeunti à cæde tyrannorum protulit panem & vinum, addens benedictionem: ita hic omnibus in fide & in Eccleſia militantibus, ac contra tyrannum principem tenebrarum dimicantibus, quicunque in fide vicerunt mundum & malignum, profert præbetque ſui corporis & ſanguinis ſub ſpecie panis & vini ſacratiſsima myſteria, quibus confirmentur corda pugnantium, vt non deficiant: quibus laſsi reficiuntur & confirmantur in vita ſpiritus, vt non ſuccumbant. Hanc profectò comparationem, velint nolint, coguntur illi admittere. ¶ Verſu penultimo, Implebit ruinas, Nos in
Elucidatione intelligimus hanc impletionem in malam partem, vt impletio ruinarum ſignificet,
D de ſummo cælorum, vel in tartara, vel in caliginoſum hunc aërem. Ruina plenior fuit, quando per euangelicam prædicationem poſt mortem Chriſti, etiam è ſede regni, quo dominabantur ſuper gentes, proiecti ſunt, iudicatique principes mundi, & foras eiecti, quibus verbis ad Ioannem Chriſtus vtitur. Et quidem grauis admodum fuit hæc ruina ſuperbis dæmonibus, qui ægerrimè tulerunt ſibi auferri ſuum principatum, quo dominabantur mundo fortes armati, cuſtodientes atrium ſuũ, grauiter acceperunt à ſuperueniente fortiori vinci ſe atque ligari, & omnia ſua ſpoliari, diripi. Perfectiſsimè autem implebit Deus illorum ruinam, quando in extremo iudicio, ad pronunciationem terribilis ſententiæ eius, omnes in Baratri profundum perpetuò illic permanſuri proijcientur, abſque ſpe redeundi in auras ſuperas. Poteſt tamen iſta ruinarum impletio, etiam in bonum accipi. Chriſto enim iudicante in nationibus, reſtituta ſunt & erecta quæ fuerãt collapſa, quæ periere reſtaurata ſunt. In ſecunda autem parte verſus, cum dicitur, Conquaſſabit capita in terra multorum: conquaſſatio capitis intelligitur grauiſsima perculſio diuinæ ſententiæ, quæ ſuper impios cadens deſuper, à ſeueritate diuinæ iuſtitiæ, morte æterna eos afficiet: ad eum modum, quo lapis grauis deorſum cadens ſuper caput tranſeuntis, confracto & comminuto capite ipſum morte opprimit. Vnde patet, idem nunc per capitis conquaſſationem intelligi, quod ſuprà Pſalmo tertio per confractionem dentium, & iuxta Hebræam literam per maxillæ percuſsionem ſignificabatur, dicente Propheta, Tu percuſsiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorum contriuiſti: & iuxta

Gene. 41. Gene. 2. Gene. 22.

Apoc. 1.

Ioann. 12. & 16.

Lucæ 11.

Hebraicam veritatem, Tu percusisti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes peccatorum E
confregisti. ¶ Versu vltimo, de torrente in via bibit. Nota duplicem torrentem in scripturis. Est enim
Psal. 35. quidem torrens voluptatis, de quo in alio Psalmo dicitur, Inebriabuntur ab vbertate domus Dei, &
torrente voluptatis tuæ potabis eos. Longè verò diuersus est hic torrens, quem bibiturus nunc præ-
dicatur Christus Dominus. Est enim torrens iste non voluptatis, sed amaritudinis: nequaquam lim-
pidus, sed totus turbulentus. Cuiusmodi torrens in alio Psalmo innuitur, cum à fidelibus dicitur,
Psal. 123. Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Sic
Psal. 22. & duplex calix in scriptura legitur, quidam voluptatis, de quo in Psalmo 22. Et calix meus inebrians,
quam præclarus est: alius amaritudinis, de quo Saluator discipulos ambientes primatum interrogat,
Matt. 20. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Nota insuper, quod particula, in via, iungi potest
Marc. 10. cum verbo bibit, vt sit sensus, In via huius vitę bibit Christus Dominus de torrente. Atque hæc con-
nexio conuenientior est, quam & solam in Elucidatione sequimur. Posset tamen subtiliori conside-
ratione etiá coniungi cum nomine torrentis, vt coniunctim legatur, Bibet Dominus de torrente in
via, id est, de torrente turbulento, pleno luto & sordib⁹, cuiusmodi sunt torrētes illi qui impetu cur-
runt in vijs publicis, vbi plerunq; plus est immunditiarū. ¶ Versu eodem, Propterea exaltabit caput.
Intelligi potest, Deus pater exaltabit caput Christi, vel ipse Christus exaltabit caput suum: ipse vt
Deus, seipsum glorificabit vt hominem, Vel quasi absolutè accipi potest, exaltabit caput, id est, caput F
ipsius exaltabitur. Per exaltationem autem capitis, in scripturis intelligitur exaltatio & glorificatio
Psal. 3. post humiliationem. Vnde in Psalmo tertio, ad patrem filius loquitur, dicens, Tu autem Domine su-
sceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum, id est, me glorificans & sublimans. Et iterum in
Psal. 26. alio Psalmo, In petra exaltauit me, & tunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Sic & in Ec-
Eccle. 11. clesiastico scribitur, Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatū considere illum
4. Reg. 25. faciet. Et in capitulo vltimo quarti libri Regum, de Euilmerodach rege Babylonis legimus, quod in
initio regni sui subleuauit caput Ioachim regis Iuda de carcere: quando ei benigne loquutus est, &
thronum eius posuit super thronos regum, qui cum eo erant in Babylone. Idem alibi per exaltatio-
Psal. 74. nem cornu vel cornuum intelligitur, vt Psalmo 74. Exaltabuntur cornua iusti.

CX. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste qui sequitur, quemadmodum & præcedēs, de beneficijs & admirandis operibus nouæ legis tra-
ctat. In quo propheta ex animo confitetur Domino, super magnis ipsius & electis operibus, & sempiterna
iustitia: diuersa deinde nouæ legis beneficia per Christum fidelibus præstita enarrans, nempe, sanctissimæ eu- G
charistiæ institutionem, noui testamenti nunquam commutandi constabilitionem, & Apostolicam de opere re-
demptionis humanæ prædicationem, æternæ hæreditatis damnationem, mandatorum quæ seruis suis iniunxit fi-
delem dispositionem infirmitate, æquitate & veritate, salutis per Christum factæ à Deo missionem. Post quæ
omnia, versibus duobus nouissimis, sanctum Domini timorem commendat, & bonum intellectum laudat eius qui
facit opere quod intelligit. Peculiariter verò aduertendum est, psalmum hunc vnà cum eo qui in ordine subse-
quitur, in Hebræo singulari quadam ratione esse dictatum, iuxta alphabeticas literas: ita vt per singula hemi-
stychia, id est, versus dimidios, suo ordine præponantur singulæ literæ alphabeti Hebraici: ita vt prior partis
eula primi versus habeat Aleph, posterior Beth, secundi versus prior Gimel, posterior Daleth, atq; ita in con-
sequentibus vsq; in finem: ita vt vltima psalmi clausula, Laudatio eius manet in sæculum sæculi, à Tau sumat ini-
tium. Similiter & in sequenti Psalmo erit considerandum. Verùm ista distinctio in translatione neq; apud Græ-
cos, neq; apud Latinos inuenitur, eo quòd commodè seruari non possit.

CENTESIMIDECIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in concilio iustorum & congregatione.
2 Magna opera domini:

Psal. 113. Dani. 4. Gene. 1. ** exquisita in omnes voluntates eius.*

3 Confessio & magnificentia opus eius:
** & iustitia eius manet in sæculum sæculi.*
4 Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus:
** escam dedit timentibus se.*
5 Memor erit in sæculum testameniti sui:
** virtutem operum suorum annunciabit populo suo.*
6 Vt det illis hæreditatem gentium:
** opera manuū eius veritas & iudicium.*
7 Fidelia omnia mandata eius, & confirmata in sæculum sæculi:
** facta in veritate & æquitate.*
8 Redemptionem misit Dominus populo suo:
** mandauit in æternum testamentum suum.*
9 Sanctum & terrible nomen eius:
** initium sapientiæ timor Domini.*
10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum:
** laudatio eius manet in sæculum sæculi.*

Ibi Domine volo laudis & gratiarum actionis dare confessionem, ex plena deuotione affectus mei, exq; omnibus viribus animæ meæ: neque in occulto solum, quasi erubescēs H
de tua confessione, sed palàm etiam in Ecclesia sancta, inq; concilio & congregatione iustorum, ad aliorum ædificationem, & in tuum amorem prouocationem. 2. Et es tu sanè confessione dignus, quoniam magna sunt, stupenda & admiranda, quæcunque tu operaris, potentissime Deus: siue creationem rerum atq; gubernationem generaliter attendamus, siue humani generis peculiariter regenerationem: * singularia vtique eximia, præclara, electa, & exquisita sunt, iuxta omnes voluntates tuas: quoniam omnia quæcunque voluisti, tu fecisti, in cælo & in terra: & sicut voluisti, ita fecisti, & propter tuam voluntatem & secundum tuam voluntatem, facta sunt omnia bona valde. 3. Tuum opus omne quod operaris, celebre est siue confitendū, & magnificū, siue magnificandum: quodcunque tu facis, tale facis, vt confessione dignū inueniatur, & magnificentia plenū: * tua quoq; iustitia, tua sanctitas, tua perfectio, tua veritas & fidelitas nunquam deficiet, sed permanebit tecum sempiterna. 4. Multa quidem sunt & stupenda beneficia tua, quæ olim exhibuisti, tam in rerum creatione & gubernatione, quam in mirabili Israëlitici populi deductione: verùm omnia prio-

A ra superat: quod sequitur, Tu enim Domine qui natura misericors es siue benignus, & misereri semper solitus, omniū mirabilium tuorum velut memoriale nobis veniēs in carne dedisti: * quando fidelibus tuis tuum ipsius corpus in escam & cibum spiritualem atque sacramentalem, itemq; sanguinem in potum instituisti. Siquidem hanc escam reliquisti fidelibus in memoriam passionis, & cæterorum omniū mirabilium, quæ in tua humanitate nobis exhibuisti: & in hoc cibo dum præsentem te corporaliter habent fideles, per dignā confessionem rememorantur vniuersā mirabilia tua. 5. Testamenti quoq; tui noui, quod nouæ Ecclesię abscedens disposuisti, & in tuo sanguine moriens cōfirmasti, memor eris in sempiternum: nunquā ipsum abolituras, nunquā antiquaturus, sed ratum semper ac gratum habituras: * vim etiā & efficaciam mirabilium operum tuorū, quæ pro generis humani redemptione visum tibi fuit operari, fecisti annunciari atque prædicari fidelibus tuis, quos in Ecclesiam congregare voluisti, vt credentes fructum possent ex eis consequi salutis æternæ. 6. Ad hoc, inquam, annunciari Gene. 15.
fecisti, vt illis credentibus dares cælestis regni hæreditatem, omnibus Galat. 3.
gentibus in Christo (iuxta promissiones Abrahæ factas) repromissam:
* Et sunt profectò omnia quæ tu in potētia, sapientia ac bonitate tua, veluti per manus tuas operaris, in veritate & iudicia disposita, sunt que vera & iusta, nihil habentia vanitatis, nihil mendacij, nihilq; iniquitatis prorsus aut iniustitiæ, quibus plena sunt opera filiorum hominum. 7. Mandata insuper & præcepta quæ nobis in testamēto tuo nouo obseruanda tradidisti, omnia sunt fidelia valde, id est, firma atque stabilia, æqua, & obseruatu dignissima: * vtpote quę sint confirmata in sempiternum, nunqua in consummationem vsq; sæculi cōmutanda: quemadmodum veteris testamēti erant multa suo tēpore antiquanda: * disposita quoq; & ordinata in omnimoda veritate & æquitate, nihil vanum, nihil iniquum præcipientia aut suadentia, quod non rarò faciunt hominum siue stulta, siue impia mandata. Omnia siquidē mandata tua Rom. 13.
ad dilectionem reducuntur, & est ipsa charitas omnium præceptorum 1. Tim. 1.
eius radix: qua nihil æquius, nihil iustius, imò nihil rectitudini & veritati æque consonum. 8. Saluationem ac liberationē dedisti Deus, atq; operatus es per mirabilia opera tua, humano generi fidelibus tuis: * mandasti quoque in sempiternū vsque in consummationē sæculi, ab eis obseruari testamentū tuum nouum, quod disposuisti cis. 9. Nomen tuum gloriosum sanctum est, & omni reuerentia venerandū, hoc est, tu ipse iuxta nomen tuū (quoniam Deus, Dominus ac redemptor verè nominaris, & es) omni honore es dignus: * ac proinde timor tuus, ô Domine, principium quoddā est verę sapientiæ, quę secundū Deum est, hoc est, spiritualis, cælestis, atq; diuinæ: adeò vt qui nondum timere te nouit, necdum initium habeat veræ sapientiæ, quantumuis hominibus sapere videatur. 10. Bene autem intelligit, & sapit vtiliter atque salubriter, quicunque opere adimplet, & facto demonstrat quod sapit, atque intelligit: * & talis viri laus solida permanebit apud Dominum ac sempiterna: quemadmodum econtrario male intelligit, minimeque vtiliter ac salubriter sapit, qui ea quorum accepit intelligentiam
D opere non demonstrat. Seruus enim intelligens voluntatem Domini Lucæ 12.
sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Qui autem intelligit voluntatem Domini, & fecerit eam, hic laudem habet ante illum.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CX.

VErsu 1. In concilio iustorum & congregatione. Quidā per ſ, legunt, In consilio iustorū, hoc est, in secreto & cogitatione sanctorū. Sententiæ tamen magis conuenit concilium per c, pro cœtu & societate iustorum, quomodo nos in Elucidatione interpretati sumus. ¶ Versu 2. Exquisita in oēs Psal 113.
voluntates eius, hoc est, eximia & singularia valde, electaq; & exquisita, ad, siue iuxta omnes voluntates eius. Eadē est sententia, cum eo quod pòst in Psal. 113. dicitur, Deus autem noster in cælo, oīa quæ- Gene. 18.
cunq; voluit fecit. Nihil enim quantumuis magnū, est apud Deū difficile vel impossibile. ¶ Versu 3. Lucæ 1.
Confessio & magnificentia opus eius. Nouus est loquendi modus, tantundē valens, ac si dicas, Opus Dei est celebre & magnificū, vel confessione dignū & magnificentia plenum. Secundum eundē modum, versu 6. dicitur, Opera manuū eius, veritas & iudiciū, hoc est, opera eius sunt vera & iusta, facta scilicet in veritate & iustitia, quia non agit Deus iniquè, neq; mendaciter. Ita in Psal. 118. dicuntur oīa mandata Dei esse veritas. i. vera, & in veritate disposita. Ad eundem modū Sapiens asserit, quæcunq; Psal. 118.
fiunt sub sole non esse nisi laborem & afflictionem spiritus, id est, laboriosa & affligentia spiritum, Eccle. 1. &
aut labore & afflictione spiritus plena. ¶ Versu 4. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors 2.
&

& miserator dominus, escam dedit timentibus te. Ex traditione patrum consueuerunt religiosi viri, E
post cœnam aut prandium peracta, in gratiarum actione pro perceptis donis, hunc proferre versiculum. Neque id quidē male. Quanuis enim paruulū valde videatur hoc beneficium corporalis pastus, si conferatur cum spiritualibus beneficijs maximis, quibus nos Deus donauit: tale tamen est, quo merito debeat homo excitari ad commemorationē omnium Dei mirabilium. Sic enim solet gratus animus, quum beneficio aliquo paruulo actuali exhibitione afficitur, ab eo à quo aliàs plura & maiora se cognoscit accepisse, in paruuli illius beneficij actuali susceptione non solū præsens agnoscere beneficiosum, verumetiā priorum illorum multo maiorū & plurium recordari. Nam gratus & fidelis animus, facile vel minimo beneficio ad susceptorum antè beneficiorum rememorationē excitatur. Atque ita viri spirituales, soliciti semper quomodo grati esse valeant suo sibi beneficentissimo Domino, cum se corporali pastu iam frugaliter ex Dei munere refectos attendunt, corporeisq; viribus se sentiunt confortatos, transeunt in commemorationē omnium beneficiorum Dei, quæ ab illo susceperunt tam in semetipsis, quàm in toto humano genere. Veruntamen non est ista de corporali cibo, præcipua huius loci intelligentia: sed principaliter de illa spirituali esca, quæ in sacratissimo eucharistiæ sacramēto, ex institutione Dei sumitur à fidelibus, à timentibus Dominū. Ab his enim so-
1. Cor. 11. lis, digne, & vtiliter sumitur. Nam qui manducat panē Domini, vel calicem eius biberit indignè, iu-
Ioan. 6. dicium vtique sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Qui autē dignè manducauerit F
ex hoc pane, viuet in æternū. Hæc enim esca illa est, de qua ipsemet Dominus in Euangelio ait, Caro
Ibidem. mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meā carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, & alia huiusmodi multa. In huius autem escæ spiritualis perceptione, satis manifestum est, quomodo omnium mirabilium suorum misericors & miserator Dominus memoriā fecerit, id est, quasi mnemosynon & memoriale reliquerit, in quo omnia ipsius mirabilia pro humani generis salute exhibita, reuocarentur ad memoriā à fidelibus, vsque in consummationē sæ-
Lucæ 22. culi. Est enim hoc dominici corporis & sanguinis sacramentū, à Christo in memoriam passionis & mortis eius institutum: quemadmodum ipse Dominus ait, Hoc facite in meam commemorationem.
1. Cor. 11. Et apud Paulum Apostolum: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationē. Specialiter verò in memoriam passionis & mortis Christi, quemadmodum subsequenter Apostolus ait, Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat, In commemoratione autem mortis Christi, & natiuitas, & conuersatio, & gloriosa resurrectio, ac cæterorum omnium mirabilium quæ fecit ipse nobiscum & docuit, fit rememoratio. Quam rem nos à proposito plenius tractauimus, & dilucidius ex ipsa radice explanauimus, in præfatione præmissa tractatui, quem ferè ante triennium de mysteriorum Missæ ac sacri Canonis expositione edidimus. Versu eodem, Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Domi- G
nus. Cum in scripturis hæc duo iunguntur, misericors & miserator, id quod frequentissimum conspicimus, licebit harum duarum vocum significationem ita distinguere, vt prior ad naturā referatur & essentiam, altera ad miserationum propensionē siue effectus. Est enim Deus natura sua, & secundū substantiam atque essentiā suam sit summe bonus, & verissime magnanimus, consequitur item summè ipsum esse misericordem. Miserator verò est, quia semper misereri solitus, & quia consueuit semper agnoscētibus miseriam & pe-
Psal. 50. tentibus misericordiam, eius effectum præstare. Vnde Dauid Psal. 50. secundum multitudinem miserationum orat deleri iniquitatem suam. Hæc autem miserationū antiquarum & præsentiū multitudo facit, vt Deum miseratorē appellemus: vtpote qui misereri sciat ac soleat, & (vt humanū aliquid loquamur) habitū habeat, atq; scientiā miserendi, post tot miserationū actus exhibitos. Solent enim apud Latinos nomina terminationis consimilis in or, habitum significare, siue consuetudinem, siue scientiam: quemadmodū ædificator, pistor, pastor, atque in alijs huiusmodi. ¶ Versu 6. Vt det illis hæ-
reditatem gentium. Possemus hoc loco per gentes (quod despectum solet esse vocabulū) intelligere H
dæmonū peruersas nationes: quemadmodū aliquando eosdē etiam hominis vel viri nomine in scriptura accipimus. Ac tunc quidem erit sententia, Deum voluisse dare suo populo hæreditatē cælestis regni, quę illorū fuerat, hoc est, ad quam ipsi ab initio fuerant creati, & cuius futuri fuerant possessores æterni, si non per superbiam ea sese indignos præstitissent. ¶ Versu 8. Mandauit in æternum testamentū suum. Aduerte quod quemadmodum olim in veteri testamento erant promissa præcepta, & sacramenta: ita sunt & in nouo, de quo hic Psalmus canit. Et de quolibet horū verum est quod dicitur, Deum mandasse in æternum testamentū suum. Nam quantū ad promissiones, quas habet testamentum nouum, mandauit eas expectari, & desiderari à fidelibus suis: quantū ad præcepta quæ continet, mandauit ea obseruari, ne obseruantes statuta præcepta, perdant proposita promissa: quantum ad sacramenta quæ in ipso ordinata sunt, in consummationē vsque sæculi ea frequentari mandauit, negligentes medicinā non consequantur sanitatē. ¶ Versu 9. Initium sapientiæ timor Domini. Nota
est distinctio duplicis timoris, nempe seruilis & filialis. Horum vterque initium est sapientiæ, verum
1. Ioan. 4. diuersa consideratione. Nam seruilis timor est initium extrinsecum, modo quodam ad verā sapientiam disponens & præparans, cum ea tamen simul non potens existere: quoniam vt perfecta charitas, ita vera etiā sapientia, timorē huiusmodi pellit foras. Filialis verò timor initiū est intrinsecum, eiusq; velut particula quædam, eo quod filialē reuerentiā cælestis sapientia non expellat, imò eam suadeat, efficiat, & conseruet. Non potest enim esse in eo sapientia vera, in quo nō est sanctus timor Domini.

A

CXI. PSALMI ARGVMENTVM.

In Psalmo sequenti, vir beatus describitur, qui Dominum timet, eiusq; mandata diligit: cuius semen spirituale, & beata generatio commendantur, gloria item & diuitiæ internæ, perfectaq; iustitia quæ omnia, ab exortu sunt luminis diuini in anima iusti. Atq; hæc primis quatuor versibus. Opera deinde viri iusti enarrantur misereri, commodare, & in iudicio cuncta disponere: quæ lætam atq; dulcem pariunt conscientiam, & ab omni reddunt perturbatione atq; timore securam, propter cordis in Deo stabilitatem, & eam quam habet in Domino ex bonæ conscientiæ testimonio, confidentiam. Gloriosus denig; viri iusti finis proponitur, fructusq; iustitiæ, ab inimicorum metu atq; insultibus securitas, pro misericordiæ operibus sempiterna eius apud Deum memoria, & gloriosa exaltatio fœlicitatis æternæ. Quibus exaduerso opponitur impiorum finalis miseria, ira & inuidia contra iustorum gloriam, desiderijq; illorum frustratio, perpetuo deploranda.

CENTESIMIVNDECIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 Beatus vir qui timet Dominum:
** in mandatis eius volet nimis.*

B

2 Potens in terra erit semen eius:

** generatio rectorum benedicetur.*

3 Gloria & diuitiæ in domo eius:

C ** iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

4 Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors & miserator & iustus:

5 Iucundus homo qui miseretur & commodat:

** disponit sermones suos in iudicio:*

D ** quia in æternum non commouebitur.*

6 In memoria æterna erit iustus:
** ab auditione mala non timebit.*

7 Paratum cor eius sperare in Domino: confirmatum est cor eius: non commouebitur:
** donec despiciat inimicos suos.*

VErè beatus est vir ille, nunc quidem certa spe & expectatione, postmodum verò reali atq; secura possessione, qui donec in hoc agit corpore, reueretur, amatque Dominum Deum suum: * qui totū suum desiderium, omnemq; voluntatem applicat mandatis illius, semper solicitus ad obseruandum ea. 2. Talis siquidem viri se- Esaiæ 53.
men atq; posteritas, vehementer multiplicabitur, etiam super terram: quoniam partim verbis ædificatorijs, partim exemplis bonis, partim humilibus precibus, plurimos sibi filios apud Deū comparabit, Christo sic eos gignens atque parturiens, etiamsi iuxta carnem videatur sterilis: * ne quis huiusmodi generationem pro nihilo pendat, sciendum est, hanc spiritualem generationem, qua sancti de Deo filios in spiritu generant multò amplius quam carnalem, Deo esse placitam, & à Deo accipere benedictionē ampliorem, nempe æternæ retributionis mercedem: quemadmodum econtrario, eorum qui in luxuria filios procreant secundum carnem, maledictionē accipere æternæ condemnationis. 3. In huiusmodi viri domo interna, quam inhabitat, hoc est, in eius spiritu & conscientia, vera est gloria, magnus ornatus, & spiritualium affluentia bonorum: quemadmodum in eorum domibus materialibus qui sæculo diuites sunt, externus plerunque relucet ornatus, & temporales abundant diuitiæ: * Iustitia quoq; eius & sanctitas, omnimoda vitę perfectio, ipsumque iustitiæ eius meritum in sempiternū permanebit ante Dominum, & ante conspectum eius semper gloriosum faciet illum. 4. Si requiras timenti Dominum, vnde tanta gloria, Lucæ 2.
en præclarum illud lumen, sol iustitiæ, quod est Dominus ipse, natura misericors existens, & misereri solitus, ac nihilominus iustus, exoritur ijs qui recto sunt corde in mentibus eorum, ex sese alioqui tenebrosis: atque ex huius luminis eximio atque præclaro splendore, in conscientijs illorum tantus fulget gloriæ interioris ornatus, tantæque affluunt diuitiæ. 5. Benignus verò, suauis, & amabilis est, tam apud Deum, quàm apud proximos, homo ille, qui misericordiæ vacat operibus: primum quidem suipsius misertus, deinde & aliorum: quique paratus est indigentibus commodare sua, atque etiam largiri, vbi congruum viderit, vel necessarium, de ijs quę accepit à Domino paratus proximorū subleuare inopiam: * qui deinde sermones suos vniuersos, atq; operationes omnes ita gubernat, ita dispensat, ita dirigit in iustitia & æquitate siue ad examen atque iudicium, vt non loquatur, aut agat, nisi quæ iusta & æqua sunt atque vtilia, & de quibus se putet coram iusto iudice posse bonā reddere rationem: * talis profectò in sempiternū non conturbabitur à sententia æternæ damnationis, aut pœnis inferni, neque etiam in præsenti sæculo conturbatione deijcietur. 6. Vir ille iustus, de quo suprà diximus, in obliuionem non veniet apud Dominum, sed in æterna erit Domini præsentia: * neque conturbabitur ab auditu siue rumore malo: quemadmodum impij mox conturbantur & angustiantur animo, vbi aduersum aliquid, siue rumorem quemlibet malum audierint, vtpote de peste, de hostium aduentu, deque alijs imminentibus aduersitatibus corporalibus. 7. Iccirco autem cōmoueri & conturbari nescit, quoniam animum habet exercitatum in Domini confidentia, & in spe bona constabilitum atque corroboratum, vt conturbari non possit desperatione, aut timore deijciente, neque in præsenti neque in futuro: * quin & hoc futurum est, vt eos quos nunc obseruare habet iustus, & à quibus sibi nunc cauere debet prospicere, tandem omnino despiciat, contemnat, prorsusq; nihilipendat, quando nocere vltra non poterunt. Veniet enim post huius peregrinationis cursum,

quando

Universidad de Deusto Biblioteca

8 Dispersit, dedit pauperibus:
** iustitia eius manet in sæculum sæculi:*

** cornu eius exaltabitur in gloria.*
9 Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet:
** desiderium peccatorum peribit.*

quando non erit vltra iustis formidanda siue astutia, siue malitia malignorum, quam nunc solicite timere, & cautè declinare debemus, si in iustitia perseuerare volumus. ℣. Vir iustus non thesaurizat sibi thesauros in terris, sed ea quę accepit à Domino, misericordiæ operibus impendens, distrahit in subuentionem miserorum, eisque sua liberaliter elargitur: * atq; huius iustitiæ virtutisq; meritum permanebit in sempiternũ ante dominum. Tametsi enim contingat dispergendo, & elargiendo cessare nonnunquam exterius miserendi opus, vtpote cùm facultates non vltra suppetunt: meritum tamen virtutis, & operationum præcedentium semper iusto manet, dum pro eis æternã accipit à Deo bonam remunerationem: quemadmodum econtrario impiorum iniustitia semper apud Dominum manet, ratione punitionis sempiternæ, etiamsi actiones ipsæ in esse transierint: * sublimabitur quoq; potestas, & fortitudo viri iusti in magnifica gloria, quando ad dignitatem euectus fuerit gloriæ filiorum Dei. 9. Impij verò & inuidi, tam dæmones quàm homines, iustorum hanc exaltationem videntes, ira & inuidia cruciabuntur super fœlicitate aliena, qua seipsos fecerũt indignos, à Deo vt dentibus præ iracundia frendeant, atque in sese propter inuidiam velut consumantur, liquefiant, aresçant, atq; tabefiant: * Impiorum tamen desiderium nequaquam implebitur, neque quoad seipsos, neque quoad iustos. Nam quantum ad se, optauerant semper in peccatis suis viuere, in quibus oblectabantur. Iustos verò, tam suasionibus, quàm exemplis pestiferis, ab æternis gaudijs desiderant auocare: sed videbunt in nouissimo, horum vtroque miserè se frustratos.

E

F

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXI.

VErsu 1. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Non dicit beatum qui abundat auro, argento, pretiosis lapidibus, qui præcellit ingenio, eruditione, arte, scientia, qui præeminet potestate, authoritate, qui dignitate excellit: sed illum asserit beatus propheta beatum, qui timet Dominum, haud dubiũ quin filiali & amicabili timore, quiq; sic timet Dominũ, vt in mandatis eius velit, cupiatq; nimis, hoc est, vt ea vehementer amet, & cupidissime exquirat, totus illis impendis intentat, vt summum sit illi studium quæ Deus præcepit perficere, quæ prohibuit vitare, in omnibus cogitationibus, dictis ac factis semper cauens, nequando iniquũ aliquid aut cogitet, aut cõcupiscat, aut discat, aut faciat. Deniq; idem est quod hic nunc dicitur, In mandatis eius volet nimis, cum eo quod Psalmo primo alijs verbis dicitur, In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. ¶ Versu 2. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorũ benedicetur. Quidam istud ad literam interpretantur de posteritate carnali. Item quod in sequenti versu dicitur, Gloria & diuitiæ in domo eius, de gloria & diuitijs temporalibus exponunt. Ita enim quosdam patrum veteris testamenti (cuiusmodi erant Abraham, Isaac, & Iacob) legimus in sacris historijs, speciali priuilegio fuisse donatos copioso & benedicto semine, gloria quoq; & diuitijs tẽporalibus adornatos. Verum quia perpaucis iustis ista cõueniunt, maximè in tempore hoc nouæ legis, & quoniã frequenter admodum bonos parentes legimus nõ bonos habuisse liberos, imò insigniter malos, quod etiam hodie videmus in non paucis: quoniã etiam in lege veteri multi iusti in magna fuerunt egestate, arq; penuriã rerum temporalium, in noua autem lege, omnes sanctitate præcipui secundum sæculũ pauperes fuerũt atq; contempti, ita vt ille insignis Christi præco Paulus Apostolus, se, suiq; similes, mundi purgamenta, & omnium peripsẽma appellaret, nouissimosq; omnium tanquam morti destinatos: ad hæc quoniam beati diuina voce nunc prædicantur pauperes, lugentes, esurientes: quoniã euangelico consilio suadetur nunc hominibus, temporalia vendere, & distribuere in vsus pauperũ, atque in nuditate sequi Christũ: ob horum scilicet considerationẽ nobis videbatur commodius, ac magis cõueniens, ista de seminis potentia & benedictione, itemque de gloria & diuitijs, interpretari spiritualiter, quemadmodu legis in Elucidatione: vt per semen iusti, intelligamus ipsos quos vel verbo sanæ doctrinæ, vel bonæ conuersationis exemplo, vel sanctæ orationis feruore, Deo genuerit: de quali semine loquebatur Apostolus, cum diceret Corinthijs, In Christo Iesu, per Euangeliũ ego vos genui. Et Galatis q̃ iam mortui perierãt, Filioli mei, inquit, quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis. Posset tamen & aliter semen istud intelligi, operationes bonæ, quæ duplici ratione potens semen dici possunt. Primo, quia semen valde multiplicatũ. Qui enim timorẽ Domini habet, & in lege eius vult nimis, totus intentus est perficiendæ legi Dei, hic bonarũ operationũ cumulos proferet abundanter. Dum tempus enim habet (iuxta Apostoli monitionẽ) bonum operabitur erga omnes, & bonũ faciens non deficiet, sciens quod suo tempore metet non deficiens. Secundo, potens est semen iusti, ratione validæ fructificationis, quoniam semen operationis bonæ, ex Dei gratia, fructũ mirabilem & pretiosum nimis proferet in tempore suo, vitæ æternę. Vnde Psal. 125. de iustis dicitur, Euntes, ibant, & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos, quod de operibus bonis manifestum est debere intelligi. Per rectorum autẽ generationem secundum hunc intellectũ accipietur fructificatio bonorũ operũ. Opera enim Deo placita quę operatur iustus ex gratia Dei, sunt eius semen, filij, & sancta generatio, quã ex bona voluntate, & Dei timore

G

H

Psal. 1.

1. Cor. 4.

Matt. 5.

Lucæ 10.

1. Cor. 4.

Galat. 4.

Galat. 6.

Psal. 125.

A more producit. Hæc autem rectorum generatio benedicitur, vel quando pro fructificatione bonorũ operum Deus in præsenti sæculo addit gratiã gratię, vel quãdo in vẽturo sęculo operibus bonis bonam retribuit mercedem. ¶ Versu 4. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors & miserator & iustus. Lumen istud est lux illa vera, de qua Ioannes scribit, quòd illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc lumen exoritur rectis, in tenebris, vel quia in hoc mũdo (vbi omnia absque beneficio diuinæ illuminationis sunt plena tenebris ignorantiæ & cæcitate spirituali, vbi deest cognitio veritatis, & abundat nescientia boni) visitatione sua, iustitiæ studentes illuminat, vt ipsi videant quæ sint credenda, quæ speranda, & quæ agenda. Vel quia in cordibus hominum iustorum, ex sese non nisi ignorantia & cæcitate plenis, radijs illis suæ beatę lucis irradiat, quemadmodum Paulus apostolus ait, Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Omnes enim ex nobisipsis nil aliud quàm cęci sumus, quantumuis nobis videntes videamur, quemadmodum in sacra Apocalypsi spiritus quibusdã improperat, dicẽs: Dicis, quia dives sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. ¶ Versu 5. Iucundus homo, qui miseretur & commodat. Iucundus hîc non proprie lætum significat, quomodo solet accipi. Nam in Hebræo est nomen tob, significans bonum: & in Græco χρηστός, quod significat benignum, dulcem vel suauem, quemadmodũ

B alibi vertitur. Suauis dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Et rursum, Quia tu domine suauis & mitis. Iucũdus ergo homo hîc ponitur pro homine suaui, benigno, amabili, quomodo nos in Elucidatione expresimus. Verbum autem commodare, non hîc significat commodũ præstare, quemadmodum illi dicimur, commodare, cui vllum præstamus commodum, sed accipitur pro dare commodato, siue mutuare, quod aliquando dicimus fœnerari, quando vsuræ prauitatem à verbo secludimus. Id manifestè patet tam ex Hebræo quàm ex Græco. Nam ex Hebræo vertit Hieronymus: Bonus vir & (clemens supple erit) & fœnerans. Fœnerari autem in bonam partem sonat, commodato dare vel mutuare, quemadmodum Lucę sexto capitulo, Peccatores peccatoribus fœneran-

C tur, id est, mutuo dant. Et iterum, Duo debitores erant cuidam fœneratori, vbi fœnerator pro creditore ponitur. In Græco verò est participium κιχρῶν, quod significat cõmodato dantem, quod vocabulum apud Septuaginta in eadem significatione ponitur, primo capitulo primi libri Regum, vbi, de Samuele loquens mater eius, coram Heli, sic ait: κἀγὼ κιχρῶ αὐτὸν τῷ κυρίῳ πάσας τὰς ἡμέρας, hoc est, Et ego commodo vel commodato do eum domino omnibus diebus. In hoc autem quod dicit iustum commodato dare vel mutuare, intelligit etiam dare & distribuere pro loco & tempore, vbi necessitas se vel occasio obtulerit, & facultas adfuerit. ¶ Versu eodem, Disponet sermones suos in iudicio. Notum est, sermones non solum verba, sed etiam opera in scripturis significare. Vnde sensus est, Disponet res suas & sua omnia opera in iudicio. Quanquã potest & peculiariter de verbis quę per os homo loquitur, intelligi. Nam qui non offendit in lingua, hic perfectus est vir, vt Iacobus sanctus ait: & qui custodit os suum (iuxta Sapientis verbum) custodit animam suam. Dispositio autem hæc in iudicio intelligitur dupliciter, Primo, disponere, secundum iudicium & æquitatem, secundum regulam præceptorum Dei, & dictamen rectæ rationis. Secundo, disponere ad iudicium, id est, sic agere & sic moderari, tanquam qui sis de singulis redditurus rationem. Cùm enim (iuxta Sapientis verbum) omnia quæcunq; faciunt homines, Deus sit adducturus in iudicium: & cum (iuxta domini indubitatum sermonem) de omni verbo otioso quodcunque loquuti fuerint homines, reddent rationem in nouissimo die, proculdubio sapientis hominis & timentis Deum est, etiã nunc disponere sua omnia ad iudicium, omnia sic agere, quomodo apud iustum iudicem cõfidit se posse reddere rationem. Hinc iterũ per sapientiã dicitur, In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Sunt autem hæc quasi adinuicem subordinata. Nam qui omnia sua nunc disponit in æquitate, & curat omnia secundum regulam præceptorum Dei, rectęque rationis dictamen peragere, consequẽs est, hunc disponere omnia ad venturum domini iudicium, quo iudicabitur in æquitate. Quàm verò pulchrè de huiusmodi homine, miserente, commodãte, ac sermones suos in iudicio disponente subiungitur, ꝙ ipse in æternum nõ sit cõmouendus, quòd in memoria æterna sit futurus, quòd ab auditu

D vel rumore malo non cõmouebitur, quòd paratum sit cor eius sperare in domino, ꝙ confirmatũ est cor eius, quòd non commouebitur, imò despiciet omnes inimicos suos. O quanta sunt hæc hominis iusti & misericordis commoda, q̃ sunt hæc magna præconia, quàm pretiosa nimium bona nunquam commoueri, in æterna fore memoria, non timere ab auditione mala, paratum habere cor ad sperandum in domino, confirmatum esse corde in domino, non vnquã commoueri, imò inimicos despicere. Quomodo autem (queso te) posset conturbari homo misericors? quãdoquidem Diuinæ promissionis oraculo certus est, misericordiã consequuturos eos qui faciunt misericordiã. Quomodo is qui omnia disponit in iudicio, posset conturbari? cùm nihil habeat pro quo debeat cõturbari, sciens iustum se habere iudicem, qui in iudicio & æquitate iudicat. Quomodo non in æterna erit memoria iustus, cum eius iustitia sit permansura in sæculum sæculi? Nunquid poterit iustitia æterna permanere, & perire memoria iusti, cuius ipsa est iustitia? Quomodo ab auditione mala posset timere, qui in bonæ conscientiæ testimonio gloriatur, cuius mens secura quasi iuge conuiuium, exhilarat eũ qui sibi nullius mali est conscius, ob quod debeat metuere? Nam si principes terreni (iuxta Pauli vocem) non sunt timori boni operis, sed mali, & si nõ nisi propter vindictam malorum portant ipsi gladium: multo magis ille qui est primus omnium princeps & iudex, non est metuendus, nisi ijs qui sibi male conscij sunt, neq; ad bonorum punitionem, gladium portat. Quomodo insuper non paratum erit cor eius sperare in domino, & confirmatum erit in illo cor eius, cùm dicat Tobias, eleëmosynam esse

Ioan. 1.

2. Cor. 4.

Apoc. 3.

Psal. 44.

Psal. 85.

Luc. 6.

Luc. 7.

Iacob. 3.

Prou. 21.

Eccles. 12.

Eccle. 7.

Matth. 12.

Matth. 5.

Psal. 7.

2. Cor. 1.

Prou. 15.

Roma. 13.

Tob. 4.

fiduciam magnam apud altissimum omnibus facientibus eam, quæ etiã ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras? Quomodo ergo commoueri poterit? quomodo nõ despiciet omnes inimicos suos? At verò contra, ij qui non miserentur neque cõmodant, qui proximis misericordiã non exhibuerunt dum possent, meritò hi conturbabuntur timore horribili: quoniam quidem (Iacobo teste) iudicium sine misericordia fiet illis qui nõ fecerunt misericordiam. Hi in memoria æterna nõ erunt, quoniam proijcientur in terram obliuionis, & in generatione vna delebitur nomen eorum, pro eo quod nõ sunt recordati facere misericordiam: hi merito ab auditione mala timebunt, cùm rumor malus siue pestilentiæ siue prælij, siue alterius mali insonuerit, statim hi timore graui corripiuntur & conturbantur: tum quia perdere timent, quæ hîc cum amore possidẽt, temporalia bona, tum quia inuenire formidant quæ odiunt & quæ commeruerunt mala æterna. Quare autem sic ab auditione mala timent? quia non est paratum cor eorum sperare in domino, neque est in illo confirmatum cor eorũ. Quomodo enim in illo sperarent quem ignorãt, quem contemnunt atque repellunt? Inimicos autem suos ipsi nunquã despicient, sed magis suspicient: quando (iuxta Sapientis testimonium) dicent intra se, pœnitentiam agentes, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insanã, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Hi certè nõ inimicos suos despiciunt impij, verum seipsos despicientes, suscipiunt eos quos in vita habuerãt inimicos. Vides hac comparatione, quàm sit diuersa sors immisericordium à misericordibus, iustorum ab impijs. Cæterùm, de particula donec, quæ est in versu septimo, suprà iam dictum est, in versum secundum Psalmi 109. ¶ Versu 8. Cornu eius exaltabitur in gloria. Per exaltare cornu in scripturis significatur exaltatio & glorificatio. Vnde in alio loco Psalmista monet, iniquos non exaltare, neq; in altum tollere cornu, id est, non seipsos superbe magnificare aut exaltare contra Deum: iustorum autem cornua dicit exaltanda. Exaltabuntur, inquit, cornua iusti. Et Anna Samuelis mater, cùm iam esset, fœcunditate sibi data cælitus, super æmulam suam magnificata, & prole glorificata, canebat, exaltatum esse cornu suum in Deo salutari suo. Quomodo enim vulgata loquendi consuetudine dicere solent homines, superbis deteri aut abradi aut confringi cornua, cùm per confusionis ignominiã aut aduersitatem quamlibet grauem didicerint humiliari (secundum quem modum in Psalmo iã suprà citato dicuntur confringenda à Deo corna peccatorum) sic per contrarium in bonum cornua iustorum bene dicuntur exaltari, quoniam à Deo ad magnificam gloriam ab humilitate sublimabũtur. De hac re nonnihil diximus in Psal. 74. Ferè autem idem videtur esse hæc exaltatio cornu, quòd exaltatio capitis illa, de quo in vltimo versu Psal. 109. fit mentio.

Iacob. 2. Psal. 87. Psal. 108.

Sap. 5.

Psal. 74. Ibidem.

1. Reg. 2.

CXII. PSALMI ARGVMENTVM.

Seruos ac pueros Dei, ad laudem sui domini monet hic Psalmus, cuius benedictum nomen semper est & vbique laudandum, eo quòd omnibus sit ipse sublimior, & nulla ei valeat creatura, neque terrena neque cælestis præ sublimitate suæ gloriæ, comparari. Attamen humilitatem semper diligit in omnibus, pauperes spiritu et humiles, tametsi viles carne ac sordidos, in sublimitatẽ suæ gloriæ dignanter exaltans, qui de sua sterilitate dolentes & afflictos, donata eis fœcunditate, facit lætantes, & peculiariter eam, quæ olim sterilis erat, gentium nationem, in tempore gratiæ, fœcundam Ecclesiam pro suo placito constituit.

CXII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Laudate pueri dominum, laudate nomẽ domini.*

Philip 2.

2 *Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

Psal. 144.

3 *A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen domini.*

4 *Excelsus super omnes gentes dominus, & super cælos gloria eius.*

SErui domini, laudem & confessionem date omnipotenti, laudem, inquam, date sancto nomini eius, quod est super omne nomen. Hoc siquidem est tributũ hoc debitum, quod à suis seruis exposcit dominus, nempe laudis & gratiarum actionis sacrificium, quod nos illi iustũ est, si fideles esse volumus, persoluere, potius quàm aurum, vel argentum, vel corporales quaslibet victimas. 2. Laudetur sanctum illud & tremendum domini nomen, sitque iuxta suum nomen dominus ipse benedictus, à modo & vsque in sempiternum: quoniam laudis eius non est finis, neque digne satis laudari poterit vnquam. 3. Et dignum vtique est sanctissimum illud atque gloriosissimum nomen domini, vt per vniuersum orbem terrarum, ab oriente vsque in occidentem, ab aquilone vsque ad septentrionem, laudetur & glorificetur pura fidei confessione, ab omnibus nationibus & populis, vbicunque terrarum habitantibus, siue in mari: * Et dignum est item, vt à mane, quo sol exoritur, vsque ad vesperum quo sol occidit, confessio detur nomini superbenedicto: imò vt nullo vnquam tempore ab eius laude & benedictione cesset ur. 4. Est enim dominus natura & gloria magnus, eleuatus, gloriosus & excelsus, super omnes gentes, & super omnia quæ ipse creauit: ita vt etiam cælorum atque angelorum vincat gloriam, infinito interuallo post se relinquens omnia potentia & bonitate atque omnimoda perfectione, in immensum superans vniuersa, adeò vt nulla sit creatura tam excelsa, quæ creatori omnium

5 *Quis sicut dominus Deus noster.*
* *qui in altis habitat, & humilia respicit, in cælo & in terra?*

6 *Suscitãs à terra inopem:*
* *& de stercore erigens pauperem.*

7 *Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.*

8 *Qui habitare facit sterilem in domo, matrẽ filiorum lætantem.*

nium dignè valeat cõferri. 5. Neq; enim alicubi siue in cælo siue in terra reperiri poterit qui ex æquo cũ domino Deo nostro possit conferri, ac velut ei coæqualis comparari: * qui cum mãsionem suam & habitationem regiam in altissimis habeat cælorum, longe cælis omnibus altior, & super omnem in infinitum transcendens creaturam, dignatur nihilominus ipse in tam sublimi residens dimittere sese ad ea quæ inferne geruntur, sua nihilominus prouidentia ad inferiora dignatur attendere, quæ aguntur siue in cælis siue in terris. Omnia enim eius subijciuntur prouidentiæ, quamuis in immensum omnibus emineat superior. 6. Ipse humiles spiritu & sibijpsis præ humilitate dissidentes, neque nisi in Deo auxilium habentes erigit, suæ gratiæ auxilio, de puluere terrenarum rerum: * & spiritu pauperes eleuat atque extrahit de stercoribus mundanarum cupiditatum, quæ velut stercora fœtent ante oculos domini: * & de vili isto atque stercoreo sordidæ carnis habitaculo, educendo exaltat. 7. Subleuat, inquam, & erigit pauperes dominus, non vt eos viles iterum seruos faciat, aut laboribus subdat, sed ad magnificam nimis gloriã, nempe vt eis sedem & locum tribuat in mente sua, inter glorioßissimos illos cælestes principes, ciues angelicos, atque inter principes populi sui, patres præcellentes atque Patriarchas, Abraham, Isaac, Iacob, Samuel, Dauid, sanctosque Apostolos, & cæteros tam veteris quàm nouæ legis patres, qui sunt ante dominum: nimirum vt cum his in regno Dei in vna mensa pariter accumbant, eademque fruantur gloria. 8. Ipse cùm vult, eam quæ prius vt sterilis & infœcunda erat despecta fœcundam facit, & in domo in medio filiorũ multorum, quasi familiæ matrem, facit habitare cum gaudio: lætantem videlicet super filijs diu concupitis, ac tandem Dei dono assequutis, quemadmodũ antè in sterilitate sua, solitaria ac desolata vixerat: * Qui etiam in temporis plenitudine gentilitatem quæ sterilis quondam fuerat, Deo non pariens liberos, iam fecit inhabitare sanctam Ecclesiam (quæ est domus eius) in magna fœcunditate, multorũ filiorum matrẽ, quos Deo progignit.

Lucæ 22.

Esaiç 49.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXII.

VErsu 1. Laudate pueri dominum. Pueri ponitur pro seruis, quomodo seruum in Euangelio appellat Centurio puerum. Vnde Hieronymus & Felix vertunt, Laudate serui Dominum. In secundo autem versu, cùm dicitur, Ex hoc nunc & vsque in sæculum: ex hoc nunc, valet à modò vel ex nunc. Nam quod hoc interijcitur, fieri puto ad exprimendum articulum Græcum, Græcè enim habetur ἀπὸ τοῦ νῦν, hoc est, ab ipso nunc, vel ab hoc modò, accipiendo modò aduerbialiter: vel etiam causa explicandæ emphasis, quæ latet in articulo. ¶ Versu 3. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen domini. In Elucidatione indicauimus duplicem intelligentiam. priorem, de loco, vt significetur nomen domini esse laudandum in omnibus partibus orbis terrarum, quemadmodum apud Prophetam alium dicitur: Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. Posterior intelligentia est de tempore, vt significetur, à mane vsque ad vesperam esse laudandus Deus. Prior tamen intelligentia videtur magis conueniens: quoniam de omni tempore sermo factus est in versu statim præcedenti cùm dicitur, Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vsque in sæculum: propter quod, conuenientius erit hoc versu loci generalitatem significari. ¶ Versu 5. Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Quidam olim antiquorum, Dei nimis excelsam habitationem considerantes, senserunt, Deum non ea quæ aguntur in terris attendere. Ex quorum persona, in libro Iob dicitur, Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat. Veritas autem per fidem simul & per rationem monstrat contrarium, videlicet ob exaltatam habitationem & sedem Dei nihil ipsum minus quæ inferne aguntur attendere. Quod hic nunc significari videtur, cùm dicitur, Humilia respicit. Humilia enim appellantur inferiora: quæ inferne aguntur circa creaturas. Et cùm additur, Humilia in cælo & in terra, significatur, etiam quæ in cælo sunt humilia esse diuino prospectui: quandoquidem sedes altitudinis eius in infinitum transcendit, omnibus cælestibus altior, licet secundum piam dignationem suam, in illis suam sedem beatis angelis atque hominibus demonstret. Atque ita hoc in loco exprimitur vniuerlitas prouidentiæ Dei, ad omnia sese extendentes, & quæ in terra. Potest tamen hic passus aliter exponi, ad hunc modum. Quanquam sic in sublimi sede gloriæ suæ super omnia eleuatus Deus residet, semper tamen ad humilia attendit, id est, ad humiles respicit: & vbicunque humilem aliquem conspicit aut pauperem spiritu, super eum ponit boni sui fauoris oculos, videlicet vt eum in tempore visitationis (iuxta apostoli Petri verbum) exaltet, & in tempore tribulationis adiuuet. Hic enim est Dei erga humiles respectus in bonum. Atque ita eadem ferè huius loci erit sententia, cum eo quod in Psalmo decimo scribitur, Dominus in templo sancto suo, dominus in cælo sedes eius. Oculi in pauperem eius respiciunt, quasi dicat, Quanquam in templo sancto suo in cælo habeat

Lucæ 7.

Mala. 1.

Iob 22.

1. Pet. 5.

Psal. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

beat ſedem,in pauperes tamen ſpiritu ſemper benigno aſpectu intendit,paternam illorum gerens cu E
Pſal.137. ram. Atque huic expoſitioni ſatis conſonant quæ ſubſequũtur, de exaltatione pauperum & inopum glorificatione,deque ſterilis fœcundatione. Conſonat etiam quod in alio pſalmo ſimilibus ferè verbis dicitur,Excelſus dominus & humilia reſpicit,& alta à longe cognoſcit:vbi per vltimæ huius particulæ additionem,manifeſtè indicatur,priorem de humilibus corde intelligendam. Sed videtur reclamare,quod dicitur:Humilia in cælo & in terra. Nam in cælo quomodo peculiariter humilia reſpicit,vbi nihil niſi ſumma humilitas eſt,& ſumma erga Deum mentis & cordis ſubiectio,tam in angelis quàm in beatis hominibus? Huic autem dupliciter reſponderi poteſt. Vel enim, ad angelos hoc dictum referri poteſt,qui ab initio per humilitatem ab inuicem diſcreti fuerunt. Nam in principio conditionis angelicæ naturæ, eos qui per humilitatem gloriam dabant ſuo conditori, Deus ipſe peculiariter reſpexit,vt eos confirmaret in gratia & gloria, faceretque ſibi miniſtros & conuiuas perpetuos,in beatitudine æterna:econtrario autem illos ſuperbos,qui per elationem intumuerunt contra ac ſupra creatorem,deſpexit & reprobatos abiecit,rudentibusque inferni de cælo detractos (vt
2.Pet.2. ſanctus Petrus ait)tradidit in tartarum cruciandos, ac reſeruandos in nouiſsimum iudicij magni diẽ. Deinde,etiam nũc in cælis, eo quiſque hominum glorificatorum plenius Dei gloria ſatiatur,eo maior eſt vniuſcuiuſque fœlicitas, eo magis à Deo reſpicitur, diuinoque fauore repletur abundantius, F
quo magis,dum viueret in terris, ſe humilem erga Deum exhibuit: vt vel hac potiſsimum ratione, ſanctorum patrum ſententia,Deiparam virginem Mariam,omnibus cæleſtibus ciuibus vniuerſisque angelorum ordinibus aſſerat celſiorem,& Dei filio proximam,quod præ omnibus,dum in terris eſſet,infime ſeſe humiliaſſet. Denique in ęternitate in cæleſti beatitudine,ita perpetuò beatorum ſtatus habet,vt quanto Deo proximus quiſque fuerit,& in regno illo ſublimior,tanto verò cordis humilitas in eodem abundantior effulgeat. Hoc enim veridica ratione perſuaſum merito ſentimus, virginẽ benedictam Mariam,vt iuxta ſanctorum patrum ſententiam omnibus & angelis & hominibus in gloria præeminet,ac Deo accedit proxime,ita vt humilitate altiſsima,nunc & in perpetuum, infra omnes angelos & homines,ex corde profundiſsimo,eſſe & fore diuinitati maxime ſubiectam. Cùm enim vera humilitas oriatur ex cognitione Dei & ſuiipſius, duo autem hęc optime præſtet illuminatio diuina,conſequitur,eam quæ à diuino radio ſuper omnes illuminatur,ſicut omnibus clarius Deũ cognoſcit & ſemetipſam,ita omnibus præſtantiorem & profundiorem habere humilitatem: quæ ſic in perpetuum perdurabit, quomodo nunquam deſinet, neque Dei celſitudinem, neque ſuiipſius in ſeſe contueri vtilitatem. ¶ Verſu 6. Suſcitans à terra inopem,& de ſtercore erigens pauperem,vt collocet eum cum principibus,&c. Nonnunquam iſtud videmus Dei ordinatione ad literam etiam temporaliter impleri,vt humiles & deſpecti euehantur ad ſublimia:quemadmodum populus Iſraëliticus G
qui erat numero modicus & incognitus poſtmodum factus eſt in cunctis populis glorioſus: & Saul cùm eſſet paruus in oculis ſuis,de tribu & familia non maxima caput in Iſraël factus eſt. Dauid item
1.Reg.15. de gregibus ouium,& de poſt fœtantes (vt in alio Pſalmo dicitur) ad regnum aſſumptus eſt Iſraëliti-
Pſal.77. cum. Sic & poſtmodum frequenter contigit,ad dignitates magnas & præfecturas,ob virtutem atque probitatem exaltari humiles. Ita quoque in ſpiritualibus,ſancti Apoſtoli & eorum ſucceſſores pleri-
Pſal.44. que homines humiles & ex infima plebe,ad Eccleſiarum gubernacula,Diuina electione,ſunt aſſum-
Pſal.46. pti, principesque conſtituti ſuper omnem terram, & quaſi dij fortes vehementer exaltati. Puto tamen principaliter hîc pſalmiſtam loqui,de humilium exaltatione ad gloriam, quomodo in Elucidatione indicauimus. Ac iuxta hanc expoſitionem,licebit partes ambas accipere in eandem ſententiam, vt idem ſit ſuſcitare de terra vel puluere,quod de ſtercore erigere, id eſt, de humilitate exaltare. Vel diſtincte interpretari poſſumus,vt de terra vel puluere ſonet humilitatem naturę ſiue materiæ. Nam
Gene.3. (iuxta verbum domini)puluis & cinis eſt homo,& in puluerem reuertetur: quod ſequitur autem de ſtercore,ſonat vilitatem & ſordes vitiorum. Terra enim & puluis, licet vilis & deſpectus ſit, non tamen fœtet neque ſordet. Stercus autem præter infimam vilitatem,abominandum quoque habet fœtorem. Atque ita homo ratione ſuæ materiæ ex qua factus eſt, licet vilis ſit & humilis, eo quòd pul- H
uis & cinis,tamen non eſt hac ratione ſordidus, neque fœtidus in naribus domini Sabbaoth: ratione autem vitij,non tantum amplius vileſcit,verumetiam maxime ſordet,fœtet, efficiturque execrabilis. Deus autem, ſua immenſa bonitate & inæſtimabili miſericordia, non ſolum de terra ſuſcitabit, vel exaltabit inopem,non ſolum nos qui puluis & cinis ſumus, exaltabit ad gloriam & immortalitatem: ſed ad eandem ſublimitatem euehet etiam fœdiſsimis inquinatos ſordibus vitiorum, ſi modo in humilitate ſpiritu contribulato & corde contrito agant pœnitentiam. Quod autem ſequitur, Vt collocet eum cum principibus,cum principibus populi ſui,illic reſpondet quod in Euangelio ait dominus: Dico vobis quòd multi venient ab oriente & ab occidente,& recumbent cum Abraham, Iſaac,
1.Reg.1. & Iacob,in regno cælorum. ¶ Verſu vltimo, Qui habitare facit ſterilem in domo. Quod dicitur de
Luc.1. ſterili fœcundata,vt ſit mater filiorum in gaudio,videmus ad ocularem experientiam frequenter humilibus accidere:quemadmodum Annæ Samuelis,& Elizabeth præcurſoris matri. Secundum myſticam verò ſublimiorem intelligentiam,gentium competit Eccleſiæ, quæ prius ſterilis erat, Deo libe-
ros non gignens, ſed idolis ac dæmonibus: poſtmodum tamen ex Dei gratia fœcundata plurimis filijs,quaſi magnæ familiæ mater, Chriſti domum nunc inhabitat, imò eſt ipſa domus Dei: quemad-
Eſaiæ 54. modum multo antè prophetauit Eſaias,cùm in ſpiritu alloquens Eccleſiam gentium, dicebat. Lauda ſterilis quæ non paris,decanta laudem,& hinni quæ non pariebas: quia multi filij deſertæ magis, quàm eius quæ habebat virũ, dicit Dominus, id eſt, multo plures erunt filij Eccleſiæ gentium, quàm Synagogæ Iudæorum.

CXIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iſte,cum exultatione veteris Iſraëlitici populi beneficia,dignanter illi à domino exhibita,recenſet. Et primum quidem liberatio eius de ſeruitute Aegyptiaca proponitur, in qua mare rubrum duce Moyſe diuiſum conſtat: deinde introductio in promiſsionis terram in qua Iordanis legitur fuiſſe ſiccatus, aquis ſeſe in modum montium agglomerantibus, & modo quodam per incrementum continuum ſubſilientibus. Inſuper quod aquam de petra dedit ſitientibus, ſub quibus particulatim enumeratis, cætera veniunt in generalitate intelligenda. In quibus omnibus, non ſuam populus domini gloriam quærit, ſed domini Dei ſui, quo ſic veritas & miſericordia eius fiant manifeſtæ, & blaſphemantium idololatrarum ora obſtruantur. Vbi, occaſione accepta, idolorum graphice depingit vilitatem: in quibus neque vita, neque ſenſus, neque motus vllus eum, quemadmodum iuxta veritatem, neque in illis qui ea colunt. Ex aduerſo autem, Dei veri cultorum deſcribitur ſupernum auxilium, protectio atque benedictio, ſine perſonarum acceptione, indifferenter omnium. Nouiſsime verò, ſuper populum domini ponitur bona precatio: & reiectis à Dei laude mortuis atque damnatis, viuentium atque ſaluandorum perpetua aſſeritur eſſe laudatio.

CXIII. PSALMI ELVCIDATIO.

B *1 In exitu Iſraël de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro.*
2 Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius:
** Iſraël poteſtas eius.*
3 Mare vidit et fugit:
** Iordanis conuerſus eſt retrorſum.*
*4 Montes exultauerũt vt arietes: * & colles*
C *ſicut agni ouium.*
5 Quid eſt tibi mare quod fugiſti?
** & tu Iordanis quia cõuerſus es retrorſum?*
6 Montes exultaſtis ſicut arietes:
** & colles ſicut agni ouium?*
7 A facie domini mota eſt terra:
D ** à facie Dei Iacob.*
8 Qui conuertit petrã in ſtagna aquarum:
** & rupem in fontes aquarum.*

9 Non nobis domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.
10 Super miſericordia tua & veritate tua:
** nequando dicant gentes, vbi eſt Deus eorũ?*

CVm exiret populus Iſraëliticus de terra Aegypti, cùm egrederentur filij Iſraël, familia Iacob, de populo illo Aegyptiaco,populo linguæ peregrinæ, populo itẽ ſcelerato & idololatra,crudeli atque immani, ſuos aduenas ſęue nimis atq; barbare,& prorſus inhumaniter tractãte. 2. Tunc factus eſt populus Iudę ſiue Iſraël ſanctificatio domini Dei ſui: * tunc factus eſt populus Iſraëliticus peculiare dominiũ, peculiaris hęreditas, peculiaris populus, & ſingularis poſſeſſio domini, prę cęteris gentibus. 3. Mare rubrũ in exitu filiorũ Iſraël de Aegypto, proinde quaſi vidiſſet aut cognouiſſet domini voluntatem, & Iſraëlitici populi per ipſum trãſituri aduentũ, diuiſum eſt in diuiſiones & ſolitũ fluxum neglexit, ſteteruntq; aquę hinc & inde pro muro, vt tranſitum præberent fugienti Iſraëli: * ſimiliter & Iordanis fluuius, Exod.14.
cùm poſt multos annos tranſituri eſſent de deſerto in terrã promiſsionis, duce Ioſue, poſt mortem Moyſi, ſiccatus eſt, iubente Domino, redeuntibus aquis ad locũ originis ſuę, neq; ſolito fluxu fluentibus. 4. Intumuerunt fluere prohibitæ aquæ, & accumulatæ ſunt in molẽ vnam, ita vt procul in montiũ morem apparerent: viſiq; ſunt montes iſti, per continuũ aquarum aduentũ increſcentes & intumeſcentes, velut ſubſilire atq; exultare, ad eum modum quo ſaltare ſolent ludentes arietes: * & minores eleuationes ſuo etiã modo ſubſilierunt, intumueruntque, quaſi agni gregis, ſaltũ arietum duorum ducũ imitantes atq; inſequentes. 5. Sed dic, quæſo te, ô mare, quid tibi cauſæ erat, aut hoc tibi vnde
Gene.1. proueniebat, vt præter naturã ſiccum relinqueres, pedibusq; pertranſi-
Luc.1. bilem tuum alueum? * & tu dic, Iordanis, vnde hoc tibi, vt fluxum tuum ſolitum non proſequereris tranſeunte Iſraëlitico populo? 6. Vos quoq; ex intumeſcentibus aquis agglomerati mõtes, dicite, cur in altum ſubſiliiſtis, velut exultantes in morem arietum ſaltantium, & non magis plane iuxta veſtræ naturæ conditionem, & morem ſolitum decurriſtis:
Num.20. * & minores aquarum eleuationes, quare item ſubſilijſtis in modum angelorum gregis? Proculdubio, non ex natura hoc erat, neque tibi, ô mare rubrum, neque tibi, ô Iordanis, neque ex humana vlla virtute, ſed plane ſupernaturali ordine atque diuina virtute, vt iter fieret electo & ſanctificato populo domini ad gloriam nominis eius. 7. Et quidem Deo nihil eſt vel impoſsibile, vel difficile, à cuius facie, voluntate & iuſsione commouetur etiam terra, & cõtremiſcit: * à conſpectu, in-
Gene.1. quam, præſentia & voluntate domini Dei Iſraël. 8. Ipſe enim eſt, qui de
Luc.1. petra, in deſerto, ſitienti populo dedit aquas copioſiſsimas, ita vt in magnas congregationes ſtaret aqua, biberetque populus & iumenta eorum: * & de ſilice duriſsimo, percutiente Moyſe virga, effluere fecit a-
Num.20. quarum velut copioſiſsimos fontes ac fluuios. 9. Et quidem in omnibus his magnalibus, quæ tu pro nobis exhibuiſti, nobis ſufficiat miſericordia ac gratia tua: tibi autem & glorioſo nomini tuo ſit honor & gloria, in omnibus populis, qui te iſta audierint pro tuis electis patraſſe mirabilia: abſit verò, vt nobis ipſis pro his demus gloriã, qui ſumus vel minimo tuo beneficio ex nobis prorſus indigni. 10. Tui, inquam, nominis gloriam ſic manifeſtam facias, pro declaranda miſericordia tua erga ſeruos tuos, & veritate, in fideli adimpletione promiſſionum tuarum, quas feciſti patribus noſtris & ſemini eorum: * vt non valeant iuſta cauſa nobis obiicere gentes idololatræ, per exprobratio-

11 *Deus autem noſter in cælo:*
** & omnia quæcunq; voluit, fecit.*
12 *Simulachra gentiũ argentum & aurum:*
** opera manuum hominum.*
13 *Os habent, & non loquentur:*
**oculos habent, & non videbunt.*
14 *Aures habent, & non audient:*
** nares habent, & non odorabunt.*

15 *Manus habent, & non palpabunt:*
** pedes habent, & non ambulabunt:*

**non clamabunt in gutture ſuo.*

16 *Similes illis fiãt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*
Ioan.14. 17 *Domus Iſraël ſperauit in domino:*
** adiutor eorum, & protector eorum eſt.*
18 *Domus Aaron ſperauit in domino:*
** adiutor eorũ, & protector eorum eſt.*

19 *Qui timẽt dominũ ſperauerunt in domino:*
** adiutor eorũ, & protector eorum eſt.*
20 *Dominus memor*

nem, dicentes: Quis eſt Deus Iſraël? aut vbi eſt? aut quid operatur in E
eis? vt habeamus quæ reſpondeamus idololatris iſtis exprobrantibus
nobis, adducendo mirabilia quæ tu operatus es pro nobis, in terra at-
que in mari. 11. Si ita requiritis idololatræ gentes, vbinam ſit Deus no-
ſter qui facit hæc mirabilia, ecce Deus noſter in cælorum ſublimi ve-
lut in palatio gloriæ, inter angelicos ciues inhabitat: * tam virtute po-
tens, vt quæcunque voluerit ſine contradictione poſsit opere perfice-
re, ſiue in cælo ſiue in terra. 12. Gentium autem idola quæ colunt, quod
ad materiam attinet, vel argentea ſunt, vel aurea, vel ænea, vel alterius
cuiuſlibet craſſæ materiæ: * artificum manibus ſiue ſculpta, ſiue fuſa: &
eo ſane viliora, quòd non naturæ ſunt opera, ſed mera artis figmenta,
ad naturalium rerum ſimilitudinem ſecundum externam apparentiam
efficta: iuxta naturæ autem veritatem nequaquam aſsimilata. 13. Oris
quidem habent figuram quandam & ſimilitudinem, ad modum oris
exterius depictam & ſculptam, & quandam labiorum habent apparen
tiam: verum per illud apparens os ſuum nullam poſſunt vocem edere, F
ſimulachra muta ſunt, nihil interrogantibus loqui per os ſuum valen-
tia: * ſic & oculos quoſdam videtur habere, per quos tamen videre ni-
hil poſſunt, neque colorem vllum diſcernere, aut lumen cæli contueri.
14. Sic aurium habent ſibi per artis induſtriam effictam ſimilitudinem,
artificialibus inſtrumentis ſic accuratè elaboratam: verum non eſt au-
ribus illis virtus audiendi quippiam, neque voces exaudire poſſunt, aut
ſonos diſcernere: * inſuper & narium habent effictam ſimilitudinem,
quibus tamen odorari nil valent, quibus odorem nullum poſſunt ſen-
tire, neque gratum, neque ingratum. Atque ita manifeſtum eſt omni
ſenſu illos ſecundum veritatem carere, ac proinde minus quàm bruta
eſſe, brutisq; longe inferiora, quæ his ſenſitiuis organis ad conuenien-
tes ſibi naturales operationes vti poſſunt: cùm hæc idola, illis, quæ vi-
dentur habere, organis ſenſuum prorſus ad nullum ſentiendi actum
vti poſsint, non amplius quàm trunci rudes, in quibus talia nulla ap-
parent organa. 15. Inſuper & manus habent ſimilitudinarias, ad ſimili-
tudinem hominum digitalibus & articularibus diſtinctionibus ſubti-
liter formatas: verum his ſuis manibus palpare nihil poſſunt, contre- G
ctare aut tangere, vt tangendo palpandoue diſcernant: * pedes item ſi-
mili artificio formatos habent, & inſtrumenta ad ambulandum apta
videntur habere: non tamen pedibus illis fictis valent vel ad paſſum
vnum ambulare, aut vllo modo de loco ſe ad locum mouere, ſuntque
vt rudes & informes, trunci æque immobiles: * Neque per fictum gut-
tur ſuum, quod habere videntur, vocem clamoris poſſunt edere, quic-
quid tandem illis contigerit: etiam ſi exurantur, etiam ſi omnibus pre-
tioſis monilibus ſpolientur, non valent exclamando incenſorem aut
prædatorem prodere. 16. Qui idola ſibi faciunt ad colendum ea, ſimi-
les efficientur illis, & vniuerſi idolorum cultores, qui ſpem ſuam po-
nunt in eis quaſi in veris dijs. Quemadmodum enim ſupradictum eſt,
idolis, tametſi organa videantur ſenſum habere, nullam tamen ineſſe
vitæ, ſenſus, aut motus operationem: ita qui idola colunt, vita prima
(quæ Deus eſt) carentes, ſecundum veritatem neque vident mentis ocu H
lis, neque quæ Dei ſunt, audiunt, neque guſtant bonum Dei verbum,
neque palpant de verbo vitæ, neque Dei bonum odorem olfaciunt,
neque operationem aliquam vitæ interioris demonſtrare poſſunt: ſed
prorſus exiſtunt mortui & inſenſibiles, vt non aliud videantur quàm
ligna & lapides, qui ligna & lapides adorant. 17. At verò Iſraëlitica fa-
milia reputans idolorum vanitatem, dominum elegit Deum ſuum, &
ſpem ſuam in eo conſtituit: * & ipſe viciſsim factus eſt eis adiutor at-
que protector, in omnibus neceſsitatibus eorum. 18. Peculiariter quo-
que Aaronica ſacerdotalis familia, ſpem ſuam fixit in domino, pro eo
quòd eam ſingulari ſacerdotij ſui honore decorauit, vt tanto illi hæ-
rerent fixius, quanto eos ſibi iunxiſſet vicinius: * ipſe verò peculiaris
adiutor atque protector factus eſt eis. 19. In vniuerſum denique om-
nes, quotquot ex corde diligunt, ac reuerentur dominum, ſpem ſuam
habent repoſitam atque defixam in eo: * & ipſe neminem repellens,
omnibus præbet gratiæ ſuæ, ad declinanda peccata, virtutesque ſe-
ctandas, auxilium: & aduerſum hoſtium inſultus protectionis ſuæ
impendit beneficium, ita neminem ſua deſtituens gratia. 20. Non
eſt oblitus dominus noſtri, neque obliuiſci potuit, ſed memor fuit
ſeruo-

A *fuit noſtri:*
** & benedixit nobis.*
21 *Benedixit domui Iſraël: benedixit domui Aaron.*
22 *Benedixit omnibus qui timent dominũ, puſillis cum maioribus.*
23 *Adijciat dominus ſuper vos: ſuper vos, et ſuper filios veſtros.*
B 24 *Benedicti vos à domino: qui fecit cælũ & terram.*
25 *Cælũ cæli domino:*
** terram autem dedit filijs hominum.*
26 *Nõ mortui laudabunt te domine: * neque omnes qui deſcendunt in infernum.*
27 *Sed nos qui viuimus benedicimus domino:*
C *ex hoc nunc & vſque in ſæculum.*

ſeruorum ſuorum in bonum, cogitauit de nobis ad vtilitatem no-
ſtram: * & ſicut ſperauimus, ita benedictionem ſanctam ſuam no-
bis largitus eſt, & benefecit nobis, Omnibus nos bonis ſua beni-
gnitate adimplens. 21. Benedixit benedictione ſua ſancta in cæle-
ſtibus dõnis populo Iſraëlitico, quem ſanctificauit ſibi, peculiari-
ter quoque Aaronicæ familiæ, quam fecit ſacerdotalem. 22. Neque Coloſſ. 3.
his tamen ſolis, verum in vniuerſum omnibus qui eum reuerentur Ephe. 6.
& colunt, ſine perſonarum acceptione, paruis æquè atque magnis, Actu. 10.
pauperibus atque diuitibus. In veritate enim perſonarum acceptio Ro. 2. 6.
non eſt apud Deum, neque videt ipſe ea quæ foris patent, ſed intue- 1. Reg. 1.
tur cor: & quicunque eum honorificauerit, glorificabit illum, ſiue 1. Reg. 2.
puſillus fuerit, ſiue magnus, diues aut pauper. 23. Adaugeat popu-
lum ſuum Dominus, multiplicetque, & creſcere faciat, tam nume-
ro quàm profectu virtutum: eos dico qui nunc ſunt, & qui poſt vos
venturi ſunt, poſteros veſtros. 24. Sitis benedicti à domino, & ip-
ſe vobis benefaciat, qui creauit cælum & terram, & omnia quæ in
eis ſunt, ac proinde potens eſt quibus velit benedicere ſiue benefa-
cere. 25. Supremum cælorum, id eſt, præclarum illud empy-
reum cælum, domino eſt deputatum in aulam regiam, & in palatium
gloriæ ſuæ, vbi cum miniſtris ſuis ſecundum plenitudinem gloriæ ſuæ
inhabitet: * terram verò dedit ipſe inhabitandam hominibus in
ſtatu mortalitatis perdurantibus, donec poſt labores tempus adue-
niat tranſlationis eorum. 26. Eia dulcis Domine, qui in peccatis
mortui iacent deſperati, atque à te in ſempiternum proiecti, non ip-
ſi laudem dabunt tibi: * neque quicunque in infernum ſunt demer-
ſi, laudem dabunt tibi, ſed blaſphemabunt magis ſanctum nomen
tuum. Atque ob hoc, in vita iſta corporis, donec tibi erit placitum,
& potiſsimum animæ, cuſtodi nos, vt vel à nobis viuentibus laus de-
tur tuo nomini, quod blaſphematur ab impijs coram te mortuis.
27. Nos enim qui in ſalutari tua gratia viuimus, laudem placitam da-
mus tibi, quam vt modò in gratia canimus, ita ſperamus in ſempi-
ternum nos cantaturos ante conſpectum gloriæ tuæ ſempiternæ, in
quam, iuxta pollicitationem, introduces populum tuum, quem re-
demiſti propter gloriam magnifici nominis tui, quod eſt benedictum
in ſæcula, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXIII.

VErſu 1. In exitu Iſraël de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Iſraël & domus caſu datiuo debent accipi: quemadmodum Græca lectio monſtrat, & ſenſus ratio expoſcit. Populum autem barbarum intellige, ratione linguæ peregrinæ. Ille enim mihi eſt barbarus, qui in loquendo tali vtitur idiomate, quod ego non intelligo, quodque mihi eſt incognitum: quemadmodum ait Paulus Apoſtolus capitulo decimoquarto epiſtolæ prioris ad Corinthios, Si neſciero virtutem vocis, 1. Cor. 14.
ero ei cui loquar barbarus, & qui loquitur mihi, barbarus. Aegyptiorum autem idioma, diuerſum erat ab idiomate Iſraëlitarum. Vnde in alio Pſalmo dicitur de Ioſeph, vel genere Iſraëlitarum: Linguam quam non nouerat, audiuit. Quod ſi quis interroget, quomodo filijs Iſraël tunc cùm exirent Pſal. 80.
D de terra Aegypti potuerint ipſi Aegyptij eſſe populus barbarus, cùm verisimile ſit, in tanto tempore, quo in terra habitauerant, didiciſſe Iſraëlitas linguam Aegyptiorum? Reſpõdemus, fieri potuiſſe, cùm in terra Geſſen habitauerint filij Iſraël, ſeparati ab Aegyptijs, vt vulgus Iſraëlitarum linguam Aegyptiorum nunquam addidicerit, quod perparum haberent, aut omnino nihil cum Aegyptijs negotij. Aut ſi huc nõ libet recurrere, ideo dicas barbarum populum dici, qui à principio cùm intraret Iſraël in Aegyptum, incognita & omnino peregrina erat illi lingua Aegyptiaca, etiam ſi pòſt facta fuiſſet illi familiarior. Vel Populum barbarum, intellige populum inhumanum & crudelem, non ſe erga populum domini ciuiliter, vt eiuſdem terræ incolas decebat, & præſtita eis per Ioſeph beneficia expoſcebant, gerentem, ſed quaſi erga aduerſarios hoſtes, omnem crudelitatem (naturali quæ his debetur commiſeratione ſepoſita) in aduenas & peregrinos exercentem: quemadmodum nimis manifeſtè per plura capita monſtrat principium Exodi. ℂ Verſu 2. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſraël poteſtas eius: Iudæam in fœmineo genere, præter conſuetudinem ponit hîc pro tribu, ſub vna tamen tribu præcipua intelligendo populum vniuerſum: quemadmodum alibi ſub nomine Ephraim totum intelligit populum, vt pſalmo ſeptuageſimoſeptimo, Filij Ephrem, ſiue Pſal. 77.
Ephraim, intendentes, & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli. Intelligitur autem Iudæa, vel populus Iudaicus factus ſanctificatio domini, quia tunc in eo fuit dominus ſanctificatus, magnificatus & glorificatus, in magnis videlicet prodigijs & oſtentis vſque tunc inauditis, quæ pro populo illo tum exhibebat palàm toto mundo. Vel quia tunc populum iſtum ſanctificauit, quia tunc ſanctum eſſe ſibi, & (ratione promiſsionis factæ patribus) electum, in oculis omnium demonſtrauit

vtpote cuius gratia tã ſtupenda ederet portenta, vt etiam maris pro illorum trãſitu ſiccaret alueum. E
Factus eſt populus ille ſanctificatio domini, quia oſtenſus eſt populus ſanctus eſſe domini. Vel ideo
factus eſt domini ſanctificatio, quia ſanctificatus tunc quaſi denuo, ſiue de nouo fuit domino Deo
ſuo. Vſq; tunc enim cõmixtus fuerat inter idololatras Aegyptios, & quaſi gens non ſancta, quaſi po-
2.Cor.6. pulus non electus habebatur, cùm pro eo nihil ageret Deus, imò in oppreſsione multa relinqueret.
Verùm in illa mirabili eductione, quaſi peculiariter ſanctũ & electum populum ſegregauit ſibi, vt ei
benefaceret eximie, & ſpeciali ratione habitaret in medio eius, quaſi pater in medio familiæ ſuę, quaſi
rex in medio regni ſui. In ſecũda autem parte cùm dicitur: Iſraël poteſtas eius, poteſtas accipitur pro
dominio vel imperio: eſtque ſenſus, Iſraël factus eſt populus in quo peculiariter imperaret, domina-
retur, & regnaret dominus: vt poteſtas Dei accipiatur, pro eo in quo poteſtatẽ ipſe exercet & prin-
cipatum tenet: quẽadmodum regnum aliquando appellatur vniuerſus ipſe populus terræ, quibus rex
imperat. Vnde paraphraſticè ſic verti poterat: Iſraël factus eſt in quo Deus principẽ ageret, aut tene-
ret imperiũ. Quantum tamen ad priorẽ partem: Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius: quidam Hebræo-
rum dicunt, viros tribus Iuda primos fuiſſe auſos in fiducia verbi domini deſcendere in maris alueũ,
atq; ita ſpecialiter illam tribum dicunt hac in re factam eſſe ſanctificationem domini, quoniam ſan-
ctificauerunt dominum, ſic fideliter agentes, & fratres ſuos tribus reliquas ad fiduciam ſuo exemplo
inuitantes. Nec enim melius ſanctificatur à nobis Deus, quàm obedientia verbi, & fiducia promiſsi F
eius. Verùm id quia certum non eſt, neque authoritate ſufficienti firmatum, præcedentia vt magis
certa præferenda videntur: vt non de tribu vna, ſed de toto populo accipiatur intellectus. ¶Verſu 3.
Mare vidit, & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Hîc proſopopœia eſt. Fit enim ſermo de inani-
matis atq; inſenſibilibus, quaſi ſi ſenſum haberẽt, cùm dicitur mare videre & fugere. Secundum quem
modum & alibi dicitur, Viderunt te aquæ, Deus viderũt te aquæ, & timuerũt, & turbatę ſunt abyſsi.
Pſal.76. Cùm verò dicitur mare vidiſſe, ſubaudi Deum, quẽadmodum illo in loco dicitur, Viderunt te aquæ
Deus, & timuerunt, vel populum domini, angelo ipſius & duce Moyſe comitatũ. ¶Verſu 4. Montes
exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium. Diuerſimode hunc verſum diuerſi interpretantur.
Quidam exponunt de deſcenſu domini ſuper montem Sinai, quando mons ille adueniente domino
contremiſcens, quaſi ſubſilire videbatur, quemadmodum cùm fit terræmotus, videtur ad modum a-
rietũ & agnorum terra ſubſilire, ita vt ſimul cum ea etiã cuncta ſubſiliant, quę ſuper eam cõtinentur,
etiã homines cubantes in lectulis ſuis, & vtenſilia quæcunq; ſunt in domibus cõmoueantur pariter.
Et huic expoſitioni rectè cõſonat quod mox ſubiungitur, A facie domini mota eſt terra, à facie Dei
Iacob. Verùm hoc exaduerſo videtur obſiſtere, quod plurali numero dicitur, Montes exultauerũt, &
de collibus numero itẽ plurali adiungitur. Mons autem Sinai, ſupra quem deſcendit dominus legem
prolaturus, mõs vnicus eſt. Verùm huic obiectioni facilè poteſt ſatisfieri, dicendo totum illum mon- G
tem plures in ſe montes partiales continere & colles diuerſos, vt ferè ſolent magni mõtes eſſe diuiſi
in montes plures partiales, & multas habere colliũ eleuationes: quæ omnia ſimul adueniẽte domino
cõmota fuere: Vel intelligantur cum, Sinai, montes circumiacentes ſimul fuiſſe moti, & omnia mon-
tana in circuitu ſubſilijſſe in aduentu domini. Alij exponunt de ſcopulis torrẽtis Arnon, qui (vt aiũt)
quaſi exultantes, & ſalientes demiſerunt ſe in torrentem, vt trãſiret Iſraël, Quod eliciunt ex eo quod
Num. 21. Numeri vigeſimoprimo citatur ex libro bellorum domini: in hæc verba, Sicut fecit in mari rubro,
ſic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati ſunt vt requieſcerent in Arnon, & recu
berent in finibus Moabitarum. Alij de ſcopulis fluminis, quod tranſibant filij Iſraël, id eſt, eleuationi-
bus quę erant in Iordane exponunt, qui ſcopuli, deficiente aqua ex parte inferiori, apparere incipie-
bant, & continuò magis magisque ſeſe oſtentantes, velut ſubſilire videbantur. Alij ſecundum exceſ-
ſum quendam dictum accipiunt, propter miraculi iucunditatem. Tam enim erat ſtupendum miracu
lũ illa Iordanis exſiccatio, & maris ſimiliter rubri, vt mõtes omnes in circuitu id proſpicientes (vt ita
per proſopopœiam loquamur) meritò exultarent, & tripudiarent, partim ob tam noui miraculi iu-
cunditatem, partim ob congratulationem populi domini. Alij myſticè intelligunt, per montes, ſubli-
miores in Iudaico populo: per colles, inferiores: qui omnes pariter cõſpecto miraculo exultauerunt,
chorosque eduxerunt. Nos in Elucidatione nihil horum poſuimus, ſed montes interpretati ſumus a- H
Ioſue 3. quarũ ſeſe agglomerantium cumulos, in modum montium eleuatos. Sic enim Ioſue tertio capite le-
gimus, tranſeunte populo Domini per Iordanem, aquas ſuperiores quę deſcendebant, ſtetiſſe in loco
vno, & inſtar montis intumeſcẽtes apparuiſſe procul ab vrbe quæ vocatur Edõ, vſque ad locum Sar-
than. Hos autem montes exultare dicimus, ratione continui augmenti, aduenientibus ex loco origi-
nis continuò aquis nouis maiorem eleuationem facientibus. Res autem quæ continuo eleuatur in
altum, quaſi ſubſilire iudicatur. Ex omnibus his propoſitis eligat ſibi lector quodcunque maluerit.
¶Verſu 6. Montes exultaſtis ſicut arietes. Debent hæc intra quęſtionem includi, & cum ſigno quæ-
ſitiuo in verſu priori poſito legi, ad hunc modum, Montes quare exultaſtis? Vel, Quid eſt vobis mon
tes, quòd exultaſtis ſicut arietes, &c. Verſus autem ſequens, A facie domini, mota eſt terra, accipitur
quaſi in reſponſionem, aut certè taciti reſponſi confirmationem. Interrogatio nanque petit, vnde
mari ſua fuga, Iordani ſua reuerſio, montibus ſua exultatio procederet. Hîc autem, tacitam reſpon-
ſionem habes, horum omnium effectorem fuiſſe illum, cui nihil eſt difficile, qui etiam cùm volue-
rit, terram facit contremiſcere, quod certè non niſi maximæ & diuinæ eſt potentiæ, cùm ſit illa
Pſal.103. fundata ſuper ſtabilitatem ſuam, vt non inclinetur in ſæculum ſæculi: Propter quod, etiam alte-
rum ſubauditur miraculum eductionis aquarum de petra, vt ſic oſtendatur, ab eo fuiſſe illa præce-
dentia, cuius ſunt hæc ſubſequentia. Poteſt tamen illud de terræ motione à facie Dei, peculiariter
intel-

A Intelligi de aduentu domini ſuper montem Sinai, quando mons ille mouebatur. ¶Verſu 8. Qui con-
uertit petrã in ſtagna aquarum. Conuerſio illa petræ in ſtagna vel paludes aquarum, non ſic eſt accipienda, vt ſignificetur ipſam petræ ſubſtantiam verſam eſſe in ſubſtantiã aquæ: ſed improprie hoc dictum eſt, cõ quòd diuina operatione ex petra & rupe duriſsima effluxerunt aquæ, vt ſtagna & paludes ex effluentis aquæ abundantia implerentur. In ſecũda tamen parte cõuerſio proprie poteſt accipi. Rupes enim conuerſa fuit in fontem aquarum, quia diuina virtute, rupes quæ prius aquam nõ habuerat nec dederat, iam aquarum fundebat abundantiã. ¶Verſu 10. Nequando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum? Dolet hoc maximè ſanctis, quòd Deum vident blaſphemari ab infidelibus: & ſpiritualibus viris multò magis graue eſt ſuſtinere infidelium in Deum blaſphemias, ſũ proprias miſerias. Vnde & Moy-
Exod. 32. ſen legimus irato domino hac ratione occurrere ſolitum, vt cum propter peccatum vituli, populum vellet vniuerſum delere, Sic enim ille talia proponenti domino reſpondebat: Ne quęſo dicant Aegyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret eos in mõtibus, & deleret è terra, quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. ¶Verſu 13. & deinceps, Os habent, & non loquentur. Cum idola dicũtur habere os, nares, oculos, manus, pedes, guttur, & huiuſmodi, nõ ſunt hæc propriè accipiẽda, quomodo imago hominis non propriè homo dicitur, ſed cum diminuente particula pictus homo, vel quidam homo, id eſt, hominis viui ſimilitudo. Nam propriè os, nares, oculi, &c. nõ ſunt niſi membra
B illa, in quibus actu ineſt anima ſenſitiua, certaque diſpoſitio qualitatiua in talibus membris requiſita. Vnde in cadauere, vbi anima abſceſſerit, quomodo iam vltra homo non eſt, ita neque oculus, neque auris, neque manus, niſi (vt dictum eſt) improprie ſumatur appellatio huiuſmodi membrorum. Cauſa autem quare idola per huiuſmodi ſimilitudinaria membra non ſentiant manifeſta eſt, quia videlicet non ſunt informata anima ſenſitiua: quæ (vt Ariſtoteles ait) principium eſt, ſicut viuendi, ita & ſentiendi. Neque etiam in organis illis ſimilitudinarijs ſunt potentiæ illę naturales, mediantibus quibus anima operatur animali cõuenientes operationes, vt in oculis non eſt potentia viſiua, in auribus nulla eſt potentia auditiua, in pedibus non eſt vis ambulatiua, atque ita in cæteris. Ad hoc autem vt membra exerceant ſuas operationes, oportet in eis eſſe conuenientes potentias naturales, mediantibus quibus, vt cauſis ſecũdarijs, anima operari habet animales operationes. Qua de re plene & à propoſito tractauimus in libris de conſideratione rerum naturalium, lib. 8. ¶Verſu 25. Cælum cæli domino. Quidam ita diſtinguũt: Cælum, domino cæli, vt genitiuus regatur à domino, non à nominatiuo cælum: vt ſignificetur, cælum eſſe deputatum illi, ad glorioſam inhabitationem, qui eſt cæli domi-
Pſal.67. nus. Nos in Elucidatione exponimus cælum cæli, quaſi per excellentiam dictum, pro ſummo cælorum: quemadmodũ in alio pſalmo dicitur, Pſallite domino qui aſcendit ſuper cælum cæli, ad Orientem, id eſt, ſuper ſummum cælorum, ad patris dexteram.

C

CXIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Pſalmus iſte forma eſt, qua ſe vir iuſtus atque fidelis in Dei amore exercitat: ex beneficijs diuinæ exauditionis ſibi in maximis periculis, & rebus alioqui deſperatis frequenter exhibitis, ſeipſum excitando ad ſpem atque dilectionem conuertendam in dominum, qui & cuſtos eſt humilium, & requies eſt ac benefactor eorum, qui ſe conuertunt in illum: ad quem proinde noſter debet conatus dirigi, vt illi placeamus.

CXIIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Dilexi quoniã exaudiet dominus, vocẽ orationis meæ.

2 Quia inclinauit aurem ſuam mihi:
D ** & in diebus meis inuocabo.*

3 Circundederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.

*4 Tribulationẽ et dolorem inueni: * & nomen domini inuocaui.*

*5 O domine libera animã meam: * miſeri-*

Dilexi dominum, eíque prę omnibus per amorem inhærere elegi, quoniam ipſe eſt qui me exaudire poterit, & voluit, quoties ad eum de quacunque neceſsitate in oratione clamauero. 2. Quoniam quidem benignum auditum ſuum clemẽter ad audiẽdum orationem meam demiſit, id eſt, me licet auditione indignum, dignãter tamen exaudiuit: * & idcirco omnibus diebus vitæ meæ, tam potentiſsimum ac benigniſsimum exauditorem volo ſemper inuocare, ad auxilium atq; protectionem meam, neque ad aliud humanum volo reſpicere vanum auxilium. 3. Cùm me circundarent vndiquaque tẽtationes validiſsimæ, vſque ad mortem affligentes pauperculum ſpiritum meũ, & velut vſq; ad mortem terrentes & cõturbantes: * & cùm me apprehendiſſent tanta tentationum atque perſequutionum pericula, quæ iam nunc videbantur in infernum, ac mortem deductura animam meam. 4. Denique, quoties afflictio quælibet & anxietas, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis, ab inimicis mihi exorta fuiſſet: * ego in omnibus te potentiſsimum atque clementiſsimum exauditorem meum, tuumque ſanctum nomen ſemper inuocaui, loquens, & clamans in hunc modum. 5. O domine, eſto liberator pauperculæ animæ meæ, eam de doloribus mortis, de periculis inferni, deque omni tribulatione & anguſtia, per tuam miſericordiam, ſaluans in regnum tuum cæleſte: * meritò verò ad te ſemper clamabimus, quia miſericors tu es domine ſimul & iuſtus atque idcirco tu, Deus noſter ſemper miſereris, neque potes non miſereri

omnium

cors dominus, & iustus, & Deus noster miseretur.
6 Custodiens paruulos dominus:
** humiliatus sum, & liberauit me.*
7 Conuertere anima mea in requiem tuam:
** quia dominus benefecit tibi.*
8 Quia eripuit animã meam de morte: oculos meos à lachrymis:*
** pedes meos à lapsu.*
9 Placebo domino in regione viuorum.

omnium te ex puro corde inuocãtium. Facit enim misericordia tua, vt E
miserijs nostris flecti debeas: & veritas facit atque iustitia, vt quod toties nobis à te misericorditer promissum est, nemini omnino negare valeas. 6. Tu domine humilium, simplicium, atque pauperũ spiritus es custos, protector, curator, pastor, superbos despicies ac reprobãs:* quã ob rem & ego despiciẽs superbiã, sub potenti manu tua humiliaui animã meam, corde humili tuũ nomen adorãs & inuocãs: & factus es etiã custos & liberator animæ meæ. 7. Amodo ergo, ô anima mea ô spiritus mi, noli auerti à domino Deo tuo, neque post huius sæculi vanitates vltra abeas (eris enim inquieta, donec ista sectaris) sed abdicatis sæcularibus omnibus cupiditatibus, & carnalibus affectibus, totã cõuerte teipsam, mente pariter atque affectu, in dominũ Deum tuum, in quo solo erit tibi, cùm ad ipsum perueneris, vera requies: * & meritò sanè ad eũ tum cognoscendum, tum amandum, debes cõuerti: quoniã ipse est qui maxima iuxta veritatem tibi cõtulit beneficia, tam in creatione, quàm in regeneratione, imò à quo omne bonum est tibi, & à quo expectas adhuc maxima. 8. Ipse (inquã) est, ô anima mea, qui te eripuit de interitu F
sempiterno, liberãs te à peccatis, per quæ illue fueras alioqui deducenda: * oculos meos seruauit à fletibus sempiternis, & lachrymis gehennæ inconsolabilibus: * gressus quoque præseruauit ne in foueã caderẽt infernalem, id est, conuersationẽ vitę meę ita direxit, vt per eã non fuerim deductus in infernum. 9. Volo ergo ex toto affectu cordis mei ad hoc conari, & studere sedulò, per adiutorium gratiæ tuæ, vt tibi valeam placere, & hîc in terra viuentium, in numero fidelium seruorum tuorum, & in futura patria sine termino. Ita enim iustum est & æquissimũ, vt tibi tã optimo tãque beneficentissimo domino, omni conatu placere studeamus, qui viuis & regnas in sæcula benedictus, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXIIII.

VErsu 1. Dilexi, quoniã exaudiet dominus vocẽ orationis meæ. Nouo modo poni hîc in principio videtur verbũ dilexi, absq; accusatiuo significante ipsum in quo fertur dilectio. Nos in Elucidatione subaudimus dominũ, ipsum qui mox in casu nominatiuo exprimitur, ad hunc sensum, Di- G
lexi dominum, quoniam ipse exaudiet orationem meã. Vbi nota, quòd dilexi, accipi debet, vt valeas, affectum dilectionis & amoris dedi, vel collocaui, in hunc sensum, vt dicat fidelis: Affectum amoris mei iam dedi domino, iam in illum collocaui, siue defixi amorem meum, quoniã ipse est qui exaudiet vocẽ orationis meæ. Quomodo si dicat virgo de electo sponso suo, Dilexi hunc spõsum, id est, amorem meum in hunc collocaui, quoniã ipse abundanter mihi præstabit quæcunque postulauero. Atq; hanc sententiam ordine sermonis Hebraici aliquãtulum immutato ex Hebræo quidam sic legit, Diligo dominum quoniã exaudiet vocem deprecationum mearũ. Alij verò nihil supplẽt: & totum hoc, quoniam exaudiet dominus, loco accusatiui accipiunt, dilexi autem accipiunt, pro desideraui, vel cõcupiui, ad hunc sensum, Dilexi, concupiui, desideraui, vel gratum habui, quòd dominus exaudiet vocem orationis meæ. Quasi dicat, Hoc mihi valde placet, hoc mihi valde optatum, desideratum, & gratum est, quòd exaudiet dominus orationem meam. Si verò exaudiet pro exaudiat acciperetur, hæc haberetur sententia: Concupiui quòd dominus exaudiat orationem meam: quomodo ad marginem vertit Felix, Desideraui, vel cõcupiui, quòd exaudiat dominus. ¶ Versu 3. Circundederũt me dolores mortis, &c. Non videtur completa esse sententia, nisi in fine versus sequentis, cùm dicitur, Et nomen domini inuocaui, & quasi cõditionalis an temporalis secundum sententiam videtur esse enunciatio, H
ad hunc sensum, Cùm circundedissent me dolores mortis, & pericula inferni me inuenissent, cùm tribulationem & dolorem inuenissem, ego nomen tuum inuocaui: ac deinde ponitur inuocãdi modus cõueniens, cùm subditur versu 5. O domine libera animã meã. ¶ Versu 5. O domine, libera animam meã, misericors dominus, & iustus, & Deus noster miseretur. Aptior videretur esse connexio, si principium huius versus cũ fine præcedentis iungeretur, ad hunc modum, Et nomen domini inuocaui, ô domine libera animã meã: ac deinde diuisim, Misericors domin⁹ & iustus, & Deus noster miseretur: cuiusmodi distinctionẽ Felix in sua versione sequitur, eademque & in Hebræo & in Chaldęo inuenitur. ¶ Versu 6. Humiliatus sum, & liberauit me, Humiliatus in Elucidatione interpretamur de humilitate cordis. Nã de ea hîc conuenit facere sermonem, quoniã statim antecesit, Custodiens paruulos dominus. Alij, Humiliatus sum, exponunt, Afflictus sum, vel tribulatus sum. Quod tamẽ, si intelligatur nõ sola afflictio exterior, sed simul etiã afflictio spiritus, videlicet spiritus contribulatus, corque contritum & humiliatũ, penè in idem recidit. Propè enim est dominus ijs qui tribulato sunt corde, & Psal.33.
humiles spiritu saluabit. Hieronymus vertit, Attenuatus sum. Felix adijcit, vel pauper factus sum. Quæ vtrunque patiuntur intellectum. ¶ Versu 8. Quia eripuit animam meam de morte, &c. Mutatur persona de secunda in tertiam. In priore namque versu animam alloquebatur, dicens. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi, atque ita consequenter dicendum videretur, Quia eripuit te de morte, oculos à lachrymis, pedes à lapsu. Triplex autem hîc enumerat magnum

A magnum beneficium, quemadmodum tria opposita pessima sunt. Nam animæ nihil tam aduersum quàm mors: oculis nihil molestius fletu, & pedibus offensio siue lapsus nocet. Quod autem in sequenti vltimo versu dicitur, Placebo domino, intelligi debet, conabor placere, studebo vt placeam: cui respondet quod in Hebræo dicitur, Ambulabo coram domino in terris viuentium.

CXV. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste apud Hebræos cum præcedenti connectitur: vnumq; duo hi psalmum efficiunt. Quamobrem, Psalmi præsentis sententia, rectè cum præcedentis materia potest connecti. Vir itaque iustus, qui ex consideratione diuinorum beneficiorum paulo ante seipsum conuertere studebat ad Dei amorem, spem, atque confidentiã, benefico suo domino modis omnibus placere desiderãs atque hoc ipsum proponens, nunc in processu exercitationis suæ pergens, eousque deuenit, vt propter rectæ fidei confessionem, mortis quoq; & persecutionũ calicem gaudenti velit animo, in qualemcunque gratiarũ actionem suscipere: ore quoque & opere, non in occulto modo, verùm etiã palã iuxta pia cordis vota, fideliter illi deseruire: quem & suum dominum secundum creationem agnoscit, & à mortis vinculis liberatorem. Hic itaque vir iustus, qui iam Deo suo velle placere proposuit, sciens, quoniã sine fide impossibile est placere Deo, neque tamen cordis fidem sufficere, sed oris etiã confessionem esse necessariam, simul & ad maiora animi promptitudinem ita loquitur in exercitatione sua. Heb. 11. Rom. 10.

B

CXV. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Credidi, propter quod locutus sum:

PRopter fidem rectã qua in te credo, domine Deus, cõstanter quę sunt veritatis, loqui non erubui, neque formidaui: ad tui nominis glorificationẽ, fidei sanctæ cõfirmationẽ, & proximorũ ædificationem atq; corroborationẽ, audacter confessus, quod corde credidi. Siquidem vt corde creditur ad iustitiã, ita ore fit cõfessio ad salutem: ego autem quæ sunt veritatis fidei constanter profitẽs,

** ego autẽ humiliatus sum nimis:*

perse cutionẽ & afflictionem grauem inueni, atque sustinui ab aduersa- Rom. 10.
2 Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax. riis veritatis, siue visibilibus, siue inuisibilibus: quemadmodum semper 2. Tim. 3.
qui piè viuere volũt, & pro veritate zelãt, persecutiones sustinẽt. 2. Ego
autem in quodam stupore & cõsternatione positus in tãtis malis, hoc Psal. 61.
C sensi, & protuli apud me talem sententiam, quòd nõ sit veritas in hominibus: sed quantũ ex sese vani sunt omnes filij hominum, atque mendaces, nõ est qui ex se diligat veritatem, & pro ea zelet, nõ est vsq; ad vnũ, nisi à te desuper fuerit edoctus. Atq; idcirco consolabor memetipsum, etiãsi videam bonã partem hominum veritati aduersari, neq; post plurimorũ abire volo sententias, sed tuę magis fideli vnctioni, atq; doctrinæ tuæ illuminationi inhærere. 3. Dic verò mihi, ô anima mea, si quid habes quod domino Deo tuo possis offerre, ad qualemcunque retributionem, siue gratiarum actionem, pro vniuersis maximis illis corporalibus atque spiritualibus beneficijs, quæ prior ipse mihi donauit immerito. 4. Sanè dignam retributionem, aut plenam cõpensationem minime inuenio, veruntamen ad qualemcunque gratiarum actionem, ecce calicem amaritudinum atq; passionum, quem prior bibisti, domine,

3 Quid retribuã domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

pro tuo amore acceptare atque bibere paratus sum: propter veritatis
confessionem, etiam mortis amaritudinem libenti animo susceperturus:

4 Calicem salutaris accipiam:

* idque faciam cum aperta cõfessione & inuocatione nominis tui: cu-
** & nomen domini inuocabo.* ius gratia & saluberrimum est, & omnino gloriosissimum, passiones
atque etiam mortem tolerare. 5. Cordis mei deuotionem ac pium pro-
5 Vota mea domino reddam, coram omni populo eius: positum, & sancta pro tuo amore concepta frequenter desideria, ego
D persoluã, oreque & opere demõstrabo atq; perficiã vbicunque se obtulerit opportunitas: non in occulto solum, quasi de tuis erubescens
** pretiosa in conspectu domini, mors sanctorũ eius:* operibus, sed palàm in conspectu fidelium tuorum ad tui nominis gloriam, & proximorum meorum ædificationem: * neque mihi formidãdum est, mori pro tuo nomine: quoniã gloriosa mors est & magni pre- Psal. 33.
cij, optimæque remunerationis, ante oculos patris tui, eorum qui pro
tuo nomine & amore occumbunt: quemadmodum econtrario, mors
peccatorum pessima est. 6. Eia obsecro, mi amabilis domine, quidni
6 O domine, quia ego seruus tuus: pro te moriar? quidni te ego & ore & opere confitear? cùm sis tu meus
verus ac solus, secundum corpus & animam, dominus, & ego tuum
** ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* mancipium seruilsimum: * neque solùm ego, sed & mater quæ me genuit, serua item est tibi: atque item pater, & auus, & progenitores mei
*7 Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiã laudis, & nomẽ domini inuocabo.* vniuersi, serui tui erant, & tu es omnium dominus. 7. Insuper vincula
& obligationes mortis atque damnationis æternæ, seruitutis diaboli-
cæ, & tyrannidis peccati, tu per tuam misericordiam potenter dissoluisti, atque tulisti ab anima mea; * atque ob hoc, pro sacrificio tibi

offerre

Universidad de Deusto Biblioteca

Psal.48. 8 *Vota mea domino reddam in conſpectu omnis populi eius:*
** in atrijs domus domini, in medio tui Hieruſalem.*

offerre volo, quod tibi noui ſuper omnia placitiſsimum, nempe laudē E
& gratiarum actionē pro acceptis beneficijs, ſimul ex corde fideli tui
nominis quoque implorando auxilium, in omnibus periculis meis at-
que neceſsitatibus. Huiuſmodi enim ſacrificio à nobis tu vis honorari,
magis quàm hircorum aut vitulorum ſanguine. 8. Inſuper pia affectus
mei frequenter cōcepta deſideria, vbicunque occaſionem nactus fue-
ro, tam ore quàm opere palàm curabo exhibere coram ſeruis tuis:
* nunc quidem in latitudine iſta, atque in propatulo militantis huius
eccleſiæ: ac deinde plenè perfectēque in medio beatiſsimæ illius ciui-
tatis triumphantis Hieruſalem, in medio ſanctorum tuorum, qui te ſi-
ne fine & termino laudant in ſæcula ſæculorum. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXV.

VErſu 1. Credidi, propter quod loquutus ſum. Hic credidi, ita exponendū eſt, quomodo in prin-
cipio pſalmi præcedentis dilexi, vt ſit ſenſus, Fidem habeo firmatam, & fide certus factus ſum,
2.Cor.4. de bonitate ſcilicet & veritate Dei. Citat autem hūc locum Paulus Apoſtolus in epiſtola 2. ad Corint. F
Cùm ita ait, Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, Credidi propter quod loqu-
Rom.10. tus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Huic etiā conſonat quod ad Rom. ſcribit cap.
10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. In eo autem quod ſequitur, Ego
autem humiliatus ſum nimis, humiliatus videtur accipiēdum pro afflictus, vt ſignificetur perſequu-
tionum afflictio, quæ ſolet fidelibus accidere. Maximè autem hic pſalmus conuenit exercitationi
martyrum eorum qui ſe ad paſsiones, aut etiā mortis martyrium pro veritate aut iuſtitia, ex fide &
deuotione erga Deum voluerint exercitare: propter quod etiā ex inſtitutione eccleſiaſtica hic pſal-
mus in martyrum feſtis peculiariter canitur, itemque in feſtis apoſtolorum, quandoquidem ipſi vel
primi ſunt inter martyres. ¶Verſu 2. Ego dixi in exceſſu meo. Exceſſus iſte poteſt accipi pro quodā
ſtupore & pauore, quo ſubitò corripitur homo, ex omni parte ſibi videns imminere perſequutionē.
Vnde fit, vt in quandā admirationem magnā adducatur, & velut in quendā ſtuporem, præ admiratio-
ne. Cui fauet quod Hieronymus vertit, Ego autem dixi in ſtupore meo, omnis homo mendacium. Et
Felix, In præcipitatione mea, vel in feſtinatione mea. Quidā Hebræi intelligunt, cum præceps fugerē,
vel fugiendo feſtinarem, interpretātes de perſona Dauid, quòd cùm feſtinanter fugeret à facie Saulis,
proditus ab ijs, à quibus non ſperabat, dixerit hanc ſententiam, Omnis homo mendax, volens ne-
mini tutò fidendum, nuſquā eſſe (quod dici ſolet) tutam fidem in hominibus. Poteſt tamen exceſſus
iſte, ſiue iſta ectaſis accipi pro raptu mentis, vt ſignificetur, tanta afflictione pro veritate humiliatum, G
in mentis eleuatione poſitum, ac diuinæ illuminationis radio peculiariter illuſtratum, hoc conſide-
raſſe, quòd ſit omnis homo ex ſeſe vanus ac mendax: in quam ectaſim, & ſingularem mētis eleuatio-
nem ſolet Deus ſuos electos in grauibus malis poſitos adducere, vt eos conſoletur, atque confirmet
in aduerſitatibus. Quod autē hīc dicitur, Omnis homo mendax, non peculiariter intelligendum vi-
Gene.6. detur de mendacio falſitatis, quod ab ore egreditur, verùm generalius de mēdacio vnitatis, quod eſt
& 8. in omni vita & conuerſatione hominis. Eſt enim homo ſicut ad omnem falſitatem, ita ad omnem pra
Rom.11. uitatem ex vitiatæ naturę miſeria pronus, ab adoleſcentia: ex qua etiam radice procedit, vt certę veri-
tati pauciſsimi adhęreant: cōtra verò hæreſibus, erroribus, & impietatibus, q̄ plurimi: virtutem item,
& quæ virtutis ſunt, perquam pauciſsimi ſectentur, malitiam penè omnes. ¶Verſu 3. Quid retri-
buam domino pro omnibus quę retribuit mihi? Retribuere non eodem modo, priore loco atq; po-
ſteriori accipitur. Nam priori loco propriè accipitur, pro reddere, quomodo ratione compoſitionis
verbum illud ſonat, quaſi iterum dare, ſiue reddere: hoc eſt, pro prius dato dare. In poſteriori verò im
propriè accipitur retribuere, nō pro reddere, ſed vt valeat, ſimpliciter dare. Retribuere namque pro-
priè ſumptum, præſupponit donationem priorem eius cui fit retributio, ac proinde Deus nihil ho-
mini retribuit, quoniam prior illi homo donare non poteſt, quemadmodum apud Paulum dicitur, H
Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Reſumit autem in hoc verſu animum fidelis, qui in priore ver-
ſu ſe dixit in quendam ſtuporem fuiſſe adductum, vt iam ſe confortans aduerſum omnia mala, ſibi
ſuadeat nihil metuere, ſed magis in ſuis paſsionibus aliquam Deo retributionem & gratiarum actio-
nem, pro beneficijs acceptis, inquirere: debetque interrogatio iſta dirigi, vel ad ſemetipſum, vel ad
ſuamipſius animam. Sonat autem, quid retribuam, ac ſi dicas, Quidnā poſsim retribuere? eſtne aliquid
in quo poſsim qualemcunque facere retributionem domino, &c. ¶Verſu 4. Calicem ſalutaris acci-
Matt.20. piam. Calicem illum intelligimus, de quo ſaluator ipſe ait in euangelio, Poteſtis bibere calicem
Matt.26. quem ego bibiturus ſum? Et iterum, Si fieri poteſt, trāſeat à me calix iſte. Ac rurſum, Calicem quem
Ioan.18. dedit mihi pater, non vis vt bibā illum? Hunc calicem prior accepit, & prior bibit, imò ad fæces vſ-
Philip.2. que exhauſit, noſtri cauſa, noſter dominus, quando pro nobis factus eſt obediens patri vſque ad mor-
tem, mortem autem crucis. Et nos eundem hunc calicem accipimus, quando nos tali obedien-
tia Deo ſubijcimus, & ſic in medullatum holocauſtum Deo offerimus, vt de eius manu parati ſi-
mus ſuſcipere, quicquid tandem illi placitum fuerit nobis immittere, pro eius amore quælibet ſu-
ſtinere aduerſa, ferre etiam quantumuis grauia, etiam vſque ad mortis diſcrimina, atque adeò ip-
ſam etiam mortem, quantumuis probroſam, quantumuis humano iudicio miſeram. Nec eſt in
quo magis congruè Deo noſtro beneficentiſsimo poſsimus referre gratiam, ſi tamen vel hoc refer-
re gratiam dici poteſt, & non magis perſoluere debitum. Eſt autem differentia, inter calicem accipe-
re, &

A re, & calicem bibere. Omnes enim fideles Dei ſeruos, iuſtum eſt hunc calicem accipere, ſiue leuare: hoc
eſt, dignū eſt vt quilibet Chriſtianus talem animum offerat domino ſuo, prius ſui cauſa paſſo, qui ſit
ad quælibet pro ipſius nomine perferenda paratus. Non omnibus autem datur martyrij gloria coro-
nari, ſed quibus hoc ita conceditur ex Dei munere. Nam complures ſanctorum patrum legimus ve-
hementer ſitiuiſſe, vt hunc aliquando calicem biberent: & ſumebant quidem illum quotidie in mani-
bus, vt biberent, dum per quotidianas orationes ſuum ſpiritum Domino ad omnia offerebant para-
tiſsimū: quibus tamen non eſt conceſſum aliquando, vt eum biberent, martyrij gloriam conſequi nō
potuerunt, ſed in pace dormierunt, ſic volente domino. Et licet penè omnibus fidelibus calix iſte gu-
ſtari permittatur, non ſic tamen omnibus conceditur illum ebibere. Vix enim reperiuntur, qui pie vo- 2.Tim.3.
lunt viuere in Chriſto, quin aliquam ſuſtineant perſequutionem. Non omnibus tamen vſque ad ſan-
guinem datur reſiſtere, quē admodum ſuis Hebræis iam bonorum direptionem paſsis ait Apoſtolus, Hebr.11.
Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis. Nouit enim Deus infirmos eſſe quoſdam, qui licet ſint ro-
buſti ſatis vt guſtent, non tamen ſufficientes ſunt vt ebibant illum amarum calicem: qui tam eſt ama-
rus carni, vt ſecundum eam partē ipſe etiam Saluator, omnium athletarum robuſtiſsimus, ab eo abhor- Matt.26.
reret, cum in illa grauiſsima luctа patri diceret, Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Atque id-
circo conſulens Deus plurimorū infirmitati, non omnibus præcipit calicem ebibere. Omnes tamen
vult illum accipere, dum ad turbas vniuerſas exclamans, ait, Si quis venit ad me, & non odit patrem Lucæ.14.
B ſuum, & matrem, & vxorē, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autē & animam ſuam, non poteſt meus
eſſe diſcipulus. Et qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, nō poteſt meus eſſe diſcipulus. Calix
autem iſte, calix ſalutaris, vel ſalutis, vel ſaluationis appellatur. Chriſto quidē quoniam (vt ipſemet poſt
reſurrectionem hæſitātibus ait diſcipulis) ſic oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam patris. Lucæ 24.
Nobis verò, quoniam (vt ipſius ait Apoſtolus) per varias tribulationes nos oportet introire in regnū Actu.14.
Dei. Quod autem in ſancto Miſſæ ſacrificio accipientes ſacerdotes bibendum ſacrum calicē, hoc ver-
ſus proferant, dicentes. Quid retribuā domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? ac deinde, Calicem
ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo: hoc non cogit de ſacro iſto calice nos intelligere præ-
ſentem Pſalmum. Nam id Eccleſiaſtico vſui frequēs eſt verbis illis quæ in ſcripturis inueniuntur, pro
deuotione fidelium in ſenſum aliquem pium vti, qui tamen non eſt ex præcipua intentione loci vnde
verba illa ſunt deſumpta. ¶Verſu. 5. Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Quidam in-
telligunt mortem ſanctorum eſſe precioſam in conſpectu Domini, eo q̄ non facile Deus ſuos permit-
tit venire in mortem, ſecundum deſideria impiorū, ſed multa diligētia eos protegit, & in vita ſua pro-
tectione cuſtodit, donec ipſi fuerit placitum. Nos verò ideo precioſam dicimus, quia magni valde pre-
cij eſt apud Deum, vt pro ea ſanctis reddat magnificam retributionē vitæ æternæ. Omnino enim pre-
C cioſa ſit in oculis Domini mors illa neceſſe eſt, quā ipſe tāta retributione coronat. Contra verò in Pſal
mo. 33. de reproborum morte ſcribitur, Mors peccatorum peſsima. In ſequenti autem verſu, pro ô do- Pſal.33.
mine, in Hebræo eſt anach, quod ſonat obſecro. Eſt enim ſermo blandientis, Obſecro Domine, quia
ego ſeruus tuus, &c. De eo autem quod hic dicitur, Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ, diximus in an-
notationibus Pſalmi. 85. in verſum illum, Saluum fac filium ancillæ tuæ. Pſal.85.

CXVI. PSALMI ARGVMENTVM.

ILluminatus ſpiritu Propheta, de gentium ad fidem vocatione, deq; miſericordiæ patribus Iudæorum promiſſæ in gentes dilatatione & cōmunicatione, eoſdem in ſpiritu alacriter exhortatur ad laudem domini qui miſeri-cordiæ huius facere ipſos dignatus eſt participes per gratiam ſuam, & veritatem promiſſionum ſuarum ipſis æque atque Iudæis dignanter conſtabiliuit. Atque in hunc ſenſum beatiſsimus Apoſtolus Paulus, capite decimoquarto Epiſtolæ ad Romanos, priorem pſalmi huius verſum adducit.

CENTESIMIDECIMI SEXTI PSALMI ELVCIDATIO.

D

1 *Laudate dominum omnes gentes:*

* *laudate eum omnes populi.*

2 *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius.*

* *& veritas domini manet in æternum.*

OVos omnes gentium nationes, quæ olim longe eratis à Deo, idolis atque dæmonijs ſeruientes, Deumque ve-
rum ignorantes, hunc laudem date & gloriam Deo
Domino, in quem apoſtolica edocti prædicatione cre-
didiſtis: * Neque ſolus de cætero Iudæorum populus
Deum laudet, verum abſque diſcretione omnes popu-
lorum nationes, vbiuis terrarum conſtitutæ, pariter collaudate domi-
num Deum. 2. Iam enim in tempore iſto gratiæ, nobis omnibus credenti-
bus impleta eſt & opere exhibita miſericordia, patrib⁹ olim promiſſa,
hoc eſt, generis humani per Chriſtum redemptio: eſtque miſericordia Epheſi. 2.
domini (à qua olim longe eramus, quando eramus natura filij iræ) iam
ſuper nos credentes corroborata atque ſtabilita, ita vt nunquam auſer-
ri poſsit à nobis credentibus in eum: * & veritas promiſsionum eius
non fallet nos in ſempiternum, ſed quę promiſit infallibili veritate cu-
ſtodiet credentibus: quæ ſane duplex ratio, maximi gaudij cunctis cre-
dentibus debet eſſe materia.

CXVII. PSALMI ARGVMENTVM.

E

Psalmus hic magna exultatione totus penè tripudiat, liberationem diuinam à maximis fortium aduersariorum periculis, cum liberatoris laude & gratiarũ actione proponens. Potestq; commodius accipi, vt vox sit totius Ecclesiæ, sua pericula & exaduerso miraculosam liberationẽ enarrãtis, aut etiã viri cuiuslibet iusti: qui primũ sibi peculiariter exhibita enarrat beneficia, deinde ad cõmunẽ per Christũ factã salutẽ transit cũ de angulari lapide cauit, reprobato, sed facto in anguli caput. Ab eo enim loco manifestum est, ad cõmunem salutem & cõmunia Ecclesiæ impensa beneficia, debere omnia referri. Est autẽ in hoc Psalmo peculiariter aduertendum, fieri aliquoties loquentis personæ mutationẽ. Cum enim ab initio loqui cœperit, siue Ecclesia, siue iustus quilibet, suã liberationẽ proponens, versu tamen. 19. Aperite mihi portas iustitiæ, videtur sermo esse popularium atque inferiorũ, sibi portas ad Deum per eos qui clauẽ habent aperiri poscentium: & qui est in ordine. 25. Benedeximus vobis de domo Domini, peculiariter maioribus videtur & in Ecclesia præpositis, cõpetere: quorum est iis quibus præpositi sunt spiritualiter benedicere. Quemadmodum in sequenti Psalmi huius Elucidatione euadet manifestum.

CENTESIMIDECIMISEPTIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Confitemini domino quoniam bonus :* quoniam in sæculum misericordia eius.*

2 *Dicat nunc Israël, quoniã bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*

3 *Dicat nunc domus Aaron, quoniã in sæculum misericordia eius.*

4 *Dicãt nũc qui timent dominũ, quoniã in sæculum misericordia eius.*

5 *De tribulatione inuocaui dominum:* & exaudiuit me inlatitudine dominus.*

6 *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.*

7 *Dominus mihi adiutor, & egò despiciã omnes inimicos meos.*

8 *Bonum est confidere in domino, quàm confidere in homine.*

9 *Bonum est sperare in domino, quàm sperare in principibus.*

10 *Omnes gentes circuierunt me:* & in nomine domini, quia vltus sum in eos.*

DAte confessionem & laudem domino quicunque perF cepistis beneficia eius, serui fideles, eaque in vobis experti estis confitentes, & super omnia immensam bonitatem eius: *quodque misericordia eius erga nos sit permansura in sempiternum, neque vnquam deficiet. 2. Narret ista, confiteatur & prædicet omnis populus Israëliticus, quòd bonus sit ipse, & quòd sit in sempiternum permansura super nos misericordia eius. 3. Peculiariter verò id confiteatur & prædicet familia Aaronica, quæ sacerdotij priuilegio singulariter domino est sanctificata, vt diuinis iugiter vacet laudibus atque sacrificijs. 4. Denique, sine exceptione omnes serui domini, qui colitis atque diligitis dominum, confiteamini atque narrate quòd ipse sit solus verè essentialiter atque perfectè bonus, imò ipsa infinita perfectaque bonitas, quòd in sempiternum sit permansura, neque finem aliquando habitura misericordia eius. Qui enim nunc domino Deo seruiunt, eius in se misericordiam ac bonitatem experientur in æternum. 5. Loquar ego sane, ad gloriam illius, quæ in memetipso expertus persensi. ConstiG tutus in graui afflictione, siue corporis siue spiritus, ex corde syncero clamaui ad dominum: *ipse clamantem me exaudiuit, deque angustia & tribulatione liberatum saluauit, & in libertatem cordisque latitudinem eduxit. 6. Ecce dominum ego elegi meum protectorem, adiutorem, atque defensorem, cuius auxilio fisus, nullam humanam potẽtiam, imò nullam omnino creatam virtutem atque potestatem pertimesco: cuius etiam auxilio fisus, prò nihilo pendo aduersariorum meorum omnium tam visibilium, quàm inuisibilium potentiam siue insultum. 7. Dominum Deum meum habeo fortissimum fidelissimumque auxiliatorem, cuius fiduciæ innixus, nihili faciam omnem potentiam, ferociam atque insaniam inimicorum meorum, ità vt propter imperum persequutionis eorũ nequaquã vltra velim anxie conturbari, aut deiici timore, quemadmodum ij faciunt, qui Dominum non ponunt adiutorem suum, quos leuis quilibet rumusculus grauiter statim conturbat. 8. Præstantius longè est & vtilius, atque consultius, H spem omnem atque confidentiam in domino Deo cõstituere, q̃ in vllo hominum, quantumuis potente, sapiente, aut glorioso. 9. Melius item est, spem ponere in domino, q̃ in sæculi principibus, id est, viris eximijs, & quomodo libet iuxta sæculum præcellentibus, siue potentia, siue sapientia, siue authoritate, aliisve similibus modis. Siquidem non est alius æque atque Deus ad saluandum potẽs, neque alius est æque verax cui sic tuto fidi posset: neque est alius æque bonus, & ad exauditionem semper paratus. Dæmones, enim, nunquam nihil nisi fallere intendunt & perdere. Homines verò saluare non sufficiunt, neque etiam in ijs ad quæ sufficiunt, parati semper poscentibus existunt: nonnunquam etiam quod promiserunt, propter infidelitatẽ, negligentes: quæ omnia à Deo quam longissimè absunt. 10. Ex omni parte me circuierunt peruersi atque maligni, & dæmones, & homines infideles, varijs me oppugnationibus laborantes opprimere, & iustitiam mihi auferre diuersis modis atque consilijs me aggressi, nunc hac via, nunc alia: *sed benedictus sit dominus adiutor meus, quoniam triumphare me fecit super eos, & contra eos ex diuina protectione prævalui, eosque ita deuici & sup era-

A 11 *Circundantes circũdederunt me:* & in nomine domini, quia vltus sum in eos.*

12 *Circundederunt me sicut apes:* & exarserũt sicut ignis in spinis: * & in nomine domini quiã vltus sum in eos.*

13 *Impulsus euersus sum, vt caderem:* & dominus suscepit me.*

B 14 *Fortitudo mea, & laus mea dominus: * & factus est mihi in salutem.*

15 *Vox exultationis & salutis, in tabernaculis iustorum.*

16 *Dextera domini fecit virtutem:* dextera domini exaltauit me: * dextera domini fecit*

C *virtutem.*

16 *Non moriar, sed viuam:* & narrabo opera domini.*

18 *Castigans castigauit me dominus:* & morti non tradidit me.*

19 *Aperite mihi portas iustitiæ:* ingressus in eas cõfitebor domino:*

D ** hæc porta domini, iusti intrabunt in eam.*

20 *Confitebor tibi quoniam exaudisti me & factus es mihi in salutem.*

21 *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

22 *A domino factum*

superaui. 11. Circundantes, in magna multitudine & tẽporis longitudine obsederunt me, si quomodo vel numero vincerent, vel tædio pugnæ fatigarent: *& benedictum sit nomen domini, ad cuius inuocationẽ superaui malitiam inimicorum meorum, neque præualuerũt mihi. 12. Cum fremitu magno & stridore, præiracundia, velut stridentes apes volitauerunt circum animam meam: & ira atque furore exarserunt, cum magno stridore atque crepitu, quomodo solet stridere ignis spinas adurens: *sed benedictum sit atque laudatum nomen excelsum Domini, ad cuius inuocationem non præualuerunt mihi. Imò quemadmodum non perdurat ignis ille in spinis crepitans, ita horum furor exardescentium, Diuina protectione, facile & cito extinctus est. neque circunuolitantes illas licet furibundas apes, diuina protectio permisit aculeis peccatorum lædere animam meam: sed visitatione spiritus sui, quasi flagello, quantocyus abegit eas. 13. Siquando animum vehe- Psal.3. mentia aut diuturnitas, aut multitudo tentationum atque persequutionum impellere videbatur, & quodammodo à stabilitate euertere ad Ioan.15. casum, ita vt aliquo modo acquiescere inciperet voluntas prauis impulsibus: *mox aderat dominus, supponens manum suam, atque ita me collapsurum, alioqui sustentãs, ne laberer: protexitque me, ne nocumentum paterer ab hostibus. 14. Ob hoc confiteor, quòd Dominus ipse sit fortitudo & virtus mea, in quo possum quicquid possum, & sine quo nec minimum aliquid valeo: & ipse est laus mea, id est, quẽ laudare atque prædicare volo semper & debeo: *Ipse enim se mihi exhibuit, præstititque saluatorem animæ meæ. 15. Pro communi verò & vniuersali generis humani liberatione, resonet, audiaturque vox gaudij, vox cantici & tripudij de salute per Dei filium communiter omnibus perfecta & oblata, in domibus & Ecclesijs fidelium: vt quibus vna est salus eademque salutis vtilitas, communis sit etiam exultationis lætitia. 16. Gaudij verò nostri iusta hæc est ratio, quoniam diuina potentia per Christum brachium suũm potenter admodum atque valide egit, magnæque potẽtiæ & virtutis opera exhibuit, pro nostra operanda salute: *omnipotens brachium Domini, à portis mortis nos exaltauit in vitam, à damnatione ad salutem: *brachium (inquam) omnipotentis Domini, non infirma manus nostra, pro nostra salute fortiter egit. 17. Redempti verò semel ita de morte, per Christi potentiam, absit, vt iterum cadamus in mortis captiuitatem, qui in Christum credimus: sed vita fidei viuemus, inque ea perstare volumus: *cõfitentes semper atque prædicantes mirabilia opera Domini, quæ nostri gratia dignanter exhibuit. 18. Atque etiamsi permittat nonnunquam dominus ad tempus nos tentationibus vexari, aut persequutionibus siue corporalibus siue spiritualibus affligi, hoc agit, vt nos quasi per disciplinam erudiat atque castiget: *non autem vt morti nos tradat iterum: à qua semel nos sua morte ipse liberauit. 19. VOX MINORVM in ecclesia, Aperite nobis, populo Domini, ô sancti Apostoli Rom.5. atque doctores, qui clauem à Deo accepistis scientiæ salutaris, aperite nobis portas iustitiæ, id est, fidei rectitudinem nobis prædicate, & Euangelicam veritatem nobis facite manifestam, vt per eam ad iustitiam fidei (quæ coram Deo iustitia vera est) introire, ac verè iustificari ante Deum valeamus: *& cum in has portas introducti fuerimus, inque fidei rectitudine bene instructi, tunc confessionem veritatis persoluemus Domino, illi de corde fideli gratas laudes personabimus: *siquidem fidei rectitudo, ipsa est porta, initium atque introitus, per quem accessum habemus ad Deum: & quotquot verè ante Deum iusti sunt, per hanc debent ad illum introire. 20. Confiteri volumus tibi nos fideles tui, qui tuæ saluationis beneficia persensimus, quòd exaudieris nos inuocantes, sisque nobis factus redemptor atque saluator. 21. Christus Dei filius in carne veniens à Synagogæ principibus, scribis atque senioribus (qui Synagogam ædificare debuerant) quasi peccator homo populique subuersor & seductor reputatus, condemnatus atque interfectus, Diuina tamen ordinatione & patris sui operatione factus est in ædificatione nouæ Ecclesiæ lapis summangularis, summitatem anguli continens, id est, duos parietes ad hoc ædificium simul concurrentes, nempe populum Iudaicum & populum gentium, simul coaptans, pariter continens, in vno ædificio. 22. Est autem opus istud communis vtriusque populi saluationis,

Lucæ 23. Matt.27. Ioan.7.

est istud:

** & est mirabile in oculis nostris.*

23 Hæc est dies quã fecit dominus: exultemus & lætemur in ea.

*24 O domine saluum fac, o domine bene prosperare: * benedictus qui venit in nomine domini.*

25 Benediximus vobis de domo domini:

1.Tim. 3.

** Deus dominus:*
** illuxit nobis.*

26 Constituite diem solennem in condensis, vsque ad cornu altaris.

1.Cor.3.

27 Deus meus es tu & confitebor tibi, & Deus meus es tu, exaltabo te.

28 Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutẽ.

29 Confitemini domino quoniã bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

tionis, ex diuinæ bonitatis dispensatione atque ordinatione perfectũ, E
vt Iudæorum principibus Christum reprobantibus, gentium populus ad fidei vocationem, & Ecclesiæ nouæ ædificationem congregaretur: sicque non Iudæis solis, sed & gentibus salus fieret:* & est opus istud diuinæ dispensationis verè mirandum in consideratione mentis omni vtique attentione & consideratione dignissimum. 23. In hoc igitur tempore gratiæ, quo nobis ex gentibus conuersis sol iustitiæ, depulsis errorum paternorum tenebris, illuxit, salutemque operari dignatus est, exultemus in gaudio spiritus, & lætemur in domino: quoniam hunc diem salutis, hoc gratiæ tempus peculiariter nobis ad gaudium & lætitiam fecit atque sanctificauit altissimus. 24. Eia obsecro Domine, sic tu nostram operare salutẽ, eia obsecro dulcis domine, sic nobis fac nunc prosperè cedere istam quam tu es operatus salutem, vt per fidem rectam & conuersationem dignam, eius efficiamur participes: * sit benedictus Dei filius Christus dominus, sit laudatus laude sempiterna, qui ad nos venit carne indutus, à Deo patre missus, ad humani generis operandam in carne salutem. 25. VOX MAIORVM
in Ecclesia. Nos Apostoli, sacerdotes, pontifices atque doctores quos F
sibi vicarios, ad euangelicam prædicationem & salutarem sacramentorũ administrationẽ saluator dereliquit, quosque suæ domus dispensatores constituit, vobis minoribus (qui aperiri vobis paulo ante petebatis iustitiæ portas) bona precati sumus, de diuitijs Ecclesiæ sanctæ quæ est domus Dei: & per sacræ catholicæ doctrinæ sacramentorumque legis Euangelicæ (quæ sunt diuitiæ domus Dei) fidelem dispensationẽ spiritualibus vos beneficijs atque benedictionibus, quantũ exnostro potuimus ministerio, impleuimus:* Imò verò Deus dominus, ipse per nostrum ministerium benedixit vobis: cuius nos tantum ministri sumus, adiutores & cooperatores infirmi.* & ipse nobis apparuit carne visibilis, nosque per suam doctrinam & spiritus donationem illuminauit, deque necessarijs omnibus sufficienter edocuit. 26. In testimonium autẽ lætitiæ & spiritualis gaudij, pro exhibita per Christum angularẽ lapidem salute, celebrabitis per singula annorũ curricula solẽnes atque festiuos aliquot dies, quibus exhibita rememoremini beneficia, eosque celebretis in magnis turmarũ aduentãtium cõfrequenta- G
tionibus, ad solennitatẽ confluentibus, quomodo in maximis solet celebritatibus fieri: ita vt ad omnia vsque altaris (in quo offertur solenne sacrificium) plena sint cornua turmis ad festiuitatẽ confluentibus:
* Atque etiam in condensis arborũ siue ramorũ, vsque ad altaris cornua, ramis atq; arboribus, in lætitię protestationẽ & solennitatis ornatum, ritè dispositis, quẽadmodum in gaudiosis solet solennitatibus obseruari. 27. Ecce tu es Deus noster omniumque fidelium, in quẽ credimus, quem solum adoramus & colimus: & idcireo te laudabimus, te celebrabimus: tu (inquam) Deus noster es, & nos te magnificabimus. 28. Celebrabo te Domine, & collaudabo donec viuam, eo ꝙ exaudieris me, sisque mihi, atque adeò vniuerso hominum generi, factus saluator. 29. Confitentes Domino dicite, quòd ipse sit bonus, quòd sempi- H
terna sit permansura super electos eius misericordia. Bonitas siquidem immensa Dei, & indeficiens eius misericordia, fidelibus copiosissima & paratissima sunt materia laudis.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXVII.

VErsu 1. Confitemini Domino, quoniã bonus. Particula quoniam, accipi posset in hoc versu causaliter, vt sit sensus, Date confessionem & laudem domino, quoniã ipse est bonus. In sequenti tamen versu, cum dicitur, Dicat nunc Israël quoniam bonus, quoniam, non accipi potest causaliter, sed tantum pro quòd continuatiua particula, vt sit sensus, Israël hoc dicat, quòd Deus bonus sit, & quòd perdurabit in sæculum misericordia eius. Propter quòd, videtur, conuenientius, vt hoc modo etiam in primo versu ista particula accipiatur. Illud autẽ nunc, quod in secundo & tertio versibus ponitur, Dicat nunc Israël, dicant nunc qui timent dominum, quanuis posset accipi in significatione temporis, vt indicet tẽpus gratiæ, sitque sensus, Dicat in hoc tempore gratiæ, in hac die salutis, &c. melius tamen accipitur vt nullum tẽpus importet, sed tantũ sit per modum exhortationis adiunctũ. Ita enim solemus exhortantes dicere, Age, nunc virũ te præbe. Videamus iam quid hac in re valeas. Vel per modum blandientis, vt nunc pro obsecro sit positũ, in hunc sensum, Dicat obsecro Israël, diceãt quæso timentes Dominũ, &c. ¶ Versu. 5. Exaudiuit me in latitudine Dominus. Sicut is qui in afflictione est posit⁹, dicitur in angusto esse vel in angustia (sunt enim tribulatio & angustia cõnexa adinuicem

A inuicem) ita per contrariũ is qui à tribulationibus liber agit, rectè dicitur esse in latitudine, vel ambulare in latitudine: & qui de tribulatione accipit requiẽ, recte dicitur ab angustia eductus in latitudinẽ. Secundum quam significationẽ in alio Psalmo dicitur, Eduxit me in latitudinem, saluũ me fecit quoniam voluit me. Secundum idem potest etiam intelligi quod dicitur Psalmo. 118. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Item & in Psalmo quarto quod dicitur, in tribulatione dilatasti mihi, exponi potest in tribulatione dedisti mihi latitudinem: hoc est, de angustia inuocatus liberasti. Secundum eundem ergo modum, & hic dicitur de tribulatione inuocatus, in latitudine exaudisse inuocantẽ, quoniam exaudiendo ipsum inuocantẽ, de angustia ereptum, constituit in latitudine, atque exaudiendo dedit inuocanti latitudinẽ. Alij tamen in latitudine exaudire, intelligunt, multa & ampla benignitate exaudire. ¶ Versu. 6. & 7. Non timebo quid faciat mihi homo. Et ego despiciam inimicos meos. Intellige, non timebo timore deijciente aut conturbante, non autem omnino nõ timebo, aut penitus despiciam: Donec enim agimus in hac corporis vita (quæ secundum beatum Iob, non nisi militia est vel tentatio) semper res salutaris & necessaria nobis est timor. Beatus enim homo qui semper est pauidus. Et qui sine timore est, nõ poterit iustificari. Neq; poterit homo prosus ita despicere inimicos, vt negligenter agat, vt non inuigilet super custodiã, sed quasi securus dormiat in vtranque aurem. Sic enim absque timore esse in hoc mundo, vbi aduersarius diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: sic inimicos despicere, cum adhuc sis nocumenti
B capax, nec omnino de finali victoria securus, res est maximi periculi. Nihil enim periculosius, quàm si inimicum sic contemnas, sic negligas, sic vilipendas, vt solicitus non sis ab illo tibi cauere. Vt enim hostis vel præpotens, si caueris, difficile tibi nocere valebit: ita neglectus vel minimus & impotentissimus, facilè magnũ tibi malum adferet. ¶ Versu. 8. & 9. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Positiuus hoc in loco pro cõparatiuo positus videtur, bonum pro melius. Est enim sensus, Melius est confidere in Domino, quàm in homine, Sic & Paulus Apostolus, Volo quinque verba in sensu meo proferre, quàm decem milia verborum in lingua, id est, malo vel magis volo, &c. Sic & in Euangelijs dicitur, Bonum est tibi debilem aut claudum in vitam intrare, quam duas manus, aut duos pedes habentem, mitti in gehennam, & alia huiusmodi, id est, magis bonum. Cæterum, quod ad sententiæ veritatem attinet, quare confidere in Domino præstet & in eo sperare, quàm in homine confidere, aut sperare in principibus, in manifesto est ratio: quoniam (vt in alio Psalmo dicitur) non est salus in filijs hominum. Domini vero est salus, & super populum eius (id est credentes & fidentes ei) est benedictio ipsius, ¶ Versu 10. 11. 12. Et in nomine Domini, quia vltus sum in eos. Nos in Elucidatione istud, in nomine domini, accipimus vt positum loco, benedictus Deus,
C vel benedictum sit nomen domini. Psalterium autẽ Romanum absque dictione quia, sic legit, Et in nomine domini vltus sum in eos, quomodo etiam habet Græca lectio. Atq; hæc lectio sic potest exponi, In fiducia nominis domini, vel in virtute nominis domini, vltus sum in aduersarios meos. In Hebræo tamen iuxta modum nostræ lectionis interponitur quia, vel quoniã. Vnde Felix ex Hebræo sic vertit. In nomine domini, quoniam perimam illas, scilicet gentes. Aliqui putant subintelligendum verbum, ad complendum sententiam, hoc pacto, Et in nomine domini confido, quoniam perimam illos. Vnde Paraphrasis Chaldaica quibusdam additis, sic perficit sententiam, In nomine verbi Dei confisus sum, ideo abscindam vel perimam illas. Alij intelligunt verbum dicebam, vel dixi, ad hunc sensum, Omnes gentes circuierunt me, & (dicebã) in nomine domini quia vltus sum in eos: vbi in nomine domini, idem valere videtur, quod suprà diximus, videlicet benedictũ nomen domini. ¶ Versu. 16. Dextera domini fecit virtutem, &c. Poterit hic versus continuari cum præcedenti, ita vt hic versus ipsa sit vox exultationis & salutis, quæ resonat in tabernaculis iustorũ, ad hunc sensum. Vox exultationis & salutis resonat in tabernaculis iustorum, canticum iucunditatis de salute allata, quæ quidem vox, siue quod canticum, istud est quod proxime subsequitur, Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me, dextera domini fecit virtutem. Hæc enim vox, vtique
D vox exultationis est, quoniam digna quæ summa exultatione canatur à fidelibus, item & vox salutis: quoniam illam præclaram canit salutem, à qua Iesus, id est, saluator, appellatus est is qui ad hoc natus est, vt opera diaboli aduersarij nostri dissolueret, ipsum verò suum populum saluum faceret à peccatis eorum. Potest etiam hic versus diuisim à præcedenti legi, vt causam indicet eius quod in priori significatur, & exultationis exprimat materiã, de qua in versu prædenti fit sermo. Causa enim quare in tabernaculis iustorum debeat resonare vox exultationis & salutis, ex eo est, qui dextera domini fecit virtutem, &c Atque ita nos in Elucidatione duos hos versus coniunximus. Cæterum, per dexteram domini, vel generaliter intellige potentiã, siue robur Diuinitatis, per quã genus humanũ fortiter & valenter saluatum est, vel etiã singulariter ipsam filij personã: quoniam non est scripturis infrequens, per Dei dexterã siue brachium, filium significari, eo quòd per filium omnia faciat pater, quomodo homo per suã dexterã operatur opera quæ voluerit, quomodo in principio sui Euangelij Ioannes ait, Omnia per ipsum facta sunt, Et licet ab opere redemptionis humanæ nulla triũ personarum abfuerit (Tota enim trinitas opus illud est operata) peculiariter tamen filio dicere possumus, quòd ipse vt dextera patris, fecerit virtutem, quodque nos exaltauit: quoniam ad hoc ipse peculiari modo missus fuit, vt in assumpta fragili humanitate opus illud perficeret. Iterum nota, quod facere virtutẽ: iuxta modũ scripturæ, positum est, pro fortiter agere: quẽadmodũ facere bonitate, frequenter in scriptura vsurpatur pro facere bene, vt in alio Psalmo, Spera in domino, & fac bonitate. Et iterũ, Bonitatẽ fecisti cum seruo tuo, Sic facere iustitiã pro facere iuste, vt Psalmo. 14. Qui operatur iustitiam. Et iterum, Feci iudicium & iustitiam. Repetitio autem illa quæ in hoc versu canitur, ad-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

Psal.118. modum festiua est,& magnifici gaudij iucundum exprimit affectum. ¶Versu.21. Lapidem quem re- E
probauerunt ædificantes,hic factus est in caput anguli. Narratur vulgò, istud secundum historiam
contigisse in ædificatione templi Salomonis,vt lapis quidam prius ad omnia æstimatus inutilis, tan-
dem ad consummationem ædificij,duorumque angulorum conclusionem in vnũ,admodum iudica-
retur accommodus. Verum id ex scripturis certam non habet authoritatem. Ad præsentem locũ satis
est, id aliquando vsuenire ædificantibus, vt lapis qui antè nulli loco videtur idoneus, tandem ad
summam eis proficiat vtilitatem: quemadmodum lapis angularis ædificio vel maxime præ omnibus
est vtilis,quoniam quidem non locum solum implet suum,vt cæteri lapides, sed pariter duos parie-
tes coniungit & continet. Est autem caput anguli,summitas duorum parietum in vnum conuenien-
tium. Nam vbi duo parietes conueniunt, illic angulus est. Et in horum angulorum summitate,loca-
ri solent lapides magni & graues, per quos duo parietes adinuicem iungantur & continuantur pari-
ter. Hunc autem locum de Christo exponendum,ex Euangelijs manifeste discimus: in quibus idem
ipse,vt de se dictum,& de se intelligendum,coram aduersarijs suis, Scribis atque Pharisæis, addu-
cit,innuere volens & quid illi essent post modicum acturi, quando morte turpissima eũ erant condẽ
naturi,& quid de ipso post passionem ex Dei patris voluntate esset futurum, quando in ipso con-
Actu.4. structa staret Ecclesia fidelium. Citat quoque de Christo præsentẽ locum Petrus Apostolus, Actuum F
cap.4. vbi in concilio Iudæorum super benefacto sanati claudi, quasi reus interrogatus, vnus pro
omnibus constanter ita respondit, Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël, quia in nomi-
ne domini Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc
iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus,qui factus est in
1.Petri.2. caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Et rursum idem Petrus in priore sua epistola. cap.2. suos
fideles ita alloquitur, Vobis igitur honor, credentibus: non credentibus autem, lapis quem repro-
bauerunt ædificantes,hic factus est in caput anguli. Super hæc, beatus Paulus gentium Apostolus
Ephesi.2. eiusdem lapidis huius summangularis meminit, cum Ephesijs scribens, ita ait,Iam non estis hospi-
tes & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Aposto-
lorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio con-
structa, crescit in templum sanctum in domino. Qualiter autem lapis iste factus sit in caput anguli,
Ibidem. paulo antè diligenter exponit, cum ait, Ipse (nempe Christus) est pax nostra, qui fecit vtraque vnũ,
& medium parietẽ maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans,
vt duos condat in semetipso, in vno nouo homine faciens pacem,vt reconciliet ambos in vno corpo-
re Deo,per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Quibus verbis illud significatur,quomodo
Christus duos parietes,id est,duos populos: nempe Iudaicũ & gentilem in vnum coniunxit, sicut lapis
angularis duos parietes ex se diuersos pariter iungit & continet. ¶Versu.23. Hæc est dies quam fecit G
Esaiæ.49. dominus. Hæc est dies illa,de qua fit sermo apud Esaiam,dicentem,in tempore accepto exaudiui te,&
2.Cor.6. in die salutis adiuui te. Quod verbum tractans Apost.2.Cor.6. ita subiungit, Ecce nunc tẽpus accep-
Rom.13. tabile,ecce nunc dies salutis. De qua etiã die,Romanis ita scribit,Nox præcessit,dies autẽ appropin-
quauit, Abiiciamus ergo opera tenebrarũ,& induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus.
Hanc autẽ diem specialiter Deus fecit,quoniam tẽpus hoc gratiæ singulari beneficio nobis cõtulit,
vt in eo gaudeamus & exultemus semper,quo nos monet sanctus Apost.dicens, Gaudete in domino
semper,iterum dico gaudete. Et saluator in euangelio. Gaudete & exultate,quia nomina vestra scri-
Philip.4. pta sunt in cælis. ¶Versu.24. O domine saluũ fac,ô domine bene prosperare: benedictus, qui venit
Lucæ.10. in nomine domini. Continetur in hoc versu illa festiua acclamatio Hebræorum puerorum,qua su-
per asinam sedenti,ac Hierosolymã ingredienti domino,Hebræorum pueri acclamabant, dicentes,
Hosiahna,benedictus qui venit in nomine domini. Pro eo enim quod nos habemus,saluũ fac,in He-
bræo habetur hosiah na (pro quo vulgo nos legimus Osanna) quod significat,salua obsecro. Nam
hosiah,significat salua vel saluũ fac,& na,interiectio est blandientis. Quod autẽ quidã legunt,O do-
mine saluũ me fac,male legitur. Neq; enim lectio Hebræa illud pronomẽ habet,neque Græca,neque
etiam Latina exemplaria Psalterij Gallicani correctiora. Simpliciter verò legendum est, O domine
saluum fac,id est,salua nunc,saluté confer, perfice salutem humani generis, randiu à patribus nostris H
expectatam,libera populum tuum de captiuitate,& perfice opus ad quod missus es à patre. Est enim
vox populi in spiritu Christo acclamantis, vt opus perficiat redemptionis humanæ, ad quod à patre
missus fuerat. Illud autẽ quod secundo loco dicitur,O domine bene prosperare: nos in Elucidatione
exposuimus ferè secundum actiuam & transitiuam significationem,ad hunc sensum,Fac nos prospe-
rari in salute per te collata,vel fac nobis prosperè cedere hanc saluté per te operatam siue operandã.
Psal.44. Cui cõsentit quod vertit ad marginem Felix,Da prosperitatem. Potest tamen propriè accipi,in hunc
sensum,Obsecro domine, prosperum habe successum,& (quomodo in alio Psalmo dicitur) Pros-
pere procede,in operatione huius salutis,nobis tantopere desideratæ,& tã vehementi desiderio ex-
pectatę. In eo verò quod sequitur,Benedictus &c. legendum est,Benedictus qui venit in nomine do-
mini,in tempore præsenti: non qui venturus es,vt quidam habẽt codices. ¶Versu.25. Benediximus
vobis de domo domini. Videtur esse vox maiorũ in Ecclesia ad minores,& prælatorũ erga subiectos:
quemadmodum illa supraposita, Aperite mihi portas iustitiæ,inferiorum iudicatur esse maiores al-
loquentium. In eo autem quod sequitur,Deus Dominus,& illuxit nobis,difficultas quædam senten
tiæ est,propter orationis (vt videtur) imperfectionem. Nos in Elucidatione præcedẽti parte,verbum
benedicendi replicauimus,ad hunc modum, Benediximus vobis de domo Domini,imò Deus Do-
minus vobis benedixit,qui & illuxit nobis. Potest etiam verbũ substãtiuum subintelligi,hoc sensu, Deus

A Deus est dominus,& illuxit nobis. Vel, Deus dominus,secũdum constructionẽ ordinari potest post
copulam,& hoc sensu, Et Deus illuxit nobis. ¶Versu.26. Constituite diem solennem in condensis.
In cõdensis, intelligitur dupliciter, vel in condensis ramorum & frondium,quibus solent in solenni-
tatibus præcipuis templa & loca sacra decorari. Cui sententiæ consonat quod vertit Hieronymus,
Frequentate solennitatem in frondosis. Vel in condensis,id est,in frequentibus turbis,in magna mul
titudine ad solennitates conuenientium. Cui consentit lectio Romani psalterij, quæ habet, in fre-
quentationibus,quomodo etiam legit beatus Augustinus.

CXVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

*Psalmus iste qui sequitur, iuxta numerum literarum alphabeti Hebraici (quæ sunt duæ & viginti) in toti-
dem diuisiones secatur, quarum quælibet continet versus octo ab eadem litera in Hebræo incipientes.
Vnde totus hic psalmus octonarijs duobus & viginti diuiditur: estq; in omnibus eadem penè materia nempe spi
ritualis meditatio & exercitatio, qua vir iustus qui ad perfectionem aspirat, sese exercitat. Suũque affectum in
Deo varie formare studet: nunc ad mandatorum Dei obseruationem, nunc ad peccatorum detestationem, nunc
B ad persecutionum atque periculorum suorum enarrationem, nunc ad auxilij imprecationem, nunc ad gratiæ &
misericordiæ supplicem postulationem, nunc ad suæ voluntatis ac desiderij pij commemorationem, nunc salubri-
ter metuens, nunc fiduciam resumens, nunc hostium ac persequentium crudelitatem & impietatem deflens, nunc
exaudiens in domino confidenter animum erigens, nunc iustorum beatitudinem, nunc impiorum infelicitatem &
venturum super eos iustum iudicium considerans: atque ita per cætera omnia in quibus se vir spiritualis exer-
citare debet ac solet, discurrens, formam nobis tradit optimæ & longe vtilissimæ exercitationis. Cui potissimũ
intentos esse conuenit eos, qui ad singularem Dei cultum præ cæteris peculiariter in sortem domini sunt assum-
pti. Ob quod ecclesiastica etiam institutio, per singulos dies psalmum hunc in officij diuini laudibus tradit iux-
ta suas diuisiones decantandum. ¶Aduertendum verò est, in psalmo isto passim occurrere vocabula quædam
idem penè significantia, nempe lex, mandata, præcepta, testimonia, via, semita, iustificationes, iudicia, iustitia,
sermones, eloquia. Siquidem hæc omnia legem domini significant, Deique voluntatem & beneplacitum: in
quibus comminationes quoque & promissiones, exhortationes item ad bonum, & inuocationes malis, conclu-
di videntur. Et quidem quare illa lex mandata, præcepta, eloquia, sermones, verba dicantur, satis per se claret.
Cæterum, iustificationes eadem dicuntur, quoniam obseruantes iustos faciunt, & in eorum obseruationes iusti-
ficantur homines. Vir autem & semita sunt, quoniam ipsa sunt per quæ recta ad Deum tendere oportet, non de-
clinando vel in dexteram, vel in sinistram. Testimonia sunt, vel quatenus cum contestatione & comminatione
C iustitia sunt, vel quatenus testimonium perhibendo, monstrant quid agendum, quid non agendum. Iudicia verò
& iustitia, quia in iudicio siue rectitudine atque iustitia dispositæ sunt, vel quia secundum ea quilibet iustificari
debet, atque iudicari. Nonnunquam tamẽ in propria ac vulgata significatione accipi poterit iustitia pro æqui-
tate, & iudicium pro ordinatione ac dispositione diuinæ voluntatis.*

CENTESIMIDECIMIOCTAVI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Beati immaculati in via:* qui ambulant in lege domini.*

2 *Beati qui scrutantur testimonia eius:* in to-*
D *to corde exquirũt eum.*
3 *Non enim qui operan tur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.*
4 *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.*
5 *Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodien-
das iustificationes tuas.*
6 *Tunc non confundar, cum perspexero in om-
nibus mandatis tuis.*

BEati sunt nunc secundum expectationem bonæ spei,
& in futuro secundum possessionem rei, qui huius
peregrinationis viam (per quam ad patriam pergunt)
sine macula peccati perambulare student, quique vi-
tam hanc sine crimine viuere satagunt: * qui nunc con-
uersantur ac viuunt secundum legem omnipotentis, Psal.1.
eam ponentes in omnibus regulam actionum suarum. 2. Beati sunt, in-
quam, qui domini sui legem diligenter perscrutantur, attenteque &
sollicite considerant, ad obseruandum eam, qui in lege domini & testi-
monijs eius meditantur die ac nocte: * qui ex pleno & vero affectu cor
dis desiderant, atque conantur placere illi. 3. Qui enim inique adhuc
agunt, homines peccatores, nequaquam dicendi sunt aut existimandi
ambulare vias domini, hoc est, secũdum eius præcepta viuere: sed ma-
gis viam iniquitatis, itinera diaboli, mundi & carnis perambulare di-
cuntur, quorum desideria perficiunt. 4. Sanè tu domine districtè admo
dũ præcepisti nobis seruis tuis, præcepta tua obseruari, atque diligen-
tissime & solicitissime impleri: idque districtè admodum exacturus es
à nobis. 5. Proinde vehementer opto, domine Deus meus, simul & po-
stulo, vt te rectore atque ductore, dirigantur actiones meæ in obser-
uatione præceptorum tuorum: neque gressus meos per deuia sinas ab-
errare. 6. Scio quidem, donec diligenter respexero, attenteque consi-
derauero ad omnia quæ à te sunt præcepta, omnibus actionibus meis
quasi regulam ea applicando, nunquam mihi veram apud te confu-
sionem posse contingere: atque vnico hoc medio, confusionem æ-
ternam spero me posse euadere, quam inuenient omnes qui ad man-
data tua non respiciunt, aut etiam si ad aliqua, non ad omnia quædam

 negligen-

7 Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ.*
8 Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque.*

negligentes. Qui enim legē obseruauerit, offenderit autē in vno, factus E est omnium reus. 7. Laudabo te domine in rectitudine cordis mei, cum rectum fuerit tecum cor meum, & directus ad te spiritus meus: * pro eo quòd tua interna vnctione instructus, didici legē quā in iustitia tua dedisti nobis, eiusque ex tua illuminatione accepi intelligētiam. 8. Tua præcepta, ex quibus nos decreuisti domine iustificari ego ex voluntatis meæ proposito custodire desidero, & cum tuo auxilio firmiter obseruare propono: * tu verò bonum hoc propositū adiuua, vt in effectum deueniat: neque me auxilio gratiæ tuæ valde aut diu nimium destituas, sic vt in lapsum veniam. Non est enim hoc tuum potentissime Deus, vt eos qui bonæ sunt voluntatis, in finem derelinquas.

1 In quo corrigit adolescentior viā suā: in custodiēdo sermones tuos.*
2 In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis.*
3 In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.
4 Benedictus es domine: doce me iustificationes tuas.
5 In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.
6 In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnib' diuitiis.
7 In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.
8 In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.

ELVCIDATIO II. OCTONARII.

IS qui moribus adolescentulus est, in pueri morem cupiditatibus adhuc obsequens, in quo poterit conuersationē suam illam minus probatā corrigere, & per quid poterit ad profectū ac perfectū peruenire: * ad hanc rem indubie nihil posset esse magis opportunū, quàm legis F diuinæ custodia: cuius obseruatione proficiunt, atq; in viros perfectos euadere possunt, imperfecti. 2. Ex integro atque syncero cordis mei affectu quæsiui placere tibi: * ne me permittas, quæso te pastor bone errare atque discedere ab obseruatione mandatorum tuorum. 3. In intimis cordis mei, quasi thesaurum aliquē pretiosum reposui, atque portaui eloquia legis tuæ, præcepta atque promissa tua, ea diligenter considerando, vt sic à peccatis mihi cauerem, & tuam offensam deuitarem. 4. Benedicendus tu es, atque laudādus, ô domine, instrue me in præceptis tuis, docens me ea, & intelligere & amare, & opere adimplere. 5. Iudicia atque præcepta, quæ tu loquutus es, & per os tuum proposuisti nobis, digna mihi visa sunt, quæ ego per labia mea & os meum apertè narrarem, ad tuam gloriam, & proximorum cæterorum eruditionem, meique tædij consolationē. 6. Et in obseruatione præceptorum talem ego delectationem, voluptatem atque lætitiam persensi, qualem huius sæculi homines & auari, ab omnibus suis diuitijs solent accipere: imò ampliorem multo, quàm illæ suis possint amatoribus præstare. 7. Pro- G inde exercitare meipsum volo atque propono, in obseruatione & adimpletione præceptorum tuorum, tam corpore quàm spiritu: diligenter quoque attendere ad præcepta tua, secundum quæ tu mihi ambulandum præcepisti. 8. Volo insuper cum solicitudine atque diligentia meditari in præceptis tuis, studiosus adimplendi ea, neque in sempiternum vltra obliuisci, seu transgredi præcepta tua. Est enim iustum hoc, potentissime Deus, vt quæ mihi tu obseruanda tradidisti, nunquam ea mihi patiar excidere, nunquam ea à mente abscedant, nunquam ea præuaricando transgrediar.

1 Retribue seruo tuo, viuifica me, & custodiam sermones tuos.
2 Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.*
3 Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.*
4 Cōcupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tēpore.
Esaiæ 14. *5 Increpasti superbos:*

ELVCIDATIO III. OCTONARII.

TV domine mihi seruire tibi cupienti benigne tribue, ac liberaliter dona quod postulo: vitam veram per salutarem gratiam H spiritus tui, da in corde meo: & ego sic in te viuificatus & confortatus, custodiam præcepta tua. 2. Aperi domine, mentis meæ oculos, & illuminando da mihi intelligentiam: * & considerabo sic per te illuminatus miranda & magnifica in lege tua, quantum ad præcepta æquissima & suauissima, quantū ad proposita obseruantibus magnifica præmia, quantum ad comminata præuaricantibus æterna supplicia: quę omnia in tua lege cernunt, qui ex tuo munere illuminatos habent mentis oculos. 3. Ecce incola sum ego & peregrinus hic in terra inhabitans, in loco tenebroso & vmbra mortis, vbi tenebris plena sunt omnia: * quapropter te oro datorem luminum, vt non patiaris mihi occultam fieri & à me abscondi legem tuam, sed eam mihi aperias faciasque manifestam. 4. Spiritus meus concupiscendo desiderauit, id est, vehementer atque ardenter concupiuit legem tuam, eius obseruationem super omnia quæ in mundo sunt exoptans: & tale profectò desiderium per omne tempus iugiter inhæsit animæ meæ. 5. Ab initio tu in superbos sese contra te efferentes, tibique obedientiam negantes, seueram ac metuendam protulisti sententiam: elatum Luciferum

A ** maledicti qui declinant à mandatis tuis.*
6 Aufer à me opprobrium & contemptum:
** quia testimonia tua exquisiui.*
7 Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.*
8 Nam & testimonia
B *tua meditatio mea est:*
** & consilium meum iustificationes tuæ.*

ciferum vnà cū complicibus de cælo detrudens, prothoparentem inobedientem è paradiso eijciens, superbum Saulem regno priuans, atque ita in cæteris scripturæ exemplis: * sunt proinde maledictioni, condemnationi, & sempiternæ confusioni obnoxij, qui per superbiam derelinquunt ac transgrediuntur præcepta tua. 6. Huiusmodi autē maledictionis æternæ opprobrium, & contemptum hunc pessimum, domine, tu longe fac à me, vt super me nunquam confusionem illam atque contemptum venire permittas: * nam tuam legem pijssime Deus, cordis mei desiderio ad custodiendum exquisiui. 7. Et quidem potentes tenebrarum principes, siue eorum ministri homines peruersi, simul consederunt velut concilium ineuntes, & contra me loquebantur, pariter tractantes: quemadmodum mihi valeant nocere, velut facta conspiratione ad opprimendum innocentem: * ego verò interim, vt pericula effugerem, & mala quæ illi machinabantur, exercitabā meipsum in tuis mandatis, mente ea considerando, voluntatem in illis confirmando, & opere ea adimplendo. 8. Sunt enim præcepta tua mihi iugis meditatio, in quibus meditor atque oblector: * & præcepta tua ex quibus procedit iustificatio, in omnibus semper agendis mihi sunt à consilio, & velut consiliarij boni, qui mihi indicent quid agendum, quid fugiendum, quid præstantius, quidque minus bonum. Tales enim habens consiliarios, pijssime domine, facile euadam peruersorum omnes machinationes iniquas.

2. Petri. 2. Gene. 3. 1. Reg. 15.

1 Adhæsit pauimento anima mea:
** viuifica me secundum verbum tuum.*
2 Vias meas enunciaui
C *& exaudisti me:* doce me iustificationes tuas.*
3 Viam iustificationum tuarum instrue me:
** & exercebor in mirabilibus tuis.*
4 Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.*
5 Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua*
D *miserere mei.*
6 Viam veritatis elegi:
** iudicia tua non sum oblitus.*
7 Adhæsi testimoniis tuis domine, noli me confundere.
8 Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

ELVCIDATIO QVARTI OCTONARII.

ADglutinata est pulueri in pauimento anima mea, siue propter humilitatē, dum iaceo ante te, ex corde prostratus atque humiliatus in terra, siue propter concupiscentiæ pronitatē, quæ animam nonnunquam ad corporis pertrahit malum affectum: * tu verò me corā te humiliatum, siue terræ sic aliqua ex parte adhærentē salutari gratia tua interius viuifica, iuxta verbum promissionis tuæ, quo semper laborantibus teque inuocantibus polliceris assistere. 2. Vitam meam & actiones meas non occultaui, nō tacui ante te, sed aperui tibi: & tu confitentem me exaudisti, de præteritis quidē ignoscere, de futuris autē præseruare paratus: * doce me præceptor bone intelligere: & viuendo obseruare præcepta tua. 3. Instrue me, & fac intelligere præcepta tua, per quæ mihi est ambulandū, & in quibus cōuersandum atque viuendum: * & ego cum hæc mihi præstiteris, cū me interno tuo magisterio salubriter instruxeris, exercitabo meipsum in præceptis atque promissis tuis, quæ stupenda sunt atque miranda. 4. Si quando (vt solet) dormitare cœperit, flaccescere atque tepescere voluntas bona, propter tædium, afflictionem atque laborem tentationis, siue nimis diuturnæ, siue nimium vehementis, siue nimium multiplicatæ: * tu me, ô sustentator optime, confirma quæso, & corrobora in verbis tuis, & quæ in lege tua loquutus es, & quæ interius in corde intra me es loquuturus. Nihil enim est, quod æque me possit atque tuus præualidus sermo, in omni bono corroborare. 5. Longe semper fac à me vias malas, itinera hominum impiorum, & ne me patiaris in vitam atque actiones illorum aliquando deuenire, vt ambulem cum illis: * sed misericorditer fac mecum, quantum ad legem tuam, vt semper in illa permaneam. 6. Ex bono voluntatis proposito ego elegi viam rectitudinis atque iustitiæ, quę est lex tua: quæ mihi est grata & placita, & per quam ambulare desidero, magis quàm per itinera impiorum: * tua præcepta ego nolo vnquam obliuisci, neq; transgredi vnquā: ac proinde in via hac quā elegi, tu me semper custodi. 7. Ecce præceptis tuis per bonā voluntatē & bonum desideriū adhæsi domine, & permansi in eis: non me permittas, quæso te, in confusionem peccati, aut æternæ damnationis incidere: neque me frustrari patiaris spe mea, qua fido tibi. 8. Cum tu mihi, domine, per gratiā visitationis tuæ & infusionē gratiarum, spiritum subinde soles implere, ac tuo amore cor dilatare, curreba tum ego alacriter viam mandatorum tuorum, & secundum ea cum gaudio & alacritate conuersabar absque fastidio. Atq;, hoc est, quod abs te domine peto semper, vt corde per spiritus tui gratiam dilatato, me facias mandatorum tuorū viam alacriter semper & libenter percurrere, nec vllis vel tentationibus vel molestijs me frangi patiaris,

ELVCI-

ELVCIDATIO QVINTI OCTONARII. E

1 *Legem pone mihi domine viam iustificationum tuarum:* * *& exquiram eam semper.*
2 *Da mihi intellectum:* * *& scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.*
3 *Deduc me domine in semitam mandatorum:* * *quia ipsam volui.*
4 *Inclina cor meum in testimonia tua:* * *& non in auaritiam.*
5 *Aduerte oculos, ne videant vanitatem:* *in via tua viuifica me.*
6 *Statue seruo tuo eloquium tuum:* * *in timore tuo.*
Prou.15. 7 *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum:* * *quia iudicia tua iocunda.*
Eccle. 27. 8 *Ecce concupiui mandata tua:* * *in æquitate tua viuifica me.*

VIam præceptorum tuorum, per quã ambulare debeo, pone mihi pro lege in corde meo, & describe eã mihi, statue, ac firma in intelligentia mentis meæ eam, tu me doce & instrue in ea: * & ego sic instructus atque institutus in via iustificationum tuarum, eam ex animo semper inquiram atque custodiam, in ea semper ambulare conabor omnibus diebus vitæ præsentis quibus peregrinabor super terram. 2. Tu me tuo interno magisterio fac intelligere legem sanctam tuam, quãtum ad præcepta & promissa, cæteraque quæ in ea insunt: * & ego à te instructus apponam animum meum ad scrutandum & meditãdum in ea, & syncero cordis affectu obseruare conabor eam. 3. Perduc me domine, & ambulare fac viam mandatorum tuorum, & in hac via esto mihi dux itineris ne ab ea deuiem: * quoniã ex affectu bono hanc viã, tanquã mihi super omnia impietatis itinera placitam, elegi & concupiui. 4. Tu domine, qui in manu tua habes corda filiorum hominum, & quocunque volueris inflectis ea, per flatũ spiritus sancti tui inflecte cor meum ad amorem & obseruationẽ præceptorum tuorum: * nequaquã verò in amorem rerum quarumcunque temporalium, quæ ab obseruatione præceptorũ st tuorum solẽt homines abducere, quæ ego omnia F pro nihilo reputo vt stercora. 5. Oculos quoq; meos, tã exteriores corporis, quã interiores mentis, operi, claude, & præserua, vt non videndo vllam hauriant vanitatem, ad inordinate concupiscendum eam, per quam commaculetur puritas cordis mei, atque item cæteros corporis sensus & animæ vires: * sed in obseruatione præceptorum tuorum salutari gratia tua interius me viuifica atque corrobor, vt nullo extrinsecus oblato valeam coinquinari. Qui enim interius gratia Dei viuificati sunt, nulla possunt extrinsecus oblata pollui vanitate, custoditi à morte, per eam quæ in eis inhabitat spiritus vitam. 6. Confirma, & velut firmiter statue mihi seruo tuo legem tuam, eam mihi in intimis cordis digito tuo insculpendo, meque in illa penitus confirmando: * idque per salutarem, ac sanctum timorem tuum, per quem declinat omnis homo à malo, & sine quo facile etiam iustus cadit à iustitia sua, & cito domus eius subuertitur. 7. Opprobrium verò illud & cõfusionem sempiternam peccati atque condemnationis, quod timui nonnunquam, ac formidaui, conscius fragilitatis meæ, quæso te, G transire fac à me, & ne vnquam super me veniat tu præcaue, tuaque custodia à me auerte: * tua enim præcepta fuerunt mihi grata ac placita, & obseruatione dulcia visa sunt mihi. 8. Tu nosti domine, & vides: quemadmodum ex desiderio concupiuerim obseruare præcepta tua: * proinde tu, propter iustitiam tuam, adiuuans imperfectum meũ, vitam mihi dona spiritus mei, vt ex te valeam, quod me vtcunque desiderare cognouisti. Tu enim es, qui imperfectum nostrum adiuuas, & omne desiderium bonum adimples.

1 *Et veniat super me misericordia tua domine, salutare tuũ, secundum eloquium tuum.*
2 *Et respondebo exprobrantibus mihi verbũ:* * *quia speraui in sermonibus tuis.*
3 *Et ne auferas de ore meo verbũ veritatis vsquequaque:* * *quia in iudicijs tuis supersperaui.*
4 *Et custodiam legem tuã semper: in sæculum & in sæculum sæculi.*
5 *Et ambulabã in latitudine:* * *quia mandata tua exquisiui.*
6 *Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum:* * *& non confundebar.*
7 *Et meditabar in mandatis tuis: quæ dilexi.*
8 *Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi:*
B
* *& exercebor in iustificationibus tuis.*

ELVCIDATIO SEXTI OCTONARII. H

SVper me veniant, & in me demonstrentur effectus misericordiæ tuæ, misericordissime Deus, salus tua atque saluatio à te veniat mihi, secundum verbum promissi tui, quo misericordiam & salutem promisisti omnibus eam postulantibus. 2. Expertus autem misericordiam & salutem tuam, habebo sermonem legis tuæ, quẽ respondeã tentatoribus atque persequutoribus meis, qui mihi indigna proponunt, ad res turpissimas & indignas me sollicitantes, id est, dæmonibus ac peruersis hominibus prauissima & indigna nobis suggerentibus, quod vir quilibet iustus pro exprobratione debet reputare: * respondebo autẽ illis, & eos refellam per sermonem legis tuæ, eo quòd spem magnam habeam in verbis legis tuæ, sciens ad refellendum malignorum suggestiones nihil æquè conducere. 3. Et ne permittas vnquam ab ore meo verbum rectum ac bonum legis tuæ prorsus excidere, ita vt eo obiecto in verbis mendacij & iniquitatis, cum peccatoribus incipiam oblectari: * quoniam in præceptis tuis spem meam omnem valde defixi atque constitui, & velut firmiter solideque collocaui. 4. Et ex bono proposito cordis mei volo semper obseruare legem tuam, omnibus diebus quibus vixero super terram, & in sempiternum vltra non transgredi. 5. Et cum me putarent sæculi homines ambulare in multa afflictione vias difficiles & angustas, in Dei seruitute, secundum veritatem magis ambulabam vias latas, in libertate & hilaritate spiritus: * eo quòd præcepta tua obseruare conabar, idque propter charitatem per spiritum sanctum in corde diffusam, quæ legis tuæ obseruatorem corda dilatat, sicque viam alioqui propter malitiam carnis angustam & difficilem dilatat, & facilem reddit. 6. Neque verò ipse tantum præcepta tua opere obseruare volui, sed confidenter etiam atque liberè, vbi occasio aderat, coram potentibus & magnis ausus fui ea proloqui, & palàm proponere, neque publicum erubescens, neque potentiam mundi pertimescens: & nequaquam in his erubui, quæ mihi etiam ad magnam gloriam deputaui. 7. Et solicitè meum ipse ac diligenter cum gaudio & multa delectatione meditabar in præceptis tuis, tum ad recte intelligendum, tum ad bene implendum ea quæ præ omnibus rebus temporarijs dilexi. 8. Neque verò nuda illis ac sola animi meditatione inhæsi, verum etiam ad operandum & exercitandum in eis meipsum, manus extendi, & velut cum conatu magno eleuaui, ad implendum ea quæ vt mihi beneplacita dilexi & elegi: * & omnino cunctis diebus quibus viuam, exerceri volo in præceptis tuis, quæ sola me poterunt iustificare obseruantem ea.

Rom.5.

ELVCIDATIO VII. OCTONARII.

1 *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.*
2 *Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.*
C
3 *Superbi iniquè agebant vsquequaque:* * *à lege autem tua non declinaui.*
4 *Memor fui iudiciorum tuorũ à sæculo domine:* * *& consolatus sum.*
5 *Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuã.*
D 6 *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.*
7 *Memor fui nocte nominis tui domine:* * *& custodiui legem tuam.*
8 *Hæc facta est mihi:* * *quia iustificationes tuas exquisiui.*

ESto in bonum memor, ô domine, sermonis atque promissionis tuæ, quantum ad me seruum tuum, quo sermone tu me sperare fecisti, atque confidere, nimirum vt iuxta promissum, misereordiam facias postulanti, tibique seruire cupienti. 2. Spes ista quam habeo in verbis promissionum tuarum, tota est consolatio mea, in afflictionibus atque persequutionibus meis quibuscunque obuenientibus: quoniam ex verbo tuo mihi vita procedit, cum verba quæ tu loqueris, spiritus sint & vita. 3. Superbi dæmones, hominesque iniquitate potentes, & peruersi, aduersum me vehementer iniquè agebant, multis Ioan.6. me afficientes molestijs, & varijs modis ad malum pertrahere cupientes: * ego autem à tua lege nolui discedere, sed in ea firmo & infracto animo perstiti, super te firmissimam petram fundatus. 4. In memoria habui, & mente consideraui iudicia tua, quibus ab initio iudicasti semper iuste & in æquitate summa, bonis bonam, malis malam retribuens mercedem: bonos de angustia & tentatione opportuno tempore liberans, malos autem in impietate sua morte condemnans: * & magnam atque multimodam in eis consolationem contra malignantium insultus inueni. 5. Prorumpijs autem & peccatoribus, qui legem tuam tam multis & tam execrandis modis transgredi non verentur, horror magnus & error, horripilatio quoque & penè defectio animæ inuadit me, quoties rei indignitatem attentus ipse considero, quàm sine fræno, quàm pro nihilo, quàm varijs modis, quàm indignè tua deus præcepta æquissima præuaricentur. Exigit enim hoc tua vera iustitia, vt non sua tantum quis propria, sed etiam aliena doleat & defleat peccata. 6. Mihi verò, piissime Deus, ex munere gratiæ tuæ, quasi cantica, & carmina facta sunt verba præceptorum atque promissorum tuorum, dum in hoc mundo peregrinus ago, ad eam quæ mihi promissa est patriam tendens. Quemadmodum enim ijs qui secundum humanum morem peregrinationis viam ambulant, ad sui laboris depellendum fastidium, cantica solent per viam decantare, eaque siue carnalia, siue bellica, siue mundana, iuxta viatoris affectum, ita mihi in hac peregrinatione ambulanti, ad exilij & laboris lenimentum, tui sermones sunt pro cantilena, in qua meipsum oblecto. 7. Etiam nocte, cum tranquilla sunt & pacata omnia, in mente habui te, domine, & sanctum nomen tuum, solicitus quomodo tibi placitam exhiberem seruitutem: * & foelicitus fui custodire, tam in memoria quàm in operatione, seu per legem sanctam tuam. 8. Hæc autem nominis tui iugis etiam per noctem memoria, siue legis diuinæ perpetua custodia, inde mihi à te data est: * quoniam præcepta tua ex bono cordis proposito exquisiui, desiderium habens tam intelligendi, quàm obseruandi ea. Sic enim es tu benignus semper & misericors, vt ijs qui bonæ sunt voluntatis, ad perficiendum libenter præbeas adiumentum.

ELVCI-

ELVCIDATIO VIII. OCTONARII.

1 *Portio mea domine, dixi, custodire legem tuam.*
2 *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.* * *miserere mei, secũdum eloquium tuum.*
3 *Cogitaui vias meas:* * *& conuerti pedes meos in testimonia tua.*
4 *Paratus sum, & non sum turbatus:* * *vt custodiam mandata tua.*
5 *Funes peccatorum circumplexi sunt me:* * *& legem tuam non sum oblitus.*
6 *Media nocte surgebã:* * *ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ.*

7 *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

8 *Misericordia tua domine plena est terra:* * *iustificationes tuas doce me.*

PRæ magno desiderio legis diuinæ ego coram te in cordis mei electione optando, dixi, O domine, portio mea sit, & hæc pars ex tuo munere mihi contingat, vt custodiam semper atque obseruem legem tuam. Hæc enim est pars, portio, fors atque hæreditas, quam super omnia desiderare debet omnis fidelis seruus tuus. 2. Pro hac autem portione deprecatus sũm te, & oraui ante conspectum tuum ex syncero ac pleno affectu cordis mei: * quæso te, hac in re mecum facias misericordiã iuxta verbum promissionis tuæ. Salutare est enim quod postulo, & salutaria postulantibus exauditionẽ semper polliceris. 3. Vt autem ad tuæ legis custodiam peruenirem, quam peto super omnia, recogitaui ego omnes actiones vitæ meæ, & præteritas & præsentes: * & disposui actiones meas secundum rectitudinem præceptorum tuorum, vt in illis ambularem & viuerem. 4. Et ecce sto vsque modo constans & perseuerans, paratus ad impletionem mandatorum cælestium, animo infracto, firmo vsque imperturbato, nõ pertimescens vllam aduersariam potestatẽ: * ad custodiendum & opere implendum præcepta tua. 5. Peccatores & impij dæmones, atque homines maligni, colligati & coadunati in malitiæ suæ consensu, quasi catenæ & funes circũuoluerunt me, quærentes pertrahere animã meam in prædam suam & perditionem: congregationes & cateruæ impiorũ circundederunt me ad deprædandũ atque perdendum: * ego verò legem tuã non fui oblitus, neq; transgressus, atque ita vniuersas eorum colligationes dissipaui: quoniam tuę legis custodia, funes omnes & colligationes impiorum quasi araneę telam dissipat atque disrumpit, vt eis innodari legis tuæ obseruator non queat. 6. Dilatatus amore præceptorum tuorum, frequenter etiã nocte media, quãdo pacata & quieta sunt omnia, exurgebam à strato requiei corporis mei: * ad hoc vt laudem dicerem tibi, secundum tẽporis opportunitatem, super iudicijs tuæ iustificationis siue iustitiæ, hoc est, super præceptis tuis æquissimis & suauissimis, in quibus nos iustificare decreuisti, aut super iudicijs tuis & ordinationibus dispositionibusque diuinæ voluntatis tuæ, quibus ab æterno secundum tuam iustitiam disposuisti de nobis, deque bonorũ retributione, & malorũ condenatione. 7. Socius ego sum, & cõfrater, & in omnibus bonis cõparticeps, cum omnibus te diligentibus, tibique seruientibus, & custodientibus mandata tua. Est enim inter omnes sanctos seruos tuos sancta quædam fraternitas, & vera societas, ac spiritualis cõparticipatio, tam fidei quàm operum cæterorum, in quam societatem etiam me tibi seruire cupiente spero iam adscriptũ esse, vt quasi vnus ex illorum numero habear ante conspectum tuum. 8. Potentissime Deus, vbique terrarũ patent effectus misericordiæ tuæ, nec est locus quisquam, vel in vltimis terræ finibus, in quo nõ parata sit clamantes exaudire misericordia tua: * hanc vnam mihi quoque misericordiam exhibe, vt me doceas & intelligere, & diligere, & opere adimplere sanctissima præcepta tua. Hæc enim est misericordia, quam præ omnibus mihi fieri exopto, & quam possum humillima supplicatione deposco.

ELVCIDATIO NONI OCTONARII.

1 *Bonitatem fecisti cum seruo tuo domine secundum verbum tum.*
2 *Bonitatem, & disciplinam, & scientiã doce me:* * *quia mandatis tuis credidi.*
3 *Priusquã humiliarer ego deliqui:* * *propterea eloquium tuũ custodiui.*
4 *Bonus es tu:* * *& in bonitate tua doce me iustificationes tuas.*
5 *Multiplicata est super me iniquitas superborum:* * *ego verò in toto corde scrutabor mãdata tua.*
6 *Coagulatum est sicut lac cor eorum:* * *ego verò legem tuam meditatus sum.*
7 *Bonũ mihi, quia humiliasti me:* * *vt discã iustificationes tuas.*
8 *Bonum mihi lex oris tui, super milia auri & argenti.*
1 *Manus tuæ Domine fecerũt me, & plasmauerunt me:* * *da mihi intellectum vt discam mandata tua.*
2 *Qui timent te, videbũt me, & lætabuntur:* * *quia in verba tua supersperaui.*
3 *Cognoui domine quia æquitas iudicia tua:* * *& in veritate tua humiliasti me.*
4 *Fiat misericordia tua vt cõsoletur me, secũdũ eloquiũ tuũ seruo tuo.*
5 *Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam:* * *quia lex tua meditatio mea est.*
6 *Confundantur superbi:* * *quia iniustè iniquitatẽ fecerunt in me:* * *ego autem exercebor in mandatis tuis.*
7 *Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testimonia tua.*
8 *Fiat cor meũ immaculatum in iustificationibus tuis: vt non confundar.*

CONfiteor hoc tibi domine ad gratiarum actionem, quòd mihi seruo tuo bona multa supra meritum feceris, iuxta verba pollicitationis tuæ. 2. Sed perge obsecro, mihi benefacere, & doce me vt benignus sim atque suauis affectu, tibique & proximis omnibus quomodo oportet affectus: vt sim insuper intelligens & instructus in lege tua, & scientiam habeam agendorum omnium: * atque hæc meritò mihi præstari peto, quoniam mandatis tuis acquieui, adhæsi, cor apposui, eaque obseruanda libens acceptaui. 3. Priusquam tu me aduersitatibus, disciplina tua salutari humiliasses, ego tibi inobediens in peccatis viuebam: * Aut priusquam sub obedientia præceptorum tuorum humiliter meipsum subijcerem, & donec collo extento gradiebar, iugum tuum recipere recusans, tam diu mihi dominabatur iniquitas: * propterea nunc illam cupiens effugere atque relinquere, præceptorum tuorum obseruationi me submittere volui. 4. Tu domine bonus es, imò ipsa secundum tuam essentiam perfecta & infinita bonitas, à qua fluit omnis creata bonitas: * oro te, doce me, & intelligere

gere opere obseruare propter bonitatem tuam, præcepta tua in quibus valeam iustificari. 5. Vehementer aggrauata est, & multipliciter increuit contra me superborum dæmonum atq; sæculi potentum iniquitas, dum me molestijs plurimis & grauibus persecutionibus multipliciter diuexant: * ego vero vt ea quæ mihi sunt ab illis euadam pericula, ex pleno cordis mei affectu meditari volo, & diligentissime cõsiderare mandata tua. Neque enim aliud noui ad superanda cuncta superborum tentamenta, & euincendam omnem sæculi malitiam, efficacius remedium. 6. Impiorum illorum corda, propter frigus iniquitatis, qua pleni sunt, & corruptionem odij quo erga bonos pessime afficiuntur, condensata sunt, congelata, incaseata, constricta, coarctata in modum lactis, quod per frigus & corruptionem coaguli condensatur: quemadmodum econtrario, iustorum corda, propter charitatis inextentis feruorem dilatantur, & veluti rarescunt, eleuanturq; & expanduntur ad amorem Dei & proximi: Ego autem legem tuam sum diligẽter meditatus, ne similis inuenirer illis, corde coagulato. Hanc enim cordis malam coagulationem, diuinæ legis meditatio prohibet ac dissipat. 7. Bonum est mihi, quod disciplina tua me afflixeris ad eruditionem, atque ita humiliaueris: * confert enim valde afflictio disciplinæ tuæ ad custodiam præceptorum tuorum: cum non raro per disciplinã aduersitatis, ad obedientiam redeant, qui in prosperitate per inobedientiam à te recesserant. 8. Melior mihi est intelligentia, custodia atq; obseruatio legis, quam tu dedisti, & præcepisti nobis: quàm possessiones omnium diuitiarum auri & argenti, & omnium quæ mundus habet pretiosa. Hæc enim saluare neminem possunt, illa potest & facit.

ELVCIDATIO DECIMI OCTONARII.

QVemadmodum artifex solet opus suũ facere manibus, & secundum artem illud iuxta formam quam velit fingere atque formare, ita tu per omnipotentiam, sapientiam atque bonitatem tuam, me secundum animam creasti, & de limo terræ secundum corpus finxisti: * Cum ergo tuum opus sim ego & factura tua, instrue etiam me & doce intelligere atque perficere præcepta tua, quemadmodum iustum est facturam præcepto factoris obedire. 2. Qui te diligunt considerantes conuersationem & vitam meam, secundum præcepta tua lætabuntur in gaudio spiritus, super profectu meo & bono spiritali, eo quod charitas proximorum bonis congaudere facit, quæ non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: * cum viderint spe omni tuis verbis me inhærere, & totum animum ad præceptorum obseruationem appossuisse. 3. Intellexi, domine, tuo magisterio, quod æquissima sint atque rectissima præcepta tua, & dispositiones omnes sanctissimæ voluntatis tuæ, quod æquissimæ omnino sint atque iustissimæ: * & tu me secundum iustitiam & æquitatẽ tuam, per correptionis disciplinam, afflixisti me, pro tuo beneplacito. 4. Fiat, obsecro, mihi ad consolationem misericordia tua, iuxta verbũ promissionis tuæ quod fecisti seruo tuo: vt quemadmodum per iustitiam humiliasti peccantem, ita per misericordiam exaduerso consoleris pœnitentem, ne forte nimia contingat afflictione spiritum deficere, aut tristitia absorberi. 5. Demonstrent se mihi affectus misericordiæ tuæ, in peccatorum remissione & gratiæ tuæ collatione, atque à periculis liberatione: atque ita ex munere gratiæ tuæ viuet spiritus meus: * quoniam legem tuam ego elegi, ac posui meditationem delectationemque meam, in cuius intelligentia perscrutatione & obseruatione meditari volo atq; exercitare meipsum. 6. Superbi dæmones, eorumque ministri, homines peruersi, non præualeant in superbia sua, in malo quod quærunt mihi, sed suo proposito frustrati erubescãt: * eo quod iniuste sine causa, & sine meo merito inique egerunt aduersum me machinantes mihi mala, cum ego illis nihil nocuerim, neq; mali quicquã intulerim: * ego autem vt illorũ euadam machinationes, exerceri interim volo in obseruatione præceptorum tuorum. 7. Non curo si fugiant atque auersentur me superbi isti legis tuę transgressores: sed opto magis vt ij qui te diligunt: & qui vere intelligunt, hoc est, obseruãt præcepta tua, lese mihi adiungant, & me conuertantur, neque non auersentur. Melior est enim societas viri vnius te diligentis, quàm multorum milium legẽ tuam præuaricantium. 8. Fac tu Domine per sanctam tuam custodiam cor meum & spiritum permanere in tuis præceptis immaculatũ, sic vt

culatum in iustificationibus tuis:
*vt non confundar.

1 *Defecit in salutare tuū anima mea:* & in verbum tuū supersperaui.
2 *Defecerunt oculi mei in eloquium:* *dicentes, quādo consolaberis me?
3 *Quia factus sum sicut vter in pruina:* *iustificationes tuas non sum oblitus.
4 *Quot sunt dies serui tui, quādo facies de persequētibus me iudiciū?
5 *Narrauerūt mihi iniqui fabulationes, sed nō vt lex tua.
6 *Omnia mandata tua veritas:* *iniqui persequuti sunt me, adiuua me.
7 *Paulominus consummauerunt me in terra:* *ego autem non dereliqui mandata tua.
8 *Secundum misericordiam tuā viuifica me, & custodiam testimonia oris tui.*

1 *In æternū domine verbū tuū permanet in cælo.*
2 *In generatione & generationē veritas tua:*
Psal. 133. **fundasti terram, & permanet.*
3 *Ordinatione tua perseuerat dies:* *quoniā omnia seruiunt tibi.*

4 *Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.*

nullius vnquā transgressionis consensu commaculetur: *vt ante conE spectum diuinæ maiestatis tuæ nunquam confundar, neque in hac vita per lapsum mortalis peccati, neq; in nouissimo confusione sempiterna, quam sentient tunc omnes qui cor suum, dum viuerent, in Dei præceptis non studuerunt custodire immaculatum.

ELVCIDATIO VNDECIMI OCTONARII.

ANima mea vehementi ac nimio desiderio expectauit atque anhelauit, & præ expectatione nimis anxia veluti defecit, ad consequendam salutem & saluationem tuam, à malis omnibus vehementer cupiens tuo dono fieri salua: *& in præceptis atq; promissis tuis spem meam omnem posui, eisque animum totum dedi. 2. Oculi interni animæ, atque etiam modo quodam per redundantiam externi corporis, præ nimia anhelatione veluti defecerunt, intendentes in verbum promissionis tuæ & impletionem eius *cum dicerē intra me, de mora nimia veluti conquerendo, Quare domine tandiu differs me consolari, & quando tandem implebis effectum promissis tui? 3. Ecce enim factus sum ego, & æstimatus sum quasi saccus coriaceus, pruina congelatus corruptus atque corrugatus, & quasi saccus fumo denigratus: sic vilis, asper & horridus (propter miseriam peregrinationis meæ, & absentiam consolationis tuæ) apparens sæculi hominibus: *præcepta autem tua non sum oblitus, quantumuis fuerim secundum hominis iudicium miser atque contemptibilis. 4. Noli domine tardare nimiū, neque nimis elongari, sed quantocyus aduenī, vt facias pro me iudiciū aduersus eos qui me persequuntur, me eripiendo de afflictionibus & persequutionibus eorum. 5. Impij dæmones & homines peruersi, suggestionibus suis malignis, proposuerunt mihi nugas & inanes fabulas, imò deliramenta pura & meras insanias, de sæculi voluptatibus, atque id genus aliis: sed quæ isti mihi narrabant, nequaquā erant comparanda iis quæ proponit lex tua. Nihil enim aliud sunt illa nisi meræ nugæ, fabulæ vanæ, & veluti deliramenta amentium: legis autem tuæ eloquia, veritate, æquitate, atque soliditate sunt plena. 6. Quæcunq; tu mandasti, in æquitate atque iustitia sunt dispositā, vera sunt, æqua sunt, iustissima sunt: *iniqui autem me tuis mandatis obedire cupientem sine causa affecerunt tentationibus atq; molestiis, & tu aduersum illos esto mihi adiutor, vt non prævaleant. 7. Penè me consumpserant super terram: & quantum ad humanæ virtutis resistentiam, propter persequutionis immanitatem, non multum abesse videbar à lapsu: *ego tamen cælesti tua gratia confortatus, non consensi tentamentis eorum, neque dereliqui æquissima mandata tua. 8. Propter tuam, Deus misericordiam & benignitatem redde cordi meo vigorem atq; virtutem, vt quasi reuiuiscat anima, dona in me spiritum vitæ, in quo confortatus pollicear, propono & spero cunctis diebus vitæ meæ obseruare diligenter præcepta quæ tu proposuisti nobis.

ELVCIDATIO XII. OCTONARII.

ECce in cælis firmum permanet & custoditur diligentissime præH ceptum tuum, ipsis cælorū orbibus astrisq;, quæ in eo sunt in suo cursu & actione tuum verbū ac iussum quod eis ab initio dedisti, nunquam prætereuntibus: ipsis quoq; cæli incolis, angelis sanctis, & beatorum spiritibus, tuum præceptum nec in minimo vnquam transgredientibus. 2. Veritas quoque tua, fides & iustitia permanet tecum per omnes generationes, & in omnibus sæculis sempiterna existens: *terra quoq; in ea stabilitate, super quā semel à te fundata est, firma & immota perseuerat, vt non moueatur in sæculum. 3. Insuper dispositione diuinæ voluntatis tuæ, perseuerant in suo cursu dies, post noctem quotidianis regressionibus iuxta anni tempora redeuntes: *quoniam omnia quæ creata sunt, tibi sunt seruitute subiecta, & optimo iure tibi subiectissime famulantia. Atq; proinde iustum omnino est, & rationi maxime cōsentaneum, vt & nos humanum genus, multo nobiliori statu abs te conditi, debitū tibi exhibeamus in omnibus semper famulatum. 4. Nisi legem tuā domine posuissem meditationē meam, nisi ad eam attēdissem, verisimile erat meā humiliationem & afflictionem quam tu ad vtilitatem super me venire permisisti, mihi ad perditionem fuisse venturā. Qui enim ad legem Dei nō respiciunt, neq; in ea se consolantur, frequenter in afflictionibus effecti murmuratores, aut queruloſi,

A 5 *In æternum non obliuiscar iustificatiōes tuas, quia in ipsis viuifica sti me.*
6 *Tuus sum ego:*
**saluum me fac quoniā iustificationes tuas exquisiui.*
7 *Me expectauerunt peccatores vt perderēt me:* *testimonia tua intellexi.*
B 8 *Omnis cōsummationis vidi finem:* *latum mandatum tuū nimis.*

1 *Quomodo dilexi legē tuam domine, tota die meditatio mea est.*
2 *Super inimicos meos prudentem me feciſti*
C *mandato tuo:* *quia in æternum mihi est.*
3 *Super omnes docentes me intellexi:*
**quia testimonia tua meditatio mea est.*
4 *Super senes intellexi:* **quia mādata tua quæsiui.*
5 *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt*
D *custōdiam verba tua.*
6 *A iudiciis tuis nō declinaui:* *quia tu legem posuisti mihi.*
7 *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua:*
**super mel ori meo.*
8 *A mandatis tuis intellexi:* *propterea odiui omnem viam iniquitatis.*

ruloſi, aut desperati, corruunt in perditionem: sicq; eis hoc cedit ex eorum negligentia in detrimentū, quod ex meditatione diuinæ legis accepta consolatione, cumulū protulisset bonorū meritorum. 5. Proinde in sempiternū cunctis diebus vitę meę obliuisci nolo, aut ab animo eiicere præcepta tua, sciens, ex illis vitam procedere animæ meæ. 6 Entuus sum ego, domine: creatione primū, quia factura tua: deinde voluntaria donatione & liberali oblatione, quoniam ex bona voluntate tibi cupiens seruire: *atq; ob hoc mihi intende, vt saluum me facias, quoniam præcepta tua ex cordis desiderio exquisiui, & obseruare concupiui. 7. Impij dæmones atq; pueri eorū ministri, cum desiderio me expectauerunt ad perdendū: diuq; ac multum solicitantes sustinuerūt vt me vel tandē in perditionem pertraherēt: *ego autē per intelligentiā bonam & obseruationem præceptorū tuorum expectatione sua fraudaui illos. 8. Omnis humanæ cōsummationis atq; perfectionis considerauī finem, ad quem nimirū omnis scientia humana, omne humanū studium, omnis conatus tēdere debeat: *ipse est obseruatio mandati tui, quod omniū actionum humanarum atq; conatuum debet esse finis in hoc mundo: quod sanè mandatū tuum est admodum latū, eo quòd dilectio (de qua est primū & magnū mandatum diuinū) sese extendat & ad Deum & ad homines, & inter homines rursum ad inimicos atque amicos, conciues & peregrinos, notos & extraneos, & omnino erga omnes. *Est etiam sic latum, vt nunquam in huius vitæ via penitus percurri possit, id est omnino impleri, eo quòd diligendi nullus debet esse terminus, & semper maior potest haberi dilectio.

ELVCIDATIO XIII. OCTONARII.

VAlde ego ac multum amaui atq; concupiui obseruare legem tuā, iugiter ego mediror, oblector, & exercitor in illa. 2. Instruxisti Rom. 1.
me, & intelligētem fecisti in præceptis tuis, amplius quàm aduersarios meos, sæculi sapientes, qui se sapientes iactantes stulti facti sunt: *propterea, inquam, hanc mihi præ illis intelligentiam ampliorem dedisti in præceptis tuis, quoniam in æternum ego elegi ea, & imperpetuum obseruando nunquam transgredi volo, licq; eligendo ad perpetuam obseruationem, quasi in æternum mea feci. 3. Tu mihi tuo interno magisterio intelligētiam ampliorem donasti in lege tua, quam ab omnibus potuerim exterius siue verbo siue scripto docentibus, consequi: *propterea quòd in ea iugiter fuerim meditatus, eamq; semper in mēte portauerim. 4. Ex singulari quoq; munere gratiæ tuæ, intelligentiā mihi legis tuæ ampliorem dedisti: quam plerisq; habeant multorum annorum: *propterea quòd præcepta tua ex bono affectu cordis exquisierim. Plus enim illuminatur homo ex iugi meditatione & desiderio legis tuæ, quantū ad ea quæ salutis sunt, quam exteriori quocūque magisterio: & non raro illuc pertingit bona voluntas piaq; affectio, quo cani & multorū annorum experientia nequeunt peruenire: & intrat illa plerunque, vbi foris hæc stare cōpellitur. 5 Custodiui gressus meos magna cū diligentia, & velut in arctum concluſi, constrinxi atq; cohibui, ne in vias peccatorū & itinera impietatis declinarent ad hoc vt non transgrederer tua præcepta, Affectiones enim quibus feruntur homines, cohibere oportet, & sub districta custodia cōstringere eum, qui in obseruatione velit permanere præceptorum cælestiū. 6. A præceptis tuis diligenter caui mihi, ne dilcederē: eo quòd tu quies creator dominus atque saluator meus, legem hanc posueris mihi, propter quod nequaquā dignum est vt eam derelinquam: *& quia tu domine me instruxisti in tua lege, eiusq; mihi præstitisti intellectū. 7. Suauissima omnino & delectabilia valde sunt in faucibus spiritualibus animæ meæ eloquia præceptorū atq; promissorum tuorum, cum ea spiritaliter manduco, mastico, rumino, atq; interius deglutio: *dulciora certè sunt animæ, quàm mel corporale sit in ore ipsum manducantis. Longe enim antecellit spiritualis voluptas omnes corporis delitias. 8. A mandatorum tuorū iugi meditatione, piaq; affectione & studiosa obseruatione, accepi veram & rectam legis tuæ intelligentiam: mandata tua in quibus versor iugiter, prudente me faciunt & instructum in cognatione tui: *propter hoc detestatus sum & execror omnia itinera impietatis, omniaq; vitiorum & peccatorum genera, in quibus ambulant impij peccatores. Quomodo enim qui tuam legem rectè intellexerit, nō detestabitur itinera impietatis, quæ ex diametro nouit cū illa pugnare?

Universidad de Deusto
Biblioteca

1 *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

2 *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

3 *Humiliatus sum vsquequaque domine, viuifica me secundum verbum tuum.*

4 *Voluntaria oris mei beneplacita fac domine: *& iudicia tua doce me.*

5 *Anima mea in manibus meis semper:*
** legem tuam non sum oblitus.*

6 *Posuerunt peccatores laqueum mihi:*
** & de mandatis tuis non erraui.*

7 *Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum: * quia exultatio cordis mei sunt.*

8 *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternũ: *propter retributionẽ.*

Ioan. 14.

Gene. 15.

1 *Iniquos odio habui: *& legem tuam dilexi.*

2 *Adiutor & susceptor meus es tu: *& in verbum tuũ superspĕraui.*

3 *Declinate à me maligni: *& scrutabor mãdata Dei mei.*

4 *Suscipe me secundum eloquium tuum, & viuam: *& non confundas me ab expectatione mea.*

ELVCIDATIO XIIII. OCTONARII.

LEX tua domine gressibus meis est, quasi lucens candela, & est quasi lumen vias atque actiones meas illuminans, iuxta quàm in agendis omnibus sic me gero, sic viuo, vt sine offensione percurram viam mandatorum tuorum, & ad optatum finem pertingam. Qui enim in lumine ambulat, non offendit: quemadmodum illi faciunt, quibus pro lucerna non est verbum tuum, qui in tenebris ambulant, nescientes omnino quo vadant. 2. Irreuocabiliter mecum proposui, & firmissime in animo statui, obseruare imperpetuum, & nunquam vltra transgredi præcepta tua, iustissima sane atque æquissima. 3. Videns autem infirmitatem & lubricitatem carnis meæ, simul & mundi fallaciam, & dæmonum machinamenta (quæ omnia mea tam salutari proposito indesinenter quærunt auertere) afflictus sum valde, & profundissima humilitate subieci meipsum, & commendaui tibi, mihiipsi diffidens in tantis difficultatibus: & iccirco tu, qui solus potestatem habes secundum verbum tuum promissionis tuæ, vitam mihi veram spiritus largire & custodi, fortemque me fac & validum, vt quod propono, adimplere sufficiã. 4. Habe accepta, Deus piissime, & fac tibi sint grata ac placita, quæ ego ex hilari corde & animo liberali offero, etiã per os meum laudis, confessionis, orationis, & gratiarum actionis munera ac sacrificia: *& instrue me in intelligentia atque obseruatione præceptorum tuorum. 5. Anima quam in me ad imaginem & similitudinem tuam creasti, pretiosa est mihi, eiusque custodia super omnia (quasi thesauri pretiosissimi) curæ & cordi est mihi: & iccirco porto eam semper in manibus meis, vt furto insidiantium qui illam mihi rapere quærunt, non eam perdam: *& legem tuam quæ est cordis mei custodiam, non abicci de corde meo, per cuius attentionem custodia tuta ac firma adhibetur animæ. 6. Impij dæmones & peruersa eorum membra homines maligni, insidias posuerunt animæ meę, quærentes me occultis suis fraudibus ad peccatum detrahere: *& ego rectum tenens iter præceptorum tuorum, non declinans ad dexteram neque ad sinistram, ita euasi laqueos eorum. Non enim possunt nisi secus viam laqueos suos extendere quos euadunt, qui non declinantes in partem alteram, recta gradiuntur, per viam mandatorum tuorum. 7. Pro hæreditate ego habeo, & possessionem ac portionem meam hæreditariã elegi, obseruationem præceptorum tuorum, in qua semper permanere propono: *quoniam ipsa sunt in quibus gaudet & exultat spiritus meus: siue cum testimonio bonæ conscientiæ ea me custodisse cognoscit, siue cum ex eorum iugi contemplatione cælesti suauitate se perfundi percipit. 8. Per gratiam tuam in me habitantem, dedi animum meum, & cor apposui, affectumque inclinaui, ad perficienda opera atque adimplenda præcepta tua in sempiternum, ita vt in finem vsque sine transgressione in eis cupiam ac velim perseuerare: *neque enim sine retributione id faciam, sed subsequetur mihi beata nimis retributio, quæ es ipse tu domine Deus meus, qui vita es æterna, & merces ipsa magna nimis, omnium tua nunc in finem vsq; custodientiũ.

ELVCIDATIO XV. OCTONARII.

INiquitatem & impietatẽ omnem odio habui, & peccatores ipsos quatenus eiusmodi detestatus sui: *legem autem tuam & obseruatores illius corde syncero dilexi. 2. Te dominum ego habeo in adiutorem meum atq; defensorẽ, qui infirmitati meæ succurrendo præbes adiumentum, & ab inimicorum impetu atque molestiis defensionem: *& ego spem meam omnẽ & cor omne verbis præceptorum atq; promissorum tuorum apposui. 3. Discedite procul à me, & fugite partes aduersæ, quæ malũ quæritis animæ meæ: & omnes prauorũ hominũ atq; dæmonũ suggestiones atq; societates longe fient à me. Frustra enim à me consensum expectatis in malitiã, quam modis omnibus detestor: *vt in tranquillitate & pace intendere valeam præceptis altissimi domini mei. 4. Et quoniam à malignorum societate meipsum obtuum amorẽ domine segregaui, tu me suscipe in tuam custodiã, tutelam, defensionẽ, quasi pater pius, pastor bonus, defensor fidelis, sustentator firmus, præceptor mãsuetus, iuxta eloquium promissionis tuæ, quo pollicitus es eos qui ad te confugiunt ad refocillationem suscipere; *neq; me patiaris confusibiliter frustrari expectatione atque desiderio meo, quo te semper expectaui atque desideraui. 5. Adiuua tu me domine, confirma atq; sustenta in omni bono, qui ex meipso nimium sum fragilis & lubricus, atque ita ex tuo munere salutem consequar, quam ex mea propria virtute spes non erat consequendi: *& ego tuo adiutorio corroboratus, iugiter meditabor in intelligentia atque obseruatione mandatorũ tuorum. 6. Scio domine, quòd spernas tu, & pro nihilo pendas, & quasi nihilum reputes omnes qui per transgressionẽ discedunt à præceptis tuis: quoniam omnis cogitatio eorum, & omne consilium illud quo ea quæ tuæ legi contraria sunt, cogitant & eligũt, iniqua & impia est, contra omnem prorsus æquitatem & naturæ & rationis: propter quod, meritò sunt ab omnibus spernendi. 7. Et ergo quoque omnes super terram inhabitantes peccatores, vt preuaricatores tuæ legis æquissimæ, similiter reputaui pro nihilo: *atque ob hoc, ne illis forte similis inuenirer sperni atque abiici dignus, dilexi præcepta tua, & ad obseruandum ea conuersus sum. .Quoniam vero impedimentum mihi magnum præstat carnis lasciuia, oro te, vt sagittis sancti timoris tui salubriter eam transfigas atque perfodias, vt tuo vulnere bene sauciata sibi intereat caro, & tibi viuat, vnà cum spiritu: quod fiet, si timore tuo sancto immisso in cor meum, carnis sic reprimatur lasciuia: *hoc autem peto, quoniam præcepta tua ego timui & transgredi sum veritus. Nihil enim æque formido, domine, atque tuam legẽ aliquando trãsgredi. * Timui quoq; à iudiciis tuis illis, quibus tuæ legi inobedientes iudicasti ad sempiternã miseriam condemnare, & à te in perpetuũ repellere, qua re mihi nihil potest formidabilib⁹ cogitari.

5 *Adiuua me & saluus ero: *& meditabor in iustificationibus tuis semper.*

6 *Spreuisti omnes discedentes à iustitijs tuis: * quia iniusta cogitatio eorum.*

7 *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: *ideo dilexi testimonia tua.*

8 *Cõfige timore tuo carnes meas: *à iudicijs enim tuis timui.*

1 *Feci iudicium & iustitiam: *nõ tradas me calumniantibus me.*

2 *Suscipe seruum tuum in bonum: *non calumnientur me superbi.*

3 *Oculi mei defecerunt in salutare tuum: * & in eloquium iustitiæ tuæ.*

4 *Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam: *& iustificationes tuas doce me.*

5 *Seruus tuus sum ego: * da mihi intellectum, vt sciã testimonia tua.*

6 *Tempus faciendi domine: * dissipauerunt legem tuam.*

7 *Ideo dilexi mandata tua, super aurum & topazion.*

8 *Propterea ad omnia mãdata tua dirigebar: * omnem viam iniquam odio habui.*

ELVCIDATIO XVI. OCTONARII.

CVM auxilio gratiæ tuæ ego feci quod æquum est & iustum, tam quo ad obseruationẽ legis tuæ, quàm in conuersatione ad proximos meos: *propter hoc, obsecro te, ne permittas mihi dominari & prævalere eos qui me persequuntur & affligunt, vt impleatur de me mala voluntas eorum. 2. Quin potius tu me seruire tibi cupientem, in defensionem contra aduersarios meos suscipe, ad bonum & ad salutem meam: *neque permittas superbos legis tuæ osores me affligere, opprimere, mihi vim inferre, sic vt prævaleant, aut dominentur mei. 3. Oculi mentis interiores, atque etiam exteriores corporis desiderio magno intenti fuerunt, & expectauerunt ad salutem tuam, illam super omnia desiderando & expectando: *& ad præcepta iustitiæ tuæ, propter solicitudinem ad obseruandum ea. 4. Exhibe te mihi, non seuerum modo iudicem, sed misericordem ac pium patrem: neque secundum districtionem iustitiæ tuæ agas mecum, sed secundum benignitatem misericordiæ tuæ: *& instrue me intelligentia atque obseruatione præceptorum tuorum. 5. Ecce ego seruus tuus sum domine, & creationis iure, & bonæ voluntatis proposito, tibi cupiens in veritate seruire: *tu me adiuua, vt possim quod desidero: & instrue me, vt discam & sciam quæ placita sint tibi, & mihi vt tibi placeam exequẽda. 6. Tempus est nunc, vt faciam domine legem & voluntatem tuam: & tempus est nunc, vt tu facias mihi seruo tuo postulatam misericordiam, nunc, inquam, tempus est donec in via sumus & loco peregrinationis, donec per opera bona tibi placere valemus & iram tuã effugere, quandiu clausa non est vlli petenti misericordia tua. Ioan. 9. Veniet enim noctis tempus, in quo operari nemo poterit, & laborare non proderit, & in quo misericordia tua clausa atque obfirmata erit: *& eo magis nunc tempus est faciendi, quòd impij tanto numero, & tam grauiter transgredi non verẽtur præcepta tua, vt ob hoc magis promptus debere esse videaris erga eos qui tibi desiderant famulari. 7. Et quia tam paucos vidi præceptorum tuorum obseruatores, tam rarosq; pretiosissimi huius thesauri amatores, iccireo illorum videns infamiã & cæcitatem admirans, magis ego me dedi ad tam pretiosissimæ rei amorem, dilexiq́ue præcepta tua amplius, quàm aurum purissimum, & omnem lapidem pretiosum, & amplius, quàm quisquam illa amare possit. Superexcedit enim charitatis tuæ sancta dilectio omnẽ carnis aut mundi conspurcatum amorem. 8. Et vt dilectionem hanc meam opere demonstrarem, direxi, dedique me ad plenam omnium mandatorum tuorum obseruationem: *& omnia itinera impietatis, vitia & peccata per quæ ambulant peruersi, ego ex animo sum detesta-

tus, ita & vt mihiipsi diligenter ab illis cauerem, & alios insuper quo- E
ad possem, congruis mediis vel educerem ex illis, vel ab illis præseruarem. Est enim hoc perfectum iniquitatis odium, quod tibi est in veritate placitum.

ELVCIDATIO XVII. OCTONARII.

PRæcepta tua domine sunt stupenda, spectanda, omnique consideratione & admiratione digna: tum quia æquissima atque iustissima, tum quia stabilia in æternum, tum quia vniuersalia & omnibus ex æquo communia, tum quia leuia atque facilia, vt prorsus nemo sit hominum qui iure conqueri possit, quòd ea non sit potens obseruare: & tamen cum tam sint leuia, ad tam glorioßissimam retributionem suos obseruatores perducant, in his certe mirabilia sunt: *atque iccirco dedit se cor meum ad meditandum, intelligendum & custodiendum ea. 2. Cum tu in cordibus hominum humilium & simpliciu, spiritus vnctione & interno tuo magisterio declaras & manifestas sermones tuos, tunc illuminantur ipsi & accipiunt intelligentiam, sicque tuorum præceptorum declaratio paruulos illuminat, & ea facit intelligere, quæ superbis & in sua sapientia gloriantibus clausa manent & F
abscondita. Plerique enim superborum, qui se gloriantur in lege tua instructos, verè tamen illuminati non sunt neque instructi ad intelligentiam, quia clausi sunt superbis sermones tui, nec declarationem & apertionem ilam habent, quam tu das humilibus. 3. Præ nimio desiderio ego aperiens latè os meum, hausi flatum & spiritum, ad respirationem & magna edenda suspiria: quæ intus latentis vehementis desiderij essent indicia: quomodo solet qui ardenti desiderio ad rem quãpiam aspirant: *valde enim magno teneor desiderio obseruationis præceptorum tuorum. 4. Benigne & misericorditer respice in me: & fac mecum misericordiam, iuxta quod dispositi & ordinasti facere cum iis qui te diligunt, & secundum morem ac consuetudinem qua cum illis agere soles. Spero enim aut certe opto, ex illorum numero me vnum esse. 5. Actiones meas dispone tu domine, & dirige in rectitudine præceptorum tuorum: & non permittas vllum peccatum regnare aut dominari, siue in corpore, siue in animo meo, sed neque aliena cuiusquam impietas tua permissione mihi dominetur, nullus in G
sua impietate mihi prævaleat. 6. Libera me à persequutionibus & molestiis hominum iniquorum, vt ab eis mihi non proueniat impedimentum in seruitute tua, sed libere valeam custodire præcepta tua. 7. Faciem tuam fac illucescere super me seruire tibi cupientem, & lumine tuo salutari illustrans cor meum, vultum tuum siue temetipsum demõstra mihi: & doce me præcepta tua. 8. Effluxerunt ex oculis meis lachrimæ copiosæ, quasi riuuli per genas decurrentes, propter amaritudinem & dolorem cordis mei: propterea quòd impij illi calumniatores & persequutores iustorum, transgressi sint legem tuam. Perfecta enim charitas, etiam aduersariorum peccata deplorat.

ELVCIDATIO XVIII. OCTONARII.

NEque verò nimirum, si prævaricationes impiorum defleam. Scio H
enim quia non solum misericors es domine, in quo sibi male blãdiuntur peccatores, verumetiam iustus & verax: *& iudicia tua omnia rectissima sunt atq; equissima, neq; tortum aut curuũ quicquam est in eis. 2. Insuper valde & districte admodum præcepisti obseruari præcepta tua, quæ sunt iustitia & veritas, id est, in iustitia & veritate dispositа: præcepta tua quæ non nisi iustitia & veritas sunt, id est, iustissima & fidelissima, tu mandasti custodiri valde. 3. Merito proinde zelus meus tum quo ad honorem tuum, tum quo ad proximorum omnium salutem, me fecit lugere atq; plorare, & præ mœrore, tristitia atque indignatione veluti contabescere atq; consumi, non vtiq; propter propria mea incommoda, neq; mala quæ ab iiis aduersariis meis forte sustineo: sed quoniam ipsi non custodierunt præcepta tua, per quod primũ quidem tuũ sanctum nomen indigne blasphemãt, deinde suas animas misere ipsi miserrimi perdunt. 4. Sunt enim præcepta tua examinata valde, & quasi igne probata vehementer, castissima atque æquissima, nihil habentia iniustitiæ aut impuritatis cuiuslibet admixtum, propter quod magis deflendum, peccatores ea sic transgredi
* & quia tam probata fuerunt tamq; examinata, dilexi ea ego seruus tuus,

1 *Mirabilia testimonia tua:* *ideo scrutata est ea anima mea.*

2 *Declaratio sermonũ tuorũ illuminat, & intellectum dat paruulis.*

3 *Os meum aperui, & attraxi spiritum.*

Matt. 11. **quia mandata tua desiderabam.*

4 *Aspice in me, & miserere mei: secundum iudicium diligentium nomen tuum.*

5 *Gressus meos dirige secundũ eloquium tuũ, & non dominetur mei omnis iniustitia.*

6 *Redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.*

7 *Faciem tuam illumina super seruum tuum. & doce me iustificationes tuas.*

8 *Exitus aquarũ deduxerũt oculi mei, quia nõ custodierunt legẽ tuam.*

1 *Iustus es domine:*
**& rectũ iudiciũ tuum.*

2 *Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.*

3 *Tabescere me fecit zelus meus: *quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Psal. 11. 4 *Ignitũ eloquium tuũ vehementer: * & seruus tuus dilexit illud.*

5 *Adolescentulus sum ego, & contemptus:*
**iustificationes tuas nõ sum oblitus.*

6 *Iustitia tua, iustitia in æternum.*
**& lex tua veritas.*

7 *Tribulatio & angustia inuenerunt me: mãdata tua meditatio*
B *mea est.*

8 *Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viuam.*

1 *Clamaui in toto corde, exaudi me domine: iustificationes tuas requiram.*

2 *Clamaui ad te, saluũ me fac:* **vt custodiam mandata tua.*

C 3 *Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua superspe raui.*

4 *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo:* **vt meditarer eloquia tua.*

5 *Vocẽ meam audi secundum misericordiam tuã, & secundum iudicium tuum viuifica me.*

D 6 *Appropinquauerunt persequẽtes me iniquitati:* ** à lege autem tua longe facti sunt.*

7 *Prope es tu domine, & omnes vias tuæ veritas:*

8 *Initio cognoui de testimonijs tuis:* **quia in æternum fundasti ea.*

1 *Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.*

tuus, & cor meum appositi ad illorum custodiam. 5. Sum ego sanè modicus siue ætate, siue sapientia, siue meritis, siue hominum æstimatione, siue in oculis meis: siue ante conspectum tuum, & sum ex memetipso planè vilis, & contemptibilis: *attamen tua præcepta, suauissime Deus, non abieci ab animo, & ne transgrederer ea caui mihi solicitus. 6. Iustitia tua temporaria non est, neque durationis modicæ, cuiusmodi est non raro humana iustitia, sed æterna iustitia est deficere nescia: * & lex tua omnino vera est, nihil neque falsum, neque vanum, neque iniquum continens 7. Afflictio quælibet & angustia, cum forte alicunde obuenerint mihi, meditor ego & exercitor in præceptis tuis, ex quorum meditatione & obseruatione abunde mihi & patientia & consolatio procedit. Ob hoc etiam meditor in angustiis mandata tua, vt non aduersorum casuum impulsibus à recto dimouear. 8. Præcepta tua sunt dispositа in iustitia & æquitate sempiterna: fac me ea vt oportet intelligere cum effectu operationis, & vera vita viuam in eis. Ex illorum namque obseruatione vera vita viuit humanus spiritus.

ELVCIDATIO XIX. OCTONARII.

CLamaui ex pleno affectu, & syncera deuotione cordis mei, dicens: Exaudi me domine, & fac quod postulo: præcepta enim tua exquirere volo, & custodire propono. 2. Ex affectu cordis clamaui ad te, vt saluum me faceres ab iis qui me persequuntur, atque suis molestissimis tentationibus diuexant: *non vtique eo fine, vt ocio vacẽ, aut in inertiam resoluar, sed vt ab imminentibus periculis liberatus, securo & libero animo scrutari, & custodire valeam præcepta tua. 3. Matutino tempore diluculum antecuerti, clamans ad te in oratione mea: anticipauerunt vigilias oculi mei, summo mane primo diluculo obtuli me ad orationem ante conspectum tuum: quoniam in verbis tam præceptorum, quàm promissorum tuorum sustinui, & expectaui, spemq; meam omnem in eis collocaui. 4. Primo di- Psal. 76.
luculo cuigilauerunt ad te oculi mei, & solis ortum diligentia atque solicitudine præueni: * vt meditarer, atque recogitarem in tranquillitate, iuxta temporis opportunitatem, præcepta tua: de quibus tanto clarius tunc illuminantur homines, quanto à diei tumultibus & æstibus sunt liberiores, sensibusq; somno recreatis meditationi aptiores, intellectu quoque & memoria, perturbationibus somno sedatis, limpidiores. 5. Exaudi orationem meam domine, quia sic diligenter & solicite te sum deprecatus, propter misericordiam tuam: & secundum dispositionem, ac beneplacitum sanctissimæ voluntatis tuæ, vitam spiritus, pro qua te sum precatus, benigne concedas mihi. 6. Persecutores mei quærentes malum animæ meæ, proximos se fecerunt impietatibus, sese applicuerunt, adiunxerunt, dederunt & addixerunt iniustitiæ, & affectu cordis illi adglutinati sunt: *& quanto propinquiores facti sunt iniquitati, tanto à lege tua elongauerunt semetipsos, cum sint iniquitas & lex tua ex aduerso pugnantia 7. Tu autem domine propè es in auxilium & protectionem omnibus te inuocantibus: & omnia præcepta tua per quæ nos vis ambulare, sunt æquissima, similiter & omnia iudicia tua, & dispositiones tuæ, quibus agis nobiscum, sunt item veritate & æquitate plena. 8. Iam olim ab initio, ac velut inter prima hoc ego intellexi de præceptis tuis, cum ad eorũ meditationem & obseruationem me dare cœpissem: *quòd in æternum ea firmaueris, nunquam quassanda, nunquam euacuanda, sed perpetuò stabilia permansura, adeò vt etiam cælo & terra transeuntibus, verba tua nunquam sint transitura. Hoc enim attendentibus, meditantibus, & obseruantibus facile monstrat summa illa æquitas atque iustitia, quæ in eis apertissime conspicitur.

ELVCIDATIO XX. OCTONARII.

ASpice benignus, & misericors in afflictionem, & humiliationem meam, qua me premunt aduersarij mei, afflictorum & humilium consolator domine: & libera me de aduersantibus mihi, quoniam legem tuam non abieci, neque sum transgressus: legem tuam in corde gesto absconditam, vt eam non aliquando transgre-

2 Iudica iudiciũ meũ, & redime me: ppter eloquium tuũ viuifica me.
3 Longe à peccatoribus salus: quia iustificationes tuas nõ exquisierũt.
4 Misericordiæ tuæ multæ domine: secundũ iudiciũ tuũ viuifica me.
5 Multi qui persequuntur me & tribulant: * à testimonijs tuis non declinaui.
Galat.2. 6 Vidi præuaricantes, & tabescebam: * quia eloquia tua non custodierunt.
7 Vide, quoniam mandata tua dilexi, domine: in misericordia tua viuifica me.
8 Principium verborũ tuorum veritas: *in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.
1 Principes persecuti sunt me gratis: *& à verbis tuis formidauit cor meum.
Actuũ 5. 2 Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.
3 Iniquitatẽ odio habui & abominatus sum: *legem autẽ tuam dilexi.
4 Septies in die laudem dixi tibi: *super iudicia iustitiæ tuæ.
Ioan.14. 5 Pax multa diligentibus legem tuam:
Rom. 8. * & non est illis scandalum.
6 Expectabã salutare tuum domine: & mandata tua dilexi.

grediar. 2. Iudica pro me iudicium contra aduersantes, & libera E
me de iis quæ machinantur aduersum me: propter verbũ firmissimæ promissionis tuæ, da, & custodi vitam animæ meæ. 3. Peccatores à salute Dei elongati sunt sua praua voluntate, & non consequuntur ipsi salutem: eo quòd non exquisierunt ad intelligentiam & custodiam præcepta tua: quia semetipsos oblata salute fecerunt indignos, per impiam transgressionem, nunquam ad illam valebunt pertingere. 4. Plurimæ sunt miserationes tuæ quibus erga nos agis misericorditer: fac etiam hanc mihi misericordiam, vt secundum beneplacitum sanctissimæ voluntatis tuæ me viuifices. 5. Tametsi multi sint aduersarij mei qui me persequutionibus suis affligunt, & tentationibus atque vexationibus molestant: alij visibiliter, alij inuisibiliter, alij secundum corpus, alij secundum animam: *ego tamen immobilis perstiti in obseruatione præceptorum tuorũ, hactenus tua me sustentante gratia, non m: passus sum ab æquitate præceptorum tuorum dimoueri. 6. Considerabam peccatores transgredientes legem tuam, & zelo honoris tui atque salutis eorum indignabar, & affligebar intra me, ac præ tristitia & dolore veluti consumebar: *quia vi- F
debam eos negligere & prætergredi præcepta tua, sicque & tuum nomen inhonorare, & suas animas miserè perdere. 7. Attende domine, & considera ad retribuendum mihi, quòd præcepta tua ex animo dilexerim, atque exquisierim: secundum misericordiam tuam, misericordiarum pater (quæso te) facias me tibi viuere, vt mundo mortuus, tibi viuam: imò viuam, iam non ego, sed tu in me vivas. 8. Omnium præceptorum atque promissorum tuorum veritas æterna & immutabilis est principium: quoniam à prima illa & summa veritate æternaque Dei iustitia originaliter & primitus procedunt omnia præcepta & promissa Dei: *& omnia iudicia iustitiæ tuæ, id est, præcepta quæ iustitia tua præstitit nobis, siue etiam dispositiones omnes iustæ diuinæ voluntatis tuæ, æternam habent stabilitatem: fundata ac stabilita in sempiternum in Dei iustitia & veritate, ex quà procedũt. Atque ob hoc, impossibile fuerit, verba Dei vel eius iudicia vnquam deficere.

ELVCIDATIO XXI. OCTONARII. G

POtentes illi tenebrarum principes, & superbi sæculi, malum quę- fierunt mihi sine causa, præter meum meritum, cum nihil ipse eis nocuerim vel malefecerim, ob quod aduersum me debeant malignari: * cor autem meum & spiritus meus timuit præcepta tua, eaque transgredi aut relinquere non audebat: etiamsi illi insanirent aduersum me, permanebam ego in timore sermonum tuorum, cogitans oportere Deo magis, quàm principibus obedire. 2. Quomodo gaudere solent victores inuentis opimis spoliis, ita ego oblectari & iucundari volo in præceptis tuis, quæ velut thesaurus preciosissimus sunt mihi, quæ ego dilexi super aurum & topazion. 3. Iniquitatem omnem odiui ex affectu cordis mei: in meipso primùm, deinde & in cæteris, eamque modis o nnibus semper detestatus sum: H
* legem autem tuam & obseruationem eius ex aduerso dilexi, & ipse obseruare eam cupiens, & obseruantes omnes iusto prosequens amore. 4. Per diem congruis atque statutis horis septem vicibus, te peculiari laudis munere honoraui: * aut septies, id est, iugiter & incessanter cunctis diebus vitæ meæ conatus sum te collaudare: *de iudiciis iustitiæ tuæ, siue de præceptis tuis æquissimis, leuissimis, & fœcundissimis, siue pro dispositionibus atque ordinationibus diuinæ voluntatis tuæ, quibus mirabiliter & misericorditer agis nobiscum. 5. Pacem cordis veram, quam mundus dare non potest, confert tuæ legis dilectio siue obseruatio atque custodia: * & non est illis ruina aut lapsus, aut offensio, in via quam ambulant. Nam Deum & legem eius diligentibus, omnia cooperantur in bonum. Qui enim vera dilectione studiose inhæret tuæ legis meditationi & obseruationi, facilè scandala omnia declinabit atque euadet, in quibus corruunt illi qui non sunt fixi in amore legis tuæ. 6. Desiderio magno desideraui salutem tuam domine, eamque expectaui solicitus: ad quam vt pertingerem, præceptis tuis per veram dilectionem & obseruatio-

A
7 Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.
8 Seruaui mandata tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.
1 Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo domine: iuxta
B eloquium tuum da mihi intellectum.
2 Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.
3 Eructabũt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas.
4 Pronunciabit lingua mea eloquium tuum:
* quia omnia mandata
C tua æquitas.
5 Fiat manus tua vt saluet me, quoniam mã data tua elegi.
6 Concupiui salutare tuum domine, & lex tua meditatio mea est.
7 Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.
D
8 Erraui sicut ouis quæ perijt: *quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

tionem inhæsi 7. Solicita fuit anima mea, vt custodiret & impleret omnia præcepta tua, & ea corde syncero multum dilexit. 8. Studiosus fui ad obseruandum omnia præcepta atque mandata tua, quia omnes vias meas & actiones direxi ante conspectum tuum, & secundum placitum tuum diligenter studui conuersari: simul etiam quia omnes actiones meas, omnemq; meam conuersationem scio tuis oculis patere: quemadmodum tuis oculis nuda & aperta sunt omnia. Hebr.4.

ELVCIDATIO XXII. OCTONARII.

NE repellas domine orationem meam, qua deprecatus sum faciem tuam, pro spiritualium bonorum abundantia: sed admitte eam ante sacrarium exauditionis tuæ, & iuxta verbum promissi tui instrue me in præceptis tuis. 2. Fac vt præsententur tibi, & intromittantur postulationes meæ ante faciem tuam: domine ne repellas orationem suppliciter obsecrantis seruuli tui: quin potius secundum verbum promissionis tuæ, quam fecisti omnibus in te confidentibus, teque suppliciter inuocantibus, libera me de iis in quibus versor periculis, & malis imminentibus, quæ metuo. 3. Cum verò mihi contigerit tuo magisterio intelligentia & custodia præceptorum tuorum, tum ad gratiarum actionem & testimonium gratitudinis, ex pleno cordis affectu effundam tibi hymnum laudis, & cantabo etiam per os meum, & labia mea: cum tu mihi postulata concesseris, ex corde hilari & alacri animo depromam tibi cantica gratitudinis. 4. Pronunciabo quoque per os meum præcepta ac promissa tua, ad æ- dificationem proximorum meorum: neque tacebo ea, ex quibus mihi vitam sensi procedere: *pronunciabo vtique constanter, & confitebor fideiter, quoniam omnia præcepta tua sunt æquissima, & iniquitas nulla est in eis. 5. Fiat, sitque dextera tua siue potentia tua mihi ad salutẽ, quoniam præcepta tua ex bono cordis affectu & proposito elegi, vt obseruem & custodiam ea: ac proinde iustum est, vt mihi bona molienti, sed absque te nihil valenti, subsidio veniat potentissima manus tua, vt quod in me non valeo, in te perficiam. 6. Desideraui Domine, & expetiui salutem tuam: & vt illa dignus fierem, posui præcepta tua meditationem atque exercitationem meã, vt ea intelligerem, & intellecta perficerem. 7. Viuit ex munere gratiæ spiritus meus, & viuens ipse laudem placitam dicet tibi. Non enim mortui laudabunt te domine, sed viuentes benedicent tibi: & tua præcepta ad vitam requirendam perducent me, cum obseruauero ea: quoniam qui fecerit ea, viuet in eis: suntque verba tua, spiritus & vita. 8. Erravit vniuersum genus humanum à prima illa & natiua in qua creatum erat rectitudine, quasi ouis perdita: & erraui peculiariter etiam ipse, multis modis & variis imperfectionibus, frequenter viam rectam derelinquens, tanquam ouis quæ sui pastoris oblita, per deuia aberrat: *tu require, pastor bone, me perditam ouem tuam: & quoties forsitan iniquitate dominante errare contigerit, ne derelinquas me in deuiis, sed per gratiam visitationis tuæ requiras, modis tibi placitis, siue per internam visitationem, siue per externam correptionem, siue aliter quomodocunque tibi id fuerit placitum: require (inquam) me seruum tuum, & ne deseras vnquam, quoniam in memoria habeo, neque abiicere volo, neque transgredi vnquam sanctissima & æquissima præcepta tua. Leuit. 18. Rom.10. Ioan.6.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXVIII.

PRIMVM OCTONARIVM.

VErsu 1. Beati immaculati in via. Viam istam possumus intelligere vitam præsentem. Donec enim in corpore mortis huius viuimus, quasi in via sumus: quoniam (vt Apostolus ait) donec sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino: neque habemus hìc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, & ad terminum festinamus, videlicet vt ad dominum præsentes efficiamur, illicque satiemur in aspectu gloriæ eius. Aut viam istam, intellige legem Dei, quæ est homini à Deo tanquam via bona & recta præstituta, vt ambulet in ea, neque declinet ad dexteram vel 2. Cor.5. Hebr.13.

ad si-

Universidad de Deusto Biblioteca

Psalm. 5.

ad sinistram. Vtroque autem modo congrua est sententia. Beati enim sunt qui in via hac mortalitatis positi, immaculatos se custodiunt: & beati sunt qui in lege domini immaculatos se seruãt, absq; transgressione. Via enim nonnunquam significat conuersationem, vt in versu 1. sequentis octonarij. In quo corrigit adolescentior viam suam? id est, vitam vel conuersationem. Et alibi, Dirige in conspectu tuo viam meam. In plurali autem numero, viæ hominis dicuntur ipsius actiones: vt versu 5. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. ¶ Versu 2. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Vbique hoc penè obseruat propheta. In beatis hominis descriptione non solam ponit scrutationem vel meditationem præceptorum Dei, sed adiicit quod necessarium est, etiam bonam voluntatem. Sic & in primo psalmo describens beatum hominem, non dicit solum, Qui in lege eius scrutabitur, aut meditabitur die ac nocte: sed præmittit, In lege domini voluntas eius: ac deinde subiungit, Et in lege eius meditabitur. Sic & hoc in loco, cum dixisset, Beati qui scrutantur testimonia eius: statim adiungit, In toto corde exquirunt eum. Neque enim solum hoc sufficit scrutari. Sunt enim qui testimonia Dei & legem eius diligenter scrutantur, ac etiam perscrutantur: qui tamen à proposita beatitudine sunt alieni, quia non in toto corde, non in tota voluntate exquirunt eum, cuius scrutantur testimonia, sed seipsos magis exquirunt: quemadmodum in annotationibus psalmi primi latius diximus. Notandum etiam, quod secundum rectũ ordinem, pars secunda conuenientius præponeretur hoc modo, Beati qui in toto corde exquirunt eum, scrutantur testimonia eius. Prius enim est, Deum exquirere, & desiderare vt ei placeamus: atq; hinc proficiscitur, vt ad id obtinendum diligenter scrutemur mandata ipsius, vt diligens mandatorũ perscrutatio debeat proficisci à bono erga Deum affectu. ¶ Versu 4. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Aduerbium Nimis, quod pro Valde ex scripturarum consuetudine ponitur, indifferẽter coniungi potest, siue cum præterito Mandasti, siue cum infinitiuo Custodiri. Deus enim valde mandauit, id est, districtè admodum sub magnis testificationibus & comminationibus præcepit, sua mandata custodiri. Mandauit item ea valde & diligentissime custodire, ita vt quisquis aliquid eorũ quæ præcepit obseruari, transgressus fuerit, illi efficiatur ad pœnam ferendam obnoxius. Posterior autem hæc coniunctio videtur literæ esse magis conueniens. ¶ Versu 6. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis, Attende quod dicitur, Cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Neque enim sufficit, quibusdam mandatis Dei intendere, aliis neglectis, sed ad omnia simul oportet attendere eum qui ante Deum velit confusionem euadere, & ipe salutis non frustrari. Videretur autem aptior esse oratio, si per accusatiuum diceretur, Dum respexero in vel ad omnia mãdata tua: quemadmodum vertit Hieronymus. ¶ Versu 8. Iustificationes tuas custodiam. Verbum Custodiam, futuri temporis est, & indicantis modi. Est enim Græcè φυλάξω futuri temporis indicatiui modi. Illud autem operæprecium fuerit semel admonere, pro huius psalmi vsu quotidiano, quòd quoties per vniuersum hunc Psalmum de futuris loquimur, tales orationes accipi debeant & intelligi, non quasi indicare velimus per eas, quid omnino futurum sit, aut quid certo sit nobis euenturũ, sed tantum nostrum bonæ voluntatis propositum. Exempli gratia, cum in sequentibus dicitur, In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, &, Custodiam legem tuam semper, non ita termo iste accipiendus venit, quasi sic certo futurum pronunciemus, velut prophetantes de futuris contingentibus. Quis enim, quantumuis hodie iustus, nouit, quid illi craſtina dies sit adductura? Sed propositũ tantum indicamus voluntatis nostræ, & bonum desiderium, quod etiam speramus Dei gratia adsistẽte, in effectum & impletionem operis sedulò nos perducturos. Sed & de iis quæ per præteritum tempus efferuntur in hoc psalmo, quisquam addubitare possit, quonam pacto intelligi debeant. Veluti cum dicitur, In toto corde meo exquisiui te, Iudicia tua non sum oblitus, A iudiciis tuis non declinaui, & id genus alia, quæ vix ab vllo hominum videntur cum veritate posse proferri. Quis enim audeat dicere, quòd iudicia Dei non vnquam fuerit oblitus? Quis non aliquando declinauit à iudiciis eius? Videntur autem hæc dici ab eo qui de peccatorum suorũ remissione nihil hæsitans, testimonium habet bonæ conscientiæ, quòd dimissa sint ei peccata, quòd proiecerit ea omnia Deus post tergum suum: atque ita nec ipse vltra memor vult esse eorum: sicq; sermo accipi debet secundum eũ statum in quo se iam fidelis agnoscit, post liberationem à peccato. Ab iis autem qui non omnino bene sibi conscij sunt, cum ista proferuntur, debent eiusmodi cum formidine & dolore pœnitentiæ ista pronunciare, saltem optantes & desiderantes illam, quam per os suum efferunt perfectionem & integritatem, in se aliquando inueniri, quam nunc ex testimonio non optimæ conscientiæ sibi sentiũt deesse. Ita fiet, vt non ad mendacium, neq; ad vanitatem, neque ad hypocrisim hæc imputentur imperfectis, si ea sic in spiritu humiliato, & corde contrito pronunciauerint.

IN. II. OCTONARIVM.

VErsu 1. In quo corrigit adolescentior viam suam? Adolescentiorem, siue adolescentẽ, aut puerum hîc vocat, eum qui adhuc ex ignorantia vel infirmitate, à concupiscentia propria abstractus & illectus, non ad integrum Dei mandata perficit, plus æquo indulgens carnis pravæ concupiscentiæ. Qui enim talis fuerit, etiam si ad annos octuaginta peruenerit, adolescens aut puer merito appellari. Vnde apud Esaiam, puer aliquis centum annorum commemoratur. Pueri autem tales appellantur, si non ætate, certe moribus: quam distinctionem in libris Ethicorum posuit Aristoteles, pueros dicens ineptos auditores moralis disciplinæ, pueros scilicet moribus, non ætate. De huiusmodi ergo imperfectis & concupiscentiæ suæ nimium indulgentibus, quæritur, quo remedio potissimum ab illa possint infirmitate curari. Mox verò in eodem versu parata subiungitur responsio,

Iacobi. 1.

Esaiæ 65.

sio, In custodiendo sermones tuos. Neq; enim efficacius potest illi morbo adhiberi remedium. Atque ita quidẽ in Elucidatione explanauimus hunc versum, vt pars posterior sit prioris responsio, & velut satisfactio quæstionis. Cui expositioni satis manifeste consentit Hieronymus, ita legens, In quo corrigit iuuenis semitam suam? cum custodierit verba tua. Alij tamen malunt totum versum legere per interrogationem, ad hunc sensum, In quo corrigit adolescens viam suam, vt custodiat sermones tuos? Atque ita hac interrogatione dicunt significari non aliud quam difficultatem ad obseruandũ præcepta Dei: quod melius tamen quadraret, si per futurum diceretur, In quo corriget adolescentior, quam per tempus præsens. ¶ Versu 2. Ne repellas me à mandatis tuis. Hieronymus ex Hebræo Ne errare me facias à mandatis tuis: hoc est, ne errare me permittas, in quo explicatur quod habet nostra lectio, ne repellas.

IN III. OCTONARIVM.

VErsu 1. Retribue seruo tuo. Quod suprà diximus in versum tertium psalmi. 155. de verbo retribuere, id huic loco etiam deseruit rectius intelligendo, videlicet vt intelligatur dictum esse retribue, pró tribue, siue dona liberaliter, Ita enim diximus, retribuere aliquando significare non amplius quam tribuere, quomodo retributiones aliquando vocantur ipsa etiam beneficia quæ dantur non in vicissitudinem aliorum præcedentium. Atque ad hunc modum vertit ex Hebræo Hieronymus, Tribue seruo tuo Alij iuxta sententiam vertunt, Benefac seruo tuo. ¶ Versu 3. Incola ego sum in terra. Incola hic, pro aduena vel peregrino accipitur, Vnde Hieronymus, Aduena ego sũm in terra. Alij legunt peregrinum, alij inquilinum, id est, incolam vel aduenam. ¶ Versu 4. Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Quidam ita intelligunt, Cõcupiuit desiderare iustificationes vt minus sit quam simpliciter desiderare iustificationes. Qui enim concupiscit desiderare Deum, vel quæ Dei sunt: nondum eò peruenit quò is qui iam desiderat: sicque adiecta particula, omni tempore: commoda erit sententia talis, Quanuis propter infirmitatem & fragilitatem carnis à bono abstrahentis, non semper actuali desiderio ferri queam ad tua præcepta: concupiscit hoc tamen spiritus meus, qui promptus est ad tuum seruitium, vt omni tempore queat desiderare præcepta tua, Nos tamen in Elucidatione duplicationem istam concupiuit desiderare, retulimus ad vehementiam desiderij: tanquam si diceretur: Concupiscendo desiderauit, vel concupiuit desiderando. Atque huic sententiæ conformiter vertit Felix, Confracta vel contrita est anima mea præ desiderio erga iudicia tua, in omni tempore: hoc est, sic iugiter & vehementer spiritus meus intentus est desiderio iudiciorum tuorum, vt consumi videatur atque deficere, præ nimio desiderio. ¶ Versu 8. Consilium meum iustificationes tuæ. Præcepta Dei dicuntur viri iusti consilium, ad eum modum quo amicum aliquem prudentem in agendis rebus, appellamus omne nostrum consilium, id est, nostrum consultorem, absq; cuius consilio nihil agimus: & cuius consilium semper in cunctis occurrentibus negotiis requirimus. Ita enim in omnibus occurrentibus negotiis semper nos decet ad diuina mandata attendere, & considerare, quid illa nobis consulant agendum vel non agendum.

Matt. 26.

IN IIII. OCTONARIVM.

VErsu 1. Adhæsit pauimẽto anima mea. Adhæsio ista animæ ad pauimentũ siue ad puluerem, intelligi potest variis modis. In Elucidatione duplicem indicauimus intellectum. Priorem hunc, Præ humilitate ego adhæsi pauimento, iacui prostratus in terra, quomodo solent ij qui suam agnoscentes miseriam, cælestem deposcunt misericordiam. In hac autem sententia, adhæsio indicat continuitatem humiliationis: animæ autẽ adhæsio, significat non tantũ corporalem atq; externam fuisse humilitatem, sed etiam veram & internam. Posterior intellectus hic est, Anima mea & spiritus meus terreno puluери adhæret plus iusto, agglutinatur affectus meus terræ, rebusq; terrenis: prõptus ad bona spiritus, caro in bono infirma, & fortis in malum, ad se secundum partem aliquã inclinat & inflectit. Tu verò per tuã gratiam confirma mihi vitam in spiritu meo, ne deficiam. Potest & simpliciter ista adhæsio animæ ad pauimentũ intelligi, inhabitatio animæ in corpore. Propter colligationẽ nanque animæ cũ corpore pro statu huius vitę, rectè quasi pauimẽto illi adhærere dici potest. Ex hac autẽ adhæsione animę, tam nobilis spiritus, cũ corpore tam sordido pauimẽto, tam vili puluere, oritur animæ difficultas magna ad operandum bene: quemadmodũ ipse ait Saluator, Spiritus quidem prõptus est, caro autem infirma. Atq; ob hoc, rectè postulat qui sibi à carne fragili metuit, Viuifica me secundũ verbum tuũ. Iterum ista adhæsio animæ ad pauimentũ, intelligi potest prostratio, vt conquerendo dicat vir boni desiderij, vexatione se iã quasi prostratum in terra, & velut iacentem in puluere, & quantũ in sese desperantem de superandis tantis malis: propter quòd, ad Deũ leuans oculos, petit viuificari ab eo qui semper manet inuictus, imò semper inuincibilis. ¶ Versu 2. Vias meas enũciaui, & exaudisti me. Hic iã in se fatetur impletum, quod in Psalmo alio tanquã consiliarius bonus bene monet dicens, Reuela domino viam tuã, & spera in eo, & ipse faciet. Id nunc se expertum in semetipso cõfitetur, dicens domino, Vias meas enũciaui, & exaudisti me. Pro Enunciaui autem beatus Hieronymus legit Exposui. ¶ Versu 3. Viã iustificationum tuarum instrue me. Pro instrue, Hieronymus vertit, Fac me intelligere. Psalterium Romanum habet, Insinua mihi. ¶ Versu 4. Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Sicut corpus aliquando deficere & collabi incipit, ita vt pedes ipsum corpus non rectè ferre valeant, neque debite incedere, cui debilitato non est medicina præsentior, quàm panis confirmans cor hominis, & vires reparans: ita cum aliquando contingit flaccescere, ac velut senescere spiritus internum robur, præsentius remedium adferri non

Psal. 36.

Psal. 103.

potest,

Universidad de Deusto Biblioteca

Hebr. 4. Deut. 8. Matt. 4. potest, quàm sermo Dei ille viuus & efficax, in quo vt procedente ex ore Dei, secundum spiritum E
fœlicissime viuit & nutritur homo. Verba autè ista Dei accipimus, & quæ exterius loquitur in scri-
pturis sanctis, & quæ interius in nobisipsis per suam inspirationem dulciter infundit. Illud tamen, in
verbis tuis, potest accipi in aliam sententiam, vt valeat secundum, aut iuxta verba tua: in quam sen-
tentiam vertit Hieronymus, Serua me iuxta eloquium tuum. Similiter & Felix, Confirma me iuxta
verbum tuum. ¶ Versu 5. Et de lege tua miserere mei. Noue hoc dictum est, Miserere mei de lege
tua, in hunc sensum, Miserere mei quantum ad legem tuam, vel per legem tuam: hoc est, sic mei mi-
serere, vt ex tua misericordia mihi illa possit contingere, vt illam & illius intellectum atque obser-
uationem mihi ex tua misericordia acquiram. In quam sententiam aliquantulum à litera Hebraica
abscedens Hieronymus, vertit, Legem tuam dona mihi: cum ad verbum ex Hebræo legendum sit,
Lege tua, vel de lege tua miserere mei, aut gratiosus esto mihi. Verti etiam posset, Lege tua gratiose
dignare me. ¶ Versu 8. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Interdum iusti
viam mandatorum Dei currunt, interdum eunt ac vadunt, interdum vix serpunt ac repunt. Currunt
quidem, dum in magna alacritate, corde in spiritus sancti gratia dilatato, quæ Dei sunt, & facillime
Esai. 40. & libentissime perficiunt. De his currentibus, etiam apud Esaiam scribitur, in hæc verba, Qui au-
tem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non la-
Psal. 125. borabunt. De ambulantibus autem in via mandatorum, in alio psalmo legimus, Euntes ibant, & fle- F
Psal. 84. bant, mittentes semina sua. Et iterum, Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem,
videbitur Deus deorum in Sion. Nonnunquam verò serpere tantum videntur aut repere, quando ad
tempus præsentia confortantis & accedentis gratiæ spiritualis destituti, sibimetipsis relicti, ægrè ad-
modum & multa difficultate quæ Dei sunt, peragunt. Qui verò in via mandatorum Dei nullo ho-
rum modorum progrediuntur, vt neque currant, neque ambulent, neque vel repant, sed pertæsi la-
boris declinant ab ea, vel retrogrediuntur, in morem canci, ad ea quæ semel reliquerunt vana sæ-
culi desideria, aut pristinas cõcupiscentias carnis corde reuertentes, ij à via Dei in vias diaboli, mun-
di, & carnis deflectunt: quod à iustis omnibus debet abesse. Nemo tamen conturbari debet, si non
semper viam se videat posse percurrere. Nam currere viam, non datur, nisi cum à Deo cor in nobis
dilatatur: quæ sanè cordis dilatatio non est in hac via constitutis certa hæreditas, sed Dei est singula-
ris visitatio, qua dignatur ipse hominem quando & quantum voluerit. Si currere tibi non datur, so-
licitus esto quomodo vel ambules: si nec ambulare sufficis, vt minimum repas: tantum ne declina à
via recta, viam mandatorum Dei non deseras, quantumuis etiam paululum tibi promouere videa-
ris, quantacunque tibi in ambulando, siue rependo oboriatur difficultas. Ita commutatis vicibus,
nunc currendo, nunc ambulãdo, nunc rependo, tandem ad optatum pertingemus nostri cursus ter-
minum, ad beatam Dei nostri visionem, vbi corde semper dilatatissimo, non iam repemus vltra, non G
ambulabimus, non curremus: imò non volabimus, sed perpetuo in aspectu gloriæ eius, in perpetuis
æternitatibus requiescemus, in Domino Deo nostro.

IN V. OCTONARIVM.

VErsu 1. Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum. Nota quòd in Psalmis vbi-
cunque inuenies Legem pone, In Græco vnica dictio est νομοθέτησον, quæ secundum ratio-nem
suæ compositionis significat legẽ pone: in Hebræo autem ponitur imperatiuum verbi horach, quod
significat docere, instruere, aut ostendere, quomodo præceptor ostendit discipulo. Vnde vbicunque
nos habemus iuxta vulgatam lectionem Legem ponere, B. Hieronymus ex Hebræo vertit docere,
Psal. 24. vel ostendere. Vt in psalmo 24. Legem dabit delinquentibus in via. Hieronymus vertit, Docebit pec-
catores in via. Et in eodem Psalmo, Legem statuit ei in via quam elegit. Hieronymus vertit, Dece-
Psal. 27. bit eum, &c. Iterum Psalmo 27. Legem pone mihi Domine in via tua: vertit ille, Ostende mihi Do-
mine viam tuam. Ita & in proposito, loco huius, Legem pone mihi Domine viam iustificationum
tuarum: vertit ille, Ostende mihi Domine viam præceptorum. Vnde non potest facilius exponi le-
gem ponere, quàm pro docere vel instruere. Quod ergo hic dicitur, Legem pone mihi Domine viam
iustificationum tuarum, tantundem valet acsi dicas, Viam iustificationum tuarũ doce me, vel osten- H
de mihi, vt legem ponere idem sit quod pro lege ponere, & tanquam legem ostendere. Ex quo de-
inde fit manifestum, relatiuum, eam referre, non legem, sed viam, id quod in Græco atque Hebræo
euidenter cognoscitur, tametsi in Latino indifferens videatur. ¶ Versu 3. Deduc me in semita manda-
torum tuorum. Quidam per accusatiuum legunt, in semitam: sed melius per ablatiuum legitur, in
semita, quomodo habent correctiora exemplaria Gallicani Psalterij: cui etiam consonat Græca le-
ctio: ὁδήγησόν με ἐν τῇ τρίβῳ &c. id est, Deduc me, vel, Dux esto mihi in via, vel per viam mandatorum
tuorum. Atque ita etiam per ablatiuum legit Hieronymus. Non habet tamen incommodam senten-
tiam, si per accusatiuum legatur, in semitam. A Deo nanque postulare debemus, vt in semitam man-
datorum suorum nos inducat, & constituat in ea pedes nostros, vtque nos in viam inductos, in via
etiam deducat, seque ducem præbeat in via iam ambulantibus. ¶ Versu 5. Auerte oculos meos, ne vi-
deant vanitatem. Quomodo hic postulat auerti sibi oculos ne vanitatem videat, cum omnia quæ
Eccles. 1. sunt sub sole (iuxta sapientis Ecclesiastici verbum) vanitas sint, & vanitas vanitatum? An erui sibi
petit oculos? an sibi donari cæcitatem, vt omnino nihil eorum quæ sunt sub sole videat? Ita profectò
qui ad perfectionem aspirat, vt facit qui in hoc Psalmo loquitur, penitus auerti sibi postulat oculos,
ne omne quod vanitas est, videat: non quidẽ vt simpliciter non cernat oculis carnis, sed ne sic videat,
vt inordinato aliquo amore illis turpiter adhæreat. Est enim quoddam videre male concupiscendo,
quem-

A quẽadmodum saluator ait in Euangelio, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus
est iam in corde suo. Sic qui rem proximi videt ad concupiscendũ, delinquit in eo quod viderit vani-
tatem. Ita qui rem quãcunque tẽporalem, caducã & transitoriã videt, ad illi inordinato amore adhę-
rendum, delinquit in eo: vt merito postulare debeat homo, auerti sibi oculos ab omni creatura quæ
vanitas est, mundo verò magis ab omni impietate, quæ minus q̃ vanita est, nempe insania & nihilum,
ne horum quicquam male videat. Quod autem hic de oculis postulat, idẽ & de membris alijs est in-
telligendum. Sub vno enim sensu quo magis solet homo periclitari, comprehendit & cæteros. Sicut
enim, per vnumquenque exteriorum sensuum ad animã intus potest mors ingredi, iuxta illud, Mors Hiere. 9.
intrauit per fenestras nostras: ita necessarium est pro singulis orare dominum, vt claudantur ab eo, &
auertantur à noxijs. Auertit autẽ Deus oculos ne videant vanitatem, similiter aures, ne vanitatem au-
diant: non quidẽ prohibendo ne obiectum visui oblatũ non naturaliter percipiatur ab oculo, aut so-
nus vocis oblatus auribus non percipiatur ab auditu, sed per gratiam suam ipsum videntẽ vel audien
tem præseruando, vt ex visis vel auditis in consensum vel amorem prauũ non conueniat. Atque ob
hoc, vbi postulasset auerti oculos sibi ne videret vanitatẽ, absque mora subiungere voluit, In via tua
viuifica me. ¶ Versu 7. Amputa opprobriũ meum quod suspicatus sum. Clarius & sententiæ in Eluci-
datione explanatæ conuenientius legit Hieronymus, Auerte opprobrium meũ quod reueritus sum.
B Et Felix, Fac transire opprobrium meũ quod timui. Significatur opprobrium non tẽporale sed ma-
gis spirituale. Opprobrium enim verum homo iustus reputat venire in consensum peccati, ab hoste
tentante superari, mortis reum & gehennæ filium constitui: super omnia autẽ, ab optimo patre Deo
se elongari atque reprobari. Et hoc est opprobriũ verũ quod metuit iustus, quodque à se amputari, à
se auerti, & longe à se fieri precatur, de quo etiam in Octonario tertio orabat, dicens, Aufer à me op
probriũ & contemptũ, quia testimonia tua exquisiui. Cæterum, opprobrium hominũ qui perfectio-
ni intendit, non admodum metuit, imò improperium expectat cor eorum & miseriam, dum paratos Psal. 167.
se offerunt ad perferenda pro iustitiæ amore quæuis opprobria, quemadmodum de Apostolis legi- Actu. 5.
mus, quòd ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti fuerãt pro nomine Iesu con- Rom. 5.
tumeliam pati. Et Paulus gloriari se dicebat in tribulationibus. Atque alibi Iacobus fratres monet, Iacobi. 1.
debere eos omne gaudium existimare, cum in varias incidissent tentationes.

IN VI. OCTONARIVM.

VErsu. 2. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, Exprobrantes in Elucidatione spiritua-
liter sumus interpretati aduersarios, nobis indigna & turpia proponentes. Quomodo enim
C grauiter exprobrat nobili principi, qui illi proponit vile scortum, suadens accipere illud in coniu-
gem: ita vere exprobrant nobis aduersarij nostri, dæmon, caro, mundus, cũ nobis proponunt impie-
tatem & carnalia desideria. Quid enim sordidius, quid vilius possit proponi rationali animæ, tam no
bili creaturæ, de excelso cælo prognatæ, q̃ vt sese subdat rebus transitorijs & momentaneis, aut con
cupiscentiæ seruiat, ipse tam nobilis Dei propago vilissimę meretricule? Huiusmodi ergo exprobran
tibus respondere potest verbũ, qui sperat in verbis Domini: quomodo Saluator noster Christus do-
minus, ad eruditionem nostram exprobranti sibi maligno spiritui, & indigna proponenti, nẽpe quæ
carnis & seculi, erant, respondit verbum efficax, dicens: Vade Satana: Non in solo pane viuit homo: Matth. 4.
& alia quæ Matthæus & Lucas pulchrè describunt. Poterit etiã exprobratio ista aliter intelligi, secũ- Lucæ. 4.
dum id quod in alio psalmo dicitur, Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dũ dicitur mihi Psal. 41.
quotidie, vbi est Deus tuus? Et iterum, Dum confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi qui tri-
bulant me inimici mei, dum dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus? ¶ Versu. 5. Et ambula-
bam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Profecto verbum verũ est in latitudine ambulare eos
qui mandata Dei exquirunt. Est enim (vt in alio Octonario dicitur) mandatum Dei latum nimis: & 1. Tim. 2.
in cõscientiæ magna libertate atque iucunditate ambulant, quicunq, in Dei seruitute præceptis eius
incumbunt. Impij verò, qui obediunt concupiscentijs prauæ carnis suæ, qui captiui tenentur diabo-
D li laqueis, ducuntur siue aguntur ad eius voluntatem, ipsi sunt qui ambulant in angustia & arctitudi-
ne, iuxta quod in alio Psalmo scribitur, Contritio & infœlicitas in vijs impiorum. Et in persona re- Psal. 13.
proborum dicitur in libro Sapientiæ, Lassati sumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles. Sapien. 5.
Quod autem Saluator in Euangelio dicit, angustam esse portam, & arctam viam quę ducit ad vitam: Matth. 7.
contra verò latam esse & spacioſam viam atque portam, per quam intratur in perditionẽ: ob hoc di Lucæ 13.
citur, quia perpauci sunt qui viam vitæ perambulant, & per portam vitæ ingrediuntur: plurimi verò
vias mortis percurrunt, & ingrediuntur portas damnationis. Quod si via vitæ angusta propter diffi-
cultatem dicatur, intelligi debet illa difficultas ex parte malitiæ carnis. Gratia verò spiritus sancti, an
gustiam aufert, & viam dilatat, atque amœnam reddit, quæ carni videtur horrida. ¶ Versu vltimo, Et
leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Post quã in prioribus versibus dixerat, Loquebar de
testimonijs tuis in conspectu regum: ac deinde, Et meditabar in mandatis tuis: ad complementũ per-
fectionis adijcere curauit hoc nouissimũ, Et leuaui manus meas ad mandata tua, quę dilexi, Inueniũ-
tur enim nonnulli, forsitan & non pauci, qui de testimonijs Domini nunquam ferè non loquuntur
etiam coram regibus & populis, & non confunduntur: imò hoc ipso sibi gloriam aucupatur, nõ ra-
rò & auaritiæ quæstum: item & meditatur subinde in mandatis Domini quomodo illa eloquantur:
sed vsque ad nouissimum hoc non perueniunt, vt manus leuent ad mãdata, quæ dilexerunt ad prædi-
candum, alijsque proponendum. Attamen nisi & hoc adsit præcedentibus, non est perfecta Christiani

hominis gloria. Non enim in sermone (vt Apostolus ait) est regnum Dei, sed in virtute. Leuare autem manus ad mãdata Dei, vel simpliciter accipe, pro extendere manus, & opere perficere: vel si velis, peculiarẽ accipe emphasim in eo quòd non simpliciter dicit, Extendi manus meas, sed leuaui. Qui enim manus leuat, cũ conatu aliquo, ad id quod modo quodam supra ipsum est, manus porrigit in altum. Atque ita mandata Dei quia modo quodam supra hominẽ sunt, ita vt ab homine ob carnis grauedinem sine difficultate nequeant impleri, rectè dum ad impletionem mandatorum conamur, quasi leuare manus ad mandata dicimur. E

IN VII. OCTONARIVM.

VErsu.1. Memor esto verbi tui, seruo tuo. Clarior fiet oratio, si pro datiuo illo seruo tuo, ponatur accusatiuus cum præpositione conuenienti, hoc modo. Memor esto verbi tui erga seruum tuum, vt scilicet illi impleas verbũ tuum. Vel sic intellige. Memor esto verbi tui, ad seruũ tuum. id est quod loquutus es seruo tuo, interna scilicet loquutione, vel etiã in scripturis sanctis de auxilio & cõsolatione gratiæ tuæ. ¶ Versu.2. Hæc me cõsolata est in humilitate mea. Humilitas (vt frequẽter aliàs) pro afflictione accipitur. Vnde ex Hebræo vertũt Hieronymus & Felix. Hęc est cõsolatio mea in afflictione mea. ¶ Versu.4. Memor fui iudiciorum tuorũ à sæculo domine. Quanquã in hoc Psalmo frequenter admodum iudicia accipimus pro præceptis, hoc tamẽ in loco, propter additionẽ illius partis, F à sæculo, magis conueniens videtur intelligere de iudicijs illis quæ à sæculo Deus exercuit, in bonorum saluatione, & cõdemnatione prauorum. ¶ Versu.5. Defectio tenuit me, Pro defectione in Græco est ἐκθυμία, quod significat defectionem cordis, vel destitutionem animi. quẽadmodum habet Romanum Psalterium, Defectio animi tenuit me, &c. Ex Hebræo autem Hieronymus legit, Horror obtinuit me. Similiter Felix, Horror vel timor vel cõbustio apprehendit me, ab impijs, &c. id est, pro impijs, vel propter impios. In versu autem sequenti, vbi nos habemus, Cantabiles mihi erãt iustificationes tuæ, Hieronymus vertit, Carmina erant mihi præcepta tua, & Felix, Cantica mihi erãt statuta tua. ¶ Versu.8. Hæc facta est mihi. Hæc referre potest siue demonstrare legem, Ipsa lex facta est mihi, contigit mihi, sum ego assequutus illam, quia iustificationes tuas exquisiui, Illis enim contingit assequi legẽ Dei, qui in toto corde præcepta eius exquirunt. Vel potest referre siue demõstrare ipsam memoriã siue recordationem nominis Domini per noctem, de qua fit sermo in versu præcedenti. Nam & hæc ex eo homini contingit: q̃ solicitus est in toto corde adimplere mandata. B. Hieronymus vertit, per genus neutrum, dicens, Hoc factum est mihi, id est, quod memor fui nocte, & quòd custodiui legem Dei. Atque ita etiam potest accipi in lectione vulgata genus fœmininum pro neutro, hæc scilicet pro hoc, quemadmodum alibi. Vnam petij à domino: loco huius, Vnum petij à domino. Psal.26. G

IN VIII. OCTONARIVM.

VErsu.1. Portio mea domine, dixi, custodire legem tuã. Potest hoc per optantis siue deprecantis modum legi, ad hunc sensum, Portio mea, ô domine, hæc sit, vt custodire valeã legem tuam: tu hoc mihi in partem meã dona, vt custodiam illam: vnã hanc peto à te domine, hanc requiro, vt in tua semper obedientia permaneã: hæc est portio quã abs te in hac vita postulo. Vel per modũ indicandi, vt significet bonum cordis propositum, ad hunc sensum, Ego dixi, ô domine portio mea hæc est, vel erit: hoc in portionem vel partem meã reputo, custodire legem tuã: Habeant alij alias partes: hæc vna est, quã ego elegi, & in qua est mihi beneplacitum. ¶ Versu.5. Funes peccatorũ circumplexi sunt me. Peccatorum in tertia declinatione accipiendum est, nõ in secunda, id q̃ tã ex Græco q̃ ex Hebræo est euidens. Nã in Hebræo est dictio reschaim in Græco ἁμαρτωλῶν, quorũ vtrunq; significat peccatores vel impios. Dicũtur aũt funes impiorũ, ipsę cõgregationes, societates & colligationes corũ. Vnde ex Hebræo pro funib⁹ peccatorũ, qdã societates & colligationes impiorũ legunt. ¶ Versu.6. Media nocte surgebam ad cõfitendum tibi. Præter intelligentiam in Elucidatione positã, potest versus iste secundum mysticum sensum, etiã ad hunc modum intelligi. In medijs tribulationibus atque aduersitatibus, nõ destiti à laude tua & gratiarum actione, sed exurgebã cõstanti & forti animo, non fractus H neque deiectus aduersis, ad confitendum tibi super æquissimis iudicijs tuis. ¶ Versu vltimo, Misericordia Domini plena est terra. Quòd terra plena dicitur esse misericordia domini, potest ad vniuersitatem creaturæ corporalis referri. Vbique enim terrarum atque locorum reluceat Dei immensa bonitas atque latissima misericordia, etiam in illis creaturis quæ rationis sunt expertes, vel ad ipsos terræ inhabitatores, creaturas rationales, quibus in omni loco prompta est Dei misericordia, vbicunque terrarum siue locorum fuerint inuocata.

IN IX. OCTONARIVM.

VErsu. 2. Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. In Græco est χρηστότητα, primo loco, quòd significat benignitatem vel suauitatem: propter quod, bonitatem istam interpretati sumus affectum benignum & suauem, erga Deum & proximum quod iustum esse decet. Simpliciter tamen bonitas pro bono potest accipi, vt sit sensus, Doce me bonum. ¶ Versu.7. Bonum mihi, quia humiliasti me. Humiliatio ista, significat afflictionem, Valde enim vtile est sanctis, subinde à Deo humiliari, & aduersis casibus quasi disciplina paterna corripi, quemadmodum pulchrè & prolixè declarat Apostolus, cap. 11. Epistolæ ad Hebræos, adeò vt dicat adulterinos ac nothos & non filios esse eos, qui extra disciplinam sunt. Huic autem expositioni consonat aperte versio Hieronymi. Bonum mihi, quia afflictus sum.

IN

IN X. OCTONARIVM.

A VErsu.1. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerũt me. Manus Dei intellige metaphorice, si velis ad modum artificis opus suum facientis manibus: vel interpretare potentiã, sapientiam, & bonitatem, quæ etiam digiti aliqui appellãtur, quemadmodum diximus in Annotationibus Psalmi octaui, in versum illum, Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum. Inter duo autẽ illa verba fecerunt & plasmauerunt, talis potest assignari distinctio, vt prius ad animæ creationem, posterius ad corporis formationem referatur, quẽadmodum in Elucidatione indicauimus. Vnde secundũ animã, quę penitus de nouo creatur, potius Deus facit hominem vel creat, q̃ plasmat, Secundum corpus verò, quod de limo à Deo formatur, nõ de nihilo creatur, rectius dixerimus Deum plasmare quàm facere hominem. Nam plasmare significat fingere siue formare, ad eum modum quo figulus de luto fingit opus. Pulchrè aũtẽ volens postulare Dei instructionem, præmittit opus illius se esse, vt quasi debita sibi significat exauditionem: iustum enim est, vt opifex suum opus quod formauit exornet ornatu congruo, atque custodiat. ¶ Versu.2. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur. Potest hoc intelligi tam de angelis, quàm de hominibus iustis. Nam angeli sicut gaudent super vno peccatore agente pœnitentiam, ita proculdubio gaudent in bono & salute iustorum: homines quoq; iusti de proximorum bono gaudent propter charitatem, quæ facit bonum vnius esse alterius, atque omnia cõmunia quæ Luc.15.
B ad salutem spectant: quæ non æmulatur, nõ inuidet, nõ gaudet super iniquitate (vt Apost. ait) sed congaudet veritati, gaudere etiam facit cum gaudentibus. ¶ Versu.4. Fiat misericordia tua vt cõsoletur me. Clarius ita dici potest, Sit misericordia tua mihi ad cõsolationem, accipiam meam consolationẽ ex tua misericordia, tua misericordia mihi cõsolationem præstet. In quam sententiam legit Felix, Sit, obsecro, misericordia tua ad consolendum me, vel, Sit nunc misericordia tua vt cõsoletur me, Hieronymus, Sit obsecro misericordia tua in consolatione mea. In secunda autem parte, cum dicitur, Secundum eloquium tuum seruo tuo: subaudiri oportet quod loquutus es ad hunc sensum, Secũdum verbum tuum quod loquutus es seruo tuo: quod paucis verbis clarius expressit Hieronymus, Sicut loquutus es seruo tuo. ¶ Versu 7. Conuertantur mihi timentes te. Cõuertantur mihi, positũ est, pro conuertantur ad me, quomodo habet Psalterium Romanum, & Hieronymus, Reuertantur ad me. 1.Cor.15. Rom.11.

IN XI. OCTONARIVM.

VErsu.2. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando cõsolaberis me? Nouo modo hic dicitur oculi dicentes, cum oculi nihil loqui possint aut dicere, sed hæc est accipienda sententia, Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, me dicente, quando, &c. Vel sic. Dixiq; quando, &c. ¶ Versu.4. Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium? Hic versus potest accipi vt vnicam continens interrogationem, in hunc sensum, Quot dies sunt, quibus expectare
C debebit seruus tuus, antequã facies iudicium, &c. vel sic, Quantum tempus expectare debet seruus tuus, priusquã facies ei iudicium cõtra persequentes? Atque ita dies serui dicuntur, dies expectationis ante liberationem. Potest verò totus versus æque cõuenienter diuidi in duas partes, in hunc modum. Quot sunt dies serui tui, quibus scilicet in ista permanebit afflictione, desolatione, & expectatione? & Quando facies de persequentibus me iudicium? ¶ Versu.6. Omnia mãdata tua veritas. Veritas sunt mandata Dei, id est, vera & maxime iusta: quomodo alibi Psalmo 110 dicitur, opus Dei esse cõfessio & magnificentia, id est, cõfitendum & magnificum: atque iterum, Opera manuum eius dicuntur esse veritas & iudicium, id est, vera & iusta. In sequenti autem versu, Paulominus consummauerunt, idem valet quod, ferè consumpserunt vel ferè ad nihilum redegerunt. Psal.110. Psal. 148.

IN XII. OCTONARIVM.

VErsu.1. In æternum domine, verbum tuum permanet in cælo. Potest intelligi hoc vel de ipsis cælestibus corporibus, de quibus in alio loco dicitur, Statuit ea in sæculum & in sæculũ sæculi, præceptum posuit, & nõ præteribit. Legem enim sibi à Deo præscriptã ab initio, obseruatione inuiolabili custodiunt. Vel de angelis, qui in cælo semper Dei voluntatem absque transgressione custodiunt: propter quod noster nos Saluator ita docuit orare, ac dicere, Fiat voluntas tua, sicut in cę- Matth. 6.
D lo, & in terra. Primæ intelligentiæ satis fauet lectio Hebraica in versu tertio. Nam in loco eius quod nos habemus, Ordinatione tua perseuerat dies, in Hebręo est, Iudicijs tuis permanserunt vel steterũt hodie, hoc est, permanserunt & perstant vsq; hodie tuis ordinationibus, vt indicetur, cælos, Dei veritatem, & terram, Diuina ordinatione perstitisse ab initio. ¶ Versu.4. Nisi quòd lex tua meditatio mea est. Clarius absque quòd efferretur, hoc modo, Nisi lex tua fuisset meditatio mea, tunc fortè perijssem in humilitate mea. Quemadmodum id quod in alio Psalmo dicitur, Nisi quia dominus adiu Psal. 93.
uit me, paulominus habitasset in inferno anima mea: clarius sic diceretur, Nisi dominus adiuuisset me, &c. similiter & illud quod in Psalm. 123. Nisi quia dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos. Quantũ verò ad sententiã huius versus, diligenter nota, opti- Psal.123.
mam esse consolationem in aduersis, meditationem Diuinæ legis: cui quisquis assueuerit, nihil adeò potest obuenire durum siue toleratu difficile, quod non sic theologice philosophando æquanimiter ferat. Humilitas autem hoc in loco, quomodo aliàs admodũ frequenter, pro afflictione sumitur. Vnde Hieronymus vertit, Fortè perijssem in pressura mea. & Felix, In afflictione mea. ¶ Versu vltimo, Omnis cõsummationis vidi finem, latũ mãdatum tuũ nimis. Hũc versum in Elucidatione nos sumus interpretati secundũ cõnexionẽ partis posterioris cum priore ad hunc modum, Vidi fine omnis cõsummationis, nępe mãdatum tuum latum nimis, vel, qui finis est mãdatum tuum, &c. Potest tamẽ & intelligi, secundum diuisionem partium, ad hunc sensum, Omnis cõsummationis, omnis rei finitę & cõsummatæ siue creatæ vidi finem, sed tuum mandatum est nimis latum, finem eius nequeo cõprehende-

hendere. Atque ita consummatio accipietur pro ipsa re consummata, vel pro re creata. Quidam in- E
telligunt infinitiuum verbi substantiui, ad hunc modum, Omnis consummationis vidi esse finem.

IN XIII. OCTONARIVM.

VErsu. 1. Quomodo dilexi legem tuam domine: hoc est, quantum dilexi, siue quàm dilexi vt habet Hieronymus: Explicat homo iustus nimium vehemens suum desiderio, ad obseruationem Diuinæ legis. ¶Versu. 2. Super inimicos meos prudentè me fecisti mandato tuo. Istud mandato tuo, est casus ablatiui. Est enim sensus, Fecisti me prudentè mandato tuo, subaudiendo in: hoc est instruxisti me mãdato tuo, vel docuisti me mandatum tuum. In Græco est per accusatiuum ἐφρόνισας με τὴν ἐν τολήν σου, hoc est, Sapientè me fecisti in mandato tuo, vel docuisti me mandatũ tuum. Hieronymus legit, Instruxisti me mandato tuo. Posset tamen accusatiuus ille resolui per præpositionem per, ad hunc sensum, Fecisti me super omnes inimicos prudentem, per mandatum tuum quemadmodum in hoc eodem Octonario versum vltimum exponit Elucidatio, mandatis tuis intellexi. Neque huic intelligentiæ vllo pacto lectio Hebraica repugnat. Secundam autem partem, Quia in æternum mihi est, Hieronymus cõplet, adijciendo suppositum, Quia in sempiternum hoc est mihi. ¶Versu. 6. Quia tu legem posuisti mihi. In Elucidatione, duplicem indicauimus intelligentiã. Priorẽ sumendo ponere legem, vt apud Latinos verba sonant, pro constituere legem posteriorem, accipiendo ponere legẽ F
pro docere vel erudire, quemadmodum diximus in versum primum. 5. Octonarij, Legem pone mihi domine viam iustificationum tuarum. Atque huic magis consonat, quod ex Hebræo vertit Hieronymus, Quia tu illuminasti me: & Felix, Quia tu docuisti me.

IN XIIII. OCTONARIVM.

VErsu. 2. Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Significatur, hoc versu firmatio iusti secundum propositum bonum, in seruitute Dei & obseruatione mandatorum eius. Firmum
Psal.88. enim illud decretum quo proponit homo, nullo obstante impedimento, in Dei semper mandatis permanere, quoddam iurare est, quẽadmodum in alio Psalmo dicitur, Iurauit dominus Dauid veritatem, cum tamen de iuramento expresso nihil alicubi legamus, sed firmum decretum & promissum
Psal.103. appellat iuramentũ. Vnde potest coniunctio, &, accipi vt expositoria, vt quod sequitur, statim exponat quid velit quod antecedit, iuraui. ¶Versu. 4. Voluntaria oris mei beneplacita fac domine. Fac beneplacita, id est, conplaceant tibi, sint tibi iucunda, quemadmodum alibi dicitur, Iucundum sit ei eloquium meum. Voluntaria autẽ oris, vocat laudes spontaneas, & sacrificia laudis ex corde grato de
Psal 63. prompta: quemadmodum in alio Psalmo dicitur, Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini
Psal.27. tuo domine. Et rursum. Ex voluntate mea cõfitebor illi. Hæc ergo vltronea ex bono corde gratitudi- G
Psal 42. nis cantica, vocat oris voluntaria. Signãter autem oris voluntaria petit fieri beneplacita, quoniã illa
Psal.15. potissimũ Deo nouit esse accepta, quẽadmodum in alio Psalmo dicitur. Immola Deo sacrificiũ lau-
Psal.50. dis, & redde altissimo vota tua. At iterum, Sacrificium laudis honorificabit me. Bonorum autem nostrorũ quia Deus non indiget, & holocaustis non delectatur, iccirco de voluntarijs oris potius quàm
Heb.13. de voluntarijs manus postulat, Apostolus autẽ Paulus, ista oris voluntaria, in Epistola quã scripsit He-
Osee.14. bræis, appellat fructum labiorum confitentium nomini domini. Apud Prophetam verò etiam vituli appellantur labiorum, dicentem domino, Omnẽ aufer impietatem, & omne accipe bonũ, & vitulos labiorum nostrum sacrificabimus. Versu. 5. Anima mea in manibus meis semper. Per animam habere in manibus, Eiucidatio intelligit animam diligenter custodire, ne perdatur, aut ne furto auferatur. Nihil enim certius custodimus, quàm quod in manus tenemus conclusum. Potest tamen aliter exponi, in hunc sensum, Anima mea iugiter versatur in periculis, Ponere enim animam in manibus, est
Iudic.12. periculo & discrimini vitã exponere. Nam quod in manu quis tenet, facilè eo priuatur, si fortior superueniat, qui illud de manu extorqueat. Sic in libro Iudicum loquitur Iepte, corã filijs Ephraim, Po
sui (inquiens) animam meã in manibus meis, transiuique ad filios Ammõ, & tradidit illos dominus
in manibus meis. Cui sententiæ aperte consentit quod habet Paraphrasis Chaldaica. In, periclita- H
Iob.13. tione fuit anima mea, acsi fuisset in extremitate manus semper. Aut significatur versari in afflictionibus & continua miseria, quemadmodum sanctus Iob ait. Quare lacero carnes meas dentibus meis &
porto animam in manibus meis? Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Quibus verbis proculdu-
bio suam designat afflictionem. Atque ita in proposito commodè posset intelligi, Ago quidem ego
Rom.8. nunc iugiter in periculis & afflictionibus malis, attamẽ legem tuã non transgredior, nõ me pericula, non afflictiones à tua lege poterunt diuellere: quemadmodum insignis ille dicebat Apostolus, Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. separare nos poterit à Charitate Dei. Iterũ, Animam meam derelinqui in manibus meis, significare potest quasi animę destitutionẽ, & derelictionem à Dei auxilio. Quasi nanque in manibus meis relinquitur anima mea, quado diuinum ei videtur subtractũ vel elongatum adiutorium. Ac secundum hunc sensum, indicat homo iustus, etiã tunc cum à Deo videtur vtcunque destitutus & sibi derelictus, nolle se Dei mandata relinquere aut transgredi. Rursum, in hoc verbo intelligi potest libertas humani arbitrij, ad hunc sensum, Semper quidem est anima meain manibus meis, semper in potestate mea est anima mea: tu libertatẽ mihi donasti, vt agere possim quæ voluero, siue bonũ siue malum, animam meam possum si volo proiicere, perdere, ac in manus hostiũ tradere. Attamen legem tuam non sum oblitus, hac libertate abuti non volui, in animæ meæ perniciem, vt malum operando eam perderem. ¶Versu. 7. Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum. Quod in Latino habetur per duas dictiones, hæreditate acquisiui, Græce vno verbo dicitur ἐκληρονόμησα, quod valet, hæreditaui, id est, hæreditate acquisiui, vel hæreditate possedi, aut pro hæredita-

A reditate elegi: quod vltimũ proposito melius conueniret, ad hunc sensum, Ego elegi proportione & hæreditate mea, non aurum, argentũ, aut sæculi põpas, sed tua testimonia, in quibus exultat cor meũ sicut in omnibus diuitijs, magis quàm in auro & topazio. Hieronymus sic legit. Hæreditas testimonia tua in æternum, hoc est, testimonia tua sunt hæreditas mea in æternum. ¶Versu. 8. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Dixit dominus ad Abra- Gene.15.
ham Noli timere Abraham, Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Et in Euangelio dilci- Ioan.14.
pulis loquitur, dicens, Ego sum via, veritas, & vita: vita autẽ procul dubio æterna, quæ est æterna sanctorum retributio. Secundum quam considerationem, rectè vir iustus dicit se inclinasse cor suum ad iustificationes Dei faciendas, propter illam mercedem, propter illam retributionem, id est, propter ipsum Deum, vt illum mereatur aliquando consequi in præmium illique perpetua beatitudine copulari. Si verò retributionem consideremus vt bonum & commodum ipsius hominis, ita Propter, non debet significare causam finalem præcipuam, quasi velit indicare iustus, sed mercenario amore dilegere dominum, qui propter semetipsum potissimum est diligendus. Debet autẽ præpositio propter, accipi tantum vt denotet finem minus principalem siue occasionalem, & finẽ potius quendam ex fine præcipuo consequentem, quàm ex agentis intentione spectatum. Iustus enim in omni operatione sua bona, præcipua intentione Deum spectat, quem propter se diligit, cui propter semetipsum
B placere desiderat & conatur. Merces verò & retributio fœlicitatis æternæ, ex Dei bonitate cõsequitur, & contingit omnibus qui Deum sibi fide & bonis actionibus demeruerint. Nos istud in Elucidatione expressimus, ita dicentes, Neque id sine retributione. loco eius quod est in textu, Propter retributionem.

IN XV. OCTONARIVM.

VErsu. 4. Suscipe me secundum eloquium tuum. Potest hic accipi suscipe, pro defende vel sustenta: quemadmodũ solet frequenter accipi susceptor, pro defensore vel sustentatore. Cui consonat quod vertit Hieronymus: Confirma me secundum verbũ tuum. Felix similiter, Confirma vel sustenta me. ¶Versu. 7. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Videtur mihi Propheta hoc loco indicare velle vilitatem peccatoris, secundum quam pro nihilo venit æstimandus: vt hic sit ordo, Omnes peccatores terræ ego reputaui præuaricantes, id est, vt mendaces, vt infideles transgressores pro nihilo cõputaui. Neque male huic consonat quod ex Hebræo legit Hieronymus, Velut scoriam cõputasti omnes peccatores terræ, vbi ad Deum sermo dirigitur, id est, tãquam nihilum, & rem nullius precij reputasti omnes peccatores terræ.

IN XVI. OCTONARIVM.

C VErsu. 6. Tempus faciendi, domine. Gerundium illud faciendi, duplicem facit sententiã, secundum quod duobus modis potest resolui. Primũ quidem, ad hunc modum. Tempus est vt ego faciam, supple legem tuã. Nam alij eam dissipant & præuaricantur, Et vtique iam tẽpus est, quo iusti faciant legem Dei. Nunc enim si præcepta Dei custodiant, beatã retributionẽ vitæ æternæ proculdubio cõsequentur de manu domini. Altera intelligentia hæc est, Tempus est vt facias tu domine, id est, vt impleas quæ postulo, vt me adiuues, vt mihi facias misericordiã, vt mihi des intellectum, & cætera, quæ in versibus præcedentibus sunt postulata. Atque hunc posteriorem sensum manifeste sequitur versio Hieronymi, quæ sic habet, Tempus est vt facias domine. Priori vero magis consonat quod habet Paraphasis Chaldaica, Tempus est faciendi voluntatem Dei.

IN XVII. OCTONARIVM.

VErsu 3. Os meũ aperui, & attraxi spiritum. Spiritus capitur pro vitali aura, siue flatu corporeo, qui attrahitur respirãdo. Vnde Hieronymus vertit. Os meum aperui & respiraui. Quod autem in sequenti versu dicitur, Secundum iudicium diligentiũ nomen tuum, potest exponi dupliciter: Vel secundum iudicium quo iudicas de diligentibus nomen tuũ, id est, secundum eum modum quo ex iudicio tuo agis cum seruis tuis qui te diligunt. Aliter ad hunc modum. Aspice in me & miserere mei,
D secundum quod iudicant & volunt illi qui diligunt nomen tuum, hoc est, secundum quod bonũ iudicabunt, & bonum videbitur illis qui zelant tuam gloriam, non secundum iudiciũ & voluntatem illorum qui suam quærunt gloriam, qui meã perditionem magis optant quàm salutem. ¶Versu 8. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Exitus, id est, emanationes vel riuos siue fluenta lachrymarũ. Vnde Hieronymus, Riui aquarum fluebant de oculis meis. & Felix, Riui aquarum emanauerunt ab oculis meis. Vel sic, Riuos aquarum produxerunt oculi mei. In secunda autem parte, cum dicitur, Quia non custodierunt legem tuam, suppositum nõ exprimitur, sed debet intelligi peccatores. Oculi enim viri iusti deducunt lachrymas, propter transgressiones impiorum: quomodo de Samuële legimus, q 1. Reg. 15.
lugebat Saul. Ille enim exitus deducebat aquarum, eo quòd hic non custodisset legem domini. Cha- 1. Cor. 13.
ritas enim (vt ait Apostolus) non gaudet super iniquitate, sed defiet magis: quemadmodum super veritate non dolet, sed congaudet eidem: & quomodo falsa iustitia habet seueritatem condemnationis, ita vera iustitia benignitatem habet compassionis.

IN XVIII. OCTONARIVM.

VErsu. 2. Mandasti iustitiam testimonia tua & veritatem tuam, nimis. Orationem istam ad hunc modum construe, vt accusatiuus ille, testimonia tua, cum alijs duobus iustitiam & veritatẽ, coniungatur per appositionem, hoc ordine, Tu mandasti nimis testimonia tua, iustitiam & veritatem: hoc est, quæ testimonia sunt iustitia & veritas. Vel mandasti nimis iustitiam & veritatem tuam, testimonia tua, hoc est, quæ iustitia & veritas est testimonia tua. Quam constructionem aliquanto etiam

commodius suscipiet oratio, si pronomen, tuam, secundo loco omittatur quod neque in Hebræo, neque in Græco legitur. Quod autem in versu sequenti subiungitur, Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei, illi consonat quod supra dictum est, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Et iterum in alio Psalmo, Nónne qui oderunt te domine odera: & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. ¶ Versu. 4. Ignitum eloquium tuum vehementer, id est, igne examinatum vel probatum. Græce enim est πεπυρωμένον, quod alibi vertitur, igne examinatū, vt Psalmo. 11. Eloquia domini casta, argentū igne examinatum: vbi eadē dictio ponitur. Et in Psalmo. 16. Igne me examinasti, verbum correspōdens ponitur. Atque in hunc sensum vertit Hieronymus, Probatus sermo tuus nimis, & Felix, Examinatum eloquium, tuum nimis. In versu autem sequenti, pro adolescentulo Hieronymus & Felix vertunt paruulum, quod in idem recidit. Vtrunque enim, humilitatem significat.

Psal. 138.

Psal. 11.

Psal. 16.

IN XIX. OCTONARIVM.

VErsu 3. Præueni in maturitate. Felix, Præueni crepusculum, id est, primum mane anteuerti. Hieronymus à verbis aliquantulum recedens, sententiam ita expressit, Surgebā adhuc in tenebris. ¶ Versu. 7. Omnes vitæ tuæ veritas. Melius est, vt viæ Dei intelligantur præcepta. Vnde ex Hebræo Hieronymus & Felix vertunt, Omnia manda tua veritas, & similiter habet Psalterium Romanū. Versum autem sequentē, Initio cognoui de testimonijs tuis, quia in æternū fundasti ea. Clarius aliquanto legit ex Hebræo Hieronymus, A principio noui de testimonis tuis, quod in æternum fundaueris ea. Valet autem illud à principio, acsi dicas, Primum omnium, ante omnia, vel imprimis hoc cognoui, quasi maxime obuium, & cognitu facillimum.

IN XX. OCTONARIVM.

VErsu. 1. Vide humilitatem meam. Humilitatē pro afflictione accipit versio Hieronymi, quæ pro humilitate habet afflictionē. In sequenti autem versu, quod nostra lectio habet, Iudica iudiciū meū, clarius vertit idē, Iudica causam meā. Hoc enim est iudicare iudiciū, causam absoluere. ¶ Versu 8. Principiū verborum tuorū veritas. In Hebræo est, caput verborū tuorum: & eadem est sententia, quandoquidem pro principio caput ponimus, quēadmodum à capite ad calcē vsque dicimus, id est à principio ad finem vsque, Et apud Sapientē dicitur, Adolescens si interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum, id est principium tibi congruum & ordinatū sermonis tui constitue, vt non præcipites sermonē, quasi temulentus vel temerarius, nesciens vnde sumas exordium, sed quicquid in buccam venerit, absque præuia meditatione proferent. Intelligitur autē hæc oratio, Principium siue caput verborum tuorum veritas, varijs modis. In Eluridatione ita sumus interpretati, Omnium verborum Dei, veritas prima est principium, est origo & fons, quoniam à veritate Dei procedunt cūcti sermones eius: estque ipsa increata veritas, omnium sermonū Dei caput, atque fontale principium. Alij sic interpretantur, A capite & initio rerum, vsque in sæculum omnia dicta, & facta & iussa tua sunt veritas. Alij sic, Caput statim & initium omnium verborum tuorum, dictorum atque factorum, veritas atque iustitia est.

Eccles. 32.

IN XXI. OCTONARIVM.

VErsu. 4. Septies in die laudē dixi tibi, Septenarius in scriptura ponitur pro pleno numero, vt qē septies factum dicitur, perfecte & integre factum significetur. Veluti eū in Psalmo alio dicitur, Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatū, probatū terræ, purgatū septuplū, siue septem vicibus: id est, plenè & perfectè purgatū, quantū purgari potest. Et rursum redde vicinis nostris septuplum, in sinu eorum, id est, perfectam illis da retributionē, & suis demeritis bene condignam. Ita & hic septies dicere laudem, significat perfectam, integram, & continuam siue perpetuam laudem dicere, vel laudem multiplicem & copiosam. Iudicia autem iustitiæ, indifferenter accipi possunt, vel præcepta ipsa quæ in iustitia disposuit, vel dispositiones diuinæ voluntatis, secundum quas iuste operatur omnia. Vtraque enim sunt copiosa laudis materia. ¶ Versu. 5. Pax multa diligentibus legē tuā, & nō est illis scandalū. Quomodo pax multa sit ijs qui diligūt Deū, & legē eius (Non est enim amor alterius sine altero) & quomodo nullum sit illis scandalum, in Euangelica parabola dominus declarat, dicens, Omnis qui audit verba mea & facit, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suā supra petrā, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundamenta enim erāt supra petrā. Hoc scilicet est, pacem multā & securitatem habere diligentes legē domini, & nullum esse illis scandalum, ex nulla parte esse illis ruinam, quantæcunque tandē cōmotiones exsurrexerint. Facit enim amor legis Dei, hominē in bono fixum: & sic humanum spiritum Deo adglutinat, vt nulla vi possit ab illo diuelli. Propter quod clamabat sanctus Apostolus, Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas, &c. ac deinde, Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.

Psal. 11.

Psal. 78.

Matth. 7.

Rom. 8.

IN XXII. OCTONARIVM.

VErsu. 3 Eructabunt labia mea hymnū: id est loquentur labia mea laudem, vel effundent siue effluent laudē. Quod autē sequitur, Cum docueris me iustificationes tuas, potest accipi secundū causa-

causalitatem, vt sit sensus, Quia tu docuisti me mandata tua. In quā sententiam habet lectio Hieronymi, Fundet labia mea hymnū, docebis enim me præcepta tua. ¶ Versu. 5. Fiat manus tua, vt saluet me. Clarius id legit Hieronymus, secūdum eandē sententia, Sit manus tua auxiliatrix mea. Et Felix, Sit vel fiat manus tua vt auxilietur mihi. ¶ Versu. 7. Iudicia tua adiuuabunt me. Verū, hoc est, siue de præceptis intelligas, vt exponit Elucidatio, siue de dispositionibus diuinæ voluntatis. Iudiciorum enim Dei attenta consideratio confortat & consolationem præbet iustis. Oblectat enim pios animos cōsideratio illius summæ & admirabilis æquitatis, quam in cunctis Dei præceptis aduertunt. In sequenti autem vltimo versu, oue quæ perijt, intellige ouem perditam, quomodo vertunt Hieronymus ac Felix.

CXIX. PSALMI ARGVMENTVM.

IN hoc Psalmo vir iustus peruersorum suggestiones formidans, à domino (à quo & aliàs se meminit exaudi-
tum) poscit auxilium: & interrogatus quid sibi in remedium dari postulet: sagittas poscit atque carbones va-
statorios, quibus cōtra linguas iniquas & dolosas sese possit defendere, & ea quæ forsitā ab illis superseminari
contigerit malarum cogitationum atque affectionum zizania, carbonum igne adurere atque deuastando consu-
mere. Post quod, suam prolixam peregrinationem & longam deflet incolatum in medio prauorum: qui pacis ve-
ræ osores, iustum etiam ea quæ pacis sunt quærentem, multipliciter sine causa oppugnant.

CENTESIMI DECIMI NONI PSALMI ELVCIDATIO.

1 Ad dominum cum tribularer clamaui:
** & exaudiuit me.*
2 Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.
3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?
4 Sagittæ potentis acutæ:
**cum carbonibus desolatoriis.*
5 Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar:
** multum incola fuit anima mea.*
6 Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus:
**cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

POsitus in afflictionibus & persecutionibus, siue corporalibus siue spiritualibus, ex corde inuocauit dominū in auxiliatorem meum: * & ipse nō despexit ad se clamantem, sed pro sua benignitate salubriter magis exaudiuit. 2. Confisus verò in solita tua misericordia, quā frequenter fui expertus, etiā nunc ad te clamo, domine, deprecās vt patiperculam meā animam nō patiaris seduci, aut in consensum pertrahi malitiæ ab ijs qui praua & iniqua, aut etiam fraudulenta in dolo mihi loquuntur, proponunt, suadent, & suggerunt: hoc est, ab impijs dæmonibus & peruersis hominibus, qui mea animam suis dolosis linguis conantur perimere. VOX INTERROGANTIS. 3. Quid verò est, ô homo, ô anima meticulosa, quod tibi dari posit, aut quid tibi dari optas? & quid est quod tibi exhiberi aut præstari posit, veluti in præseruationem contra dolosas malignorum suggestiones? VOX RESPONDENTIS. 4. Opportunū remedium mihi videntur diuini sermonis eloqtia, siue per internā inspirationem efficaciter immissa, siue per scripturas sanctas, aut homines diuinos per adhortationē, seu commonitionē externā fideliter proposita: quæ sunt veluti sagittæ viri potentis nimiū acutæ, penetrantes intima cordiū (est enim sermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti) quibus anima salubriter trāsfixa consentire nō potest iniquis suggestionibus, & quas iaculando in hostes facili opera eos valemus perimere, deq; eis victoriā reportare: * quæ diuini sermonis eloquia etiam sunt velut carbones ignīti, facile deuastare, exurere, & consumere potentes de cordibus fideliū spinas omnes & tribulos, & omne lolium malarum suggestionum atq; prauarū affectionū, quas eis terra ipsorū germinauerit, siue quas illi sug gesserint atq; immiserint. 5. Afflictio & dolor est mihi, q̄ peregrinatio ista vitæ meę super terrā nimiū sit prolongata atque protracta, propter desiderium eius patriæ, quā expecto post finem huius miseriæ: habitatio mea in hoc mundo, in medio peccatorum est, quia sunt habitatores Cedar, id est, viuentes in nigredine, obscuritate, & tenebris infidelitatis, ac peccatorum cæterorum: * atque inter hos multum ac diu perduravit vita mea, vita est animæ meæ admodum prolixa hæc peregrinatio. 6. In medio eorū qui veræ pacis (quam sola parit iustitia) se monstrabant osores, quique malitijs, iniustitijs & contentionibus oblectabantur, ego studebā pacificum exhibere meipsum, cū omnibus hominibus (quantū quidem in me erat) pacē habere cupies: * & cum illis loquerer quæ pacis & iustitiæ erant, pro bono malū reddentes, mihi loquebantur male, & pugnam, contumelias ac persecutiones parabant mihi, sine causa iusta, absque vllo meo merito.

Rom. 1.

Psal. 44. Heb. 4.

Rom. 12.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXIX.

VErsu 3. & 4. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs. Duo isti versus à diuersis diuersimode exponuntur. Quidam enim in bonum intelligunt, vt versus tertius sit verbum interrogantis, vt potę vel

Dei ad hominem, vel hominis ad suam ipsius animã: versus autem quartus sit resp̃ōsio de tribulatio- E
ne clamantis ad Deum, pro auxilio. Iuxta quem modum, nos in Elucidatione præsentem locũ enar-
rauimus: per sagittas potentis, intelligentes eloquia Dei, de quibus & in alio psalmo dicitur, Sagittæ
Psal. 44. tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorũ regis: quę eademsi militer appellari indicauimus
carbones desolatorios, & (iuxta alium prophetam) verba Dei sint quasi ignis, quibus nimirum abs-
muntur mala omnia, purganturque & perficiuntur corda filiorum hominum: quemadmodum ignis
Hier. 23. metalla purgat, & omnem scoriam omnemque rubiginem absumit. Poterimus tamen non parum
cõmodè per carbones desolatorios intelligere honesta sanctorũ exempla, quibus veluti ignitis car-
bonibus, sanctæ æmulationis feruor in proximis ea cõsiderantibus succenditur, vt absumatur à cor-
de omnis vitiorũ rubigo. Atque ita in hoc vno versu, duplex cõtra linguas dolosas postulatur reme-
dium, nempe diuinorũ eloquiorum ignitæ sagittæ, & bonorũ honesta exempla zelo sancto feruẽtia:
quibus duobus nihil inueniri potest efficacius cõtra lingas dolosas, ad effugiendas scilicet atq; depel-
lendas cunctas prauorũ malas suggestiones, aut retundendas doctrinas pestiferas. Alij verò duos istos
versus in malũ exponunt, vt versus tertiusfit vox hominis per querimoniã seipsum vel suam animam
alloquentis in hunc sensum, O anima mea, quid tibi dari possit, vel apponi, ad linguã dolosam? quid
adhuc mali posset superaddi? quid tibi ad hanc pestem aliud mali posset adijci? quasi dicat, Nihil ma- F
gis pestiferum, nihil magis noxium tibi, ô anima mea possit occurrere. Nam lingua dolosa siue (vt in
Hebræo est) lingua fraudis & mendacij, pessimũ malum est. Ac iuxta hunc sensum, versus qui eues-
gio subiungitur de lingua fraudis vel lingua dolosa, debet secundũ consequentiam intelligi, in hunc
modum, Lingua illa dolosa est sicut sagittæ potentis acutæ, & sicut carbones desolatorij. Nam quo-
modo sagittæ acutæ cum à potẽte & valido homine iaciũtur, infigunturprofundissime, & ad intima
vsque penetrãt: sic lingua dolosa sæuit valde, & lædit vsque ad intima hominẽ, cui infixa fuerit, id est,
cui prævaluerit. Ac rursum, quomodo carbones vehementer accensi, intimeq; igniti, fortiter adurunt
vel leuiter contingentes: sic lingua dolosa facile magnum gignit incendium in ijs quos sua prauitate
Iacobi. 3. contigerit. Quibus nõ male consonat, quod de lingua praua sanctus Iacobus pulchrè scribit in epi-
stola sua canonica: Lingua, inquit, modicũ quidem membrũ est, & magna exaltat. Ecce quantus ig-
nis, q̃ magnã syluam incendit. Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis Lingua cõstituitur in mẽbris
nostris, quę maculat totũ corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. Om
nis enim natura bestiarum & voluerum & serpentum, cæterorum, domantur, & domita sunt, à natu-
ra humana: linguã autem nullus hominũ domare potest: inquietatũ malum plena mortiferoveneno.
Hæc de mala lingua sanctus Iacobus Apostolus. ¶Versu penultimo, Hei mihi, quia incolatus meus
prolongatus est, Circa id quod ait vir iustus suum incolatũ esse prolongatũ, & multum incolam fu-
isse animã eius, aduerte, & dies huius vitæ, quibus viuimus super terram, tametsi breues sint iuxta ve G
ritatẽ, & numero paucissimi: ijs tamen qui suam hoc in mundo peregrinationẽ intelligunt, longi ac
multi nimis videntur, propter tædium præsentis malitiæ, & desiderium patriæ cælestis, ad quã perge
re se cognoscunt. Quemadmodũ enim peruersis, omnis duratio vitæ humanæ quantumuis sit diutur
na nimium breuis æstimatur, propterea & in malitia & delitijs huius sæculi oblectãtur & gloriãtur,
spemque omnẽ in hoc mundo habent repositam: ita ijs quibus præsentia vilescunt, & æterna sunt in
desiderio, omnis duratio vitæ huius prolixa reputatur.

CXX. PSALMI ARGVMENTVM.

QVi in priori Psalmo iniqua timebat labia, suumq; desiebat incolatũ, nunc ad Deum cæli oculos leuat, pro
cælesti impetrando auxilio: moxq; à versu tertio se in spiritu conuertens ad eũ qui huiusmodi fuerit, se-
curitatem diuinæ promittit custodiæ, qua & in die & in nocte, ingrediens & egrediens, erit ab om
ni malo præseruatus quisquis ad Deum plena fiducia leuat oculos. Aut possunt omnia quæ post secundũ versum
sequuntur vsque in finem, accipi tanquã dicta à spiritu sancto, vt postquam de sua spe homo loqui cœperit duo H
bus versibus, mox responsionẽ audiat spiritus sancti interius loquentis, tutamq; custodiam & firmã in omnibus
protectionem in se sperantibus pollicentis, aut etiã pro eisdem postulantis. Siquidem spiritus sanctus in fidelium
Ioan. 16. suorum cordibus non solum quæ ventura sunt, annunciat, sed etiam pro sanctis postulat secundum Deum, & ge
Rom. 8. mitibus inenarrabilibus interpellat pro eis. Vel intelligatur iustus ipse vt sibiipsi loquens, bonaq; & prædicens
& imprecans. Est enim hoc in psalmis non infrequens, vt homo vel suam animã vel seipsum alloquatur. Ad animã
quidem sexagesimoprimo. Veruntamen Deo subiecta esto anima mea. Et alibi, Quare tristis es anima mea? Spera
in Deo, &c. Conuertere anima in requiem tuam. Ad seipsum verò psalmo centesimodecimoquinto, Quid retri-
buam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et iterum, Expecta dominum, viriliter age, &c.

CENTESIMIVIGESIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Leuaui oculos meos in montes:*

* *vnde veniet auxilium mihi.*



VM me in peregrinatione hac, in medio generationis prauæ adhuc positum, peruersorum homi-
num presserit malitia, hæc mihi est vnica consolatio, attollere ad cælum oculos mentis meæ, illu-
lucque ad montes æternos (in quibus diuina in-
habitat maiestas) spem omnem & orationem diri-
gere: * inde enim scio mihi certissimum atque secu-
rum

A 2 *Auxilium meum à domino, qui fecit cælum & terram.*
3 *Non det in commotionem pedem tuum:*

* *neque dormiet qui custodit te.*
4 *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.*
B 5 *Dominus custodit te:*
* *dominus protectio tua super manum dexteram tuam.*
6 *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.*

7 *Dominus custodit te ab omni malo:*
C * *custodiat animam tuam dominus.*
8 *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

rum dari posse auxilium: quemadmodum & dandum spero, & aliunde venire non posse credo. 2. Auxilium meum omne quòd expecto, ab illo expecto, & ab illo venturum spero potentissimo domino, qui cælum & terram solo verbo condidit, & quæ in eis sunt vniuersa. propter quod, nihil dubito, quin & mihi possit ac etiam velit postulanti, libens præbere gratiæ suæ auxilium. 3. Et tu quisquis es, qui sic in plena fiducia cælestis auxilij ad dominum leuas oculos, confidito atque securus esto. Non enim patietur ipse in quo habes fiduciam, commoueri aut labi gressus tuos in mortem aut mortale peccatum, sic vt ab eo iterum non resurgas: * & is qui te in suam custodiam suscepit, in quo confidis omnipotens Deus, non erit in tui custodia negligens ad modum hominum dormitantium, sicque suam custodiam non debitè obseruantium. 4. Nequaquam enim ad modum pigrorum hominum aut fatigatorum ipse dormitabit, neque vel leuissimo ad tempus occupabitur somno, ipse qui est custos populi sui, omnium qui viri sunt Israëlitæ, verique fideles, sed omnis inertiæ, somni, aut fatigationis expers, in tua custodia peruigil semper & attentus: propter quod, formidare non debes de eius custodia. 5. Quòd si de potentia quæris tui, en dominus est cæli & terræ, creator potentissimus, qui te custodit: * ipse tibi pugnãti contra aduersarios est veluti scutum, protectio atque obumbratio, super dexteram manum tuam, sic te sua protectione custodiens, vt nocumentum ab hoste accipere non queas. 6. Ita autem diligens & assiduus erit custos tui, vt neque per diem te permissurus sit à solis æstu exuri, neque per noctem à lunæ algoribus affligi: ita vt nec in prosperitatis tempore, in quo vt in die serena videntur omnia, tibi nocere valeant hominum laus & honorificẽtia, cæteraque huiusmodi, neque item in aduersitatis tempore (quando vt in nocte luna dominante, tristia ac nubila sunt omnia) paupertas, egestas, afflictio, contemptus, conuitia, cæteraque huiusmodi, quæ in aduersis obuenire solent. 7. Quid multis est opus? Dominus ipse te custodiet in vniuersum ab omnibus malis, sicque præseruabit, vt nihil tibi verè malum contingat: * spiritum tuum & vitã animæ tuæ ipse diligentissime fidelissimeque, vt rem pretiosissimam, & sibi multo charissimam, custodiet: vt eam & à peccatorum morbis, & in sempiternum à morte damnationis saluet in vitam æternam. 8. Precor magnum & omnipotentem dominũ, vt omnes quicunque sunt veri fideles sperantes in eum, quasi pater & pastor custodire ac præseruare dignetur ab omnibus verè noxijs, introeuntes & exeuntes, hoc est, in omnibus actionibus siue interioribus siue exterioribus quocunque se verterint, à modo vsque in sempiternũ, ita vt diuina eos protegente gratia, nihil eis mali contingat in perpetuum, sicque tandem ad plenitudinem pertingat bonorum omnium in gloria cælesti, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXX.

VErsu. 1. Leuaui oculos meos in montes. Per montes rectè etiam intelligi possent sancti angeli, cæterique beati spiritus, qui sunt in conspectu Dei, ad quod tanquam ad aduocatos quos-
D dam generis humani amantissimos, pro patrocinio recurrunt qui Deum quærunt protectorem: Psal 3.
non quasi per seipsi salutem dare aut auxilium possent (siquidem domini est salus, & sine eo nemo Ioan. 15.
quicquam potest efficere) sed vt illorum precibus commendati, & adiuti suffragijs, facilius diuinam valeamus protectionem impetrare: atque hoc modo in illis expectare vẽturum auxilium. Cæterum ijs à quo, vt primario authore & datore, munus cælestis auxilij debet expectari, Deus est cæli & terræ creator omnipotens. Propter quod non in illis montibus quiescit, sed quantocyus subiungit, discens, Auxilium meum à domino, qui fecit cælum & terram. Sic in Psalmo 124. postquam de montibus dixisset, Montes in circuitu eius, euestigio annectit, Et dominus in circuitu populi sui.
¶Versu. 3. & vltimo, Non det in commotionem pedem tuum. Quæ hic per modum precandi dicuntur aut optandi, quantum ex Hebræi sermonis virtute, possent similiter vt alia inibi posita verba in futuro tempore indicantis modi legi. Non dabit neque dormitabit, dominus custodiet. Et plenius est, quantum ad sententiam, vt quæcunque à versu tertio in finẽ vsque dicuntur, sic accipiantur, vt simul & precando & prænunciando dicta. Nam sancti spiritus aut etiam viri iusti per spiritum bona precatio, parum abest à prænunciatione: & sic precari, penè prædicere est, propter rectitudinem diuinæ exauditionis, in ijs quæ secundum Deum à spiritu postulantur. ¶Versu. 6. Neque luna per noctem. Non debet repeti Vret rex præcedenti particula, Luna enim neminem vrit: sed intelligi debet Percutiet, affliget, aut nocebit, aut simile quippiã. Felix in sua versione pro Vret ponit Percutiet, quod verbum vtrique parti conuenit.

CXXI.

CXXI. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste viri iusti ad cælestem Hierusalem exprimit desiderium, cuius vel solo auditu priusquã quid sit detur percipere fidelis animus lætatur, piæ affectionis pedibus subinde illuc ascendens, quo secundum carnis corpulentiam nondum datur mortali pertingere. Ad Hierusalem verò se conuertens, Versu tertio, modum ædificationis eius, & ineffabilem illam quæ inter beatißimos ciues est mutuam communionem describit: suæ spei deinde rationem reddens, propter eos qui iam illuc priores in testificationem subsecuturorũ sunt ingreßi, quorum nonnullos (nempe apostolos) etiam iudiciariæ sedis gloria est dignatus, super domũ Dauid iudices eos constituens. Post hæc, versu sexto, & septimo, ponitur eius qui adhuc peregrinatur supplicatio ad cælestis patriæ ciues, vt quæ verè sunt bona, & quæ ad pacem faciunt, à Deo postulent pro sanctis. Cui humili supplicationi versibus duobus nouißimis benigna adhibetur responsio, à cæli ciuibus, ad ea quæ bona sunt pro militantibus postulanda sese iusta ratione paratos asserentibus.

CENTESIMIVIGESIMIPRIMI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi:*

* *in domum domini ibimus.*

2 *Stantes erant pedes nostri:*

1.Cor.13. Psal.145.

* *in atriis tuis Hierusalem.*

3 *Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas:*

1.Cor.3.

* *cuius participatio eius in idipsum.*

4 *Illuc enim ascenderunt tribus tribus domini:*

Apoc.7.

* *testimonium Israël:*

* *ad confitendum nomini domini.*

Apoc.4. 5 *Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.*

GAudio magno gauisus est spiritus meus, propter gaudiosissima illa nuncia, quæ mihi partim exteriori Christi, apostolorũ, aliorumq; fidelium veritatis prædicatorum magisterio sunt annunciata, partim interna spiritus vnctione facta sunt credibilia: * nimirum ℣ in domum domini, in supernam illam ac multo beatissimã Hierusalem (à qua multis annorum seculis exulrauit, propter pręuaricationẽ, genus nostrum) apertaper Christum porta, simus ingressuri, quicunque crediturí sumus in nomine eius, beatissimilsque angelicis spiritibus illic cõiungendi. Nunquid nõ hęc iustissima nobis esse debet lætitiæ causa? 2. Præ nimio desiderio quo à te ferimur, ô præcellentissima domus domini, etiã nunc, donec hic in terra quasi in exilio & peregrinatione cõsistimus, leuamus nõnũquàm in cælestes mãsiones vires spiritus nostri: & licet carne in terra positi, mente tamen & affectu voluntatis terras relinquimus, subinde & in cælos ascendimus: * sicque velut in atria tua, inque anteriora tua pertingimus, ô ciuitas sancta Hierusalem, veluti per rimulas quasdam, & per ænigmata cõtemplantes ea quæ gerũtur in te: sed in interiora inque cubilia ipsa (in quib⁹ exultant sancti ciues tui, qui iam intra te recepti sunt) nequaquàm adhuc peruenire possumus. Imò neq; in ipsis tuis atrijs sedere nobis aut habitare permittit carnis nostrę fragilitas, sed tantũ stare & permanere aliquantulũ, veluti mox aliò auocandis siue potius abstrahendis. 3. Hierusalẽ illa q̃ loquor, ad quã suspiro ipsa est illa superna beatorũ omniũ mansio, quæ in modum ciuitatis in cælis construitur ex viuis lapidibus optime politis, & prorsus immaculatis, qui sibi per spiritum sanctũ coædificantur, & cõglutinantur, cõnexione indissolubili, & semper duratura, cuius ædificij architectus est Deus, ministri verò operis & coadiutores, sancti angeli, apostoli, prophetę, atq; doctores, & alij in hominibus pręcipui, quos Deo cõplacuit sibi assumere in adiutores operis sui: * huius autẽ ciuitatis maxima omnino est ineffabilis vnitas, quoniã est ipsius participatio siue cõmunio simul cũ seipsa: hoc est, ipsa coniũcta est sibiipsi simul: quoniã in ea ciues oẽs omnibus & singuli singulis, ineffabili charitatis cõpagine cõiuncti sunt pariter atq; conglutinati inuicẽ. 4. Si quis verò me roget, vnde spẽ istã conceperim ingrediendi in beatissimã illam domum Dei, ecce iam illuc ingressi sunt priores, iáque illuc ascenderunt (vt credimus diuinis edocti oraculis) plurimi, quos dinumerare nemo possit, ex omnibus tribubus, ex omnibus gentibus, linguis & populis, stantes ante thronum Dei: * qui sunt Israëli (id est, fidelium populo qui adhuc per fidem Deũ hic speculatur) in testimoniũ, ℣ etiam ipsi per fidem in qua sunt, & fidelem Dei seruitutem, qua nunc ei placere curant, illuc sint secuturi & peruenturi, quo iam priores illi accepta à laboribus requie sunt introducti: * ascenderunt, inquam, ad dandam gloriam & honorẽ & benedictionem omnipotẽti Deo in sæcula sæculorũ: quod illorum erit opus idem & sempiternũ, à quo non habebunt requiem neque nocte neque die, sine fatigatione semper collaudantes dominum. 5. Et (quod amplius est, firmioremque fidem electis facit) sunt iam in ciuitate illa ex fratribus generis nostri, ex hominibus constituti iudices, ad iudicãdum domũ Dauid: hoc est, duodecim tribus Israël: quibus iam iudiciariæ sedes positæ atque paratæ sunt, in quibus ipsi tanquã seniores & præfecti populi domini cũ ipso domino venturi sunt ad iudicium, hoc est, quibus data est à primo iudice Christo domino potestas iudiciaria & au-

thoritas assessoria, vt in die regenerationis, cũ eo veniãt cui dedit pater iudicium facere, sedeantque super thronos suos iudicantes duodecim tribus Israël, tanq̃ primi iudicis assessores, & approbatores sententiæ illius. Quòd si ex hominibus, illuc assumpti sunt etiam iudices, qui hìc perfecerunt voluntatem domini, & perseuerantes sese exhibuerunt in tentationibus: neque regnũ modo æternũ, sed insuper etiam potestatem hanc tã singularem accipere meruerunt: quomodo non speremus etiã nos illuc vel vt ouiculæ simplices ingredi, faciẽtes voluntatẽ illius? Matth.15. Ioan.5.

VOX MILITANTIVM AD CIVES CÆLESTIS HIERVSALEM.

6 *Rogate quæ ad pacem sunt, Hierusalem:*

* *& abundantia diligentibus te.*

7 *Fiat pax in virtute tua:*

* *& abundantia in turribus tuis.*

6. O vos modo ciues cælestis Hierusalem, qui beatissimã illam mansionẽ inhabitatis, rogate, petite, & postulate nobis in corpore isto adhuc militãtibus, atque peregrinantibus, qui adhuc in mille periculis versamur, postulate, inquã, nobis ab illo cuius vultui præsentes iam astatis, cuius societate atq; cõspectu familiarissime perfruimini, ea quæ ad verã cordis nostri pacẽ faciunt, id est salutarem gratiam Dei, & spiritualia bona, per quæ sola pax vera est in cordibus fidelium: * & veniat adiutorio intercessionis vestræ à domino omniũ verè bonorũ fœcunditas, vbertas, & abundãtia, in ijs qui te vero amore diligunt, te verè desiderãt, ad te ex animo suspirãt, id est, qui dignos se exhibere studẽt, vt tuis ordinibus aliquãdo inserantur. 7. Veniat pax nobis in hoc turbulento sæculo adhuc militantibus qui sumus virtus tua, siue exercitus tuus, ad te spectãs, & tibi pertinens: veniat, inquã, in nobis exercitutuo vestris orationibus à Deo nostro pax vera: quãdoquidem pacẽ hanc quam petimus, mundus dare nõ potest: propter ℣, à superna virtute (quæ etiam vos in pace firmat) illam expectare habemus necessarium: * & abundãtia bonorum omnium spiritualiumque charismatum veniat (obsecro) in ijs, qui se velut propugnacula exhibent militantis Ecclesiæ & exercitus duces. Tales enim à quibus inferiorum aliorum magna ex parte bonũ dependet, sicuti præ cæteris fortitudine opus habent ad rectã domus Dei defensionẽ, ita pro eis specialiter etiã postulamus, vt repleantur omnibus spiritualibus virtutibus, vt suo exercitui, id est, cõmisso sibi populo propugnando, gubernãdoque sufficiant.

8 Propter fratresmeos, & proximos meos, loquebar pacem de te.

CIVIVM SVPERNORVM RESPONSIO.

8. Propterea ℣ fratres nostri, ac proximi sitis vos, licet in corpore militantes, qui eandem quam nos iam peregimus militiam adhuc militatis, ad eandem quoque in qua nos viuimus vitam & gloriam prædestinati, omnino libentissimo animo loqui volumus semper bona pro vobis apud dominum Deum nostrum, postulãdo vt impleat de vobis bonam voluntatem suam adimpleatque prædestinationem vestram: & hoc ipsum agimus semper, & iam agebamus, eramusque facturi, etiãsi non ita humiliter nos fuissetis deprecati.

9 Propter domum domini Dei nostri, quæsiui bona tibi.

9. Propter domum Dei, & ciuitatem istam, in qua nos iam ædificati sumus, & in quam vos quoque coædificandi estis, complendam atque perficiendam, quam scimus ex electis Ecclesiæ militantis compleri debere, promptissimi atque ardentissimi sumus, ad postulandum vobis à domino quæcunque verè bona sunt, & salutaria: vt hac ratione citius perficiatur nostrę ciuitatis cõsummatio, quam ipsi quoque summè desideramus.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXI.

VErsu 3. Cuius participatio eius in idipsum. In idipsum accipiatur, vt valeat Simul, aut Pariter: quoniam dictio Hebræa quæ hìc ponitur, Ita significat: quomodo etiam psal.4. dicitur, In pace in idipsum, id est, Simul vel Pariter Pro intellectu autem eius quod dicitur, participationem ciuitatis Hierusalem esse in idipsum, non diuersitatem inter ædificationem ædificiorum corporalium & huius spiritualis ædificationis. In ædificijs enim corporalibus, hic lapis cũ illo proximo sibi cõtiguo lapide tantũ coniunctus est, nõ autem cum cæteris, licet in eodẽ ædificio simul cõpactis. Longè verò aliter est in ædificio illo cælesti, vbi ineffabili modo singuli singulis proximi sunt, singuli cohærent, atque cõglutinati sunt singulis, qui in eodẽ ædificio sunt coædificati, & habent singuli cũ omnibus ineffabilem & incõprehensibilem communionem atque participationem, idque per vnum illud summè bonum, cum quo singuli perfectè sunt vnum, & in quo ratione consequenti omnes sunt vnum. Est etiam cõmunio & societas ciuium cælestium adinuicẽ, quatenus in vno omnes cõueniunt, quatenus vnum, idem, indiuisum & inuariatũ est bonum omniũ, ℣ simul omnes possident, quo simul omnes fruuntur, vna est beatitudo omniũ, vna æternitas, vnum regnum, vn⁹ panis, vnus rex, vnum cõuiuium, vna satietas, vna ebrietas, vna omnis boni plenitudo: & omnino omnia ibi sunt vnum, vbi vnum est ℣ sufficit omnib⁹, cum hìc inter mortales (vbi nihil est ℣ omnib⁹ sufficiat) diuisa sint omnia. ¶ Versu. 4. Illuc enim ascenderunt tribus, &c. Israël datiui casus est, quemadmodum mõstrat litera Lamed in Hebræo adiuncta, quæ solet esse nota casus datiui, valetque oratio acsi dicas, Testimonium ipsi

ipſi Iſraëli. Et debet illud iuxta ſuprapoſitam enarrationẽ accipi, quaſi per parentheſim interiectum, E
hoc modo. Illuc aſcenderunt tribus tribus domini (teſtimoniũ Iſraël) ad confitendũ nomini domini:
eſſetq; oratio clarior, mutato ordine verborũ, illuc aſcenderunt ad cõfitendũ nomini domini tribus
trib⁹ domini, teſtimoniũ Iſraël. Quod aũt dicitur per repetitionẽ, tribus trib⁹ domini, videtur ſolito
ſcripturarũ more vniuerſalitatem indicare: quaſi dicatur, oẽs tribus, ſiue ex omnibus tribubus aliqui,
quemadmodũ generatio & generatio, progenies & progenies, pro omni generatione, & omni pro-
genie: & ſæculũ ſæculi, pro omnibus ſęculis, in ſcriptura ſolent accipi. Quãuis poſſet & aliter iſtud in
telligi, vt cauſa diſtinctionis electorũ à reprobis, poſt primũ tribus, iterum adijciatur cũ determina-
tione, tribus domini: ad hunc modũ, Illuc enim aſcenderunt tribus, non quælibet tamen tribus, ſed
tribus domini, qui ſunt electi Dei. ¶Verſu. 5. Quia illic ſederunt ſedes in iudicio. Quòd ſedes ſedere
dicantur, mirũ forſitan videbitur. Quomodo enim ſedẽt ſedes? Soluitur aũt duplici via hoc incõmo
dum. Primũ quidem, ſi verbum Sederunt accipiamus impropriè: vt valeat, Ad ſedendũ conſtitutæ vel
poſitæ ſunt, ſituatæ ſunt: aut (vt barbare ita rẽ exprimamus) ſedes ſedeatæ ſunt. Aliter ſederunt ſedes,
quoniã ipſi apoſtoli, qui ſedent ſuper ſedes duodecim, ſecundũ eã quã acceperunt ſpecialem à Chri-
ſto authoritatẽ, ipſi ſimul etiã ſedes ſunt, in quibus nimirũ ſecundum gloriã ſuam ipſe reſidebit, quan
Pſal. 99. do ad iudiciũ veniet glorioſus: cũ ſuper cherubin ſedere dicitur, & inter ordines angelorũ throni F
diſtinguuntur. ¶Verſu. 8. & 9. Propter fratres meos & proximos meos, loquebar pacẽ de te: Propter
domũ domini Dei noſtri, quæſiui bona tibi. Vulgo hos verſus ſic accipiunt, vt cõtinuent ſermonem
ciues militantis Eccleſiæ, quibus verſus duo pręcedentes cõueniunt. Nos aũté in Elucidatione expo-
nimus, vt reſponſionẽ ſupernę Hieruſalem, ad deprecationem duobus prioribus verſibus à militati-
bus propoſitã, Cui noſtræ ſententiæ non parum fauere videbitur originalis lectio Hebræa, ſi eã dili-
gentius penitjusque introſpexerimus. Primũ enim, quæ vulgata lectio habet per tẽpus prẽteritum, il
la habet per futurũ & verba illa Hebræa: ſignanter in fœmineo ponuntur genere, adiecta & particula
blandientis, ſermonemq; facientis dulcẽſcere: ad hũc modum, Propter fratres meos, & amicos, vel
ſocios meos, loquar nunc pacem de te, vel precabor certe ſiue vtique pacem tibi, ſiue pro te. Propter
domum domini Dei noſtri quæram, vel precabor bona tibi. Quòd autem verba illa (quemad-
modum Hebræum inſpicientibus eſt manifeſtiſsimum) adiecta in fine he litera, in genere fœmineo
ſignanter ponuntur, anſam nobis præbent & audaciam, vt præter aliorũ interpretationes, hos duos
verſus, tanquam ab ipſa ciuitate Hieruſalem pronunciatos, accipiamus, & exponamus: vt ſub gene-
re fœmineo, illam quæ ſurſum eſt Hieruſalem matrem noſtram, ſponſam agni, accipiamus, ſuis filijs
Galat. 4. Apoc. 21. adhuc in militia & antemurali degentibus, ſuauis eloquij blanditijs acclamantem, eorumq; pro-
miſſæ orationi dulciter reſpondentem.

CXXII. PSALMI ARGVMENTVM. G

POſitus in afflictione atque perſecutione impiorum ſeruus fidelis, ad dominum leuat oculos, cuius ſe ſeruum agnoſcit, adq; illius adiutricem & liberatricem manum aſpicit, & ab eo miſericordiam inſtanter poſtulat, vt de iniquis manibus diuitum atque ſuperborum ſæculi (qui amaritudine replent animam eius) Dei iudicio liberetur.

CENTESIMIVIGESIMISECVNDI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Ad te leuaui oculos meos, q̃ habitas incælis.*
2 *Ecce ſicut oculi ſeruorum, in manibus dominorum ſuorum.*
3 *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.*
4 *Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri:*
* *quia multum repleti ſumus deſpectione.*
5 *Quia multum repleta eſt anima noſtra:* * *opprobriũ abundantibus, & deſpectio ſuperbis.*

AD te, domine Deus omnipotens, cælorum inhabitator, leuaui oculos cordis, atque etiam corporis mei, tanquã ad eũ in quo ſpes mea omnis poſita eſt, & à quo expecto auxilium, ſimul atque protectionẽ, & omne omnino bonum, tam corporis quàm animæ meæ. 2. Ecce quemadmodum oculi tẽporalium ſeruorum ſemper ad manus dominorum ſuorum reſpiciunt. 3. Et quemadmodum oculi ſeruarum ad manus reſpiciunt dominarum ſuarum, ad eundem modum & nos ſerui tui oculis noſtris ad tuas manus ſemper aſpicimus, vt miſe- H
ricordiam tuam conſequamur, nempe vt tu pro nobis facias contra op
primentes iudicium: & quæcunque nobis ſalutaria cognoueris, dones
liberaliter: quemadmodum ſeruos ſuos defendere ſolent ab iniurianti-
bus domini, & in neceſſarijs omnibus ſuſtentare. 4. Miſercordiam tuã
Deus monſtra nobis: iterum clamo (quo amplius tibi affectum animi
mei geminato clamore teſter) fac miſericorditer nobiſcum Deus: *ve-
hementer enim nobis opus eſt miſericordia, quia valde oppleti ſumus,
& quaſi plus quàm ferre commodè poſſimus grauati ſumus deſpectio-
ne, iniuria, & opprobrio, quod ab inimicis & oppreſſoribus noſtris,
tam dęmonibus inuiſibilibus, quàm alijs viſibilibus hoſtibus patimur.
5. Verè plurimum grauati ſumus deſpectione, oppreſsione, & perſe-
cutione inimicorum noſtrorum, ita vt penetrauerint modo quodam
in interiora, vſque ad cordis dolorem, & vſque ad animam noſtram:
* diuitibus huius ſæculi (qui tẽporalibus abundant bonis) fuimus op-
probrium atque irriſio, & ſuperbis huius ſæculi fuimus ludibrio, noſ-
que ſibi veluti ludũ faciunt, dum pro ſuo libito ſine miſericordia no-
ſtra tractant modis indignis, tuum timorem nõ habentes ante oculos.

ANNO-

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXII. A

VErſu 2. & 3. Ecce ſicut oculi ſeruorum, &c. Pro intellectu comparationis illius, quæ eſt tempo-
ralium ſeruorum ad temporales dominos, & ſeruorum Dei ad ipſum cæleſtẽ dominum, nota,
quòd triplici ratione ſumi poteſt hæc ſimilitudo comparationis. Quemadmodum enim ſerui, ſi quã
patiantur iniuriam aut oppreſsionem, non ſeipſos vindicare debent, neque ſeipſos liberare ſufficiũt
de opprimentium poteſtate, ſed vindictam dominis ſuis committunt, eamq; à manibus dominorũ
expectant, vt pro eis faciant iudicium, eosq; liberent de manibus affligentium: ita & nos cùm affli- Deut. 32.
gimur, & iniuſte premimur, domino Deo noſtro (cuius eſt vltio) cõmittimus iudicium, & ad manus Roma. 12.
eius reſpiciunt oculi noſtri, vt noſtri miſertus nos liberet, faciatq; pro nobis ipſe, nõ ipſi pro nobis
iudicium. Rurſum, quemadmodum ſerui à liberalitate dominorum petunt & expectãt quæcunq; eis
ſunt neceſſaria, ita & nos ad liberalem Dei noſtri manum ſemper reſpicimus, quacunque re nos indi Iacob. 1.
gere contigerit, ſcientes, quoniã inde omne datum optimum & donum perfectũ deſcendere debeat.
Denique, quando propter delictum à domino ſeruus flagris cædi tur, quemadmodũ inter verbera ad
manus dominorũ cædentium ſerui reſpiciunt, expectantes nimirum vt à verbere ceſſet manus ferien-
tis: ita quũ noſtris exigentibus culpis iuſte à Deo, ſiue in ſpiritu, ſiue ſecundum corpus affligi permit
timur, ad illius vltrices manus, quibus nos puniri attendimus, mentis oculis aſpicimus, placationem
B diuinæ iræ expectẽtes & expetãtes vt ceſſet plaga, deſinatq;, à nobis vltrix manus eius. ¶Notandum
inſuper, q̃ diſtincte dicuntur oculi ſeruorũ eſſe in manibus dominorũ ſuorum, & oculi ancillæ ſiue
ſeruæ in manibus dominæ ſuæ, propterea q̃ vbi ordinata eſt familia & recte diſpoſita, quemadmodũ
ſuper ſeruos immediatũ habet herus dominium, & eorũ gerit curã immediatã vir ſuper viros: ita he-
ra ſuper ancillas ſiue ſeruas immediatum habet dominiũ, & immediatã gerit earũ curã, nimirum fœ-
mina ſuper fœminas. Vbi autem id nõ ſeruatur, cõfuſus eſt ordo familiæ. ¶Sed & illud non indignum
eſt notatu, quemadmodum oculi ſeruorũ in manibus dominorũ dicãtur, quia videlicet manus eorũ
aſpiciunt, ſuntq; ad illas intenti, iuxta eum loquendi modum quo ſapiens quidã vtitur, dicens: Oculi
ſtultorum in finibus terræ: quo verbo ſignificat, oculos ſtultorum quaſi inſtabiles & vagabundos
quoquouerſum aſpicere, ad omnia attendere, & nihil nõ perluſtratũ relinquere. Quod autem in ver-
ſu ſequenti, anima repleta dicitur deſpectione & contemptu improborum, ſignificat graviſsima op- Pſal. 78.
probria quibus ab impijs afficiuntur ſancti: quomodo alibi volens graviſsimam ſignificare tribula-
tionem exclamat, Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.

CXXIII. PSALMI ARGVMENTVM.

C VOx eſt totius Eccleſiæ, totius populi fidelis, Dei benignitati atque cuſtodiæ ſuã ſalutem omnem aſcriben-
tis, proq; ſua liberatione ſaluatorem dominum ex affectu collaudãtis. Poteſt etiam vnus quilibet de fide-
lium populo congrue eandem hanc vocem ſibi aſſumere, agnoſcens ſpecialem erga ſe Dei liberationem de peri-
culis eiuſmodi, quæ ſua virtute non exiſtimat ſe potuiſſe effugere.

CXXIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Niſi quia dominus erat in nobis, dicat nũc Iſraël:* * *niſi quia dominus erat in nobis.*
2 *Cùm exurgerent homines in nos, forte viuos deglutiſſent nos.* D
3 *Cũ iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos.*
4 *Torrentem pertranſiuit anima noſtra:*
* *forſitã pertranſiſſet anima noſtra aquã intolerabilem.*

NIſi fuiſſet nobiſcum dominus Deus noſter, & niſi in medio noſtrorũ ipſe adfuiſſet quaſi adiutor: iure optimo fidenter hoc agnoſcere, ac profiteri ingenue poteſt & debet populus omnis fidelis, & vnuſquiſq; ex numero ſeruorum Dei: *niſi, inquam, dominus in adiutorium adfuiſſet nobis ſeruis ſuis. 2. In die perſequutionis aut tentationis, quando inſurrexiſſent in nos dæmones aut homines maligni, ad tentandum nos ſiue perſequendum, ſatis veri-
ſimile eſt, aut potius vix dubitandum illos facile nobis fuiſſe præualiturос, & quaſi pro nihilo nos aſſumpturos: quomodo ſolent maiora animalia fera, animalcula minora etiam viuentia, quaſi pro nihilo deglutire. Non enim eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur violen- Iob 41.
tiæ dæmonis, qui tam in ſe quàm in peruerſis hominibus ſemper infe- Lucæ 22.
ſtus eſt ſeruis Dei, qui etiam primos illos & electiſsimos apoſtolos ex-
petiuit vt cribraret ſicut triticum. 3. In die belli & tentationis, quando
iram furoris ſui demonſtrabant aduerſum nos, omnibus modis noce-
re nobis cupientes, ſatis eſt veriſimile, imò vix dubitandum, ab imma-
nitate perſequutionis & grauitate tribulationis, quam ſuper nos accu-
mulabant, nos fuiſſe obruendos & demergendos in conſenſum pecca-
torum & profundum inferni, quomodo ſolent ab inundantium aqua-
rum magnitudine homines abſorberi. 4. Nunc quidem Dei gratia &
auxilio ſancta Eccleſia cum ſuis membris perſequutionem grauiſsi-
mam, in magni torrentis modum, cum impetu maximo, & per vniuer-
ſum orbem rapidiſsime ſæuientem, euaſit, non ſubmerſa impetu neq;
obruta fluctibus: * verum niſi dominus fuiſſet cum ea indubie experta
fuiſſet aquam impertranſibilem, nec vnquam tam ſæuiſsimas perſecu-
tiones ſalua potuiſſet euadere. Ita & nos ſinguli, qui ſumus Eccleſiæ
membra, frequenter nos validas tentationes meminimus effugiſſe, &

Z eua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

5 *Benedictus dominus qui nō dedit nos in captionē dētibus eorum.*
6 *Anima nostra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.*
7 *Laqueus contritus eſt:*
**& nos liberati ſumus.*

8 *Adiutoriū noſtrum in nomine domini:*
** qui fecit cælum & terram.*

euaſiſſe liberos, quas ſine Dei auxilio ſpeciali ſcimus plane fuiſſe nobis, vel difficillimum, vel omnino impoſsibile, vt effugeremus. 5. Sit proinde laudatus dominus Deus liberationis noſtræ author, qui non permiſit nos venire in prædam, qui non eſt paſſus capi nos ab aduerſarijs noſtris, coſque nobis prævalere malitioſa & inuidia potentia ſua, qua nos cupiebāt diſcerpere, dilacerare, & ad mortē vſq; nos perdere. 6. Quemadmodum paſſer aut auis quælibet quæ rete effugit aucupis, euolat libera: ita nos de laqueis & inſidijs dæmonum (qui admodum venatorum longo & maximo labore ad mortem perſequuti ſunt animas noſtras) Dei gratia liberi euaſimus, ſalui futuri, (quemadmodum in ſpe filiorum Dei confidimus) in vitam æternam. 7. Laqueus mortis, in quo per peccata tenebamur impliciti atq; captiui, per Chriſtum dominum contritus atq; confractus eſt, ſuntque peccatorum vincula per eundem diſrupta:* & nos quicunq; in Chriſtū liberatorem credimus, ſaluati ac liberati ſumus de nexibus mortis, à morte tranſlati ad vitam: & quum nobis frequenter inſidias ponunt, ac laqueos tendunt tentatores maligni, cōterit Deus laqueos illos, nosq; liberat, vt nō illaqueemur, neque implicemur in eis, dum per gratiam ſuam illos nobis latētes demōſtrat, ſicque ſuo ducatu pedes noſtros dirigit, vt nō inuoluamur in eis. 8. Proinde quemadmodū hactenus omne auxilium expectauimus non à nobiſipſis, non in potentia, ſapientia, aut virtute noſtra, ſed à Deo omnipotente, ita etiam amodo omne adiutorium noſtrum in illo conſtituere, ab illo volumus expectare:* qui eſt omnipotens, cæli, terræ & omnium quæ in eis ſunt, creator, ſolus ad præbendū adiutorium miſeris, & potentiſsimus & benigniſsimus.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXIII.

VErſu 1. Niſi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, niſi quia dominus erat in nobis. Magnam gratiam habet illa repetitio verbi in quo pondus eſt, eius videlicet. Niſi quia dominus erat in nobis, & illa interpoſitio exhortationis, dicat nunc Iſraël: quemadmodum & in alio pſalmo dicitur, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſraël, ſæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, &c. Illud autem nunc, tempus nō ſignificat: ſed interiectio quædam eſt: ſermoni dans aliquam plenitudinis emphaſim, in hunc ſenſum, Dicat certè hoc Iſraël, vel merito vtique hoc fateatur Iſraël, quòd niſi dominus fuiſſet in nobis, &c. Enunciatio autem illa, Niſi quia dominus erat in nobis, ſecundum figuram eſt Græcanici ſermonis. Sic enim in Græco legitur εἰ μὴ ὅτι κύριος ἦν ἐν ἡμῖν. Secūdū proprietatē autem ſermonis Hebræi, oratio hæc ita efferretur, Niſi dominus qui erat in nobis, vel niſi dominus qui fuit in nobis, ſiue pro nobis. Secundū verò formā Latinæ eloquutionis, ita clarius dicitur, Niſi dominus fuiſſet in nobis (quomodo in ſua verſione legit Hieronymus, item & Felix) forma ſermonis Hebraica cōmutata ad formam linguæ Latinæ. Formam autem illam Græci ſermonis, & alijs aliquot pſalmorum locis inuenimus: vt pſalmo nonageſimo tertio, Niſi quia dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea, & pſal. 118. Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, tunc forte perijſſem in humilitate mea. Quæ iuxta formā ſermonis Latini clarius ita efferrentur, Niſi dominus adiuuiſſet me. Et, Niſi lex tua meditatio mea eſſet, vel fuiſſet, &c. ℂ Verſu 2. Forte viuos deglutiſſent nos. Cùm forte audis, nō ita accipias, quaſi cum dubitatione fidelis proferat quod dicit de ſua liberatione. Nequaquam enim dubitando, ſed vt certiſsima conſtanter pronunciando, loqui illa debemus. Habet enim gratiā oratio, & aliquid ſingularis emphaſis, cùm ſermonis vtimur modeſtia, animo tamen veritatem rei certam tenemus atque indubitatam: quemadmodum econtrario, turpe eſt & hominis parum pudentis, cōſtanter ſine formidine pronunciare, in re quam vel ignores vel nō ſatis ſcias. Simili loquendi modo, in alio pſalmo dicitur, ex ore domini: Iſraël ſi in vijs meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem. ℂ Verſu 2. tertio, & quarto. Cùm exurgerent homines in nos, forte viuos deglutiſſent nos. Veriſsimum eſt quod dicitur, ſine peculiari Dei auxilio fidelibus futuram fuiſſe intolerabilem perſequutionem, & quaſi nimiis aquarum inundātium fluctibus, Eccleſiam obruendam. Nunquam enim ſancta Eccleſia in tantis perſecutionum fluctibus quas partim à ſæculi potentibus, partim à mundi ſapientibus, partim ab hæreſiarchis, partim ab aëris poteſtatibus, & in primordijs ſuſtinuit nimium graues, & in nouiſsimo ſentiet grauiſsimas ſtabilis perſtare potuiſſet aut poterit, niſi ſpecialiſsimo Dei profecta auxilio: neque item ſerui Dei in ſuis tentationibus, quæ ſubinde videntur intolerabiles, perſtare poſſent, niſi ſuperno fulti auxilio.

CXXIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

TRactat Pſalmus iſte de ſtabilitate & ſecuritate eorum qui confidunt in domino, qui veluti in medio montium ſecuri poſiti, Deum inſuper habent ex omni parte cuſtodem atque protectorem, qui virgam impietatis ſuper ſuam ſortem, id eſt, ſuper ſeruos ſuos (Pars enim domini populus eius) requieſcere non patitur, ſed benefacit eiſdem, & cum impios in peccata declinantes in iudicium adducat condemnationis, pacem ex oppoſito donat omnibus qui recto ſunt corde.

CXXIIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Qui confidunt in domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.*
2 *Montes in circuitu eius:*
**& dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nūc et vſque in ſæculū.*
3 *Quia nō derelinquet dominus virgā peccatorum ſuper ſortem iuſtorum:*
** vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.*

4 *Benefac domine, bonis & rectis corde.*

5 *Declinantes autem in obligationes, adducet dominus cum operantibus iniquitatem:*
** pax ſuper Iſraël.*

VI ſpem ſuam omnem atque fiduciam in domino Deo cōſtituunt, qui nunc mente atque affectu ſurſum habitant in ſuperna Hieruſalem, qui contemptis temporarijs quæ videntur, ad ea quæ non videntur æterna aſpiciunt: huiuſmodi ad modum montis Sion (qui immobilis eſt & cōturbari neſcit) non cōmouebūtur, neque perturbationem vllā ſentient malam in ſempiternum: ſed erunt ſtabiliti atque firmati, in eo in quo fixerunt ſpei ſuæ fiduciā. 2. Erunt huiuſmodi quaſi montibus circumcincti ex omni parte ſecuri, quomodo ſecura eſt ciuitas in medio montiū poſita: *& dominus Deus ipſe potenter ac diligenter cuſtodit per circuitum ex omni parte ſeruos ſuos, ita vt ex nulla parte quicquā eis poſsit obuenire mali, neq; in vita iſta præſenti malum vllum peccati, neque in futuro mortis aut damnationis æternę. 3. Et quidem licet in præſenti forſitan virga paterna & diſciplina emendationis ſuos dominus ſubinde corripiat, nequaquam tamē faciet vel patietur venire ac permanere ſuper populum iuſtorum, ſuper ſeruos ſuos, virgā punitionis hominum impiorum: qua nimirum impios eſt nō ad emendationem ſed ad condemnationem, in die vltionis percuſſurus. Neque etiā permiſſurus eſt dominus, vt impij poteſtatem obtineant ſuper viros iuſtitię, neque illos patietur his prævalere: & quanquam ad tempus aliquantum ſubinde videantur impij prævalere bonis, nō diu tamē hęc durabit eorum poteſtas: *vt nō æmulentur iuſti peccatorum impietates, neque vlli ſe malo operi more peccatorum dedant. Si enim eadem eſſet ventura indignationis & condemnationis virga ſuper iuſtos & iniuſtos, non videretur, quorſum iuſto prodeſſet ſua iuſtitia: & ſi dominus impios virga poteſtatis ſuæ prævalere ſineret bonis, non eſſet qui eos à malo ſeruare poſſet. 4. Tu autē ô domine (qui diſcernis inter iuſtos ac iniuſtos, redditurus & iuſtis ſecūdum iuſtitiam, & iniuſtis ſecundum iniuſtitiam ſuam) benefac ſemper iuſtis tuis, & benigne age cum ijs qui erga te recto ſunt corde, quorum corda nulla peccati curuitate aut tortuoſitate à tuorum præceptorum diſſentiunt rectitudine, eiſq; præſta liberaliter beneficia & benedictiones tuas: nunc quidem ſpiritalis gratiæ, poſt verò æternæ gloriæ. 5. Eos autem qui derelicta rectitudine, ſe dant curuitatibus atque tortuoſitatibus iniquitatum, per quas (cùm ſint ſtipendia peccati mors) ad mortē ſeſe obligant, ſeq; ipſos veluti morti adiudicāt: hos dominus in venturo examine conſtituet ad ſiniſtram cum hœdis, cum operarijs iniquitatis, diabolo & angelis eius, cæterisque iā olim in hoc iudicium proſcriptis miniſtris eius, ſimilem cum his ſuper eos perpetuæ damnationis ſententiā prolaturus, in ignem æternum pariter eos iuſſurus diſcedere. *Super vniuerſam autē ſortem iuſtorum, ſuper populum fidelem, & ſuper Iſraël dei, pax & miſericordia eius requieſcet ſempiterna, ad quam nos tua ineffabili pietate Ieſu bone perducere digneris, qui cum tuo patre & ſpiritu ſancto viuis in omnia ſemper ſæcula benedictus, Amen.

Rom. 6.
Matt. 25.
Galat. 6.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXIIII.

VErſu 1. Qui confidunt in domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. Incommodum eſſe videtur orationis & nonnulla ſententiæ difficultas propter numeri diuerſitatem, qui à plurali mox tranſit ad ſingularem. Pro huius ergo difficultatis expeditione, notandum eſt, triplicem verſus propoſiti dari poſſe connexionem & intelligentiam, iuxta diuerſam partium adinuicem combinationem vel diſtinctionem. Prima eſt, partem extremam copulādo cum prima, ad eum modum quo in Elucidatione explicatum conſpicitur, vt ſit ſenſus, Qui confidunt in domino qui habitat in Hieruſalem, nō commouebitur in æternum, ſicut mons Sion qui firmus & ſtabilis moueri non poteſt. Neque verò nouum eſt in ſcripturis, ſubitam fieri numeri mutationem, quemadmodum etiam perſonæ aut generis non raro ſolet fieri ſubita cōmutatio. Altera eſt particulam vltimā, qui habitat, adiungēdo ad id quod vicinius præcedit ſecundum ordinem literæ, id eſt, ad montem Sion, vt ſit ſenſus: Eos qui in domino confidunt nō eſſe cōmouendos in æternum ſicut mōs Sion qui in Hieruſalē habitat (id eſt, ſitus, firmatus ſiue ſtabilitus eſt) commoueri non poteſt. Poteſt tertio verſus iſte ita diſtingui, Qui cōfidunt in domino, ſicut mōs Sion, ſupplendo erunt vel ſimile aliquot verbum, quod ſententiam compleat. Ac deinde, Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. Suppleto enim verbo facilis erit intelligentia, eos qui confidunt in domino eſſe ſicut montem Sion: & oratio quæ ſequitur, Non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem, quædam eſt expoſitio & declaratio partis mox præcuntis. Pene enim idem indicant.

¶Versu 2. Montes in circuitu eius. Montes illi qui in circuitu iustorum sunt, commode referri pos- E
sunt ad angelicam custodiam, qua nos muniri & ab aduersarijs, quasi montibus per circuitum adia-
Psal.33. centibus tutari, docet catholicę fidei rectum dogma. Vnde in alio Psalmo dicitur, Immittet angelus
Heb.1. domini in circuitu timentiũ eum, & eripiet eos: vel in Hebræo est castrametatur aut moratur per cir-
cuitum scilicet ad defendendũ ab hostibus, Et quia parum forsitan videri posset angelorum (qui sunt
administratorij tantum spiritus) custodia, nisi adesset & dominus, iccirco additur, Et dominus in cir-
cuitu populi sui. Quemadmodum in psalmo 120. cùm dixisset, Leuaui oculos meos in montes: mox
adiecit, Auxilium meum à domino. ¶Versu vltimo, Declinantes autem in obligationes. In nõnullis
exemplaribus vetustioribus repertũ est haberi, pro obligationes, obliquationes: quod proposito lo-
co rectè admodũ cõuenit, iuxta quod in Elucidatione est manifestum. Neque dissonat quod ex He-
bræo legitur, prauitates, vt vertit Hieronymus, aut peruersa vt Felix. Alij autem obliquitates vel tor-
tuositates vertunt, quæ omnia pro obliquationibus faciunt. Habet nihilominus vocabulum obliga-
tiones rectã & cõmodam intelligentiam. Nam præter eam quæ in Elucidatione monstrata est, pos-
sunt obligationes accipi pro peccatis, quibus anima obuoluitur, obligatur, innodatur & vincitur, vt
Psal.115. eædem hic dicantur obligationes, quæ supradicta sunt vincula, psal.115. Dirupisti vincula mea.

CXXV. PSALMI ARGVMENTVM. F

Psalmus iste de liberatione tractat quæ per Christum venit humano generi, ob quam à captiuitate miserãda diaboli, peccati & mortis, liberati fideles exultant in spiritu, & diuinum sua exultatione (licet inuidentibus & mirantibus inimicis) profitentur beneficium: poscentes versu quinto viuifico spiritus sancti flatu de captiuitate ad libertatem reduci eos qui adhuc per infidelitatem in captiuitate, sua propria voluntate detinentur. Deinde versu sexto vsque in finem, de passionibus huius temporis, quæ pro iustitia ijs qui pie volunt viuere in fidei veritate obueniunt, sese consolantur, spe æternæ retributionis attendentes, quòd vnusquisque quæ seminauerit, hæc & metet: & quoniam (iuxta domini promissum) beati erunt ac consolati in venturo retributionis tempore, qui nunc in luctu & patientia perseuerauerint.
Galat.6.
Matt.5.

CXXV. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *In conuertẽdo dominus captiuitatem Sion:*
**facti sumus sicut consolati.*
2 *Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.*
3 *Tunc dicẽt inter gentes: * magnificauit dominus facere cum eis.*
4 *Magnificauit dominus facere nobiscum:*
Rom.6. **facti sumus lætantes.*
Rom.5. 5 *Conuertere domine captiuitatem nostram:*

** sicut torrens in austro.*

6 *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.*

VM conuerteret atq; auferret misericordiarum pater, & Deus totius consolationis captiuitatem populi sui, sub qua ante Christi aduentum, vniuersum premebatur genus humanum: * tunc quicunque in Christum G
credimus, quicunque sumus de populo eius, summam accepimus consolationem, & facti fuimus ex hoc gaudio spiritali verè gaudentes. 2. Tantum autem fuit ex hoc nostrum gaudium, vt ipsum corde celare totum non potuerimus, sed plena facta sint, ex abundantia cordis etiam ora nostra gaudiosis canticis & linguis nostris laudes confessionis atque exultationis cecinimus liberatori nostro. 3. Tunc inuidi dæmones tantam Dei dignationem admirantes, & præ inuidia dolentes, inter sese musitantes, item & infideles idololatræ admirantes dixerunt ad inuicem: *Ecce quàm magnifice fecit cum electis suis, cum genere hominum Deus omnipotens, quos tam dignanter, tam mirificè, à captiuitate & grauissima & maxime diuturna tandem absoluit. 4. Et verè ita est vt vos, licet per inuidiam, asseritis: & hoc ipsum quod vos dolentes fateri debetis, nos quoque gaudentes agnoscimus. Verè enim magnificè valde, & supra quam dicere sufficiamus magnificè, egit nobiscum dominus Deus noster: *& in hoc liberati à peccato, serui autem facti H
Deo, exultamus atque gloriamus in spe glorię, & in libertate filiorum Dei. 5. Tu domine, qui de captiuitate misera genus humanum fecisti liberum, perge quæso, cœptum opus implere: & captiuitatem humani generis cõuerte, id est, eos qui adhuc in sua captiuitate detinentur, propter infidelitatem, aut cætera peccata, in quibus per suæ proprię voluntatis prauitatem adhuc permanent sub seruitute pristina mortis, peccati, atq; diaboli: hos tu dignanter conuerte, & reduc eos de omnibus finibus orbis terrarum, ad libertatem quam parasti atque donasti omnibus credentibus sancto nomini tuo: *conuerte, inquam, vt ad te vndiquaque cõfluant, quasi aqua inundãs: quemadmodum torrens rapidus, qui ardente sole siccatus fluere cessat, flante australi vento, qui humectus est, & pluuias adducens, iterum suum fluxum atque rapidum cursum resumit, confluente ex omni parte aquarum copia. Et quomodo torrentes per austrum tepidum ventum niuibus calore solutis augentur & fluunt fortius. 6. Neque verò gaudium liberationis nostræ de captiuitate misera prohibere debent, aut vllo modo etiam perturbare

A turbare passiones huius temporis, momentaneæ & leues, quas in via iustitiæ sustinent qui pie volunt viuere: quandoquidem certissimum est, eos qui nunc luctu in pœnitentiæ opera Deo digna studiosè operãtur, in tempore retributionis suorum operum mercedem beatissimã Matth.5.
cum inæstimabili gaudio recepturos. Sic enim promisit veritas, consolationem & mercedem copiosam accepturos, foreque beatos, eos qui
7 Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. nunc lugent, atque in lachrymis seminant. 7. Eunt quidem nunc per viam huius vitæ, per viam arctam mandatorum Dei ambulant, atque procedunt de virtute in virtutem, tanquam flentes, lugentes, miseri atque despecti, quantum attinet ad corporis speciem: operantes quæ bona sunt & recta, & persequutiones atque miserias vitæ præsentis libenter sustinentes, quæ illis sunt veluti semina, ex quibus expectant in suo
8 Venientes autem venient cum exultatione: tempore fructum retributionis æternæ. 8. Cùm autem ij qui nunc per
** portantes manipulos* arctam viam ambulant redeuntes à peregrinatione & à via vitæ presen-
B *suos.* tis, ad patriam reuersi fuerint, ad quam suspiraverant, ad quam pergebant, tunc apparebunt intus ac foris pleni exultatione & gaudio: * habituri finem fuæ iustitiæ (in qua seminauerunt) vitam æternam, repor- Rom.6.
tantes fructum fidei ac patientiæ suæ salutem animarum suarum: sicut 1.Petr.1.
qui lætantur in messe, cùm de suis laboribus quos in seminando impenderunt, plenas tenent frugibus atque segeribus manus suas.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXV.

POsset psalmi istius intelligentia non inepte referri ad illam perfectam lætitiam, quæ ciuium cælestium erit, cùm post transitum huius vitæ (quę comparatione futuræ, captiuitas quædam est & exilium) ad perfectam libertatem peruenerint. Donec enim corpori huic mortali præsentes, peregri- 2.Cor.5.
namur adhuc à domino, de perfecta libertate nondum gloriari possumus. Cùm verò captiuitas ista auferetur penitus, tunc dabitur nobis plena consolatio, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc repleBuntur laudibus fauces nostræ, tunc qui in malitiis suis damnati sunt, cùm viderint insperatam bo- Psal.149.
norum gloriam, turbati timore horribili dicent intra se, Ecce quomodo computati sunt inter filios Sap.5.
Dei, & inter sanctos sors illorum est; & nos lætabimur in magnifica salute domini Dei nostri. Iuxta hanc autem intelligentiam, oratio quæ sit versu quinto, filiorum est captiuitatis qui in Ecclesia hac degunt militante, petentiũ à sua captiuitate conuerti in patriam, per flatum viuifici spiritus, ad modum torrentis qui flatu australi veuti colligitur. Neq; refert iuxta hanc intelligentiam, siue in hoc psal
C mo loqui faciamus eos qui iam in Ecclesia triumphante gloriantur, siue eos quia adhuc in captiuitate suspirant ad libertatem. Hoc tantum obseruandum est, sit ne triumphantibus aptetur, vt oratio illa versus quinti, tametsi à triumphantibus, pro militantibus tamen fieri intelligatur, ab illis postulantibus impleri numerum fratrum suorum. Si verò militanti applicetur Ecclesiæ, hoc est aduertendum, vt quæ initio psalmi præterito tempore dicuntur, per futurum intelligantur, iuxta modum scripturis nequaquam insolitum. ¶Versu 6. Mittentes semina sua. Per seminare, intelligitur operari: & semina mittere, est opera facere, sunt que ipsa opera semina, ex quibus modo in carne (dum tempus est) operatis, fructus expectatur vitæ æternæ. Sic enim & Paulus loquitur Galatis scribens, Quæ, inquit, se- Ibidem.
minauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Galat.6.
Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Et veluti declarans quid per seminare intelligat, statim subiungit, Bonũ autem facientes, nõ deficiamus: tẽpore enim suo metemus non desicientes. Ad intelligendum autẽ clarius ea quę hic de seminantibus in iustitia dicuntur, cõsideranda est cõditio seminantiũ corporale semen. Quemadmodũ enim agricola quãdo seminat, nullã prætendit Iacob.5.
lætitiam dũ à terra adeò nihil recipit, vt etiam semina bona in terram mittat corrumpenda, intus ta- Heb.11.
men gaudet & cõsolatus est animo spe venturæ messis, precio sum fructum terræ patienter expectas: Coloss.3.
ita fideles qui pie viuere volunt, nõ prætendunt in hoc tẽpore foris signa vlla lætitiæ, sed tristes viden- Ephes.4.
D tur, afflicti, egentes, angustiati: dum membra ac corpora sua mortificare super terram, dum veterem Galat.5.
hominem, cum actibus suis deponere, & carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifigere sollicite studẽt, dum aduersus mundũ ac mundi principẽ viriliter pugnant, dum arctã vitæ viam persequeranter retinere satagunt: verum intus, animo semper sunt gaudentes, propter spem beatæ remunerationis.

CXXVI. PSALMI ARGVMENTVM.

Videtur psalmus iste ad præcedentem pene cõtinuari. Quemadmodum enim ille de fidelium liberatione & captiuitatis dissolutione loquitur: ita hic de ædificatione domus Dei, quæ est ecclesia, & ex fidelibus cõponitur per Christum liberatis. Ac primum quidem ædificij huius Deum asserit primarium esse authorẽ & architectum, imò & custodem atque conseruatorem, sine quo nihil in hac re facit humana omnis potentia siue industria. Surgere tamen versu 3. monet eos qui adhuc in captiuitate residẽt, & in luce miserationum Dei sese à peccatis erigere: deinde, quam magnificet Deus electos, ex quibus domum suã componit, ex vẽturo retributionis tempore patefacit, quãdo manifestè in hæreditatẽ domini cernuntur ascripti. & fructui ventris Christo vesluti in mercedem assignati: qui post quã semel diuinitus fuerint liberati, sic amodo sunt in manu Dei, quomodo in manu robustorum sagittæ, ex quibus quisquis institutionem bonã susceperit, suã omnem voluntatem illis cõformando, confusionem non inueniet in nouissimo die, quando in porta exhibebitur iudicij ante tribunal Christi.

1 *Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.*

1.Tim.3.

1.Cor.3.
Philip.2.

2 *Nisi dominus custodierit ciuitatē, frustra vigilat qui custodit eā.*

Esa.62.
Hier.6.
Ezech.3.

3 *Vanum est vobis ante lucem surgere:*

* *surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.*

2.Cor.3.
Ioan.15.
2.Cor.3.
Philip.4.

4 *Cùm dederit dilectis suis somnum:*

* *ecce hæreditas domini filij:*

Ioan.1.
Rom.8.

* *merces fructus ventris.*

5 *Sicut sagittæ in manu potentis:*

E

Vemadmodum captiuitatem illā miserandā generis humani præter Deū auferre nemo potuit, ita quoq; ædificium Ecclesię sanctę (quę est domus Dei, & ex fidelibus liberatis cōponitur) sine Deo suscitari aut fieri nō poterit, adeò vt nisi dominus ipse domum hanc ædificare voluerit, frustra laborent, quicunq; sine ea quamlibet magnum conatum ad eius ædificationem adhibuerint: & quantūuis magnum insumpserint laborem, non efficient quicquā absque Dei (qui in hoc opere architectus esse debet) voluntate & auxilio: quanquā vt cooperatores & adiutores Dei, nōnihil possint in hac re homines, ad peccatorū conuersionē verbo & opere plurimum laborātes, & scientia Dei ad alios erudiendū prævalentes, alius plantādo, alius rigando, modo adsit eorū operi Deus architectus, qui incrementū prębeat qui operetur in nobis tā velle q̄ perficere, pro sua bona voluntate. 2. Deinde vt etiā extructa fuerit sancta Dei Ecclesia in modū ciuitatis firmæ, in qua singulę Ecclesię domus sunt atq; familiæ, cuius ciuitatis singuli fideles qui de captiuitate exierunt, ciues sunt & domestici: vt, inquam, si extructa fuerit ista ciuitas, nō poterit tamen absque Deo custodiri, atq; in sua dispositione rectè cōsistere, adeò vt nisi ille ad custodiā eius vigilauerit, fueritq; ad eam intentus in omni bono promouendā & à malo custodiendā, frustra sit conatus omnis ac diligentia hominis cuiuscunque, qui illam suis viribus, potentia, sapientia, aut industria humana custodire conatus fuerit: quanquā vt cooperatores & ministri Dei, nōnihil neq; parum hac in re possunt homines, in quibus est zelus domus Dei, quos super muros & super speculam ipse custodes posuit vineæ, & speculatores domus ac ciuitatis suæ. 3. Atque etiam si mane primo diluculo exurgatis, quomodo solent qui ad rem quamlibet perficiendam sunt ardentissimi, summamque diligentiam & conatum extremum adhibeatis, nihil proficietis, nihil efficietis, vanus erit labor vester: si absque Deo rem attentatis, si in vobis hac in re fiditis, si antequam lux diuinæ gratiæ atque visitationis exurgat, rē efficere conamini: * vos tamen ô captiuitatis filij, qui de captiuitate cupientes effugere, peccata vestra recogitatis in amaritudine pœnitētiæ, sicque panem vestrum in salutari dolore manducatis, nolite quasi re desperata permanere iacentes supini in miserijs vestris, sed ad lucem miserationis ac visitationis Dei expergiscimini: euigilate & exurgite, postquam diu iam satis, & heu nimium diu fedistis, imò iacuistis, & sordistis in peccatis vestris, neque apponatis amplius in illis permanere. Tametsi enim ex vobis tanquā ex vobis sufficientes non sitis ad exurgendum absque Deo, sine quo nihil potestis facere: sufficientia tamen virtutis ex ipso est, in quo vos cōfortante, poteritis omnia. 4. Neque verò mirum videri debet, si dictum est à domino & ædificari & custodiri debere domum ac ciuitatem suam, & sine eo nihil fieri posse quod ad salutem pertineat electorum suorum. Ecce enim cùm dominus ipse electis & prædestinatis seruis suis requiem dederit beatitudinis æternę, eosque in cubiculum suum introduxerit: * tunc apparebit, & tunc videbitur hæreditas eius & tota possessio, in qua inhabitabit & gloriatur, nempe electi fideles quos in filios Deus adoptauit, & quibus per gratiam suam potestatem dedit filios Dei fieri, ac conformes imaginis filij sui primogeniti. Hæc enim erit hęreditas, in qua inhabitabit & gloriabitur Deus, non fertiles campi, non densæ syluæ, non prata virentia, non montes aurei, sed filij gratiæ & gloriæ, quos habebit sibi in hæreditatem præclaram & pretiosam: * qui sane filij erunt merces & pręmiū Christi, qui fructus est virginalis vteri, in ventre virginis absque virili semine sola sancti spiritus operatione conceptus atque formatus. Cùm ergo electos suos tanti faciat Deus, vt eos præ hæreditate sua reputet, & mercedem Christi sui, mirúmne, id est, si hominis sola virtus ad hius domus Dei ædificationem, ad electorum salutem promouendam, per se nisi Deo principaliter operante nihil posit? Non enim patitur neq; vult suā sibi domum hęreditate & mercedē, ab alienis tantum parari, sed ipse sibi eam vult & ædificare & custodire. 5. Imò verò quo magis pateat, q̄ charos ac pretiosos habeat suos electos Deus, illud dico, quoniam sicut in manu hominis validi ac robusti sunt sagittæ, quę donec ab eo tenentur, difficile illi extorqueantur è manibus, cùm verò aduersum inimicum iaciuntur, potentes valde & efficaces sunt ad vulnerandum:

F

G

H

A * *ita filij excussorum.*

6 Beatus vir qui impleuit desiderium suū ex ipsis:

**non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.*

B

rādum: * ita sunt in manibus Dei, filij illi & electi, qui excussi sunt, siue de numero excussorum, à captiuitate per ipsum potenter liberati: neq; ipsi tantum primi illi apostoli atque discipuli, quos per se veritas ipsa excusit, verumetiā illorum filij, quos per euangeliū genuerunt, omnes qui per verbum eorum crediderunt veritati. 6. Et beatus erit qui desiderium & cor suum omne impleuerit talium doctrinis, monitis atque exemplis, qui secundum salutarem doctrinā ipsorum & vitę ac cōuersationis exempla, sic ex ipsis omnē voluntatis suæ affectū formare studuerint, vt ea ament quæ illi amanda verbo & exemplo docuerunt, nēpe cælestia, e contrario autem fugiant, cōtemnant quæ illi fugienda atque spernenda monstrarunt, nempe hęc transitoria: virtutes sectentur, detestantur vitia, quemadmodum priores illi docuerunt: * qui enim tales sese præstiterint, non erunt confusi in nouissimo die, quando exhibebuntur ante Christi tribunal: quando de omnibus cogitationibus, affectionibus, operibus, imò & verbis, accusantibus inimicis, erit iusto iudici reddenda ratio palam omnibus. Qui enim illis sese per omnia diligenter (quantum fragilitas humana patitur) conformauerit, habebit quod inimicis accusantibus & expostulantibus exactoribus, coram iudice iusto respondeat, neq; suscipiet confusionem in sententia damnationis, sed gloriā magis accipiet æternæ saluationis. Ad quam nos ædificator ecclesiæ sanctæ, fidelium iustificator & custos, Christe Iesu perducere digneris, qui cū patre & spiritu sancto in æternitate regnas benedictus, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXVI.

VErsu 4. Merces fructus vētris. Fructus ventris dicitur Christus dominus: quemadmodum propheta fructum terræ eum appellat, Et erit (inquiēs) fructus terræ sublimis. Et in psalmo dicitur, Et enim dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum, quod de fœcunditate virginis matris piè suprà diximus intelligendum. Et notandum, q̄ huius fructus virginei vteri merces ac prēmium sunt filij adoptionis, quoniā à patre ei dati sunt in portionem, hæreditatem, & possessionē, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, pro quibus ipse, & ventris fructus, & hostia placationis, & mediator reconciliationis fieri voluit. Quòd enim verbum caro factum est, quòd incarnatum vsq; ad mortem voluit humiliari, q̄ sepeliri, q̄ resurgere: deniq; quæcunque pro nostra liberatione fecit, aut pertulit, omnia propter electos, vt ipsi liberationē & salutem cōsequantur. Estq; tantorum laborum præmium & merces, & electorum salus. Quanquam enim suæ humilitatis passionibus, Christus vt homo promerueri suæ humanitatis exaltationem & glorificationem, sicque modo quodam etiā hæc glorificatio & exaltatio merces videri posit & præmiū fructus illius: illud tamen ex sacris scripturis constat, non ad hoc principaliter descendisse de cælis verbum patris, vt gloriam sibi compararet aut acquireret (satis enim illi erat bene, imò optime, cùm ab æterno Deus esset altissimus, etiamsi homo non esset temporaliter exaltatus) sed principaliter atque primario nostri gratia, id est, propter electos, descendit, & factus est vteri fructus inter homines homo, vt fieret ipse primogenitus in multis fratribus: Itaque præcipuum præmium merces primaria, quam ille veniebat quærere, fideles erat quibus potestatem comparauit, & dedit filios Dei fieri, per assumptionem humanæ naturæ in vtero virginis. Vnde in Psalmo 2. à patre ad filium dictum legimus, Postula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuā, & possessionem tuam terminos terrę. Offert enim pater filio in præmium & mercedē, quod illum nouit prę omnibus quęrere & quæsisse, nimirum hæreditatem & possessionem filiorum gratiæ. Quidam autem hanc assignāt intelligētiam, ecce hæreditas domini sunt filij, filij scilicet adoptionis sunt hæreditas Christi: & merces ac præmium domini sunt, fructus ventris, id est illi qui ex vtero gignuntur ecclesiæ, filij regenerationis & gratiæ, qui de vtero ecclesię ex aqua & spiritu sancto fuerint regenerati. Eritque tum nomen fructus, casus nominatiui, & idem sibi volent ambæ illæ partes, hæreditas domini sunt filij, & merces domini sunt fructus ventris: vt qui in priori parte appellantur hęreditas, in posteriori dicantur merces: & qui in priori filij. in posteriori dicantur fructus vētris. Posset tamen iuxta hanc constructionem alia dari intelligentia, vt nō eundem duæ partes istæ haberent sensum, in hunc modū: Ecce hæreditas domini sunt filij, & vicissim merces vel præmiū, & hęreditas illorū filiorum est fructus ventris, id est, Christus dominus: hoc est, Christus dominus pro hæreditate & prēmio habebit filios gratiæ, & vicissim ipsi filij gratiæ pro hęreditate sua & præmio habebunt Christum dominum. Atque in hunc sensum respicere videtur celebris ecclesiæ doctor Thomas Aquinas, in antiphona illa quæ huic psalmo in vesperis altissimi sacræ eucharistiæ sacramenti præcinitur in hunc modum, Fructus ventris virginalis, est hęreditas sanctorum, adimplens bonorum desiderium. Atque harum quidem sententiarum vtraque ex Hebræo rectè potest accipi, cùm in Hebræo fructus possit accipi in quolibet casu, eo quod nullum sit adiectum signum certum casum determinans. Græca tamen lectio neutram prædictarum intelligentiarum patitur, quæ sic habet: ἰδοὺ κληρονομία κυρίου οἱ υἱοὶ, ὁ μισθὸς τὸ καρπὸς τῆς γαστρός: vbi manifestum est, tum ex articulo addito, tum ex ipsa terminatione fructus esse casus genitiui, & regi à nomine merces, vt sit sensus, merces eius qui est fructus

Rom.8.
Ioan.1.
Pfal.2.

Esaiæ 4.
Pfal.84.

Rom.8.
Ioann.1.

Philip.2.

Rom.8.
Ioan.1.

ctus ventris. Propter quod, illa sententia quæ in Elucidatione explicatur, magis videtur conueniens. E
¶ Versu penultimo, Ita filij excussorum. Cùm dicitur, filij excussorum, genitiuus excussorum passiue
capitur, pro ijs qui excussi sunt ac liberati de iugo miseræ seruitutis. Et potest accipi oratio hæc im-
propriè, in eo sensu ac si dicatur: Filij de numero excussorum: vel secundum proprietatem sermonis
dicantur filij excussorum, ij qui secundù fidem per euãgelium geniti sunt ab illis primis filijs liberta-
tis, sanctis apostolis atq; discipulis domini, Omnes enim hi sic in manibus Dei sunt, quomodo in ma
nu potêtis sagittę: primum quidem, qui eos quos Deus liberauit, ac iustificauit, nemo potest cõdem-
Rom. 8. nare, vt sanctus apostolus ait: & nemo poterit electos rapere de manu pastoris, quomodo ipse ait in
Ioan. 10. Euangelio Item & cũ illos emiserit in virtute spiritus, quasi sagittas suas, ad depugnandum per veri-
tatis prædicationẽ aduersarias potestates & inimicos veritatis infideles, & peccatores salubriter vul-
tatis prædicationẽ aduersarias potestates & inimicos veritatis infideles, & peccatores salubriter vul-
nerandos, ac perimendos cõpunctione pœnitentiæ, vim & efficaciam magnam habebunt in virtute
spiritus, ad perficiendum omnia ad quæ missi fuerint: quemadmodum in primi fidei prædicatoribus
sanctis apostolis manifestè patuit, & quotidiana monstrat experientia in amicis Dei, quos ipse desti-
nat quasi sagittas ad peccatoru conuersionẽ, & in virtute spiritus facit viriliter cõtra diabolũ & om-
nem falsitate atq; vanitatẽ operari. Potẽ sunt etiam aliter sancti apostoli noui filij, intelligi filij excus-
sorum: id est, eorum qui à Deo excusi siue abiecti sunt, vtpote secundũ carnem existẽtes filij ludæo- F
rum, quorum gentẽ pro maxima parte sub tẽpore gratiæ veluti excussit Deus, quando illis sese indi-
Actu. 13. gnos facientibus ad gentes cõuerti iussit apostolos: quemadmodũ in Actis testatur Paulus apostolus.
¶ Versu vltimo, Non confundetur, cùm loqueretur inimicis suis in porta. Per id quod dicitur lo-
quendi inimicis in porta, intelligi rectissime videtur examẽ iudicij, quod in porta antiquitus solebat fieri
Psal. 67. palã omnibus: quemadmodũ etiamnum consuetudo est quibusdã. Vnde in alio psalmo dicitur, Ad-
uersum me loquebatur qui sedebant in porta, & in me psallebãt qui bibebãt vinum: per quos, iudi-
Ruth. 4. ces populi & potentes ac diuites intelligi videntur. Idipsum ex libri Ruth 4. cap. capite satis fit mani-
festum. Non est autem sic accipiendum, q̃ dicimur loquuturi inimicis nostris, quasi in Dei iudicio
prolixis contentionibus aut altercationibus cum inimicis nostris simus acturi causam nostrã, ad eum
modũ quo iudicia exercentur humana: sed more hominum dictum illud accipi debet, ad significan-
dum exactionẽ & expostulationẽ inimicorum, qui nostram damnationem requirent. Posset tamen &
ad exitum à corpore referri. Tunc enim quodãmodo inimicis nostris in porta loquemur, quando in
egressu de corpore mortis huius, iudici Christo præsentati, accusantibus inimicis, nostraq; mala pro-
ponentibus, respondere debebimus, & rationem pro omnibus ante iustum iudicem reddere.

CXXVII. PSALMI ARGVMENTVM.

Describitur beatus qui nunc timet dominum, eiusq; mãdata custodit, eo quòd pro operibus quæ in corpore G
est operatus, bonæ retributionis accipiet mercedem, qui etiam si secundum carnem sterilis videatur, se-
cundum spiritum tamen vxorem quã sibi elegit cælestem, sapientiam habet fœcundissimam, ex qua proles acci-
pit & multas & laudabiles, optimas, ac Deo placitas actiones: quæ illi omnes ex cælesti procedunt benedictione.
Tandem verò ad illos se in spiritu cõuertens propheta, aut vir quilibet iustus, cælestem eis benedictionem pre-
catur à domino, bona videlicet cælestis Hierusalem, filiorum filios & pacem electorum Dei: quæ quisquis acce-
perit, non deerit in omne bonum.

CXXVII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Beati omnes qui timent dominũ, qui ambulant in vijs eius.

2 Labores manuũ tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Prou. 31.

3 Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 1. Cor. 3. Galat. 6.

4 Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitum mensæ tuæ.

BEatus est nunc expectatione certa, pòst quoque item beatus futurus possessione secura, qui timet, reueretur, diligitque dominum Deum suum, qui in vijs mãdatorum eius studiose cõuersatur: diligenter attendens, vt ab ijs quæ illi displicuerint, abstineat: quæ verò placita esse illi nouit, sedulò perficiat. 2. Gaude, & lætare in spiritu quisquis talem te (perhibente testimoniũ tibi conscientia tua in spiritu sancto) agnoscis. Verè enim etiam nunc H
beatus ac fœlix es firmissima expectatione, & bona accipies reali fruitione, in retributione æternitatis: quia dabitur tibi de fructu manuum tuarum, comedesque de operibus quæ operatæ sunt manus tuæ, hoc est, pro operibus tuis quæ in timore domini in carne es operatus, merces tibi dabitur æternæ retributionis, in qua satietas est omnium bonorum. Vnusquisque enim mercedem accipiet secundum suum laborem. 3. Neque verò in futuro tantum sæculo futurus es beatus, aut bona percipies, verumetiam aliqua ex parte in præsenti tempore. Cælestis enim sapientia, quam tibi in vxorem adamasti, atque desponsasti, neq; quaquam erit sterilis tibi & infœcunda, sed fructum operum bonorũ copiosissimum proferet tibi, ad modum vitis fœcundæ, quæ per latera domus latè expansa, botros profert & plurimos & pinguissimos. Sic enim per omnem modum, qui cælestem sibi sapientiam desponsarunt, & cum illa conuiuunt assiduè, optimarum operationum pinguissimos botros copiosè progignunt ex ea. 4. Cogitationes quoque & affectiones piæ, quas tibi quasi filios quosdam pariet vxor tua, sic erunt quasi per circuitum, & ex omni parte, in secura cõscientia tua salubriter læ-

A *cuitu mensæ tuæ.*

tante, & quasi iugiter conuiuante, sicuti nouellæ plantationes oliuarũ plenę virore atquè atque pinguedine, fragrantia sui odoris totam conscientiæ tuæ domum replentes, Deumque & angelos lætificantes: * Insuper filij quos tu & verbo & exemplo Deo gignes, sicut germina oliuarum erunt circum te, tanquam à te salutaris doctrinæ pinguedinem sumentes, & quasi pabulum spiritale à te accipientes, quomodo solent de mensa parentum sumere cibum filij. 5. Ecce ad eum modum quo suprà iam descripsimus, replebuntur benedictionibus, quicunque sancto timore reuerentur, ac diligunt dominum Deum suum, eiusque mandata sollicite custodiunt, talibus bonis, tali gloria, tali ornatu ornabuntur ex benedictione & beneficio altissimi. 6. Ego quoque in spiritu super huiusmodi gaudens atque exultans, tibi quisquis es qui times dominum, fœlicia prosperaq; omnia ex cordis desiderio exopto, & Deum precor, cuius est benedictio super populũ suum, vt de ciuitate sua sancta, de cælesti Sion, in qua inhabitat, vbi eũ cõtemplantur beati omnes facie ad faciẽ, benedicat tibi benedictione sua sancta, in cælestibus donis suis. detque tibi, posteaquam tempus hinc emigrandi aduenerit, videre in teipso, recipere atq; experiri vsq; in æternum sine fine bonum illud vnicum & summum (in quo sunt simul omnia) ciuitatis supernæ Hierusalem, quod nec oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit. 7. Fœcundet te quoque Deus spiritali sua fœcunditate in omnibus virtutibus, ita vt de virtute semper in virtutem proficiẽs, & ex vna in alterã semper procedens, sic quasi filios accipias filiorũ tuorum: * Rursum ita quoque te fœcundet virtutibus, vt in longas ac multas generationes permaneat tibi filij, quos Deo, siue verbo doctrinæ, siue exemplo vitæ genuisti: quemadmodum solet virorum iustorum semen spiritale in multas generationes permanere, impiorum carnali pereunte semine: * det quoque tibi videre pacem veram super omnem populum fidelem, & super omnes electos: pacem (inquam) Dei super Israël, vt vnà cum electis omnibus pace fruaris sempiterna, Amen.

5 Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominum.

6 Benedicat tibi dominus ex Sion: & videas bona Hierusalem, omnibus diebus vitæ tuæ.

B

7 Et videas filios filiorum tuorum:
** pacem super Israël.*

Psal. 3.

Esa. 64. 1. Cor. 2.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXVII.

C

VErsu 3. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Per vxorem istam, intelligi etiam potest conuenienter affectus sensitiuus, qui in carne inhabitat, quem solemus nominare sensualitatem. Quemadmodum enim vxor ex Dei institutione subiecta est dominio viri, dicente domino, Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui: ita hæc sensualitas, rationis debet imperio regi. Et quemadmodum vxor si recte regatur à viro, fructum plurimum & commodum parit in familia: contra verò si indomita fuerit, & in malis vir ei nimium indulgere cœperit, mala plurima & damna committit in familia rebusque domesticis, etiam ea quæ viri diligentia atque industria fortè lucrata fuerit, non rarò male absumens atque dilapidans. Ita affectum sensitiuum istum quisquis bene secundũ rationis imperium gubernauerit, & quisquis rectè illum sub habenis rectę rationis continuerit, quasi sub viri potestate, fructũ plurimũ ex eo percipiet, & opera plurima bona proferre poterit, vbi ad virtutem assuefactus fuerit. Contra verò, si permittatur super rationẽ prævalere, & quasi supercrescere super eam, spinas & tribulos & mala plurima proferet, & suffocabit etiam atque absumet, si quæ bona ratio atque voluntas videantur nonnunquam operari dum bona desideria ac sancta proposita sua lasciuia opprimit atque disperdit, vt in effectum non perueniant. Et huic vxori recte comparatio vitis applicatur. Vitis enim non nisi maximo labore, diligentia atque impensa adhibitis, fructificare po- D
test, neque quisquã ex ea fructũ percipit otiosus. Ita sanè & sensualitas, nisi diligentissime colatur, & plurimum fodiatur, euulsis sedulò malarum passionum radicibus, & bonis insitis surculis, per continuam ad virtutes assuefactionem, fructum bonæ operationis proferre poterit nunquã. Ac iuxta hãc intelligentiam, per filios conuenienter intelligi possent omnes vires aliæ corporales, quę omnes (sola sensualitate bene recta & exculta) facile pinguescunt, & virent in operibus bonis. Quidà verò omnia ista, de filijs & vxore & manducatione laboris manuum, exponunt de temporalibus diuitijs, vxore & liberis: verùm quoniã (vt suprà in annotationibus psalmi centesimi vndecimi diximus) perpaucis Deũ timentibus ista sic cõpetunt: quemadmodũ neque Christo, neque apostolis, neque plurimis post ipsos sanctissimis viris, commodius nobis videtur secundum spiritualem intelligentiam ista spiritualiter dicta intelligere, ita vt generaliter pijs omnibus Deum timentibus conueniant. Gene. 3.

CXXVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

NArrat in spiritus lætitia vir iustus, quemadmodum frequentissimis insultibus aduersariorum suorum oppugnatus, ab initio conuersionis suæ ad Deum, nondum tamen succubuerit, tametsi grauia multa ab impor tunitate & sæuitia aduersantium perpessum se fateatur. Quorum deinde pœnam, confusionem & reprobationem æternam, siue prædicendo iuxta conformitatem diuinæ iustitiæ optat, siue optando prænunciat tectorum fœno eos comparans, à quibus (cùm sint maledictionis filij) longe est omnis benedictio.

CXXVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CXXVIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Sæpe expugnauerũt me à iuuentute mea:*

* *dicat nunc Israël.*

2.Tim.3. 2 *Sæpe expugnauerũt me à iuuentute mea:*
* *etenim non potuerunt mihi.*

Psal.118.

3 *Supra dorsum meum fabricauerũt peccatores:* * *prolongauerunt*

Psal.7. *iniquitatem suam.*

4 *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum:*
* *confundantur & cõuertantur retrorsum omnes qui oderũt Sion.*

5 *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur, exaruit.*

6 *De quo nõ implebit manum suam qui metet, & sinum suum qui manipulos colliget.*

Matth.13. & 24.

7 *Et non dixerunt qui præteribãt, benedictio domini super vos:*

* *benediximus vobis in nomine domini.*

A TEMPORE quo vetustate depositi, renouata est mihi iuuentus mea, ex quo abdicatis vitijs seruire cœpi domino Deo meo, frequenter admodum insultum in me fecerunt, meque oppugnauerunt dæmones atque maligni eorum ministri, cupientes à rectitudine animum meum depellere, castrumque animæ meæ deuincere: *merito hoc ipsum dicere debet, & fidenter fateri, omnis qui Deo credens, piè in ipso viuere studuerit. Neque enim mihi secundum personam hoc est peculiare, sed omnibus qui piè viuere volunt commune, vt persecutionem multiplicem patiantur. 2. Ego tamen de meipso singulariter loquens, hoc fateor, & dico liberè, quòd à tempore iuuentutis meæ frequẽter admodum me oppugnauerunt, & expugnare conati sunt persequutores mei: * veruntamen diuina assistente gratia, hactenus aduersus me non potuerunt, hactenus mihi nõ præualuerunt, neque potestatem plenam adhuc super me obtinuerunt, sic vt eorum potestatem non potuissem euadere, sed perstо (gratia Deo) etiamnum in bona voluntate, paratus & non turbatus, vt custodiam mandata Dei mei. 3. Multa quidem (fateor) & grauia & molesta, ab illorum importunitate & crudelitate perpessus sum, ita vt quasi supra dorsum meum fabricauerint grauissimis me affligentes molestijs: * multiplicauerunt aduersus me omnem malitiam suam, omnem suam quam poterant pra uitatem aduersus me machinantes, & nihil eorum in quibus nocere po tuissent omittentes. 4. Verum dominus Deus, qui est iustus iudex, & vltor pauperum seruorum suorum, ipse pro me retribuet eis, ipse faciet vindictam interfecturus eos gladio oris sui, & sententia cõdemnationis æternæ, ad eum modum quo materiali gladio solent incidi ceruices, & amputari capita maleficiorum: * confusio sempiterna & erubescentia horribilis apprehendet in nouissimo omnes qui odio habent populum domini, ecclesiam sanctam, bonos atque fideles Dei seruos: tu quoque Deus in machinationibus quas contra tuum populum meditantur, fac non præualere eos nobis: sed cõfundantur, & à cœpto turpiter desistere cogantur, tanquam non potentes, te prohibente, quæ cogitabant perficere. 5. Similes erunt huiusmodi fœno quod super tecta domorum crescit, quod in alto quidem consistit, sed radicem ac stabilitatem non habet, neque vllius est pretij, quodque in se quantocyus aresceit, pòst computrescit & perit, nullo euellente. Sic enim dæmones & homines mundi huius, in alto quidem positi videntur, dum principari in mundo, & potestatem sæculi obtinere videtur: verùm nulla est in eis stabilitas, sed à virore suo quantocyus transibunt, tabescentes in malitia sua, & computrescentes in corruptione mortis æternæ. 6. De quo fœno in tecto enascente, nemo messorum ad demetendum implet manum suam, neque illi qui à messoribus præcisa in manipulos colligunt, sinum suum aut brachia sua implebunt fœno isto: tanti enim non est, neque quisquam tanti facit fœnum hoc, vt demetendi illius gratia velit supra domorum tecta ascẽdere: quemadmodum demetitur quod in pratis super terram exoritur: & omnino nulli est vsui, sed prorsus derelinquitur, arescitque & cõputrescit in semetipso. Et sic sanè dæmones ac cæteri reprobi, prorsus à Deo sunt derelicti, qui in consummatione sæculi, quando exibunt messores angeli, non colligabuntur cum iustis in manipulos, vt inferantur in horreum vitæ æternæ: sed magis separabuntur de medio iustorum, & alligabuntur in fasciculos, vt in ignem vorandi proiiciantur, quomodo ea quæ nulli bono vsui vltra esse possunt, in ignem solent proiici. 7. Et quemadmodum fœno illi tectorum, eo quòd nullius sit vtilitatis, nemo prætereuntium benedicit aut bene precatur, ad eum modum quo solent bonis segetibus & virentibus pascuis pertranseuntes bene precari: ita super impios istos derelictos & reprobatos à Deo nulla veniet benedictio, nulla precatio bona. Neque dicetur vel ab angelis sanctis, vel à iustis hominibus super eos, Benedicat aut benefaciat vobis Deus: * neque dicetur eis, Benediximus vobis, aut bona precati sumus à domino Deo nostro, quoniam condemnati sunt, & ab omni bono reprobati, obdurati in malitia: neque benedictionis capaces esse valent, filij existentes maledictionis, quos possidet æterna maledictio.

ANNO-

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXVIII.

VErsu 1. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, &c. Similis hic est in sermone alacritas, eadẽdemq; locutionis festiuitas, qualis in psalmo 123. cùm dicitur, Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quia dominus erat in nobis, &c. Expugnauerunt autem nota accipi improprie, pro oppugnauerunt, vel impugnauerunt, siue tribulauerunt: vel loco huius, expugnare conati sunt. Nam proprie loquendo, non expugnatur nisi quòd oppugnando deuincitur. Vnde si proprie acciperetur Expugnare, non sibi constarent partes duę vnius versus, cùm in altera parte dicatur, Etenim nõ potuerunt mihi: id est, nihil potuerunt aduersum me, non mihi potuerunt præualere, non me valuerunt expugnare. Quanquã secundum aliquam considerationem, commoda adhuc posset accipi sententia, si hoc dicamus fidelẽ sermone isto velle indicare, quòd cùm sæpius fuerit ab adolescentia sua expugnatus atq; deiectus, sæpiusq; inimicorum tentationibus succubuerit, semper tamen à peccato resurrexit, vt inimici plena potestate sibi hactenus non præualuerint, cũ per pœnitentiã resurgendo à malo potestas effugiatur diaboli. Cæterum, iuuentutem istam intelligere possumus temporalem vel spiritualem: & vtroque modo bona est sententia. Item & de inimicis corporalibus vel spiritualibus interpretari. ¶ Versu 3. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Per istud fabricare supra dorsum, quod prouerbialiter dictum est, intellige grauem & longam vexationem atque afflictionem, qua ijs qui piè volunt viuere secundum Deum, iugiter molesti sunt impij. Dorsum enim est, quo feruntur onera: & cùm alicui administratio rei cuiuslibet difficilis iniungitur, dicimus prouerbiali sermone, illius dorso vel humeris esse iniectũ graue onus: & eum qui ampla est sustinentia siue magna patientia, vt facilè possit ferre obtrectationes, siue alias iniurias, aut cõtumelias, huiusmodi homines latũ habere dorsum dicimus. Tunc ergo supra dorsum iusti impius quasi fabricat, quando magna illum vexatione affligit, & quasi portanda multa imponit, quando illũ facit portare grauia, & quæ sunt portatu difficilia. Quãtumcũq; autẽ fabricauerint peccatores super dorsum iusti, nõ succumbet iustus: quoniam non patitur Deus amplius dorso eius imponi, quàm ipse valeat ferre. Fidelis enim est Deus (vt sanctus ait Apostolus) qui non patietur tentari vos supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere, & ipse qui dorsum nostrũ ita corroborat, secundum suum beneplacitum, vt nullo pondere deprimi possit, vt sub nullo subsidamus onere, Non enim solum fidelis est vt patiatur nobis imponi onus supra quam possumus: verũetiam oneratos & laborantes sub onere paratos est reficere: quemadmodum in Euangelio aperta voce clamat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. ¶ Versu 4. Dominus iustus concidit ceruices peccatorum. Idem hic intelligitur per ceruicum cõcisionem, quod in alio psalmo per capitis confractionem: cùm dicitur, Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticẽ capilli perambulantium in delictis suis. Et in alio psalmo per confractionem cornuum, cùm dicitur, Omnia cornua peccatorum confringam, Alibi quoque per dentium confractionem & maxillæ percussionem: vt psalmo tertio, Tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa (pro quo in Hebræo est, Tu percussisti omnium inimicorum meorum maxillam) dentes peccatorum contriuisti. Et alibi, Dominus confringet dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet dominus. Quòd autem omnia ista significent grauem persecutionem, qua Deus in sententia sua feriet impios, suis in locis manifestum est. ¶ Versu 7. Et non dixerunt qui prẽteribant benedictio domini super vos, benediximus vobis in nomine domini. Quidam intelligunt, Nõ dixerunt prętereuntes ad messores qui tentauerint colligere fœnum illud tectorum, & laborem in illo impendere, vt illis frustra & in re inutili laborãtibus prætereuntes nõ dicant, Benedictio domini super vos: quomodo scilicet vulgo solent homines transeuntes per viam bene precari ijs, qui in agris metendo laborãt, dicendo, Prosit, benedicat vobis Deus, aut dominus vobiscum, quomodo suis messoribus dicebat Booz. Nobis in Elucidatione fuit visum cõuenientius, vt benedictionem illã prætereuntium intelligamus referri ad ipsas fruges quæ in agris sunt. Ita enim solent homines, cùm per viam transeunt, & agrum bona segete adornatum conspiciunt, bene precari agro illi, & segeti quæ in eo est.

CXXIX. PSALMI ARGVMENTVM.

DE profundis peccatorum, tentationum, atque periculorum, siue de intimis cordis clamat qui ope eget, ad dominum, petens exaudiri in oratione sua, & iniquitates suas, ne forte obsint exauditioni, refugiens obseruari. Deinde versu quarto, in Dei propitiatione & in obedientia legis Dei spem erigit, & animam suam recte sperare facit: vniuersum insuper populum Dei ad eandem spem fiducialiter inuitans, & eo quòd domini sit miseria, & salus, & liberatio ab iniquitatibus.

CXXIX. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *De profundis clamaui ad te domine:*
* *domine exaudi vocẽ meam.*

2 *Fiãt aures tuæ intẽ-*

DE profundis clamaui domine ad te de profundis tẽtationum, de profundis periculorum, quibus penè immersus fuit spiritus meus, de profundis etiam cordis mei & intimis præcordijs meis, de corde contrito & spiritu humiliato: * tu verò me clamantem ne despicias, sed clamantis vocem exaudi. 2. Ne auertas ab oratione mea aures tuas, sed benignus auditus tuus ad exauditionem sit intentus vocі

mex,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentes, in vocem deprecationis meæ.

3 *Si iniquitates obseruaueris domine:*

Prou.24. Iacob.3.

Gene.6. & 8.

* *domine quis sustinebit?*

Psal.142.

4 *Quia apud te propitiatio est:*

* *propter legem tuam sustinui te domine.*

5 *Sustinuit anima mea in verbo eius:*

Psal.144. Ioan.14.

* *sperauit anima mea in domino.*

6 *A custodia matutina vsque ad noctē, speret Israël in domino.*

7 *Quia apud dominum misericordia:*

Sap.11. Psal.76.

* *& copiosa apud eum redemptio.*

8 *Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus eius.*

Matth.1.

meæ, qua oro ante cōspectum tuum. 3. Neq; verò in memoriā reuoces E peccata mea præterita, vt propterea clamantē despicias, atq; etiā si adhuc maculæ quædā leuiorum peccatorum in me resideāt, non ob hoc statim (quæso) repellas orationem meā. Nam si tu iniquitates hominū obseruare velles, vel antiqua semel remissa (quod frequenter faciunt homines) in memoriā reuocando, vt propterea reconciliatis minus esses ad exauditionem facilis, vel quotidiana delicta & lapsus (quibus in die septies cadit iustus, & per quæ in multis offendimus omnes) secundum seuerum rigorem & rigidam districtionem iustitiæ tuæ expendere atq; dijudicare: si (inquam) ita tu nostras iniquitates districte attēderes atque obseruares: * quis esset inter mortales (qui ab infantia sua ad malum proni sunt omni tempore) qui ferre posset tuam hanc districtionem, tuā hanc iustitiæ seueritatem sustinere? Quis stare posset coram te, aut quis iustificari posset in conspectu tuo hīc viuens super terram? aut quis iā cōfideret orationem suam apud te posse exaudiri? quādoquidem penè omnes & præteritorum grauiū peccatorum, & plurimorum insuper lapsuum quotidianorum, sibi sunt cōscij. 4. Absit ve- F rò, pijssime Deus, vt ita obserues iniquitates nostras, quoniam tecum est propitiatio, & propriū est tibi misereri, propitiari ac parcere: propter quod misericorditer magis agere debes nobiscum, neque districtè sic omnia exigere, vt dissimules peccata hominum propter pœnitētiā: * & propter legem sanctam tuam, quā obseruandam præcepisti nobis, ego pro mea paruitate cū adiutorio gratiæ tuæ perseueraui in te, neque à te per transgressionē volui abscedere, teque in obedientia legis tuæ perseuerando sustinui, propter quod te mihi (quæso) exhibeas benignū. 5. Anima mea & spiritus meus fiducialiter sustinuit atque expectauit longanimiter in verbis promissionum tuarum, quibus misericordiam pollicitus es postulantibus: * anima mea fiduciam & spem securā habuit in domino Deo suo, qui cū sit fidelis in omnibus verbis, & iustus in omnibus vijs suis, imò ipsa veritas atque iustitia, neque fallere neq; frustrare potest rectè in se sperantes. 6. Et quidē fiducialiter sine hęsitatione atq; omni metu spem coniiciamus in dominum Deū quicunq; verè fideles & de populo Dei esse volumus: idque iugiter & per G omne tēpus, à vigilia matutina vsq; ad profundā noctem, id est, ab ætate prima vsq; in vltimā, omnibus diebus vitæ nostræ: aut tam in aduersis quàm prosperis. Semper enim ipse adest in se sperantibus, & nullo vnquā tempore eos est relicturus. 7. Sperent dico, fideles omnes fideliter, quoniam cum domino est misericordia, estque ipsius misereri omnium quæ fecit: neq; obliuiscetur aliquādo misereri, neq; prorsus cōtinebit in ira miserationes suas: * & copiosa, plena, multiplex, ac liberalis redemptio atque saluatio est apud illum, redemptio (inquam) siue saluatio à morte, à peccatis, ab aduersarijs, à tentationibus, à periculis, à malis plurimis, quibus subditum est genus humanum vniuersum. 8. Et ipse redimet seruos suos in se credentes, ab omnibus eorum iniquitatibus, saluumq; faciet populum suū à peccatis eorum: à præteritis quidē & presentibus, per remissionem eos expurgando: à futuris verò ac posibilibus, per preseruationem custodiendo. Nemo enim peccata potēs est dimittere, nisi tu solus, Deus pijssime: à quo & nos miseri qui H in profundis iacemus malarum concupiscentiarum nostrarum, fidēter speramus, & profunda humilitate supplicamus, gratis liberari, propter gloriam nominis tui, quod est benedictum in sæcula, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXIX.

HOc psalmo ex ecclesiastica institutione & cōsuetudine, pro defunctis orātes vti solemus: propterea quòd in eo multa fiat mentio, & frequens replicatio misericordiæ Dei, cui maxime cupimus illos esse cōmendatos, vtpote ea maxime indigentes, si adhuc à Dei conspectu demorantur illos è corpore egressos in corpore commissa delicta. Nam (vt sanctorum definiuit authoritas) in locis purgatorijs detinētur, quos sic in carne commissa, ac non penitus expiata delicta demorantur ab ingressu beatæ requiei, vt ibi secundum Dei iustitiam, per afflictiuam punitionem, omnis absterga-
tur scoria, omne debitum ad nouissimum vsque quadrantem persoluatur, priusquam illud ingredi Apoc.21. possint, quo nihil potest intrare coinquinatum, vt ait in sacra sua Apocalypsi dilectus domini discipulus. Et quoniam illi tali in statu positi, id est, extra tempus vitæ præsentis in hoc sæculo, iam non vllis operibus valent sese redimere, quoniam merendi spatium illis iam expirauit, & tempus operandi pertransijt, vnica spes est, & pro illis Dei misericordiam nos qui adhuc in corpore agimus, suppli-

A suppliciter inuocemus, videlicet vt ipsa liberaliter debitum velit relaxare, pro quo detinentur & remorantur à gloria. Non sic tamen peculiaris oratio defunctorum est hic Psalmus, quin optime etiā viuo cuilibet in tribulationibus posito, atque in Dei misericordia respiranti conueniat, vt in illo ad Deum clamet. ¶ Versu 1. De profundis clamaui. Intelligi potest, de profundis tentationum siue tribulationum, id est quasi dē iuuo tribulationum quibus obruor & quibus infigor, quemadmodum alibi dicitur, infixus sum in limo profundi. Et iterum, Veni in altitudinem, id est profunditatem maris, & tempestas demersit me. Vel de profundis cordis, id est, ex imo cordis, ex spiritu contribulato Psal.68. & corde cōtrito. Sunt enim quidā clamantes, sed non nisi de superficie oris exterius, videlicet de quibus ait per Prophetam dominus, Populus hic labijs me honorat, cor autem eius longe est à me. Recte autem clamant, qui de profundo clamant, id est, ex corde fideli & recto spiritu. De cuiusmodi Esa.29. sic clamantibus in alio psalmo dicitur ex ore domini, Clamauit ad me, & ego exaudiam eum. Quo- Matt.15. modo autem in sequenti versu aures Deo attribuantur secundum similitudinem hominis, non est Psal.90. difficile cuiquam intelligere: præsertim cum eiusmodi passim in scripturis occurrant, vt Deo os, manus, pedes, nares, oculos, aures, aliaq; huiusmodi attribuamus, quum ille nihil horum vere habeat.

B ¶ Versu 7. Quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Apud dominum esse misericordiam, est ipsum esse misericordem, ipsius esse misericordiam, imò ipsummet esse misericordiam & misericordiæ fontem, quomodo in alio psalmo dicitur, Apud te est fons vitæ, id est, tu ipse es fons vitæ. Si verò misericordia pro miseratione, id est, pro exhibitione misericordiæ accipe- Psal.35. retur, posset illud quod dicitur, esse misericordiam apud dominum, aliter intelligi, quatenus promptus semper & paratus est dominus ad miserationem, quemadmodum in versu quarto dicitur esse apud Deum propitiatio, eo quòd sit pronus & propinquus semper ad propitiandum pœnitentibus. Apud nos enim esse dicimus, quæ vicina & quasi ad manum siue in promptu sunt nobis. Notandum quoque, quòd in versibus quinto, sexto & septimo, alia posset sumi distinctio verbuum, quàm vulgata habeat lectio, in hunc modum, Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in domino, à custodia matutina vsque ad noctem. Speret Israel in domino, quia apud dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio. Quam distinctionem, in Hebræa etiam lectione videmus obseruari. Nostra tamen distinctio commodum similiter sensum habet.

CXXX. PSALMI ARGVMENTVM.

IN bonæ conscientiæ testimonio humilitatem suam vir iustus commendat domino, superbiam animi, extollentiam oculorum, ommemq; ambitionem ab se abnegans, atq; etiam cum mala quadam precatione detestans, ab-
C *lactato autem puero sese comparans, ac deinde ad sperandum in domino fideles omnes versu vnico nouissimo exhortans, cuius se in humilitate persensisse nouia beneficia.*

CXXX. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.*

DOmine Deus, tu vides humilitatem cordis mei, quoniam non est eleuatus neque inflatus intra me spiritus meus, neque oculorum elatione superbiam vllam aut ambitionem cordis demonstraui, neque altus fui in oculis meis, vt mihipsi plus æquo placerem, de me amplius quàm in me erat sentirem, altaque saperem: sed humilis ac paruulus fui in oculis meis, propter consideranem potissimum magnitudinis tuæ & vilitatis meæ. 2. Neque meipsum extendi ad ea quæ me erant maiora, neque attentaui similia, quasi plus sapere volens quàm oporteret, neque mirabilia Rom.12.

2 *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.*

D quæ supra meam erant facultatem sectatus fui, aut tentaui, aut etiam ea iactaui, mihique ipse ascripsi, quemadmodum faciunt illi qui extra 2.Co.10. suam regulam in aliorum laboribus vel bonis, aut in iis etiam quæ Rom.12. non habent, gloriari solent: sed timens semper in mea paruitate per- Deut.13. mansi, non alta sapiens, sed humilibus consentiens: non in alio, nisi tantum in domino gloriam habens. 3. Si non humiliter sentiebam,

3 *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam:*

ô Deus de meipso, seu magis exaltaui animam meam, ac superbiui Galat.6. in corde meo, non tibi sed mihipsi dans gloriam, cum econtrario nō nobis debeatur, sed tibi: si videbar mihi esse aliquid, cum nihil sim, si aliter quàm in te gloriabar, si non ad mensuram sapiebam: si (inquam) talem me vides, aut talem agnoscis, certè dignus fuero, qui à te puniar & priuer omni bono, qui cum superbis abs te despiciar atq; repellar. Verum tu, qui omnia nosti, qui probas corda & renes, lōgè aliter (vti confido testimonium mihi perhibente conscientia mea) rem habere Act.1. vides, humilitatemq; meam benigne (vt spero) respicis. 4. Ecce enim

4 *Sicut ablactatus est super matre sua.*

domine, quemadmodum filius qui matris lacte primum, ac deinde alimento extraneo, matris tamen semper cura est educatus in iustam ætatem atq; staturam, erga matrem suam est, & quomodo se habet erga matrem omne corporis robur illi acceptum referens, ingenueque agnoscens, hanc ipsam in quam perductus est ætatem, staturam atque fortitudine, à matre sese accepisse, cuius labore, sollicitudine & innu-

meris moleſtiis ſe nouit educatum: *ita ergo te ô Deus, in anima mea B
eſt retributio gratiarum actionis, ita ſpiritus meus omne bonum non
corporis modo, ſed quicquid etiam in ipſo eſt, tibi vni refert acceptũ:
agnoſcens omne bonum & omne datum optimum deſurſum à te pa-
tre luminum deſcendere, qui cum des omnibus omnia, nihil à quoquã
recipis ipſe. Et quemadmodum ingratiſsimus foret, qui matris obli-
uiſceretur, cuius lacte eſt alitus: ita ingratiſsima foret anima mea, &
omni punitione digniſsima, ſi te negligens (à quo ſe nouit omnia acce
piſſe) in ſe gloriam conuerteret tibi debitam. 5. Et quoniam hanc in
meipſo Dei miſericordiam ſum expertus, ad eandem ego omnibus
expoſitam miſericordiã, proximos quoq; meos adducere cupiens hor
tor ac moneo fideles omnes, & qui de populo Dei eſſe deſiderant, vt
cum humilitate ſpem ſuam omnem ponant in domino, amodo vſque
in ſempiternum: omnem ſolicitudinem ſuam proiicientes in eũ, quo-
niam ipſi eſt cura de omnibus filiis ſuis, neque vnquam derelinquere
poteſt in ſe ſperantes: quemadmodum non poteſt obliuiſci nutrix par
uulum ſuum alumnum, neque mater filium vteri ſui. F

Iac.1. * *ita retributio in anima mea.*

5 *Speret Iſraël in domino, ex hoc nunc & vſque in ſæculum.*

1.Pet.5. Pſal.9. Eſa.49.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXX.

VErſu.3.&4. Si non humiliter ſentiebam, &c. Sicut ablactatus eſt, &c. In intelligentia manifeſtè patet, quemadmodum diuiſim hi duo verſus intelligi atque exponi valeant, vt ſit in priori verſu ſermo deficiens, ad quem complendum oporteat nonnihil ſubaudiri. Sic enim ſolet in ſcriptu
ris frequentius vſitari coniunctio, ſi, vt ſit nota & ſignum iurandi, aliquando quidem iuramento cõ-
Pſal.88. pleto, aliquando iuramento incompleto, veluti cum dicitur in Pſalmo. 88. Semel iuraui in ſancto
Pſal.94. meo ſi Dauid mentiar. Et iterum in alio pſalmo, Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem
meam. Illud enim abſque negatione ſic dictum, ratione eius quod ſubauditur, ſecundum virtutem
tantundem eſt acſi diceretur. Nequaquam ingreſſuri ſunt in requiem meam. Et in pſalmo proxime
ſubſequuturo, cum dicitur, per ſimilem loquutionis modum, Si introiero, ſi aſcendero, ſi dedero
ſomnum oculis meis, &c. tantundem eſt, ac ſi dicas, Nequaquam introibo, nequaquam aſcendam,
non dabo ſomnum oculis meis, donec, &c. Vbi notandum eſt, quòd ſicut enunciationes iſtæ quæ
ſine negatione fiunt ratione ſupplementi, valent vehementem negationem: ita econtrario, cum per
negationem fiunt, vehementem valent affirmationem. Quemadmodum cum dicitur in pſalmo 136.
Pſal.136. Si non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ, perinde eſt ac ſi dicas, Proponam vtique G
Hieruſalem in principio lætitiæ meæ. Qua de re latius pleniusque tractatum inuenies in Annotatio-
nibus Pſalmi, 88. Atque ita ſanè in propoſita loquutione, cum partim negatione ſermo fiat, dicen-
do, Si non humiliter ſentiebam: partim affirmatione, dicendo, Sed exaltaui animam meam: oportet totum hoc pronunciatum ratione ſupplementi modo contrario exponi. Valet enim ac ſi dicatur, Vtique te teſte Deus humiliter ego ſentiebam coram te, & animam meam neutiquam exaltaui. Alij malunt duos hos verſus, quos noſtra Elucidatio diuiſim exponit, in vnam ſententiam componere. Atque id quidem rurſum dupliciter, Primo, per modum imprecationis, ad hunc ſenſum, Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, fiat retributio & vindicta tua aduerſum me in animã meam, vt ſubtrahatur mihi conſolatio gratiæ tuæ qua paſcor, lactor, & nutrior, ad modum pueruli qui à lacte materno ante tempus auellitur. Vel per modum ſimplicis enunciationis, ad hunc ſenſum, Si quando forte humanum aliquid paſſus incipiebam humilitatem deſerere, & exaltari cœpit intrã me anima mea, tu viciſsim, vt me mihi oſtenderes, quàm ſine te nihil eſſem, quàm miſer & miſerabilis, ſubtrahebas mihi lac tuæ viſitationis & conſolationis, ſicque fiebat retributio à te in anima mea H
& iuſta vindicta, quemadmodum cum puerulus à lacte matris auellitur, vt cõſolationis lacte ita ſubtracto, cogerer de me ipſo deſperans, ad te rurſum per fletus & gemitus conuerti.

CXXXI. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmum iſtum, qui de ædificanda habitatione domino, deq; promiſſionibus Dauidis & electione ſanctæ Ecclеſiæ loquitur, quidam authorum malunt in totum myſtico ſenſu ad Chriſtũ referre: etiã id quod in principio eius dicitur de voto Dauid, ad Chriſtum dicentes pertinere, quatenus ipſe Deo patri ſuo requiẽ parare voluit in populo fideliũ, cuius gratia in mundum venit: ſimiliter quoq; & illud, Surge domine in requiem tuam, de requie in Eccleſia ſancta accipiunt: per arcam ſanctificationis Chriſti corpus benedictũ intelligentes. Cui ſanè interpretationi, cum pia ſit, fidelis, & bene miſtica, nequaquam volumus obſiſtere. Veruntamen, ſi primũ ſenſum qui literæ eſt quærimus, omnino apparet initiũ Pſalmi ad Dauid regẽ temporalem pertinere: & ea quæ ſequuntur, de loco domini, de tabernaculo, de arca ſanctificationis, & quod poſtulatur Deus in requiẽ præparatã ſurgere, cũ arca ſanctificationis ſuæ, reſpicere tẽplũ à Salomone Dauidis filio ædificatũ, vt in eo poneretur arca fœderis domini. Sic & illud. Non auertas faciẽ Chriſti tui, quod alij exponũt de non differẽdo Meſſiæ aduẽtu, ad Salomonem filiũ iuxta literæ intelligentiam ſpectat: vt eius deuotionem, & ex deuotione domum ædificatam nõ deſpiciat, ſed ſuſcipiat Deus. Atq; id quidẽ dubitare nemo poterit, qui finem ſexti capitis ſecundi libri Paralipomenõ diligenter inſpexerit, vbi poſitã in tẽplo arca domini, verba penè eadẽ quæ hoc loco habentur à Salomone prolata legimus, cũ de templo illo & arca materiali ipſe verba faceret. Quanquã & hoc verũ eſt, Salomone ſpiritũ ſanctum per omnia illa quæ tum agebantur tẽporaliter præſignare voluiſſe ea quæ per Chriſtum verũ

A Salomonẽ & verum Dauidis ſemen, erant futura in Eccleſiæ nouæ ædificatione, propter quod, abſurdũ non fuerit, ea quæ illis de templo materiali & arca dicuntur, hoc loco ſecundum myſticã intelligentiam ad tẽplum Dei ſpiritale (quod eſt Eccleſia) referri. Veruntamen circa finem Pſalmi, vbi promiſsio narratur Dauidi facta, nihil dubiũ eſt, ad Chriſtum vt verum eius ſemen (in quo illi promiſsio facta fuerat) principaliter omnia referri, & de Eccleſia quam ipſe erat ædificaturus, in qua ſe pater dicit requieſcere, & manſionem fixiſſe. Quamuis & hæc modo quodã aptari poſſint ipſi Salomoni ſecundum temporalẽ proſperitatẽ & abundantiam, quæ ipſo regnante fuit in populo. Huius autem Pſalmi quis author ſit, videtur dubium. Forſitan enim Salomonis videbitur eſſe oratio, ſiue cum ponenda eſſet, ſiue cum iam poſita eſſet ab eo arca Domini in tẽplo per ſe ædificato: In qua ipſe cũ vniuerſo ſuo coadunato populo, merita Dauid ſerui Dei cõmemorant, eiusq; bonum deſiderium erga ædificationem domus Dei, ob cuius merita petunt, vt aperiantur oculi eius ad locum illum habitationis eius, vbi etiam promiſsiones allegant Dauidi factas de ſemine eius in throno poſt ipſum ſtabiliendo: ac tandẽ verſu 15. Deus introducitur loquens, qui reſpiciens præparatam requiẽ, acceptat eandem, & ſibi dicit benepla
citam, eamq; omnibus bonis & ſalute vera implere poſſicetur in vltimis duobus verſibus, ſignanter Meſſiæ ſui aduentum promittens, & præcurſoris anteceſſionem, Chriſti quoq; gloriam & inimicorũ eius confuſionẽ præ-
B dicens. Salomonis verò hunc eſſe Pſalmum, per orationis modũ ita compoſitum, ſuadere videntur verba illa quæ in loco ſupra citato libri Paralipomenon, à Salomone dicta legimus, eadem penè quæ hoc in loco habentur. Quanquam fieri poteſt, neq; prorſus vero eſt diſsimile, hanc orandi formam per modum Pſalmi ab ipſo Dauid fuiſſe compoſitam, & filio traditam, vt introductione arcæ templum ſolenniter decantaretur ab omni Eccleſia congregata, aut à filio ſingulariter proferretur coram domino. Quemadmodum enim legimus, impenſas omnes diligentiſsime illum multo ante præparaſſe, & filio reliquiſſe, inſuper & deſcriptionem omnium diligentiſsime eidem tradidiſſe, ſicut à domino ei fuerat demonſtratum, iuxta quod ad filium ſuum capite 28. primi libri Paralipomenon eum dixiſſe legimus, Omnia (inquit) venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris: ita abſurdum non videbitur, ſi dicamus etiam Pſalmum & orationem hanc illius templi futuri dedicationi ſiue arcæ in eo introductioni conuenientem, à domino eidem fuiſſe demonſtratum: quem compoſitum filio ſuo, in conſummatione templi ab ipſo proferendum, & à ſacerdotibus decantandum tradidiſſet.

CXXXI. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Memento Domine Dauid:*

* *& omnis manſuetudinis eius.*

C 2 *Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob.*

MEmor eſto domine ſerui tui Dauid, qui vir erat ſecundum cor tuum, & qui rectum fecit coram te in toto corde ſuo: * & memor eſto omnis manſuetudinis illius, patientiæ, & longanimitatis quam in perſequutionibus & plurimis & grauiſsimis ſemper exhibuit atque monſtrauit. 2. Memor eſto (inquam) voti illius ac ſancti propoſiti, quo priuſquam per Prophetam Nathã ſuper hac re tuam didiciſſet voluntatem, deſiderauit domũ ædificare magno nomini tuo, quemadmodum & perfecturus fuerat, niſi tuo oraculo fuiſſet prohibitus. Cum enim vidiſſet iam ſibi firmatũ à domino regnum, dolens arcam domini non habere fixum requiei locum, firmo cordis ſui propoſito decernens illi ædificare tẽplum, ita modo quodam iuramentũ fecit domino, & votum vouit, firmũ ſuum propoſitum offeres Deo patrum ſuorum, Abraham, Iſaac & Iacob, ſiue Deo vero populi Iſraẽlitici, iurans ac vouens in hunc modum. 3 Hæc mihi faciat Deus, & hęc addat, ſi cum quiete cordis mei introiero in palatium domus meæ, quã mihi ædificauit dominus: & ſi cum plena quiete in lectũ ſiue ſtratum me compoſuero. 4. Si ſomnum quietũ & libertum permiſero venire in oculos meos, & palpebras meas permiſero claudi quieta dormitatione. 5. Et ſi reclinauero ad ſomnum capiendum caput meum, ita vt requies ſomni aſcendat per tempora mea: ſi (inquam) huiuſmodi quietem ac requiẽ plenam mihi dedero, vſquequo locum aptum inueniam cultui domini Dei mei, ad ædificandũ domum ac templum, vbi adoretur atq; inuocetur nomen Dei Iacob. Tu enim noſti domine, quemadmodum ipſe ſeruus tuus, cum accepiſſet auxilio protectionis tuæ requiẽ ab omnibus perſequutoribus ſuis & inimicis per circuitũ, cogitauerit corde fideli & propoſito firmo ſe non habiturum requiẽ, neq; ceſſaturũ, donec templum ædificaſſet nomini tuo: quod licet illi prohiberetur tuo oraculo, non tamen deſtitit quæcunq; neceſſaria & opportuna erant, ad ædificationẽ hanc præparare, trades inſuper filio omniũ quæ erant ædificanda deſcriptionẽ, quemadmodũ ei à domino fuerant demõſtrata. 6. Ecce ſpiritu reuelante, ipſo Dauid ex dominiũ dicio declarante, audiuimus locum ipſum ſiue domũ quietis electã eſſe à domino, & deſignatã in tribu Beiamin, vbi ſita eſt Ephrata, in mõte Hieruſalẽ, quem locum deſcripſit Dauid, vt ibi ædificaretur domus domini: * accepimus atque didicimus domũ habitationis Dei fore in campis ſylueſtribus, id eſt in loco nemoroſo, in planitie ſylueſtris mõtis, arboribus conſita, nempe in monte Moria. 7. Introibimus in domũ domini cũ gaudio, poſtquã ipſa quã Dauid ædificare cupiebat, fuerit

2.Reg.7. 1.Par.17.

3 *Si introiero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendero in lectũ ſtrati mei.*

D 4 *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.*

5 *Et requiẽ temporibus meis donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.*

1.Par.22. & 28.

6 *Ecce audiuimus eam in Ephrata: *inuenimus eam in cãpis ſyluæ.*

7 *Introibimus in tabernaculum eius: *ado-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rabimus in loco vbi ſte terunt pedes eius.

8 *Surge domine in requiẽ tuam: *tu & arca ſanctificationis tuæ.*

9 *Sacerdotes tui induãtur iuſtitiam: *& ſancti tui exultent.*

10 *Propter Dauid ſeruum tuum: *non auertas faciem Chriſti tui.*

11 *Iurauit dominus Dauid veritatem: * & non fruſtrabitur eum:*
** de fructu ventris tui ponã ſuper ſedem tuam.*

1.Para.22. 12 *Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meũ: *et teſtimonia mea hæc quæ docebo eos.*

Ibidem. 13 *Et filij eorum vſq; in ſæculum ſedebũt ſuper ſedem tuam.*

14 *Quoniam elegit dominus Sion: * elegit eã in habitationem ſibi.*

Matt.28. 15 *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: *hîc habitabo:*

1.Cor.6. Leuit.26. * *quoniam elegi eam.*

16 *Viduam eius benedicens benedicam:*

* *pauperes eius ſaturabo panibus.*

per filiũ cõſummata: *adorantes ineuruabimus nos ante arcã Dei, ſupra quã inter duo Cherubim eſt ſedes Dei, & ipſum arcæ operculum quodãmodo ſcabellũ eſt pedum Dei, ſuper ipſum iuxta humanã conceptionẽ ſedentis. 8. Núc præparata à ſemine Dauidis domo nomini tuo, orat te omnis multitudo tui populi à maximo vſq; ad minimum ad deducendã arcã tuã congregata, vt venire tibi placeat & acceptare locũ præparatum: *ſurgat quoq; & veniat nobiſcum, & deduci ſe patiatur arca quam ſanctificaſti tibi, & in qua ſanctificaris, atq; honoraris, & ſup quã reſides ac præſentẽ te exhibes populo tuo: ſurge, & veni in locũ requiei tibi præparatũ, & arca tua quæ hactenus fuit in tabernaculis, fixũ non habẽs habitationis locũ, ipſa iam in templo præparato ſtabilẽ accipiat manſionem. 9. Sacerdotes tui, vt dignè tibi valeãt miniſtrare, per te conſummatione induantur omniũ virtutum, & perfecta adornentur iuſtitia: * & populus tuus omnis, qui eſt multitudo ſanctorũ, corde fideli tibi adhærens, vera exultatione ſemper in te lætetur, vt in domino Deo ſuo. 10. Propter Dauid ſeruum tuum qui vir fuit ſecundum cor tuum, quærẽs quod bonum eſt in cõſpectu tuo: propter deuotionẽ cordis eius & bonũ deſiderium, quod erga hui⁹ tẽpli habebat ædificationẽ; propter quoq; factã illi promiſſionẽ: *ne repellas, ne abiicias, neq; cõfundas faciẽ Salomonis Chriſti tui, regis tui, qui ex tuo imperio vnus è fratribus ſuis vnctus fuit in regẽ populi tui. Eius faciẽ non confundas, ſed veni benigne, & oculos benigni aſpectus tui conuerte in locum iſtum, quẽ ex patris ſui imperio ac deſcriptione parauit tibi: quoniam ipſi Dauid promiſiſti habitare in loco iſto, quẽ ædificaturus eſſet filius eius. 11. Tu enim domine pollicit⁹ es patri meo Dauidi, & tanquã iuramento firmiſſime promiſiſti rem veram, quã etiam ſuo tempore veriſſime implere cogitaſti: & ab ea veritate quam promiſiſti nunquã auerteris, neq; fiet aliquãdo vt obliuiſcaris ſiue omittas eã: neq; ab ipſo etiã Dauid ſic vnquã auerteris, vt promiſſum illi nõ impleas: *iuramentum autẽ & promiſſum quod feciſti ipſi Dauid, tale erat, Filium qui de lumbis tuis egredietur, faciam regnare poſt te in regno tuo omnibus diebus vitæ ſuæ, qui vir quietiſſimus erit, & ædificabit mihi domum. 12. Quòd ſi obſeruauerint filij tui præcepta mea ambulando coram me in corde perfecto, ſicut tu ambuleſti: *& ſi iudicia mea atq; ceremonias quæ eos docui & docebo, cuſtodire voluerint, non recedentes poſt deos alienos, neque tranſgredientes præcepta atq; iudicia mea. 13. (Si inquã) hæc ita obſeruauerint, polliceor tibi, quod etiã filij filiorum tuorũ, donec ſic in iuſtitia perſtiterint, in ſempiternum ſedebunt in throno regni domini, ſuper Iſraël: neque deficiet vir ex ſemine tuo, qui ſedeat ſuper ſedẽ tuã. Sin autẽ dereliquerint dominũ Deum ſuum proiiciam eos, vt regnent in ſempiternum in regno meo. 14. Et quidẽ elegit dominus ciuitatem ſanctam Sion, locum Hieruſalem Eccleſiæ ſanctæ typum atq; figuram: *Deſiderauit eã, & habere voluit in habitationem ſuam, complacuitque ipſi habitare, & ſtabilem manſionem accipere in ea, dum in illa quidem materiali Hieruſalem, templi locum deſignauit: in hac autem ſancta Eccleſia permanere decreuit vnà cum ſuis fidelibus, vſq; in conſummationem ſæculi. 15. VOX DEI PATRIS, De ædificio & electione ſanctæ Eccleſiæ. Hæc Sion, hęc ſancta ciuitas, Eccleſia ſancta, locus eſt quem mihi ad quietam & iocundam habitationem elegi, in quo coletur & inuocabitur nomen meum: *in hac ciuitate ego habitabo, in medio fidelium, permanſurus in ea vſque ad ſæculi conſummationem, tanquã paterfamiliãs in domo ſua: & ambulabo inter illos, tanquam in medio filiorum meorum, ad illis protectionem, liberationem, & opportuna omnia impendenda beneficio: idque faciam propter bonam voluntatem meam, quoniam complacuit mihi in ea, & quoniam ſic placitum fuit ante me. 16. Ego autem in ciuitate hac inhabitans, viduas quæ in ea veræ viduæ fuerint (omnem animam dico non fidentem in humano vllo auxilio, neque in ſeipſa, ſed ſpem omnem conſtituentem in domino Deo ſuo, cuius ſolius caſtas optat nuptias) copioſe benedicam, & multiplicibus atq; fœcundiſsimis implebo ſpiritualib⁹ benedictionibus: *eos quoque qui in ea pauperes ſpiritu ſunt & humiles corde, ego non ſinam deficere omni bono, ſed copioſe ad ſatietatem vſque implebo ſpiritali pane verbi Dei, & fortitudinis gratiæ ſpiritus ſancti: vt corroborentur, oblectentur, & impinguentur in ipſis corda eorum, & creſcant conualeſcantq; robore ſpiritali in viros perfectos. 17. Sacerdotes quoque meos fideles, quibus cordi fuerit commiſſum ſibi miniſterium rectè adminiſtrare, omnibus adornabo virtutibus: & veſtimento ſalutis (quod eſt perfecta iuſtitia) induam eos, vt dignè queant aſsiſtere conſpectui meo: *& fideles omnes faciam ſpiritali gaudio lætari, meumq; nomen in gaudio & exultatione collaudare. 18. Illic in populo meo oriri atq; exurgere faciam ipſi Dauid, in plenitudine temporis, naſciq; iubebo de ſemine eius cornu potentiæ & magnæ fortitudinis, Chriſtum ſaluatorem. Hoc cornu ſaluris erigam, ſublimiterq; ac mirabiliter ſupra humanæ naturæ virtutẽ naſci faciam in domo Dauid pueri mei, in ſancta fidelium Eccleſia, ad ſalutem faciendam populo Dauid, populo electorũ meorum, ab inimicis eorum, & de manu omnium qui oderunt eos, & ad implendas patrũ promiſsiones: *huic autem cornu, huic Meſsiæ meo, quem decreui opportuno tempore mittere in mundum, ego lucentẽ candelam præordinaui, & in mentis prædeſtinatione iam quaſi paraui; quam mittã ante illum: præcurſorem videlicet Ioannem, qui erit lucerna ardens, & lucens, teſtimonium perhibiturus Chriſto meo. Hunẽ enim hominem mittã ego, qui veniet in teſtimonium, vt teſtimonium perhibeat de Chriſto: vt ſciatur ipſe atque cognoſcatur, ex illius teſtimonio, eſſe verus ſaluator mundi. 19. Et ſunt quidem futuri plurimi, qui Meſsiam meum venientẽ nolent recipere, neq; agnoſcere ſaluatorem: qui etiam concilia & conſpirationes facient aduerſus eum. Verum omnes eius aduerſarios, qui eum non receperint, neq; crediderint in nomine eius, interficiã eos, & operiam confuſione ſempiternæ damnationis: *ſuper ipſum verò Meſsiam meum, electum meũ quem elegi, ponam non ad menſuram ſpiritum meum, & florere faciam, glorioſamq; oſtendam in eo ſanctificationem meam, & ſanctificabo in eo ac demonſtrabo gloriam meam: aduerſarios omnes condemnando, ipſum verò cum ſuis omnibus in dexteram meam ſublimando.

17 *Sacerdotes eius induam ſalutari:*
* *& ſancti eius exultatione exultabunt.*

18 *Illic producam cornu Dauid:*

* *paraui lucernã Chriſto meo.*

19 *Inimicos eius induã confuſione:*

* *ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.*

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXXI.

C VErſu 6. ac deinceps, Ecce audiuimus eam in Ephrata, &c. Cum Dauid figura fuerit, Chriſti, & ædificatio templi ipſi quidem prohibita, ſed per filium eius Salomonem ex Dei mandato completa, figura fuerit ædificationis Eccleſiæ ſanctæ, quæ in plenitudine temporis erat perficienda, non per alium quàm per Chriſtum de ſemine eius naſciturum, qui verus Salomon, id eſt, verè rex pacificus, amabilis domino patri, rex potentiſsimus atque glorioſiſsimus fuit in Iſraël, in populo filiorũ Dei. Rurſum, cum promiſsiones Dauidi factæ de ſemine ſuo in æternum regnaturo, potiſsimum & principaliter ad Chriſtum referantur, quanuis etiam ad literam & ſecundum hiſtoriam impletæ ſint in Salomone temporaliter. Hinc fit, vt quæcunque dicuntur in hoc pſalmo de domo, habitatione & requie Dei, ſiue de ædificatione ipſius, ſicut iuxta hiſtoriam Salomonis templo aptantur, ipſique Salomoni: ita ſecundum myſticam intelligentiam aptari poſſunt ædificationi domus Dei, quæ eſt Eccleſia & Chriſto domino: vt ſecundum hanc intelligentiam Pſalmus iſte vox ſit populi fidelis, petentis Deo acceptam fieri Eccleſiam nouam, quam ipſi ædificauit filius eius. Neque difficile eſt ei qui illuminatos habet mentis oculos, conſequentia Pſalmi huius ad Chriſtum referre, quod nos prolixitatis nimiæ vitandæ gratia, per ſingula explanare omittimus. Sed & ſi quid deſideretur ex Elucidatione pſalmi. 88. facilè & copioſe ſuppleri poteſt. ¶Verſu 12. & 13. Promiſsio hæc facta Dauidi de ſemine eius in ſempiternum regnaturo, tametſi eos qui de lumbis Dauid ſecundum carnem orti ſint, prima facie reſpicere videatur, iuxta tamen veritatem potiſsimum ſpectat ad Chriſtum, qui ex ſemine Dauid erat naſciturus, futurus rex pacificus, amabilis, filius altiſsimi, & omnino quietiſsimus, accepturus ſedem Dauid patris ſui & regnum æternum ſuper populum Dei, cuius erat regnum Dauid temporale ſignum tantum atque figura, qui etiam domum ædificauit domino, Eccleſiam ſanctam vtramque, & militantẽ, & triumphantẽ: in qua diuinitas inhabitat. Reſpicit inſuper & Chriſtifideles omnes, Nõ enim ſolus ipſe Chriſtus regnabit, verumetiã per eũ reges cõſtituentur, quicũq; in Dei præceptis fideles ſeſe exhibuerint, & regnabũt cũ Chriſto in ſecula ſeculorũ. Promiſsio autẽ iſta in pſalmo ad hoc adducitur, vt inclinetur Deus ad perficiendũ promiſſum ſuum vt cõfirmaretur videlicet regnũ Dauid, & intenti ſemper eſſent oculi domini in locũ habitationis ſuæ, quod nos ſpirituali poſtulatione eque ad Eccleſiam, & ad filios Dauid ſecundum ſpiritum poſſumus aptare. ¶Verſu penultimo, Illuc producam cornu Dauid. Nota, quòd Chriſtus recte dicitur cornu, quoniam ſicut animalia cornibus ſe ſolent ab aduerſantibus defendere, atq; vindictam facere, inimica lędere, atq; etiam perimere: prius autẽ quàm excreuerint cornua, nec lędere valent, neq; ſeſe defendere: ita cum in Eccleſia ſancta de ſemine Dauid hunc Chriſtum ſuum Deus fecit exũgere, quẽ per ſublimitatem omnis plenitudinis veluti in capite conſtituit totius Eccleſiæ (qui ſoler eſſe locus ipſius cornu) tunc iudicium factum eſt populi domini: & hoc cornu peremptus eſt antiquus ille humani generis hoſtis, qui donec cornu hoc mirabiliter enatum apparuiſſet, libere dominabatur, nec erat qui contra eum poſſet vltionis exercere iudiciũ, aut foras eum proiicere à ſuo tyrannico dominatu:

natu: iugumq; captiuitatis miseræ excutere potuisset à domo Dei: ne ipse quidē (quanquā robustissimus) Dauid, neque ante eum: vel post eum aliorum quisquam. Secundū hunc modum apud Lucā canit Zacharias, de cornu hoc iamiam enascituro: Erexit (inquit) Deus Israël cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui, Salutē ex inimicis nostris, & de manu omniū qui oderunt nos, & cætera quæ inibi sequuntur. Neque ignoramus, per cornu in scriptura frequenter fortitudinem vel potentiā regni significari, iuxta quem modum etiam hoc in loco plures expositores intelligunt producendum regnum potens & præualidum in Hierusalē vel in Ecclesia: nobis tamē videtur quod iam dictum est mysterio veritatis admodum recte competere, & nihil irrationabile cōtinere. Neq; enim est necesse, vt idem sermo per omnem scripturam cōsimilem accipiat interpretationem. ¶Versu eodem, Paraui lucernam Christo meo. Quod dicitur de lucerna ad Ioannem præcursorem relatum, per omnia consonat Euāgelicis testimoniis. Sed dubitare quis possit, cum Christus ipse lux vera sit illuminans omnem hominem venientē in hunc mundum: quid est, quod illi lucerna paratur? Nunquid lucerna eget sol, vt videatur? Aduertendū proinde est, quòd tametsi lux fuerit Christus dominus, quia tamen ventrus erat carnis testa obuolutus, nimirum ex semine Dauid secundū carnem: iccirco lucernā illi præordinauit Deus pater, quæ illum monstraret ignorantiæ hominum: quomodo candela ardens & luces solet ea quæ latēt & occulta sunt facere manifesta. Et quomodo post rem demonstratam atq; inuentam, non vltrà vsus est candelæ, sed extinguitur: ita postquam Christus hominibus Ioannis indicio factus est manifestus, quasi extincta est lucerna, claususq; est Ioannes in carcerem, & occisus, vt impleretur illud quod dixerat, Illum oportet crescere, me autē minui. Quasi dicat, Lucere me quidem oportebit, donec ille cuius gratia veni ad perhibendum ipsi testimoniū, per meum indicium & testimonium, fuerit factus manifestus. Illo autē manifestato & cognito, me oportebit extingui, illum verò gloria crescere, & magnalibus virtutū clarescere atq; effulgere, ad demonstrationē diuinitatis suę.

Lucæ 1.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

CXXXII. PSALMI ARGVMENTVM.

DEscribitur laus atq; vtilitas fraternæ charitatis, oleoq; odorifero sanctæ vnctionis comparatur, quo capita vngebantur summorum sacerdotū, similiter & rori impinguanti, quo montes Hermō & Sion desuper impinguantur: per quā insuper Deus benedictionē & vitam donat illis, per quos eam inuenerit bene vnitos.

CXXXII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Ecce quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in vnum.*

2 *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbā barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.*

1. Cor. 13.

3 *Sicut ros Hermō qui descendit in montem Sion.*

4 *Quoniam illic mandauit dominus benedictionem:*

* *vitam vsque in sæculum.*

Matt. 18.

QVàm pretiosa, & multo optima atque amœnissima res est, fraterna charitas, & proximorum dilectio, qua fideles pariter habitant in vna Ecclesia sancta, per illam quasi per glutinum adinuicem compaginati, & quasi perfectionis vinculo simul in vna spe vocationis, in vno domino, in eadem fide, & in eadem sententia coniuncti, ac dulciter colligati. Et ex aduerso, quā praua res est, & quàm iniucunda atq; detestabilis, eos qui vnanimes in pace viuere deberent in domo Dei, Christifideles, ab inuicem dissidere animis, & odiosis vacare dissensionibus. 2. Verè res optima est illa vnanimitas fraternæ charitatis, & multo iucundissima, quemadmodum sacerdotalis vnctionis oleum illud optimum & optime odoriferum quo caput Aaron, id est summi sacerdotis vngitur, quod deinde de capite per genas, aut tempora descendit, vsque in barbam eiusdem sacerdotis summi, ac deinde vsque ad summitatem vestimenti eius de barba, ita vt summa vestis eius ora perfundatur eodem, sic gratissimum odorem de sese diffudens, & bona fragrantia sui odoris præsentes omnes oblectans atque reficiens. 3. Est insuper res fœcundissima, & ad fructum faciendum bonorum operum opportunissima, sicuti ros qui descendens in montem Hermon, de cælo fœcunditatem eidem donat maximam: & sicut ros montis Sion, qui super ipsum de cælo datur, vt inde fœcunditatem accipiat ad fructum proferendum. Sic enim in quibus est charitas illa fraterna, fœcunditati sunt optima hac pinguedine, ad fructificandum in omni opere bono. Siquidē charitas patiens est, benigna est, facit non æmulari, non quærere quæ nostra sunt, sed quæ Dei sunt, & quæ etiam aliorum: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, & omnia omnino bona operatur in nobis. 4. Veredico, bonū esse & iucundum sic habitare fratres in vnum, quoniā dominus Deus (qui in fidelium suorum concordia maxime oblectatur) ipse illic, id est, in vnanimi fratrum cohabitatione, vbicunque cōspexerit in vera charitate fideles suos cohabitare, dare disposuit, & superillos venire præcepit rorem benedictionis suæ sanctæ, per quam fœcundabuntur ad omne opus bonum: *& vitam dabit eisdem, nunquidem in gratia, ac pòst in gloria perfecta. Vbicunque enim duo vel tres fuerint congregati in nomine eius, illic ipse adest in medio eorū. Contra verò, vbi odium est & dissensio, mandauit Deus illic maledictionem, vt steriles sint ab omni opere verè bono (siquidem absque charita-

charitate ad salutem nihil prosunt omnia) simul & mortem sempiternam: quoniam omnis qui fratrem suum odit, manet in morte. 1. Ioan. 3.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXXII.

VErsu 2. Sicut vnguentum in capite. De oleo hoc effuso vel superlito super caput summi sacerdotis, hic loquitur ad eum modum quo in cæteris liquoribus capiti superfusis fieri conspicimus: quomodo cum aqua quælibet preciosa super capita effunditur discumbentium, solent guttulæ à capite in barbam, ac deinde à barba atque etiam à genis descendere in summam oram vestimentorum. Estque in hoc propositi vnguenti comparatio, quòd sicut vnguentum illud de se gratissimum fundit odorem, sic & charitatis fraternæ illa vnanimitas, odorem fragrantissimum effundit in naribus domini: estq; gratissima Deo & sanctis angelis, ac iustis omnibus plurimū amabilis: quemodum econtrario, illa animorum dissensio, & fraternum oleum, in modū stercoris fœtidissimi, suo fœtore est tam Deo, quàm angelis & bonis omnibus abominabile. Spiritualiter verò per istud vnguentum siue oleum optimum (vt in Hebræo legitur) intelligitur gratia euangelicę doctrinæ, quæ optimi existens odoris, à capite Christo defluit in barbam Aaron: id est, eiusdem summi sacerdotis: hoc est, in primos apostolos & apostolicos viros, qui capiti Christo fuerunt adiuncti, quique illi adhæserunt, vt barba capiti: à quibus deinde hoc oleum ad oram vsq; vestimenti defluxit, id est, ad infimos & nouissimos in ecclesia, quæ est quasi vestimentum Christi, cuius infimi in ecclesia sunt velut ora infima. Verùm prior sententia videtur esse de intentione prophetæ. ¶Versu 3. Quod descendit in oram &c. Initium huius versus ad finem præcedentis secundum sententiam venit adiungendum. In sequenti autem particula, cum dicitur, Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion: attēde diligenter, ne sensum accipias qui prima facie se offert, quasi idem ros sit qui descendat in montem Hermon, & in montem Sion, imò ad hunc per illum, eo quòd dicitur, ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Non enim ita esse potest, cum mons Hermon & mons Sion ab inuicem sint disiuncti, vt non possit fieri descensus ab altero in alterum. Atque ob hoc, relatiuum qui, non refert secundū numerum, sed secundum speciem, vt sit sententia psalmistæ, Sicut ros qui descendit in montem Hermon, & sicut ros qui descendit in montem Sion: hoc est, qualis etiam descendit in montem Sion. Vterque enim montium istorum rore cæli impinguatus, proferret fructum copiosum. Est autē Hermon, mons situs trans Iordanem, vbi dominabatur Og, quemadmodum legimus Iosue duodecimo. Per Sion autem montem, intelligit montana Iudææ.

CXXXIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PRopheta in spiritu, siue spiritus per prophetam seruos Dei, peculiarius autem quorum est versari in domo domini, ad laudem inuitat, atque etiam in noctibus manus ad illum fideliter leuare: inuitati verò ad benedicendum, qui acquieuerint exhortationi, accipiunt benedictionem.

CXXXIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Ecce nunc benedicite domino, omnes serui domini.*

Pſal. 47.

2 *Qui statis in domo domini, in atriis domus Dei nostri.*

Pſal. 49.

3 *In noctibus extollite manus vestras in sancta: *& benedicite domino.*

Pſal. 10.

4 *Benedicat te dominus ex Sion: *qui fecit cælum & terram.*

CONsiderans, quoniā magnus dominus est, & laudabilis nimis, hortor, ac moneo vos, quicunque serui estis domini Dei, quicunque in illum creditis, & seruire atque obsequium impendere eidem desideratis, vt illi incessanter laudibus, atque gratiarum actione benedicere studeatis. Hoc enim est sacrificium, quo honorificatur ipse à seruis suis, & ipsum est, quod sibi immolari postulat. 2. Peculiariter verò vos moneo, ô sacerdotes Dei & ministri templi, qui sacrario operamini, & quorum est diuinis insistere ministeriis, qui in domo domini permanetis, & habitatis in atriis eius, qui bus cura commissa est vigilandi in domo domini. Vos enim tanto specialius decet laudare Dominum, quanto illi estis cæteris peculiarius addicti, per commissa vobis ministeria. 3. Etiam in noctibus leuate manus vestras ad sancta, ad sanctuarium eius, ad cælos, ad sanctum tēplum eius: *& laudes dicite domino, qui habitat in cælo, in templo sancto suo. Dico non per diem solum, verumetiā per noctem, quando tranquilla & pacata magis sunt omnia, quam in diei tumultibus. Item & in nocte aduersitatis, cum serenitatem fugauerit obscuritas tribulationum, æque atque in die siue in prosperitatis tempore, manus vestras ad Deū leuate, ab illo poscentes auxilium: & in omnibus semper illi benedicite, qui cuncta pro suorum vtilitate nouit dispensare. 4. Et quicunq; sanctam hanc exhortationem susceperint, benedicat atq; benefaciat illis dominus Deus de cælo sancto suo, implens eos cælestibus donis & bonis: *ipse (inquam) qui est cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt potentissimus creator, ac proinde ad benefaciendum præ omnibus potentissimus æquè atque benignissimus, cum omnia hæc propter suam bonitatem potenter ipse creauerit ex nihilo.

CXXXIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus iste exhortatio est seruorum Dei ad laudem eius, propter magnitudinem potentiæ & bonitatis eius, qua antecellit Deus verus omnes deos. Et primum quidem monstratur hæc præcellentia potentiæ ex operibus quæ fiunt in vniuerso mundo generaliter, in nubium videlicet congregatione, in fulguris atq; ventorū productione. Deinde à versu octauo specialiter ex magnalibus illis quæ pro populo Israëlitico, tum in Aegypto, tum in terra Chanaan, in veteribus sacris historijs legitur operatus. Post quæ, versu decimoquinto idolorū vanitatem & impotentiam monstrant, in exhortatione diuinæ laudis (vbi cœperat) concludit.

CXXXIIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Laudate nomen domini: laudate serui dominum.*
2 *Qui statis in domo domini, in atrijs domus Dei nostri.*
3 *Laudate dominum, quia bonus dominus:*

* *psallite nomini eius, quoniam suaue est.*

4 *Quoniam Iacob elegit sibi dominus:*

* *Israël in possessionem sibi.*
5 *Quia ego cognoui, quòd magnus est dominus:* * *& Deus noster*
Psal.144. *præ omnibus diis.*
6 *Omnia quæcunque voluit dominus fecit:*

Luc.1. Genes.8. Hester.13. * *in cælo & in terra, in mari, & omnibus abyssis.*

7 *Educēs nubes ab extremo terræ:*
Hier.10. * *fulgur in pluuiam fecit.*
8 *Qui producit ventos de thesauris suis:*
* *qui percussit primogenita Aegypti ab homine vsque ad pecus.*

Celebrate laudibus benedictum, & nunquā satis laudabile nomen domini: quicunque illi seruitutis obsequia præstare vultis, laudibus efferte eum quantū potestis. 2. Peculiariter verò vos decet laudatio, ô sacerdotes & ministri templi domini, qui versamini ad perficiendū vestra ministeria in domo domini, & in atriis eius: qui diuinis obsequiis estis præ cæteris specialib⁹ deputati: *Vniuersi quoque qui per fidem statis in Ecclesia sancta, quæ est domus Dei, & qui in ei⁹ amplitudine demoramini, laudate dominū Deum vestrū cui creditis. 3. Et est sanè vt laudetis dominū æquissimum omnino atq; iustissimū: quoniam ipse solus verè essentia sua bonus est, imò purissima immensaq; bonitas: à qua bonitatē suam participare debet quicquid in creatis bonū dicitur. Est ergo domin⁹, quomodo solus summe perfecte atq; essentialiter bonus, ita solus summe laudandus: *psalmos & iucunda lætitiæ cantica canite nomini eius, quoniam verè suaue est, & omnino iucundissimum. Semper enim iucunda est memoria nominis eorum, qui boni sunt & benefici. Vnde cum dominus noster & summe bonus sit, & summe beneficus omnibus seruis suis, debet indubie suauissima quoq; esse memoria nominis eius. 4. Si requiritis, in quo bonitatē hanc ostendit, ecce in hoc eius apparet erga seruos suos bonitas atque suauitas, quòd ipse cum sit gloriosissimus, ac potentissimus æternitatis dominus, nullius egens ministerio, neq; bonorum nostrorum indigens: propter tamen bonitatem suam in nos effundendam & gloriam communicandam, elegit populum fidelium: *& hos qui credunt nomini eius, ipse in peculiarem hæreditatē sibi assumpsit, vt in eis inhabitet, eosq; custodiat, & ditet in omnibus bonis. 5. Et quidem per fidem certissimo certius ego noui, & sciunt mecum quicunque fidem rectam habent, quòd dominus noster verè & simpliciter infiniteque magnus sit: ita vt magnitudinis eius nō sit finis, cum sit infinitus & immēsus in maiestate sua: *& Deus noster ipse magnus est super omnes, vel qui dicuntur, vel qui æstimantur dij, in cælo & in terra: & ita in immensum omnes antecellit, vt nulla parte cum illo valeant comparari. 6. Si requiritur in quo demonstret ipse magnitudinem suā, opus confideremus magnificentiæ eius. Tanta est enim eius potētia, vt quæcūq; velit fieri, mox fiant ita vt voluit. Neq; mora est inter eius velle & fieri, neq; est apud eū impossibile omne verbum, imò nec difficile quicquam. Sunt enim in eius ditione cuncta posita, & nō est qui possit eius resistere voluntati: *neq; verò hanc potestatis plenitudinem in cælis tantum habet, verumetiam in terris, in mari, imò & in profundissimis profunditatibus atque voraginibus abditissimis, ita vt omnino nullus locus subtractus sit eius imperio, in quo nō possit quicquid voluerit. Vnde cum omnes, siue qui æstimantur, siue qui nominātur dij, alicubi horum locorum cōsistere debeant, si in rerum natura existant, constat, omnes sub Dei nostri ditione atq; imperio, vt creaturas sub creatore ac domino contineri. 7. Ipse est qui leuat sua virtute in aëra, & ascendere facit à summitate terræ, atq; etiam ab vltimo terræ, à mari oceano (quod est terræ terminus) exhalationes atque vapores, ex quibus in aëris regione nubes generantur, vt inde cōsequenti ordine, pluuia, ros, grando, nix, atq; cætera generentur: *ipse est & qui fulgura quodammodo resoluit in pluuiā & post fulgura subsequi faciens pluuias, & fulgura per pluuiam quodammodo sedari. Solet enim post fulgura & vegnire pluuiæ abundantiores: & his aduenientibus, illa cessare, atq; ita fulgura in pluuias finiri, siue terminari. 8. Ipse est qui ventos suscitat, eosque cum voluerit, facit procedere de occultis terræ visceribus, de locis nobis prorsus incognitis, vt nesciamus vnde veniāt, aut quò vadant, quasi de occultis cellariis: *ipse est qui in vltione rebellionis regis Pharaonis, quia filios Israël nolebat dimittere, iuxta verbum domini,

A 9 *Et misit signa et prodigia in medio tui Aegypte in Pharaonem, & in omnes seruos eius.*
10 *Qui percussit gentes multas:*
* *& occidit reges fortes.*

11 *Seon regem Amorrhæorum:*
B * *& Og regem Basan,*

* *& omnia regna Chanaan.*

12 *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël populo suo.*
13 *Domine nomen tuū in æternum:*
* *domine memoriale tuū in generatione & generationem.*
14 *Quia iudicabit dominus populum suum:*
D *& in seruis suis deprecabitur.*

15 *Simulachra gentiū argentum & aurum:*

* *opera manuum hominum.*
16 *Os habent, & non loquentur:*
* *oculos habent, & non videbunt.*

ni, vna nocte interfecit omnia primogenita Aegyptiorum, tam in hominibus, quā in pecoribus. 9. Multa quoq; ante hanc potissimam plagam, alia priora mirabilia signa atq; portenta, tam in iis quæ ad naturā attinent, quàm in iis quæ extra naturam sunt, exhibuit in medio Aegypti, quæ viderunt atq; senserunt omnes Aegypti, Pharao rex & omnes ei subditi, cum filij Israël in terra sua nihil malorum horum persentirent, illisq; multipliciter afflictis, hi nihil eiusmodi experirentur. 10. Ipse est qui volens populum suum iam traductum per mare rubrum atque per desertum, introducere in terram promissionis, quam promiserat patribus eorum, interfecit pro eis populos terram illam inhabitantes: qui & numero erant plurimi, & robore, armis, diuitiis, atque munitionibus potentissimi, nempe Chananæos, Eueos, Iebuzeos, Gergezeos, ac cæteros: *reges eorum potentissimos ipse tradidit in manus illorum, & interfecit pro illis. 11. Nominatim Seon regem Amorrhæorum, qui postulatus transitum concedere filiis Israël pacificum, non solum non concessit, verumetiam exercitu magno occurrit eis in prælium: quem tradidit & dominus in manu Iosue serui sui, percussusque est ab eo in ore gladij, & inhabitata sunt omnia loca eius à populo domini: *Deinde etiam regem Basan, potentem valde, nomine Og: qui & ipse cum omni populo suo filiis Israël occurrit in prælium, & traditus est à domino in manus Iosue, factumque est illi sicut priori factum fuerat: *multos insuper reges alios terræ Chanaan cum populo & ciuitatibus suis, regem Hierico, regem Hai, & alios reges quinq;, regē Hierusalem, regem Hebron, rege Hierimoth, regem Lachis, & regem Eglon, cum exercitibus suis: quos conturbauit dominus à facie Israël, contriuitque plaga magna, super quos etiam lapides magnos grandinis misit dominus de cælo, & propter quos sōlem stare fecit ad orationem Iosue, aliosque reges plures omnes qui inhabitant in terra Chanaan, cum exercitibus eorum, quorum omniū domino pro ipsis pugnante, facti sunt filij Israël victores. 12. Horum autem omnium terram ac possessionem, illis propter peccata sua iam vsque ad plenum consummata interfectis, atque cuilsis de terra sua, dedit in possessionem atque hæreditatem populo suo Israël, iuxta quod promiserat patribus eorū. 13. Maxime deorum Deus, tu in æternum permanes, & gloriosum nomen tuū tecum permanet in æternū, quod in obliuionem nunquam venire poterit seruis tuis: *memoriam sempiternā fecisti nomini gloriæ tuæ, dum talia tamq; præclara edidisti pro seruis tuis signa atque prodigia, neque in vllis vnquam generationibus auferetur memoria magnificæ omnipotentiæ tuæ. 14. Quoniā tu domine, sicut olim fecisti cū filiis Israël, pro quibus iuxta promissum in terram illam introducētis interfecisti impios terræ inhabitatores, ita semper iudiciū facies pro populo tuo, & pro omnibus qui in te fideliter credūt, eorū aduersarios pro eis expugnando: * & erga seruos tuos te exhibebis deprecabilē atq; placabilē, teq; ab eis deprecari, placari, atq; exorari facilē sustinebis, etiam si quando in vllo offenderint: tametsi aduersum peccatores illos obstinatos, ita seuerum te & implacabiliter furibundum exhibueris: *Insuper etiam in seruis tuis consolaberis, atque oblectaberis, efficierisque erga illos placabilis, posteaquam ad tempus tuam indignationem ostenderis, tametsi istos obstinatos & consummatos peccatores ita fueris abominatus. 15. Hactenus quidē opera potentiæ & virtutis Dei narrauimus: quibus patet quàm sit ipse magnus, quā potens, quàm bon⁹ erga seruos suos, atq; proinde quā sit verè ab omnibus laudandus. Nunc verò gentium deos, libet quid sint aut quanti expendere, vt videamus verū esse, quòd magnus sit Deus noster præ omnibus diis. Sunt aūt simulachra quę gētes colūt in deos suos, vel argētea, vel aurea, vel ærea: neq; secundū materiā, ex qua cōstant, aliud sunt quā argentum, vel aurū, vel similis alia quælibet pretiosa materia, nulla anima viuificante animata: suntq; operā facta per manus artificū, qui ea vel opere sculptili, vel fusili effigiāt, siue efformant, & multo labore atq; impensis in eam figuram, pulchritudinem atq; nitorem, in quibus conspiciuntur, perducunt. 16. Videntur quidem secundū externam apparentiā ratione figuræ, habere os, quemadmodū ea quę viuunt: verùm suo hoc ore quod videntur habere, non valent sermonem edere: *oculos videntur habere propter effigiatam similitudinem, verùm per hos oculos videre nihil poterunt.

17. Au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

17 *Aures habent & non audient:* **neque enim est spiritus in ore ipsorum.*
18 *Similes illis fiãt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

19 *Domus Israël benedicite domino:*
**domus Aaron benedicite domino.*
20 *Domus Leui benecite domino:*
* *qui timetis dominum benedicite domino.*
21 *Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem.*

17. Aures item habere videntur, neque tamen per eos audire valent: E
* neque id sanè mirum, quandoquidem ne respirare quidem possunt: quæ res indicio est, spiritum vitæ in eis nullum esse, qui tamen necessario ad loquendum, audiendũ, videndumque, cęterosq; sensuales actus perficiendos est necessarius, tanquam eorum omnium efficiens principale. 18. Qui ea sibi fieri iubent ad colendum, & omnes qui fiduciam suam ponunt in eis, quasi in veris diis, ipsi similes fient illis, nempe sine sensu & ratione homines: qui veritatem Dei commutant in mendacium, & gloriam creatoris tribuunt creaturæ, operibus hominum sese submittentes, qui eos iuuare non possunt, & quibus ipsi potius benefacere possunt, quàm ab eis accipere quicquã beneficij: quæ omnia, nemo nisi irrationabilis & lapidei cordis, ac sine ratione bestia, admittere poterit. 19. Cum itaque nullam hi falsi dij potentiam habeant, ne ad actus quidem vitales corporis, qui omnibus tamen conueniunt animalibus, quomodo non sine comparatione in infinito maior est Deus verus quem colimus? Proinde huic nostro domino vero Deo benedicant omnis populus Israël, omnes qui credunt in eum: F
* specialiter tamen Aaronica familia benedicat Dominum, quæ singulari electione sacerdotio summo donata est. 20. Leuitarum etiam vniuersa familia, pro sua singulari electione, ad ministeria diuersa domus domini deputata, benedicat domino: *deniq; in vniuersum omnes qui diligitis dominum, benedicite illi, vnusquisque in eo gradu in quo à domino positus est. 21. Sit semper laudatus dominus Deus verus, qui est Deus Sion, Deus cæli, Deus populi sui, Deus Ecclesiæ sanctæ, qui in Hierusalem inhabitat in medio populi sui. Atque ô vtinam sic digne nunc tuas laudes inchoare valeamus, potentissime Deus, vt in æternis canticis te olim cũ sanctis tuis omnibus collaudare mereamur, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXXIIII.

VErsu 7. Educens nubes ab extremo terræ. Potest istud intelligi dupliciter. Vel de mari, quod est quasi terminus terræ, vt quidam exponunt, eo quòd illinc copiosius extrahantur vapores. Vel de superficie terræ, cui consonat quod habet versio Hieronymi: Leuans nubes de summitatibus G terræ. Quidam ab extremo terræ accipiunt, loco huius, ab extrema terra, id est, à terra, quæ est nouissimum & vltimum locum habens inter elementa. A tota enim terra exhalationes & vapores eleuantur. Atque ita verti potest ex Hebræo, Subleuans nubes ab extrema vel infima terra. Quod etiam sequitur in eodem versu, Fulgura in pluuiam fecit, variis modis exponitur. In Elucidatione sic exponitur, Fulgura fecit in pluuias desinere, & quasi post fulgura pluuias dare consueuit: præmittens videlicet terrorem fulgurum, vt postmodum sequeretur pluuialis fœcunditas. Atque huic intelligentiæ satis fauet in Græco atque Latino accusatiuus: & in Hebraico articulus Lamed præpositus pluuiæ, vt videatur significari, ipsi pluuiæ, vel ad pluuiam, vel pro pluuia, vt dicamus, Fulgura ipsi pluuiæ fecit, vel ad pluuiam, vel pro pluuia, videlicet vt post fulguris terrorem subsequatur fœcunditas pluuiæ. Potest etiam sic intelligi, Fulgura simul cum pluuia fecit, vt proponatur quoddam miraculum, in eo quòd hæc duo (quæ videntur naturæ contrariæ) nempe pluuia & fulgura, simul fieri cernantur. Et hanc sententiam velle videtur versio Felicis, quæ per ablatiuum habet, Ful- H
gura in pluuia fecit. ¶Versu 14. Et in seruis suis deprecabitur, Hoc loco deprecabitur accipi debet secundum significationem passiuam, licet verbum sit deponens, & secundum Latinæ linguæ vsum significet magis actiue. Valet autem deprecabitur, idem quòd Exorabitur, vel Placabitur, aut
Deprecabilem se reddet, propitium atque exorabilem. Vnde Hieronymus, Et in seruos suos erit
Psal. 77. placabilis. Simile quid suprà dictum est in psalmo septuagesimoseptimo cum dicitur. Virgines eorum non sunt lamentatæ: vbi lamentor diximus poni in significatione passiua cum ex vsu Latini sermonis significet magis actiue, nec sit nisi deponens verbum. Psalterium autem Romanum, pro Deprecabitur: quod prouenit ex ambiguitate & æquiuocatione verbi Græci, quod hic ponitur παρακλ῀θήσεται, quod significat & consolari, & deprecari (vt suprà acceptum est) in significatione passiua. ¶Versu 16. Aures habent, & non audient, neque enim est spiritus in ore ipsorum. Pulchrè hic redditur causa, quare idola gentium illo suo ore quod videntur habere, non possint loqui, & quare suis illis quos videntur habere oculis non videant, denique cur & cæteris suis illis effictis membris non valeant vti ad vitales operationes: videlicet quoniam non est spiritus in ore ipsorum, quoniam non est in eis flatus inspirationis vel respirationis, quæ res indicio est, spiritum vitæ non esse in eis, neque vllam animam viuificantem, De vita loquimur animi. Cum ergo omnis operatio vitalis: primario à spiritu vitæ, id est, ab anima inhabitante corpus, debeat procedere, impossibile est illa, in quibus non est anima viuificans, vitalem operationem vllam posse exercere. Qua de re etiam suprà diximus, in annotationibus psalmi centesimi decimitertij, vbi iidem hi versus positi sunt, quos hic habemus præ manibus.

Argu-

CXXXV. PSALMI ARGVMENTVM.

ARgumentum psalmi huius pene idem est quòd mox præcedentis. Est enim exhortatio fidelium ad Dei laudem ex magnitudine eius: quæ primum ex operibus creationis, deinde ex mirabilibus pro Israëlitico populo specialiter exhibitis consideratur.

CENTESIMI TRIGESIMI QVINTI PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Confitemini domino quoniam bonus:*
* *quoniam in sæculum misericordia eius.*
2 *Confitemini Deo deorum.* B
3 *Confitemini domino dominorum.*

4 *Qui facit mirabilia magna solus.*

5 *Qui fecit cælos in intellectu.*
6 *Qui firmauit terram* C *super aquas.*

7 *Qui fecit luminaria magna.*

8 *Solem in potestatem diei.* D

9 *Lunam & stellas in potestatem noctis.*

10 *Qui percussit AEgyptum cum primogenitis eorum.*
11 *Qui eduxit Israël de medio eorum.*
12 *In manu potenti, & brachio excelso.*
13 *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.*

LAudem dicite, & confessionem date domino deo omnes serui eius, quoniam solus ipse verè substãtia sua est bonus, ac proinde solus laudabilis: *neque solum in seipso bonus est, verumetiam maxime beneficus, ita vt in sempiternum perduratura sit super seruos ipsius misericordia eius: atque ob hoc etiam maxime est dignum, vt laudibus illum celebremus, cuius sempiterna gaudemus misericordia. 2. Laudes dicite Deo vni viuo & vero, qui est super omnes deos, sine vlla comparatione omnibus in immensum excelsior. 3. Laudes dicite ipsi, qui est rex regum & dominus dominantium, super omnes qui domini nominantur, aut etiam quadam participatione existunt. Cæteri enim dij sunt aut domini, vel nominatione sola, vel etiam participatione. Deus autem noster non sic, sed verè ei competit, vt omnium creatori atque possessori, super omnia imperium, neque ab alio quoquam regni sui accipit potestatem. Atque ob hæc, solus ipse super omnes est laudibus celebrandus. 4. Ipse est qui solus per virtutem propriam omnipotentiæ suæ, potestatem habet operandi mirabilia quæcunque, & quomodocunque placitũ fuerit ei. Nam & si alius quiliber, siue angelus, siue homo, siue dæmõ, videatur miranda facere, constat id nõ esse à propria virtute, sed quatenus vt hoc possint, virtutẽ acceperũt à domino Deo nostro. 5. Si audire gestis, quæ fecerit mirabilia: ecce cælos in principio creauit, in sapientia sua corpora amplissima, solidissima, nobilissima, indissolubilia, & imperpetuum duratura. 6. Ipse elementũ Psal.103.
terræ stabiliuit & firmiter statuit super aquas, vt quasi in aqua requiẽ haberet, nec subsideret, haberetq; stabilitate, nec inclinari etur in sæculum sæculi. Ipse enim est qui à principio terræ elementũ in aquis posuit, & super aquas firmamẽtum (vt nõ inclinetur, commoueatur, aut subsidat) in sui loci stabilitate custodit. 7. Ipse quarto die distinctionis Gene. 1.
rerũ post luce creatã, post firmamento diuillas aquas ab aquis, post terrãm discoopertã: & fœcunditate fructificationis donatam, fecit in cælo duo luminaria, præ cæteris (quantum ad humani vitus iudicium magna) nempe solem & lunam, quæ humano sensui, propter maiorẽ propinquitatem & vicinitatem, maiora videntur aliis luminaribus, id est, stellis quæ sunt in firmamento: quæ etiam luminaria ob hoc dicũtur magna, quòd lumẽ maius præbeant super terrã, quàm ea quę sunt in firmamento, etiam si quantitate, multa horum illis sint maiora. 8. Inter hæc duo luminaria, quæ fecit ad lucendum in firmamento & illuminandum terram, vnum fecit maius in quantitate molis & virtute lucis, nempe solem, vt præesset, potestatemque ac dominium haberet per diem super terram, eam tunc suis radiis illuminando atque visitando. 9. Alterum verò fecit luminare, & quantitate molis & virtute illuminationis minus, nempe lunam, atque etiam alias infiniti numeri stellas, plurimas in firmamento fixas, nonnullas autem sed pauciissimas in orbibus inferioribus errates. Atque hæc luminaria ob hoc fecit, vt simul cum luna præessent nocti, potestatemque ac dominium haberent super terrã, ad eam illuminandũ per noctem, in solis absentia. 10. Ipse est qui plagis maximis Aegyptum percussit atque affli- Exod.12.
xit, inter quas illa erat præcipua, quòd vna nocte omnia eorũ primogenita per manum angeli transeuntis interfecit, tam in hominibus, quã in iumentis. 11. Ipse eduxit populũ Israël de medio Aegyptiorum, inter quos habitabat sub seruitute durissima. 12. Idq; fecit Deus per manum omnipotentis virtutis suæ, in magnifica & gloriosa fortitudine. Postquam enim plagã hanc nouissimã in primogenitis conspexerunt Aegyptij timore perterriti, compulerunt exire à se filios Israël, quos prius rogati, atq; etiam in Dei mandato iussi dimittere noluerant. Et ipse eos egredientes sua potẽtia seruauit, vt nemo Aegyptiorũ quicquã illis auderet inferre nocumẽti. 13. Ipse est qui ad populi sui clamore Exod.13.
& ora-

14 *Et eduxit Israel per medium eius.*
15 *Et excussit Pharaonẽ & virtutem eius in mari rubro.*
16 *Qui transduxit populum per desertum.*
17 *Qui percussit reges magnos.*
18 *Et occidit reges fortes.*
19 *Et Og regẽ Amorrhæorum.*
Num.21. 20 *Et Og regẽ Basan.*
21 *Et dedit terrã eorum hæreditatem.*
Ibidem. Iosue.6.& 8. 22 *Hæreditatẽ Israel seruo suo.*
23 *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri.*
24 *Et redemit nos ab inimicis nostris.*
25 *Qui dat escam omni carni.*
26 *Cõfitemini deo cæli.*
27 *Confitemini domino dominorum, quoniam in æternum misericordia eius.*

& oratione Moysi serui sui, mare rubrum diuisit in duas partes, ita vt E
aquæ quasi murus starent ex vtraq; parte, cum persequeretur Pharao
cum exercitu suo filios Israel. 14. Ipse transire fecit populum Israel
per medium sicci maris, aquis sese pro muro, hinc inde præbentibus.
15. Pharaonem verò cum omni exercitu suo, ingressos post filios Is-
rael, per eande n viam transire volentes, ipse violenter oppresit in ma-
ri rubro, dum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eo-
rum, & subuertit rotas curruum, ita vt ferrentur in profundum: fuge-
re autem volentes, mari redeunte in locum suum, & aquis illis occur-
rentibus, demersit eos in profundum. 16. Ipse deinde populum ita mi-
rabiliter saluatum ab Aegyptiis, transduxit per desertum quadragin-
ta annis, multa eis ibi beneficia prius inaudita præstans. 17. Post an-
nos autem quadraginta, vt in promissam terram eos introduceret, de-
iecit, expugnauit, & interfecit pro eis reges magnos, qui terram illam
filiis Israel promissam possidebant. 18. Et occidit, pro eis pugnan-
do sua diuina virtute, reges virtute atque diuitiis admodum fortes,
quibus nunquam potuissent virture humana filij Israel prævalere: ip-
sos tamen interfecit, data eis de cælo victoria, & eorum munitiones ac F
regna occupauit. 19. Ex horum numero erat Seon ille rex Amor-
rhæorum, qui filiis Israel humiliter petentibus, contumaciter negauit
transitum: quem tradidit Deus in manus populi sui. 20. Item &
Og regem Basan, qui & ipse occurrebat populo domini in prælium,
factumque est illi à domino sicut priori: sed & alios plurimos trans
Iordanem tradidit dominus in manus filiorum Israel. 21. Et tradi-
dit terram illorum quos interfecerat propter peccata eorum, in hæ-
reditariam possessionem aliis melioribus quibus volebat. 22. Tra-
didit, inquam, populo quem elegerat sibi in peculium, populo Israel,
in possessionem & hereditatem. 23. Fecit autem hæc omnia pro po-
pulo suo tam magnifica & stupenda, eo quòd viderat afflictionem &
tribulationem, qua humiliabantur & opprimebantur ab Aegyptiis
seruitute intolerabili: & clamorem eorum qui de angustia operis cla-
mabant ad dominum, ipse attendit, memorque fuit populi sui, & pro-
missionum quas fecerat patribus eorum. 24. Et propter hoc ap-
posuit cor suum vt liberaret populum suum ab inimicis & oppres- G
soribus eorum. 25. Neq; verò soli populo Israel exhibet benefice-
tiam suam, verumetiam erga omnes omnino quicunque viuunt super
terram, dans omnibus escam & pabulum, vnicuique iuxta conditionẽ
& proprietatem naturæ suæ, in qua condita sunt ab initio. 26. Con-
cludens resumo quam initio proposui exhortationem, vt confessione
laudis Deum verum qui in cœlo habitat, non in manufactis celebre-
tis. 27. Celebretis, inquam, dominum omnium dominantium, &
regem regum: quoniam in sempiternum permanebit super omnes
seruos eius misericordia ipsius, & vsque in consummationem sæculo-
rum quisquis quæsierit in omni progenie, inueniet eam.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXXV.

VErsu 5. Qui fecit cælos in intellectu. Græcè est ἐν συνέσει, id est, in intellectu, quod valet, in sapi- H
entia: quemadmodum in psalmo quadragesimo sexto, psallere συνετῶς, vertitur, psallere sapien
Psal.46. ter, quod verti potuisset, Psallite intelligibiliter, vel cum intellectu: quemadmodum & hic pro eo
quod nos habemus, Qui fecit cælos in intellectu. Clarius dici potuisset, Qui cælos fecit sapienter.
Atque ita Hieronymus vertit, Qui fecit cælos in sapientia. Felix, In intelligentia, siue prudentia.
¶ Versu 7. Qui fecit luminaria magna. Luminaria ista duo, quorum in duobus sequentibus versi-
bus fit mentio, nempe sol & luna, peculiariter magna hic appellantur, sicut & in principio libri Ge-
Genes.1. nesis. Quod non ita est accipiendum, quasi secundum molis quantitatem omnibus stellis quæ sunt
in firmamento sint sol & luna maiores. Nam de luna ex astronomorum demonstratione constat
eam esse quantitatem multo minorem omnibus, etiam minimis stellis quæ videri possunt in firma-
mento. Minima enim stellarum visibilium firmamenti, vt Alphraganus astronomus asserit, tota
terra est maior. Luna verò minor est terra, ac proinde omnibus stellis quæ in firmamento videri
possunt quantumuis minimis. Imò verò stellas esse tradunt astronomi in firmamento tam miræ
magnitudinis, vt totam terræ quantitatem quælibet earum contineat centies & septies, alias quæ
eam contineat nonagies, alias septuagies & bis, alias quinquagies & quater, alias trigesies & quin-
quies, alias decies & octies: quemadmodum suo loco ostendimus in 7. libro de consideratione re-
rum naturalium, cui titulus est de cælo & mundo. Quomodo ergo, si de quantitate molis sermo-
nem faciamus, luna ipsa (quæ tota terra est minor) verè dici poterit luminare maius, comparatione
ad eiusmodi stellas firmamenti tanto terra maiores? Sed & sol secundum molem licet luna sit longe
amplior,

A amplior, tamen multis stellis firmamenti est minor. Oportet ergo hanc peculiarẽ appellationem qua
nuncupatur sol & luna, duo magna luminaria, accipi secundum præcellentiã luminis, & excellentiã
ministerij, quo suæ lucis beneficio eximie inseruiunt mortalibus, præ omnibus alijs luminaribus lu-
cem abundantiorem terris infundendo, & operationes exercendo magis validas, magisque manife-
stas. Quæ enim stella firmamenti sic sentitur in terris, secundum operationem sui effectus, vt eius ad-
uentu omnia vireant, eius abcessu omnia flaccescant & emoriantur? Quæ stella vel maxima firma-
menti, ita manifeste totum hominis corpus disponit, vt ipsas quoque medullas sua varietate augeat
& minuat? Attamen istas solis & lunæ esse operationes, manifestissima certissimaque experientia co-
gnoscimus. Et notandum, quòd non dicuntur hæc duo sol & luna peculiariter magna corpora, aut
magna astra, sed tantum magna luminaria, videlicet vt indicetur illuminationis super terram præcel-
lentia. Denique, magna singulariter dici possunt secundum æstimationẽ mortalium. Secundum nan-
que humanum iudicium, euidentissimum est, lunam & solem iudicari maiores omnibus stellis quæ
sunt in firmamento. Quod autem in versibus duobus sequentibus dicitur solem esse factum in pote-
statem diei, siue (vt Felix vertit) in dominium diei, & lunam in potestatem vel dominium noctis, cum
stellis, illud est quod in primo capite Genesis, in horũ luminarium creatione die quarto, sic dicitur, Gene. 1.
Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset
B nocti & stellis. Et posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti,
& diuiderent lucem ac tenebras.

CXXXVI. PSALMI ARGVMENTVM.

*PSalmus iste populi veteris est Iudæorum suam deflentis captiuitatem. Et primum quidem sui cordis anaritu-
dinem testantur, dum terræ suæ sanctæ à qua translati sunt, recordantur, propter quod organa suspendunt,
signa nulla exhibere volentes vllius lætitiæ, neque cantica iucunditatis canere, in terra captiuitatis, etiam si ad
hoc ab ijs qui illos in captiuitatem ducebant, inuitarentur: præcipue ob recordationẽ ciuitatis sanctæ illius Hie
rusalem, cuius se memoriam atque desiderium protestantur nunquam imperpetuum velle è corde abijcere, adeò
vt iam mala sibiipsis imprecentur, si id vnquam contigat. Deinde versu. 9. per modum imprecandi pœnam
prædicit eorum, qui in destructione Hierusalem Chaldeis admixti, crudelissimos sese hostes exhibuerunt Iu-
dæis, ad omnimodam & perfectam destructionem vsque ad fundamenta, illos suis exhortationibus ani-
mando. Nouissimis verò, duobus versibus, Babyloniorum pœnam, ex diuinæ iustitiæ statuto eis ventu-
ram, prænunciat.*

CXXXVI. PSALMI ELVCIDATIO.

C 1 *Super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus:*
* *dum recordaremur tui Sion.*

2 *In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra.*

D 3 *Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.*
4 *Et qui adduxerunt nos:* hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

5 *Quomodo cantabimus canticum dominiin terra aliena?*
6 *Si oblitus fuero tui*

CVm abduceremur captiui in Babylonem à terra patrũ nostrorum, in itinere adhuc constituti tranſmigratio-
nis, resedimus atque demorati sumus iuxta fluenta Babylonis, vbi ad demorandum locus aptior videba-
tur: illicque sedentes, atque demorantes, lugubres fle-
tus edidimus: * cum nobis in mentem veniret cõsola-
tio ciuitatis sanctæ Hierusalem, & terræ illius sanctæ miseranda disi-
patio, & quomodo templum quod in eo erat solenne domino, igne
combustum sit, vasa sancta prophanata, aliaque indigna plurima in lo-
co sancto commissa: simul etiam dolentes nos à loco illo sancto, quem
sibi dominus sic elegerat, per transmigrationem hanc & captiuitatem
elongari. Quis enim ista considerans, lachrymas valeat continere? 2. In-
gressi in Babylonicã terram, & iam velut in medio eius positi, viden-
tes, q̃ esset locus hic à terra nostra alienus, instrumenta lætitiæ quæ at-
tuleramus nobiscũ, in quibus cantare eramus soliti, suspendimus ad sa-
lices, quarũ erat iuxta fluenta vbi demorabamur magnus numerus: vt
pote quibus non liberet instrumentis vti lętitiæ, sed potius flere & eiu-
lare in tristitia pro misera translatione & captiuitate nostra. 3. Et qui-
dem (quod nostrum dolorem etiã augmentabat) ij qui nobis præfecti
erant in hac trãslatione, quos rex Babyloniorum ad nos trãsferendos
constituerat, postulauerunt à nobis verba canticorum & cantica læti-
tię nos exhortabãtur canere. 4. Et qui nos de natali sancto loco nostro
adduxerunt captiuos, in terrã ignotam, alienã & idololatria cõtamina-
tã, postulauerunt nos, & exigere videbatur à nobis: * dicentes, vt cãtica
aliqua lætitiæ caneremus de ijs quæ canere solebamus in instrumentis
nostris muſicis, cum essemus in terra nostra Hierusalem. Atque hæc
dicebãt, vel per irrisionem, ad nostri doloris aggrauationẽ, vel per cõ-
passionem, ad tristitiæ qua nos oppressos conspiciebant lenimentum.
5. Nos verò, vt pote homines amaro animo, & quibus nõ libebat signa
vlla ostendere lætitiæ, respondebamus illi dicentes. Quonãmodo cãta-
re poterimus cãtica domino consecrata, cãtica diuino cultui deputata
in terra hac aliena atque prophana, in qua omnis viget idololatria, vbi
prorsus ignoratur Dei reuerentia? 6. O Hierusalem ciuitas sancta, ô ter
ra deo sacrata, qũo signa poterimus ostẽdere vlla lętitiæ, donec desola

Hierusalem, obliuioni detur dextera mea.

7 Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

8 Si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.

9 Memor esto domine filiorum Edom in die Hierusalem.

10 Qui dicunt, exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea.

*11 Filia Babylonis misera: *beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.*

12 Beatus, qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram.

tionis illius quæ in te facta est nobis hæret memoria? Ecce enim firmil E
simo proposito illud statuo, nunquã tui memoriã de corde deponere,
sed quantũuis diu hęc nostra protrahatur captiuitas, tuã desolationem
deflebo, & ad reparationẽ reditũque suspirabo, adeò vt fideter audeam
mihipsi etiã cõminari ac dicere: si vnquã in loco isto captiuitatis posi-
tus, memoria atque desideriũ tui ô Hierusalem è corde abiecero, oble-
ctatus in terra ista aliena, aut in Babylonicis siue diuitijs, siue delicijs,
in vltionẽ hæc mihi pœna eueniat, vt nõ vltra memor sis dexteræ meæ,
nõ mihi veniat à te vllũ auxilium, sed derelinquar à te atque proijciar.
7. Arescat quoque in me omnis vigor meus, & interius humore omni
atque virtute destituar, ita vt præ siccitate lingua veluti adhæreat gut-
turi. Hæc (inquã) mihi faciat Deus & hæc addat, si tui memoriã abiece
ro de corde meo. 8. Si nõ te, ô ciuitas sancta, caput semper & principiũ
lætitiæ meæ, omnibus desiderabilibus & delectabibilib⁹ quę mihi ob-
uenire possint præposuero, si nõ te semper in animo præ omnibus ge-
stauero, si nõ tuum bonũ & tuam restitutionẽ omnibus semper antepo
suero, quæcũque mihi possent lęta aut prospera obtingere, si nõ in om F
ni lætitia quæ mihi quomodocunque cõtigerit, tui primũ memor exi-
stã. Et omnino nunquã in terra hac captiuitatis constitutus ita me vlla
sinã capi aut detineri oblectatione, vt prorsus tui fiã immemor. Ita mi-
hi cordi est, quæ in te facta est desolatio, & ita mihi in desiderio est, tua
quã spero futurã aliquando reparatio. 9. Domine Deus, tu vides, quãta
in nos mala exercuerunt inimici nostri Babylonij, quib⁹ iuncti fuerunt
ij qui terræ nostræ erãt vicini Idumæi, qui se illis cõmiscuerunt, vt nos
iuxta quod semper optauerãt, nacta opportunitate, per exercitus po-
tentioris virtutẽ destruerent. Horũ, tu domine, Idumæorũ malitia at-
tende & ad vltionem memor esto malitiæ & crudelitatis quã exercue-
runt in nos in die visitationis, & in tempore destructionis ciuitatis tuæ
sanctæ Hierusalem. 10. Qui Chaldeos, licet ex seipsis nimiũ crudeles, ad
hortantes ad maiorẽ crudelitatẽ, dicebãt, Euacuate, & ad fundamenta
vsq; prorsus demoliamini, cuncta destruite, ignique absumite, prorsus
nihil relinquentes, neque lapidẽ in fundamento, neque vllum omnino
vestigium: ita vt in sempiternum vltra nonvaleat reædificari, neque vl- G
tra sit memoria eius super terrã. Huius crudelitatis tu domine memor
eris, vt eis iuxta malitiam suam reddas vindictam: cum debuissent iure
fraternitatis nobis ipsi potius in protectionẽ atque auxilium extitisse,
aut vt minimum cõpassionis nobis affectũ exhibuisse. 11. Populus autẽ
Babylonicus, gens Chaldæa, qui desolationis factæ in ciuitate tua præ-
cipui authores & crudelissimi exequutores fuerunt, ipsi erũt miseri, &
ex decreto iustitiæ tuæ sentiẽt miseriam in die, cum retribueris eis pro
sua malitia: * & beatum nos prædicabimus populum illũ, qui ex decre
to diuinæ sententiæ retribuet illis iuxta meritum digna præmia, ita in
illos agente crudeliter, vt sine misericordia ipsi crudelissime egerunt
aduersus locũ sanctum tuũ. 12. Beatos illos prædicabimus, & laudibus
magnis celebrabimus illos diuinæ iustitiæ ministros, qui ex sententia
iustitiæ Dei eandẽ ostendent in vos crudelitatis sæuitiam, quã mõstra-
stis & exercuistis aduersum nos, ita vt etiam paruulis vestris infantibus
atque lactantibus nõ parcant, sed crudeliter eos apprehendant, allidãt-
que sine misericordia ad petras, & sagittis perimãt: quomodo paruu- H
los nostros petris illisos, & sagittis perfossos, nephãdissime interemi-
stis. Sic enim à domino decretum & statutum est, vt iuxta omnem ma-
litiam, quam in nos exercuistis, ô crudeles Babylonij, suo tempore red
datur in caput vestrum.

Esaiæ. 13.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXXVI.

MAnifestum per se est, hunc Psalmũ ad literam cõuenire filijs Israël in transmigratione Baby-
lonica deflentibus suæ captiuitatis miseriam & loci sancti desolationem, suis autem hostibus
pœnam & vltionem vel prædicentibus vel imprecantibus. Secundum autem mysticam intelligen-
tiam, facile aptare poterimus Psalmum istum populo fidelium, in hoc mundo tanquam in exilio de-
genti, vbi longe sumus ab illa terra sancta, à loco illo paradysi, vbi erat summa quies atque tranquil-
litas, vbi erat perpetuum sabbathum in perfecta innocentia: cũ nũc in medio Babyloniorũ, id est, in
maxima confusione, in perturbatissimo hoc mundo, vitã ducamus in medio derisorum & iniquorũ
2. Petri. 2. qui de die in diem (vt de Loth ait sanctus Petrus) affligunt animas iustorum. Ipsi verò sancti iugiter
memores sui exilij, & agnoscẽtes trãsmigrationis locum, scientes vnde abducti sunt, atque in patriam suam

suam tandem aliquando reditum sperantes organa suspendunt in salicibus, omnia huius mundi
gaudia, delicias omnes & voluptates abijciunt & abiurãt, semper ad patriam illam vnde abducti sunt
aspirantes, in omnibus quæcunque in terra captiuitatis blandiuntur renuentes consolari, atque in
sola spe sui ad patriam reditus oblectari proponentes. Vltio autem illa quæ in fine Psalmi ponitur,
significat grauissimam illam desolationem & damnationem, quam iusto Dei iudicio experientur
vniuersi impij, & dæmones peruersi, & illis adhærentes maligni homines, qui in hoc mundo iusto-
rum fuerunt irrisores quique filiorum Dei in hoc exilio, quantum potuerunt, captiuitatem aggra-
uare non desierunt. ¶ Versu. 1. Super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus. Potest ista sessio
super flumina intelligi, in via, cum essent adhuc in transmigratione. Solent enim magni exercitus li-
benter iuxta loca, vbi sunt aquæ, figere tentoria, ob vsum aquæ in cunctis necessarium: quemadmo-
dum in primo lib. Esdræ legimus, quod Esdra ipso cum magna populi multitudine ascendente de 1. Esdr. 8.
captiuitate Babylonica, congregatus sit omnis populus ad flumen, qui decurrit ad Ahaua, ibique
mansit tribus diebus. Vel intelligi potest sessio ista, de habitatione in terra Babylonis, quam plurima
irrigabant flumina, vti Strabo refert libro. 16. quorum maxima erant Tygris & Euphrates. Nam
& vulgo sic dicimus, ciuitatem illam esse sitam super hoc aut illud flumen, id est, iuxta flumen, vide-
licet vt ex eo ciuitas ipsa sua commoda in rebus necessarijs accipiat. Quod autem dicit populus, se-
B cũdo in versu in salicibus se suspendisse organa, indicat magnam ibi fuisse salicum copiam, quæ iux-
ta flumina solent in locis humidioribus libenter nasci, quemadmodum e contrario myricæ in locis
arentibus. ¶ Versu. 3. Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.
Intelligi potest quod hîc dicitur de Babylonijs postulantibus cantica à filijs Israël, tripliciter. Primo,
vt ironice accipiamus hoc illos dixisse, deridendo populum Domini: quasi dicant, Cantate nunc, can-
tica quæ canere soletis, quare non canitis? quare non gaudetis? quemadmodum per ironiam sub-
inde afflictis loqui solent illudentes alij, qui malis afflictorum congratulantur, maxime illis qui pri-
us in excedenti erant gaudio, antequam subita illa occurreret tribulatio. Atque huic intellectui con-
sonat quod vertit Felix, Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, verba cantici:
& deridentes nos lætitiam (supple interrogauerunt nos, dicendo) Cantate nobis de cantico Sion.
Neque dissonat quod habet Paraphrasis Chaldaica Ibi, interrogauerunt nos Babylonij qui capti-
uos abduxerunt nos, vt diceremus verba cantilenarum: & raptores nostri lætitia affecti dicebant:
Psallite nobis cantica quæ dicebatis in Sion. Secundo accipi potest hæc postulatio vt seria, & non
ironica, vt videlicet exegerint Babylonij serio ab ipsis, cantare carmina consueta laudis Dei ad eorũ
irrisionem, vel ob nimiam superbia ad suam ostentationem quemadmodum rex Balthasar, ex ingen-
ti superbia & nimio cordis fastu, sacra vasa iam temulentus iussit ad mensas suas adferri, vt biberent
C ex eis ipse & optimates eius, laudantes deos suos aureos & argenteos, quasi dignum se iudicans qui
ijsdem vteretur vasis cum domino Deo Israël, in quibus ille olim acceperat ministerium. Ita intelli-
gi potest, Babylonios ob superbiam voluisse coram se decantari illa carmina, & suas aures iisdem Danie. 5.
oblectari, quibus solent in terra Israël soli cantare domino. Tertio, potest accipi hæc postulatio, vt
ex compassione prolata. Quanquam enim Babylonij, in ipsa ciuitatis destructione & inuasione cru-
delissime egissent: fieri tamen potuit, vt post vltionem consummatam, & iam omnia demolita, ad
qualemcumque mansuetudinem eorum animi flecterentur erga eos qui relicti erant superstites,
quemadmodum fere solent post omnia vastata & impetum expugnationis transactum, animi victo-
rum erga reliquias deuictorum mollescere. Atque ita fieri potuit, vt Babylonij illi, quibus erant
admixti filij Israël, videntes magnam tristitiam quam fletibus & querimonijs grauiter protestaban-
tur, misericordia commouerentur super illorum desolatione, ac proinde hortarentur illos ad sese cõ
solandum patrijs canticis, quibus populum Israël cognouerant plurimum assuefactum, videlicet
potestatem illis concedentes (ad consolandum animi mœrorem) canendi cantica domini. Est au-
tem primus horum modorum communior, & magis verisimilis. ¶ Versu. 5. Quomodo cantabi-
mus canticum domini in terra aliena? Terram alienã intellige, non solum populo domini alienam &
peregrinã siue incognitam, sed alienã etiam à Deo, vt pote in qua agnoscebatur, neque celebrabatur
D Deus. ¶ Versu. 9. Memor esto domine filiorum Edom, in die Hierusalem. Oratio est eclyptica, id
est, defectum patiens, cuiusmodi esse solent orationes imprecatoriæ: vt ipsa etiam loquendi forma
animi indignatio & rei indignitas, pro qua fit imprecatio, ostendantur. Completur autem versus,
hoc modo, Memor esto domine filiorũ Edom, secundum ea quæ fecerũt contra populum tuum in
die Hierusalem, vel quanta aut qualia fecerunt aduersum nos in die Hierusalem. Diem autẽ Hieru-
salem, vocat tempus vastationis & desolationis ipsius quo modo loquendi etiam in vulgato sermone
subinde vtimur, dicẽtes, Hodie dies mea est, eras forsitã tua, volentes indicare, vt mihi hodie est afflic-
tio, infirmitas, aut quodlibet malum, ita tibi eras forsitã euentura similia: quemadmodum de mor- Eccles. 38.
te apud Sapientem breui verbo dicitur, Mihi heri, tibi hodie. Sic in Psalmo 36. de die impij dicitur, Psal. 36.
Dominus autem irridebit eum (impium) quoniam prospicit quòd veniet dies eius, nempe impij, id
est, dies quo pœnas dabit, & subibit æterna supplicia. Quo etiam modo videtur intelligendũ, quod
Hieremias dicit, Diem hominis non desideraui, tu scis: hoc est, ego nemini malum optaui, aut ma- Hiere. 17.
lum quæsiui, sed in vera charitate omnibus bene volui. De Idumæis autem pœna quæ hîc prædici-
tur, eandem latius atque apertius apud Prophetam Abdiam explicatur, cum ad Edom ita vaticina- Abdias.
tur, Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, &
peribit in æternum. In die cum stares aduersus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & ex-
traneri ingrediebantur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi vnus

ex eis. Ac post pauca, Sicut feciſti, fiet tibi: retributionem tuam conuertet in caput tuum. ¶Ver- E
ſus. Filia Babylonis miſera. Poſſumus accipere conſtructionem tranſitiuam, pro non tranſeunte,
Matth. 21. Eſaiæ. 62. ſed filia Babylonis dictum ſit, pro filia Babylon. Sic enim ſolent ciuitates in ſcripturis appellari filiæ quemadmodum alibi, Dicite filiæ Sion. Ecce rex tuus venit, &c. Poſſumus autem ſecundum cõſtructionem tranſitiuã proprie accipere filiam Babylonis, pro gente & populo qui eſt in ipſa, Eſt enim ciuitas, principium & quædã mater omnium qui in ea nati ſunt: quomodo dicimus filios Hieruſalem, filios Eccleſiæ, id eſt, natos in Hieruſalem, renatos in Eccleſia, atq; ita in cæteris. Cum autẽ in eodem verſu ſubnectitur, Beatus qui retribuet tibi retributionẽ quam retribuiſti nobis, non idẽ valet, beatus, quod in principio libri Pſalmorum, cum dicitur, Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum:
Pſalm. 1. Pſal. iii. aut in Pſal. iii. Beatus vir qui timet dominum, atque in alijs conſimilibus locis. Non enim fit hic de tali beatitudine mentio, neque talis beatitudo promittitur ijs qui interfecturi erant Babylonios, eorumque pueros allisuri ad petrã. Sonat ergo hic, beatus, laudabilis & prædicandus. Hunc enim ſenſum volunt, Populus ille qui tibi retribuet, &c. hac in re benefaciet, rem bonam & laude dignam (nimirum Diuinæ iuſtitiæ executionem) faciet, laudemque & cõmendationem ex ipſo facto commerebitur. Et hoc quidem ità verũ eſt, ſi rem ipſam, ipſumq; factum in ſemetipſo cõſideres. Bonum enim eſt dignum laude iuſtitiam exequi, & Diuinæ voluntatis peragere ſentẽtiam. ¶Verſu vltimo, Beatus F
qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. Vulgo hic legunt per pronomen tertiæ perſonæ, Beatus, qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram, quod etiam myſtice exponunt, illum vere beatum prædicantes ſecundum Deum, qui cogitationes & affectiones prauas, antequam ad perfectum conſenſum perueniant, ſupprimit & allidit ad Chriſtum, quem petram eſſe interpretatur ſanctus Apo-
1. Cor. 1. ſtolus. verum hæc ſententia, licet admodum arrideat, cum verſiculus iſte per ſe fuerit enarratus, vbi tamen ad præcedentia & cum toto decurſu Pſalmi confertur vel modica eſt, vel nulla cohærentia. Neque legendum eſt per tertiam perſonam ſuos, ſed per ſecundam, paruulos tuos. Dirigitur enim ſermo ad ipſam Babylonem, quomodo & in verſu præcedenti. Atque ita per ſecundæ perſonæ pronomen manifeſtiſsime fit ſermo in Hebræo, Chaldæo, & Græco item & antiquioribus atque correctioribus Latinis exemplaribus, tam Gallicani quàm Romani Pſalterij. Quod ſi quis mordicus velit tenere pronomen ſuos, accipiat improprie pro eorum, nempe Babyloniorum: & eandem habebit ſententiam. Hanc autem pœnam quam hic Babylonijs imprecatur populus domini, latius
Eſaiæ. 13. prænunciatam legimus per prophetam Eſaiam, capite decimotertio, in hęc verba, Omnis quiinuentus fuerit, occidetur: & omnis qui ſuperuenerit, cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur. Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurũ velint, ſed ſagittis paruulos interficient, & lactentibus vteri non miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum. G

CXXXVII. PSALMI ARGVMENTVM.

Confitetur fidelis domino in conſpectu angelorum ſanctorum, ſuper miſericordia & veritate, & exaltatione nominis eius, atque etiam promptiſsima Dei benignitate, quæ petentibus ſemper augmentat fortitudinem. Cui etiam verſu quinto, optat ob omnibus regibus & regnis terræ confeſsionem & laudem propter magnitudinem gloriæ eius: quæ in hoc peculiariter eſt ſpectabilis, quòd ipſe excelſus, humiles tamen diligit, & excelſos corde ſuperbos odit. Propter quod, corde humili in domino fidens, etiam inter medias tribulationes nihil metuit, ſecurus in Dei protectione & cuſtodia, qui opera manuum ſuarum non deſpicit.

CXXXVII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Cõfitebor tibi domine in toto corde meo: quoniam audiſti omnia verba oris mei.

*2 In conſpectu angelorũ pſallã tibi: * adorabo ad templum ſanctũ tuum: * & confitebor nomini tuo.*

*3 Sup miſericordia tua & veritate tua: * quoniã magnificaſti ſuper omne nomẽ ſanctũ tuũ.*

4 In quacunque die in-

CONfeſsione laudis celebrabo te domine ex pleno affectu cordis mei, mente pura & voluntate bona: quoniam ſecundum benignitatem tuã miſericorditer exaudiſti omnia verba deprecationis meæ, quibus orani ante conſpectum tuum. 2. In ſpiritu quoque mentis meæ eleuatus ad te, tanquam in medio angelorum tuorum conſtitutus, pſalmum laudis tibi cantabo: * adorabo ad thronum ſublimis gloriæ tuæ, ad ſanctam cæleſtem habitationem tuam, in qua vt in templo tuo ſancto glorioſus inhabitas: * atque illic ſpiritus mentis conſtitutus, quaſi ante præſentiam maieſtatis tuæ, confeſsionem laudis cantabo tibi, tametſi carne adhuc poſitus in terris. 3. Quanquam autem infinita mihi ſit confeſsionis materia, de duobus tamen potiſsimum confitebor tibi, nempe ſuper miſericordia atque veritate ſiue fidelitate tua, quas in omnibus operibus tuis coniunctas inuenio, & in ijs quæ erga humanum genus agis operibus præcipue lucere conſpicio: * quoniam ſuper omne quod eſt in cælo & in terra, tu ſuperextuliſti magnificentiam ſancti nominis tui: & tuam ſanctam maieſtatem demonſtraſti ſuper omnia glorioſam, atque præcellentem. 4. Tu verò, domine, ſecundum hanc miſericordiam tuam, atque veri- H
tatem,

A *uocauero te, exaudi me * multiplicabis in anima mea virtutem.*

*5 Confiteantur tibi domine omnes reges terræ: * quia audierunt omnia verba oris tui.*

*6 Et cantent in viis domini: * quoniam magna*
B *eſt gloria domini.*

*7 Quoniam excelſus dominus, & humilia reſpicit: * & alta à longe cognoſcit.*

*8 Si ambulauero in medio tribulationis: viuifi cabis me: * & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam:*
C * *& ſaluum me fecit dextera tua.*

*9 Dominus retribuet pro me: * domine miſericordia tua in ſæculum: * opera manuum tuarum ne deſpicias.*

tatem, in quocunque tẽpore te corde fideli inuocauero, exaudies me: * & augebis in ſpiritu meo fortitudinẽ & virtute interna me cõfortabis, ita vt à te nunquã diſceſſurus ſim vacuus, ſed aliquid ſemper ſpiritualis gratię atq; fortitudinis internę adijcies mihi, quotieſcũque ad te effudero orationẽ meã: vt ſic de virtute ſemper in virtutẽ progrediar. 5. Et nõ ſolũ dignũ eſt vt ego tibi homo pauper & modicus confitear, verũetiam tanquã dignum & iuſtũ opto, peto, & futurũ ſpero, vt confiteantur tibi omnes reges orbis terrarũ, cum regnis ac populis ſibi ſubiectis, ita vt tibi famuletur totus orbis: * quoniam iam in omnes fines orbis terræ annũciata ſunt atque audita, ex Apoſtolica prædicatione, omnia verba ſancti Euangelij, præcepta atque promiſſa omnia quæcunque per os tuum præcepiſti aut docuiſti: vnde factũ eſt, vt in omnibus partibus orbis terræ plurimi ex populis, multi etiam reges ac principes ſe ſubmiſerint cõfeſsioni Chriſtianæ fidei. 6. Et quanquam apud Apoca. 19.
homines magni æſtimatur dignitas regia, iuſtũ tamẽ eſt, vt ſuperiorem agnoſcentes dominum in cælis, in canticis laudis & gratiarũ actionis, etiam reges ipſi & principes terrarũ, vnà cum ſubiectis ſibi populis, in vijs præceptorum tuorum ambulantes, confiteantur tibi: * quòd magna ſit ſuper omnem gloriam terrenã, gloria magnificentiæ tuæ. Iuſtum enim eſt, vt ſe humilient huius mundi principes ante conſpectũ tuum, qui es rex regum & dominus dominantium. 7. Et in hoc quidem peculiariter valde miranda eſt & magnificanda gloria tua, quòd cum ipſe excelſus ſis, ſuper omnes altiſsimus, & in omnibus præcellentiſsimus, ſemper tamen ad humiles reſpicis & attendis, & eos exaltas: * ſuperbos verò & eos qui ſeipſos exaltant, tu deſpicis, contemnis, & tanquam elongatos à conſpectu tuo pro nihilo reputas. 8. Et ego ſi humiliatus fuero, teque humiliter inuocauero, confido quòd etiam ſi inter grauiſsimas ex omni parte tribulationes & tentationes verſatus fuero, tu me ſis liberaturus, & in vita ſpiritus ſeruaturus, atque etiam corroboraturus: * imò contra iram, inuidiam, & malitiam eorum qui
Rom. 12. me perſecuti fuerint demonſtrabis potentiam virturis tuę, eorũ videli-
Deut. 32. cet malitiam tua potentia prohibendo & ſuperando: * & dextera omnipotentiæ tuæ ſaluabit me ab infania & furore inimicorũ meorum. 9. Inſuper tu domine retribues etiam, & vindictã facies in illos pro me. Tua enim eſt vltio, & tu retribues impijs iuxta malitiam ſua: * O domine, miſericordia tua ſempiterna eſt, quam ad initio cognouimus ſemper erga ſeruos tuos fidelem extitiſſe, neque dubitamus in finẽ vſque in perpetuum permanſuram: * propter quam miſericordiam, te precor piiſsime Deus, vt nos qui ſumus opera atque figmenta manuũ tuarum, quos formaſti atque finxiſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, in potentia, ſapientia, & bonitate tua nunquã abijcias aut negligas: neque vnquam nos in perditionem venire permittas, propter gloriam nominis tui, quod eſt benedictum in ſæcula. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXXVII.

VErſu. 2. In conſpectu angelorum pſallam tibi. Hinc manifeſte cognoſcitur, etiam ſpiritum habere pedes ſuos, quibus proficiſci poſsit cum voluerit, vel vſque ad angelicorũ agminum conſor-
D tia, corporis pedibus interim ſuper terrã ſuam perſtantibus. Nili fortè magis velimus alas dare ſpiritui, quibus volet, quàm pedes quibus ambulet vel currat. Sic enim ille eximius Theologus Boetius alas maluit quàm pedes dare humano ſpiritui, cum de ſe ita caneret, Sunt etenim pennæ volucres mihi, Quæ celſa cõſcendãt poli. Quas ſibi cũ velox mens induit, Terras peroſas deſpicit: Aeris immenſi ſuperat globum, Nubesque poſt tergum videt: Quique motu agili calet ætheris, Tranſcendit ignis verticẽ, Donec in aſtriferas ſurgat domos, &c. His ergo ſiue pedibus, ſiue alis, confidit vir ſanctus, & proponit in cõſpectum angelorũ aſcendere, aut potius ſubuolare, illique Deo pſallere, & adorare ad templum ſanctum eius. Sine his enim nunquam ad tantæ poſſet celſitudinis ſublimitatem conſcendere. Tunc verò in conſpectu angelorũ Deo pſallimus, quando mente & affectu Deo præſentes nos facimus, & quaſi in circuitu throni eius noſipſos conſtituimus. Vel dum in profundiſsima cordis humilitate, cum ſumma reuerentia coram Deo procidimus, vt in medio angelicorum agminum gloriſiſsime regnante, quando ſic corã throno gloriæ eius procidimus: attendentes quanta reuerentia illi miniſtrent milia milium, & aſsiſtant decies centena milia. Poteſt etiam illud, In conſpectu angelorum, aliter exponi, vt ſignificetur, quaſi ſub illorũ patrocinio. Quomodo enim is qui præ humilitate nimia erubeſcit coram rege magno ſolus loqui, fidetius loqui audebit, ſi aſsiſtant quos ſperat cauſæ ſuæ habiturum ſe patronos: ita & nos meritis nimium exigui in conſpectu angelorum pſallere & orare debemus, vt vel per illos noſtræ laudes Deo præſentatæ fiant acceptæ, & exaudiantur orationes.

 ¶Verſu. 3.

¶ Versu.3. Magnificasti super omne, nomen sanctum tuum. Ne putes omne nomen, esse orationem E
adiectiui & substãtiui, sed diuisim lege, & omne numeri singularis intellige positum pro plurali, omnia, in hunc sensum, Magnificasti super omnia nomen sanctum tuum. Quàm verò dulce est, quod in versu sequenti vir sanctus quotiescunque ad dominũ clamat, non solum exaudiri, verumetiam adijci sibi virtutem, & multiplicari semper fortitudinem, confidenter pronunciat, de Dei bonitate & fide nihil hæsitans. Cui non male consonat, quod alio in loco dicitur, Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, &c. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem. Illi enim quorum auxilium à Deo est, & qui ascensiones in corde suo disponunt, ipsi sunt & qui clamando inuocant dominum: atque hi exaudiuntur à domino, & ex benedictione eius pergunt de fortitudine in fortitudinem, multiplicaturque virtus in animabus eorum. ¶ Versu.6. Et cantent in vijs domini, quoniam magna est gloria domini. Cantant quidẽ, sed non in vijs domini, qui (iuxta Apostolum) ore quidem Deum laudant aut deũ se nosse confitentur, sed factis negant, qui labijs Deum honorant, corde autem & moribus elongantur ab eo. In vijs autem domini cantare monemur, vt Dei præcepta custodientes laudemus. Qui enim cãtant & non in vijs domini, peccatores, horũ (teste Sapiente) nõ est laus speciosa. Rectos verò (vt noster ait Psalmista) decet laudatio. In secunda autem parte dictio quoniam, accipi potest vt dicat causalitatem, in hunc sensum, Cantent fideles reges in vijs domini, propterea quòd gloria domini magna est. Magnitudo nanque F
gloriæ Dei, ratio est, quare laudandus sit, & nos illi in vijs ipsius cantare debeamus. Vel accipi potest pro quòd, vt significetur quid debeat cantari, in hunc sensum. Fideles in vijs domini hoc cantent, q̃ magna sit gloria eius: id est, de hoc cum canticis laudent, quòd sit magnus & gloriosus super omnes.

Psal.83.

Tarum.

Esaiæ.29.
Matth. 25.

Eccles. 15.
Psal.23.

CXXXVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

In hoc psalmo multiplex ponitur consideratio Diuinæ magnificentiæ, ex qua consurgitur ad laudem Dei. Et primũ quidem ipsius omni scientia proponitur, quæ se etiam vsque ad singulas humanas actiones, cogitationes, atque loquutiones, ad præterita insuper & futura extendit: ita vt futurorũ etiam priusquã sint habeat præscientiam: propter quod, mirabilis est & supra imbecillem humani ingenij captũ, Dei omnis scientia. Deinde versu 6. ad Dei omni præsentiam (vt ita rei exprimendæ gratia loquamur) transit, ostendens per inductionem, nusquam locorum posse quenquam effugere præsentiam domini, qui est & in cælo & in terra, & in nouissimis maris. Versu autem 10. soluitur erronea persuasio, qua se quidã putant tenebris à Dei conspectu atque præsentia occultari: & declaratur, quẽadmodum Deus perinde die ac nocte, & in luce & in tenebris, omnia habeat præsentia, & patentia suo conspectui: neque adiuuetur luce diei, neque impediatur tenebris noctium: cuius adiungitur causa, quoniam omnibus ipse est præsentißimus semper & intimus, ita vt intima nostra possideat, habeat q̃ in sua potestate, quos à matris vtero formare cœpit. Propter quod, ex mirabilium operum contemplatione, in spiritu consurgit ad laudem & confessionem eius, cuius oculis etiam ossa nostra quamuis pelle & carne occultata, nuda tamen sunt & aperta: qui etiam substantiam corporis nostri cognoscebat adhuc in terræ visceribus dispersam, priusquam in corporis campaginationem vniretur: qui deinde corpus ipsum nostrum in matris vtero vidit imperfectum, nondum membris omnibus absolutum, neque rationali anima adhuc formatum: in cuius præscientiæ libro vniuersi scripti seruantur, etiam illi qui in pòst venturis diebus formandi sunt, nondum in rerum natura subsistentes. Atque hæc quidem, vsque ad versum decimum sextum. Ab hoc autem, consequenti ordine, relicta contemplatione operum creationis & mirabilium prædictorum, transit ad considerationem Diuinæ bonitatis atque dignationis, quam erga electos suos demonstrat, quos honore maximo honorificauit, & principatu sempiterno dotauit: neque eos paucos, sed in multitudine innumerabili, multos valde, quos nemo dinumerare posit hominum: ad quorum societatem aspirans, se dicit exurgere & erigere spem atque conatum, & cum Deo intra illorum numerum velle semper permanere. Peccatores autem & viros sanguinum sciens esse sub odio illius, & ab illo esse mortis sententia interficiendos, etiam ipse à se abigit vir iustus: propterea quòd vanam sentiant esse spem electorum, cælestes mansiones (quas expectant fideles) commentitias & vanas existimantes, promissis Dei credere recusantes. Atque hos, quatenus Deo sunt inimici, etiam ipse inimicos habet, & odio perfecto H
exosos. Vltimis tandem duobus versibus se ad Deum post omnia conuertens, ipsum interrogat suæ conscientiæ testem & iudicem: & bene confidens de cordis sui rectitudine, probari ipsum petit à Deo, tatque ita in æternæ vitæ via eundem habere ductorem, ne vsquam fortè aberret.*

CXXXVIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Domine probasti me & cognouisti me:

** tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam.*

MAgna est & mirabilis, domine, latitudo scientiæ tuæ, qua omnia nosti, etiam particulares quasque actiones hominum. Ecce enim domine, tu me totum intus & in cute perscrutaris, inuestigas, atque perquiris, & quasi probatum diligenter atque peruestigatum optime nouisti: * siue sedeam, siue surgam, siue stem, siue iaceam, & omnino quicquid egero, tu exacte nouisti singula: & nihil te potest latere eorum quæ ago: * Denique, siue sedeam in quiete contemplationis & meditationis legis tuæ, siue exurgam à quiete contemplationis, ad negotia quælibet aut labores actionis, tu omnia attendis, & nosti vniuersa quæcunque ago, tu habes explorata.

2. Neque

A *2 Intellexisti cogitationes meas de longe: * semitam meã & funiculum meum inuestigasti.*

3 Et omnes vias meas præuidisti:

B ** quia non est sermo in lingua mea.*

4 Ecce domine, tu cognouisti omnia nouissima & antiqua:

** tu formasti me:*

** & posuisti super me*
C *manum tuam.*

*5 Mirabilis facta est scientia tua ex me: * confortata est, & non potero ad eam.*

D

6 Quò ibo à spiritu tuo? aut quò à facie tua fugiam?

7 Si ascendero in cælum, tu illic es:

** Si descendero ad infernum, ades.*

8 Si sumpsero pennas

2. Neque verò solas actiones externas, verumetiam cogitationes quæ mihi sunt intimę, tu cognoscis à longe, hoc est prius etiam quàm intra me sint per tuam præsentiam: * aut de longinquo, cum tu in cælo habites, nos hic in terra versemur, neque obstat tibi spatij intermedij vel maxima distantia, vt confundantur qui te putant, q̃ circa cardines cæli perambules, nostra ob hoc nihil considerare: * viam vitæ meæ, quam ambulo, & conuersationem meam, simul & funiculum viæ meę, id est, intentionem mearum omnium actionum, tu optime habes cognita. Tu enim nosti viam bonam, an malam ambulem coram te: & singularum actionum intentionem tu iudicas. 3. Neque verò tunc vias meas & actiones scire incipis, cum me vides in eis ambulare, quasi ex mea actione tu haurias tuam scientiam, quemadmodum homines faciunt, qui per sensus exteriores cognitionem hauriunt eorum quæ intellectu cognoscunt: sed ab æterno secundum æternam tuam præscientiam prænouisti omnes vias vitæ meæ, quas in hoc mundo eram peram bulaturus: * & omnino nullus est sermo in ore meo, quem tu nõ noueris, etiam priusquam edatur per os meum, & donec sub lingua mea adhuc volutatur nondum expressus: * Neque sermo vllus est in lingua mea, quo tibi aliquid valeam patefacere, quod nó antè in cogitatione mẽtis meæ æque clarissime conspexisses: neque sermone vti debeo per linguam meam, ad tibi rem quamlibet insinuandam, sed sola tibi cogitatio sufficit, vt tibi sola cogitatio hominis loquitur. 4. Et quid multis est opus? Ecce enim in vniuersum omnia, & quæ vltima sunt nouissimis ventura temporibus, & quæ antiqua sunt, quæ olim præcesserunt in prioribus generationibus, sicut præsentia æque omnia nouisti. Tua enim scientia & præterita, & præsentia, & futura, æquè cõplectitur, ratione æternitatis tuæ, in qua præteritum & futurum non sunt, sed totũ præsens est: in qua tibi sunt præsentia, quæ hominibus in tempore isto viuentibus, aut præterita sunt, aut futura: * neq, verò tantum spectanda occurrit mirabilis latitudo cognitionis tuæ, verũetiam ineffabilis potentia virtutis. Tu enim creasti me, & secundum animam tuæ imagini me assimilans, & secundum corpus de limo terræ me fingens: * neque postquam creasti me, statim abstraxisti manum tuam à me, neque mox cessauit erga me operatio virtutis tuæ, sed manum potentiæ tuæ, sicut adhibuisti mihi, cum me creares, ita eandem super me confirmasti: vt quem creasti, quandiu tibi fuerit placitum conserues. Non enim es tu domine vt corporales sunt artifices, qui postquã opus quodlibet perfeceriot, conseruare ipsum opus non habent, manũ abstrahunt, & permanet nihilominus opus quod effectum est. Omnia siquidem quæ à te creata sunt, perpetua egent manutentione, & sustentatione tua: ita vt si semel manus tuæ tentionem subtraxeris creaturis, vniuersæ simul collabantur in nihilum. 5. Verè mirabilis facta est tua scientia atque sapientia à me, extra me, supra me, mihi nimium videtur mirabilis, extra captum meum est, supra intelligentiam meam: * valde confortata est, valde robusta, valde valida est, nimiumque exaltata, & non potero præualere vt comprehendã eam, nimis excelsa est, & eleuata longe supra vim ingenij mei, vt nequaquam spes sit mihi posse eam vt est cõprehendere. Excedit enim miranda tua sapientia, quam in rerum tam creatione, quam sustentatione monstras, omnem humani ingenij facultatem: neque ad eius sublimitatem pertingere valet nostra crasities. 6. Et quem admodũ in omni scientia tua atque omnipotentia, sic & in omni præsentia tua spectandus es atque mirabilis, q̃ videlicet in omnibus locis vnus ipse præsens adsis. Neque enim vllus est locus in cælo sursum, aut in terra deorsum, ad quem possit homo accedere, ad abscondendum se à te domine, qui spiritus es, & non caro: neque est quo possit homo confugere, ad occultandum se à conspectu præsentiæ tuæ, id quod per singula inducendo facile sit manifestum. 7. Si enim etiam vsque ad cæli altitudinẽ quis conscenderit, putans illic se à te occultare, errat grauiter ille. Te enim illic maxime præsentem inueniet, quandoquidem cælum tibi sedes est, & mansio habitationis tuæ, cælumque & terram adimples: * si verò in oppositã partem abscedens, etiam vsque ad profunda inferni descenderit, sperans vel ibi non ad futurum dominum, errat iterum. Tu enim illic ades secũdum potentiam & seueritatem tuæ iustitiæ, quasi iudex & vltor in loco carceris, ad perpetuam impiorũ, qui illic vincti detinentur, vltionem. 8. Quòd si illi possibile foret etiam

Psal.138.

Iob.22.

Ioan.4.

Esaiæ. 66.
Hier. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

meas diluculo, & habitauero in extremis maris.

Hier.23. Heb.4. 1.Ioan.1.

9 *Etenim illuc manus tua deducet me:*
** & tenebit me dextera tua.*

10 *Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me:*

** & non illuminatio mea in delicijs meis:*

11 *Quia tenebræ non obscurabuntur à te:*

** & nox sicut dies illuminabitur:*
** sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

12 *Quia tu possedisti renes meos:*

** suscepisti me de vtero matris meæ.*

13 *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es:*
** mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.*

14 *Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto:*
** & substantia mea in inferioribus terræ.*
15 *Imperfectum meum viderunt oculi tui:*

alas sibi assumere primo diluculo, & celerrimo volatu peruolare vastis E
sima maria, ita vt perueniat vsque ad longissime distantes partes maris.
9. Ne sic quidem euaserit ille præsentiam tuam. Siquidem illuc eũ deducere debebit manus tua omnipotens, neq; sine tuo ducatu illuc pertingere poterit: & eris ei quasi dux per omnem viã, neque vnquã vsquã vel ad momentum aberis ab eo: * & dextera omnipotentiæ tuæ inueniet illum, tenebit quasi apprehensum, aut tenebit ne cadat in profundum & pereat. Patet ergo, quèadmodum nec in cælo sursum, nec in inferno deorsum, nec in vltimis maris, ac proinde nec in alio quolibet loco possit esse absconsio à præsentia vultus tui: quandoquidẽ cælum & terram tu imples, suntque omnia nuda & aperta oculis tuis. 10. Quòd si quis dixerit, & reputauerit secum in corde suo, lux est Deus, & in luce videt omnia. Forsitan verò fieri potest, vt tenebræ occultent hominẽ, à cognitione & præsentia Dei, & quasi absc ̃odant, cõculcent, atque supprimãt, ita vt non videat existentes in tenebris per noctẽ, vel etiam per diem in locis obscuris: quèadmodum homines etiã quæ ante oculos sunt, nõ possunt videre, quando lumẽ abest. Forsitan ita & cũ Deo F
res habet: * Sed hoc omnino vanissimum est. Nam quantum ad oculos diuinæ cognitionis, etiã nox me illuminat, & lumen super me præbet Deo æquè atque dies, ad me contuendũ: si me abscondero ad perfruendum delicijs meis, ad explendas conceptas voluptates & peccandum liberius. Solent enim homines suas concupiscentias explere cupientes, fugere lucẽ, & tenebras exquirere, perinde quasi ita tuos oculos possint effugere. Verumfalluntur miseri, nescientes, quoniam æquè die & nocte illuminata sunt omnia tibi ad perspiciendum. 11. Quia tenebræ quas homines reputant tenebras & obscuritates, apud te non sunt tenebræ, nec obscuritates reputãtur à te, siue ante te, ita vt valeat quicquam omnino corã te obscurare, aut occultare quod non videas: * nox quoq; (quæ maximè hominibus obscura videtur) ante te reputatur quasi illuminata, ita vt non minus per noctem cuncta videas, quàm per diem, neque minus tibi pateãt omnia in densissimis tenebris, q̃ in clarissima luce: * sicut tenebræ ipsius noctis, sic lumen ipsius diei ante G
te: & sunt corã te lux diei & tenebræ noctis æquales, propterea quòd sicut illa non indiges, ita his non impediris. Neque enim lux corporalis diei quicquã te adiuuat, vt videas etiam corporalia, neq; tenebræ corporeæ vllum tibi ne videas præstant impedimentum: ita fit, vt ante te lux & tenebræ sint æquales. 12. Neque verò mirum, si mihi tu vbique præsens adsis, & semper me atq; mea omnia cognoscas, quandoquidẽ in intimis meis tu inhabitas, & intimus es mihi, ita vt etiam renes qui intra me sunt occultissimi & bene absc ̃oditi, possideas, eos in tua plenissima habens potestate: * susceepisti quoque me faciendum & perficiendum ex vtero matris meæ, in quo me primum plasmare cœpisti, omnibus membris necessarijs componens: vt deinde post egressum ex materno vtero, temporis processu, iniustam quãtitatis & roboris perfectionem adduceres: susceepisti, etiam me à matris vtero, in tuam protectionem, curam atque custodiam. 13. Confessione laudis prædicabo te, domine, pro eo quòd mirabiliter valde magnificatus sis, mirabilemque te demõstraueris in omnibus operibus tuis, potissimum autem in H
mirabili creatione figmenti nostri: * verè miranda sunt atque stupenda opera tua, omnia quæ facis: & ita sunt mirãda, vt anima mea nunquam satis valeat illis cognoscendis intendere, nunquam ea sufficienter possit contẽplari, & quantumuis contempletur spiritus meus, quantumuis consideret, non satiabitur præ admiratione. Neque enim inter omnes tuas creaturas est vel vna, quam dignè homo admirari, vel sufficienter & plenè (quantum ad potentiam, sapientiam atq; bonitatem infinitam, quæ in eis lucet ex tui participatione) possit contemplari. 14. Non sunt occultata à te ossa mea, quæ tamen fecisti in occulto, pelle & carne vestita: neque per hanc operationẽ absc ̃ondi possunt à conspectu tuo: * & substantia mea, siue materia de qua erã fecundum corpus formãdus, nõ erat occultata à te, cum adhuc esset in visceribus terræ, priusquam in materiam disponeretur corporis mei, aut priusquam in eam anima esset introducta. 15. Informe meum, mea informitatem, id est, me adhuc informẽ & imperfectum in matris vtero viderunt oculi tui: priusquam formam vltimã & perfectionem corporis acciperem, cum adhuc rudis, & impolita massa essem in matris vtero, siue forma naturæ

A
naturæ humanæ, priusquam forma vltima perficeretur ante rationalis animæ infusionem: & omnes omnino quotquot creati sunt, vel creabũtur boni atq; mali: * in libro præscientiæ tuæ erunt scripti, & in mẽte tua quasi in libro seruabitur omniũ memoria, illi etiã qui nondum perfecti sunt, ádhuc informes, imò prorsus adhuc in nihilo delitescentes: * adhuc tẽpora decurrẽt, & formabuntur in eis multi, etiam adhuc generabũtur homines, & non est iam vnus, neque subsistit adhuc vnus ex illis omnibus, qui in diebus illis vẽturis generabuntur: & tamen iam scripti sunt vniuersi in libro præscientiæ tuæ, & non est vnus ex omnibus illis tibi incognitus, non minus quàm si in diebus præteritis iam præfuissent. 16. Et haẽtenus quidem magnificentiam maiestatis tuæ in teipso atque in tuis mirabilibus operibus consideraui vt potui. Libet nunc ad tuã gloriam etiam illud attendere, qualem te erga tuos seruos exhibeas. Et mihi quidem hæc considerare volenti, videntur tui electi quos tu amicos habes, & nominas, à te honore permaximo plurimum honorificati: pro quibus talia ac tam stupẽda peregisti mirabilia, proprium filium tuum carne vestitum pro corũ salute tradendo in mortem, spiritũ paraclitum illis mittendo, & vitæ æternæ promissa magna & preciosa donando: quæ sanè omnia propter electos facta, maximæ erga illos dignationis sunt indicia: * corũ quoq; imperium & regnum quod disposuisti illis, valde cõfortatum, corroboratũ, atque confirmatum est. Regnũ enim quod disposuisti eis, sempiternũ est: & regnabunt tecũ amici tui in sæcula sæculorum. Regnum quoq; eorum valde confortatũ est, dum ipsi ex pauciss ̃imis facti sunt plurimi, & in maximũ excreuerunt numerũ, adeò vt iam dilatasse se videatur principatus & dominium amicorũ Dei in omnes fines orbis terrarum 17. Si enim velim eos dinumerare, & cœpero numerũ considerare electorũ tuorũ, inuenio esse innumerabiles, quèadmodum sunt arenæ in littore maris: nimirũ ex omnibus gentibus, tribubus, linguis, populis & nationibus collectos, turbam magnã nimis, quam præ multitudine nemo dinumerare posset, tametsi tibi sit cognitus tuorũ electorũ numerus: * & ego quoque cupiens & sperãs in horũ numerum computari, & asscribi catalogo amicorum tuorum spe concepta ex tanto electorũ numero & multitudine tã innumerabili, simul & accenso desiderio ex tanto amicorũ tuorum honore, à peccatis meis in quibus iacere cœperam, erexi me, sicque exurrexi: & adhuc tecum permaneo, adhuc (vt confido, testimonium mihi perhibente conscientia) in conspectu tuo inter amicos tuos persisto, persistamque tuę gratiæ auxilio, dum viuam, & imperpetuum tecũ eligo permanere, ita vt nulla me possit quantũuis abundans malitia à te abstrahere. 18. Atque ita quidem honorificati sunt apud te sancti & electi tui. Cæterum, quantum ad homines reprobos longe aliud cõsidero, quos nõ saluationis honor, sed potius mortis æternæ manet decretum. Et quidẽ si tu domine decreuisti, imò quia omnino decreuisti & firmiter statuisti illos damnationis gladio ferire, quia tu eos in mortẽ æternã daturus es præcipites: idcirco neque ego eos vllo dignabor honore, quèadmodũ electos tuos, neque cõmunicare cũ eis volo, aut quicquam habere cõmercij: * sed aduersum ipsos qui sunt viri sanguinũ, homines iniusti, peccatis dediti, & effusionis innoxij sanguinis cupidi, exclamabo vt fugiãt atque discedant à me in hoc tẽpore quèadmodũ tu illos in nouissimo die iubebis à te discedere: iubebo (inquã) declinare à me, exiboque & separabo me de medio eorũ, ne cõmuni- 2.Cor.6.
ceem cum operibus eorũ tenebrosis & infructuosis, ne particeps factus Ephe.5.
immunditiæ, inuoluar in peccatis ipsorum. 19. Occidet autem vos Deus, ô peccatores impij, & ego vos à me abigo, quoniã falsis persuasionibus dicitis in cogitationibus cordis vestri, quasi ad irrisionẽ electorum Dei: * nos mundo hoc & ijs quæ in eo sunt perfruamur pro libito. Istis autem relinquimus ciuitates & mãsiones cælestes, eas quas sibi imaginãtur atque pollicentur. Accipiant illas, & regnẽt in eis, quas ipsi se cõsecuturos sperant. Accipiant eas (dicitis) in vanitate, quasi non vera, sed vana sit spes electorũ Dei. Hæc enim dicunt apud te impij homines carnales, cogitationes nõ rectè existimantes, falsam & vanam esse expectationẽ iustorum: suas autẽ voluptates, quibus in sæculo perfruuntur, veras ac summas esse delicias: atque ita ob hanc falsam persuasionẽ, increduli & inobedientes, ab eo quidem interficientur, omnibus autem iustis debent esse abominabiles. 20. Teipsum interrogo Deus,

** & in libro tuo omnes scribentur:*

** dies formabuntur, & nemo in eis.*

16 *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus:*

B

** nimis confortatus est principatus eorum.*

17 *Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur:*

** exurrexi, & adhuc sum tecum.*

C

18 *Si occideris Deus peccatores:*

** viri sanguinum declinate à me.*

D

19 *Quia dicitis in cogitatione:*
** accipiant in vanitate ciuitates suas.*

20 *Nonne qui oderunt*

Apocal.7.

Actu.1. *te domine oderam? & super inimicos tuos tabescebam?*

21 Perfecto odio oderã illos, inimici facti sunt mihi:

22 Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.*

23 Et vide si via iniquitatis in me est:

** & deduc me in via æterna.*

go Deꝰ, qui corda omniũ nosti, tuipse iudex esto, an nõ mihi facti sunt abominales, & summo odio detestabiles peccatores obstinati, qui tehabet odio, tibi increduli atq; rebelles mãdatis tuis?* & an nõ summa indignatione & ira aduersum inimicos nominis tui affectus sui, ita vt prę ira & indignatione veluti cõsumerer, atque tabefierẽ in memetipso, ad eum modũ quo solent graui qualibet indignatione affecti deficere, deperire, ac veluti resolui per indignationis feruorẽ? 21. Domine, tu vides quemadmodũ odio cõsummato & integro ex toto cordis affectu illos habuerim exosos, & quẽadmodũ eos vt maxime inimicos habuerim: non quidem eorũ substantiam quã creasti, odiendo, sed malitiã, & obstinatã nequitiam, secundum quã inimici tui existunt. 22. Quæ loquor, domine Deus, corã te, & secũdum te, ex syneeritate, & in veritate cordis mei loquor, nõ aliud corde tenens, q̃ verbis exprimã: * Tu inuestiga, & examina me, & cõsidera intentionẽ cordis, vt scias cor meum: tu cognosce, & attende ad vias meas, quas ambulare studeo corã te, iuxta gratiã tuam, in corde recto & bona voluntate. 23. Et attende domine, nũ in me vlla iniquitas inhabitet, aut si via illa quã ambulo iniqua sit, si vlla actio siue operatio quã ago sit praua: * & ab omni via iniqua elongatum, quæso, deducas in via æternitatis, in via præceptorum tuorum quæ ad æternitatẽ perducit. In hac enim via vitę æternæ te peto ducem habere & directorem, Deus pijssime, vt à te Deo creatore & saluatore meo non oberrem in sempiternum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXXVIII.

VErsu. 1. Domine probasti me, & cognouisti me, Totum hunc psalmum, vt à Christo prolatum, conantur Latini commentatores exponere. Vnde in sancto die Paschæ pro introitu ad missam vsus ecclesiasticus accipit illud quod est in huius psalmi versu. 17. Exurrexi, vel (vt habet lectio psalterij Romani) resurrexi, & adhuc sum tecum: pro versu autem ad introitum accipit initium huius psalmi, Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam: videlicet intelligendo per sessionem, ipsam passionis humilitatem, aut in sepulchro quietem: resurrectionem autem, à morte & sepulchro. Cui interpretationi vt non obsistimus, ita in Elucidatione nostra non accedimus, sed generali applicatione psalmum totum, Dei omni scientiæ, omniq; præsentiæ, atque omnipotentiæ applicamus, considerantes in eo mirabilem Dei erga vniuersa scientiam, præsentiam, & prouidentiam. Iam enim suprà diximus in Annotationibus psalmi 115. non esse necessariũ, si quando versiculo aliquo ecclesiastica consuetudo vtatur ad talem aut talẽ sensum, vt hoc cogamur ad eum sensum psalmum totum pertrahere. Illam enim dedimus libertatem ecclesiastico vsui, vt ex scripturis particulas accommodatas sibi possit assumere, suoque proposito applicare, etiam si principalis scripturæ talis intentio illuc non tendat. Nos ergo diligentissime expensa tota psalmi consequentia, quæ nobis videbantur magis consentanea, magisque germanam intelligentiam tangentia diximus, nemini præiudicantes, qui aliter quomodocunque (modo fideliter) enarrauit. Et haud scio, num in vniuerso libro psalmorum alius sit huic similis, qui tam in Hebræo quam in Græco, Latino, ita variæ est intelligentiæ, cuiusque partes tam varijs modis possunt & transferri & exponi, quemadmodum partim in his præcipuis, partim in alteris posterius annexis patebit annotationibus. Quid autem nos per sessionem & resurrectionem intelligamus, gemina interpretatione aperuit Elucidatio, quarum prior est, tu me cognouisti, siue sedentem in quiete, siue exurgentem ad opus: siue otiosus degam, siue operis aliquid agam, vbique & semper me conspicis: nimirum vbique & semper præsens. Posterior intelligentia, per sessionem intelligit contemplationem in quiete, quam

Thre.3. præbet sessio, iuxta illud Hieremiæ, Bonum est homini cum portauerit iugum tuum domine, ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & leuabit se supra se. Post resurrectionem verò à contemplatione quieta exitus ad laboriosam & distrahentẽ exteriorem actionẽ. Cui posteriori intelligentiæ consonat quod habet Paraphrasis Chaldaica, Coram te nota est sessio mea, ad studendum legi: & resurrectio mea, ad eundum in prælium. ¶ Versu. 2. Intellexisti cogitationes meas de longe. Longinquitas ista (vt in Elucidatione indicatur) accipi potest vel secundum temporis distantiam, quoniam multo ante quàm cogitationes sint in homine, Deus eas cognoscit, atque ita ideo quasi à longe videt, dum id quod longe abest, quod adhuc in longinquo est, cognoscit. Vel secundum distantiam locale quoniam excelsus dominus, & in altis habitans, ista quæ hic infernè cogitamus non ignorat. In secunda autem parte, cum dicitur, Semitam meam & funiculum meum inuestigasti, nos per semitam intelligimus rationem viuendi atque conuersandi: per funiculum autem, intentionem, eo quòd sicut per funiculum siue perpendiculum solent ædificantes in rectitudine ædificium disponere, atque etiam in mensurandis terris per funiculum æqualitas & proportio sortium acquiritur: ita per intentionem tota vita hominis, vel in rectitudine, vel in curuitate disponitur, ipsumque totum corpus omnium actionum & totius conuersationis, ex ea accipit suam rectitudinem, si ipsa recta fuerit: quem-

Lucæ.11. Matth. 6. admodum apud Lucam pulchrè Saluator loquitur, dicens, Lucerna corporis tui est oculus tuus, Si oculus tuus lucidus fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, &c. quem passum, non male sancti doctores

A doctores de intentione bona omnia rectificante exponunt. Vnde breui, sed erudito verbo dixit quidã, Intentio operi tuo nomen imponit. Ob hanc scilicet causam, nos funiculum tumus interpretati intentionẽ. Aliter verò hæreditate intelligimus, quemadmodum & alibi dicitur, Pars autem domini populus eius, funiculus hæreditatis eius. Et iterum, Funes ceciderunt mihi in præclaris, eo quòd per funiculos fiat diuisio. Secundum hunc ergo modũ, ita intellige quod hic dicitur, Tu inuestigasti ambulationẽ meã per viam, cũ foris essem in negotijs: & quietem meam, cũ essem in funiculo meo, siue in hæreditate & habitatione mea: hoc est, siue foris peregrinabar, & domo aberã peregrę profectus ad negotia, siue in habitatione sortis meæ & hæreditatis demorabar, vbique me cõsiderabas, & mea omnia perueſtigabas. Cui expositioni satis aptè cõsentit quod ex Hebræo pro funiculo Hieronymus ac Felix vertunt, Accubitum vel accubationem, vt significetur quies in loco & sorte hęreditatis. Item & quod Chald. habet parapha. Sed & quando ambulauero in via, aut quando accubuero ad studendum legi, &c. ¶ Versu. 3. Quia non est sermo in lingua mea. In latina lectione videtur hæc pars esse incõpleta, quam in elucidatione duabus rationibus compleuimus, nonnulla subaudientes. Posset tamen absque subauditione aliqua perfecta haberi sententia, si finem istũ tertij versus connecteremus principio versus quarti sequẽtis, in hunc modum, Non est sermo in lingua mea, & ecce domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua: hoc est, etiam si tibi nihil indicemus per linguã & os nostrum,

B attamẽ omnia tu habes cognita, & quæ olim præcesserunt, & quæ fient in futuris tẽporibus. ¶ Versu 4. Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. In libris de consideratione rerum naturalium ostendimus, inter efficientes causas, quasdam esse sui effectus causas tantum secundum fieri, sine quibus videlicet effectus non posset produci: attamen cum semel productus fuerit, nihil vltrà indiget eadẽ causa ad sui permanentiam: neque opus habet causa quicquã agere ad illius producti effectus cõseruationem: quemadmodũ videlicet artifex statuã facit aut domum, operęque absoluto manet domus, mortuo artifice qui fabricauit illam. Sic patre (qui est causa filij vt fiat) mortuo, nihilominus is quẽ genuit filius in robore permanet. Sunt proinde causæ istæ suorum effectuũ tantum secundum fieri, non etiam secundum esse. Sunt verò causæ aliæ quæ non solum causa sunt vt res fiant, verumetiam vt sint: ita vt non solum nõ fieri possit effectus absque causę efficientia, sed neque possit absque eius causalitate vllo modo subsistere, quo modo corpus lucidum causa est sui luminis, eo q̃ lumen à luce dependeat: neque omnino posset vel ad momentum lumen subtracta luce permanere: quemadmodum ex ipso momento quo solare corpus auferretur vel lux eius, necessarium foret simul omne lumen quod est ab eo deficere. Hoc modo etiã cælestia corpora dicunt in omnibus his inferioribus habere causalitatem vel efficientiã. Super omnia verò Deus optimus maximus, super omnia benedictus causa talis est, à qua omnes omnino effectus secundum suũ esse dependent, vt sicut absq; eius effi-

C cientia nihil potest fieri, ita nec permanere in productum, neque vel ad momentũ subsistere, nisi continuò sua infinita virtute ipse adesset, qui illud velut manu teneret. Atque hanc manutentionem, siue sustentationem indicat Elucidatio intelligẽdam, cum non cõtentus psalmista dixisset, Tu formasti me: adiecit quãtotyus, Et posuisti super me manum tuam, ab eo videlicet momento quo me sustentare & manutenere cœpisti. Quemadmodum enim cum opus aliquod primũ efficimus, dicimur admoliri manum operi, vel manum applicare ad opus: ita per manus positionẽ super ipsum opus, recte accipimus ipsam sustentationẽ atque conseruationẽ. Alij verò hæc duo, formasti me, & posuisti manum super me, pro eodem accipiunt, vt ponere Deũ super nos manum, sit idem quod formare, nempe manum ad nostrũ opificiũ applicare. Potest etiam in hac manus superpositione intelligi singularis protectio, cura atque defensio qua nos Deus ab infantia mirabiliter curat, protegit, & defendit, quasi iugiter super nos extento brachio eius. Alij intelligũt de afflictione & correctione: Tu formasti me, & formatum multis miserijs afflixisti, aggrauasti vltrice & verberatricem manum tuam super me. In

Psal. 31. quem sensum, scripturæ dicunt manum domini aggrauari super eum, aduersus quẽ disciplina seuerior missa fuerit: quemadmodũ in Psalmo 31. ex persona pœnitentis dicitur, Aggrauata est super me

Psal. 75. manus tua, conuersus sum in ærumna mea, &c. Sic interdum leuare manum dicitur Deus, quando

D ad grauem vltionem separat: vt Psalmo 105. Et leuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto. Et alibi, Leua manus tuas in superbias eorũ in finem. Atque huic expositioni fauet, quod Felix ait, hoc in loco ex Hebræo verti posse, Posuisti super me plagam tuam. Et Chaldaica Paraph. Concitasti super me percussionem manuum tuarum. ¶ Versu. 5. Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me. Particulam illam, ex me, nos accipimus in Elucidatione, loco à me, vel supra me, vel vltra me, vel extra me: cui non malè consonat versio Hieronymi, Super me est scientia, & excelsior est, non potero ad eam. Potest tamen particula, Ex, accipi propriè, vel loco De, in hunc sensum, Scientia tua ex me, de me, quam videlicet ostendis in me, vel erga me, vel circa me, est mirabilis, & ita excelsa, vt ego non possim eam comprehendere. Atque ita tanè res habet. Dei enim scientia, vel sapientia, vel illa solum quam circa hominem monstrat, & quæ de homine est, tam est mirabilis, tam est excelsa, vt no possimus nosipsi comprehendere, quomodo tam sapienter, tam mirabiliter, nos formare, & nobiscum agere possit. ¶ Versu. 10. Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me. In psalmis hoc consuetum est, cum quippiam proponitur per modum obiectionis, præmittere particulam talem, & dixi. Quemadmodum in Psalmo septuagesimo secundo. Et dixi, ego sine causa iustificaui cor meum, Psal. 72.

& laui inter innocentes manus meas, &c. Et iterum in eodem psalmo, Et dixerunt (impij) si est Deus, Ibidem.

& si est scientia in excelso. Rursum in alio psalmo, Et dicet homo, si vtique est fructus iusto? Sic e- Psal. 57.

nim per interrogationem conuenienter hoc legi potest, vt suo loco declarauimus. Ita ergo & hoc in

loco

Universidad de Deusto
Biblioteca

loco quod sequitur pòst,& dixi,nempe:Forsitan tenebrę conculcabunt me,per modũ obiectionis, E
siue dubitationis,dubiæque propositionis considerandum offertur,& discutiendũ atque dissoluendum proponitur. Quòd verò mox subsequitur, Et nox illuminatio mea, propositi est determinatio secundum partẽ negatiuam,ostendens,nequaquã tenebras posse homine conculcare, siue obtegere, ne à Deo conspiciatur In hunc enim sensum accipi debet Conculcare, hoc in loco,pro Operire,siue Occultare,eo quòd ab oculis quodammodo subtrahitur quod in terra pedibus calcatur. Vnde Hieronymus clarius vertit Forsitan tenebræ operient me. Similiter Felix,Operient vel obtenebrabunt. In eo autem quod sequitur ad dissolutionem propositi,Et nox illuminatio mea in delitijs meis,consunctionem ET PRO ETIAM accipe,vt hunc faciat sensum, Nequaquã fieri potest,vt tenebræ operiant & abscondant me,imò etiam nox ipsa illuminatio mea est,vt tam in nocte,q̃ in die me Deus videat. hoc est,apud te nox quoque lucida est:vel(vt Hieronymus vertit)Nox quoq; lux erit circa me. Quod autem in Græcis & Latinis codicibus habetur,In delicijs meis,non habetur in Hebræo. Habet autem duplicẽ intellectum. Priorem in Elucidatione expreſimus. Alter est,Nox quoq; erit illuminatio mea ad meum gaudium,ad meum cõmodum,ad meas delitias. Vir enim iustus adeò non cupit posse latere Deum, vt etiam in magnum gaudium hoc sibi reputet, quod semper & vbique etiam in densissimis tenebris,etiã in tenebrosissimis locis, pateat oculis Dei benignissimi curatoris & protectoris sui. F
Est ergo etiam nox circa me lucida in delicijs meis,ad meas delicias, ad meum gaudium. Atq; hæc sententia posset vtcunq, accipi ex Hebræo. Verti enim potest,Nox erit lux vel lucida vel illuminata pro me. Quod simpliciter quidẽ intelligitur,pro me cognoscẽdo aut videndo:id est,vt me Deus videat etiã in nocte. Veruntamen potest etiam aliter exponi pro me,in meum commodum, ad meum gaudium,quòd est,in delicijs meis. ¶ Versu.11. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur:sicut tenebræ eius,ita & lumen eius. Pars prima & vltima,in nostra lectione atque etiam in Græco,difficilem habet intelligentiam, Eandem autem sententiam ex Hebræo clarius ita vertit Hieronymus, Nec tenebræ habent tenebras apud te,& nox quasi dies lucet:similes sunt tenebræ & lux. In eandem quoque sententiam, nec minus clare Felix,Etiam tenebræ non habent tenebras apud te,& nox sicut dies illuminabitur:similes sunt tenebræ luci, Ex quibus disce in nostra lectione quod dicitur,tenebras non obscurari à Deo,idem esse,q̃ tenebras apud Deum non reputari tenebras,vel non esse obscuras. Nam hoc est quod Hieronymus dicit,tenebras non habere tenebras apud Deum. Disce item,in vltima parte cum dicitur,Sicut tenebræ eius,ita & lumen eius, pronomina illa,eius & eius,nõ idem referre:sed primum relatiuum noctẽ refert,secundum diem: ad hunc sensum,Sicut tenebræ noctis,sic lumen diei,intellige:& econtrario,sicut lumen diei,ita tenebræ noctis. Quare clarius sic dici posset,Sicut tenebræ illius,ita & lumẽ huius. hoc est,diei lux & noctis tenebræ, G
æquales & similes sunt apud Deum,vt æquè in nocte tenebrosa videat omnia atque in clara die,dum neque diei corporale lumen quicquam Deo confert,vt videat,aut melius videat,exactiúsve rem pernoscat:neq; noctis tenebræ impediũt,quominus videat,aut quominus exactè rem perspiciat. Vt autem intelligas,quomodo Deus omnia tam in luce,q̃ in tenebris videat, & nihil illi possit esse occultũ,nec in densissimis tenebris,quod hoc Psalmo frequẽter inculcatur,finge tibi oculum aliquẽ, qui ex semetipso lucẽ habet indeficientem,in qua videat quicquid voluerit, qui item omnium rerũ species habeat sibi congenitas,talis oculus neque lumine extrinseco indigebit, vt rem quãlibet videat, eo q̃ ipse lucem habeat sibi intrinsecã,in qua possit omnia contueri,neque vllis tenebris extrinsecis impediri poterit à rebus visibilibus percipiendis. Atque à tali oculo nulla res poterit abscondi,cuius in se habeat congenitã similitudinem,quin semper eam videat, & quasi præsentem habeat atque intueatur. Ita diuina mentem nos intelligimus,velut mentalem quẽdam & spiritualem oculum:id est, Ioan. 1. Rom.11.
intellectum purum,qui in semetipso lucem habeat inti insecã,imò qui est ipsemet lux vera & incomprehensibilis, & tenebræ in eo non sunt vllæ,in qua luce illuminantur illi omnia,vt nihil apud illum possit latere quasi occultatum in tenebris:propter quod,tenebris extrinsecis nec adiuuatur,nec impeditur. Iterũ,quia in ipso sunt omnia,& vt in radice omnia quæ fuerunt,sunt,erunt vel esse possunt, cõprehenduntur,& quia in sua essentia,vt in quodã speculo & quadã similitudine,siue imagine omnes creaturas & cognoscit,fieri non potest,vt quicquã ei abscondatur,& occultetur,quòd non,quãtumuis intra intima terræ defossum viscera,præsenti oculo intueatur. Eandem hanc rem pulchrè & H
plene,quantũ potuimus,à proposito tractauimus in libris de consideratione rerum naturalium,cap. 22. lib. 11. ¶ Versu.12. Suscepisti me de vtero matris meæ. Magis obuius videtur hic sensus:Suscepisti me defendendum & educandum ex vtero matris meæ,id est,fuisti mihi semper adiutor & auxiliator, quem sensum breuibus in Elucidatione loco posteriori tatum indicauimus. Verũ ipsa originalis Hebræa lectio suadet aliter intelligendum,Suscepisti me formandũ & fingendum de vtero matris meæ. hoc est,incœpisti me facere & formare in vtero matris. Sic enim ex Hebræo vertit Hieronymus, Orsusque es me in vtero matris meæ. Similiter Felix,Orditus es me in vtero matris meæ. Vulgò autem dicere solemus,cũ artifex quispiam opus aliquod incœperit,quod multum tempus ad perfectionem requirat,suscepisse illum hoc opus:& si hodie incœperit opus,dicitur illud suscepisse hodie,videlicet suo tempore perficiendũ. Iustum enim est,vt quod cœpit artifex,perficiat. Ita intelligimus Deũ nos suscepisse de materno vtero,quoniam iam tum formare nos cœpit,neque subtrahet manum, donec opus perfecerit quod cœpit in vtero. Neque enim diei vnius opus est homo,sed opus est multi têpo ris. Pulchrè quoque huic expositioni cõsonat quod in Chald. Parap. dicitur,Fundasti mihi,vel fundamentum posuisti,siue iecisti mihi,in ventre matris meæ. ¶ Versu.14. Non est occultatum os meũ à te.

A à te. Caue,os hîc accipias pro ore. Nam os quod genitiuũ ossis format debes accipere: quod beatus pater Augustinus quo facilius intelligeretur,dicebat ossum meum,loco os meũ, melius dicens vt reprehendant Grammatici,quàm non intelligant populi. Id tam ex Hebræo quàm ex Græco est euidẽtissimum. Vnde ad discretionem,Hieronymus per numerum pluralem vertit, Non sunt occultata à te ossa mea. Ossa autem signanter dicit non esse occultata Deo,vt significet,etiã illa quæ intima sunt, esse Deo aperta & nuda, posteaquam ossa & pelle & carne diligenter tecta, non sunt illi abscondita. ¶ Versu 15. Imperfectum meum viderunt oculi tui. Imperfectum meum dicitur, pro imperfectum me: quemadmodum frequenter dicimus, Aspice paupertatem meam, vide afflictionem meam, id est, vide me pauperem,me afflictum,& cætera. Imperfectio autem ista intelligitur, secundum formationem corporis, quod in principio admodum rude est & inabsolutum in matris vtero,& temporis successu paulatim perficitur. Vnde Hieronymus vertit, Informem adhuc me viderunt oculi tui,& Felix, Informe meum vel imperfectum meum,id est,corpus meum nondum formatum nec organizatum, maceriam rudem & incultam atquè indigestã. Illud autem quod sequitur. Dies formabuntur, & nemo in eis,sic intellige,Dies formabuntur,& decurrent adhuc tempora,& nemo in illis venturis diebus formabitur vel erit,qui non sit scriptus in libro tuo. Vel sic, Adhuc formabitur dies, & nemo illorum qui in diebus venturis nascituri sunt in illis adhuc est diebus: quoniam videlicet nondum B
sunt dies illi,& ob hoc nondũ sunt illis qui tũc nascituri sunt subaudi: & omnes illi tamẽ in libro tuo etiam descripti sunt. Vel sic, Nemo in eis,id est,ex eis qui in diebus formandis sunt nascituri, est adhuc in rerum natura: vel nemo ex eis est quẽ non habeas scriptum in libro tuo. In Græco autem sic legitur, ἡμέρας πλασθήσονται καὶ οὐδεὶς ἐν αὐτοῖς, vbi dies in genitiuo casu ponitur, vel in accusatiuo plurali, videturque sic vertenda hæc lectio, Per dies formabuntur, scilicet homines post nascituri, & nemo in eis, hoc est, Adhuc per singulos dies noui homines formandi sunt, & ex eis nemo est qui non scriptus contineatur in libro tuo. Atque eundem sensum habebit nostra lectio, si dies accipiatur vt accusatiuus pluralis numeri, rectus à subintellecta prepositione per, hoc modo. Per dies formabuntur, & cætera. Alij nemo accipiunt improprie; vt valeat nullus vel nulla, quemadmodum in Græco sonat οὐδεὶς, id est, nec vnus, ficque intelligunt. Dies formabuntur, & non est iam vnus ex illis venturis diebus, subaudi, & tamen iam omnes illi, simul & omnes qui in eis nascentur, & quæcunque in eis fient, tuodam libro sunt inscripta. Et ad hanc intelligentiam satis accedit quod vertit Hieronymus, Dies formati sunt, & non est vna in eis. ¶ Versu 16. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, Mihi honorificati, intellige meo iudicio, secundum meam existimationem, vt sit sensus, Mihi consideranti videntur amici tui valde honorificati & magnificati à te. Vel sic Psal.14. intellige, A me valde honorificati sunt, & magni admodum reputati, ego illos maximi feci, & in magno honore habui: quemadmodum de viro iusto in alio psalmo dicitur. Ad nihilum deductus est in C
conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat. Est enim hoc pij hominis, quos Deus amat magnificare, & qui Deum habent odio, vicissimque oduntur à Deo, habere contemptos. ¶ Versu 17. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, Id nos, partibus ambabus simul iunctis, ita in Elucidatione exponimus. Si dinumerare eos voluero, inuenio multos sicut arenam, Alij diuisim legunt, prius referentes ad initium Ecclesiæ nouæ, quando admodum pauci numero erant fideles veri, posterius ad profectum eiusdem quando iam mirum in modum crcuit fidelium numerus, per vniuersum orbem illato euangelio. Atque ad hunc sensum, præsentem locum ita exponunt, Prius quidem illi amici tui admodum erant pauci ita vt facillime potuissent dinumerari, ac nul
lo negotio cogi in certum aliquem numerum, quemadmodum videlicet in actis Apostolicis, eos qui Actu.2.
simul in Hierusalem erant congregati fideles. Ecclesiæ nouæ initium, legimus certo comprehensos numero, atque ante spiritus sancti missionem ferè etiam nominatim designatos. Verum postmodũ Actu.1.
spiritu sancto demisso de cælo,& beatis Apostolis in omnem terram exeuntibus, tanta facta est credentium multitudo, vt quasi arena maris fierent innumerabiles, Pars illa autem quæ sequitur, Exurrexi, & adhuc sum tecum, multipliciter exponitur. Quidam de Christo peculiariter intelligunt, D
Surrexi, ò pater, à mortuis ego filius tuus, & adhuc tecum sum, permaneo viuus in sæcula sæculorum, nunquam vltra post mortem vna morte mea deuictam moriturus. Hac autem occasione di- Apoc.1.
cunt resurrectionis Christi fieri mentionem, quoniam mox sermo præcesserat de multiplicatione Rom.6.
fidelium, quæ tum primum facta est, cùm à mortuis surrexisset Christus dominus ad patris gloriam. Ita enim definitum fuerat, vt non prius in gentibus prædicaretur Euangelium, vnde illa innumerabilis arena confluxit in Ecclesiam, sed tantum intra fines Iudææ (quemadmodum indicabat Chananææ mulierculæ Saluator, dicens: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël: & cùm Matth.15.
discipulos vetuit non abire in viam gentium, neque in ciuitates Samaritanorum introire) donec exaltatus à terra, iuxta quod ipse prædixerat, omnia ad se attraheret, & donec semen cadens in terram Matth.10.
bene mortuum, fructum proferret plurimum. Verum quia in toto hoc Psalmo singularem nusquam Ioan.12.
fecimus Christi mentionem in Elucidatione, neque hic voluimus Christi peculiariter meminisse, vt Ibidem.
esset Psalmi connexio commodior, Exponit autem sic Elucidatio, Exurrexi à peccatis, tantum videns tuorum amicorum honorem, tantam gloriam, & tantam multitudinem, videlicet allectus illorum gloria, confortatus illorum copioso numero, vt spem haberem posse me fieri sicut vnum ex illis. Sic enim & ille prodigus filius perditionis, cùm exurgeret, & ad patrẽ vnde fugerat reuerti proponeret, apud sese dicebat, Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem fame hîc pereo? Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei. Pater peccaui, & cætera, fac me sicut vnũ ex mercenarijs tuis. Cùm ait. Quanti mercenarij, vides ipsum multitudinis seruorum patris mentio- Luc.15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem facere, cùm addit, abundant panibus, recordatur, quam illis bene sit, quam beatè, qui in patris E
domo versantur. Atque harum rerum duarum consideratione seipsum confirmat, & erigit animum,
vt in sancta concepta fiducia dicat: Surgam & ibo. Nouissime verò cùm ait, Fac me sicut vnum ex
mercenarijs tuis: quid hoc aliud est, quàm, vt ego semper sim tecum? Eequis tandem tam obstinati
cordis fuerit, qui tam in vitijs profunde immersus, qui harum duarum rerum consideratione nõ exur
gat per spem veniæ, & sese erigat à sua prauitate, in qua iacuerat? Vbi nanquè mentis considera-
perpenderis, quàm multi sint in sancta Ecclesia adoptione filiorum Dei donati: si turbam illam ma-
Apoc. 7. gnam attendas, quam in sacra Apocalypsi dilectus domini discipulus se vidisse testatur, ex omnibus
gentibus, tribubus, linguis, populis, & omni natione, stantes ante thronum in conspectu Dei & agni,
& palmas habentes in manibus, quomodo nõ & tu vnus miser & pauperculus sperabis posse te in ea-
dem societate loculum vel nouissimum obtinere, si in corde contrito & spiritu humiliato postula-
ueris? Rursum, si consideres, ad quantam dignitatem euecti sint illi amici Dei, in quam sublimi gloria
Apoc. 5. & plenissima fœlicitate positi, quemadmodum in eadem Apocalypsi viginti quatuor seniores, om-
nium (vt arbitror) fidelium nomine canunt, Redemisti nos domine Deus noster in sanguine tuo ex
1. Ioan. 3. omni tribu, & lingua, & populo, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus su-
per terram: si præterea attendas quod aiunt sancti Apostoli domini, Ioannes & Paulus. Ille quidem, F
Coloss. 3. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniã cùm apparuerit,
similes erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Hic verò, cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc
Ioan. 12. & vos apparebitis cum illo in gloria. Sed quid discipulos nominamus? Ipse magister omniũ ait, Vbi
Luc. 22. ego sum, illic erit & minister meus. Et iterum, Dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regi-
Ioan. 17. num, vt edatis & bibatis super mensam meam, in regno patris mei. Iterum ad patrem, Et ego charita-
tem quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Hæc (inquam) omnia quæ
ad honorem & gloriam pertinent amicorum Dei, quisquis attenta mente considerauerit, quomodo
fieri poterit, vt non accensus tantorum propositione bonorum, vt non tantis tamque amplissimis
spebus prouocatus, erigat sese, atque exurgat è luto in quo iacuerat, vt nõ vltra velit peregrinari à pa
2. Cor. 5. tre tam benefico, sed amodo eum esse, & perpetuo cum eo permanere, vt cum Apostolo, siue absens,
siue præsens corpore, semper contendat placere Deo? In hoc autem sensu, posset dictio, adhuc, acci-
pi pro semper, vt sit sensus, Exurrexi, & vsque vel semper sum tecum: id est, perpetuo tecũ eligo per-
manere, & nunquã à te separari, quantacunque malitia occurrerit. Quidam sic intelligunt, Exurrexi
summo mane, vt dinumerarem electos tuos, & adhuc sto corã te ad dinumerandũ & cõsiderandum,
& nequaquam possum comprehendere tuorum amicorum numerũ, tam sunt insuper excedenti nu-
mero. Atque ita nihil hîc nisi nimia electorum multiplicatio innuitur. Verum omnibus mature pen-
satis, & excusa diligenter psalmi consequentia, arbitror, inter cętera non pessimum esse quod in Elu- G
cidatione exprimimus, & in hac iam annotatione latius declarauimus. Attamen in tam varijs enarra-
tionibus, nostrum non est, cuiquam quid teneat, præscribere. ¶ Versu 19. Quia dicitis in cogitatione,
accipiant in vanitate ciuitates suas. Præter intelligentiam positam in Elucidatione, potest altera assi-
gnari. Vos impij dicitis in cogitatione vestra, q̃ peccatores in vanitate sua, in peccatis suis viuentes,
accipient ciuitates suas, id est, mansiones cælestes: dicitis & persuadetis vobis, eandem retributionem
cęlestium habitationum venturam illis qui viuunt in vanitatibus, atque illis qui conuersantur & vi-
uunt in veritate: atque ob hoc, dum non metuitis æterna supplicia, nec dissimilem metuitis retribu-
tionem, agitis quæcunque vultis. Quidam putant legendũ per pronomen secundæ personę, pro suas,
tuas, quomodo habent Græcę atque Hebraicę lectiones. Siue autem legamus suas siue tuas, eadem fa-
cile accipietur sententia. In expositionibus autem prædictis, semper illud, Accipiant & cætera, iunxi-
mus cum verbo dicitis, in hunc sensum, Dicitis in cogitatione hoc quod sequitur, Accipiant & cęte-
ra. Verũ poterunt hęc etiam ab inuicem diuidi & disiungi secundum sententiam, si tantum subaudia-
tur accusatiuus mala, in hunc sensum, Ideo vos viri sanguinum declinate à me, quia dicitis mala in co
gitationibus vestris: id est, cogitatis abominanda & non nominãda. Ac deinde, Ipsi hi impij, ô domi- H
ne, tuas ciuitates accipient in vanum: id est, ipsi sublimabuntur & præficientur populis & exaltabun-
tur (vt non rarò fieri solet) accipientq̃ populorum, ciuitatum, aut regionum regimẽ, sed in vanum,
id est frustra & ad nullam vtilitatem. Quomodo enim vtiliter præesse possent populis & ciuitatum
regimini, qui ipsi pleni sunt impietatibus, & nihil nisi talia cogitant? Quomodo alijs poterit vti-
liter præesse, & pro salute ac vera vtilitate alios regere, qui sibijpsi nescit dominari, imò cui domi-
natur iniquitas & impietas? Et siquidem temporale administrant dominium, tyranni sunt & op-
pressores bonorum. Si verò ad spiritualem prouehuntur dignitatem, hoc sunt, quod asinus ad li-
Ioan. 10. tram, imò fures sunt & latrones, qui plerunque non intrant per ostium, sed ascendunt aliunde: & ad
hoc ascendunt, vt furentur, mactent & perdant. Ergo ciuitates tuas, ô Deus, in vanum accipient: &
suas ciuitates quas ipsi occupauerint, vel in quas sublimati fuerint, accipiant in vanitate id est, abs-
que vtilitate. Non enim prodesse quærunt, sed tantum præesse. Huic autem sensui melius conue-
nit futurum indicatiui, accipient, quàm optatiui, accipiant. Hebraica autem lectio, hoc loco mul-
tum diuersa est, quemadmodum suo loco fiet manifestum. ¶ Versu 21. Perfecto odio oderam il-
los. Quidam subtiliter interpretantur, odium perfectum esse quo sic mali odiuntur, vt tantum o-
diatur vitium, ametur autem persona. Non erit autem odium perfectum, si simul cum vitio odio
habeatur & persona. Est enim hoc odium malum, & veræ charitati contrarium. Hæc autem sen-
tentia licet pia sit, & certam habeat veritatem, non videtur tamen hoc modo in præsenti loco ac-
cipi perfectum odium, sed pro odio consummato, & odio vehementi aduersus impietatem. Sunt enim

A enim quidam, qui vtcunque odio habent malum, sed non quantum oportet, non sicut oportet: nõ est
consummatum, non perfectum, non integrum odium. Habeo (exempli causa) filiũ quem videbo ma-
le agere: displicet quidem mihi malitia, & molestum est mihi malum quod agit filius: non adeò tamẽ
malitiæ indignor, non tantum est odium mali eius, vt illum velim arguere, & quomodo istum est cor-
ripere, profecto non est hoc perfectum odium, non est odium integrum siue consummatum. Atque
hoc odio imperfecto multi homines vitia odiunt, in quibus tamen & ipsi permanent, & alios quos
possunt, & deberent eripere, permanere dimittunt. Perfectum autem odium mali est, quo sic homo
auersatur malitiam & execratur, vt eam pro sua virili à se quàm longissimè propellat, & in alijs de-
struere conetur, vt pro sua facultate, verbo, exemplo, authoritate, potestate auferat malum de medio
populi sui, ac primum omnium à seipso, & obsistat malo vbicunque potuerit, quemadmodum in alio
psalmo propheta & rex noster ait, Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, facientes præ- Psal. 100.
uaricationes odiui. Non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoscebam.
Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde, cùm hoc
non edebam. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiã, qui loquitur iniqua non di-
rexit in conspectu oculorum meorum. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disper
derem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. Hoc videlicet est perfectum iniquitatis o-
B dium, quod omnium maxime in principe debet relucere, & in omni eo qui præpositus est populo
domini.

CXXXIX. PSALMI ARGVMENTVM.

*IN psalmo isto 139. vir iustus à Deo poscit salutem & auxilium contra malitiam & insidias multiplices, pa-
ratosq; laqueos aduersantium: post quæ vsque ad versum septimum enarrata, in dominum suum iactat fidu-
ciam quam & alias nonnunquàm expertus est propugnatorem, simul postulãs; neque futuro vnquam tempore
tradi in manus inimicorum. Post hæc autem à versu decimo ad finem vsque, impiorum pœnam describit atque
vindictam Dei, quam pro suis pauperibus aduersus impios est demonstraturus; quando iustos recipiet in habi-
tationem suam, ante conspectum vultus sui, in confessione sempiterna.*

CXXXIX. PSALMI ELVCIDATIO.

C *1 Eripe me domine ab homine malo, à viro iniquo eripe.*

2 Qui cogitauerunt iniquitates in corde:
** totà die constituebãt prælia.*
3 Acuerũt linguas suas sicut serpentes:
** venenũ aspidum sub labijs eorum.*
D *4 Custodi me domine de manu peccatoris:*
** ab hominibus iniquis eripe me.*
5 Qui cogitauerũt supplantare gressus meos:
** absconderunt superbi laqueum mihi.*

6 Et funes extenderũt in laqueum:

DOmine Deus spes mea vnica atque refugium tutissi-
mum, in omnibus aduersitatibus meis te precor vt
me eripias ab hominibus peruersis, qui mala mihi me-
ditantur, vtque me illæsum tu custodias ab iniquis &
impijs tam dæmonibus quàm hominibus, ita vt non
patiaris aliquando illos mihi prævalere. 2. Ipsi enim
aduersus seruos tuos mala cogitant animo, & corde versant semper,
quomodo seruis tuis valeant inferre mala: * iugiter quasi tota die me-
ditantur atque parant pugnam aduersus seruos tuos, perpetuo eos
circumeuntes, oppugnantes, debellantes, vt vel tandem aliquando de-
uorent, expugnent, siue deuincant. 3. Linguas suas acutas reddunt, &
subtilibus verbis adornant ad fraudem, deceptionem atque oppres-
sionem bonorum, vt noceant sicut serpentes iniecto veneno: * pesti-
feros sermones, ad modum veneni efficacissimi maxime noxios sub
labijs suis gestant, & in ore paratos habent, vt opportuno tempore
virus illud suum effundant, idque siue per dogmata praua mendacij,
siue persuasiones malas veritatis atque peccati. Duplex enim hoc est
virus, quod impij dæmones eorumque ministri bonis semper ad no-
cendum quærunt infundere. 4. Custodi me, domine, & per prote-
ctionis tuæ gratiam me serua, ne veniam in manibus impiorum in po-
testatem, ditionem atque subiectionem inimicorum animæ meæ: * vt
non prævaleant homines impij, neque etiam dæmones, tuam supplex
imploro liberationem atque custodiam. 5. Valde enim magna &
multum pertimescenda est istorum peruersitas. Cogitauerunt nam-
que & firmo proposito decreuerunt, quantum quidem in ipsis foret,
conari ad infringendum gressum meum quo ambulo in via tua, me-
que, in lege tua gradientem in terram prosternere: quemadmodum so-
lent per insidias nonnunquam homines inter ambulandum prosterni, sicque pedibus calcari: * atque hoc vt perficerent impij, per occul-
tas tentationum suarum versutias, insidias posuerunt mihi, & quasi
laqueum absconderunt, quo me sperabant in captiuitatem sibi attra-
here. 6. Et quemadmodum solent nonnunquam homines in obscu-
ris tenebris funem extendere, de parte vna in alteram quasi pro laqueo,
vt in fune hærens viator cadat, qui transire existimabat: ita mihi occul-

iuxta iter scandalum posuerunt mihi.

tas insidias studiosissime tetenderunt:* posuerunt mihi offendicula iuxta viam præceptorũ tuorum, quã ambulabã, ita vt si paulum declinauero, vel ad dexterã, vel ad sinistrã, mox in terrã prosternar à rectitudine & statu bono animi, in profunditatẽ vitiorum casurus. Nonnunquã etiam nobis iuxta iter rectum scandala ponunt, dum mala quasi bona sub aliqua virtutis specie suadent atque proponunt. Atque iterum, dũ, ex vere bonis actionibus, occasionem sibi sumere conantur, nos in ipsum præcipitandi, vtpote cùm ex operibus iustitiæ nos quærunt ad vanã gloriam impellere. 7. Ego autem attendens istorũ tantam malitiã, tamque callidas insidias, mihijpsi planè diffidens, ad te ô domine recurrebam, dicebamque tibi in oratione mea: Ecce Deus meus es tu, creator meus & saluator meus:* exaudi orationem serui tui, tantã malitiã & tales insidias non iniuria meruentis, teque pro liberatione sollicite deprecantis. 8. Tu verò, ô domine, domine (inquam) qui es fortitudo & robur omne saluationis meæ, per quem, & in quo possum omnia, & sine quo valeo nihil: * tu (inquam) aduocatus & inuocatus non defuisti seruo tuo, sed ad protectionem aduenisti mihi in tempore pugnæ: cùm me oppugnarent hostes mei, tu mihi fuisti quasi galea, caput operiens, & quasi vmbraculum atque clypeus super caput meum, ita vt tua protectione munitus, hostium impugnationes saluus euaserim, & ab eorum ignitis iaculis illæsus: quem absque tua protectione, facillimo negotio confodissent vsque ad mortem. Obumbrasti etiam, ac veluti in vmbra luminis apparuisti super caput meum, quasi propugnator, pro me debellaturus atque fugaturus aduersarios meos. 9. Hoc ipsum autem protectionis atque propugnationis tuæ beneficium, vt in præteritis sensi periculis, ita in posterum oro mihi semper adesse. Neque patiaris vnquã tradi me, aut quomodocunque venire ipsis peccatoribus in subiectionẽ & potestatẽ præter & contra desiderium meũ, ac voluntatẽ bonam, qua semper cupio tibi adhærere, & ab illis prorsus esse alienissimus: * consilia fecerunt & firmo cordis proposito statuerunt mihi nocere: atque ob hoc precor, vt nunquã me derelinquat protectio gratiæ tuæ, ne te absente ego (qui sine te nihil possum) deuincar & ipsi glorientur, exultent, & extollantur de casu meo, quasi victores capta præda, & sicut auceps in laqueum tractis auibus. 10. Neq; verò sine vltione euadent aduersarij iustorum. Nam caput ac summa circuitus eorum, nempe labor labiorum ipsorum, operiet eos confusione in die nouissimo. Siquidem deceptorij eorum sermones quos ad decipiendum bonos elaboratos reddiderunt, & modis omnibus quibus poterant vt efficaces essent ad male suadendũ adornauerunt, erunt impijs causa damnationis & confusionis in die nouissimo. Atque in elaborati comptique ac molliti sermones, caput sunt, summa atque præcipuum, quo impij bonos circumeunt, atque circũdant, vt per eos decipiant, & in peccatum trahant. 11. Super eos proferetur à iusto iudice sententia gehennæ & ignis æterni, & quemadmodũ cùm desuper cadũt carbones igniti, sic inflamabuntur & ardebũt succensi igne gehennæ quasi caminus ignis flagrantis: * proijcies eos à facie tua, à conspectu presentiæ tuæ eos iubebis discedere in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius:* perfecta infœlicitate sentient & omnimodam miseriã, quæ eis erit intolerabilis, in qua præ acerbitate pœnarum perdurare non poterunt, & quã nisi summa miseria portare non valebunt: ferent tamen diuina cogente sententia, velint nolint, ita vt querãt mortem & non inueniant, dicantq; montibus, cadite super nos, & collibus operite nos, & nõ obtinebunt. 12. Homines qui linguis suis male vtuntur ad proximorũ deceptionem, & seductionem simpliciũ, ad loquẽdamendacia, ad seminandos errores, ad peierandum, ad tractanda de proximis mala, atq; ita in alijs quę per linguã committi possunt malis, huiusmodi nõ erunt firmi, stabiles, recti, aut solidati nõ prosperabuntur, neq; hic in terra inter iustos, neq; in terra viuentium in numero beatorum:* homines iniustos mala apprehendent in tempore mortis cùm interierint, mala pœnæ sentiẽt æternæ in interitu sempiterno. 13. Fide teneo indubitatum, & firmissime credo, q̃ facturus sit dominus iudicii pro pauperibus aduersus opprimentes eos:* & vindictam atq; vltionẽ retribuet illis, qui nunc premunt inopes, tametsi in hoc tempore dissimulet Deus, & illi videantur euadere impuniti. 14. At verò iusti & pij serui tui collaudabunt nomen tuũ, cùm viderint tuam erga se misericordiam,

7 Dixi domino, Deus meus es tu:
** exaudi domine vocẽ deprecationis meæ.*

Philip. 4. Ioan. 15.

8 Domine domine virtus salutis meæ:
** obumbrasti super caput meum in die belli.*

9 Non tradas me domine à desiderio meo peccatori:
** cogitauerunt contra me ne derelinquas me:*
** ne forte exaltentur.*

10 Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.

11 Cadẽt super eos carbones:

Matth. 25.

** in ignem deijciet eos.*
** in miserijs nõ subsistent.*

Apoc. 9. Lucæ 23.

12 Vir linguosus non dirigetur in terra:
** virum iniustum mala capient in interitu.*

13 Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis: * *& vindictam pauperum.*

14 Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo: * *& habitabunt recti cum vultu tuo.*

cordiam, & contra aduersarios iustitiam, laudabuntque te vltorem & vindicem suum in sæcula sæculorum:* & qui recto sunt corde, bona & pura voluntate, nulli vitiorum curuitati aut tortuositati subiecti, ipsi tecum habitabunt, eruntque tecum in mensa tua, sicut filij coram patre suo per omnia sæcula. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXXXIX.

VErsu 1. Eripe me domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Attende, quod nonnunquàm in psalmis etiam dæmon sub hominis aut viri nomine accipitur, potissimum cùm in malum fit sermo. Vnde potest hic psalmus contra dæmones dirigi, & (vt videtur) conuenientius quàm contra homines malos tantum, tametsi in principio statim de homine dicat malo & viro iniquo. Est enim conuenientia diabolo cum homine in eo quod est præcipuum hominis, nempe in parte rationali & spiritu, tametsi corpus non circunferat. Similitudo quoque est in turpitudine peccati & cõsensu prauitatis: estque dæmon caput impiorum hominum, & ipsi membra eius. ℂ Versu 6. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Iuxta iter dicitur scandalum poni. Non enim in via recta præceptorum Dei scandalum esse potest, quoniam pax multa est diligentibus legem ipsius, & non est illis scandalum. Pſal.118.

B Tametsi enim ex operibus omnino bonis nonnunquam exoriri contingat, quasi per occasionem, alterius generis vllum vitium (quemadmodum ex operibus præclaris occasionem contingit præstari vanæ gloriæ) nunquam tamen in via recta scandalum esse potest, sed iuxta viam sunt scandala posita: quia donec in via iustitiæ quis permanet, offendere non potest. Si verò vel paululum cœperit deflectere, timendum est lapsus periculum. ℂ Versu 10. Caput circuitus eorum, labor, &c. Huius versus multiplex dari posset & intelligentia & partium ordinatio. Secundum autem modum qui in Elucidatione indicatur, accipiantur illi duo nominatiui, caput & labor, vt appositorie sibiinuicem cõiuncti, ad hunc modum, Caput circuitus eorum, qui est labor labiorum ipsorum, operiet eos. Hæc enim constructio, & facilis est, & rectam facilemque habet intelligentiam. Constructio quidem ex Græco sermone accipitur, vbi caput in nominatiuo casu, & circuitus in genitiuo ponitur, ad hunc modum κεφαλὴ τοῦ κυκλώματος, & cætera: hoc est, Caput circuitus vel circuitionis ipsorum. Sententia autem apta est, accipiendo caput pro summa vel præcipuo, talis Summa & ipsum præcipuum circuitionis eorum, id est quo impij circueunt pios, nempe labor labiorum ipsorum operiet eos, & in confessionem mittet præcipites. Non enim aliud possunt dæmones neque ministri eorum, nisi sermonibus atque suggestionibus mala suadere, & artificiosis suis suasionibus, atque miro modo elaboratis mala proponere: & hoc ipsum caput est atque præcipuum, quo circundare, tentare, vexare possunt bonos. Non possunt autem sic bonos circuire, vt vlla violentia eorum corda ac voluntatem in peccaC ta queant pertrahere. Vnde fit, vt cùm per arbitrij sui libertatem, iusti gratia Dei confortati, illorum elaboratos & mollificatos sermones reiecerint, in veritate solidati, confusio illos operiat & ignominia. ℂ Versu 11. Damnati in miserijs non subsistent. Non ita hoc accipiatur, quasi secundum suam substantiam impij perituri sint, & imperpetuum substantialiter victuri (Viuent enim semper, & semper mortem ferent, iuxta id quod in alio Psalmo de impio dicitur, Et laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem) sed iuxta communem loquendi modum accipi debet, vt significetur importabilitas tantum & infinita magnitudo miseriæ eorum. Sic enim etiam vulgo dicere solent homines, se non posse perdurare, vel sustinere in ijs quæ nimium eis videntur dura, & ad tolerandum grauia, quæque sine vehementissimo dolore & magno incommodo ferre non possunt: & non rarò dicunt ferre se aliqua, aut in eis perdurare, aut subsistere non posse, quæ velint nolint ferre cogun- 2. Pet. 2. tur: quo loquendi modo vtitur sanctus Petrus, cùm angelos malos dicit non portare aduersum se execrabile iudicium. Pſal. 48.

CXL. PSALMI ARGVMENTVM.

CLamat in hoc Psalmo pro suis membris Ecclesia militans, congregatio iustorum, orationem suã gratã fieri & exauditionem exoptãs: specialiter verò contra linguæ lapsum, & potissimum contra excusatorios
D sermones, ad peccatorum defensionem, quibus vti solent peccatores in suis malitijs perseuerare volentes, à quibus alienos esse oportet qui sunt de congregatione sanctorum & Ecclesia Dei. Hos enim decet ad correptionem suscipiendum esse paratos, si quãdo in vlla re peccauerint, & excusationes non prætendere: peccatorum autem adulationes detestari, ne per eas in malitijs foucãtur, contra quas oratione iugiter debent fideles militare, atq; hoc quidem vsq; ad medium versus septimi. Post hoc verò iudicium, quod à Christo factum est contra principes errorum, malignas videlicet potestates, tyrãnos, mundi sapientes & hæresiarchas describitur: quibus iudicio Dei absorptis, auditus præbetur verbis veracium atque fidelium, quæ sancti Apostoli prædicauerunt, & quotidie prædicãt in Ecclesia sancta ministri fideles: ex qua verborum veritatis prædicatione, tametsi persequutio immanissima exorta fuerit in primitiua Ecclesia sitq; etiã post exoritura, ita vsque ad ossa dispensatur confessores veritatis: quia tamen semper in domino Deo spes eorum erit ab omnibus malis, quod ad animam attinet, salui euadent electi Dei. Quod ipsum versu penultimo iterum sollicita deprecatur Ecclesia, ne in laqueos mortis cadãt eius filij, & vt Dei protectione custodiãtur à scãdalis peruersorum, quos dicit in rete diaboli concludendos electis singulari Dei custodia, & electione ab illorum impietate seruatis, donec de sæculi huius malitia in vitã transeãt sempiternã. Aduertendum tamen, psalmum hunc etiã cuilibet fideli (qui membrum est Ecclesiæ) recte conuenire: quemadmodum fere vbique, quod Ecclesiæ conuenit, vt corpori, fidelibus aptari potest, vt corporis illius membris. Videtur tamen octauus & nonus versus ipsi magis fidelium congregationi, quàm vni cuilibet illius congregationis particulæ competere.

1 *Domine clamaui ad te, exaudi me:* * *intende voci meæ, cùm clamauero ad te.*

2 *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo:*
* *eleuatio manuũ mearũ sacrificium vespertinum.*

3 *Pone domine custodiam ori meo:*

* *& ostium circũstantiæ labijs meis.*

4 *Nõ declines cor meũ in verba malitiæ:*
* *ad excusandas excusationes in peccatis.*

5 *Cum hominibus operantibus iniquitatem:*
* *& non communicabo cum electis eorum.*

6 *Corripiet me iustus in misericordia: & increpabit me:*

* *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

7 *Quoniam adhuc, & oratio mea in beneplacitis eorum.*

1. Cor. 1. Ioan. 21. 8 *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum:*

DOmine Deus meus, ecce in oratione ego clamorem & desiderium bonum cordis mei leuaui ad te, tibi aperui, tibi obtuli orationem meã, tu me clamantem benignus exaudi: * ne auertaris, sed attendas ad vocem orationis meæ, cùm ad te orauero, vt impleas præstesque misericorditer quod postulo. 2. Non inueniat obstaculum aliquod oratio mea in ascensu suo, quemadmodũ oratio impiorum, quã iniquitatis nubes deorsum pellit, nec sursum sinit scandere: sed dirigatur via recta vsque ante conspectum tuum, pertingatque ad sacrarium exauditionis tuæ grata tibi & accepta, ad eum modum quo thus aut aliud quodlibet suffimentum igni impositum solet fumum sursum recta mittere absque obstaculo, simul cum bona fragrãtia, & odore grato in naribus olfacientium: * cùm in oratione manus meas ad te leuauero, sit tibi deuotio cordis mei oblatio grata & accepta, quemadmodum sacrificium vespertinũ, quod ex legis statuto offerebatur per singulos dies, ad honorem nominis tui, in signum eius hostię quę in plenitudine temporis pro omnium salute erat immolanda. 3. Et quoniam facillime in lingua video labi homines, & raros admodum esse qui in lingua nõ offendant: idcirco peculiariter hoc abs te postulo, vt os meũ tua custodia ita obserues, ne quid per os meum loquar, siue mendaciũ, siue vanum, siue otiosum quod non deceat: * sicque labijs meis ostium ponas quod ipsa circunstet & custodiat per circuitum, vt nihil per ipsa possit egredi, quod præstitisset non egressum fuisse, hoc est, dona mihi gratiam tuam ad obseruandum, refrenandum atque edomandum linguam, vt ea nõ peccem. 4. Nõ linas cor meum sese dare ad ferendos sermones malos, siue ad veritatis blasphemiam, siue ad proximorũ seductionem aut deceptionẽ: * potissimum autem patiaris inclinari, aut eo vsque moueri cor meum, vt excusationes quærat in peccatis cõmissis, quibus ea defendere siue excusare laboret: sed magis cor pœnitens & spiritum cõtritum da mihi, ad cõfitendum tibi iniustitiã meã, pro peccati remissione cõsequenda. 5. Nõ loquar (inquam) ego verba malitiæ, neq; excusationes quęram in peccatis, iuxta quod faciunt homines illi qui ex affectu prauo & voluntate peruersa sunt operarij iniquitatis: * & nõ cõmunicem, nõ fiam particeps eorum quę ipsi electa reputant, & in quibus ipsi suas cõstituunt delicias. Nõ enim peto huius sęculi voluptatibus & delicijs frui quibus fruuntur ipsi: in quarum rerum perfruitione (vtpote in cõuiuijs & cõpotationibus) solet multipliciter labi hominis lingua: sed malo in silentio vti ijs etiam quæ illi vilissima reputant, vtpote panis buccella tantum, aut esca qualibet mediocri. 6. Si quando me contigerit per fragilitatem & infirmitatem in vllo deficere, paratus sum correptionem (vel tuam, domine, vel hominis iusti timentis te) suscipere, & misericorditer atque humiliter, salubriterque monentem, vel etiam acriter obiurgantem patienter audire: sciens, quoniam correptio hæc tametsi seueritatem prætendat, est tamen misericordiæ & benignitatis, ad emendationem peccati mei: * adulatorum autẽ blanditiæ, quibus demulcent peccantium corda, eosque in malis fouent atque enutriunt, nõ oblectent animum meum, neque foueant me in peccatis meis. Melius enim est, lixiuio corripientis caput ablui & mundari, quam oleo adulantium, vt fiat immundius obliniri atque impinguari. 7. Neque mirum, si ab illorum malitiis cupio mundus inueniri: quãdoquidem adhuc futurum est, vt oratio mea dirigatur contra illorum malitias in quibus cõplacent sibi & oblectantur, cõtra hæc orationem fundere nõ cessabo, donec viuam: primum quidem, vt ab illis semper ego mũdus seruer & incõtaminatus. Deinde, vt ij etiam qui in illis adhuc agunt aliquando aduertantur ab eiusmodi, relictisque vitijs & cõcupiscentijs, discant odio iam habere, quę ante habuerant beneplacita, & in quibus ante fuerant oblectati. 8. Principes malorum, qui velut capita erant & duces inter eos errorum atque vitiorum, vias alijs demõstrantes, & in illis homines dirigẽtes, hi petræ Christo applicati, perierunt, absorpti sunt atque vorati à facie præsentiæ eius, postquã aduenisset in mundum ad faciendum iudicium eius. Nam & dæmones, qui erant velut mundi rectores, firmissimæ illi petræ Christo iuncti, deuicti sunt, iudicati forasque missi in abyssum. Iudices etiam & principes terræ, item & mundi sapientes qui populo duces erant (illi quidẽ per vim, isti, per apparentem sapientiam) omnis erroris, Christo iuncti, ad Christum comparati, absorpti videntur: quando eorum & potentiam & sapientiam omnem ipse dissipauit, virtus & sapientia patris. Sunt quoque contriti, & perierunt, attriti ad Christum durissimam petram, quẽ debellare tentabant. Sunt insuper in abyssum damnationis missi iudices illi terrarũ, postquàm exhibiti sunt, & applicati ante tribunal summi iudicis Christi: * hoc autem contra principes magistrosque errorum facto iudicio, populi qui illorum detinebantur erroribus, pœnitentiam agentes, audierunt atque etiam audient verba veritatis, quæ ego fidelis Ecclesia loquar illis: obedientes sese præstabunt doctrinæ meæ, suscipientque gaudentes doctrinam veritatis: * neque id sanè mirum, quandoquidem verba prædicationis & doctrinæ, quæ ego ex Dei doctrinatione doceo, & trado, potentia admodum sunt & valida, eloquia casta sunt & examinata, potentia sicut ignis, & quasi malleus conterens petram: suntque decora admodum, iucunda & amabilia, fide & omni acceptatione dignissima. 9. In annunciando autem hæc veritatis & sanctæ fidei verba, grauissima nobis tribulatio atque persecutio exurrexit in primordijs nascentis ecclesiæ, & exurget crudelior in nouissimis temporibus Antichristi, ita vt non solum nos interficerent, verumetiam in ossa quantum possent desæuirent, ea dissipando, in cinerem adurendo & dispergendo, iuxta infernum siue foueam sepulchris: nolentes propter sæuitiam, vel ossibus fidelium in sepulchris requiem dare, cadauera nostra feris & bestijs exponendo, & ossa tanquam sepultura indigna per superficiem terræ in locis abominabilibus dispergendo, ad eum modum quo terræ crassitudines: id est, ci assæ glebæ terræ (agricola terram aratro scindente) erumpunt per scissionem aratri, & magna violentia à loco suo, in quo compactæ iacebant, disperguntur super superficiem terræ. 10. Veruntamen licet grauissima & fuerit in initio Ecclesiæ, & erit in fine persecutio nostra: quia tamen semper respiciunt oculi nostri ad te domine saluator & liberator fidelium tuorum, quia in te sperant serui tui, & tuo innituntur auxilio: idcirco tu perire non sines animas nostras, sed conseruabis semper tibi tuos electos, quos nullis persequutionibus patieris à veritate excidere, in quorum corpora tametsi patiaris impios peruersam exercere potestatem, animas tamen eorum auferri, aut perdi non sines. 11. Veruntamen quia video excrescere & abundare in terris, impiorum malitiam clamare adhuc cogor infirmis membris meis, ac dicere, Custodi eos domine, & præserua semper ab insidijs tentationum malarum, quas ponunt & occultant aduersarij bonorum seruis tuis: * & ab offendiculis quæ præbent bonis operarij iniquitatis, illos conserua, vt nunquam in laqueum incidant, neque impingentes aut offendentes cadant in peccatum. 12. In te rete & laqueum eius, nempe diaboli & impiorum seductorum, qui sunt ex parte eius, in laqueum & in vincula mortis æternæ, cadent ij qui in peccatis suis permanent obstinati, & moriuntur in eis. huiusmodi sunt, quos ipse cum sibi adhęrentibus capiũt, quos laqueo suo in damnationem abducunt: * ego verò congregatio iustorum & nos serui atque electi tui, velut separatim atque singulariter subsistimus per tuæ electionis gratiam, ab illis meritò separati, & quasi in partem sepositi, vt in nullo communicantes eorum infidelitati, aut infructuosis operibus tenebrarum: ita nec damnationi pœnarum, donec tandem post hanc exactam malitiam, transitus nobis præstetur ex præsentis sæculi malis, ad requiem sempiternam, quam in te præstolamur. Amen.

* *audient verba mea:*

* *quoniam potuerunt.*

9 *Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, dissipata sunt ossa nostra secus infernum.*

10 *Quia ad te domine oculi mei, in te speraui, non auferas animam meam.*

11 *Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi:*
* *& à scandalis operantium iniquitatem.*

12 *Cadent in retiaculo eius peccatores:*

* *singulariter sum ego donec transeam.*

Psal. 27. Hiere. 23.

Luc. 18.

Ephes. 5.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXL.

VErsu 2. Dirigatur oratio mea, &c. Quemadmodum (teste Sapiente) oratio humiliantis se nubes penetrat, & ad Deum pro exauditione transcendit: ita impiorum oratio est execrabilis, & obstaculum habens repellitur, ne ad exauditionem ante Deum introgrediatur. Bonorum autem oratio recta sursum scandit, in modum thuris cremati, estque Deo gratissima. Oratio autem impiorum ad modum nebulæ dispergitur, & in naribus Dei fœtida est atque abominabilis. Ob hoc petit fidelis orationem suam dirigi in cõspectu Dei sicut incensum. ¶ Versu 3. Pone domine custodiam ori meo. Quomodo in domum cui nulla est custodia adhibita, quæ porta aut ostio non est concluſa, sine delectu quilibet ingreditur atque egreditur, facillimeque ventus quilibet introgreditur & efflat: ita stulti & peruersi, quibus non est linguæ custodia, neque ostium labia circunstans sine delectu atque

Ecclesi. 35.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicio proferunt quicquid in buccam venerit, & quicquid libuerit. Et quomodo ciuitatem aut E
domum, quæ custodia adhibita seruatur, ostia quoque & porta concluditur, nisi cum discretione &
iudicio egredi vel introire nemo potest: ita per os bonorum non egrediuntur, nisi quæ secundum iu-
dicium & rationis examen, vera, bona, atque vtilia probata fuerint. Vnde & vulgo dici solent homi-
nes, Ori frenum imponere, aut seram adhibere, quum non nisi probos & bene meditatos sermones
loqui proponunt, neque sine delectu inutilia quælibet indiscriminatim profundere. ¶ Versu 4. Non
declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Admodum necessaria
est hæc oratio, omnibus qui cupiunt in æternum non proijci, non derelinqui in perpetuum à domi-
no. Nam peccare humanum est, & à peccato potes resurgere, si lapsus fueris, modo humiliter tuum
Psal.131. peccatum agnoscas, & confitearis, iuxta quod in alio psalmo dicitur, Dixi, confitebor aduersum me
Psal.50. iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Hinc in alio iterum psalmo cùm
de grauibus fœdi adulterij, & impij homicidij sceleribus veniam quæreret olim propheta domini,
2.Reg.12. tunc factus seruus diaboli, precando remissionem confitetur culpam, dicens: Amplius laua me ab
iniquitate mea, & à peccato meo munda me: Quoniam iniquitatem meam agnosco, & peccatum
meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris, &c. Sic venien-
Ibidem. te ad ipsum propheta domini Nathan, de perpetrata impietate redargutus, non quæsiuit excusatio- F
nes in peccatis, sed ingenuè reatum confessus est, dicens. Peccaui domino. Quam ob causam, diuinæ
consolationis verbum meruit audire, dicente Nathan, Dominus quoque transtulit à te peccatum
tuum, non morieris. Illi autem qui post commissum peccatum excusationes quærunt sui peccati, qui
redarguuntur, vel interius obmurmurante conscientia, domino in ea loquente, vel exterius bono-
rum verborum, siue exemplorum exhortationibus, non solum non agnoscunt iniquitatem, non so-
lum non dicunt, Peccaui domino, sed aliquod insuper suo peccato pallium quærunt, quo operiant,
quo tegat, quo excusent commissam iniquitatem: quomodo remissionem huiusmodi promerebun
tur accipere? Sic sanè primus ille parens noster Adam, malum exemplum reliquit posteris, simul &
coniunx eius: quod nimium libenter imitantur filij Adam, quicunque ex tali patre & tali matre sunt
progeniti. Sic enim in Geneſis exordio legimus, post Dei præceptum serpentis seductione præuari-
Gene. 3. catum, domino requirente Adam, & interrogante, quamobrem præceptum fuisset transgressus: re-
spondisse illum, non verbum humilis confessionis, sed vanæ excusationis. Mulier (inquit) quam de-
disti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Item & coniunx interrogata, cur id fecisset, verbũ
vanæ excusationis respondit, dicens: Serpens decepit me, & comedi. Nusquam hic audis vocem filij
Isai, nusquam hic audis, Peccaui domino, sed excusationes tantum in peccatis, Illa decepit me, ille de-
cepit me. Propter quod non meruerunt ipsi parentes primi à domino audire, quod filius Isai à pro-
pheta domini Nathã audiuit, videlicet vt transferretur peccatũ eorum, sed quantocyus in eos vltio- G
Gene.4. nis sententia prolata est. Huius exempli mali primum imitatorem legimus, Illum primum homicidã
Cain, qui post patratum crudele fratricidium, domino misericorditer requirenti, Vbi est Abel fra-
ter tuus? non respondit, Peccaui domino, sed frõte superba, & ceruice elata excusationem quæsiuit:
Nunquid (inquiens) custos fratris mei sum ego? Quam ob causam, euestigio diuinę vltionis sententia
aduersus illum prolata est. Vix autem alium inuenimus tam pertinacem excusatorem, vt illum prius
1.Reg.15. humilem, pòst nimium superbum Saulem. Sic enim vbi præter suum officium holocausta obtulisset,
atq; ob hoc à Samuele fuisset correptus, prolixã excusationẽ proponens, etiam necessitatẽ prætẽdit,
1.Reg.15. dicens: Necessitate cõpulsus, obtuli holocaustum domino. Nonne violenta est excusatio, quæ necessi-
tatem prętendit (vt dici solet) lege carentem? Ita in captione Amalech, quem penitus deleri manda-
uerat dominus, cùm aduersum domini mandatum optimis quibusq; seruatis à Samuele fuisset admo
nitus, interrogante, quænã esset vox gregum sequentium, &c. Ille superba excusatione respondit, De
Amalech adduxerunt ea. Pepercit enim populus melioribus ouibus & armentis, vt immolarẽtur do-
mino Deo tuo, reliqua verò occidimus. Vide (quæso te) superbam excusationem. Primum, non ait,
De Amalech adduci ea, Peperci melioribus, vt immolarem, &c. sed à se peccatũ abijcit in populum,
dicens persona tertia, adduxerunt, pepercit populus. Deinde etiã laudem excusatio ista videtur postu H
Ibidem. lare pro reprehensione, cùm pietatem prætendit, dicens: Vt immolarentur domino. Et cùm iterum à
Samuele acrius obiurgaretur dicente, Quare ergo nõ audisti vocẽ domini, sed versus ad prædam es,
& fecisti malum in oculis domini? Ille perfricta frõte excusationem excusationi adiecit, Imò (inquiẽs)
audiui vocem domini, & ambulaui in via per quam misit me dominus, & adduxi Agar regem Ama-
lech viuum. Tulit autem de pręda populus oues, & boues primitias eorum quę cęsa sunt, vt immolet
domino Deo suo in Galgalis. Nunquid hic audit, peccaui domino? Se enim dicit obedisse domino, &
per viam bonam ambulasse: populo verò imponit, quòd adducta sit pręda, & hoc ipsum quantum ve
let excusans quòd ad immolandum essent adducta. ¶ Versu 5. Et nõ cõmunicabo cum electis eorũ.
Potest accipi, electis, in genere masculino: vt sit sensus, Non habebo societatem, neq; cum ijs qui in-
ter operarios iniquitatis sunt primi. Melius tamẽ accipitur in genere neutro, quomodo in Elucida-
tione à nobis expositum est, cui cõsonat quod ex Hebræo vertit Hieronymus, Neque comedere in
delicijs eorum, Et Felix, Ne comedam ex iucundis eorum. ¶ Versu 7. Quoniam adhuc & oratio
mea in beneplacitis eorum. Beneplacita impiorum, quid melius intelligimus, quàm vitia atque pec-
cata, in quibus illi eligunt permanere & requiescere? Est ergo sensus, Adhuc oratio mea est, & erit
in eorum malitijs: vel potius in malitias, contra vitia & peccata eorum: siue pro malitijs eorum, vi-
delicet vt ipsi ab illis conuertantur, donec tempus est, & ego illis nunquam coinquiner. Atque huic
expositioni consonat, quod ex Hebræo vertit Hieronymus, Quia adhuc oratio mea pro malitiis
corum:

A corum: item & quod Chald. habet paraphrasis, Adhuc oratio mea ordinata est cõtra malitias eorum.
Alij sic intelligunt, Ego orabo pro eis, dum ipsi manebunt in suis vitijs, quæ sunt eis beneplacita. Cui
sensui videtur fauere quod vertit Felix, Adhuc oratio mea inter mala eorum. ¶ Versu eode, Absorpti
sunt, iuncti petræ iudices eorum. Clarior esset intelligentia, si ab hac parte, versus nonus inchoaretur,
vt simul cum principio versus sequentis componeret versum octauum: ac deinde secunda pars versus
octaui cum principio noni cõponeret versum nonum, ad eum modum quo nos in Elucidatione di-
stinximus: vt aliqua fieret per talem distinctionem commodiorem alleuiatio difficultatis, quæ est in
his verbis non modica. Huius autẽ versus intelligentiam prolixe indicauimus in Elucidatione, per iu-
dices intelligendo principes & capita errantium, id est, duces, magistros, & quomodocunque autho-
res errorũ, non obedientes veritati, sed potius repugnantes ei, & contradicentes. Hi enim impiorum
principes iuncti petrę Christo, absorpti sunt, consumpti sunt, iudicium suũ acceperunt: & illis inter-
fectis, Dei iudicio, audierunt simplices prius seducti per principes illos, verba Dei, quoniã potuerunt
supple, verba Dei, id est, potentia & prætualida fuerunt. Sic enim in præsenti loco, potuerũt, accipi de-
bet, vt valeat potentia fuerunt, prætualida fuerunt. Ex Hebręo Hieronymus legit, Audient verba mea,
quoniam decora sunt. Felix, iocunda: alij, Suauia, vel dulcia. Quidam Hebræorum expositores inter-
pretantur hunc locum de peccato Moysi & Aaron iuxta petram. Ipsi enim iuncti petræ, id est, pro-
B pe petram, vel iuxta petram positi, sublati sunt, & absorpti sunt, quatenus hoc ibi promeruerunt, vt
morte interirent vterque ante ingressum terræ promissionis: ac deinde audierũt verba domini, quo-
niam potentia fuerunt ad educendum aquam de petra. Verum huic sensui non bene consonant ne-
que præcedentia, neque sequentia. Neque satis videtur, quorsum huc pertineat eius rei facere men-
tionem, maximè cùm mox subdatur, Sicut crassitudo terræ, &c. Quod non videtur vllo modo cum
præcedentibus cohærere. ¶ Versu 9. Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, dissipata sunt
ossa nostra secus infernum. Hunc versum clarius aliquanto sic legit ex Hebræo Hieronymus, Sicut
agricola cùm scindit terram, sic dissipata sunt ossa nostra in ore inferni. & Felix, Velut scindens, &
findens terram, dispersa sunt ossa nostra secus foueã, vel in ore inferni. Quod in Elucidatione satis lu-
cide expositum est. Illud autem secus infernum, exponi potest, iuxta sepulchrum, quoniam videlicet
iuxta sepulcri foueam, interfectorum martyrum cadauera proijciebantur, & ossa dispergebantur in-
humata iacentia. Pro quo facit quod vertit Felix, Secus foueam: Solet enim nonnunquam per foueã
intelligi sepulchrum. Vel intellige: Sic dissipata sunt ossa nostra, vires nostrę ita cõfractæ sunt, in tanta
nos adduxerunt discrimina, vt visi nobis fuerimus esse in portis inferni, & inferno ia proximi, quem-
admodum de homine proximo moriturο dicimus, q̃ est prope sepulchrum, vel prope infernum, aut
quòd alterum pede habeat in sepulchro, vel in cymba Charontis. ¶ Versu vltimo, Cadent in retiacu-
C lo eius peccatores, Quanquã nihil præcesserit secundum numerum singulare, quòd videatur eius pos-
se referre, eò quòd præcedentia omnia per numerum pluralem sint dicta, potest tamen referre ipsum
caput impiorum diabolum, aut simul totum corpus diaboli, Ipsum enim seducit, & in laqueos tra-
hit, dum seducti mali seducunt alios, quemadmodum Paulus dicit, errãtes & in errorẽ mittentes, quo-
modo per contrarium corpus Christi se à laqueis studet eximere, dum quærendit (iuxta illud Apoca- 2.Tim.3.
lypsis) dicit, Veni, & vnusquisque per Deum liberatus, rationem salutis habet proximorum suorum. Apoc.22.
Vel singulare accipe pro plurali, in retiaculo eius, id est, eorum, quemadmodum in Græco habetur
αὐτῶν. Intelligi etiam posset, in retiaculo impietatis, cuius in fine versus præcedentis fit mentio. Illud
quoque, in retiaculo, diuersum sensum patitur. Nam si ablatiuus pro accusatiuo ponitur, in retiaculo
pro in retiaculũ, quomodo habet lectio Romana: sensus est, In rete diaboli vel impiorũ, vel impieta-
tis cadent peccatores. Si verò in retiaculo valeat, per retiaculum, sensus est. Per retiaculum cadent in
morte, & precipites corruent in infernum. Quomodo autem iustorum congregatio singulariter sit,
donec transeat id quod in fine psalmi dicitur, docet nos Christus dominus huius beatæ societatis ca-
put & princeps, cum suis ait Apostolis, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, & posui vos, vt eatis, & Ioan.15.
fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et infrà: Si de mundo fuissetis, mundus quod suũ erat, di-
D ligeret: quia verò de mundo nõ estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Ac rur Ioan.17.
H sum ad patrẽ loquens, ait, Ego pro eis rogo, nõ pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia
tui sunt. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia nõ sunt de mundo, sicut &
ego nõ sum de mundo. Vides, quomodo sunt singulariter sancti, donec transeunt. Transitus autẽ hic
idem est, de quo apud Ioannem scribitur: Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius
vt transeat ex hoc mundo ad patrem, &c. transitus videlicet per corporis mortẽ, à vita temporali ad Ioan. 13.
æternam ab exilio ad patriã, à valle lachrymarũ ad paradisum æterni gaudij, à corruptione ad incor-
ruptionẽ, à mortalitate ad immortalitatem, deniq; à morte ad vitã sempiternam. De particula quo-
que Donec, hic notanda sunt quæ diximus in versum secundum psalmi centesimi & noni. Nam post
hunc transitum, tunc vel maxime singulariter erunt iusti, tanquã oues separatæ ab hœdis, sicut dilecti
pueri in cubili parentis segregati à maleficis vinctis in sempiterno carcere, denique sicut perpetuò Matt.25.
beati, à perpetuò miseris. Atq; ita quilibet in persona totius ecclesiæ, siue totius congregationis iustorũ
exponitur hæc particula: quemadmodum in psalmo illa videtur loqui. Si autem in hoc versiculo
accipere voluerimus ipsum caput nostrum, in sua tantum persona loquens, & orationem corpo-
ris finiens, admodum suauem habebit hæc clausula intelligentiam, nimirum hanc, O cœlestis pa-
ter, ego filius tuus, totius caput ecclesiæ (quæ hactenus ad te clamauit) sum quasi singularis, quasi
solitarius, & vnicus tuus filius, donec ex hoc mundo ad te transeam, donec ad te redeam vnde egres- Psal. 140.
sus fueram. Tunc enim nequaquam singularis ero, non amplius solitarius, non vltrà vnicus filius Ephes. 4.
tuus:

Heb.2. Rom.8. tus:sed ascendens in altum,captiuam ducam captiuitatem, multos filios tibi adducam in salutem & gloriam:eroque extunc quasi primogenitus in multis fratribus,qui antè fueram quasi solitarius. E

CXLI. PSALMI ARGVMENTVM.

EX titulo palàm est,Dauid prophetā psalmum istum,post consummatā Saulis aduersus se iram,in fuga cecinisse suam miseriam & animi angustiam partim ex grauissima aduersantium persecutione, partim ex amicorum omnium atque notorum derelictione, domino commendando, atque ab eo (postquam humanitus nullum erat)supernum poscendo auxilium. Veruntamen quia Dauid figura erat Christi, totus iste psalmus commode admodum Christo domino peculiariter aptari potest. Ipse enim in grauissima persecutione Iudæorum positus, ita vt omnibus amicis,notis,apostolis,atque discipulis derelinqueretur,ad patrem clamauit, ab ipso salutem deposcens,in cuius etiam manus spiritum suum moriens commendauit,à quo orauit de carcere inferni saluari, & à corpore mortis expediri,ad satisfaciendum expectationi iustorum, qui ante eius resurrectionem in suam quam expectabant retributionem pertingere, absque illo non poterant.Iterum autem sicut psalmus iste Christo domino peculariter aptari potest,ita cuilibet fideli(qui membrum est eius)formam præbet ad Deum orandi in afflictionibus & persecutionibus,cùm humanum sibi vel deesse,vel sufficiens nō adesse conspexerit auxilium. nos Elucidationem ita moderati sumus,vt facile,siue Christo capiti, siue fidelibus membris eius, ab attento animo æque valeat aptari. F

CXLI. PSALMI ELVCIDATIO.

1 Voce mea ad dominū clamaui, voce mea ad dominum deprecatus sum.

*2 Effundo in conspectu eius orationē meam:*et tribulationē meam ante ipsum pronuncio.*

3 In deficiendo ex me spiritū meum:& tu cognouisti semitas meas.

4 In via hac qua ambulabam, absconderūt laqueum mihi.

5 Cōsiderabā ad dexterā et videbā: non erat qui cognosceret me.*

*6 Perijt fuga à me: * & non est qui requirat animam meam.*

7 Clamaui ad te domine: dixi: tu es spes mea: * portio mea in terra viuentium.*

8 Intende ad deprecationem meā: quia humiliatus sum nimis.*

9 Libera me à persequentibus me: quia cōfortati sunt super me.*

VOcem orationis meæ ad dominum leuaui, & ex cordis affectu ad illum direxi clamorem deprecationis meæ, qui solus ab omni malo & periculo me possit saluum facere. 2. Ante conspectum eius penitus mihipsi diffidens effundo, veluti ex pleno affectu cum syncerā fiducia orationem meam: * tribulationem omnem quam patior, siue corporis, siue animi,manifestam facio ante præsentiam illius,& illi angustias meas omnes propono, vtpote quē scio mihi de tribulatione & posse & velle dare auxilium. 3. Cùm deficeret in me spiritus meus, & præ nimia angustia vix vltrà intra me posset contineri, cogereturque velut excedere è corpore, ego semper ad te clamabam, & tribulationem omnem tibi aperiebam: neque enim alius est cui rectius mea omnia possim, aut debeam committere, quandoquidem tu cognouisti omnes vias meas, quibus ambulaui coram te corde perfecto & bona voluntate, & omnis ratio vitæ meæ nulli melius est quàm tibi cognita. 4. Iuxta viā istam veritatis atque iustitiæ per quam ambulaui, insidias posuerunt mihi aduersarij mei, cupientes me in mortem siue animæ siue corporis præcipitare, propter iustitiam quam tenui, ad mortem vsque me persequentes. 5. Istis autem sic insidiantibus,aspiciebam ex omni parte,si ex hominibus nullum mihi adueniret adiutorium: & attendebam si nemo adesset à dextris, paratus ferre auxilium mihi, inimicorum insidijs circundato, & diligenter attendebam, ad modum eius qui ardenter expectat liberatorem: *verum neminem omnino conspexi, neminem inueni ex omnibus notis,cognatis & amicis, qui me agnosceret: sic vt pro mea liberatione quicquam auderet agere, aut ferre tribulato auxilium: imò qui erant noti & proximi mei, sibi timentes fugerunt à me, relinquerunt me, atque etiam abnegauerunt. 6. Quod si meipsum fuga saluare voluissem,non erat quò,aut ad quem cōfugerem,vbi ab hostibus meis saluari possem: * omnes me reliquerunt,neque est ex notis & amicis quisquam,qui animam meam requirat ad saluandū eā, cui cordi sit saluare vitam meam: sed in manibus hostium absque vlla requisitione me dimiserunt,neque pro mea innocentia propter timorē humanum,vel loqui vel agere sunt ausi. 7. Cùm ergo viderem apud homines nusquā mihi esse auxilium,nullam esse spem liberationis meę ab hominibus,leuaui ad te domine vocem meam deprecatoriam: * tibiq; dixi in confessione orationis meæ, Spes mea in te omnis est, vtpote quem scio & potentissimum vt valeas,& optimum vt velis salutē dare animæ meæ:* tu quoq; pars es & hæreditas mea omnis, quam expectō possidere,& qua spero frui in cælesti illa patria semper ac beatè viuentium.8. Proinde,obsecro te,ò spes & hæreditas mea,vt intentū te exhibeas ad orationē meam, qua te deprecor pro salute mea exaudiasque deprecantem:quoniam afflixerunt & angustiauerunt me valde inimici mei,ita vt ex mea virtute, nisi tu adiuues, non videam quomodo illorum manus effugiam.9. Tu me libera,qui solus potes, ab ijs qui me ad mortē vsque insanabili odio persequuntur: * iam enim tēpus est vt festines, G H

A

10 Educ de custodia animam meam,ad confitendum nomini tuo.

** me expectant iusti, donec retribuas mihi.*

stines,quoniam valde inualuerunt in me,& sęuierunt contra me,& penè prævaluisse videntur mihi:libera (inquā) vt in manibus illorum nō pereat anima mea,sed in manibus tuis custodita saluetur. 10. Educ domine,ad laudem & confessionem nominis tui, animam meā de custodia & obsidione qua me obsidet inimici mei,perdere quærētes eam, vt saluā educas liberatione tua: * ītē & de custodia siue carcere inferni & mortis libera animā meam, ne per fraudes atq; insidias aduersantium vnquā illuc ingrediar: * Insuper & de custodia carnis huius mortalis,in qua vt in carcere multis pleno miserijs spiritus inhabitat,educas illum, cùm tibi placitum fuerit.Inquieta est enim anima mea,donec veniat ad te: * me expectant iusti omnes, qui priores ad te ingressi sunt, cùm expectatione & desiderio multo, donec à te accipia retributionem fœlicitatis meę,vehementer cupientes impleri numerum fratrum suorum, facturi festum magnum & gaudiū super saluatione mea, qui gaudium habent etiam super peccatore pœnitentiam agente. Lucæ 15.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLI.

B

VErsu 1.Voce mea ad dominum clamaui.Præmittitur huic psalmo titulus,Intellectus Dauid cùm esset in spelunca,oratio. Qui titulus indicat extremam illam angustiam in qua erat Dauid,cùm cogeretur in speluncis sese occultare,occasione dedisse Dauidi, hunc psalmum per orationis modū componendi.Non tamen ob hoc necesse est,totum psalmum peculiariter de illa angustia temporali profugi Dauidis exponi:quemadmodum post psalmi tertij annotationes diximus: sed verisimile est, præcipuā intelligentiam Christo accōmodandam esse, vt de suæ passionis angustia ad patrem pro liberatione & resuscitatione clamanti.Tituli enim huiusmodi, nō tam materiam, q̄ occasionem psalmi,plerunque exprimunt: quemadmodum illo in loco plenius prolixiusq; per plura exempla deduximus.Optime itaque hic psalmus conueniet Christo domino, de extrema illa angustia,in qua erat, cùm iam esset traditus in manus hostium, cùm illum vtuli multi circundedissent, & tauri pingues obsedissent,ad patrem,torā suæ salutis anchorā exclamante, illiq; suum spiritum lamentabiliter cōmendantem.Quomodo autē in psalmo tertio diximus,quòd secundum literam ad temporale angustiā Dauidis in illa persecutione(cuius fit mentio in titulo)positi,posset etiam referri,& sic de hoc dicendum erit.Magis tamen utiliter ad vnumquęque iustum passionibus Christi configuratum, in grauibus angustijs positum,secundum spirituale expositionem accōmodabitur.Et præcipue ex hoc mūdo abscedentibus in Dei gratia conuenict: quemadmodum sanctum hominem Dei beatum Franciscum,in suprema vitæ hora, iamiam Deo redditurum omnibus virtutibus bene fragrantem spiritū legimus, totum eum à capite ad calcem vsque perlegisse, atque ita in voce vltima dicentem: Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo,me expectant iusti donec retribuas mihi, beatam animam in patris sinum exhalasse.Applicando itaque psalmū hunc Christo,principium in cruce pendenti rectè competit.Illic enim voce sua ad dominum clamauit,voce sua ad patrē deprecatus est, effudit in conspectu eius orationem suam, & tribulationem suam annunciauit, deficiente ex eo spiritu suo:quando(vt ex euangelijs discimus) in cruce pendens exclamauit: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?Quando tandem cum clamore valido exclamans: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:beatam posuit animam,quando(vt Apostolus ait) preces supplicationesque ad eum qui posset se saluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis obtulit. Atque ita defectio illa spiritus ex ipso(de qua in versu tertio)intelligitur emigratio animę à corpore.Defecit enim in mortis articulo ex eo spiritus eius.Verùm si ad vnū quemlibet de angustia corporali aut spirituali clamantem referamus intelligentiam,per defectionem illā,nō aliud q̄ grauis angustia & nimia anxietas accipietur.Iuxta enim vulgatam loquendi consuetudinem,dicimus,in nobis vel ex nobis deficere spiritum,aut à nobis abscedere, nos spiritu priuari, siue destitui cùm in rem arduam, perplexam, aut penè desperatam inciderimus, vnde spes nobis non videatur emergendi. Atque in hanc sententiam vertit Hieronymus.Quum anxius fuerit in me spiritus meus:& Felix,Dum mœrore operietur in me spiritus meus,vel dum anxietate inuoluetur. ¶ Versu 5. Respiciebam ad dexteram, & videbam. Ex scripturarum consuetudine,à dextris esse dicimus,quasi ad auxilium paratum assistere:vt psalmo 15. Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Et psalmo 108.Qui astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam. Cum ergo hic dicit in angustia positus, se respexisse ad dexteram, significat ad auxilium se respexisse, an nullus ferret suppetias,nemo subueniret iniuste oppresso innocenti, an non alicunde veniret sic valato subsidium.Et quod iterum addit, & videbant, significat diligenter, & quasi cum obseruatione attendebam: quemadmodum solent in graui metu positi attentissima obseruatione ad auxilium aspicere, an non alicunde quicquam adueniat. Quo tamen loquendi modo, non intelligamus Christum anxiè quæsisse auxilium. An enim putamus, quia nō poterat ille rogare patrē,& dedisset ei plus quàm duodecim legiones angelorum,siue in præsidium,siue in subsidium? Non ergo ista dicit,quasi anxiè quærens auxilium, & inuenire non potens, sed ad significandum hoc loquendi modo suam extremam derelictionem & destitutionem: quando relicto eō (vt scriptum est in Euangelijs) omnes fugerunt,& nemo pro illo jam tradito, vel verbo vel opere quicquam auderet agere. Quidā sic exponunt, Considerabam ad dexteram, & videbam, supplentes, ad sinistram, id est, ad omnem partem C D Psal.121. Psal.15. Psal.108. Matt.27. Ibidem. Heb.5. Matt.26. Ibidem.

parte direxi aciem oculorũ meorũ, & nulla ex parte apparuit qui cognosceret me. Verùm quod prio E
ri loco diximus, videtur potius. Quod autẽ in versu sequenti dicitur, Perijt fuga à me, tantundem valet atque, Non patebat mihi effugium, nõ erat quò fugerem, nullus erat rectus effugiendi locus, dum ita eram vndiquaq; circumcinctus hostibus, omni ex parte tentus atq; vallatus angustijs vt nescirem quò me verterẽ. A Christo verò peculiariter fuga in passione perijt, non quia non potuisset effugere,
Lucæ 22. sed quia iam hora venerat & potestas tenebrarum, quando à patre decretum fuerat, vt nõ effugeret:
& quomodo decretum fuit, ita & ille adimplere cuncta voluit: quemadmodum in alio psalmo dicitur, Traditus sum & nõ egrediebar, videlicet quoniam nolebam egredi, eò q; patris esset voluntas, vt
Psal. 87. implerentur eorum, qui me obsederunt, malitia. Requirere quoque animã longè aliter hic accipiatur, q̃ in aliquot scripturæ locis significat quærere animam. Animam enim quærere, plerunque significat quærere ad perditionem, vel ad interitum: veluti Exodi quarto, Mortui sunt omnes qui quærebant
Exod. 4. animam Moysi: id est, qui quærebant interficere. Et 1. Reg. 20. conqueritur Saul de filio suo Ionatha,
1. Reg. 20. quòd quærat patris animã. Et in psal. 39. Confundantur, & reuereantur omnes, qui quærunt animam
Psal. 39. meam, vt auferat eam. Et iterum, Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam. Et apud Matthæum
Psal. 62. angelus Ioseph alloquitur, dicens: Vade in terram Israël: defuncti sunt qui quærebant animam pueri.
Matth. 2. Requirere autem animam, hoc loco per cõtrarium intelligitur, ad seruandum, quomodo dicitur pastor ouem perditam quærere siue requirere, vt perditam inueniat, ac seruet ne pereat. ¶ Versu 10. F
Educ de custodia animam meam. Cum versum istum vt à Christo prolatum accipimus, intelligere licet custodiam siue carcerem mortalis corporis, vel custodiam siue obsidionem inimicorum persequentium: vel custodiam siue carcerem inferni aut lymbi. Primo modo hic est sensus, Educ pater cę-
Psal. 15. lestis animam meam de corpore isto pleno doloribus, & agoniæ grauissimæ finẽ impone, iube exire spiritum meum, & in manus tuas euolare. Secundo modo hic est sensus, Libera domine animam meã de ista obsidione, qua obsident me diligentissimè hostes mei, vt non in illorum manibus me derelinquas, tanquam vnum è mortuis ceciderunt gladio: sed tertia die resuscitatum, fac illorum manus euadere. Tertio modo hanc habes sententiam: Libera domine animã meam de custodia lymbi, vbi tanquam in carcere vincti custodiuntur, & à gloria detinentur electi: non derelinquas animam meam in inferno, sed visitatis captiuis, fac etiam in corpus redire, & ad te vnà cum illo assumi in gloriam. Illud quoque quòd adiungitur. Ad confitendum nomini tuo, expone, vel ego liberatus confitear nomini tuo, vel vt iusti de mea liberatione cõfiteantur tuo nomini. Quanquam in idem hæc duo conueniũt, quoniam quidem confessio fidelium eadem & Christi est atque ecõtrario, quæ Christi, & membrorum eius. Vltima quoque clausula psalmi, Me expectant iusti donec retribuas mihi: de Christo sic exponitur, O pater, festina me educere de corpore mortis, de obsidione inimicorum, de custodia infer-
Heb. 2. ni. Nam iusti omnes meam præstolantur liberationem & salutem, vtpote non potentes sine me con- G
summari, me præstolantur, vt authorem & causam salutis suæ, absque quo diu expectatam & multũ desideratam salutem non possint consequi, & per quam sciant se illam accepturos, simulque mecum in beatam requiem ingressuros ante conspectum tuum. Me expectant, donec mihi retribuas, quoniã sciunt non prius se accepturos suam retributionem, nisi vbi ego meam accepero. Ego namque vt pri
Rom. 9. mogenitus in multis fratribus, vt primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium, primam de-
Apoc. 1. beo beatæ remunerationis hæreditatem accipere: ac deinde per me vt primogenitum & consubstan-
1. Cor. 15. tialem, illi vt adoptiui, nam singuli sunt accepturi gloriam. Si verò ad fidelem quenque psalmus applicetur, habes in Elucidatione multiplicem intelligentiam.

CXLII. PSALMI ARGVMENTVM.

QVod hactenus in psalmis illis, qui pœnitentiales nominantur, notauimus: idem in hoc quoque eius appellationis secundum ordinem nouissime, quàm apertissime cernitur. A luctu enim graui incipit, & in securo gaudio finit, vt in illo manifestè videre liceat, quod in alio psalmo legimus: Quoniam secundum multitudinem
Psal. 93. *dolorum, consolationes Dei lætificant animas iustorum: & quod Paulus Apostolus ait. Quoniam sicut abundant*
2. Cor. 1. *passiones Christi in nobis, sic & per Christum abundat consolatio nostra. Itaque pressus graui mole tentationum seruus Dei, qui cupit retinere iustitiam, ad dominum clamat pro exauditione: quam vt impetret suæ iusti- H*
tiæ parum fidens, districtum iustitiæ iudicium non audet suscipere, conscius infirmitatis & miseriæ suæ, sed misericordiam magis exoptat: quam vt obtineat, mala quæ ab inimicis patitur, sollicite diligenterq; commemorat, & insolitæ miserationis pristinorum temporum opera mentis oculis intendit. Ex quorum consideratione, versu sexto, spem erigens, concepta fiducia, manus fidenter expandit, & celerem postulat succursum, iamiã deficiens, priusquam in perditionem descendat per peccati consensum: vocem miserationis diuinæ audiri intra se deposcit, viam quoque vitæ sibi monstrari, & in omnibus quæ sunt salutaria spiritu ductore regi atque deduci. In cuius auxilio plenissime fidens, versibus duobus vltimis quasi securus de victoria & salute, omnes inimicos suos fugandos atque etiam perdendos audacter denuntiat.

CXLII. PSALMI ELVCIDATIO.

*1 Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: * in veritate*

DOmine Deus, orationẽ quã fundo ante conspectũ tuũ benignus exaudi, & aures tuas (vt humanũ aliquid loquar) fac intẽdas deprecationi meę, benignũq; illi auditũ præbe: *secundu veritatẽ promissionũ tuarum, secundũ æquitatẽ iustitię tuę, exaudi me, tibi cordę humili supplicantẽ. Exigit enim hoc tua veritas & iustitię æquitas, vt iuxta promissum pœnitentiæ peccatori misericordiã non deneges. Neque

A *tua exaudi me, in tua iustitia.*
2 Et non intres in iudicium cum seruo tuo:
** quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*
3 Quia persecutus est inimicus aĩam meã, humiliauit in terra vitãmeã.
B *4 Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi: * & anxiatus est sup me spiritus meus, in me turbatũ est cor meũ.*
*5 Memor fui dierũ antiquorũ meditatus sum in omnibus operibus tuis: * & in factis manuum tuarum meditabar.*
*6 Expandi manus meas ad te: * anima mea sicut terra sine aqua tibi.*
*7 Velociter exaudi me domine: * defecit spiritus meus.*
*8 Non auertas faciem tuam à me: * & similis ero descendentibus in lacum.*
D *9 Auditam fac mihi mane misericordiam tuã: * quia in te speraui.*
*10 Notam fac mihi viam in qua ambulem: * quia ad te leuaui animam meam.*
*11 Eripe me de inimicis meis: * domine ad te cõfugi: * doce me facere voluntatem tuam.*

que enim iustitiæ est, neque veritatis tuæ, promissum denegare postulanti humiliter. 2. Neque verò me, Deus pissime, adducere velis in districtum tuum iudicium, vt secundum districtionem seueræ iustitiæ tuæ mihi retribuas, sed ad thronum misericordiæ tuæ confugio, & misericorditer mecum agi cupio: *Nam secundum districtionem & seueritatem iustitiæ tuæ, sepositа misericordia, vix quisquam viuentium super terram, iustus per omnia ante conspectũ tuum comperietur, qui non vlla vnquam macula peccati vel fuerit vel sit coinquinatus. Neque quisquam soli iustitiæ, nõ præsuppositа misericordia, innitens, se poterit iustum comprobare ante districtum eiusmodi iudicium eius. Quanto minus ego peccator miserabilis, qui multorũ malorum mihi sum conscius, tui audebo iudicij districtionẽ pronocare, vel expectare? 3. Ecce enim persequuti sunt me ad mortem aduersarij, & perdere quæsierunt animã meam, eã in morte præcipitare quærẽtes: & revera vitã animæ meæ valde afflixerunt, depresserunt, & contriuerũt vsq; in terrã, in interitũ penè & infernum. 4. Constituerunt me & habitare fecerunt in obscuritatibus, tenebris & horroribus internis, tentationũ multitudine & grauitate conscientiam velut obtenebrãtes & spiritus lumẽ obnubilantes, ad eum modum quo peccatores huius mundi, qui in perfectis & perpetuis degũt obscuritatibus: *Vel sicut eos qui olim mortui sunt qui iã in tenebris degũt. *vel sicut eos qui in hoc mundo morti addicti sunt, quos tenebrosi seruant carceres: *spiritus autem meus intra me factus est timore anxius, sibi metuens, ne fortè obscuritatibus eiusmodi inuolutus pereat in mortem, & huiusmodi metu turbata sit intra me anima mea. 5. Cum verò ita me conturbarent cogitationes meæ, nõ desperabã tamen, sed in memoriã reduxi sæcula præterita, quæ ab initio mũdi fluxerunt, & cõsideraui diligenter ad omnia opera tua, quæ fecisti in temporibus & generationib* præteritis, quomodo semper humilibus & pœnitentibus propitius miserator, impijs verò seuerus vltor extiteris: *& in iis quæ fecerut manus tuę, quæ tu fecisti in omnipotentia tua, diligentẽ apposui considerationem. 6. Ex his verò spe misericordiæ tuæ & liberationis meæ cõcepta, expandere cœpi fiducialiter brachia ad te Deum meum, qui me possis à morte & ab omni malo facere saluum: *anima mea tibi est, ad te sitit, te desiderat, & modo quodam præ ariditate tibi est aperta, aquis gratiæ & consolationis tuæ percupiens humectari atque refocillari: quomodo terra arida & sicca, non habens aquæ humore præsiti & ariditate fissa, aperitur sititque & anhelat ad pluuiæ irrigationem, vt potetur & humectetur ab ea. 7. Festina domine ad seruũ tuum, ne tardes amplius: sed exaudi me quantocyus, & velociter præsta auxilium: *iam enim in proximo est vt deficiat spiritus meus, longa & graui nimium inimicorum prauitate contractus, nisi præsentissimum adsit tuum mihi auxilium: nec video quemadmodũ ex meipso vltrà valeant tantæ malitiæ resistere, cum penè nihil remanserit in me viriũ. 8. Nequaquam vltrà differas ad me conuertere benignum aspectum tuum, neque exaudire distuleris orationem meam: *alioqui etiam si vel modicum adhuc auerteris aspectum tuum, iam similis ero iis qui in lacum mortis & inferni demersi sunt, & vnus ero de numero illorũ, eritque cum illis portio & mansio mea. 9. Mane diluculo, in serenitate & tranquillitate interiori, per tuum aduentum in anima mea immissa, te post noctem tribulationis ex oriente ad visitationem & consolationem in spiritu meo: atq; etiam matutino tempore, cũ ad te attẽtius orauero, tunc quęso fac me audire vocẽ miserationis, fac vt à me audiatur vox tuæ consolationis, fac vt sentiã intra me dulciorẽ aduenientis misericordiæ tuæ: *Ecce enim spem meam omnem & fiduciam plenam in te reposui. 10. Demonstra mihi viam bonam, per quam ambulare debeã coram te, vt placeam tibi, & instrue me, ac dirige per viam præceptorum tuorum: *quoniã ad te Deus leuaui pauperculã & cæcutientem animam meam, vt à te lumen accipiat & eruditionem atque ducatum bonũ. 11. Libera me domine ab aduersariis & persequutoribus meis, qui malum quærunt animæ meæ, vt prævaleant mihi: *tu es ô domine tutissimum meum refugium, ad quem in omnibus obuenientibus mihi periculis fiduciaiter confugio, tanquam ad patrem dominum & patronum meum, & à quo securitatẽ semper expecto: *proinde tu me doce interno tuo magisterio, & spiritus tui illuminatione*

Universidad de Deusto Biblioteca

*quia deus meus es tu.
12 Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.
*propter nomen tuum domine viuificabis me, in æquitate tua.
13 Educes de tribulatione animã meã: *et in misericordia disperdes omnes inimicos meos.
14 Et perdes omnes qui tribulãt animam meã: *quoniam seruus tuus ego sum.

salutari, obseruare præcepta tua, & in omnibus tuæ sanctissimæ voluntati fieri obedientem: tu enim es dominus meus & Deus meus, cui me parere in omnibus æquissimum est, quique solus me potes de omnibus quæ veritati sunt edocere, 12. Sanctus tuus spiritus, qui est ipsa essentialis bonitas, à quo omnis bonitas in omnibus per communicationem procedit ac deriuatur, ipse mihi dux erit (vti postulo & confido) præstabitque ducatum, lumine gratiæ suæ & directione sua sancta, per viam rectam & bonam, per viam præceptorum tuorum: *propter gloriam magni nominis tui, & propter temetipsum, non propter mea Deus merita, viuifico spiritu tuo vitã dabis animæ meæ, & in ea vita in finem vsque seruabis, propter iustitiam & fidelitatem tuam. 13. Liberam ac saluã facies animam meã de omnibus tribulationibus & angustiis suis, quibus premitur ab aduersantibus: *& propter misericordiam tuam, cum tibi placuerit oculis tuæ misericordiæ meã afflictionem respicere, disperdes, dissipabis, fugabisq; omnes qui mihi quærebant mala. 14. Et in perditionem atque damnationem mittes per seueram vltionẽ iustitiæ tuæ, omnes qui tunc tribulant & affligunt spiritum meum: *quoniam seruus tuus ego sum, bona voluntate tibi desiderans seruire: & tu vicissim meus es dominus, qui me seruum tuũ & nunc in hoc tempore consolationibus destitui non patieris, & in venturo sæculo vnà cum omnibus sanctis tuis plena satietate lætificabis in sæcula sæculorum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLII.

VErsu. 4. Sicut mortuos sæculi. Per mortuos sæculi possunt intelligi peccatores huius mundi, iuxta quod in Elucidatione expresimus. Aut intelligi possunt mortui, à sæculo, qui olim in præteritis generationibus quasi à sæculo & mundi initio sunt mortui, quorum non est vlla amplius memoria. Et huic sensui consonat beati Hieronymi ex Hebræo versio, quæ habet: mortuos antiquos, id est, olim mortuos. Aut per sæculum intelligatur infœlix illud damnatorum habitaculum, locus inferni, in quo omnes qui mortui sunt, ad vitã non resurgent amplius. Vel mortuos sæculi accipe eos qui secundum iudicium huius mundi condemnati in obscuris locis seruantur ad mortem. ¶Versu. 8. Et assimilabor descendentibus in lacum, Noua videtur eloquutio, & noua admodum coniunctionis copulatiuæ acceptio, cum ita dicitur, Non auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum. Ad intelligentiam enim & sermonis claritatem aptius dicendum videretur, Alioquin similis ero: aut ita, Si enim auertas adhuc faciem tuam à me, similis ero descendentibus in lacum. Et ad hanc sententiam accipi debet proposita enunciatio. Similis acceptio cõiunctionis, &, inuenitur Psalmo. 27. cum versu 1. dicitur, Ad te domine clamabo, Deus meus ne sileas à me, nequando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum. Aliquando verò eadem coniunctio pro causali ponitur, vt Psalmo 59. Da nobis auxilium de tribulatione. & vana salus hominis, hoc est, quia vana salus hominis, quo ferè modo etiam hic potest accipi, in hunc sensum, Non auertas, &c. nam si adhuc auerteris, assimilabor ego, vel sine te ego assimilabor, &c. ¶Versu 9. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, id est, fac vt à me audiatur, fac me audire, fac me percipere ac persentire intra me misericordiam tuam. Et potest auditus accipi specialiter, sed spiritualiter, vt postulet homo afflictus vocem diuinæ consolationis & miserationis Dei interitus loquentis, auribus spiritualibus exaudire: iuxta illud, Audiam quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Postulat enim vt dicatur sibi à domino, Dimissa sunt tibi peccata tua, Vade in pace, Fides tua te saluam fecit, Dimissus es ab infirmitate tua, Fiat tibi sicut petisti, & alia huiusmodi Diuinæ consolationis verba: quæ sicut olim in carne loquutus legitur Christus dominus, peccatorum dimissor & infirmitatum curator, ita etiã nunc in cordibus pœnitentium & humilium loquitur per singulos dies. Aut generaliter accipi poterit audire, pro percipere vel cognoscere vel intelligere, quemadmodum frequenter, & videre solet accipi: sicque postulat afflictus cognoscere, sentire, experiri & percipere Dei misericordiam, quam omnibus rebus anteponit. ¶Versu 12. Spiritus tuus bonus deducet me in terram. Per terram rectam faciliori intelligentia accipe viam rectam & bonam, eo quò super terram sit via quam calcat & ambulat homo. Vnde Psalterium Romanum pro terra recta habet viam rectam. Tametsi posset & ad Ecclesiam sanctam, potissimum triumphantem, congrue referri: quæ est, propter æternitatis stabilitatem, recta verò propter perfectam iustitiam, quoniam nihil est in ea coinquinatum, curuum aut tortuosum, sed omnia in rectitudine sunt stabilita.

Psal. 55.

Apoc. 21.

CXLIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmum hunc Dauid composuisse videtur, recogitans plurimas sibi à domino Deo concessas victorias. Et licet ex titulo vtcunque videri possit, compositum esse ante tempus regni ipsius Dauid, eo quòd inscriptionem habeat aduersus Goliath, magis tamen apparet ex Psalmi verbis, tempore regni fuisse decantatum in rememorationem priorum victoriarum: inter quas quia omnia prima, atque adeò præcipua fuisset gigantis illius Goliath prostratio, idcirco non immerito titulum ab ipso sortitur particularem, cum tamen simul contra

A tra omnes aduersarios dirigatur. Itaque statim in ipso Psalmi initio, Diuino muneri non sibi ipsi asscribit omnẽ victoriam eumq; susceptorem, protectorem, & saluatorem agnoscit, per quem populos sibi agnoscit factos esse, fieriq; & permanere subiectos. Vbi obiter Dei magnificentiam considerans, & hominis vilitatem admiratur tantam Dei erga genus humanum dignationem: moxq; relicta admiratione, versu sexto, orationem dirigit contra aduersarios suos, & de manibus alienigenarum & hominum peccatorum postulat liberari, qui ad agendum male exercitam habent dexteram, pro gratiarum actione canticum nouum liberatori promittens. Postq; versu 13. hominum peccatorum in hoc mundo prosperitatem, in qua plerunq; florere conspiciuntur enarrat: primum in prolis fœcunditate, deinde in diuitiarum copia & multitudine gregum, in omnimoda tranquillitate & securitate, in qua degere videntur huius sæculi potentes, in quibus mundus fœlicitatem sitam male iudicat: contra quos vltimo Psalmi hæmistichio sententiam fidelissimam omnino atq; verissimam pronunciat, in Deo solo astruens sitam esse veræ beatitudinis fœlicitatem.

CXLIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Benedictus dominus Deus meus, qui docet*
B *manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

2 *Misericordia mea & refugium meum:*
susceptor meus & liberator meus.
3 *Protector meus & in ipso speraui: *qui subdit populum meum sub me.*
4 *Domine quid est homo quia innotuisti ei?*

aut filius hominis, quia reputas eum?
5 *Homo vanitati similis factus est:*
*dies eius sicut vmbra
D *prætereunt.*
6 *Domine inclina cælos tuos & descende:*

tange montes & fumigabunt.

7 *Fulgura coruscationem: & dissipabis eos.*
emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.
8 *Emitte manum tuam de alto.*

SIT benedictus, sit laudatus & glorificatus dominus Deus me⁹, qui me docet pugnare & præliari aduersum hostes meos, qui mihi manus roborat & digitos aptat ad dimicandum aduersum illos, ad resistendum iis qui me quærunt interficere, dans mihi virtutem & agilitatem vt me defendere valeam ab inimicis meis, eosque in fugam vertere. Quo enim modo doceri solent tyrunculi ad præliandum corporaliter, quomodo videlicet manibus gladiũ siue hastam gestare, eisq; vti debeant, quomodo itẽ digitos debeant versare, agiliterque mouere, iuxta ictũ aduersarij ferientis, sic per omnia exactissime & solicite Deus suos pugnatores instituit, vt prælia domini, aduersum tam visibiles quã inuisibiles hostes, valeant præliari. 2. Ipse est à quo omnis mihi procedit miseratio, ipse meũ est tutissimum refugiũ, ad quem in omnibus mihi obuenientibus periculis confugio, in quo vt in arce munitissima securus semper existo: *ipse est defensor meus, qui me susceptit in defensionẽ contra omnes me oppugnantes, & liberator meus, de omnibus periculis saluũ me facturus in vitam æternã. 3. Protector meus est, & in ipso salutis meæ summam spemq; omnem constitui: *ipse est qui sua diuina mihi assistenti virtute, populos subiicit ditioni meæ, cuius virtute barbaras subigo nationes per circuitũ. 4. Considerans verò tam beneficã erga nos homines magnificentiam tuam, obstupesco Deus, & admiras optime iure clamito, Magne De⁹, quæ est humana natura, & quid in vniuerso hominum genere est, ob quod tam peculiari & familiari dignatione teipsum sic nobis exhibes, cur tã familiariter manifestas homini teipsum, & tantis illi beneficiis innotescere tibi complacuit? *&quid sumus nos filij hominũ, homines de hominibus, de mortalibus mortales geniti, caro de carne, puluis de puluere, quòd tam singulari dignatione tua tanti nos facias, tamq; dignanter te ipsum exhibeas nobis mortalibus? 5. Ecce enim homo vanitati subiectus est atq; assimilatus, & quasi vanitas quædam est omnis homo super terrã viuens: qui ad modicũ quidem apparet, mox autem abscedit, & in pulucrem redit, quasi flos agri, perinde acsi non fuerit: *dies tẽporis & anni durationis vitæ ipsius breues sunt, & pauci admodũ, & cito nimis pertranseũt: ad eum modũ quo vmbra pertranst, nullã habẽs durationis subsistentiã, quę postquã ablata fuerit, tic est quasi nusquã fuerit. 6. Sed desino mirari, & admirationis huius abyssum relinquens, ad solitum tuum deposcendum auxilium animi intentionẽ conuerto. Tu domine qui cæli es inhabitator, solita tua miseratione descende de sublimi solio, vt venias mihi in auxilium, & modo quodã cælos tuos sic inclina, vt ad me descendas, in terris aduersum inimicos dimicantem, mecumq; prælieris contra illos: *& veni in terrore tuo contra inimicos meos, montes contingens in ira tua, ad ostensionem terribilis præsentiæ tuæ: & montes ipsi, te iubente, ad manifestandum præsentiam iræ tuæ, velut ignes ardentes fumum dabunt: *Item superbos sæculi principes, qui se veluti montes eleuant super populum, tange per vltionem iustitiæ tuæ: & ipsi præ ira, furore & insania veluti fumum spirabunt, & quasi ignem vomant. 7. Fulmina fulmina tua, id est, fulminando emitte fulmina siue fulgura tua, ad ostensionem terribilis præsentiæ tuæ: & ipsi cum conspexerint te pro me desuper pugnantẽ, in fugam vertentur confusi, & huc illucq; diffugient: *cum fulmina illa tua quasi sagittas terribiliter emiseris, conturbabuntur vehementissime, & dissoluentur corda eorum præ timore. 8. Extende manum tuam de excelso cælorum habitaculo in quo inhabitas, & brachium omnipotentiæ

Psal. 38. Psal. 102.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*eripe me & libera me de aquis multis, *& de manu filiorum alienorum.

9 Quorum os locutum est vanitatem: *& dextera eorum dextera iniquitatis.

10 Deus canticum nouum cantabo tibi: * & in psalterio decachordo psallam tibi.

11 Qui das salutem regibus: *& qui redemisti Dauid seruum tuũ de gladio maligno.

12 Eripe me, & erue me de manu filiorũ alienorum, quorũ os loquutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

13 Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua.

14 Filiæ eorum compositæ: *circũornatæ vt similitudo templi.

15 Promptuaria eorũ plena: * eructantia ex hoc in illud.

16 Oues eorum fœtosæ abundantes in gressibus suis: *boues eorum crassæ.

17 Non est ruina maceriæ, neque transitus:

* neque clamor in plateis eorum.

potentiæ tuæ fac manifestum in terra: *eripe me de populis multis & E
multitudine aduersantiũ, qui in modum aquarum magnarum & vehementium me quærunt opprimere & suffocare animam meam: *aut de multis & magnis periculis, in quibus infixus sum, & pene immersus: *de manu (inquam) & potestate alienigenarum, hominum idololatrarum, qui te non nouerunt, & nomẽ tuum inuocare nescierunt, nõ tui, sed idolorum cultores: propter quod filij sunt alieni. De manu etiam prauorum dæmonum & aliorum peruerſorum, qui omnes à te sunt alieni; me libera, vt nõ mihi vnquã prævaleant. 9. Qui alieni filij per os suum loquuntur quę falsa sunt, quę vana, quę inutilia, quæ noxia, quæ veritatis & virtutis sunt loqui nescientes: *& dextera eorum nõ nisi ad iniquitatẽ potens est, & malitiã omnimodam perpetrandã. Sunt enim viri fortes atq; potentes ad faciendum male, impotentes autẽ ad bene agendum: & in summa, quicquid meditantur, siue ore, siue opere, ac multo magis etiam cogitatione, vanitas est atq; malitia: propter quod eripi postulo de manibus illorum. 10. Et cum tu mihi liberationem iuxta votum præstiteris, ego tibi pro gratiarum actione, in cordis mei lętitia canticum nouitatis & iucunditatis decãtabo: *& psalmos canã F
tibi in psalterio decẽ chordarum, instrumento ad laudem & gratiarum actionẽ accõmodatissimo. 11. Siquidẽ tu es cuius munere & auxilio victoria & salus contingit non solum in infimæ sortis hominibus, verũ etiam potentissimis principibus terræ & regibus, magis quàm ex armorum potentia. In manibus enim tuis salus est atq; victoria, & cui volueris das ea: *tu es qui me Dauid seruum tuum redemisti de omnibus periculis, angustiis & necessitatibus meis, & in hanc vsque horam sal-uum custodisti, specialiter ab illo pessimo & omnibus agminibus Israël formidabili gladio Goliæ atq; etiam Saulis mihi diu molestissimo. 12. Et quomodo hactenus semper me custodisti, ita precor vt perpetuus sias mihi protector, vt de potestate hominum prauorum qui à te sunt alieni, semper me saluum facias, neque illos vnquam dominari mihi aut prævalere permittas: qui filij alieni nisi vana, falsa & praua loquuntur, estque eorum dextera ad omne malum facilis & valida, sicut ad omne bonum tarda & impotens: potentes sunt ad malefaciendum, bene autem facere nesciunt. 13. Qui filij alieni, homines mundani & G
peccatores, in omni temporali prosperitate abundantes atq; florentes, filios habent pulchros atque decoros, in adolescentia sua crescentes, & augmentum tam quantitatis quam roboris continuum sumentes, ad modum nouellarum plantationum, tenellos atque delicatos, & omnibus deliciis copiosè pastos atq; impinguatos. 14. Filias habent multo ornatu & habitu decenter compositas & coaptatas, corporisq; proceritate & coloris viuacitate atque omni externa pulchritudine veluti pictas, ita vt statuæ magis artificiosissimæ pictæ, quam homines naturaliter progenitæ videri possint: *& super hæc, variis monilibus, torquibus, annulis, zonis, aliisque preciosis eiusmodi ornamentis ità sunt circumpositę, ita sunt circundatæ, illis hinc inde ex omni parte dependentibus, vt quasi tẽpla videre te putes, aut in templis statuas, quæ H
solent ad hunc modũ preciosis donariis, & exquisita arte fabrefactis plurimum adornari. 15. Neq; verò prole tantum sunt fœcundi, verum etiam diuitiis & omnibus temporariis rebus abundantes, arcas, celaria, penaria, & repositoria omnia, omnibus rebus necessariis plena habentes: *tam vtiq; copiosè, vt diuersorum generum & cibos & potus & alia humanis vsibus necessaria, abunde & diuiter valeant subministrare, vt quasi de genere vno in aliud genus, de vna specie in aliã, præ nimia plenitudine eructent effundantq; largiter. 16. Oues suas habent admodum fœcundas, abundantes in partubus suis, & in multo numero parientes agniculos, vnde augmentantur greges illorum: *boues habent pinguissimos, & velut pinguedine onustos, siue ad faciendum opera crassos, fortes, atq; robustos. 17. Et cum tanta ipsi vbiq; commoda percipiant, nihil vel minimum damni patiuntur, neq; quicquam sentiunt aduersum, ita vt neq; macria illis corruat, neque quisquam illis vel maceriam circum agros aut vineas diruat ad faciendum sibi transitum per agros aut vineas eorũ, eo q; reuereantur omnes potentiã & diuitias illorum, propter quod nec in minimo quisquã illis nocere audet: *neq; vlla vox mali rumoris aut vllius tumultus auditur in plateis eorũ, aut circũ locũ habitationis eorũ: sed in summa degunt tranquillitate,

A
18 Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: * beatus populus, cuius dominus Deus eius.

tate, securitate & gloria: neque quisquam vel hisce præsumit aduersum illos, neq; nisi prospera audiunt & lætа. 18. Huiusmodi populum cui hæc adsunt temporaria, dicunt sæculi homines (in quibus non est scientia Dei) beatum, & in his ipsi beatitudinem summamq; fœlicitatem constituunt, errantes, & in errorẽ mittentes: *verum nequaquam ita res habet, neque hac in parte ego cum illis sentio: verũ iuxta meam sententiam & secundũ veritatẽ, beatus est populus ille, qui est cultor Domini Dei sui, & cuius vicissim protector atq; saluator est dominꝰ, qui ipsum agnoscit & habet Deum suum, qui illum colit & qui illum habet adiutorem ac protectorem suum. 1. Tim. 3.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLIII.

VErsu 3. Qui subdit populum meum sub me. Quidam libri habent subdis, sed commodior est persona tertia, & magis cum præcedentibus conuenit, atq; ita habent exemplaria emendatiora, Qui subdit populum meum sub me. Ideo autem Dauid asserit dominum sibi subdere populum suum, quia ex ipsius voluntate, electione & virtute, regnum obtinuerat super Israël & Iuda, & super plurimas per circuitum nationes. Generaliter etiam intelligi potest hoc de omnibus regibus, quate-
B nus per ipsum vt à Sapiente dicitur) reges regnãt, quatenus ipse rex primus est à quo omne regnum Prou. 8.
& omnis potestas, quemadmodum Paulus ait, Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, Rom. 13.
ordinatæ sunt. Itaq; sic generaliter loquendo, verum est, Deum omnem populum suo principi subdere. Est tamen indubitatum, speciale aliquid voluisse Dauidẽ. Agnoscens enim paruitatem suam & progeniẽ humilem, agnoscebat impossibile hoc esse, vt sua aut suorũ virtute ad tam glorioſum regij culminis fastigium conscendisset, nisi singulari Dei electione atq; promotione eò fuisset subuectus, quomodo secundi libri Regum capite 7. post susceptum regnum stabile, legimus eum in cordis humilitate protestantẽ, quando post auditos sermones Nathan, ingressus est, & sedit coram domino dixitque, Quis ego sum domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucvsq; ? Sed & hoc parum vilum est in conspectu tuo, domine Deus, nisi loquereris etiã de domo serui tui in longinquũ. Si cui verò hunc Psalmũ spiritualiter pronunciare corã Deo libuerit, pro victoriis sibi frequenter de immani Goliath, (id est, aduersario diabolo, mundo etiam & propria carne) reportatis ex Dei auxilio, poterit ille populũ hunc intelligere cogitationes omnes & affectiones, & vniuersas operationes, quæ multæ valde sunt in homine, & sunt quasi populus, & quoddam vulgus ex sese tumultuosum atque seditioſum, plerunq; murmure & rebellione: quem sanè populum, nisi auxilietur gratia Dei nũ-
C quam tibi subdere poteris. Nam hic erat populus ille quẽ etiam vas electionis expauescebat, cum velut territus nimio eius impetu, exclamaret, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mor- Rom. 7.
tis huius? quasi dicat. O me miserum, & quantum me infœlicẽ, nisi aduersus seditioſam turbam quæ intra meam hanc carnem inhabitat, contingat mihi auxilium. Cum verò cuestigio subiungit, Gratia Dei per Iesum Christum dominũ nostrum, quid hoc est aliud, quàm, tu meum populum subdes sub me, tuæ gratiæ auxilio tumultuoſam hanc turbam cõpescere & subigere valebo? Impij verò qui Dei nesciunt auxiliũ, vel qui in suis propriis fiduet viribus, hunc populum nunquã sibi habebunt subditum, Est enim hoc inter iustos & impios discrimen, quòd boni hunc populum sibi habent subiectum, quòd suis dominãtur passionibus, & affectibus prauis imperant, eos sub rationis constringentes imperio: in malis verò econtrario, populus iste dominatur, tibiq; sceptrum vtur pat, rectam Dei institutionem & naturæ ordinem peruertens. ¶ Versu 5. Homo vanitati similis factus est. In alio psal. Psal. 38.
mo dicitur non solum quòd vanitati sit assimilatus, verum quòd ipsa sit vanitas, imò vanitas vniuersa. Veruntamen (inquit) vniuersa vanitas, omnis homo viuens: quod quomodo intelligendum sit, suo loco plenius declaratum est. De inclinatione autem cælorum, quæ in sexto versu ponitur, mentio etiam fit Psalmo 17. vbi hoc & præteritum enuntiatur, quod hic per modum deprecatorium postulatur. Inclinauit (inquit) cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius. Rursum de montium contac-
D tu & fumigatione, psalmo 103. dicitur, Qui respicit terra, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Quæ iterũ sequuntur, versibus septimo & octauo, per modum deprecatorium, eadem psalmo supra citato. 17. per modũ indicatiuũ vt præterita enũciantur, his verbis, Misit sagittas suas, Psal. 17.
& dissipauit eos: fulgura multiplicauit & conturbauit eos. Misit de summo & accepit me, & assumpsit me de aquis multis, & eripuit me de inimicis meis fortissimis, &c. ¶ Versu 9. Dextera eorũ, dex- Ibidem.
tera iniquitatis. Per dextera, solet in scripturis non raro significari virtus siue potentia ad agendum vel operandum aliquid. Vnde in psalmis frequenter dextera domini & brachium domini, pro virtute Psal. 117.
Dei ponitur, vt: Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me. Et iterum, Non enim Psal. 43.
in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me, sed dextera tua & brachium tuum. Ac rursum, In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Sic & impiorum dextera vel brachium intelligitur ipsa eorum potestas, potentia & virtus, siue per se, siue per suos, quod voluerint operandi. Vn-
de in psalmo 9. orat iustus conteri brachium peccatoris & maligni. Habent ergo & impij dextera, Psal. 9.
non sunt absque brachio impij, & non raro prævalidum videtur brachium illorum: sed dextera iniquitatis est, non dextera iustitiæ, quoniam totam suam potestatem atque fortitudinem impendunt iniustitiæ. Iustorum autem dextera est, dextera æquitatis & iustitiæ, quoniam in ea iustitiæ ser- Rom. 13.
uiunt ad defensionem bonorum, vindictam autem malorum. ¶ Versu 12. & 13. De gladio maligno eripe me, Et erue me de manu filiorum alienorum, &c. Secundum hanc distinctionem

vulgo legimus iuxta vsum Gallicani psalterij, vt particula illa, Eripe me, iungatur cum præcedenti, E
De gladio maligno. Verum multo videretur distinctio aptior, si in caput versus sequentis seiungeretur: illud autem de gladio maligno, connecteretur statim præcedentibus, hoc modo. Qui das salutē regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno: ac deinde diuisim, Eripe me, & erue me de manu filiorū alienorum, &c. quàm distinctionem habet psalterium Romanum, habent item manifestissime Græca, Hebræa, atq; Chaldæa exemplaria. Insuper & sensus est multo conuenientior. Illud autem gladium malignum, cuius specialiter facit mentionem, intellige gladium Saulis, qui illi insigniter fuit molestus, & nimium diu: vel gladium Golię, qui terribilis fuerat omnibus agminibus Israel. Cui manifeste fauet quod habet Paraphrasis Chaldaica, Liberasti Dauid seruum tuū à gladio prauo Goliæ. Propter quod nos in Elucidatione distinctionem psalterij Romani sequuti sumus, maxime cum non in vocabulo vllo, sed in sola distinctione sit differentia. Neque raro hoc occurrit, vt finis versus præcedentis debeat referri ad caput sequentis. ¶ Versu 13. Quorum filij sicut nouellæ plantationes. Nos hæc & quæ sequuntur omnia, exponimus de temporali fœlicitate & abundantia impiorum, qua illos suo occulto iudicio Deus patitur in hoc mundo gloriari, quibus non est spes futuræ salutis. Alij tamen sanctis & iustis malunt applicare, eo quòd non pauci iustorum non solum in spiritualibus, verumetiam in temporalibus acceperint rerum omnium abundantiam, quemadmodum Abraham, Isaac & Iacob, & horum complures similes: neque pauci eiusmodi inueniuntur, etiam sub tempore nouæ legis, qui in iustitia perseuerantes, multis etiā temporibus bonis à Deo do- F
nantur. Prior autem expositio, quā in Elucidatione ponimus, aptius quadrat Græcę lectioni, & nostræ vulgatæ Latinæ, eo quòd vbiq; sub tertia persona sermo fiat, quorum filij, oues eorum, filiæ eorum, pröptuaria eorum, in plateis eorum, & postremo, beatum dixerunt populum: qui sane loquendi modus, satis indicat, nō ad iustos qui loquūtur, sed ad impios de quibus iustus loquitur, pertinere hæc omnia, vsque ad vltimam psalmi clausulam, Beatus populus, &c. quæ est vox iusti contradicentis impiorum sententiæ, Sic econtrario lectio Hebræa magis fauere videtur posteriori expositioni vt omnia ad personam referātur iustorum, eo quòd in Hebræo omnia dicantur sub prima persona, hoc modo, Filij nostri, filiæ nostræ, oues nostræ. In vltimo autem versu non est verbum tertiæ personæ dixerunt, sed tantū legitur, Beatus populus cui sic est, vel beatus populus cuius talia sunt, vt deinde quod sequitur, Beatus populus cuius est dominus Deus eius, nō sit cōtradictio, sed quasi prioris complementū. Non enim qui hęc habet, ideo beatus est, quia hæc habet, sed quia est dominus Deus eius, in hoc est ipsius solida fœlicitas. Et quidem manifestum est, secundum sententiā beati Hieronymi in sua versione ex Hebræo, totam hanc psalmi partē ad iustorum fœlicitatem referri. Sic enim hunc versum cum præcedentibus continuat, Libera me, & erue me de manu filiorum alienorū, &c. vt sint filij nostri quasi plātatio crescens in adolescētia sua, Filiæ nostræ, &c. Similiter intelligere Chaldæum Paraphrasten, ex adiectis aliquot verbis sit manifestum. Sic enim habet, Quòd filij nostri sint sicut G
plantationes dactylorum in doctrina legis nutriti à iuuentute sua, filię nostræ splendidæ & acceptæ sacerdotibus, qui ministrant in medio templi. quod de filiis alienis nequaquam potest intelligi. Hoc tamen sciendum est, quòd nostra lectio & interpretatio cōuenienter ex Hebræo accipi potest, neq; obstabit quod ita dicitur, filij nostri, filiæ nostræ, &c. si tantum accipiamus versus omnes vsque ad vltimum, tanquam verba probata prolata ab ipsis impiis. Nam in versu præmissum est, Quorum os loquutum est vanitatē, vt si quæras, quam vanitatem? habeas hic ad oculum vanissimum sermonem sese de temporali sua fœlicitate iactantiū, quod quid vanius potest dici? Tā enim vanum est in huiusmodi gloriari, ac semetipsum iactitare, quàm est illorum duratio momentanea & minime stabilis. Et hac consideratione arbitror eos, qui ex Hebræo in Græcam versionem fecerunt, vbiq; commutasse personam, pro prima ponendo tertiam, vt ambiguitatem tollerent, & manifestum facerent, de temporali prosperitate impiorum, non autem iustorum debere omnia intelligi. ¶ Versu 16. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis. Egressus nos sumus interpretati partus, vt oues esse abundantes in suis egressibus, sit, eas fœcundas esse partubus, vt scilicet vno quolibet partu multos effundant fœtus, quo sic crescant greges. Nam hac via maxime fit speciei multiplicatio. Quidam autem putant legendum, In egressibus suis, quod si exponatur in itineribus, satis rectè consentit He- H
bræo, quod habet, in compitis vel in vicis nostris. Similiter & Romanæ lectioni, quæ habet in itineribus, Græcę autem lectioni non quadrat, quæ habet ἐν ἐξόδοις, quòd manifestè sonat, in exitibus vel egressibus eorum. Eandem tamen sententiam cum Hebræo habebis, si egressus accipias pro gressibus vel itineribus, eritq; sensus, Cum gradientur oues per iter, erunt numero plurimæ.

CXLIIII. PSALMI ARGVMENTVM.

Psalmus qui sequitur, forma est fidelibus, aptissima, quæ se in Dei laudes excitare, & in eiis sese exercitare valeant. In quo multiplex Diuinæ laudis materia exprimitur, nempe magnitudo eius immensa, infinita potētia, magnifica gloria, sanctitas gloriosa, opera mirabilia, suauitas atque bonitas inæstimabilis quam eructant qui eam percipiunt, longanimitas & misericordia, quæ generalis est super vniuersa opera eius, magnificentia & æternitas regni eius, dominationis perpetua stabilitas, veritas quoque Dei in promissis, sanctitas in omnibus operibus, miseratio in erectione collapsorum & peccatorum iustificatione, liberalis omnium viuentium educatio, facilitas exauditionis bonorum, saluatio iustorum, & impiorum perditio. Pro quibus omnibus, concludens laudem illi pollicetur sempiternam, & ad eandem omnem carnem exhortatur: hoc ipso patienter iudicans, laudis illius posse quidem facile reperiri introitum, finem verò nequaquam.

CXLIIII. PSALMI ELVCIDATIO.

Glori-

A 1 *Exaltabo te Deus meus rex: *& benedicam nomini tuo in sæculum & in sæculum sæculi.*

2 Per singulos dies benedicam tibi:
**& laudabo nomen tuū in sæculum, & in sæculum sæculi.*

*3 Magnus dominus, & laudabilis nimis: * &*
B *magnitudinis eius non est finis.*

*4 Generatio & generatio laudabit opera tua: *& potentiam tuā pronunciabunt.*

*5 Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: *et mirabilia tua narrabunt.*

6 Et virtutē terribiliū
C *tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt.*

*7 Memoriā abundantiæ suauitatis tuæ eructabūt: *et iustitia tua exultabunt.*

*8 Miserator et misericors dominus: *patiēs, & multum misericors.*

*9 Suauis dominus vniuersis: * & miserationes eius super omnia opera eius.*
D

*10 Confiteātur tibi domine omnia opera tua: * & sancti tui benedicant tibi.*

11 Gloriam regni tui

GLorificare te volo, & magnificè prædicare, ô Deus creator meus, qui es etiam rex & possessor meus: *& nomē tuum gloriosum laudare, prædicare, atque benedicere volo in sempiternum. 2. Nolo vllo vnqua tempore cessare, neque aliquando fatigari, sed per dies singulos recens, semper inueniri volo in tuis laudibus, per singulos dies statutis horis tibi laudes canam, teque prædicabo vt potero: & benedictū nomē tuū laudibus efferā in sempiternū, donec ab huius vitæ imperfecta laudatione, ad perfectissimā illam transferar venturi sæculi, vbi nō erit à tua laude vlla requies, nulla cessatio, neque per diē neq; per noctem. 3. Et est mihi quidem te laudare volenti laudis copiosissima materia. Nam magnus omnino super omnes tu es domine, tam secundum substantiæ naturā, quam secundum præcellentiam mirabilium operū tuorum: & iuxta tuæ magnitudinis præcellentiam, es super omnes etiā laudandus: *& magnitudo tua finē non habet neque mensuram, infinita est, immensa est, inæstimabilis & imperuestigabilis. 4. Generatio præcedens, & generatio subsequens: id est, in omnibus generationibus serui & fideles tui, laudibus celebrabunt, & prædicabunt magnifica atque miranda opera tua: * & gloriosam potentiam virtutis tuæ, quam monstras in illis, enarrabunt atque prædicabunt. 5. Magnificā illam gloriam tuæ sanctitatis, tuæ iustitiæ & omnimodæ perfectionis (qua in teipso sanctus es, simul etiam sanctificans omnia) fidei confessione aperte confitebuntur: *& mirabilia quæ tu facis nequaquam tacebunt, sed per os suū eloquentur ea, & prædicabunt palā omnibus. 6. Fortitudinem mirabilium atq; stupendorum operum tuorū proloquentur, & tuam illam infinitam magnitudinem enūciabunt: ibi quidem ad laudem & gratiarum actionem, posteris verò & filiis suis ad eruditionem & fidelem instructionem, sibiinuicem quoq; ad mutuam exhortationem & consolationem. 7. Ipsi tanquam pleni & velut satiati tuæ summæ bonitatis copiosissimis beneficiis, eloquētur quam senserunt abundantiā bonitatis atque suauitatis tuæ, quam sensisse se meminerūt, quamq; in se sunt optime experti, quo sic & tibi dignas gratiarum actiones persoluant, & item proximos ad eiusdem desiderium accendant: *& in iustitia, veritate atq; fidelitate tua, quam præstas seruis tuis, magnifice lætabuntur, & exultabunt, non frustrati spe & expectatione sua. Si requiris, quæ sit hæc abundantia bonitatis eius, quæque hæc sit erga seruos eius fidelitas, ecce dominus ipse est misericors natura, & misereri sciens, semperq; misericordiam præstare solitus ab initio: *longanimis & patiens, non statim ostendens iram, neque exercens vindictam, sed patienter expectans peccatores, vt conuertantur ad pœnitentiā: & sicut ad iram longus ac tardus est: ita est cōuerso multum misericors, ad miserēdum semper promptissimus, quacunq; hora conuertit se quis ab iniustitia sua, quantumuis etiā fuerit illa magna. 9. Nequaquam morosus, durus, intractabilis, aut difficilis est dominus, sed benignus est, bonus, dulcis, mitis, atq; suauis, neque id quidem cum personarum acceptione, quibusdam tantum, aliis autem non, sed sine discretione aut personæ respectu, omnino erga omnes requirunt bonitatem eius: *& misericordia eius non particularis est, vt ad pauculos aliquot tantū se extendat, sed effunditur tanquam generalissima & vniuersalissima super omnia opera quæ fecit ipse. Est enim terra plena misericordia eius, & miseretur omniū quæ fecit, estque misericordia eius super omnem carnem. Omnia siquidem opera quæ fecit Deus, miserationes Dei suscipiunt, & veluti in se persentiūt. 10. Proinde, cum nulla creatura expers sit miserationis tuæ, iustū est vt tibi dent laudis confessionem omnia opera tua: id quod faciunt, dum in suæ naturæ subsistentia, tuam infinitam potentia, sapientiam atque bonitatem demonstrant: * peculiariter verò sancti & fideles tui, quos per fidem & spiritum tuum sanctificasti, debent laudem tibi & cōfessionem, vtpote qui non per substantiam suæ naturæ, verumetiam intellectu & affectu te laudare debent, atq; etiam ore & opere siue vita confiteri. 11. Gloriam & magnificentiam regni, domini atq; potestatis tuæ proloquentur, qua nimirū tam gloriosè regnas super omnia quæ in cælo sunt, & in terris potestatem obtines æternam, non vtiq; ab aliquo cōmunicatam siue acceptam, sed à temetipso eā habens æterna- Psal. 32. Sapie. 11. Eccles. 18.

liter,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apoc.19. *dicent: *& potentiam tuam loquentur.*

12 *Vt notã faciant filij hominũ potentiã tuã, & gloriam magnificẽtiæ regni tui:*

13 *Regnum tuũ regnũ omnium sæculorum:*
** & dominatio tua in omni generatione & generationem.*

14 *Fidelis dominus in omnibus verbis suis:*
** sanctus in omnibus operibus suis.*

15 *Alleuat dominus omnes qui corruunt:* ** & erigit omnes elisos.*

16 *Oculi omnium in te sperãt domine:* **& tu das escam illorum in tẽpore oportuno.*

17 *Aperis tu manum tuam:* **& imples omne animal benedictione.*

18 *Iustus dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

19 *Propè est dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.*

20 *Voluntatem timentium se faciet:* **& deprecationẽ eorum exaudiet.*
**& saluos faciet eos.*

21 *Custodit dominus omnes diligentes se:*
** & omnes peccatores disperdet.*

22 *Laudationem domini loquetur os meum:*
** & benedicat omnis*

liter, rex regum existens, & dominus dominantiũ: *& potentiam virtu E
tis tuæ admirabilẽ, cui nemo potest resistere, pronunciabũt. 12. Idq; facient ad institutionẽ & eruditionem posteriorũ suorum, vt generationibus posterioribus sua cõfessione faciant notã potentiam tuã, & magnificam illam gloriam regni tui: quemadmodum & ipsis est à te siue à suis maioribus, manifestata. 15. Magne Deus, de tuo regno quid dicã? Ecce enim regnum est nequaquam horarium aut temporarium, sed sempiternum, ac per omnia semper sæcula æternaliter duraturum, neque temporis plenitudine aliquando defecturum, vel etiam imminuẽdum: *& potestatus dominationis tuæ, qua dominaris super omnia, in omnibus generationibus sine fine perdurat in sempiternum: quæ omnia longè sunt à regnis huius sæculi, quæ temporaria sunt, neq; perdurant nisi ad dies vel annos modicos, & subinde vel deseruntur omnino, vel transferuntur atque mutantur. Regnum autem tuum, semper stabile manet, & indeficiens 14. Fidelis ac verax est Deus in omnibus verbis suis, nihil promittens quod non fidelissime adimpleat in tẽpore suo, neq; falsum quicquã aut vanum loquens, quod à veritate alienum: *& sanctus est, immaculatus atq; irreprehensibilis, in omnibus o- F
peribus, ita vt de omnibus operibus quæcunq; operatus est ab initio, nemo iure illum possit arguere, aut vel in vno reprehendere, dicens, cur hoc ita feceris? aut illud quamobrem sic non feceris? 15. Ipse est qui peccatores in peccata collapsos, quãtum quidem ex se est, vniuersos, à suo lapsu facit resurgere: * & omnes qui collidendo se ad offendiculũ quodlibet, vulnerati sunt, aut offendendo incuruati, siue collapsi sunt, ipse erigit, inq; sospitate animæ & rectum statũ restituit. Sic (inquam) omnes erigit, & omnes alleuat lapsos, vt quisquis resurrexerit, non nisi per eum resurgat, & nemo omnino resurgere valeat, nisi eo subleuante. Atque etia simpliciter omnes (quãtum quidẽ ex se est) ipse alleuat gratiã eis per quam resurgere valeant, & adminicula sufficientia præbens, quanquam iacentium pertinacia plurimos in peccatis detineat. 16. Est insuper tam copiosa & vniuersalis misericordia atque bonitas tua, vt omnia animalia & viuentia ex ea pendeant. Siquidem omnium oculi ad te respiciunt, tibi sunt intenti, tanquã pastori & nutritori suo, G
à te expetentes atque expectantes pabulum nutritionis suæ: *& tu non sinis ea frustrari spe & expectatione sua, sed pabulũ cõueniens prębes illis, cuiq; iuxta conditionem naturæ quam dedisti ei: cum opportunũ fuerit, cum esurierint, & nutritione indiguerint. 17. Ostendis tu liberalitatem tuam, & donas liberaliter, benigne ac diuiter, quæ sunt illis necessaria: * & reples omnia animalia beneficiis tuis, iuxta desiderium reficis abundanter: & pascis diuiter, liberaliterque satias ea. Neque solũ hæc vera sunt de corporis pabulo, verũetiam de nutrimẽto animę, quod item à te expectant & expetunt omnes serui tui, & te aperiente manum tuam, de tua liberalitate recipiunt. 18. In omnibus actionibus & iudiciis suis, quibus agit, disponit, & operatur omnia, iustus est & rectus dominus, neque quicquã est iniquitatis in eo: & est sanctus atque irreprehensibilis in omnibus quę fuerit operatus. 19. Propè est in auxilium & defensionem, & ad omnimode benefaciendũ omnibus qui ipsum vt verum Deum & dominum inuocant, absq; simulatione H
in veritate, vt oportet, de corde puro & conscientia non ficta, quicunque non labiis tantum, sed ex cordis affectu serio illum inuocant. 20. Estque eius tanta benignitas atque facilitas, vt paratus sit perficere ea quæ volunt & petunt serui eius, quę ipsis proficua & salutaria nouerit: * & exaudiet orationem, implebitq; petitionem eorum, quãcunq; postulauerint in nomine ipsius: * & ab omni malo saluos faciet, liberabitque eos, & in salutem ac requiem ęternam perducet in regnum suũ cæleste. 21. Custos est dominus, seruator, protector atq; defensor omnium se ex corde vero diligentium, suaque mandata obseruantium: *peccatores autem, qui sunt osores nominis eius, & sanctæ voluntatis prævaricatores, mittet in perditionem æternam. 22. Cum itaque tot modis magnus & laudabilis comperiatur dominus Deus noster, concludens, in eo quòd cœpi perseuero ꝓposito, nempè quòd laudẽ domini Dei mei loquar ego iugiter per os meum, neque quisquã vnquam hanc mihi laudem auferet de ore meo in sempiternum: *& hoc ipsum opto, vt omne quod viuit, aut spiritum vitæ habet super terram, item sancto eius nomini confiteatur, & benedicat in æternum. Ita enim æquum

A *caro nomini sancto eius in sæculum & in sæculum sæculi.*

æquum est & iustum, optime Deus, vt creatura omnis, potissimum autem ea in qua vitæ rationalis spiritum posuisti, quam ad imaginem tuã creasti, tibi confiteatur laude perenni & confessione sempiterna, in sæcula sæculorum, Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLIIII.

HIC psalmus, quomodo & 33. per alphabeticas literas est cõpositus, ita vt singulares versus in Hebræo secundum ordinem literarum Hebraicarum à singulis literis incipiant, primus videlicet ab Aleph, secundus à Beth, atque ita deinceps, excepta sola litera Nun, quæ in Hebraico nullum habet versum quem inchoet. ¶ Versu 4. Generatio & generatio laudabit opera tua. Iam sæpe diximus, hac repletione dictionis eiusdem, significari vniuersaliter, vel collectionem vniuersalitatis: vt sit sensus. Omnis generatio laudabit opera tua. Sic & sæculum sæculi, pro æternitate (in qua omnium sæculorum duratio vnita colligitur) in scripturis ponitur, vel in plurali, sæcula sæculorum. Sic
B apud Ezechiẽlem dicitur, Homo homo ex filiis Israël, &c. id est, quicunq; ex filiis Israël. Ita qualis Ezec.14.
qualis, significat qualiscunque: quantus quantus, valet quantuscunque: quisquis sonat quicunq;. Sic frequenter, à progenie in progeniem, à generatione in generationẽ, significat in omnes generationes, per omnes progenies: sic dicimus, de domo in domũ: id est per omnes domos: Quidam verò exponunt, generatio, vel populus veteris testamenti, & generatio seu populus noui testamenti, laudabunt opera tua: Sed melius accipitur vniuersalitas, vt significetur per omnes generationes laudandus Deus. In sequenti autem versu, cum dicitur: Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuę loquentur, in eo quòd tria illa sic simul iungit, dicendo. Magnificentiam gloriæ sanctitatis, cum duo abunde potuissent sufficere: dicendo, Magnificentiam sanctitatis, vel gloriam sanctitatis, non aliud quàm magna quædam exaggeratio ostenditur, & singularis emphasis maiestatis Dei, quam cupit & conatur, prout valet vtcunque exprimere. Esset autem oratio clarior, si vnum trium illorum abstractorum verteretur in concretum, hoc pacto, Magnificam gloriam sanctitatis tuæ loquentur, vel gloriosam magnificentiam sanctitatis tuæ: quomodo beatus Hieronymus in sua versione ex Hebræo versum septimum aliquanto reddidit clariorem, per commutationem vnius abstracti in concretum. Nam vbi nos legimus, Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: ipse vertit, Memoriam multæ bonitatis tuæ loquentur. Sententia tamen eadem est. ¶ Versu 7. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabũt. Suauitas hîc non accipiatur, vt ad gustum referenda, sed prò benignitate sumitur. Nam in Græco est χρηστότης, quod significat benignitatem. Sic & in versu nono, cum dicitur, Suauis dominus vniuersis. χρηστός est Græce: id est, benignus. Qua de re admonuimus etiam in annotationibus psalmi 33. vbi di- Psal.33.
citur: Gustate & videte, quoniam suauis est dominus. Quod autem sequitur, Et in iustitia tua exultabunt, eandem videtur habere sententiam, ac si per præpositionem diceretur, Et in iustitia tua exultabunt: vel de iustitia, aut pro iustitia tua. Cui consonat quod vertit Hieronymus, Et iustitias tuas laudabunt. In eandem quoq; sententiam Felix, Et iustitiam tuam cantabunt. Vel sic, Et in iustitia tua exultabunt. Potest etiam aliter intelligi, Per iustitiam tuã exultabunt: id est, cum à te fuerint iustificati, exultabunt per tuam iustitiam, qua scilicet tũ illos iustificasti à peccatis eorum. De iis autẽ quę dicuntur in versu sequenti, Deo attributis, videlicet quomodo miserator sit, quomodo misericors, & quomodo longanimis, in aliis pluribus psalmis iam antè prolixius ostensum est, specialiter etiam in psalmo 102. cum dicitur, Miserator & misericors dominus, longanimis, & multum misericors, non Psal.102.
in perpetuum irascetur, &c. Et in psalmo 110. vbi dicitur, Memoriam fecit mirabilium suorum mi- Psal.110.
sericors miserator dominus. ¶ Versu 9. Miserationes eius super opera omnia eius. Quidã istud in-
D terpretantur, Miserationes Dei superexcedunt omnia opera eius, quoniam videlicet super omnia opera eius emineant operationes misericordiæ: quomodo apud Iacobum dicit, Superexaltat autem Iacob.2.
misericordia iudicium: & secundum id quod misereri peculiariter Deo quasi proprium quodam soleat attribui: iuxta quod oratione publica legitur in ecclesia, Deus cui proprium est misereri semper & parcere, &c. Quæ quidem expositio licet admodum piam habeat sententiam, non videtur tamen proposito conuenire. Nam, super, hîc non significat excellentiam vel supergressum. Quod enim hîc dicitur, Miserationes eius super omnia opera eius, non aliud significat, quã ad omnia Dei opera misserationes eius pertingere. In quam sententiam vertit Hieronymus: Misericordiæ eius in vniuersa opera eius: vbi manifestum est nullam indicari comparationem. Idipsum & ex Græca & ex Hebręa lectione facile cognoscitur. ¶ Versu 14. Fidelis dominus in omnibus verbis suis, &c. Versus iste hoc loco in Hebræo non habetur, sed in sequentibus ponitur totus post versum decimumseptimum, ex- Psal.103.
cepto quòd illic Iustus ponitur loco fidelis. Quid autem in versu 17. sit aperire manum, diximus in psalmo 103. vbi eadem ponitur sententia. Omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

CXLV. PSALMI ARGVMENTVM.

Qui nunc sequuntur psalmi ad finem vsque libri, numero sex, & titulum eundem habent, & materiam penè eandem. Omnibus enim his titulis Haleluia præfigitur, quod sonat, laudate Deum: & est laus Dei, omniũ vna eademq; materia, tametsi diuersis rationibus & considerationibus sumpta. In hoc autem præsenti psalmo, seipsum fidelis ad laudem Dei excitat, & sperandum in eo, quòd vanum sit in principibus,

aut

aut in quibuscunq; filiis hominum salutis spem ponere, qui velint, nolint adueniente mortis tẽpore, hinc emigrare debeant, resoluiq; in terræ puluerem, vnde formati sunt. In Deo autem spem ponere, multis rationibus & cõsiderationibus beatum prædicat atq; securum: tum quòd potentissimus sit, nimirum creator cælestium atq; terrestrium, tum quòd fidelis sit in obseruatione verborum suorum, tum quòd erga afflictos atq; miseros plurimum sit misericors, iudex oppressorum, pastor esurientium, compeditorum liberator, illuminator cæcorum, collapsorum erector & amator iustorum, aduenarum quoq;, pupillorum, & viduarũ custos, atq; defensor, quem in æternum super populum electorum prædicat regnaturum.

CXLV. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Lauda anima mea dominũ: *laudabo dominũ in vita mea, psallam deo meo quandiu fuero.*

Pſal. 33. 2 *Nolite confidere in principibus: * in filiis hominum, in quibus nõ est salus.*

Gene. 3. 3 *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terrã suam: * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

4 *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius:*
** spes eius in domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare et omnia quæ in eis sunt.*

Pſal. 144. 5 *Qui custodit veritatẽ in sæculũ: *facit iudiciũ iniuriam patiẽtibus:* Titum 1. ** dat escam esuriẽtibus.*

6 *Dominus soluit compeditos, dominus illuminat cæcos.*

7 *Dominus erigit elisos: *dominus diligit iustos.*

Pſalm. 9. 8 *Dominus custodit aduenas: * pupillũ & viduam suscipiet: *& viã peccatorum disperdet.*

Dani. 4. & 7. Pſal. 144. 9 *Regnabit dominus in sæcula Deus tuus Sion, in generationem & generationem.*

LAuda dominum Deum tuum anima mea, quæ tanta ab illo percepisti, & in creatione, & in redemptione, beneficia, & cui parata sunt ab illo bona inuisibilia & inæstimabilia: vtique laudare ego volo dominum meum donec viuã, psalmos illi & laudes canam, donec subsistero in vita corporis, benedicã dominum in omni tempore, eritq; semper laus eius in ore meo. 2. Nolite, ô filij hominum, spem, fiduciamq; vestram ponere in præcellentibus sæculi huius, qui excellunt siue potentia, siue prudentia, siue nobilitate mundana: * neq; vniuersaliter in quocunq; filiorum hominum à quibus vobis non potest vera prouenire salus, neq; potestatem habẽt vos, imò neq; seipsos saluandi; sed spẽ vestram ponite in Deo viuo, cuius est saluare, & perdere. 3. Nequaquã (dico) salus esse potest in filiis hominũ. Emigrabit enim aduenĩente mortis tẽpore spiritus eorũ de tabernaculo corporis, & reuertentur ipsi in terrã matrẽ suã, de qua sumpti sunt: quoniã puluis sunt, & in puluerẽ reuertẽtur, per corporis dissolutionẽ & incinerationẽ: *tũc quidẽ, sic aduenĩente mortis tempore peribunt, & in nihilũ redigentur omnia consilia, proposita, & cogitationes eorũ, ita vt prædĩti morte nõ valeãt quæ cogitauerãt perficere. Ac proinde vanissimum est in eiusmodi spem ponere, quos certum est morti esse subiectos, per quam omnis eorum quæ videbatur potentia peribit. 4. At verò ille vir beatus est qui dominũ Deũ Israël, Deum viuum & verũ, ponit & habet adiutorem suum: *qui spẽ suam omnẽ atque fiduciã cõstituit in domino Deo suo, qui creauit de nihilo cælum terrã & maria, & omnia quę in eis sunt cælestia atq; terrestria: per quã rerum omnium creationẽ, nota fit omnipotẽtia eius, cui soli potestas competit verã salutẽ donandi. 5. In hoc (inquam) qui sperat beatus est, qui, præter quòd est omnipotens & saluare potens est, etiã fidelissim⁹ in omnibus verbis suis, custodiẽs veritatẽ promissionũ suarũ, & fidem seruãs in sempiternũ, ita vt mentiri aliquado non possit, neq; fallere: *qui insuper, secundum suam iustitiã, iudicium facit pro iis qui opprimuntur, & iniuriã patiuntur ab oppressoribus, facturus pro illis vindictam in iudicio: *qui etiam cibum dat congruentẽ omnibus esurientibus, tam quoad corpus corporalem quã quoad animam spiritualẽ. 6. Ipse est qui potestatẽ habet vinctos soluendi, & cæcos illuminandi: idque frequẽter facit etiam quoad corpus, eos qui corporeis compedibus vincti sunt à captiuitate liberando, cæcisq; oculis visum restituẽdo: quantum verò ad spiritũ & animam, per singulos dies, dum eis qui peccatorum vinculis iacent irretiti, impotentes ad omne opus bonũ, vincula disrumpit captiuitatis ipsorum, & eos qui mentis oculos habẽt excæcatos, spiritualis lucis beneficio, per spiritũ sanctũ illuminando sanat. 7. Dominus erigit, & subleuat eos qui elisi & collapsi sunt siue confracti, & eos qui ĩa ad casum erant incuruati, suppositione man⁹ suæ sustentat: *dominus diligit eos qui odientes malum, diligũt & sequuntur iustitiam. 8. Dominus custos est, tutor, patronus, atq; defensor aduenarum & peregrinorũ, qui in terra aliena inter exteros cõmorantes absq; amicorum sunt patrocinio: *orphanos quoq; & pupillos absq; parẽtibus, & virorũ suorũ solatio orbatas verè viduas, in suã tutelã, protectionẽ atq; defensionẽ susc ipit, tanquã patet orphanorũ, iudex viduarũ, & pupillorũ adiutor, eo ꝙ soleãt huiusmodi plus cæteris humano esse destituti patrocinio: *itinera autẽ & actiones impiorũ disperdet, dũ pro eis perditionis æternæ & damnationis præmia factoribus retribuet. 9. Nolite timere Sion, populę fidelis, populus domini, qui fide cognoscis dominũ Deum tuũ, sed fidenter spera in illo. Siquidem idẽ ipse Deus tu⁹ regnabit in æternitate, in omnibus generationibus. Potestas enim tua Deus, potestas est æterna, & regnũ tuũ, regnũ est omnium sæculorũ, insuper dominatio & potestatus tuus, atq; imperiũ in omnib⁹ generationibus perstabit in sęcula sęculorum, Amen.

Anno-

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLV.

VErsu 2. & 3. Nolite cõfidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die, &c. Vide hic propheta quod monet, quam pulchre demonstret, & quam efficaciter persuadeat. Nam vbi proposuisset, nolite confidere in principibus, in causam huius admonitionis euestigio subiungit, In filiis hominum, vbi statim mortalitas & corruptibilitas eorum, ac minimè stabilis vita insinuatur: ac deinde adiungit, In quibus non est salus, vt ostendat vanum omnino esse à tali sperare salutem, in cuius potestate non est saluatio. Vanum est enim sperare quippiam ab aliquo, quod in ipsius facultate non est. Causa verò ob quam non possit esse salus in filiis hominum, dehinc exprimitur, cum subiungitur: Exibit spiritus eius, nempe filij hominis, & reuertetur in terram suam, & tunc peribunt omnes eius cogitationes: tanquam si dicat, Etiam si te princeps aliquis saluare decreuisset, & saluãdum suscepisset, etiã si ad id optima fuerit voluntate, poterit tamen subitò illũ nihil cogitante mors abripere, sicq; spes tua quæ tibi videbatur amplissima, tota collabitur in cinerẽ (quod dici solet) & pro spe tibi succedet desperatio: dum ille in quo spem omnẽ constitueras, morte absumitur, ne tuum possit cõplere desiderium. Aptissime ergo
B ostendit, nullam esse spem certam in hominibus Propter quod, apud prophetam Hieremiam male- Hier. 17.
dictioni subiicitur huiusmodi, qui Deo relicto cõfidit in homine: Maledictus homo (inquit) qui cõfidit in homine, & carnẽ ponit brachiũ suũ, & à domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonũ, sed habitabit in siccitate in desertõ, in terra salsuginis & inhabitabili. Contra verò, benedictio subiungitur illorũ qui fiduciam habẽt in domino: Benedictus vir (inquit) qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius. Et erit tanquam lignum quod trã- Ibidem.
splantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. ¶Versu eodem, In quibus non est salus: hoc est, in quibus non est facultas siue potestas saluandi, neque semetipsos, neq; alios, in quorum potestate non est vt salutem conferant. Hieronymus ex Hebreo in hanc fere sententiam vertit, In filio hominis cui non est salus: id est qui non habet vt possit saluare. Vel in quibus, accipe, pro, à quibus: vt sit sensus, A quibus non potest salus procedere. In eo quoque quod sequenti versu dicitur, Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, singulare positum est pro plurali, eius pro eorum. Nõ enim de aliquo in particulari fit sermo, sed generaliter de quolibet filiorum hominum. Suppositum quoq; verbi Reuertetur, non est spiritus eius, sed ipse filius hominis. Non est enim sensus, Exibit spiritus filij hominis, vel principis, & ipse spiritus reuertetur in terrã suam, quasi significetur spiritus humanus simul interire cũ corpore, & in terram dissipari, quum id sanctæ nostræ fidei, neq; nostræ solum fidei, verumetiã saniorum philosophorum sententiæ sit contrarium, Sed hic sensus accipiendus est, Emigrabit spiritus filij hominis, & ipse filius Genes. 3.
hominis reuertetur in terram suam, nimirum secundum corpus. Quæ autem sit ista reuersio hominis Pſal. 103.
in terram, & quare dicatur non simpliciter in terram, sed in terram suam, vtrunq; nobis in illa sentẽtia domini indicatur, quam protulit super Adam, dicens, In sudore vultus tui vescẽris pane tuo donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Sic & in alio psalmo dicitur, Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Profecto enim noster puluis est, nostra terra est, quoniam de puluere & terra formati sumus: quomodo aurum ipsius est ex eo compositæ aureæ statuæ, tanquam eius pars atque materia. Quòd si altiori consideratione, In terram suam, accipere vellemus loco huius, in locum suum: id est in locum sibi deputatum, sibi competentem, sibi assignatum à Deo, posset absque vllo fidei periculo, etiam Spiritus pro supposito verbi Reuertetur subiici, in hunc sensum. Exibit spiritus hominis, & reuertetur spiritus ipse in locum quem illi Deus assignauerit, quemq; ille dum viueret actionibus bonis vel malis sibi ve-
D lut præparauit: in loca occulta, vel ad æterna gaudia, vel ad sempiterna supplicia, &c. Illud tamen quod prius diximus, atq; item in Elucidatione explanauimus, non dubiũ est in præsenti loco Psalmistam voluisse: præcipue, quòd in Hebræo habeatur, non aretz (quod plerunq; pro terra ponitur, vt etiam superna patria terra viuentium appellatur) sed adamah, quod significat humum, à qua primus homo Adam dicitur, sicut Latinis ab humo denominatur homo, quasi factus ex humo. Vnde beatus Hieronymus vertit, Reuertitur in humum suam. ¶Versu 4. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius. Felix aliquando clarius sic vertit, Beatus ille in cuius auxilio est Deus Iacob, vel cuius auxilium in Deo Iacob. In iis autem quæ sequuntur per plures versus, vsq; ad finem ratio ostenditur: ob quam beatus asseritur, cuius est spes in domino, quemadmodũ in versu secundo & tertio ratio data fuit, ob quã vanum est sperare in principibus, aut filiis hominũ. Quare autem bonum beatumq; sit, fiduciam habere in domino, ratio assignatur multiplex. Et primum quidẽ eius summa potentia, quæ innuitur hoc ipso versu, quum dicitur. Qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Deinde firmissima & indubitata Dei fides, quam tangit subiungens. Qui custodit veritatem in sæculum, post hæc eius index iustitia contra eorum oppressores, quam proponit, dicens, Facit iudicium iniuriã patientibus. Deniq; eius erga miseros & egenos omnes inexhausta miseratio, quã prolixe declarat, cum præcedentibus adiungit, Dat escam esurientibus. Dominus soluit compeditos, dominus illuminat cæcos, &c. ad versum vsque penultimum. Postremo indeficientia regni eius, quam versu vltimo pulchrè exprimit, dicens, Regnabit dominus in sæcula, Deus &c. Illa autem quæ dicuntur de esurientium pastu, cæcorum illuminatione, & alia huiusmodi, partim quidem temporaliter, potissimum verò spiritualiter debent exponi, quomodo in Elucidatione satis apertè monstrauimus.

Quem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CXLVI. PSALMI ARGVMENTVM.

Quemadmodum in psalmo mox præcedente, atque etiam qui illum antecedebat. 144. ita & in hoc, exhortatio ponitur laudis diuinæ, multiplici laudis materia ad id adducta & commemorata, quemadmodum ipse per se psalmi processus facile quemlibet docet inspicientem. Neque opus est alio peculiari argumento aut epitomate.

CXLVI. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Laudate dominum: quoniam bonus est psalmus: *Deo nostro sit iocunda decoraq; laudatio.*

2 *AEdificans Hierusalem dominus: *dispersiones Israëlis congregabit.*

3 *Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.*

Matt. 9. Lucæ. 5. Esaiæ 25.

4 *Qui numerat multitudinem stellarum:*
** & omnibus eis nomina vocat.*

5 *Magnus dominus noster, et magna virtus eius: et sapientiæ eius nō est numerus.*

6 *Suscipiens mansuetos dominus: *humilians autem peccatores vsq; ad terram.*

1. Pet. 5.

7 *Præcinite domino in confessione: *psallite Deo nostro in cithara.*

8 *Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam.*

9 *Qui producit in montibus fœnum: *& herbam seruituti hominū.*

10 *Qui dat iumentis escam ipsorū: *& pullis coruorum inuocantibus eum.*

CElebrate laudibus dominū fideles serui eius, quoniam bonum est psallere illi & laudem dare: sit Deo nostro ex nobis seruis suis iocunda laudatio, sit illi placita, sit illi speciosa, grata & accepta laus quam illi optamus canere. 2. Ipse est dominus qui ciuitatem pacis ecclesiam suam sanctam, veram Hierusalē, ex sibi credentibus ædificat, quasi ex viuis lapidibus: *atque ad hoc extruendū ædificiū cōgregat electos suos à quatuor vētis terrę, dispersos per vniuersum orbē, ex omnib⁹ finibus orbis terræ, ex omnibus gētibus, linguis & populis, in vnam fidem, vnam spem, vnū bāptisma, vnum spiritū, atque in eandem ecclesiam sanctam, inque perfectam & omnimodam vnitatem salutis. Quos enim peccati author diabolus, sua prauitate & fraude disperdit, ipse author iustitiæ colligit, & cōgregat in vnū ad edificium sanctum suum. 3 Ipse pœnitentes & vera cordis contritione humiliatos sanat, tanquā medicus bonus, qui venit sanare male habētes, & peccatores vocare ad pœnitentiā: sanat certè, languores peccatorū tollēdo, & dolores mali reatus nostri in seipsum assumēdo: *dolores quoq; , vulnera, & infirmitates eorum diligēter curat, ad eū modū quo medicus peritus iuxta ac diligens, loca vulnerum atq; infirmitatum solet alligare, & fouere emplastris, donec quę erant infirma, ad firmitatē & sanitatē perducat. 4. Ipsius scientia tanta est, vt vniuersitatē stellarū firmamēti (quæ sunt hominibus innumerabiles) habeat veluti numerata, in cognitione sua omnē earū numerum in sua scientia descriptū habens, exactissimeq; etiam singulas pernoscēs: *& ita pernoscens, vt singulas vocet propriis suis nominibus, sciatq; distinctè vocare singulas, vnāquanq; iuxta conditionem naturæ suæ: Ad q̄ profectò nō solum necesse est illum stellarum definitū numerum habere cognitum, verumetiā sigillatim singularum stellarū naturā atq; proprietates habere perspectas. 5. Sed quid vnum vel alterū ex infinitis Dei mirabilibus proponimus? Ecce simpliciter in omnibus, & per omnia magnus est domin⁹ Deus noster, & omnino maxima est virtus omnipotentiæ eius: sapientiæ quoq; eius nō est finis, sed est vt virtus potētiæ, ita & sapientię eius nobilitas infinita atq; immēsa. 6. Ipse est susceptor defensor atq; patronus mansuetorū, qui humiles susc̄ipit ad exaltationē, vt eos exaltet in tēpore visitationis, *superbos autē peccatores qui se modo exaltāt in inobediētia mādatorum Dei, ipse deprimet, & humiliabit confusione maxima, & prorsus in terrā posternet omne altitudine eorum. 7. Præcinite serui Dei qui ista cognoscitis, ac veluti cōtendentes ad laudē Dei, aliosq; ad eandē inuitantes, cantica confessionis & laudis priores incipite, vt vos audientes æmulētur cæteri: *psalmos & laudes Deo nostro canite, etiā citharis aliisq; musicis instrumētis adhibitis. 8. Ipse est cuius potentia nubes generantur, quæ in altum subuectæ, cælestē machinā sua densitate & caliginosa obscuritate obuoluunt quodāmodo & obscurant, vt nequeat videri: *cælum quoq; aëreum parte aëris inferiorem operiunt, dum superlatæ in mediam superiorem aëris portionem, illam inferiorē veluti obducunt: *& ipse idem est qui terris, per nubium condensationem, & ad naturā aquę dispositionē, parat, atq; per earundē resolutionē donat pluuiam, quādo, vbi voluerit. 9. Ipse est qui in mōtibus facit germinare herbā, vbi nulla adest cultoris hominis industria, labor, vel diligētia: *& terras facit gramina herbamq; progignere, in pabulū iumentorum cæterorumq; animaliū, quę homini subseruiunt, quęq; hominib⁹ sunt in vsum, siue quo ad cibū, vt vaccę, oues, boues, & alia huiusmodi, siue quo ad ministerium, aut alium quēlibet vsum, vt equi, cameli, atq; id genus alia. 10. Ipse est qui in vniuersum omnibus iumētis cibum dat conuenientē naturæ ipsorum: *peculiari quoq; miraculo, etiā pullis coruorum escam præbet, ad se prę esurie clamantibus, quosantequā plumescāt atq; nigrescant, à parētibus derelictos sine pastu ipse pascit, absque vlla alterius

*11 Non in fortitudine equi voluntatem habebit: *nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.*

*12 Beneplacitū est domino super timētes eū: * & in eis qui sperant super misericordia eius.*

rius pabuli per quamcunq; creaturā administratione hoc ipso patenter indicans, orphanorum omnium & derelictorum peculiarem se gerere curam. 11. Cùm verò sit ipse Deus noster potentissimus atque fortissimus, non est tamen ei beneplacitum, neque cōplacentiam aut oblectationem habet in fortitudine corporali etiam si quis equi fortitudinem habeat: neque etiam in equorum gloriatur fortitudine, quemadmodū solent homines bellici atque mundani: *neque iterum in fortitudine viri oblectatur, si conspexerit quempiam crassis atque robustis tibijs validum ad luctam siue ad pugnam, in quo solent homines mundi huius gloriari: in his (inquam) atque huiusmodi nō est beneplacitū Deo, neque ista sunt quæ attendit in hominibus, aut propter quæ homines diligat. 12. In quo ergo beneplacitum est altissimo? Vtique complacētiam & oblectationem habet in eis, ac super eos ponit benigni aspectus sui oculos, qui reuerentur atque diligunt eum, obseruantes studiosē mandata ipsius: * & in eis qui spem suam ponunt, & gloriantur non in fortitudine corporali, neque item in alia qualibet re temporali, sed in altissima & immensa misericordia eius. Non ergo glorietur fortis in fortitudine sua, neque potens in potētia sua, neque quomodolibet aliter præcellens in præcellentia sua: sed in hoc glorietur, scire, nosse, atque timere te, Deus pijssime, & in tua suauissima misericordia sperare, quæ est super omnes electos tuos æterna, non auferenda in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLVI.

VErsu 1. Laudate dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit iucunda, decoraq; laudatio, Posteriorem partem ita sumus interpretati, Nostra sit Deo nostro iucunda & decora, vt speciosam, gratam, & suauem optemus fieri laudem illi quem celebramus laudibus: quomodo in alio Psalmo dicitur, Iocundum sit ei eloquium meum, ego verò delectabor in domino. Aliter etiam accipi potest, vt exhortatio sit ad digne apteque Deum collaudandum, in hunc sensum, Laudate dominum, quoniam bonum est illi psallere, neque verò quælibet illi laus sufficit, sed talis sit nostra laudatio quæ sit iucunda & decora, quæ sit speciosa & grata, vt placeat Deo. Insuper datiuus ille Deo nostro, qui secundum vulgatam constructionem coniungitur sequentibus, potest & præcedentibus annecti. hoc modo, Laudate dominum, quoniam bonus est Psalmus Deo nostro, id est quoniam bonum est psallere & confiteri domino, quomodo in alio Psalmo scribitur: ac deinde, Sit iucunda decoraque nostra laudatio. Et est hæc distinctio magis consona Hebræo, quàm prior: quemadmodum priori, magis Græca fauet lectio. Sic enim Græce est ἡ ἀινεῖν ἡ ἄινεσις, hoc est, dulcescat laudatio. Psal. 19. Psal. 103.

¶ Versu 2. Aedificans Hierusalem dominus, dispersiones Israëlis congregabit. Possunt duæ istæ partes seperatim legi vt in priori intelligatur verbum substantiuum, hoc sensu, Dominus erit ædificans Hierusalem, & ipse dispersiones Israëlis congregabit vel coniunctim, vt totum illud ædificans dominus, sit suppositum verbi congregabit, hoc sensu, Dominus qui ædificabit Hierusalem, congregabit dispersiones Israëlis: vel dominus cùm ædificauerit eam, & cætera. De hac autem dispersionis congregatione, spiritualiter ad ædificium spirituale sanctæ Ecclesiæ nouæ relata, pulchrè Ioannes meminit Euangelista, vbi in concilio Iudæorum, Cayphæ Pontificis consilium simul atque Prophetiam describit, capite sui Euangelij vndecimo, cuius hæc sunt verba, Vnus autem ex eis Cayphas nomine, cùm esset pontifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quicquā, nec cogitatis, quia expedit vt vnus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Hæc ille. Quam dispersionem, quis dubitet spiritualem debere intelligi, ex diuersis vitijs & erroribus, in vanam fidem vnamque sanctam Ecclesiam, non autem temporalem? Vnde signanter dicit, vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum, non autem vt filios Israël. Alioqui de temporali congregatione loquamur, videtur mors Christi potius dispersionem fecisse filiorum Israël secundum carnem (intelligendo per occasionem) quādoquidem propter eius interfectionem & suam infidelitatem, contriti sunt & dispersi in omnes gentes, vsque in præsentem diem, quomodo apud Lucam de eis futurum prędicitur. Et ipsemet in Euangelio dominus confitetur, quòd venit facere separationem secundum corpus: Veni (inquit) separare filium aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & cætera. & inimici hominis domestici eius. Ioan. 11. Luc. 21. Matth. 10.

¶ Versu 4. Et omnibus eis nomina vocat, hoc est, singulas stellas vocat suis proprijs nominibus, vel singulis indit siue imponit propria nomina. In quo indicatur magna & valde exacta Dei cognitio, qua pernoscit distincte singula, eius enim qui nomen potest rei indere, est rem prius cognoscere: & quanto vniuscuiusque rei naturam melius cognoueris, tanto eidem nomen aptius potius poteris indere. Cùm enim nomina debeant rei conuenire, vt congrua sit appellatio, omnino necesse est eum qui nomen imponit, vt conuenienter imponat, rem ipsam cognoscere. Veluti (exempli gratia) cùm Adam adductam ad se vxorem vocat Issach, quod Latine Hieronymus viraginem vertit: quomodo id conuenienter fecisset, nisi cognouisset quòd esset de viro sumpta? Et cum Adam singula animantia appellaret suis nominibus, ita vt quodcunque appellasset ea Adam, hoc esset vniuscuiusque nomen (quomodo in Genesis scribitur historia) indubie

Universidad de Deusto Biblioteca

significabitur, singulorum animalium à Deo illi fuisse datam scientiam, & singulorum naturas atque E
conditiones ipsum cognouisse. Alioqui, non ad illum adduxisset dominus, vt videret quod vocaret
ea. Ita ergo in proposito loco, cùm dominum Propheta dicit stellas numerare, & insuper singulas
suis proprijs nominare nominibus, significat non solùm numerum stellarum, non latere Deum, ve-
rumetiam singularum naturam & conditionem exactissime illum pernoscere. À qua perfecta scien-
tia, quantum nos absimus, imò quantum absint vniuersi Astronomi, vel illud nos docet verbum do-
Gene. 15. mini ad Abrahã, Numera (inquit) stellas, si potes, quasi significare velit, nihil minus esse homini pos-
sibile, quàm stellarum vniuersitatem numero certo in sua cognitione cõprehendere: quanto minus
ergo singulis vocare nomina, id est, singulis nomina imponere, vel singulas suis appellare nominibus?
Quidam verò mystice hìc per stellas intelligunt electos, fide lucentes in Ecclesia, ad modum stellarũ
in firmamento. Et in hoc quo dicitur, Deus multitudinem stellarum numerasse, & singulis vocare no
mina, significatur, Deum cognoscere, & definitum atque descriptum in suæ prædestinationis libro
tenere, electorum suorum numerum, & singulos eorum sibi esse optime cognitos, iuxta illud Aposto
2. Tim. 2. li, Cognouit dominus, qui sunt eius. Quod si quis roget, cui proposito versus iste deseruiat, maxime
si ad literam de stellis corporalibus exponamus, quod facit Elucidatio. Dicimus, quoniam in præce
dentibus dixerat dispersiones Israëlis à Deo congregãdas in ædificationem Hierusalem, & sanandos
infirmos, curandosque vulneribus saucios, ne cui ista magnum aliquid & quasi impossibile Deo vi- F
deantur, sic dispersa posse colligere ex omnibus gentibus, & in vnum congregare, aut sic infirmis sin-
gulis adhibere curam, adducit exemplũ de stellis corporalibus, quæ cum plurimæ sint, & per firma-
menti immensam latitudinem abinuicem quàm maximo spatio distantes, sic tamen singulæ subsunt
exactissimę Diuinæ cognitioni. Si verò mystice exponas, cõtinuatio manifesta est. In versu autem se-
quenti, cùm dicitur, sapientiæ Dei non esse numerum, attende numerum poni pro mensura vel fine,
vt significetur, non esse mensuram definitam, vel non esse finem magnitudinis eius. Et versu sexto, q̃
dicitur humilians peccatores vsque ad terram, accipe vt secundum figuram dictum, pro humiliatio-
ne maxima & depressione infima. Qui enim ad terram vsque deprimitur, non potest vilior fieri atque
humiliari magis. ¶ Versu 7. Præcinite domino in confessione. In Græco est verbum ἐξομολογεῖσθε, quod si-
gnificat incipite. Est enim sensus, Incipite domino in confessione, inchoate psalmos & cantica cõfes-
sionis Diuinæ, vt excitetis proximos, qui prosequantur vnà vobiscum cœpta cantare carmina. In He-
bræo autem simpliciter est, canite. ¶ Versu 10. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum
inuocantibus eum. Ferunt pullos coruorum iam editos, vbi à parentibus conspiciuntur, non esse si-
miles in plumis atris, vel (iuxta quorundam sentẽtiam) quod implumes sint, vel (vt alij volunt) quòd
plumas ipsas quas habent, albas vel subalbas habeant, tanquam degeneres & parentum dissimiles, ab
eis relinqui in nido absque pabulo, donec suo tempore plumis enascentibus, & paternum colorem G
referentibus, paratum ad se reuocent naturale studium. Interim verò, dum sic à parentibus relinquun
tur, Deus illos sua bonitate sustentat: quanquam de sustentationis modo est nõnulla diuersitas. Qui-
dam dicunt rore cęlesti eos pasci; alij, vermiculis in nido enascentibus Dei prouidentia. Alij, absque
omni cibo Diuina bonitate tantisper illos dicunt sustentari. In hoc autem coruorum sic derelictio-
rum pastu, euidentissime Deus mõstrat, quàm semper adsit rebus desperatis, & ijs qui relicti sunt ab
Psal. 26. hominibus. Quod etiam considerans alio in loco noster Psalmista, dicebat domino, Pater meus &
mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Nam si ita coruorum pullis succurrit
derelictis, quanto magis filijs hominum, cùm in eandem venerint derelictionem? Nam & ipsẽ nos
dominus in Euãgelicis exhortationibus iubet volatilia cæli respicere, atque ex ijs quæ circa illa age-
re cõspiciuntur benignissima Dei prouidentia, spem nostram firmare. Respice (inquit) volatilia cęli,
Matth. 6. &c. ac deinde, Nõnne vos magis pluris estis illis? De hoc autem pastu coruorum ex Dei prouidentia,
Iob 38. manifeste Dominus loquitur ad Iob dicens, Quis præparat coruo escam suam, quando pulli clamant
ad Deum vagantes, eo quòd non habeant cibos? In his tamen verbis, nihil de illa pullorum derelic-
tione indicatur, sed tantum dicitur, clamantibus pullis, Deum prouidere cibum parentibus, quem
videlicet adferant suis pullis præ fame clamantibus. Vnde & in proposito loco, si cui non placerent
illa de pullorum coruinorum derelictione, puto illum posse locum præsentem commode exponere, H
absque mentione rei illius, in hunc sensum, vt dicatur Deus pullis coruorum è nido ad ipsum cla-
mantibus, atque præ fame crocitantibus, prouidere de necessario victu, idque per parentes, quibus
Deus donat, vt inueniant quæ in pastum afferant pullorum. Verùm si ita dixeris quæstio tibi resta-
bit, quamobrem magis de pullis coruorum dicatur, quòd eis cibum præbeat Deus, quàm de pullis
aliarum auium, cùm sit hoc commune omni speciei volatilium, imò non tantum volatilium, sed eti-
am gressibilium super terram, & in aquis natatilium? Cui quæstioni responderi poterit, ideo specialiter
de coruis dictum esse, quia carniuoræ aues sunt, insuper & multi cibi, ob vehementem calorem quo
abundant propter quod, difficilius videtur & maioris miraculi, illos sufficienter pasci vnà cum suis
pullis, quàm alia volatilia, quæ ferè quibuslibet oblatis vescuntur, & pauco sustentantur nutrimen-
to, ac proinde non ita multo negotio & se & suam nidularem familiam sustentant. Vel forsitan ob
cõtemptum singulariter dici potuit de coruis, quoniam vulgo hę aues triste aliquid referũt, & quasi
infernale quiddam repræsentant, tum ipso colore aterrimo, tum crocitatione perquam inamœna, tũ
voracitate humanæ carnis, quibus omnibus, aliqua ex parte, cum odiosissimo nobis inimico diabo-
lo, auium hoc genus videtur conuenire: propterea quòd hæ aues hominibus in delicijs non sunt, vt
aliæ plurimæ, neq; multum hominum aspectibus sese offerunt. Atque ita quasi per despectum accipi
posset quod hìc dicitur in hunc sensum. Qui dat escã omni carni, etiam pullis coruorum ad eum cla-
manti-

A mantibus, etiam aues illas quæ nobis quasi execrabiles sunt, sua vniuersali ac generalissima benignitate pastu congruo sustentans. Verum nos ista tãtum proposuimus: elige tibi lector quicquid malueris. Illud tantum aduerte, quod coruorum hæc inuocatio, nõ aliud intelligitur quàm clamor. Deum enim prę defectu cibi è nido aues clamant, quasi Deum nutritorem inuocant, quemadmodum cum in stabulis consistens iumentum, & pabulo carens, clamorem emittit suæ naturæ congruum, vtpote quis balatum, bos mugitum, equus hinnitũ, hoc, suo clamore testantur iumenta indigentiam, & quasi dominos suos inuocant, vt pabulum vel potum præbeant. Vnde in Hebræo hoc loco habetur, Pullis coruorum qui clamant.

CXLVII. PSALMI ARGVMENTVM.

Conſiderans Pſalmiſta, quæ & quãta vtriuſque eccleſiæ oues à Deo percipiant beneficia, ad laudem benefactoris ſui in ſpiritu exhortatur vtranque: & primum quidem illã ſupernã triumphantem, cuius ferè ſunt vectibus obfirmatæ, in qua eſt plena benedictio omnis boni, quæ pace eſt per Deum circumnurata, & pinguedine ſatiatur Diuinitatis eius. Poſt hoc verò, de ea quæ adhuc militat loquitur: cui Deus verbum ſuum miſit ſaluatorem, atque per eum, verbum fidei, & prædicationis Euangelicæ, quo velociter orbem vniuerſum percur-
B *rẽte, ſpirituali generatione plurimos ſibi regenuerit, & tetra infidelitatis atque vitiorum nigredine, pulſa virtutum, & veritatis cãdore dealbauit, quaſi niuem & lanã: caliginoſos ſpiritus, qui velut nebulæ hærẽt in aëre, fugere cogens, longeq; abſcedere de cordibus credentium: eos autem qui corde obdurato noluerunt obedire veritati, in damnationem proiecit & pœnas intolerabiles. in qua etiam Eccleſia, vt nemo prorſus deſperet, quotidie Deus per operationem verbi ſui gelida peccatorum corda liquefacit, emollitq; ad compunctionem & pœnitentiam, & flatu ſpiritus ſui quæ prius ârida fuerant peccatorum corda, ſiue ſalutaris gratiæ imbribus perfundit. Nouiſſime autem, legis Euãgelicæ beneficium magnificans, & velut peculiare beneficium plurimum eſferens vtpote cuius indigentiã omnes patiantur qui extra Eccleſiam ſunt, ita terminat Pſalmum exhortationis.*

CXLVII. PSALMI ELVCIDATIO.

*1 Lauda Hieruſalem dominũ: * lauda Deum tuum Sion.*

OVrbs beata Hierusalem, ô ciuitas pacis superna, quæ in pace æterna triumphas secura, tu lauda dominum Deũ tuum: * sed & tu ô militans iustorum Ecclesia, quæ per fidem adhuc ambulas, & specularis in ænigmate, nondũ per speciem facie ad faciem, laudare etiam debes dominum Deum tuum. 2. Et est profectò causa iustissima, cur 1. Cor. 13.

C *2 Quoniam confortauit ſeras portarũ tuarum:*

vtraque hæc Ecclesia, tam triumphans illa, quàm hęc militans, laudare debeat dominum. Et primum quidem, quantum ad te, ô cælestis Hierusalem, propterea quod ipse dominus portas tuas non solum seris clausit, verumetiam seras ipsas portarum confirmauerit, vectibusque corroborauerit, vt sit firmissima clausura atque custodia tua, ita vt nul Psal. 90.
lum possit ad te accedere malum, nullum possit flagellum in te introire, atque etiam vt nemo omnium qui intra se sunt vnquam ab illa, quam intus possidet, fœlicitate possit eijci, vel exire, vel excidere, vel exerrare: * filios quoque qui in te sunt, id est ciues & incolas tuos, idem ipse Deus benedictionibus æternæ beatitudinis copiose impleuit. 3. Ipse tibi fines posuit & terminos tuos constituit in pace, perfectamque & imperturbabilem pacem tibi pro muro dedit, & pace te quasi per
** benedixit filijs tuis in te.*
circuitum circundedit ac veluti circummurauit, vt nihil ad te valeat accedere quod possit tuam quietem conturbare: * &, quod omnibus
3 Qui poſuit fines tuos pacem:
maius est, aspectu diuinitatis suæ (quæ est tanquam adeps & pinguedo
** & adipe frumenti ſatiat te.*
D frumenti, cibus delicatissimus & pretiosissimus) ipse te satiat, & omnes qui in te sunt ciues tuos: dum suam diuinitatem vobis dat videre 1. Cor. 13.
facie ad faciem, sicque satiamini, apparente vobis gloria ipsius. 4. Et tu Psal. 36.
4 Qui emittit eloquiũ ſuum terræ:
quoque, ô Sion militans, tametsi, hæc nondum in te præsentias, neque adhuc tanta acceperis, habes tamen in quibus, & pro quibus iustum est te laudare dominum Deum tuum: qui verbum suum, filium suum Ioan. 1.
vnigenitum emisit è sinu suo in mundum, ad salutem Ecclesiæ suæ, atque per hunc verbum prædicationis Euangelicæ, verbum salutaris fidei, à Iudæa (vbi per se Dei filius ipse prædicauit) emisit per Apostolos
** velociter currit ſermo eius.*
cæterosque fidei prędicatores, in omnem terram, & in omnes fines orbis terrarum: * & verbum hoc eius, vtpote magnæ efficaciæ & virtutis,
5 Qui dat niuem ſicut lanam:
velociter cucurrit, celerrimeque peruolauit dum ipso cooperante, & sermonem illorum confirmante, breuissimo temporis spatio in om- Matt. 28.
nem terram exiuit sonus prædicationis eorum, & verba eorum in fi- Psal. 18.
nes orbis terræ peruenerunt. 5. Currente autem sic verbo sanctæ prædicationis, ipse nouam regeneratorum, & ad modum niuis candidatorũ fideliũ multitudinem dat, & nasci facit, in candore ac munditia prę-

Universidad de Deusto Biblioteca

** nebulam ſicut cinerẽ ſpargit.*

6 *Mittit criſtallum ſuam ſicut buccellas:*

** ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?*
7 *Emittet verbũ ſuũ, & liquefaciet ea:*

Hier. 23.

** flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.*

Ioan. 4.

8 *Qui annunciat verbum ſuum Iacob:*
** iuſtitias & iudicia ſua Iſraël.*
9 *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.*

celléti, in omnibus virtutibus & gratijs, vt ſint quaſi lana albiſſima atque mundiſſima:* caliginoſas autem & terrenas aëreas poteſtates, quę ſunt quaſi nebula atra per malitiam, caliginoſa per ignorantiam, & ſterilis per defectum omnis bonæ operationis, has ipſe per virtutem prędicationis Euangelicę ſpargit, diſsipat, diſijcit, fugat, & expellit, quemadmodum cinis & puluis aridus flante vento diſsipatur atque diſpergitur, non valens ſubſiſtere, & quemadmodum nebula ſolaribus radijs diſsipatur, adueniente ſole in virtute ſua. 6. Homines quoque obſtinatos & induratos in ſua malitia, qui ſunt quaſi cryſtallus & glacies indu ratiſsima, vltra non liquefactibilis, homines corde incredulo & inobedientes (qui per verbũ Euangelicę prædicationis non voluerunt emolliri, neque reſolui ad pœnitentiam) hos ipſe à facie ſua in tenebras exteriores proijciet cum diabolo & angelis eius, dabitque eis velut in cibum, vt ſint partes & portio vulpium, quemadmodum proijci ſolet buccella panis ante conſpectum canum in eſcam: * Quis verò hanc irã eius non timebit? Aut quis ſtare poterit ante conſpectum indignationis eius? Quis ferre poterit hanc iram intolerabilem? 7. Attamen cùm emiſerit ipſe verbum ſuum, ſiue per internam inſpirationem, in cordibus hominum loquendo interius, ſiue etiam per exteriorem prædicationem ſanando exterius, liquefaciet & reſoluet ad pœnitentiam corda multorum, quæ glaciata, congelata, aut aliquouſque indurata eſſe cœperant, & aliqua ex parte cryſtallus erant: & flante, operante atque inſpirante in eis ſpiritu domini, veluti aquæ reſoluentur per pœnitentiã, quemadmodum cùm glacies diſſoluitur à facie caloris liquefacientis atque reſoluentis. Potens eſt enim verbum Dei quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram, etiam frigidiſsima nonnunquam, & quæ videbantur obdurata corda in quibus nihil erat diuini amoris, ad veritatem & pœnitentiam conuertens: * flat quoque in Eccleſia ſpiritus ille ſanctus, à patre atque filio miſſus, per influxum & elargitionem donorum ſuorum in cordibus fidelium: & quocunque peruenerit benignus flatus eius, fluunt, copioſéque ſcaturiunt in eis aquæ viuæ, ſalientes in vitam æternam, aquas lachrymarum excutiens de ſaxoſis cordibus pœnitentium, aquas autem gratiarum in cordibus ſcaturire faciens proficientium. 8. Ipſe eſt dominus Deus qui verbum fidei & ſalutaris Euangelicæ doctrinæ, verba quoque mandatorum ſuorum annuntiari facit populo fidelium Eccleſiæ ſuæ ſanctæ:* populo ſuo Iſraëli, id eſt fidelibus ſuis, annunciari facit omnes voluntates, præcepta atque iudicia ſua, quę obſeruari vult ab ipſis, & ſecundum quę iudicium faciet in die retributionis. 9. Neque verò paruum eſt hoc beneficium, tametſi forſitan inaduertentibus & ingratis hoc ita videatur, ſed peculiare & grande eſt donum. Non enim ſic fecit omnibus nationibus gẽtium & cæterorum populorum, qui adhuc in infidelitate perſeuerant: quemadmodum nobis fecit fidelibus ſuis, qui intra Eccleſiam ſanctam ſumus: & iudicia, præcepta, ac voluntates ſuas non fecit omnibus manifeſta, ſicuti fecit nobis. Sunt enim plurimi extra Eccleſiam populi, apud quos magna eſt fames verbi Dei, quo nos, qui intra illam permanemus copioſe reficimur & ſatiamur.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLVII.

VErſu 1. Lauda Hieruſalem dominum, lauda Deum tuum Sion. Nos in Elucidatione partem priorem retulimus ad Eccleſiam triumphantem, poſteriorem ad militantem. Item verſus duos proxime ſequentes, Quoniam confortauit, &c. Qui poſuit, &c. accommodauimus triumphãti Eccleſiæ:

Ioan. 4. quæ verò deinde ſequuntur militanti. Quæ diſtinctio ſatis manifeſte in elucidatione monſtratur, vt hic iterum replicare non ſit opus. Poſſent tamen omnia iſta commode intelligi de ſola militante Eccleſia, quæ Hieruſalem appellatur, ratione veræ pacis, quam Chriſtus donat eius ciuibus: illius (inquã)

Matth. 16. pacis, de qua Saluator abſcedens aiebat diſcipulis, Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: Non quomodo mundus dat, ego do vobis? Appellatur & Sion, ratione contemplationis, in qua ſunt per fidem incolæ eius. Huius autem Eccleſiæ ſeras portarum confirmaſſe dicimus Chriſtum, eo q; illam ſic valide muniuit cõtra omnes aduerſarias poteſtates, vt nec portæ inferi poſsint prævalere aduerſus illam, neq; vlla omnino inimici quantumlibet ſæuientis potentia vel aſtutia eam valeat expugnare. Porro, quomodo filijs qui in ea ſunt benedixerit dominus, nemo ignorat eorũ, qui, vt veri

1. Cor. 1. Eccleſię filij & ciues, nõ numero tantum nominis, verumetiam virtute & merito bonæ conuerſationis, eam inhabitant, cùm (iuxta Apoſtoli verbum) diuites fiunt per Deũ, in omni bono, ita vt nihil eis

Pſal. 38. deſit in vlla gratia, & (quomodo alibi noſter Pſalmiſta ait) accepta à legiſlatore benedictione, eunt de virtute in virtutẽ, vt videant Deum deorum in Sion. Fines quoque militantis Eccleſiæ Deus poſuit pacem

A pacem, id eſt, pacem circummuniuit & circundedit per circuitum quaſi inexpugnabilem dum (vt ſuprà diximus) ipſam ſecuram conſtituit, & firmam reddidit in pace firma, quam mũdus vt non potuit dare, ita neque auferre, & quam euertere item non valeat omnis virtus inimicorum. Adipe quoq; fru- Ioan. 1.
menti ciues Eccleſiæ ſatiat Chriſtus, quando de pinguedine ſpiritualium gratiarum eius (quam ab Ephe. 4.
eius plenitudine credentes accipiunt) abunde reficimur, paſcimur, oblectamur & corroboramur, vt Pſal. 108.
creſcamus in viros perfectos, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vtque alacres ſimus, & potentes ad currendum in fortitudine viam mandatorum domini. Nam hęc pinguedo gratiæ ſpiritalis, re-
cte adeps frumenti poteſt nuncupari, frumenti ſcilicet quod eſt Chriſtus, quemadmodum ipſe ſe in Ioan. 12.
Euangelio appellat, dicens: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, proculdubio ſeſe deſignare volens morte afficiendũ, atque intra terræ viſcera ad tempus cõdendum, donec reſurgens à mortuis fructum faceret centuplum. Huius ergo frumenti adeps eſt quicquid ab eius plenitudine in membra eius, in Eccleſiæ ciues manat. Aut per adipem frumenti, accipe illum delicatiſsimum atque pinguiſsimum panem ſancti corporis domini, quo ſatiantur, quo paſcuntur, & copioſe quaſi eximijs delicijs reficiuntur omnes fidelium animæ, quę ipſum digne & Pſal. 89.
cum iudicio manducauerint, de quo etiam illud intelligi poteſt quod in alio pſalmo ſcribitur, Et cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos. Satiare autem in hac expoſitione accipi
B debebit, non ſecundum plenitudinem ſuę ſignificationis, iuxta quam dicitur in alio Pſalmo, Satia- Pſal. 16.
bor, cùm apparuerit gloria tua, ſed vt ſignificet ſufficientem, imò copioſam & delicatam refectionem. Nam prior illa ſatietas à peregrinantibus nobis longe eſt, tametſi poſterior ijſdem nequaquam denegetur. ¶ Verſu. 2. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te. Vigilanter attende, quòd non ſimpliciter Propheta hic dicit, Deum confortaſſe aut ſeris clauſiſſe portas Hieruſalem, verum quòd ſeras portarum eius confortauerit. Plus enim hoc videtur, etiam ſeras portarum confortaſſe, quàm tantum portas confortaſſe, vel ſeris clauſiſſe. Nam ita ſolent ciuitatum portæ, contra hoſtium ingreſſum vel inſultum, duplici claudi & obfirmari munimine, Primum enim ſeris maximis & fortiſsimis concluduntur, deinde vectes adhibentur ferrei, aut ligneæ trabes magnæ, ferramentis craſsis quaſi circulis fabrorum artificio obligatæ & corroboratæ, quibus ea clauſura quæ ſerarum eſt, veluti confirmatur, confortatur, & ſecura redditur, ne vlli forſitan impeplærarumque non tantum oſtia ſeris ſimplicibus clauduntur, ſed inſuper & peſſulo ſeralis illa clauſura velut firmatur. Videtur autem mihi ſecundum hanc conſiderationem dixiſſe Propheta, nõ ſimpliciter, Clauſit portas, ſed confortauit ſeras portarum tuarum, volens nimirum fortiſsimam & penitus infrangibilem clauſuram ſecuritatemque maximã atque inexpugnabilem huiuſmodi verbis ſi-
C gnificare. Nam ſi de illa loquamur ſecuritate cęleſtis Hieruſalem, certum eſt, nullis vnquam verbis ſatis illam poſſe explicare. Si verò de hac terreſtri loquamur Hieruſalem, ipſa tametſi non eadẽ qua illa prior perfecta gaudeat ſecuritate, vt prorſus malum nullum, nedum ſuperans, ſed nec tentans aut vexans ad eam poſsit accedere: ex ipſis tamen domini verbis, tantam cognoſcimus eſſe etiam huius ſecuritatem, vt nulla poſsit hoſtili oppugnatione, ab ipſis quidem inferi portis, deuinci aut expugnari, quomodo in Euangelio ait Saluator, Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Quod ſi Matth. 16.
quæras quis hanc præſtat ſerarum confortationem, id eſt ſummam ſecuritatem & firmam cuſtodiam? Ipſe videlicet eſt, qui in Euangelio loquitur, dicens: Ego vobiſcum ſum vſque in conſumma- Matt. 28.
tionem ſæculi. & de quo in alio Pſalmo dicitur, Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit Pſal. 45.
eam Deus, & cætera. quaſi dicat, Ideo non commouebitur illa ciuitas, quoniam dominum habet in ſui meditullio, qui ciuitatem ſuam nunquam patietur expugnari, qui ſemper illi laboranti aderit, fererque ſuppetias in ea pugnantibus, ne prorſus ſuccumbant, Rurſum attende, quòd tota hæc confortatio domino aſcribitur. Non enim dicitur ſimpliciter; Quoniam cõfortatæ ſunt ſerę portarum tuarum, ſed dominus id feciſſe memoratur: Quoniam (inquit) confortauit, nimirum ipſe Deus tuus, ſeras portarum tuarũ. Videlicet quia (vt in alio Pſalmo ſcribitur) Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, Pſal. 126.
frustra vigilat qui cuſtodit eam. Poſtremo & hoc aduertendum eſt, quòd ciuitatis huius plenam beD titudinem volens deſcribere, duo hęc ſimul iũgit, nempè quòd ſeras portarum eius Deus confirmauerit, & filijs eius benedixerit. Nam tunc ciuitas aliqua rectè valet, cùm talis eſt portarum atque murorum fortitudo, vt ſit tuta ab hoſtibus: & inſuper abundãtia eſt eorum quę ad vitã agendam fuerint neceſſaria. Nam alterũ ſine altero nequaquam ſufficit. Si enim ciuitas quælibet, vel validiſsimas portas, aut quàm maximè cõfortatas portarum ſeras habuerit, ſi intus defectum patiatur panis, aquę ſatis, aut quàm maximè cõfortatas portarum ſeras habuerit, ſi intus defectum patiatur panis, aquę ſatis, aut aliarũ rerum quæ ſunt ad vſum humanũ neceſſariæ, non ex ſola portarum fortitudine erit belne tali ciuitati. Rurſum, nõ ſatis fuerit ciuitati, abũde habere omnia eiuſmodi quę humanis apta ſunt vſibus, neque hoc vnicum ab hoſtium expugnatione illos poterit ſecuros facere, ſi portas habuerint nimium infirmas, aut imbecilles muros, vt facile queant hoſtes irrumpere. Neutro (inquam) horum modorum ciuitati bene poteſt eſſe proſpectum. Nam illi penuria ac fames hoſti portas aperire compellit: hi, portarum infirmitas hoſti irrumpenti & inſultanti quantocyus cedens, præbet aditum. Verùm vbi hęc ſimul duo eadem ciuitas habuerit: nempe vt portarum ſeras habeat confortatas, contra hoſtium inſultum, & rerum omnium neceſſariarum intra ſe abundantiam, vt non cogantur qui intus exiſtunt, ſeſe dedere in manus hoſtium, ibi ſcilicet omnia ſecura ſunt, ibi in tuto degunt ciues. Atque hoc pacto, in præſenti nunc loco Propheta perfectam volens Ciuitatis ſuperne ſecuritatem deſignare in priori parte primum inſinuat, cùm ait, Confortauit ſeras portarum tuarum: in altera autem poſterius, cùm ſubjungit, Benedixit filijs tuis in te. Siquidem benedictio hæc, omnis boni à Deo li-

beralis donatio & prouisio est. Videntur autem quæ in hoc versiculo obscurius dicta sunt, eadem proxime sequenti clarius exponi. Cùm enim subiungitur, Qui posuit fines tuos pacem, videtur hoc priorem partem iam dicti versus declarare, velut exprimendo quid voluerit per confortationem frarum intelligi. Et cùm deinde adiicitur, Et adipe frumenti satiat te: proculdubio illa aperte exprimitur benedictio, cuius in præcedenti versu mentionem fecerat. Ciuium enim supernorum hęc est benedictio Diuinitatis adipe satiari. ℂVersu 3. Et adipe frumenti satiat te. Iam supra in annotatione prima ostendimus, quomodo adeps frumenti, & ista ex adipe satietas intelligi debeat, si militanti applicemus Ecclesiæ. Verùm si triumphanti (vt in Elucidatione) voluerimus accommodare, ponderandum hoc nobis & expendendum videbitur, quod non simpliciter Psalmista dixerit, Et frumento satiat te, sed plus dixit, frumenti adipe. Nam sicut in tritico est separare adipem siue medullam quæ in ipso est, ab ea quæ remanet grossiori magisque crassa substantia: ita in Christo homine, qui seipsum grano frumenti in sancto Euangelio comparat, duplicem consideramus naturam, Diuinam scilicet atque humanam. Illa, velut adeps delicatissimus est, & medulla pinguissima: Hæc autem, licet crassior sit, & minus ex se digna, tamen simul est cum illo adipe in eodem frumento coniuncta. Non solùm autem tritici adeps, verum etiam reliqua eius substantia esui apta est, & pabulum congruum. Et licet sit ille regum cibus, iste tamen posterior inferioribus etiam bonus est. Ita & nos in proposito loco duplex consideramus pabulum. Nam adipe Diuinitatis medulla illa delicatissima, iam satiantur qui sunt in conspectu regis Christi nostri, ipsi simul cum eo reges & sacerdotes in sæcula sæculorum, hac (inquam) satiantur, quoniam eam vident facie ad faciem, & in ea oblectantur plenissime ad omnem sufficientiam & abundantiam, supra quam dici, imò vel cogitari potest. Nos verò interim hìc super terram adhuc peregrini, adhuc miseri, adhuc exules, illo nondum adipe satiamur: attamen ne deficiamus in via, misertur nobis frumentum nostrum, & quasi de crassiori substantia nos pascit de sua humanitate, dum nobis de sua plenitudine communicat, quantum ipse voluerit, & nobis necesse fuerit spiritualis gratiæ, & dum suo nos benedicto corpore pascit. Non omnino tamen deest nobis peregrinantibus ille adeps, illa medulla: sed latet nos, & occultatur adhuc, neque nobis crassius illud corporaliter proponitur. Atque ita sanè dicere possumus, quòd de frumenti adipe, peculiariter beatos in gloria Dei satiat. ℂVersu 5. Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. Mittit crystallum suam sicut buccellas. In his verbis, affectus describitur virtutis verbi Dei, & Euangelicæ doctrinæ, cuius in versu statim præmisso fiebat mentio. Tria enim hæc potissimum operata est Euangelij per orbem prædicatio, videlicet niuis sicut lanæ apparatum, nebulæ dispersionem vt cineris, & crystalli in modum buccellarum protectionem. Euangelio nanque rutilante, niuem dedit Deus quasi lanam, id est electos suos fideles, candidissimos reddidit, vt fierent quasi lana naturali colore albissima, etiam ij qui ante per peccata fuerant nigerrimi, aut velut coccinum siue vermiculus maxime rubri, quemadmodum per prophetam dicitur, Si fuerint peccata vestra quasi coccinum, velut nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Et in Psalmo quinquagesimo, Lauabis me, & super niuem dealbabor. Potest verò in niue non solùm candor, sed & alia ratio considerari, ob quam electi comparentur niui. Nix enim dum cadit, flocci videntur diuisi innumerabiles, qui tamen mox vbi ceciderint, pariter coadunantur, & quasi vnam efficiunt telam, adeò vt nemo artifex tam aptè possit filum filo iungere texendo, quam flocci niuei sibiinuicem coniunguntur. Atque ita fideles in Ecclesia, ad Euangelicam prædicationem, tametsi ex diuersis generibus, tribubus, populis, linguis, & statibus congregentur, in summa tamen vnitate, in vna fide, vna spe, vna charitate, & omnimoda vnitate, per Deum vniuntur. Nebulam verò per Euangelium disperfit Deus vt cinerem, qui ante faciem venti nequit consistere, sed rapitur & dissipatur: id est, aëreas potestates fugauit de cordibus credentium, fecitque euanescere, vt non possent in suis habitaculis quæ obsederant, consistere, quemadmodū in alio psalmo dicitur, Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiāt qui oderunt eū à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Tertius autem effectus, qui ex Euangelij prædicatione scribitur consequutus, crystalli est in modum buccellarum protectio, id est hominum prauorum, & in suæ infidelitatis ac aliorum vitiorum frigiditate permanere eligentium reprobatio. Vbi nota, non de qualibet glacie dici generaliter, Mittet glaciem sicut buccellas, sed tantum de crystallo. Omnes enim peccatores qui extra Dei charitatem sunt, verè glacies dici possunt, videlicet quoniam niuium frigus illorum cor obsedit, & congelari fecit, atque concrescere, iuxta illud, Coagulatum est sicut lac cor eorum: suntque ante Deum qualibet glacie frigidiores, à quorum cordibus abest amor Diuinus, qui ignis consumens & liquefaciens est, vt cordis congelationem non patiatur. Quilibet enim peccator, glacies est: & quo quisque ab amore Dei magis est elongatus, eo magis glacies dici debet. Verum non item omnis peccator crystallus est. Crystallus enim siue crystallum, est res induratissima, & ita concreta atque congelata vt nec igne adhibito admittat dissolutionem, cùm glacies igne adhibito facile se patiatur resolui. Ita sanè peccatores illi, qui audito verbo veritatis, per pœnitentiam ad Deum emolliti sunt, velut igne Diuino liquefacti, glacies coram Deo quidem fuerant, sed non crystallus, atque ideo non sunt proiecti quasi buccellæ siue fragmenta panis, ideireo non sunt facti reprobi. Qui verò audito verbo veritatis, non solùm emolliti sunt vt agerent pœnitentiam, sed magis etiam indurati sunt & deteriores facti: hi non glacies tantum, sed crystallus indissolubilis reputantur, indissolubilis dico, ratione obstinatæ prauitatis, non ob verbi Diuini impotentiam: atque ideo sicut buccellæ, sicut panis fragmenta, fuere proiecti. Quibus autem pronunciantur, in Elucidatione manifestatur apertius, veruntamen dissi-

Ioan.12.

Apoc.1. 1.Cor.13.

Esa.1.

Psal.67.

Psal.118. Heb.12.

dissimulandum non est, quod Græce κρύσταλλος etiam glaciem significat: quemadmodum psalmo proxime sequenti, Ignis, grando, nix, glacies, &c. neque hoc loco aliud quàm glaciem vertunt Hieronymus ac Felix. Atque ita si nos quoque crystallum hìc sumamus pro glacie, necesse erit nos istam glaciei proiectionem intelligere de glacie, in modum crystalli indurata: non indiscriminatim de qualibet glacie. Nam (vt suprà ostensum est) non indifferenter quamlibet glacie Deus vt buccellam proiicit, sed illam tantum quæ vt crystallus est indurata, vt nolit verbo Dei liquefieri. ℂVersu eodem, Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Per frigus istud domini, nos intelligimus iram domini, qua ab obstinatis hominibus manet auersus, Vbi notandum, quòd ira domini aliquando per calorem significatur, aliquando per frigus. Per calorem significatur psal. 18. quum dicitur, Non est qui se abscondat à calore eius. Sic ira Dei dicitur subinde exardescere velut ignis: quemadmodum in psalmo alio, Vsquequo exardescet velut ignis ira tua? Ac rursum, Ignis à facie eius exarsit: Contrarijs ergo similitudinibus, Dei ira exprimitur secundum diuersas considerationes: quomodo item Christus dominus noster nunc leo, nunc agnus figuratur. Ira ergo Dei, quatenus grauem vindictam, & seueram vltionem excitans, quasi ad perditionem & consumptionem exigens impios, igni assimilatur, & feruori semper consumere, semper ignire desideranti, & semper vt voret gliscenti. Eadem verò Dei ira, frigus dicitur: quatenus per iracundiam, Deus ab obstinatis, sui salutaris caloris subtrahit beneficium, & dulces sui luminis radios ab eis abscondit, quos super iustos ac pœnitentes benigne effundit ad salutem animarum ipsorum. Quemadmodum videlicet solem corporalem imaginari possumus duabus rationibus irascentem. Si enim in quenquam tam impetuose, tamque nimium violenter iaciat suos flagrantes radios, vt illum incendat atque consumat, huic quasi per calorem irasci illum intelligimus. Contrà verò si terræ alicui prorsus suos neget radios, ita vt omnino nolit vel luminis vel ardoris sui beneficium illi communicare, & reliquas terræ partes illuminans, atque calore temperato fœcundans, hanc solam terræ portionem nolit suis radijs contingere, huic dicemus illum suo frigore irasci: quemadmodum videlicet in tempore passionis domini dicere possumus, terræ iratū fuisse suis tenebris solem, quando noluit super terram suum lumen effundere. Ad hunc sanè modum, dominus Deus noster, quatenus erga impios in tempore vltionis ad iudicium & perditionem per suam iustitiam feruet, quasi ignis glisscens ad inflammationem circumpositæ materiæ, eatenus eius ira caloris feruori assimilatur: propter quod, etiam alibi Deus noster ignis consumēs esse dicitur. Quatenus verò ab ijsdem illis, omnis luminis & omnis spiritualis boni oblectationem abstrahit, quatenus illis nō suo benigno aspectu illucescit, quasi frigore suo illos affligit, quibus ita suum gratum calorē & vultum benignum absscondit. Pulchrè verò secundum ordinem, duplicem hanc iram inuenimus descripsisse Moysen in suo cantico: prius quidem de ira frigoris, post de ira caloris loquentem. Sic enim habet, Vidit dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ. Et ait, Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorū, Generatio enim peruersa est, & infideles filij. En habes frigoris iram: cùm ait, Abscondam faciem meam, &c. Hoc enim facit ira frigoris. Post pauca deinde subiungitur, Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos, &c Foris vastabit eos gladius, &c. Et dixi, Vbinam sunt, &c. Hæc omnia quis non videt ad exardescentem ignis iracundiam pertinere? Admodum autem pulchra videtur respondentia duarum istarum partium adinuicem, vt cùm in priori parte dixisset de proijciendo crystallo, quod vtique frigidum est, opponat exaduerso diuinæ iustitię frigus vlciscēs & puniens illud crystalli impium frigus: id est obstinatorum hominum impietatem & impœnitentiam. Tanquàm si dicat Propheta, Eligunt impij nunc quidem crystallum esse, & suum frigus eligunt, inq; eo permanere volunt, & non se patiuntur emolliri diuini verbi ardore: sed huic illorum frigori continget frigus aliud intolerabile, quòd crystallus illa ferre non poterit, quòd crystallus illa nequaquā amabit: ad significandum, quòd frigori humanæ obstinationis, frigus exaduerso opponetur diuinæ vltionis. A facie autem frigoris illius nemo poterit sustinere, vel quia nemo poterit illud subterfugere, aut quia nemo poterit resistere, aut quia definitam ex ira Dei vltionem nemo poterit ferre, quomodo Petrus Apostolus dicit angelos malos, licet virtute hominibus potentiores, non ferre tamen aduersum se execrabile Dei iudicium. ℂVersu 7. Emittet verbum suum, & liquefaciet ea. Difficultas est, in relatione huius pronominis EA. Non enim videtur aliquid apertè præmissum, quòd referar. In Elucidatione indicauimus relationem secundum intellectum magis, quàm secundum voceм: hoc modo, Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: nempe corda glaciata, quæ sunt vt glacies, vel aliquo modo vt crystallus. Non debet tamen fieri relatio pro ijsdem secundum numerum, qui significantur in versu illo præcedenti. Nam ijdem illi proiecti sicut buccellæ, non hic dicuntur liquefieri, sed illi qui fuerunt quidem aliquando crystallus vel glacies, at non ita obdurati in suo frigore, quin se igne verbi Dei emolliri sustinuerint: quales videlicet glacies illi erant: de quibus ait Apostolus, Scitis, quoniam cùm gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes, &c. Et alibi, Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, &c regnum Dei possidebunt. Et hæc aliquando quidē fuistis, sed sancti estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Posset tamen relatiuum istud referre simul etiam niuem: ad hunc sensum, Emittet Deus verbum suum, & liquefaciet ea: nempe & niuem & glaciem. Sanctos enim, etiam eos qui iam nihil obdurati sunt, sed iam olim emolliti, adhuc tamen liquefacit Deus: vt magis ament, vt magis molleſcant, magisque caleſcant in amore Dei: iuxta illud Apocalypsis,

Heb.12.

Psal.88. Psal.17.

Deut.32. 2.Pet.2.

1.Cor.11.

1.Cor.6.

Universidad de Deusto Biblioteca

Apoc. 22. Cantic. 5. Luc. 7. Ioan. 7.

sanctus est, sanctificetur adhuc. Vnde sponsa in canticis, licet iam prius liquefacta, tamen quasi E
quo modo se fatetur liquefactam, statim vt sponsum audiui loquentem, Anima mea (inquit) liquefacta est, statim vt dilectus locutus est. Eos verò qui adhuc glacies sunt, resolvit & liquefacit, conuersione pœnitentiæ, De aquis autem illis, quæ fluunt ad flatum emissi spiritus, nota quòd non eædem semper aquæ sunt, quas excutit emissus spiritus. Nam vbi super glaciem cadit, primum aquas progignit amaritudinis, id est, lachrymas pœnitentiæ, cuius egregium exemplum præbuit illa peccatrix fœmina, quæ verbo domini exterius, simul & spiritu eiusdem interius tacta accurrens ingressa est domũ conuiuij, illicque largiter aquas per oculos euomuit, vt lachrymis suis scribatur rigasse pedes eius, cuius verbo & spiritu tacta fuerat. In sanctis verò, qui iã olim glacies esse desierunt, aquæ fluunt dulces spiritualium gratiarum: de quibus Saluator ait in euang. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ac rursum. Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Sciendum tamen est, quosdam penitus literæ inhærentes, & prædicta de Hierusalem & Sion temporaliter intelligẽtes de pristina fœlicitate restituenda post Babylonicam captiuitatem ista omnia quę hactenus congruis mysticis intelligentijs exposuimus, temporaliter & corporaliter intelligere in hunc modum, O Hierusalem, lauda dominum Deum tuum, qui te aliquando est reædificaturus, & restituturus in statũ pristinũ, vt habeas portas confortatas, & omnium rerum
in te abundantiam, vt habere omnia soles ante desolationem tuam. Quæ verò deinde sequuntur de F
niue, glacie, & liquefactione, ita exponunt: Neque verò est quòd desperes, ô Hierusalem, de tua reædificatione, sed crede verbo domini, qui potens est, vbi voluerit, omnia commutare, vel solo verbo quod currit velocissime, id est quantocyus adimpletur, & cui parent omnia: id quod euidentissime ostendit, dum subitò niuem ad modum lanæ candidissimã, super terram facit descendere, & vbi voluerit, nebulam, siue pruinam mittit: rursumque glaciem, siue grandinem ad modum fragmentorũ panis, cuius glaciei, vel grandinis frigus foret hominibus intolerabile, quoniam est vehementissimũ: statim quoque vbi iusserit Deus, solo eius verbo ista (nempe nix, pruina, grando, & glacies) dissoluũtur in aquam: & flante spiritu, siue vento calido, ista conuertuntur in aquas, vt fluant quæ prius erant constricta, & velut solida: vt videlicet hoc exemplo suum populum animet, atque in spe confirmet quasi hoc indicare volẽs, si tantã Deus posset solo suo verbo mutationem efficere in eiusmodi creaturis, posse etiam & Hierusalem, quanquam nunc desolatam, suo tempore, vbi iuberet in pristinum statum restituere. Quæ expositio, vt sufficiat pro literæ rudi intelligentia, & admodum facilis sit, nos tamen eam non vt præcipuam sequimur, quoniã altiora in his omnibus & penitiora arbitrati sumus latere mysteria, quæ pro nostro modulo secundum Dei gratiã, vt potuimus, elucidare conati sumus.
¶ Versu penultimo, & vltimo. Qui annunciat verbum suum Iacob &c. Non fecit taliter omni natio-
ni, &c. Videntur hi duo versus ad literam facere mentionem de veteri populo Israëlitico, cui Deus G
pro speciali beneficio, & quasi singulari quadam prærogatiua, dedit Mosaicam legem, quam alijs nõ dedit populorum nationibus. Nos tamen in Elucidatione ista spiritualiter ad verum Israëlis semen secundum spiritum, id est, ad fidelem in ecclesia populum accommodauimus, de noua euangelica lege exponentes: per nationes verò, quibus non similiter fecit Deus, vniuersos accipientes incredulos,
Rom. 2. qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati.


CXLVIII. PSALMI ARGVMENTVM.

PSalmus iste, omnium creaturarum inuitatio est atque exhortatio, ad laudem Dei, qui creauit omnia. Et primum quidem, ordine congruo cælestes creaturæ inuitantur ad laudem, nempe spiritus angelici & cælestes omnes exercitus, sol quoque, luna & stellæ, quæ solo verbo creata atque stabilita sunt, vt in æternum perseuerent, & suis arctata legibus, quas inuiolabiliter obseruare debent. Deinde, quæ in inferiori hoc mundo cernuntur, ad laudem item aduocantur: primum omnium dracones, quos siue terrestres, siue marinos posßimus accipere, qui in abyßis gignuntur & habitant, quos verisimile est propter nimiam corporis immanitatem, ac etiam super alia animalia terrorem & potestatem, priori loco nuncupari. Post hos aduocantur ea, quæ in superiori vel media aëris regione generari, atque ex ea conspiciuntur descendere, nempe ignis, qui ab exhalationibus in-
flammatis in aëre gigni conspicitur, grando, nix, glacies, & spiritus tempestatis: quæ omnia, diuino verbo obe- H
diunt. Montes deinde & colles, & ligna tam fructifera, quam alijs aptæ vsibus aduocantur, bestiæ quoque & serpentes & volucres, ac postremo omnium genus humanum vniuersum, nullum omnino neque statum, neque ætatem, neque sexum excipiendo, propter celsitudinem Dei, cuius confessio nimium sublimis, cælum & terram superexcedit: qui præter omnia magnificentißima creationis suæ opera, etiam glorificatione populi sui, hymnos & laudes ab omnibus fidelibus seruis promeretur ac postulat.

CXLVIII. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Laudate dominũ de cælis: * laudate eum in excelsis.*

2 *Laudate eum omnes angeli eius: * laudate eũ omnes virtutes eius.*



Audate dominum creaturæ omnes, tam cælestes, quã terrestres: & primum quidem, vos quæ de cælis siue cælestes estis, laudate cæli dominum: * laudate ipsum vos ô sublimes creaturæ, quarum est in excelsis mansio, quibus pro sua dignitate deputatus est locus supremus in altissimis. 2. Imprimis autem vos, ô angelici spiritus, laudate Dominum Deum vestrum, qui vos tam nobiles spiritus fecit, tamque magnifice glorificauit: * laudate eum vniuersi cælestes exercitus, qui estis in circuitu eius, minis-

A
3 *Laudate eum sol & luna: * laudate eũ omnes stellæ & lumen.*

4 *Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ super cælos sunt: * laudent nomen domini.*
5 *Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.*
B 6 *Statuit ea in sæculũ & in sæculum sæculi: * præceptum posuit:*

** & non præteribit.*
7 *Laudate dominũ de terra: * dracones, & omnes abyßi.*
8 *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: * quæ faciunt verbum eius.*
C 9 *Montes & omnes colles: * ligna fructifera, & omnes cedri.*
10 *Bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ.*
11 *Reges terræ, & omnes populi, principes, et omnes iudices terræ.*
D 12 *Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen domini:*
** quia exaltatum est nomen eius solius.*
13 *Cõfessio eius super cælum & terram: * & exaltauit cornu populi sui.*
14 *Hymnus omnibus sanctis eius, filij Is-*

ministrantes in millibus milliũ, & in decies cẽtenis millibus assistentes ei omni tempore. 3. Laudate illum sol & luna, duo luminaria magna, & Dani. 7.
præ cęteris insignia, facta à Deo vt præfitis diei ac nocti, illuminctisque terram, & in distinctionem sitis temporum: * laudate etiam illum vos Gene. 1.
stellę omnes, quas ad illuminationem noctis creauit altissimus, & lumẽ omne quod siue à sole, siue à luna, siue à stellis est, laudet pariter increatum illum patrem luminum, & lumen increatum, à quo creatum lumẽ omne procedit. 4. Omnes quoque cæli, ipsum præcipue summum empyreum cælum, quod alios omnes tegens, atque in se concludens, est veluti cælorum cælum, laudem date Deo qui vos mira claritate adornat: cęlum quoque chrystallinum, siue aqueum, quod est super firmamentum, naturam quandã & conditionem aquæ participans: * hæc (inquã) superna omnia laudent nomen domini, qui cuncta ea incorruptibilia cõdidit, ac perpetuò stabilia. 5. Idcirco autẽ vos, ô nobiles & præcellentes creaturę, laudem Deo debetis, quoniã solo verbo vos ab illo factę estis, & sola voluntatis eius iussione creaturę estis, absque vllius laboris molestia, absq; vllius alterius cooperantis adminiculo. 6. Statuit quoque vos, firmauit, atque stabiliuit in stabilitate essentiæ vestræ vt perpetuò maneatis atque in sempiternum in vestra essentia persistatis nunquam interitura: * præceptũ quoq; posuit vobis, quomodo, & quousque moueri, & in omnibus quid, quando, & qualiter agere debeatis, quomodo in terras influere, quibus temporibus vbi apparere, quando terras relinquere, quando cassem reuisere, & ita in cęteris omnibus leges & regulas motuũ, atq; operationũ vestrarũ omniũ ab illo accepistis cõditore vestro: * & præcepta illa atq; statuta Dei nunquã fient per vos irrita, nunquã vos ea trãsgrediemini, neq; aliud quàm quod vobis præstitum est facietis. 7. Vos quoque terrestris creaturæ quę sub cęlis estis in elementari mundo, laudate eundem dominũ, qui sicut cęlestiũ, ita etiam vester est dominus: * vos in primis dracones, siue in terris venenosa animalia, siue in mari cete grandia, quæ estis animalia magnitudine & mole, singulariter eximia atque insignia: omnes quoque profunditates immensæ, siue terrarum, siue mariũ, in quibus dracones isti siue maris nascuntur, siue inhabitant. 8. Ignis etiã & grando, nix & glacies, & spiritus turbinis, ac venti tempestuosi, etiã vos laudate dominũ: * quę nullã habentes stabilitatem subsistentiæ vestræ, obeditis verbo & iussioni eius, ita vt cùm ille iusserit, mox exurgatis, vel cessetis, siue ad consolationem & liberationem iustorum, siue ad pœnam & vltionem malorum, siue ad aliam quamlibet diuinæ voluntatis adimpletionem. Psal. 103.
9. Montes etiam maiores, & monticuli minores, qui ascenditis in locũ præfinitum, qui terminos custoditis quos ille posuit vobis, vt nõ cõuertamini operire terrã: * ad hæc ligna omnia & arbores quæ nascimini è terra, & fructum fertis humanis potissimum vsibus accommodum, cedri quoque proceritate nobiles, & ad ædificia cõstruenda humanis vsibus plurimum conducentes. 10. Bestiæ item irrationales & pecora vniuersa, cuiuscunque sint generis, cuiuscunque tandem naturæ, serpentes etiam qui repunt super terram, & aues quæ pennas habent ad volandum in aëre. 11. Postremo vos, ô rationales homines, cuiuscunque tandem status, conditionis, ætatis, vel sexus fueritis, siue reges qui dominamini in orbe terrarum, siue subiecti illis populi, siue principes atque iudices super terram. 12. Adolescentuli, siue adolescentulę, senes atque iuuenes, pariter omnes laudem & confessionem dent nomini domini, neq; vllus omnino hominũ à laude cesset creatoris: * quia nomen eius solius verè est excelsum & magnificatum, & solus ipse iuxta suam celsitudinem est omni laude dignissimus. 13. Cõfessio & laus eius altior est cęlo & terra, neq; cęlo vel terra comprehẽdi potest, neque vsquam illi, siue hìc, siue illic, digna & sufficiens potest dari laudis confessio: & ipse exaltare decreuit fortitudinẽ, potestatẽ, & gloriã populi sui, magnificare salutẽ electorum suorũ, eos à captiuitate diaboli liberando, & in libertatẽ verã, atq; in adoptionẽ filiorũ Dei sublimãdo: quod super alia oía creationis opera, fidelibus maior adhuc debet esse laudis materia. 14. Hymnus, laus, & benedictio pertinet & competit omnibus credentibus in eũ, vero secundũ spiritum Israëli populo, qui per fidẽ & rectum cultum illi appropinquare studet, illiusq; & dici & esse populus conatur. Decet enim sanctos & electos Dei seruos, laudibus & hymnis illum celebrare, qui in omnibus, tam quę ad creationem, quàm quę ad recrea-

Universidad de Deusto
Biblioteca

xaël, populo appropinquanti sibi.

recreationem spectant, vsqueadeò sese exhibuit glorioſe mirabilem, & mirabiliter glorioſum, qui in trinitate ſumme vnus, & in vnitate verè trinus regnat in perpetuis æternitatibus ſæculorum. Amen. E

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLVIII.

VErſu 1. Laudate dominum de cælis. Ita accipienda eſt hęc oratio, ac ſi diceretur, Laudate dominũ vos qui eſtis de cælis. i. ciues cæleſtes: ac deinde, Laudate eum in excelſis, id eſt, qui eſtis in altis, qui in ſupernis moramini. Similiter in verſu 7. cùm dicitur, Laudate dominum de terra, ſenſus eſt, Laudare dominũ vos creaturæ terreſtres, ſiue quæ eſtis de terra. Hunc ſenſum manifeſtè indicat Chaldaica paraph. quæ in primo verſu ſic habet, Laudate Deum creaturę ſanctæ de cælis, laudate eũ angeli excelſi. Poſſet tamen etiã aliter noſtra lectio exponi, Laudate dominum de cęlis, & de ijs quæ cõſiderantur, geruntur in illis, laudate eum in, vel de ſublimibus illis, de ijs quę in ſublimibus agũtur, vel habitant in eis. Omnino tamen prior expoſitio huic poſteriori præferenda videtur. In ſecundo autẽ verſu, virtutes debere accipi pro exercitibus, ex ijs quę iã ſępius in prędcedentibus dicta ſunt, prędſupponimus manifeſtum. ¶ Verſu 4. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen domini. In hoc verſu duplex poteſt accipi cõſtructio. Prior eſt, vt nominatiuus ille, aquæ quæ ſuper cælos ſunt, ſupponatur verbo Laudent: ad hũc ſenſum, Laudate dominũ cęli cælorum: ac deinde, Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen domini, eius videlicet qui eas ſic mirabiliter ſuper firmamentum in maxima perſpicuitate & limpiditate condidit & cõtinet. Altera eſt cõſtructio, ſecundum quã nominatiuus ille, aquæ quę ſuper cælos ſunt, cõiungitur verbo ſecundæ perſonæ, in principiõ verſus poſito, Laudate: finis autem verſus, ad omnia prędcedentia refertur: hoc ſenſu, Cæli cælorũ, & aquę quæ ſuper cęlos ſunt, laudate dominum: omnia (inquam) iam enarrata laudent nomen domini, quoniã &c. Atq; hãc diſtinctionem, vt magis verã in elucidatione ſequimur, quàm in Græco licet aptiſsime videre, vbi non ſecundum numerum pluralem dicitur, Aquæ quæ ſuper cælos ſunt, ſed per numerum ſingularẽ τὸ ὕδωρ τὸ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν, hoc eſt, ipſa aqua quæ ſuper cælos eſt: verbũ autẽ ſequitur in numero plurali, αἰνεσάτωσαν, id eſt, laudent: vt manifeſtũ ſit illum nominatiuũ qui eſt numeri ſingularis, nõ poſſe ſupponi huic verbo numeri pluralis. Quare cõformiter etiam in lectione Latina prędſtat diſtinctionẽ poſteriorem eligere. Inſuper & Hebræa lectio eidẽ diſtinctioni manifeſte cõſentit, in qua totum illud, Laudẽt nomen domini, penitus ſeparatur à prædcedentibus, in caput noni verſus, hoc modo, Laudate eũ cęli cęlorũ, & aquę quę ſuper eęlos ſunt. Laudent nomen domini, quia ipſe mandauit, & creata ſunt. Nam quod in noſtris & Græcis codicibus adijcitur, Quia ipſe dixit, & facta ſunt, Hebręa omnino non habent, ſed illud tantum quod ſequitur, Ipſe mandauit & creata ſunt. Cæterum, de aquis illis quę ſuper firmamentum ſunt, quid ſint, & quare ita appellentur, & quo loco conſiſtant, cuiuſve ſint naturę, plenius ſuo loco ex intentione tractauimus in libris de cõſideratione rerum naturaliũ, cap. 12. lib. 7. cui titulus eſt De cælo & mundo. ¶ Verſu 6. Præceptum poſuit, & non prędteribit. Quidam putant, ſingularem numerum poſitum pro plurali, prędteribit, pro prędteribunt: vt ſit ſenſus, Poſuit Deus illis cęleſtibus corporibus prędceptũ, & ipſa nõ prędteribunt: hoc eſt, nõ trãſgredientur illud. Poteſt tamen non minus rectè accipi in numero ſingulari. maxime cùm & in Græco & in Hebręo ſingulare habeatur, iuxta ſenſum in elucidatione expoſitum, vt ſuppoſitum verbi prędteribit, ſit prędceptum: hoc modo, Prędceptum, non prędteribit, id eſt, nõ fiet irritum, nõ erit inane, ſed implebitur & obſeruabitur diligentiſsime. Secundum quem modum Saluator in euãgelio loquitur, dicens, iota vnum, aut apex vnus non prędteribit à lege donec omnia fiant. Et iterum, Cælum & terra trãſibunt, verba autem mea non prędteribunt, videlicet ſignificare volens, omnia plenilsime implenda. ¶ Verſu 7. Laudate dominum de terra, dracones & omnes abyſsi. Illud de terra (vt ſuprà admonitum eſt) valet vos qui de terra eſtis: vbi etiam generaliter accipi debet, de terra, pro omnibus quæcunque in hoc mundo inferiori exiſtunt infra regionem cæleſtem. Nam hoc verſu, ab illis quæ in ſuperiori cæleſti habitãt regione delabitur, deſcenditq; ad ea quæ in elementari iſta & inferiori regione videntur, vt ſic ordinato progreſſu per omnẽ tranſeat creaturã, nihilq; relinquat quod non in laudẽ proponat, atque etiã excitet ſui conditoris. Dracones autẽ hìc intellige, immanis quantitatis, ſiue terreſtria, ſiue aquatilia animalia. Nã cete grãdia, etiã dracones appellantur, quemadmodum in Pſal. 103. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Et annotat in hunc locum B. Hierony. legi hìc poſſe, Cete & omne abyſsi, eademq; animalia hic dracones appellari, quæ in principio Geneſis cete nominantur: vbi dicitur, Fecit Deus cete grandia. Quare manifeſte vanum eſt, quòd quidam dicunt legendum tracones per t, non per d, dicentes tracones eſſe ſubterraneos meatus occultos. Nam & ex Græco & ex Hebræo manifeſtum eſt, dracones per d, legendum, non per t. In ſequenti quoq; verſu attende vt ſpiritum procellarum nõ intelligas tempeſtatem maris, ſed flatum turbinis, id eſt, ventum turbidum. Vnde Hieronymus ex Hebræo, pro ſpiritu procellarum legit, Ventus turbo. Felix ſimiliter, Ventus turbinis. ¶ Verſu penultimo, Et exaltauit cornu populi ſui. Diximus in annotatione vltima Pſal. 111. per exaltationem cornu intelligi ſublimationem alicuius, & magnificationem dignitatis atq; gloriæ eius: quemadmodũ illo in loco dicitur de viro iuſto, Cornu eius exaltabitur in gloria: & quomodo Anna Samuẽlis mater, accepta fœcunditate, per quam ſuper æmulam fuit exaltata, canit ſuum cornu eſſe exaltatum in Deo. Ita ſanè Deus cornu populi ſui exaltabit, ita omnes ſuos electos magnificè exaltabit: iuxta quod Paulus ait: Quos iuſtificauit, hos & magnificauit. Rurſum ad memoriam reuoca, quod in pſalmum diximus 131. In declaratione verſus penultimi, Illic producam cornu Dauid, &c. Per cornu videlicet intelligi illo in loco Chriſtum dominum, per quem eccleſia contra inimicum diabolum prævaluit ſicut per cornu animalia ſeſe defendunt ab impetentium feritate. Iuxta quam

Matth. 5. & 24.

1. Reg. 2.

Rom. 8.

A quam acceptionem, in præſenti loco non incõmodè per cornu intelligere poterimus Chriſtum dominum, vt poſt omnẽ in creaturis enarratã Dei magnificentiam, illud quod omnium maximum eſt, & priora omnia in immenſum ſuperat, in admiratione ſubiungat de Meſsiæ noſtri exaltatione. Ad quod reſpexiſſe videtur in ſuo cantico Zacharias, cùm ita canit, Benedictus dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ, Et erexit cornu ſalutis nõbis in domo Dauid pueri ſui. Cornu enim iſtud appellat cornu ſalutis, vtpote per quod ſalus tum erat facienda eſtque iam facta humano generi. Eſtque hoc cornu populi Dei, quaſi pro populi liberatione productum atq; erectum, nimirum vt per illud ſaluetur electi. ¶ Verſu vltimo. Hymnus omnibus ſanctis eius. Intelligẽdum eſt verbum ſubſtantiuum, vel modi indicatiui: hoc ſenſu, Hymnus eſt omnibus ſanctis eius: id eſt, fideles habeant laudem quam illi offerãt, quàque illum celebrent. Vel per modum imperatiuum, vt ſecundum exhortationem accipitur ſenſus, Hymnus vel laus ſit omnibus ſanctis eius, &c. fideles illi canent ac dent gloriam. Vel ſic intellige, Hymnus debet eſſe, vel conuenit omnibus ſanctis eius, ſecundum eum ſenſum quo dicitur in alio pſalmo, Rectos decet laudatio: id eſt, ipſi ſunt qui poſſunt laudare & debent: poſſunt quidem, quia eſt ſpecioſa laus in ore rectorum: debent verò, quia ab eiuſmodi Deus requirit laudem. Nam peccatori (vt in alio loco ſcribitur) dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam &c. Econtrario verò iuſto dicitur, Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua.

Luc. 1.

Pſal. 32.

Pſal. 49.

Ibidem.

B

CXLIX. PSALMI ARGVMENTVM.

QVomodo in pſalmo prædcedenti poſita fuit exhortatio totius creaturæ, tam rationalis quàm irrationalis, ad laudem creatoris: ita in hoc præſenti ſpecialis ponitur inuitatio eccleſiæ hùius militantis, ad lætandum in domino Deo ſuo, illiq; laudem & confeſsionem debitam perſoluendam, propter beneplacitum ipſius in ſuis fidelibus, & propter mirificam ac glorioſam electorum exaltationem, ad quam illos perducturus eſt in regno venturi ſæculi, qui nunc in militante eccleſia fidelem ipſi ſeruiunt ſeruitutem. Vbi, occaſione oblata, magnificentiam gloriæ & exaltationis illius venturæ, latè & pulchrè deſcribit, potiſsimum autem glorioſam illam exaltationem & lætitiam ineffabilem, quam ex diuinitatis conſpectu in cæleſtibus manſionibus ſunt conſequuturi, & poteſtatem authoritatemq; iudiciariam, quam à Chriſto domino primario iudice ſancti ſunt acceptari, ad faciendum ſimul cum Chriſto iudicium, aduerſum omnes tam inuiſibiles, quàm viſibiles veritatis aduerſarios, etiam ſi reges illi, aut quantumuis nobiles extiterint, Placet enim Deo, huiuſcemodi glorioſa poteſtate ſuos electos glorificare.

CXLIX. PSALMI ELVCIDATIO.

C

*1 Cantate domino cãticum nouum: * laus eius in eccleſia ſanctorum.*

*2 Lætetur Iſraël in eo qui fecit eum: * & filiæ Sion exultent in rege ſuo.*

*3 Laudent nomen eius in choro: * in tympano & pſalterio pſallãt ei.*

4 Quia beneplacitum eſt domino in populo

D *ſuo:*

** & exaltauit manſuetos in ſalutem.*

*5 Exultabunt ſancti in gloria: * lætabũtur in cubilibus ſuis.*

6 Exultationes Dei in gutture eorum:
** & gladij ancipites in manibus eorum.*

GAntate, ó fideles omnes, Domino Deo veſtro canticum nouitatis, iucunditatis atque lætitiæ: * vera enim, ſumma atque gratiſsima laus eius eſt in congregatione fideliũ, in populo electorum ſuorum: & à vobis quicunque de eccleſia ſanctorum eſtis, laus illi debetur, hancq; ſolam ſibi gratiam & acceptam habet, quæ à iuſtorum congregatione perſoluitur, non eam quæ eſt à ſynagoga ſathanæ. 2. Lætetur populus fidelis gaudio ſpirituali, in Deo factore, creatore, & ſaluatore ſuo, qui ipſum fecit: primum quidem ſecundum naturam creando, deinde ſecundum adoptionem regenerando: * fideles quoq; & deuotæ animæ, quæ ſunt filiæ matris Sion, matris ſanctæ eccleſiæ, ipſæ exultent, & magnificè glorientur in Deo, qui regnat in eis, nunc quidem per ſuam bonam gratiam, in futuro autem per plenam gloriam. 3. In teſtimonium autem perfectæ lætitiæ, chorum facite, & congregamini pariter in laudem nominis eius, vt vno corde & ore collaudetis dominum: * adhibentes etiam exteriora muſica inſtrumenta, tympana, & pſalteria, in quibus pſallatis ei. 4. Si cauſam fortè requiritis, qui ad cantandum exhortamini, huius lætitiæ & exultationis cauſa certe iuſtiſsima eſt, eo quòd beneplacitum ſit domino, & cõplacentiam bonãque voluntatem & oblectationem habeat dominus in populo ſuo, in ſeruis ſuis, in ijs qui diligunt eum, obſeruantque præcepta ipſius: * & ipſe ad declarationem beneplaciti & dilectionis ſuę, exaltare decreuit humiles atq; manſuetos populi ſui in magnificam ſalutem, imò iam exaltauit, data illis poteſtate, vt filij Dei mereantur & nominari, & eſſe, qui credũt in nomine ipſius. 5. In illa autem ſalute, cũ ad illã perducti fuerint, ibi ſancti illi cæleſtes ciues exultatione inenarrabili oblectabũtur in gloria ſempiterna: & lætitia inenarrabili, incõtaminata, incorrupta, immarceſsibili & ſempiterna gaudebũt in cæleſtibus mãſionibus (quæ multæ ſunt in domo patris) in cubilibus illis, vbi ſomno ſuauiſsimo & quiete ſempiterna potiuntur omnes beati. 6. Cantica exultationis & magnificæ laudis diuinæ erunt in ore ipſorũ, qualia in hoc tempore, in his antris exilij inq; his ignorantiæ latibulis, meditari non poteſt noſtri ingenij paruitas, & hebetudo intellectus: * dabitur quoque eis poteſtas iudiciaria, ad faciendum iudiciũ vnà cum domino, ſuper duodecim tribus Iſraël, & ad iudicandũ ſuper omnes impios, qui noluerunt obedi-

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 3.

1. Petr. 1.

Ioan. 14.

7 Ad faciendam vindictam in nationibus:
** increpationes in populis.*
8 Ad alligandos reges eorum in compedibus:
** & nobiles eorum in manicis ferreis.*

Rom.2.

1.Cor.6.

9 Vt faciant in eis iudicium conscriptum:
** gloria hæc est omnibus sanctis eius.*

Apoc.2. & 11. Matth.28.

obedire veritati quos, vt Christi coassessores & astipulatores, sententia damnationis quasi gladio ferient vtrinque scindente, nimirum corpus & animam in perditionem mittente. 7. Accipient (dico) potestatem hanc, vt faciant vindictam & iudicium in incredulis nationibus, quæ veritati noluerunt obedire, obedierunt autem iniquitati: * vtq; in populos eiusmodi incredulos exerceant sententiam increpationis & cõdemnationis, vnà cum Christo venturo iudice. 8. Vt reges illorũ incredulorum, nempe principes tenebrarum, rectores mundi huius, atque etiam alios tyrannos ministros illorũ alligent compedibus sempiternæ condemnationis: & nobiles atque inclytos eorum, tyrannos, reges, duces atque præfectos terrarum alligent vinculis ferreis, vinculis indissolubilibus mortis æternæ, quæ in æternum, solui nõ valeant, & quibus eis in sempiternum manus erunt colligatæ, id est, potestas omnis erit ablata, qua pollere in mũdo videbãtur. Manifestum est enim quoniam sancti etiã angelos malos iudicabunt, & quòd in eis, & per eos iudicabitur mundus. 9. Data est autẽ sanctis & fidelibus iudiciaria hęc potestas, ad hoc vt in prauos dæmones atq; incredulos homines exerceãt simul cũ Christo, ad maiorem damnandorum cõfusionem, iudicium illud condemnationis, quod est in libro diuinę pręscientiæ descriptum, ad quod conformiter ipsi ferẽt iudicium, vt assessores & approbatores latæ per illum sententiæ, cui se in iudicando sancti omnes conformabunt: * est autẽ hęc gloriosa potestas danda, & data omnibus fidelibus seruis eius, qui nunc illi fideliter seruierint. Qui enim vicerit, & custodit vsq; in finem opera tua, magnificentissime Deus, dabitur illi potestas super gẽtes, & reget eas in virga ferrea, quomodo & ipse filius tuus Iesus Christus à te accepit, tanquam primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ omnium in cælo & in terra potestatem, qui tecum & cum spiritu sancto vnus Deus regnat per æterna sæcula. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CXLIX.

VErsu 1. Laus eius in ecclesia sanctorũ. Duobus modis hoc exponitur, vel (vt in Elucidatione indicatũ est) laus Dei vera & accepta est in congregatione iustorũ, à sanctis & fidelibus vult Deus laudari: quomodo in alio psalmo dicitur, Rectos decet laudatio. & psalmo proxime pręcedẽti, Hymnus omnibus sanctis eius. Vel sic intellige, Præcipua laudis materia est in vel de ecclesia fideliũ. id est, de ijs quę fecit in ecclesia sancta, quę nimirũ in ea, & pro ea vel iã operatus est, vel adhuc operari decreuit in futuris generationibus vsque ad cõsummationẽ sæculi. Neq; enim tantã præbet diuinæ laudis materiã, cęli & terrę, & omniũ quę sunt in eis potẽtissima creatio, quantã benignissima, & suauissima erga humani generis reparationẽ curatio, & erga electorum salutẽ dulcissima prędestinatio, eorumq; in venturo sæculo post paululum reuelanda glorificatio. Ac de his prolixe simul atq; dilucide hic psalmus tractat, cùm dicit, beneplacitũ esse domino in populo suo, mãsuetos exaltãdos in salutẽ, sanctos exaltaturos in gloria, & gladios habituros in manibus, ad faciendum iudiciũ, &c. quę sequuntur ad finẽ vsq; psalmi. ¶ Versu 2. Et filiæ Siõ exultẽt in rege suo. In Græco est hiloi, id est, filij, genere ma. nõ filiæ: similiter in Hebræo per genus masculinũ habetur, filij Siõ, quomodo vertit etiã Hieron. Dicunt quoq; ita habere psalterium Romanum. Verum sententia eadem est, siue filij Sion, siue filiæ Sion legamus. Intelligũtur enim ciues & inhabitatores ecclesiæ, siue qui in ea sunt geniti. Alibi verò ijdem filiæ Iudę appellantur. vt psal. 47. Lætetur mõs Sion, & exultent filiæ Iudæ propter iudicia tua dñe. Interdũ etiã singulari numero totus populus qui in ecclesia est, filia Siõ appellatur: vt apud prophetã, Dicite filię Sion, ecce rex tuus venit tibi &c. Et iterũ, Noli timere filia Sion. Quemadmodum per contrarium, totus populus Babylonis appellatur filia Babylonis: cùm in psalmo 136. dicitur: Filia Babylonis misera. In numero autẽ plurali, filij huius mundi vel huius sæculi nominantur, qui ad sæculum istud mundi huius pertinẽt. ¶ Versu 4. Quia beneplacitum est domino in populo suo. O vox nimium suauis, dulcior faucibus nostris super mel & fauum, super mel dulcis gutturi nostro, auribus nostris amabilior & desiderabilior omnibus quæ audiri possint. Ecce enim hæc ipsa vox de nobis in psalmo nũc sonat in ore prophetę, quam in sancto Euangelio, pater in cælis de nube super filiũ protulit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, in quo mihi est cõplacitum, In quo, inquit, ille de nube resonãs, mihi cõplacui. In quo mihi est beneplacitũ. Et nũc, quid de nobis hic propheta loquitur, Beneplacitũ (inquit) est domino in populo suo. Ergo nõ in solo illo filio, qui per colũbę descẽsum naturalis & cõsubstãtialis fuit demõstratus, Deo patri est beneplacitũ, verumetiã in nobis, in omni populo suo. Sed vigilãter attendendũ est, q̃ nõ dicitur, Beneplacitũ est domino in omni populo, sed eũ restrictione loquẽdo in populo suo, tantũ ait Deo esse beneplacitum. Atq; ita cõsimili obseruatione, etiam angelum Matthæus in suo euangelio refert loquentem, cùm nomen dulcissimum Iesu patri Ioseph exponens, diceret, Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Populum (inquit) non quemlibet, sed populum suum. Qui autem sint de populo eius, statim inueniemus, si ad partem subsequentem procedamus. Subiungitur enim, Et exaltauit mansuetos in salutem. Sunt ergo mansueti populus eius, in quo est ei beneplacitum. Et si requiras, quosnam verè debeamus appellare mansuetos, audi quod per prophetam dicit dominus;

Psal. 32. Psal. 148.

Matth.12. Esa.62. Ioan.12.

Matth.3. Lucæ 3.

Matth.1.

Ad

Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & cõtritum spiritu & trementem sermones meos? Hi enim sunt, quos hic mansuetos dicimus: hi sunt qui de populo domini cõputantur suo tempore exaltandi in salutem. Cæterum, exacerbatores illi eloquiorũ Dei, qui nõ acquiescunt veritati, credunt autẽ iniquitati, qui verba Dei nõ cum debita reuerentia & obedientia suscipiũt in corde bono, sub odio Dei sunt, nunquã exaltandi in salutem, sed reprobandi suo tempore in damnationem: quę distinctio pulchrè etiam in alio loco à Propheta indicata est, his verbis, Suscipiens mansuetos dominus, humilians autem peccatores vsque ad terrã. Cæterum quod in quibusdã codicibus per tempus præteritũ legitur, exaltauit, melius legitur per futurum, exaltabit, quomodo in Græco ὑψώσει, item & in Hebræo, & quomodo habent emendatiores Latini codices. ¶ Versu. 5. Exultabunt sancti in gloria, &c. Omnia ista ad finẽ vsque Psalmi, nos de gloria & exaltatione sanctorũ in futuro sæculo, in Elucidatione sumus interpretati: quam interpretationẽ ipsa Psalmi verba, si diligẽter considerẽtur, manifestè monstrabunt. Possunt tamen fidelibus in militante Ecclesia non omnino male accõmodari, qui etiam in hoc mũdo exaltantur in salutẽ, quãdo Dei gratia à diaboli potestate eximũtur, & salui fiunt à peccatis suis, quomodo in Psal. 26. glorians dicit victor, In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meũ super inimicos meos. Exultant ijdem nunc in gloria & honore, quo affecti sunt à Deo, in gloria adoptionis filiorum Dei: quẽadmodum Apostolus ait, Gloriamur in spe filiorum Dei. Insuper lætatur in cubilibus suis. i. in cordibus & conscientijs suis, dum testimoniũ perhibet in cordibus eorũ spiritus Dei, q̃ filij sint altissimi, & gloria eorũ est testimonium conscientię ipsorũ. Ita dum gloriantur in sua conscientia, quasi in cubilibus lętantur. Est enim vnicuiq; pro cubili, sua tuta cõscientia, in qua molliter requiescit, bonũ est testimoniũ quasi pro lectulo habẽs. Qua etiam ratione apud Sapientẽ dicitur, Secura mens, quasi iuge conuiuiũ. Quomodo autem exultationes Dei sint in gutture sanctorum hic etiã in peregrinatione degentiũ, manifestè indicat, qui dicit, Cantabiles mihi erant, vel (vt in Hebræo legitur) Cantica mihi erat iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Et alius quidam, Viuens viuens ipse cõfitebitur tibi sicut & ego hodie: pater filijs notã faciet veritatem tuam. Domine saluũ me fac, & Psalmos nostros cãtabimus cũctis diebus vitæ nostræ in domo domini. Gladios autem ancipites in manibus fidelium, appellabimus eadẽ illa veritatis ac Euangelicæ doctrinæ eloquia, quæ alibi sagittæ acutæ appellãtur, & sagittæ potẽtis acutæ. Sed & Paulus aperte verbũ Dei gladiũ appellat cũ Ephesiis scribit, Accipite gladiũ spiritus, quod est verbũ Dei. Ac rursum Hebræis, Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingẽs ad diuisionẽ animę ac spiritus, &c. Hos gladios ancipites habent in manibus sancti, vt in eis pugnent ac dimicent cõtra eos aduersarios, quemadmodum materialem gladiũ in manibus tenẽs, hoc facit, vt defendat se atque etiã impugnet & feriat hostes. Tenent (inquã) hos gladios sancti in manibus, ad faciendã vindictam in nationibus, & increpationes in populis. Ad alligandos reges eorũ in cõpedibus, & nobiles eorũ in manicis ferreis, hoc est, ad subigendas sibi incredulas nationes, ad expugnãdas & deuincendas aereas potestates, potentes quoque & sapientes sæculi superandos, & populos ad veritatem fidei de manibus eorũ eripiendos. Quod in alio Psalmo per cõparationem sagittarum ita dicitur, Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorũ regis. Et Paulus Apostolus, de hac sanctorũ victoria aperte scribit, cum ait, Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei, ad destructionem munitionũ, consilia destruentes, & omnẽ altitudinem extollentẽ se aduersus scientia Dei, & in captiuitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in prõptu habentes vlcisci omnem inobedientiam. Hoc autem est iudicium conscriptum, hæc vltio est, quã ab æterno proposuit facere per filium suum atque eius discipulos Deus, cõtra principem mundi huius: hæc est illa vltio, de qua trina repliçatione gloriatur Ecclesia, cũ ait, Omnes gentes circuierũt me, & in nomine domini, quia vltus sum in eos. Circundãtes circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine domini, quia vltus sum in eos. Hoc illud est iudicium, de quo alibi dicitur, Iudicabit dominus populum suum, & in seruis consolabitur siue deprecabitur. Et in Euan. dominus. Nunc iudiciũ est mundi. Iam princeps huius eiicietur foras. Et postremo hæc omnium sanctorum cõmunis gloria, quòd absq; humana potentia, absque humana sapientia, sola Dei virtute, ita potentes sint ad perdendum sapientiam sapientum, & reprobandum prudentium prudentiam: atque deuincendum & subigendum omnem mundi potentiã: & talia profectò sunt hæc omnia, pro quibus merito debeat cantari canticũ nouũ, in quibus lætari debeant verus Israël & filij Sion, quomodo in alio Psal. dicitur, Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ propter iudicia tua domine. Digna profecto sunt, ob quæ debeamus illi in choris, tympanis atq; psalterijs canere, quõ nos iste modò Psalmus exhortatur, Sunt sanè iudicia patentissima certissimaque testimonia, q̃ beneplacitum sit domino in populo suo. hi effectus sunt magnificæ exultationis, qua suos electos etiã in præsenti sæculo Deus exaltat, faciens illos mundũ vincere, & semper in omni loco triumphare in Christo Iesu filio suo. Hæc autẽ expositio, nequaquã illi præiudicat q̃ nos in Elucidatione de gloria & fœlicitate superna dedimus, imò potius ordinatur vna ad alteram: quemadmodum illa quæ in hoc tepore est electorũ exaltatio, illius post venturæ glorificationis quoddam est prænuncium. Cæterum, q̃ quidam hæc de temporali fœlicitate conantur exponere Iudæorum, post captiuitatem Babylonica pristinam gloriam aliqua ex parte recuperantium, intelligentes gladios materiales & temporales victorias atque vltiones, & iudicium conscriptum intelligentes iudicium quod in lib. Moysi promissum fuit filijs Israël à suis iniquitatibus ad Deum se conuertẽtibus, quo videlicet promissa illis erat vltio de inimicis, si ab iniquitatibus se cõuerterent ad seruiendum domino, quemadmodũ ecõtrario à Deo recedentibus promissa fuerat captiuitas & subiectio: hæc (inquã) expositio, vt nimium Iudaica & crassa, nobis digna visa non est qua prosequeremur.

Esaiæ. 66.

Rom. 2.

Psal. 146.

Rom. 5. Rom. 8. 2.Cor. 1.

Prou. 15. Psal. 118.

Esaiæ. 38.

Psal. 44. Psal. 119. Ephe. 6. Hebr. 4.

Psal. 44. 1.Cor. 10.

Psal. 117. Psal. 131. Deut. 32. Ioan. 12.

1.Cor. 1. Esaiæ. 29. Psal. 47.

2.Cor. 2.

Deut. 32.

CL. PALMI ARGVMENTVM.

Vasi in ebrietate spiritus raptus Propheta considerans nullum esse laudis diuinæ modum neque terminũ, ipsum in sanctis & in firmamento fortitudinis in medio angelicorum exercituum gloriosè residentem & inhabitantem iubet, adhibitis omnis generis musicis instrumentis, pro possibilitate modi humani quibuscunque fieri possit mediis collaudari, vt quod agnoscit neque corde, neq; ore plene impleri posse, ad id etiam exteriora corporis membra, quantum possint, adiuuent.

CL. PSALMI ELVCIDATIO.

1 *Laudate dominum in sanctis eius:*

**laudate eum in firmamento virtutis eius.*

Sapien.12. Lucæ.1. Gene.18. 2 *Laudate eum in virtutibus eius:* * *laudate eum secundum multitudinẽ magnitudinis eius.*

3 *Laudate eum in sono tubæ, laudate eũ in psalterio & cithara.*

4 *Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo.*

5 *Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eũ in cymbalis iubilationis:*

* *omnis spiritus laudet dominum.*

LAudate dominum in sanctis eius, in quibus tam mirabilem se ac glorioſum in potentia, & ſapientia & bonitate demonſtrauit, dum ipſos ad ſuã imaginem creauit, vt diuinæ capaces eſſent naturę, dum illos à peccatis ſaluauit, à morte redemit, dũ ex filijs iræ filios Dei cõſtituit, nunc eos gratia iuſtificãs, ſalute autẽ æterna eos glorificare in ſæculo venturo diſponens: laudate quoq; eũ in firmamento fortitudinis ſuæ, in cæleſti palatio, mãſione fortiſſima, & firmiſsimo habitaculo ſuo, in quo cum ſanctis omnibus ſine fine regnat & gloriatur. Laudate eũ in potentatibus, fortitudinibus ſiue potẽtijs ac virtutibus eius, id eſt, in ſua maxima & infinita omnipotentia, cui ſubeſt cũ voluerit poſſe, & cui pœnitus nihil impoſsibile eſt, imò neq; difficile: * laudate eũ iuxta magnitudinem immenſæ omnipotentiæ & infinitæ virtutis eius, hoc eſt, laudate quãtum poteſtis, & quantũ prę ualebitis, quia propter immẽſam gloriã eius digne ſatis nunquã laudari poterit. 3. Et quia neque corde neque ore ad laudandũ ſufficitis, vt etiã manus & mẽbra cætera atteſtari valeãt perfectę laudis (ad quã non ſufficitis) deſiderium & bonã voluntatẽ, adhibete, & aſſumite etiã exteriora quęlibet inſtrumenta muſicæ harmonię, in quibus laudes illi decãtetis, videlicet in tubarũ clangoribus perſonãtes, & buccinis cõcrepãtes, in pſalterijs quoq; & citharis ſuauę edentes melodiã. 4. Adhibete tympana, & perſonate in eis, choros facientes, ad pariter collaudãdum dominum: in inſtrumentis quoque chordarum, & in organis laudes illi decãtate. 5. Collaudate eum in cymbalis bene reſonãtibus, laudate eum in cymbalis dulci ſono bene tinniẽtibus, & hoc ſuaui tinnitu veluti iubilantibus: * Quid plura ego dicam? Quam inuitabo vltra creaturam? quem adhuc laudis modum exprimam? Ecce per ſingula percurrens deficio, nec inuenio quid vltra cõmemoré. Generali proinde exhortatione cõcludens, omne quod ſpiritum habet vitæ, & omne quod ſubſiſtit creatum, ab ipſo, inuito in laudem eius quẽ pro ſuæ magnitudinis præcellentia conſtat digne ſatis nunquam laudari, neque glorificari poſſe, qui eſt ſolus ſuper omnes laude ſempiterna laudabilis Deus trinus eſt vnus in omnia ſæcula benedictus. Amen.

ANNOTATIONES IN PSALMVM CL.

PSalmorum liber, conuenientiſsimum maximeq; decentem finem accipit hoc vltimo Pſalmo vtique deuotionis iubilo pleniſsimo. Cum enim totus Pſalmorum liber hoc præcipue ſpectet vt ad laudem Dei homines adhortetur, partim ex ijs quę in ipſo ſunt perfectionibus, partim ex conſideratione mirabilium eius operum, & prouidiſsima benigniſsimaque eius erga humanum genus diſpenſatione, quo ad electorum ſalutem cuncta diſponit diſpoſuitque ab initio, decens fuit, vt tali aliquo Pſalmo claudereturliber, qui nihil eſſet, niſi laudis excitatio: cuiuſmodi proculdubio hic eſt, ſi eſt vllus. Nihil enim aliud eſſe videtur quàm purum halleluia. i. mera laudis exhortatio: cum nihil aliud proponat, quam hallelu, hallelu, id eſt, laudate, laudate. Eſt autem in hoc Pſalmo quaſi defectio laudantis, cũ præ magnitudine, tam multis, tãque frequentibus & feruentibus exhortationibus propoſitis, veluti fatigatus iam deficit inuitator, & quaſi deficiens laudi imponit terminum: cum poſt toties repetitũ, & in prioribus duobus Pſalmis, & in hoc nouiſsimo, laudate, cãtate, talem ponit totius ſuæ exhortationis clauſulã: Omnis ſpiritus laudet dominũ: hoc eſt, omne quod ſpirat, omne quod vitã habet, laudet dominũ: ſub hoc quod particulariter dictũ videtur, intelligẽdo vniuerſaliter, omne quod vitam & eſſe habet. Nam Deo viuunt omnia, in quo (vt ait Ioannes) vita erat quicquid factum eſt. Cæterum, quantum ad inſtrumenta quæ hic plura explicantur, in quibus iubemur laudare dominum, nota quòd ea omnia ſecundum myſticas intelligentias moraliter exponi poſſunt, quemadmodum ante nos plures qui in Pſalmis laborarũt, diligẽter explicarunt, apud quod facile erit iſta requirentibus inuenire. Nos tamẽ nihil illorum, attigimus, neque arbitramur Prophetã illa principaliter ſpectaſſe, tametſi pie & deuote contemplantibus ita expoſita ſint: ſed ex ſpiritus ebrietate & plenitudine deuotionis, ex nimia inflammatione cordis geſtientes magnifice celebrare dominum, putamus omnia

Ioan.1.

A omnia hæc muſica inſtrumẽta hîc nominari: vt hoc modo ſignificaretur, dignũ eſſe Deus noſter qui in omnibus muſicis inſtrumentis, quibuſcunque modis fieri poſsit, collaudetur & celebretur, quèad modum in Pſal. 148. à rationali creatura omnis inuitabatur ad Dei laudem, etiam irrationalis, etiam inſenſibilis, etiã inanimata creatura, vt ſic tali inuitatione proteſtaretur laudãs, ſolum ſe nõ ſufficere ad digne laudandum tã laudabilem dominũ. Qui enim auxilium poſtulat ad rem aliquã perficiẽdam, hoc ipſo monſtrat ſe non eſſe per ſe ſolum ſufficientem ad rem eiuſmodi, vt dignum eſt, peragendã. Alioqui, quid opus fuerit alienum inuocare auxilium, ſi tu ſolus tuo ſufficis, quod quæris trãſigendo negotio? Verſu. 1. Laudate dominum in ſanctis eius. In Græco atque in Latino, ambiguũ eſt genus, vt intelligi poſsit, in hominibus vel angelis ſanctis, genere maſculino: vel in ſanctis, genere neutro. i. in cæleſtibus, quomodo in Pſal. 133. dicitur, In noctibus extollite manus veſtras in ſancta. i. ad cælos, qui (ratione inhabitãtium ſanctificatorum) peculiariter aliquando ſancta appellantur, quomodo etiam Paulus Apoſtolus Chriſtum dicit per proprium ſanguinẽ ſemel introiiſſe in ſancta, æterna redẽptione inuẽta, proculdubio cælos ſignificare volens & manſionẽ beatorum, quæ ſunt vera ſancta. Similis ambiguitas eſt in verſu vltimo Pſal. 67. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, &c. Nos in Elucidatione expoſuimus per genus maſculinum, in hominibus ſanctis ſiue fidelibus eius, quomodo etiam beatus pater Aug. interpretatur, vt quomodo etiam alterum illum locum Pſalm. 67. ſumus loco ſuo interpretati. Hebr. 9.

B Quod autem in ſecunda parte dicitur, In firmamẽto virtutis eius, nos expoſuimus de cæleſti habitaculo, accipientes videlicet firmamẽtum virtutis, pro cæleſti habitaculo, quod Paulus appellat tabernaculum nõ manu factum. i. non huius creationis. i. quod non eſt factum manu vel ſapientia hominum artificum, ſed potentia virtutis Dei: propter quod, ſpecialiter firmamentum appellatur virtutis eius. Atq; huic interpretationi bene cõuenit quod Felix vertit. In firmamento fortitudinis eius: item quod alij vertunt, In expanſo virtutis vel fortitudinis eius. hoc eſt, in cælo quod ſecundum virtutem ſuã expandit ſibi, quomodo dicimus tendere tabernaculum. Vel intelligi poſſet firmamentum virtutis Dei, eo q; ibi ſpecialiter reluceat Dei potẽtia, nimirũ circundantibus illic miniſtris mille milibus, qui miniſtrant ei, & decies centenis milibus qui ei aſsiſtunt. Alij verò ſic intelligunt, In firmamento virtutis eius, id eſt in virtute eius, quæ eſt firmiſsima & potentiſsima, vt firmamentũ accipiatur quaſi pro firmitate vel fortitudine vel ſtabilitate, quomodo in alio Pſalmo diximus, Non eſt firmamentum in plaga eorum. i. non fortitudo, non eſt duratio & ſtabilitas in plaga impiorum, vt ſit ſenſus, Non eſt impij in hoc ſæculo grauis plaga, aut diu durans, aut multum grauans afflictio, quemadmodum ſuo loco expoſitum eſt. Atque huic expoſitioni non omnino diſſonat quod vertit ex Hebræo Hieronymus, Laudate eum in fortitudine potentiæ eius: & quod dixit Felix verti poſſe, In extenſione virtutis eius: vel (vt alij) In extenſa aut forti virtute eius. ¶ Verſu. 2. Laudate eum in virtutibus eius. Ibidem. Danie.7. Pſal.72.

C Ne mireris, ſi virtutes (quod hactenus fere vbique interpretati ſumus exercitus) iam aliter interpretemur, nempe fortitudines. Nam in alijs locis, vbicunque virtutes interpretati ſumus exercitus, vt domine Deus virtutum (quod frequenter in Pſalmis ponitur) Non egredieris Deus in virtutibus noſtris, ac in alijs huiuſmodi locis: vbicunque (inquam) ſic ſumus interpretati, ſi Hebræam lectionem inſpicias, inuenies haberi illic ſabaoth, quod ſignificat exercitus, in numero plurali, Item ſi Græca inſpicias, inuenies δυνάμεων, quod frequentiſsime pro exercitibus ponitur, eo quòd in exercitu ſit virtus belli. Hoc autem loco, neque Hebræa ſabaoth, neque Græca dynameon ſed in Hebræo eſt geburoth, numero plurali, quod robora, fortitudines, virtutes, vires, potentias, vel potentatus ſignificat. In Græco autem eſt δυναστείαις, quod potentatus ſignificat, vel prævalentes fortitudines. Quæ ambæ dictiones, tam Græca quàm Hebræa, ponuntur eodem ſn Pſalmo. 91. vbi nos habemus, Si autem in potentatibus octoginta anni, quod illic diximus ab alijs legi, In robuſticitatibus, vel in prævalentibus fortitudinibus. Hoc ergo conſilio cognoſcito, nos hic virtutes diuerſo modo quàm hactenus expoſuiſſe. Vnde & Hieronymus ex Hebræo hic vertit, In fortitudinibus, nõ (vt ſolet) in exercitibus. Et Felix multiplicé ponit verſionem, In virtutibus, potentijs, fortitudinibus, poteſtatibus, potentatibus. ¶ Verſu vltimo, Laudate eum in cymbalis iubilationis. Tinnitus hîc vocatur iubilatio, quembus. Pſal.58. Pſal.79. Pſal.59.

D admodũ exprimit lectio Pſalterij Romani, quod hoc loco habet, In cymbalis bene tinnientibus. Vnde ca. 13. Epiſtolæ prioris ad Corinthios, vbi nos habemus, Factus ſum velut æs ſonãs aut cymbalum tinniens, in Græco eſt ἀλαλάζων id eſt, iubilans, quemadmodum ἀλαλαγμὸς, iubilationem ſignificat. Vnde ſicut illic rectè verſum eſt cymbalum tinniens pro iubilans: ita hic pro cymbalis iubilationis, legi rectè poterat, cymbalis tinnitus vel tinnientibus, id eſt, bene ſonoris. Quod autẽ ſequitur. Omnis ſpiritus laudet dominum, nõ ſolum huius Pſalmi, ſed totius libri Pſalmorũ eſt egregia & congrua clauſula. Et poſt omnia ſubiungitur, halleluia, quod caput eſt & finis totius libri Pſalmorum, qui ſemper & vbique non aliud clamat quàm halleluia, nihil nobis aliud loquitur, q̃ laudate Deum. Quæ exhortatio vtinam ſic modo capiat in cordibus noſtris, vtinam ſic tota poſsideat noſtra pectora, vtinã tam lingua quàm vita ita ſeſe nunc exerat, vt cum beatis ſupernis ciuibus perpetuum illud & indeficiens halleluia olim cantare mereamur in conſpectu Dei & agni, qui cum ſuo conſubſtantiali patre & ſpiritu ſancto viuit ac regnat in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIT EXPLANATIO LIBRI PSALMORVM.

DEO LAVS ET GLORIA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ELVCIDATIO IN CANTICA FERIALIA QVÆ EX CONSVETVDINE ECCLESIASTICA per ferias decantantur in horis canonicis.

ARGVMENTVM IN CANTICVM Esaiæ, cuius initium est, Confitebor tibi domine.

CAnticum istud scribit Esaias capite suæ Prophetiæ duodecimo. In quo Propheta loquens sub persona totius Ecclesiæ Christi, gratias agit de salute per Christum in plenitudine tẽporis allata, & ablata ira, quæ ab exordio, propter primam præuaricationem, vsque ad tempus illud gratiæ humanum genus præcesserat: ac deinde fœlicitatem temporis huius quod est sub noua lege commemorat, & fideles omnes horum beneficiorũ factos participes ad laudem Dei & prædicationem mirabilium eius inuitat.

ELVCIDATIO IN CANTICVM ESAIAE.

1 *Confitebor tibi domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus & consolatus es me.* Psal.84.

2 *Ecce Deus saluator meus:* Galat.4. Matth.1. Psal.73. Psal.117. Rom.8.
* *fiducialiter agam, & non timebo.*

3 *Quia fortitudo mea & laus mea dominus:*

* *& factus es mihi in salutem.* Ioan.15. Philip.4.

4 *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris:* Ioan.1.

* *& dicetis in illa die.* Ioan.3.

5 *Confitemini domino & inuocate nomen eius.*

* *notas facite in populis adinuentiones eius:* Ioël.2. Rom.8.

* *mementote, quoniam est nomen eius.*

IE confessione laudis celebrabo, domine Deus meus quoniã cum in prioribus ætatibus à tẽpore primæ transgressionis mihi fueris iratus, iam tamen in tẽporis plenitudine cessauit illa iracũdia tua, auertisti ab ira indignationis tuæ, factus placat⁹ humano generi: & qui olim auersus à nobis fuisti per iracundiam, iam tandẽ conuersus es ad nos vultu placido per misericordiam: & in hac tua cõuersione refeciſti nos consolatione optima prius quasi desolatos & desperatos. 2. Ecce tu es ipse Deus saluator meus, tibi sic placuit, quãdo venit plenitudo tẽporis, mittere in mundũ filium tuũ ad saluandum populũ suum à peccatis eorũ: tibi placuit per filium tuũ operari salutẽ in medio terræ: * atque ob hoc bene fidenter agã, viuam absque timore, nec vltra timebo quid faciat mihi homo, & ego despiciã omnes inimicos meos. Scio enim neminẽ posse condemnare quos Deus iustificauerit, neque vllã potestatem nocere posse ei quẽ dominus saluare voluerit. Quare in Dei electione & gratia firmã habens fiduciã, nolo conturbari, nolo vltra metuere. 3. Quid enim timeã? qui dominum Deum potentissimum habeo meã fortitudinem, & meã laudem vel gloriã: qui non in propria mea virtute, nõ in proprijs viribus confido aut glorior, cum sciam me ex memetipso vel nihil esse, vel minus nihilo: sed dominus Deus ipse est fortitudo & virtus mea, in qua cõfido & glorior, sine quo vt nihil possum, ita in eo & per eum possum omnia: * & ipse factus est mihi saluator, ipse placatus humano generi factus mundi saluator, genus humanũ à captiuitate peccati, in qua detinebatur, & debito mortis quo obstringebatur, redimens ac faciens saluum. 4. In illo tempore acceptabili, in temporis plenitudine, vos qui intra Ecclesiam eritis fideles, creduturi in nomine eius, abundanter accipietis aquas cælestis gratiæ & spiritualiũ charismatũ, de plenitudine Christi saluatoris quasi de fontibus plenissimis: accipietis de plenitudine eius, qui plenus est gratiæ & veritatis, habens nõ ad mensuram spiritũ: & sic accipietis, vt tamen illius plenitudini nihil decedat: quemadmodum cum ex fontibus aquã hauris, quantumcunque hauseris, ob continuam scaturiginem, non deficit, neque diminuitur fontis aqua: * & in illa die salutis ac gratiæ, in illo tempore acceptabili, dicetis vos fideles quicunque estis credituri in nomine eius, & hæc multo maxima beneficia in Ecclesia suscepturi: dicetis (inquã) vobis inuicẽ, ad exhortandum pro gratitudine. 5. Confitemini domino ex corde fideli & animo grato, qui tanta vobis contulit bona, quæ non fecit omni nationi, neque generationibus pristinis: & confitentes ad gratiarum actionem simul etiam inuocate nomen eius fiducialiter, cum inuocate paratum adhuc maiora vobis conferre. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit: * Et quo salus hæc omnibus allata magis diuulgetur & agnoscatur, vos qui iam Deo credidistis, & agnoscitis hanc salutem, studete eam annunciare populis & gentibus, prædicantes mirabiles cogitationes & mirabilia consilia eius quæ cogitauit super genus humanum, & quibus perfecit salutem nostram: * & hoc ad memoriam reuocate, hoc recogitate, ac rememorando prædicate, quòd nomen eius qui hanc salutem est operatus, excelsum est & sublime super omne nomen. Saluatorem enim nostrum Deus exaltauit, dans illi nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genũ flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum. 6. Gaudentes cantate domino, q magnifice admodum fecerit, quod suam magnificentiam mirabiliter demonstrauerit pro reparando & saluãdo populo suo, vt eos à morte restitueret vitæ, ab ira ad gratiam, à captiuitate, ad libertatẽ, à damnatione ad gloriam: * hoc opus tam admirabilis potentiæ, sapientiæ & bonitatis, sed proclamate & annunciate in omnem terram & fines orbis terrarum. 7. Exulta, & lauda, ó beate populus qui habitas in Sion: gaudete & exultate quicunque intra sanctam Ecclesiam inhabitatis, credentes in nomine saluatoris vestri: & merito vos quidem gaudere debetis & exultare, propter illum qui habitat in medio vestri, videlicet quoniã magnus est ille sanctus Israel, dominus Deus verus saluator vester: qui habitat in medio vestri, tanquam protector, defensor, propugnator, pastor & rector in medio populi sui, sicut pater in medio familiæ & filiorũ suorũ, qui pollicitus est, vbicunque duo aut tres fuerint congregati in nomine suo, ibi se futurum in eorum medio, qui insuper pollicitus est vobiscum esse ac permanere vsque ad consummationem sæculi. Philip. 2. Matth.18. Matt.28.

6 *Cantate domino, quoniam magnifice fecit:*
* *annunciate hoc in vniuersa terra.*

7 *Exulta & lauda habitatio Sion:*
* *quia magnus in medio tui sanctus Israël.*

ANNOTATIONES IN PRAECEDENS CANTICVM.

VErsu. 1. Confitebor tibi domine, quoniã iratus es mihi, cõuersus est furor tuus. Sic intellige, si coniunctim hæ partes proferrentur, vt confessio non ad partẽ illam referatur, quoniã iratus es mihi: sed ad totum hoc, quoniam iratus es mihi, cõuersus est furor tuus, ad hũc sensum, Confitebor tibi, quoniã cum iratus olim fueris mihi, iam cõuersus est tamen furor tuus, atque cessauit, & es me cõsolatus: quo ferè loquendi modo, Paulus Romanis ait, Gratias ago Deo, q fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formã doctrinæ in qua traditi estis, hoc est, Gratias ago Deo, q cum olim fueritis serui peccati, nunc facti sitis obedientes, &c. Secundum sententiam verò pulchre ista reconciliatio & cõuersio ire Dei apud Psalmistam exprimitur, cum in Psal. 84. sic loquitur, Benedixisti domine terram tuã, auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorũ. Mitigasti omnem iram tuã, auertisti ab ira indignationis tuæ. q Versu. 3. Quia fortitudo mea & laus mea dominus. Laudẽ, potes intelligere gloriam, Dominus enim, laus & gloria nostra est, in quo solo gloriari & laudari siue lætari debemus, quomodo in Psalmo dicitur, In domino laudabitur vel gloriabitur anima mea. Potest tamen aliter intelligi dominus esse laus suorum fidelium, id est, laudis obiectum siue materia, quatenus videlicet ipse est quẽ pro suis maximis beneficijs & admirabilibus operibus laudare debent fideles. Vel laus est dominus suorũ, quatenus ipse ratio est vnde sui laudentur. Laudabilis enim populus & beatus, cuius est dominus Deus. Quemadmodum enim Salomonẽ gloriosum præ regibus alijs, rectè dicimus fuisse laudem & gloriam sui regni atque sui populi, sic Christum multo magis dicere possumus laudem populi sui. q Versu. 4. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Per fontes istos saluatoris, piè quidã intelligunt sacramẽta Ecclesiæ à Christo instituta: ex quibus hauriuntur aquæ, quatenus ex Christi institutione per ea purgantur peccata, & confertur gratia. Piè item quidam fontes istos intelligunt vulnera Saluatoris, ex quibus aquas hauritus in gaudio, quoniam ex eius passione tota nobis nostra salus processit. Psal.33.

ARGVMENTVM IN CANTICVM Ezechiæ, cuius initium est, Ego dixi in dimidio dierum meorum.

CApite 38. Esaiæ legimus, post superbum & blasphemum Sennacherib percussum per angelum domini occisis in castris eius centum octoginta quinque milibus virorum, ægrotasse Ezechiam vsque ad mortem, adq; ipsum ægrotantem missum fuisse Esaiam prophetam, qui illi diceret, Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Sed cum ille conuersa ad parietẽ facie orasset dominum, fletuq; magno fleuisset, sententiam illam fuisse reuocatam & retractam, vt diceret illi dominus per eundem Prophetam qui prius mortem sibi denunciauerat. Hæc dicit dominus Deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adijciã super dies tuos. 15. annos, &c. dans ei signum retrocessionis vmbræ solaris in horologio Achaz. Pro hoc ergo sanationis suæ beneficio, quod subsequitur canticum Ezechias cecinit quemadmodum titulus indicat his verbis, Scriptura Ezechiæ regis Iuda, cũ ægrotasset, & conualuisset de infirmitate sua. In hoc ergo cantico rememorat amaritudinem & tristitiam illam, in qua fuit, cum audisset nuncium mortis suæ (in ætate adhuc florenti) & velut in dimidio dierũ: quoniam (vt tradunt in hac re fide digni authores) annũ agebat. 39. cum de Sennacherib à Deo acciperet victoriam, quam subsequuta est ista infirmitas. Multum etiam deflet, q absque semine esset discessurus, & quòd in eo generatio Dauid esset acceptura finem deplorat, dicens, Generatio mea ablata est, &c. Dicunt enim, tunc temporis nondum illum genuisse liberos. Reliqua insuper omnia ad finem vsque per querimoniã proponuntur. Sic enim loquitur, secundum eum effectum, quo tum erat, cum esset in angustia antequam hæc conualescentia erat ex Dei voce instructus: & maxime morbi sui grauitatem exaggerat, quo Dei beneficium am-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plius extollat: pro quo, concludens pollicetur illi ad gratiarũ actionẽ, sempiternæ laudis cantica. Est autem per se euidens ac manifestißimum, secundum literã totum hoc canticum exponendum esse de Ezechia & eius infirmitate atque cõualescentia, neque in Elucidatione aliam ponemus intelligentiam. Veritamen secundum mysticum sensum, poterit etiam accõmodari illi qui similiter in spiritu fuerit affectus, vt Deo gratias agere velit pro liberatione à morbo animi, vel recogitare statum ægrotantis animæ per Deum iam sanatæ: quomodo Ezechias hic de corporali infirmitate sanatus, suam curationem ad gratiarum actionem cõmemorat. Vel etiam ad totum genus humanum per Christum sanatum, secundum mysticum sensum potest accommodari.

ELVCIDATIO CANTICI EZECHIAE.

1 *Ego dixi:*

* *in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.*

2 *Quæsiui residuũ annorum meorum:*

* *dixi non videbo dominum Deum in terra viuentium.*

3 *Non aspiciam hominem vltra:*

* *& habitatorem quietis.*

4 *Generatio mea ablata est:*

* *& conuoluta est à me quasi tabernaculum pastorum.*

5 *Præcisa est velut à texente vita mea:*

* *dum adhuc ordirer, succidit me:*

* *de mane vsque ad vesperam finies me.*

POsitus in infirmitate, vbi audissem per Esaiam Prophetam ex ore domini nuncium mortis meæ, illo dicente, Dispone domui tuę, quia morieris tu, & non viues, cum magno dolore cordis & fletu vocis, dixi ego velut coram Deo proponendo querimoniam: * ecce in medio dierum meorum secundum huius decreti nuncium cogor è viuis abscedere, iam in ætate florida ante senectutem, adhuc robore fortis, vegetus, atque robustus, præmatura morte cogor occumbere & abire è terra ista viuentium ad portas inferni, id est, ad loca mortuorum: secundum corpus quidem ad sepulchrum, secundum animam verò ad lymbum patrum maiorum meorum, qui ante me illuc descenderunt. 2. Quamobrem conuertens caput ad parietem lecturi, fletu magno postulaui, & requisiui à domino Deo meo residuum annorum meorum: postulaui vt misereretur mei, adhuc in ætate florida vigentis, quasi in medio vitæ meæ robore cõsistentis: & petij residuum annorum mihi ex Dei misericordia adijci, petij mihi adiici saltem annos aliquot vitæ meæ, & prolongari terminum: * Et dixi, conquerendo atque lamentando. Si morte iam iam cogar abscedere è terra viuentiũ, ergo non vltra dabitur mihi hic super terram videre dominum, nõ vltra potero ascendere in domum domini, vt ibi eum videam, siue visitẽ, & adorem. 3. Neque amodo aspiciam hominem vllum in hoc mundo, postquam morte (iuxta hoc quod audiui nuncium) absumptus fuero, non vltra erit cum hominibus super terram conuersatio mea, neque videbo ego illos, neque illi me, neque sciam omnino quid illi agant in terris: * neque videbo populum meum post Sennacherib percussum & contritum paci restitutum, in sua pace & quiete habitantem, populum iam secure inhabitaturum terram, absque inimicorum timore, non dabitur mihi, quod tamen vehementer optarem, si mihi posset contingere. 4. Et quod me omnium maxime cruciat, ecce generatio mea cessauit & ablata est: si moriar penitus moriar, quoniam semen nondum suscitaui, neque relinquam similem mei, qui possit mihi in regno succedere: ita ablata est mea generatio, quoniam prolem non habeo: * & quomodo tabernaculum pastorum, vbi voluerint migrare, voluitur in vnum & complicatur, quo portetur commodius, nec vltra extenditur vt antè: ita mea generatio conuoluta videtur, à me incipiendo finitur series lineæ regiæ & regij generis. à me, si iá moriar absq; liberis, quasi tabernaculum pastorum cõuoluetur generatio, quoniam in me finietur, & non extendetur amplius. Atque ita, quomodo fieri poterit, vt iuxta promissionem factam Dauidi, non deficiat de semine eius qui regnet super domum Iacob? quomodo Messias ille desideratus cunctis gentibus de Dauid nascetur, si ego absque liberis iam nunc morte absumar? 5. En vita mea in medio suo validissimo cursu subito per infirmitatem hanc abrumpitur & præciditur, vt non vltra decurrat vel progrediatur longius: quomodo subinde texens rumpit filum & frangit in cursu medio, vel quomodo ille cum voluerit subito vno impetu filum rumpit & frangit: * vix mihi videbar adhuc incœpisse viuere, & iam ego succidor, iam finitur mihi cursus vitę meę. Nam in infantia vix homo viuit vt homo, dum rationis vsum non habet: in pueritiaque & adolescentia, vix vt homo viuit, dum non sui iuris, neque ad suum arbitrium permittur viuere, & dum in multa viuit afflictione & insipientia, propter iuuentutem & inexperientiam. Mox autem vbi florere incipio in ætate perfectiori, præmatura morte hinc abripior, vix dum in flore viuere exorsus: * absumes me, & morte finies, de mane vsque ad vesperam expectantem & præstolantem, quomodo solent ægri de mane expectare vesperam, & vespere expectare mane,

6 *Sperabam vsque ad mane: * quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.*

7 *De mane vsque ad vesperam finies me.*

* *sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba.*

8 *Attennati sunt oculi mei suspiciẽtes in excelso.*

9 *Domine vim patior:*

* *responde pro me:*

* *quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?*

10 *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

11 *Domine si sic viuitur & in talibus vita spiritus mei:*

* *corripies me, & viuificabis me:*

* *ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

mane, quasi sperantes temporis mutatione aliquid sui morbi leuamentum. 6. Itaque expectabam vsque mane, si aliquid sentirem leuaminis, quod subinde solet ægrotis tempore matutino contingere: * verum morbus iste qui me ex Dei iudicio corripuit, totum me depascit, consumit, & deuorat, vsque ad ossa nihil mihi relinquit fortitudinis, omnibusque exhaurit viribus, idque in admodum modico tẽpore magno impetu, & multa violentia: quemadmodum leo deuorat prædam suam quã rapuerit, aut quæ illi tradita fuerit, absque mora magna violentia. 7. Ita me finies de mane ad vesperam vsque expectantem, & præstolantem: si sic pergas, & nisi alleues à me manum tuã, ita me absumes expectantẽ, id quod ex cõtinuo defectu, & destitutione manifeste percipio, dum me sentio de die in diem, de hora in horam, magis magisq; destitui viribus: & quo diutius præstolor, eo vicinius ad finem tẽdere: * propter quod ego ad te clamaui cum magno fletu & gemitu, sicut pullus hirũdinis cum magno, quantũ potest, vocis stridore clamitat: & meditatus sum, & excitatus loquendo & gemẽdo, sicut columba: id est ex amaro animo, & ardẽti affectu ad te clamaui, in bona fiducia, quem vnum sciebã mihi posse ferre auxilium, & præterea neminem. 8. Oculi quoque corporis mei præ nimia & continua suspectione ad cælum attenuati & debilitati sunt, cõtinuò suspicientes, & sursum dirigẽtes aspectum. Facit enim debilitari & attenuari oculos illa continua defixio visus in rem vnã, maxime cũ in superna leuantur, & defiguntur in ea quæ sursum sunt, vt eleuari eos oporteat. 9. O domine (dicebam ego) vides tu, quomodo ego vim & violẽtiam magnam patior à morbo isto, qui me sic absque cessatione cõsumit, & penitus deuorat, vt nihil relinquat in me virium: * tu pro me responde, pro me loquere, pro me age contra hunc tã rabidum leonẽ. Non enim ego video remedium, neque puto quẽquam esse hominum vel medicorũ, qui possit me saluũ facere, nisi tu solus: qui percutis, & sanas, occidis, & viuificas: * Sed quid dicam ego? Quorsum istam domino Deo propono querimoniam? Aut quid ipse mihi respõdebit? Quid ab illo expecto responsi, lutũ à figulo, à creatore creatura, cum ipsius scit omne quodpatior, cũ ipse omnia hæc fecerit, cum ex ipsius iudicio, voluntate & dispositione in hoc vitæ discrimẽ venerim? Non igitur quasi omnino cõtendens, aut quasi murmuras, ista quæ dixi propono, cũ sciam te quæcunque facis in iusto iudicio facere, & nõ obligari ad respondendum mihi; sed posse te facere quod volueris. Attamẽ in misericordia cõfidens postulo, & mea quærimonia non murmurationis aut contentionis est, sed humilis deprecationis. 10. Et quo ad me exaudiendum fias pronior, ecce volo ante oculos tuos rememorari omnia tẽpora præterita vitæ meæ, quibus vixi super terrã, idq; in amaritudine & dolore cordis mei: pro omnibus quibus te offendi malis, ne forte in me sint delicta iuuentutis aut ignorantiæ, propter quæ indignus inueniar tua exauditione, ecce volo tibi rememorari omnia tempora mea cũ amaritudine pœnitentiæ: * Item rememorabor corã te totum tempus præteritum vitæ meæ, cum dolore cordis mei totum tibi proponã ante oculos, vt consideres q̃ breue fuerit vniuersum tempus vitæ meæ, & quam plenum miserijs, & quàm in illo omni tempore vitæ meæ studuerim corã te ambulare perfectus, vt vel sic te inflecta ad adijciẽdũ tã modico æuo meo, vel pauculos annos. 11. O domine (dicebam ego in hac amaritudine positus) hęccine est vita hominis, siccine viuit homo, ad tempus tã modicum? non aliud est hominis vita, quã talis quidã velut vmbræ horarius, imò penè momentaneus transitus? & est vita spiritus mei in talibus? vita mea an consistit in tam modica & breui duratione, & tã modica voluptate, tantis cõmixta malis, tã plena ærumnis? talis est vita hominis super terrã? quam vulgo æstimãt homines magnum quid esse, nõ attendentes ad breuitatẽ durationis, & finis velocitatẽ: * O domine, tu me in tuo iudicio corripuisti, & erudis morbo isto grauissimo: sed cũ volueris, iterũ me viuificabis in tuo beneplacito, poteris me sanare qui percussisti: & hoc vt facias peto, propter misericordiam tuam: * ecce enim iam quando pacem ex tuo munere nactus fuerã, post victoriã de blasphemo Sennacherib, quando sperabam viuere in pace cum populo meo, venit mihi repente dolor alius maximus, & amarissima amaritudo, ex morbo isto qui iam quærit extorquere è corpore animam meam. Propter quod, te præcor, vt iam salutẽ mihi dedisti ab illo hoste, ita & ab hoc morbo gemi-

12 *Tu autem eruisti animam meam, vt non periret:*

* *proiecisti post tergũ tuum omnia peccata mea.*

13 *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te:*

Matth.25. * *non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.*

14 *Viuens viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie:*

Psal.44. * *pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

15 *Domine saluum me fac:* & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo domini.*

nata tua misericordia sanes. 12. Tu autem domine, qui semper ad misE serendum es pronus, atque ad exaudiendum facilis, exaudisti orationem meam, & eruisti animã meam à perditione, seruasti à morte vitam meam: & quomodo à morte spirituali me præseruasti, ita etiã à morte temporali, cum alioqui secundum naturæ cursum aduersus hoc malum nullum esset remedium: * omnia peccata mea proiecisti post tergũ tuum, dimisisti mihi omnia peccata mea, quæ in annis præteritis cõmisi: omnia delicta iuuentutis meę, & ignorãtias meas nõ attendisti, neque rememoratus fuisti, vt propterea nõ exaudires deprecantem: & omnino non attendisti ad illa vniuersa, quomodo non attẽdit homo, neque respicit ad ea quæ post tergum sunt. 13. Quoniam illi qui in inferno sunt, non dabunt tibi confessionem laudis, & mortui qui in damnatione sunt, non vllas tibi laudes dabunt, quoniam in inferno & morte non audietur vox laudis, vbi non est nisi fletus & stridor dentium, propter quod complacuit tibi dimittere peccata mea, & ea post tergum proijcere, quoniã mauis, vt inter viuentes & iustos te collaudem, quam F inter damnatos & mortuos perpetuò à tua laude sileam: * qui descendunt in lacum profundum inferni & damnationis æternæ, ipsi nõ expectabunt veritatem & fidem tuam, nihil vltrà præstolabuntur à te, non vllam habebunt spem salutis: quoniam in inferno nulla est redemptio. 14. Sed is qui viuit non solum corporis vita, verumetiam vita spiritus, talis confessione laudis dabit tibi, domine Deus, eiusmodi te laudabit, vt laudari dignus es, quemadmodum & ego hodie, adhuc viuens in corpore & anima, te pro omnibus acceptis beneficijs laudo, & sicut te laudant iusti omnes quicunque super terram: * imò parentes docebunt filios suos veritatem tuam, docebunt patres suos filios, quam sis tu verax & fidelis in omnibus verbis & operibus tuis: erunt soliciti parẽtes, etiam suos posteros in Dei cognitione instituere, vt discant & ipsi laudare dominum, quoniam bonus, quoniã in sæculum misericordia eius. 15. O domine, concludens propono postulationem meam, postulans saluus fieri, & secundum corpus ab infirmitate hac humana opera & arte incurabili, & secundum animam ab omni peccati periculo: * & nos in gratiarum actionem, tum pro hoc beneficio, tum pro omniG bus alijs, cantabimus cãtica laudis, in domo tua, in templo sancto tuo, & in sancto populo tuo, cunctis diebus quibus viuemus super terram, perpetuum exhibebimus tibi famulatum, & in sempiternum seruiemus tibi.

ARGVMENTVM IN CANTICVM
Annæ matris Samuëlis

1.Reg.1. ANna Samuëlis mater, cum diu fuisset sterilis, atque ob sterilitatem vehementer illi fuisset molesta æmula Fenenna, & ipsa vxor existens Helchanæ, ita vt etiam exprobraret illi, quòd dominus conclusisset vuluam eius, contristata super sterilitatis opprobrio, & impudenti exprobatione æmulæ, coram domino in Silo in amaritudine animi sui effundens orationem, votumque faciens à domino exaudita est, concepitque & peperit filium Samuëlem: quem (iuxta promissum) vbi fuisset ablactatus, obtulit domino: ac deinde concepit & peperit tres filios & filias: vt non solum esset ab ea ablatum sterilitatis opprobrium, id quod vnica H prole sufficienter poterat fieri, verumetiam fœcunditatis gaudium illi daretur multiplicatum pro afflictione quam tulerat. Videns itaque Anna, fecisse secum dominum misericordiam, in data sibi fœcunditate, cecinit domino gratulatorium hoc canticum: in quo sibi factam à Deo misericordiam gaudiosè commemorat, & pro ablato opprobrio gloriatur in Deo, ac gratias agit, Deo soli opus illud ascribens, cuius sanctitatem & fortitudinem prædicat, in quo solo dicit gloriandum, cum ipse solus omnia possit pro suo arbitrio commutare: vt fortes reddat infirmos, atque econtrario infirmos fortes: victos victores, atque econtrario victores victos: pauperes diuites, atque econtrario: humiles excelsos, atque econtrario: steriles fœcundas, atque econtrario, & ita in cæteris eiusmodi: in quibus magnifice Dei omnipotentia commonstratur eadem illa qua terræ fundamenta posuit. Nouissime verò singularem Dei erga electos curam describit, & contra impios iram, cum cum dicit seruare pedes sanctorum, & impios in tenebris concludi, vt ibi confusi conticescant, & formidini eum fore impiis, quando super illos de cælis tonabit in terrore suo, Vltimo tandem versu Christi aduentum apertè satis designans ipsi dicit à patre dandum imperium, vt pro sanctis suis faciat iustum iudicium. Quanquã autem singuli pene versus mystice exponi possint, referendo omnia ad ecclesiam gentium, cuius Anna typum gessit, vt Fenenna veteris synagogæ: nos tamen in Elucidatione simpliciter canticum istud ad literam, Annæ gratulationi, & gratiarum actioni accommodamus. Erit enim per quam facile hunc intellectum capientibus, ecclesiæ gentium omnia suo modo applicare.

ANNO-

1 *Exultauit cor meum in domino:* & exaltatum est cor meum in Deo meo.*

2 *Dilatatũ est os meum super inimicos meos:*
* *quia lætata sum in salutari tuo.*

3 *Non est sanctus vt* B *est dominus:*

* *neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.*

4 *Nolite multiplicare loqui sublimia glorianC tes,*

5 *Recedant vetera de ore vestro:*

* *quia Deus scientiarum dominus:*
* *& ipsi præparantur cogitationes.*

6 *Arcus fortium superatus est.*

D * *& infirmi accincti sunt robore.*

7 *Repleti prius pro panibus se locauerunt:*

* *& famelici saturati sunt.*

8 *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.*

SOr meum & spiritus meus præ gaudio gestiuit, & exultauit in domino, qui fecit mihi magna secundũ magnã misericordiam suam: * & cornu meum sublimatũ est in Deo meo: exaltata sum ego, & magnificata vehementer atque glorificata, & sic exaltata sunt cornua mea per deum authorem salutis meæ, qui mihi exaltauit cornua, sicut econtrario hostium meorũ cornua confregit. 2. Tanta autem bona conferendo, Deus mihi quasi ós aperuit, & late aperuit, ad gloriandum super & contra inimicos meos, vt audacter loqui iam possim, & gloriari contra eos qui me prius deridebant, atque etiam super illos, & præ illis: * quoniam lætificaueris me saluta-e domini Dei mei, quoniam Deus saluator meus tali me affecit lætitia, vt meritò possim super meos inimicos confusos lætari & gloriari. 3. In veritate hoc sentio, & prædico, quod & expertus loquor, neminem esse vel in cælo vel in terra, vel vbicunque tandem locorum, qui sit comparandus domino Deo nostro in sanctitate, qui sic vt dominus noster sit fidelis & sanctus in omnibus verbis & operib* suis, qui sic firmus & verax, certus & fidelis sit in cunctis promissis suis, & Psal.144. in adiuuando semper omnes in se sperantes: * nam præter te, domine Deus, alius nõ est ita sanctus & fidelis, & non est quisquam ita fortis & potens, sicut dominus Deus noster: cuius fortitudo omnẽ excellit fortitudinem, cui vni subest cum voluerit posse, qui omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, denique Sapien.12. cui nihil est neque impossibile, neque difficile. 4. Ac proinde caueant Psal.113. sibi homines, ne multa garriant, & superbe loquantur in elatione cor- Gene.18. dis sui, gloriando vane in ijs quæ sibi Deus dederit, in despectũ & con- Lucæ 1. temptum proximorum: caueant à multiplicatione verborũ iactantiæ, quibus eloquantur superba atque tumentia, inaniter gloriando propter ea quæ à Deo fortè donari sibi contigerit. Nam superbã hanc gloriationem meritò debet compescere consideratio fortitudinis & omnipotentia Dei, cui facile est donare ei qui non habet id propter quod despicitur vel auferre ei qui habet id in quo extollitur. 5. Vetera illa vanæ gloriationis & superbiæ verba recedant de ore vestro, ô illusores & contemptores mei: qui me olim quasi sterilem spernebatis, & tanquam infœcundæ insultabatis, cessate à verbis superbiæ & tumentis gloriationis: * quoniam Deus est dominus scientiarum, qui omnia nouit, quem nihil latet, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia: * & Hebr.4. ipsi præparantur cogitationes, hoc est, ab eo præparantur cogitationes, ipse præparat cogitationes, ipse se parat ad agendum quæcunque cogitauerit, non aspicit quid nos iactemus gloriando, sed quæ sibi videntur bona facit, & frequenter longe alia quàm hominis cogitatio comprehendat. Insuper & cogitationes nostræ omnes illi præparatur, cogitationes hominum omnes coram eo sunt, ipsique denudatæ, vt nulla illum possit latere. 6. Facit ipse, cum sibi visum fuerit, commutationes admodum mirabiles, efficiens nõ rarò, vt fortes confidentes in arcubus, sagittis, hastis & armis bellicis, superentur: ita vt illis nihil prodesse possint arma bellica, in quibus confidebant, & tumebant, quasi inuicti & insuperabiles: * contrà verò illi qui imbecilles viribus & impotentes virtute reputabantur, vt induantur fortitudine, fortes fiant, Dei auxilio confortati in prælio, vt etiam aduersarios suos prius sibi formidabiles, & se prius multo fortiores passim superare. 7. Item facit non raro, vt illi qui antè saturi erant, pleni & abundantes omnibus bonis, postmodum ad summam deueniant egestatem, adeò vt cogantur seipsos locare, & suam operam quasi vendere pro necessario simplici pabulo, vt ad mercedem seruire cogantur, ad acquirendum victui necessaria: * illi verò qui prius multum indigentes fuerant, etiam rerum necessariarum, victus scilicet & vestitus penuriam magnam patientes, postmodum admirabili commutatione acquisierunt eorum, quibus antè indiguerant, abundantiam, & saturati sunt boni. 8. Denique & hoc non rarò contingit, vt illa quæ prius vt sterilis & infœcunda despiciebatur, tandem ex Dei munere fiat admodum fœcunda, & pariat plurimos filios vbi illa quæ prius multis prolibus ornata erat, & admodum fœcunda, humiliatur vel

parere

9 *Dominus mortificat & viuificat:*
* *deducit ad inferos & reducit.*

10 *Dominus pauperē facit, & ditat:* humiliat, & subleuat.*

11 *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem:*

* *vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.*

12 *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.*

13 *Pedes sanctorum suorum seruabit:*
* *& impij in tenebris conticescent:*

* *quia nō in fortitudine sua roborabitur vir.*

14 *Dum formidabunt aduersarij eius, & sup ipsos in cælis tonabit.*

15 *Dominus iudicabit fines terræ:*

parere desinens, vulua propter superbiam clausa à domino, vel morte pereuntibus prolibus, vt relinquatur mater orbata filijs. 9. Dominus est qui occidit cum voluerit, & cum voluerit, resuscitat ad vitam: qui potestatem habet super omnes vitæ ac mortis, vt viuentes possit morti tradere, & mortuos reuocare ad vitam: * deducit ad inferos vsque homines, & reducit: vsque ad portas mortis, in discrimina vitæ maxima adducit homines, vt iam in portis, & sub vmbra mortis sibi videantur degere, vt sibi videantur morti & infernalibus claustris proximi: atque iterum cum voluerit, educit hominem de periculis etiam maximis eum liberando, ac restituendo ad vitam. 10. Dominus quos vult facit pauperes, etiam si antè fuerunt diuites: & cum vult diuites facit eos qui fuerant pauperes, multos facit à paupertate peruenire ad amplas diuitias: * pro suo quoque placito homines exaltat & humiliat, quemadmodum superbos & peccatores humiliat vsque ad terram, eosque deponit de sedibus, & in locum eorum exaltat humiles: facitque non raro viles & infimæ sortis homines ad amplissimas fortunas conscendere: quemadmodum Dauidem pastorem de gregibus ouium assumpsit ad augustissimi regni fastigium, & superbum Saulem inimicum eius penitus humiliauit, vt non relinqueretur de semine eius qui regnaret pro eo. 11. Suscitat, erigit, & eleuat pauperem de puluere, id est de vilitate maxima, in qua iacet quasi sordidus & ignobilis, exaltat eum: & pauperem illum in humilitate sua quasi in stercore sordentem, & despectum ab omnibus, ipse cum voluerit magnifice exaltat, & in summum prouehit altitudinis gradum: * ita vt sedeat etiam cum principibus, cum ijs qui nobilitate & dignitate habentur præcellentes, atque ita solium gloriosum obtineat & thronum magnificum dignitatis suæ, ex ignobili puluere ad sublime solium euectus, & ab infima sorte sublimatus ad celsitudinem maximam: quomodo etiam humanum genus secundum corpus penitus vile & ignobile, ad tantam subleuat dignitatem, nunc quidem in gratia, ac post in gloria superna, vt nobilissimis illis angelicis principibus coæquetur. 12. Neque verò mirum cuiquam videri debet, si tam admirandis commutationibus pro suo beneplacito cuncta possit agere Deus, si tam potenter simul ac mirabiliter possit omnia commutare. Ipse enim est, qui in omnipotentia sua creauit terram: & super stabilitatem suam fundauit eam, quasi super cardines suos eam appendens: & ipsius sunt cardines siue bases aut fundamenta terræ, & in sua manu ea habet, quod proculdubio non nisi eius est qui omnia potest, & multo videtur maius, quam fortes infirmare, aut debiles confirmare, pauperem ditare, aut diuitem pauperem facere, sterilem facere fœcundam, aut fœcundam sterilem, aliaque huiusmodi. 13. Dominus semper obseruabit gressus fidelium seruorum suorum, & eorum pedes custodiet, vt non declinent in vias malas: aut si declinauerint, vt quantocyus reuertantur à malitia, neque stent in ea, nec sinet offendi ad lapidem scandali pedes eorum: * impij verò qui non studuerunt esse de numero seruorum eius, in tenebris æternis, in damnatione inferni permanebunt, in silentio perpetuo, in summa tristitia, ærumna atque miseria: vbi erit tacitur nitas, & silentium à laude Dei & omni verbo bono, neque audietur vlla vox lætitiæ, sed tantum flerus & stridor dentium, & heu atque væ sempiterna: * non enim confirmabitur homo, aut corroborabitur, siue prævalebit in fortitudine sua, vt speret se posse Deo resistere, aut manus eius atque iudicium effugere. 14. Atque ob hoc etiam formidabunt dominum in sua potentia prævalentem omnibus, cuncti aduersarij eius: & aduersum illos de cælis aduenies tonabit, tonitru terribile emittet aduersum inimicos suos, quo omnes eos vehementissime perterrefaciet. Cum enim venerit dominus in maiestate sua, & apparuerit in prævalenti fortitudine sua, tunc præmisso sonitu terribilis tubæ, formidabunt omnes impij aduersarij eius, & ille proferet de supernis aduenies in modum terribilis tonitrui horribilem sententiam aduersum istos damnationis æternæ, dicturus: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. 15. Et si requiras, quisnam iste sit, qui hæc tanta sit facturus, ecce dominus Deus omnipotens ipse iudicabit fines terræ, ipse dominabitur super vniuersos habitatores terræ, ab Oriente vsque

* *& dabit imperium regi suo:* & sublimabit cornu Christi sui.*

vsque ad occidentem, & à Septentrione vsque ad Meridiem, super omnes imperabit & dominabitur, principemque aget & iudicem, & suo tempore de omnibus faciet nouissimum vnius examinis iudicium: * atque hoc imperium, hoc dominiū, Deus pater omnipotens dabit Christo filio suo, qui in temporis plenitudine nascetur inter homines: * & Messiam siue Christum suum, illum quem nasci faciet in plenitudine temporis, ipse exaltabit, magnificabit, & glorificabit: exaltabit caput siue cornu eius, ipsumque super omnia excelsum ponet præ regibus terræ, & ita vt nominetur, & sit princeps regum terræ, rex regum, & dominus dominantium: quum data illi fuerit omnis potestas à patre in cœlo & in terra, acceperitque potestatem iudicium facere, constitutus iudex viuorum atque mortuorum. Psal.71. Apocal.1. & 19. Matth.18. Ioan.6. Actu.10.

ARGVMENTVM IN CANTICVM filiorum Israël, cuius initium, Cantemus domino, &c.

Posteaquam stupendo miraculo filij Israël, diuiso mari rubro, & alueo siccato aquis ex vtraque parte quasi pro muro stantibus, transissent salui per medium siccati maris. Aegyptij verò & ipsi ingressi ad persequendum Israëlem, aquis redeuntibus, & dissolutis fluctibus, fuissent submersi, pro gratiarum actione cōposuit Moyses canticum istud, cuius subsequitur explanatio, quod simul cum filiis Israël cecinit, vt habet Exodi historia: Tunc (inquit) cecinit Moyses & filij Israël carmen hoc domino: & dixerunt, Cantemus domino, &c. In hoc itaque cantico gratulatorio, primū in Deo præmittens exultationem, enarrat miraculosam & vere admirabilem sui populi liberationem, atque ex aduerso persecutorum condemnationem. Post quæ enarrata, transit deinde prophetico spiritu ad illa cōmemoranda, quæ adhuc restabant post annos plures exhibenda prodigia: sic tamen enuncians futura, quasi præterita, & adhuc patranda, quasi iam complenda: videlicet de introductione in terram promissionis, & introductionem illam præcedentibus glorioſis victoriis. Exod.15.

ELVCIDATIO IN CANTICORVM ISRAEL.

1 *Cantemus domino, glorioſe enim honorificatus est:*
* *equum & ascensorem deiecit in mare.*

2 *Fortitudo mea, & laus mea dominus:*

* *& factus est mihi in salutem.*

3 *Iste Deus meus, & glorificabo eum:*
* *Deus patris mei, & exaltabo eum.*

4 *Dominus quasi vir pugnator:*

* *omnipotens nomen eius:*
* *currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.*

Antemus domino cantica laudis, & carmē gratiarum actionis, quoniā fecit nobiscum magnificè, & glorioſe admodum magnificatus est, in patenti exhibitone prælialidæ omnipotentiæ suæ, faciens pro nobis cōtra inimicos nostros victoriam: * nam equos simul & eos qui super equos atq; currus ascenderant Aegyptios ad persequendū nos, ipse excussos è curribus, & de equis prostratos, proiecit & demersit in mare. 2. Omnem hanc victoriā cum laude & cantico asseribo ego domino Deo nostro, qui est fortitudo mea illa tota, per quā tam præclara mihi cōtingit de inimicis victoria, quā meis proprijs viribus spes nunquam fuisset cōsequendi: & ipse est laus mea, ipse meū canticū, mea gloria, quem solum vt saluatorē meū sempiternis celebrabo canticis: * nimirum ipse factus est mihi ad salutem, exhibuit se mihi saluatorem, per quem sum liberatus de potestate inimicorū. 3. Iste est Deus meus viuus & verus, & extra eū alius nemo, quem vnū colere & adorare volo, quē solum pro Deo, vt est, propono agnoscere, & illi vni, vt dignū est, dabo honorem & gloriam, diuinitati debitā, ipsum solum adorabo, ipsum inuocabo: * neque verò Deus recens est iste meus saluator, sed est ipse idem Deus quem coluerunt patres mei, Abraham, Isaac, Iacob, ac cæteri, quique etiam illis fuit semper protector & saluator, & eum magnificabo quantum potero in laudibus & canticis. 4. Hic dominus quasi vir pugnator pro me liberando apparuit, tanquā homo pugnator demonstratus fuit hostibus meis, mittens de nubibus fulgura & tonitrua quasi sagittas in Aegyptios, & rotas curruum eorū subuertens, vt ferrentur in profundum: ad eum modum quo pugnatores viri è fortalitijs in hostes eiaculantur iacula sua, & quomodo in prælio currus solent destruere atq; subuertere, vt excutiantur pugnantes in curribus, ita vt ipsi Aegyptij persentientes manum pugnantis domini adinuicē dicerent, Fugiamus Israëlem, quia dominus pugnat pro eis: * si requiras, quis iste sit pugnator tam validus, & quod nomē eius, ecce nomen eius est dominus omnipotens: hoc est illi nomen peculiare, quo ab omnibus secernitur. Nemo enim alius præter hunc vnū est aut verè dici potest omnipotens: * currus Pharaonis regis Aegypti, & vni-

5 Electi principes eius submersi sunt in mari rubro, abyssi operuerũt eos, descenderũt in profundum quasi lapis.

*6 Dextera tua domine magnificata est in fortitudine: *dextera tua domine percussit inimicũ & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios meos.*

*7 Misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam: *in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.*

8 Stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.

9 Dixit inimicus, persequar & comprehẽdam: diuidam spolia, & implebitur anima mea.

10 Euaginabo gladiũ meũ, interficiet eos manus mea.

11 Flauit spiritus tuus & operuit eos mare:

** submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

12 Quis similis tui in fortibus domine?

Psal.75. **quis similis tui magnificus in sanctitate?*

**terribilis atque laudabilis faciens mirabilia.*

13 Extendisti manum tuam, & deuorabit eos terra.

& vniuersum exercitum eius ipse coniecit in mare, & demersit in eos. E
5. Nobiles principes eius, qui illum vt suum regem fuerant comitati, submersi sunt in mari rubro: aquarum abyssi & immensæ moles, inuoluerunt, operuerunt, & absorbuerunt eos: demersi sunt in profundum aquarum, absque impedimento, & subito ex vltione domini, cui nihil potest resistere: ad eũ modum quo lapis absque mora in profundum subsidit suo pondere, quum fuerit in aquas iniectus. 6. Omnipotens brachium tuum, Deus potentissime, glorificatum est in fortitudine: in hac tam potenti vltione, manifestam fecisti, & supra modum magnificasti fortitudinem omnipotentis brachij tui: * omnipotens brachium tuum ita percussit inimicos meos, & in maxima gloria tua humiliasti aduersarios meos Aegyptios, qui persequebantur populum tuum quem de Aegypto eduxeras: in ista Aegyptiorum humiliatione & contritione maximam tuæ fortitudini comparasti gloriam. 7. Misisti iram indignationis tuæ, quæ deuorauit eos, & penitus consumpsit: extendisti, & exercere voluisti vltionem tuam contra eos quæ eos assumpsit, & penitus ad nihilum redegit absque vlla difficul- F
tate, ad eum modum quo stipula sicca consumitur à facie flammæ vorantis: * & in indignatione furoris tui, quo aduersus illorum indignabaris superbiam, congregatæ sunt aquæ, & derelinquentes naturalem fluxibilitatis suæ conditionem, ex vtraque parte collectæ sunt in cumulos, vt fieret populo tuo iter per siccum alueum, quem pauloante occupauerant aquæ. 8. Ad imperium iussionis tuæ steterunt aquæ, prius fluentes, & totum occupantes alueum, steterunt quasi pro muro à dextris & à sinistris: aquarum cumuli maximi, qui sunt velut abyssi, agglomerabantur, & coniungebantur in vnum in medio mari, vt iter præberent populo per medium transeundi in sicco alueo, sicque populus tuus saluaretur de manu persequentium. 9. Videns autem inimicus Pharao cum populo suo, quòd transiret populus tuus per siccum mare, hortati sunt se mutuò, vt sequerentur transeuntem, intrarentque & ipsi siccatum alueum, sic putantes facilè posse se comprehendere quos quærebant, dixeruntque se inuicem exhortantes, & iam quasi certã victoriam reputantes, Persequemur illos trans- G
euntes per medium maris, & facilè prævalebimus in fortitudine nostra, vt comprehendamus eos: quibus comprehensis, auferemus spolia eorum, & quæcunque illi attulerunt secum ex Aegypto, nos recuperabimus nobis, referemusque in Aegyptum vniuersa, & saturabitur desiderium nostrum, tam in punitione filiorum Israël fugitiuorum nostrorum, quàm in spoliorum diuisionibus. 10. Insuper velut ante bellum adorantes victoriam, dixerunt adinuicem: Vbi illos comprehenderimus, non parcemus animabus illorum, neque iterum reducemus in Aegyptum, vnde fugerunt viuos, sed euaginatis gladijs, feriemus illos: manus nostræ in gladio interficient eos, neque erit qui illos possit liberare de manibus nostris. 11. Illis verò sic cogitantibus, & præsumptione nimia post populum tuum ad persequendum in mare ingressis, tu domine flare fecisti spiritum tuum, tu domine propugnator populi tui, misisti spiritum iræ & indignationis quo dissipatę sunt omnes cogitationes illorũ, quo factum est, vt redeuntibus aquis in statum H
pristinum post tergum populi qui iam transierat iterumque se cõiungentibus, & ad locum suum quem ad tempus dereliquerant reuertentibus, illi omnes operirentur aquis maris: * submersique sunt, & absorpti aquis illis vehementibus, in aquis nimijs, & admodũ tumultuantibus subitò & quasi in momẽto, in ictu oculi quemadmodum plũbum suo pondere, statim vbi in aquas fuerit iniectum, absq; mora subsidit, neque quiescit, donec ad profundũ vsque perueniat. 12. O domine quis poterit assignari similis tui, siue æqualis tibi, ex vniuerso numero eorum, qui fortes existimãtur, siue in dijs, siue in hominibus? * Quis sicut tu magnificus est in sanctitate? Quis assignari poterit tã glorioſe sanctus & fortis? * merito terribilis omnibus impijs etiam regibus terræ, vt pote qui habeas potestatem auferendi spiritum, etiam principum & regum terræ, & ecõtrario amabilis, atque laudabilis pijs omnibus quibus tam benignum & fidelissimum te exhibes defensorem, quippe qui facis aduersum impios pro bonis mirabilia signa atque prodigia: quẽadmodum pro nobis fecisti aduersum Aegyptios. 13. Extendisti ad vindictam vltricem manum tuam, ad percutiendum persecutores populi tui.

** dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.*

14 Et portasti eum in fortitudine tua.

** ad habitaculum sanctum tuum.*

15 Ascenderunt populi & irati sunt:

B ** dolores obtinuerunt habitatores Philistiin.*

16 Tunc conturbati sunt principes Edom:

** robustos Moab obtinuit tremor:*

**obriguerunt omnes habitatores Chanaan.*

C *17 Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui.*

18 Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus domine, donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti.

19 Introduces eos, &

D *plantabis in monte hæreditatis tuæ:*

** firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine.*

20 Sanctuarium tuum domine, quod firmauerunt manus tuæ.

21 Dominus regnabit in æternum, & vltra.

tui: & ex vltione tua absorbuit eos mare, & perierunt, tanquam si viuẽtes subito fuissent absorpti à terra: * Neq; verò hoc satis tibi visum fuit, liberasse videlicet populum tuum de manu Aegyptiorum, ac per mare rubrum saluos transuexisse, sed insuper iam traducto & liberato populo, te ducem præbuisti in superabundanti & inexhausta misericordia tua, quæ nunquam finem habet miserendi. 14. Et deduxisti eum, ac velut in manibus portasti, absque offensione & periculo, ad eum modum quo gestat mater in vlnis filium, necessaria omnia abunde suppeditans, & mala cuncta depellens, per fortitudinem omnipotentiæ tuæ, quæ potest omnia, & aduersus quam nihil potest alius: * vsque in habitaculum sanctum tuum, vsque in terram promissionis, quam peculiariter elegisti, & peculiari electione velut sanctificasti ac mancipasti tibi, vt tu habites in ea, vnà cum populo tuo quem in tuum elegisti peculium. 15. Audientes verò nationes populorum quæ erant vel circiter locum transitus nostri, vel in terra illa promissionis, ad quã pergebamus, ascenderunt & exurrexerunt ac præparauerunt se aduersum po- Num.20.
pulum tuum in prælium, & vehementer indignati sunt aduersum nos: * dolores inuidiæ, & indignationes male occupauerunt inhabitantes Palestinam, locaque terræ promissionis finitima ægre hoc acceperũt Num.21.
de nobis, quod ascendere tentaremus ad occupandum terram nobis promissam. 16. Tunc principes Edom conturbati sunt, nolentes neque audentes nobis licet postulantibus, & conditiones pacis offerentibus præbere transitum: * robustos quoque & principes Moab, vbi audissent quæ facta fuerant Amorrhæo & Chananæo, obtinuit magnus timor & tremor, adeò vt ipse rex eorum Balach plurimum suo regno metuens, multis precibus & pollicitationibus quæreret à Balam propheta maledici populo tuo, dicens maioribus natu Madian: ita delebit hic populus vniuersos qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere: * habitatores autem Ibidem.
terræ Chanaan, auditis iis quæ fecerat dominus pro nobis contra Aegyptios, & quæ facta fuerant trans Iordanem Amorrhæo, Chananæo, Basan & Moab, prorsus obstupuerunt, & obriguerunt, tanquam destituti viribus, præ terrore nimio. Irruit enim in eos terror noster, & Iosue.2.
elanguerunt, pertimueruntque, & elanguit cor eorum, nec remansit in eis spiritus ad introitum nostrum. 17. Ita domine, te sic operante, irruat in eos formido & pauor, timor, & tremor apprehendat eos, propter magnitudinem, celsitudinem, & fortitudinẽ, omnipotẽtis dexteræ tuæ, ita cõsternati, & animo reddantur destituti, propter magnitudinẽ præclarissimorum operum tuorum, quæ tu pro nobis operaris in fortitudine tua. 18. Obrigescant (inquam) & timore obstupescant, vt fiant immobiles ad modum lapidis, vt quomodo lapis immobilis iacet, nec se potest mouere: sic & illi non se possint ad nos inuadẽdum mouere, aut nobis quomodocunque obsistere, donec populus tuus, ô potentissime Deus: populus (inquam) tuus iste (qui sumus nos) quem in peculium & singularem possessionem elegisti tibi ex omnibus gentibus, transierit ad terram, quam pollicitus es patribus nostris possidendam. 19. Tu domine, in virtute omnipotentiæ tuæ, expulsis & eiectis ante faciem eorum impijs inhabitatoribus, introduces eos, atque eradicatis illis malis & infidelibus incolis, quorum erant iam consummatæ iniquitates, in locum horum plantabis eum, & firmiter habitare facies in illo monte hęreditatis tuæ, in locis illis mõtosis, in terra promissionis, quam elegisti tibi vt habitares in ea, vnà cũ peculiariter electo populo tuo, tanquam in hæreditate & possessione tua: * in illa firmissima & stabili habitatione tua, quam tu præparasti tibi domine, & quam tibi cõparasti in fortitudine tua, vt habitaret in ea populus tuus, tuque in medio populi tui. Neque enim in gladio nostro possidebimus terram Psal. 43.
illam, sed brachium tuum & dextera tua illam nobis comparabit. 20. In illud (inquam) sanctuarium induces populum tuum, in illum locum tibi singulari electione sanctificatum, quem ad hoc firmauerũt & parauerunt manus tuæ, vt expulsis illis alienigenis idololatrarum nationibus, populus sanctus tuus habitaret in eo, simul & tu in medio eius, quasi in sanctuario tuo. 21. Hic item dominus Deus omnipotens, qui omnia ista pro nobis mirabilia operatus est, non habet regnum simile regnis terrenis, quod aliquando possit deficere, aut superari, aut transferri, sed regnum habet inæternum, stabile, quod imperpetuum

Psal. 44. Danic. 7. 22 *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit super eos dominus aquas maris.*

23 *Filij autè Israël ambulauerunt per siccum in medio eius.*

2.Petr. 2.

non posit deficere, aut in alium transferri. Regnum enim ipsius, regnum est omnium sæculorum: & regnum ipsius omnibus dominabitur, & potestas eius potestas æterna est, quæ nunquam auferetur ab eo. Propter quod nemini mirum videri debet si tanta pro suo populo ille posit aut potuerit. 22. Concludens verò canticum in gaudio, peculiariter illud placet repetere, quod nobis est in præsentiarum causa nostri gaudii, videlicet quod ingresso Pharaone equite (quo esset ad persequendum paratior, & expeditior ad comprehendendum quos quærebat filios Israël) simul cum comitatu vniuersorum curruum & equitum suorum in medium maris, dum insequerentur præeuntem Israëlem, dominus illum cum vniuerso comitatu suo fluctibus maris absorpsit, reducens super eos aquas, quæ donec Israël transiret, stabant agglomeratæ quasi pro muro ex vtraque parte, vt inuoluerêtur aquarum sibi occurrêtium fluctibus, ita vt nec vnus effugeret ex omnibus. 23. Populus autem domini, filii Israël, maximo miraculo transierunt salui per medium maris rubri, per siccum alueum, aqua sese ad vtranque partem continente, donec ille transisset, neque submersus est vel vnus ex omnibus filiis Israël. Tantam in hoc die, tamque manifestam posuit distinctionem dominus inter populum suum & persequutores ipsius: quod & semper facturum illum non dubitamus vsque in consummationem sæculi, qui nouit semper quomodo pios à tentatione ac persequutione impiorum eripiat, impios autem condemnet: propter quod, iustum est à populo suo dari illi semper laudem & benedictionem, in sæcula sæculorum. Amen.

ARGVMENTVM IN CANTICVM
Abacuc, cuius initium est, Domine audiui.

Canticum Abacuc, cuius initium, Domine audiui auditum tuum, & timui, tantæ est difficultatis, vt ab Hebræorum magistris inter quatuor difficillima scripturarum loca censeatur: propter quod aliqui ludæorum titulum cantico præmissum, pro ignorantiis vel pro ignorationibus, sic intelligunt, quia cãticum istud talia proponat quæ ignorentur, & non capiantur à quouis, donec videlicet ille veniat Meßias, in cuius tempore ea dicunt reseranda atque complenda. Quam tituli explanationem, nos quoque rectam arbitramur. Idcirco enim pro ignorationibus canticum istud inscribi putamus, quia de illis tractat, & illa proponit sub diuersis similitudinum & figuratiuarum ac prouerbialium loquutionum inuolucris, quæ vulgo ignorantur, quæque tum adhuc latebãt occulta, neque cognoscebantur nisi ab iis quos Deus speciali illuminatione de iisdem instruxisset, vt Dauid Esaiam, ac cæteros, quibus incerta & occulta sapientiæ suæ Deus antequam fierent voluit manifesta facere. Et verè dicunt ludæi, non posse canticum istud intelligi, neque sensum verborum eius capi, donec veniat Meßias qui eius sensum aperiat. Profectò enim impoßibile foret sensum eorum quæ hîc dicuntur, comprehendere, nisi in se omnia implendo Christus dominus noster ea explicasset, nisi ipse qui habet clauem Dauid & omnis prophetiæ, clausa aperuisset, nisi signacula ille agnus in sanguine suo occisus confregisset, & aperuisset signatum Prophetiæ librum. Illud tamen vanißimum est, quòd adhuc ludæi de huius cantici intellectu diffidunt, donec adueniat Meßias alius, quem ipsi somniant. Iam enim clauem habemus, in qua aperire & possumus, & audemus quod clausum fuerat. Non vltra clauem expectamus aliam: & quantumuis ipsi expectent: non aliam accipient: quam quia respuunt, & quia vti ea ad scripturarum apertionem nolunt, merito foris stare adhuc eis obfirmato ostio compelluntur. Nos verò (vt iam diximus) clauem habentes huius diligentißime signati cantici, pro nostra virili illud explanabimus de admirabilibus operibus, quæ in generis humani saluatione, & ecclesiæ gẽtium ædificatione, in temporis plenitudine, Deus pater per filium suum voluit operari. Post namque præmissam stuporis admirationẽ propheta diuino collustratus radio statim in initio cantici Christi in mundum aduentum, & incarnationẽ ac natiuitatem describit, ipsius deinde in cruce victoria, de morte atque diabolo, mundi reparationem, ecclesiæ gentiũ ædificationem, & conuersionem populorum gentilium, licet æthiopibus, dæmonibus, & illorũ ministris Madianitis (i. persequutoribus fidei) inuidentibus & repugnãtibus. Post hoc, Dei erga gentes propitiationem describit amotam, dicens, à fluminibus iram, per apostolorum prædicationem, quos equos Dei & quadrigas appellat: quam velut arcum fœderis dicit in ecclesia positam, ad implendum promißiones patrum. Sæcularis quoq; sapientiæ confutationem & destructionem describit, scindendos dicens terræ fluuios, licet contraluctantibus sublimitestatibus arma contramouentibus: aduersum quos tamen omnes præualuit verbum Dei, & tam Christi gloria, quam ecclesiæ splendor opprimi non potuit: sed verbum Dei potentia signorum confirmatũ præualuit omnibus, Deo cooperante suis prædicatoribus, illorumq; sermonem signis sequentibus (vt ait Marcus) confirmante, ipse verò princeps mundi percussus fuit & maledictus, vna cum omnibus sibi adhærentibus, populumq; Dei oppugnantibus. Post quæ omnia, à magnitudine eorum quæ audierat propheta, se dicens conturbatum & stupefactũ, pleno cordis voto optat populo illi beato, generationi venturæ coniungi, per quos tanta Deus erat operaturus mirabilia, libenti animo se paratum offerens ad quantacunq; perferenda huius mundi mala, ita vt etiam vsque ad ossa eius ingrediatur putredo, tantum vt requiem cum illo populo Dei expedito posit accipere, quam præuidebant

Apoc. 3. Apoc. 5.

Marc. 16.

bant per Christi victoriam fidelibus tam fore gloriosam atque perfectam: vbi per occasionem impiorum futuro sæculo egestatem & tribulationem, ac omnis boni egestatem per defectum fructuũ vineæ, ficus, oliuæ, & agrorum describit: se verò vnà cum populo domini semper ait in domino gauisurum, & ad excelsa ex Dei victoria deducendum, cum gaudio & psalmorum canticis.

ELVCIDATIO CANTICI ABACVC.

1 *Domine audiui auditionem tuam:*

* *& timui.*

2 *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.*

3 *In medio annorũ notum facies:*
**cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

4 *Deus ab austro veniet:*

* *& sanctus de monte Pharan.*

5 *Operuit cælos gloria eius:*

* *& laudis eius plena est terra.*

6 *Splendor eius vt lux erit:*

* *cornua in manibus eius.*

7 *Ibi abscondita est fortitudo:*

DOmine auribus internis cordis mei & interiori spiritus auditu percepi verbum tuum, quod in me loqui, & quod à me audiri voluisti secretum tuum: intellexi, te mihi reuelante, arcanum consilij tui admirabilis, quod cogitasti facere in tempore suo: * & ab auditione eiusmodi tam admirabilis consilij stupefactus extimui, & præ admiratione nimia quasi in ecstasim raptus obstupui. 2. O domine, opus illud tuum, de quo mihi aurem reuelasti, tu viuificabis in medio annorum, in temporis plenitudine, ante mundi consummationem, quasi in annorum sæculi medio, opus illud adimplebis, perficies, & quasi viuere facies, non frustrabitur effectu suo verbum illud quod audiui exte, non permanebit mortuum, tametsi adhuc in longinquum sit differenda eius adimpletio: sed quando venerit plenitudo temporis ad hoc definiti, ante finem mundi viuificabitur opus illud, & sicut multo ante prædictum fuerat, verè exhibebitur. 3. In plenitudine temporis opus illud manifestum facies, & reali exhibitione monstrabis in oculis omnium: * Non enim imperpetuum durabit ira tua, qua offensus es propter præuaricationem primi parentis humano generi: sed postquam tempus iræ finitum fuerit, in plenitudine temporis, in tempore acceptabili, & die salutis, obliuiscris iræ tuæ, desines irasci: & memor eris misericordiæ, conuerteris ad miserendum humano generi, vt ipsum tibi reconcilies, quando pro eius reconciliatione admirabile tuum illud consilium perficies. 4. Veniet namque in temporis plenitudine ad homines Deus, vt inter homines homo factus viuat, & cum hominibus conuersetur, veniet Dei filius verus Deus ab austro, siue à meridie: id est, è sinu patris sui, vbi nunquam nisi meridies est, apud quem perpetua & perfecta claritas est, quasi splendor solis in meridie, vbi tenebræ non sunt vllæ: * & ipse sanctus sanctorum veniet de monte Pharan: id est, de monte sublimi, excelso & glorioso: hoc est, à celsitudine maiestatis paternæ, qui est quasi mons excelsus & gloriosus, altior omnibus. Vel de monte condenso & vmbroso, de patris gloria, qui lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit vnquam, neque videre potest, sic vt viuat. Ita (inquam) Dei filius exibit à patre, & veniet in mundum, ad operandum opus redemptionis humanæ. 5. Ipso autem adueniente, operuit cælos gloria eius: ipso nato, manifestata est in supernis gloria eius, angelis in cælo cũ magna claritate apparentibus, gloriamque Deo in altissimis concinnentibus, stella insuper noua ad ortus, ipsius manifestationem exteris in cælo gentibus reuelata, quæ nati regis testaretur maiestatem: * & laudis eius plena est vniuersa terra, eum post manifestatum celebrarunt laudibus vniuersi populi habitantes in terra. 6. Effulsit in mundo hoc pleno caligine errorum atque vitiorum, sicut lux in tenebris lucet: erat lux vera quæ illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum: sicut lucerna accensa & super candelabrum posita illuminat omnes qui in domo sunt, ita splendore doctrinæ conuersationis, atque miraculorum illuminauit mundum: *& (quod præ omnibus maximè est admirandum) post peractum doctrinæ, & vitæ suæ cursum, fuerunt in manibus eius cornua crucis: affixæ sunt manus eius cornibus crucis: post peracta omnia, morte turpissima condemnatus fuit, & in cruce extensus, fuerunt que affixæ cruci, & in eius cornibus siue lateribus fuerunt extensæ manus eius, tantam causa nostri ille subiit humilitatem, talem sustinuit aduersus semetipsum pro nobis contradictionem, vt perficeret opus redemptionis nostræ, nosque suo redimeret precioso sanguine, quem sic in cruce pendens effudit in redemptionis & salutis nostræ precium. 7. Ibi fuit abscondita, tecta, & occultata fortitudo eius, cum ita in cruce humiliatus pendebat, sublatum fuit in humilitate iudicium eius, non se tunc manifestauit illa diuinitatis fortitudo, quæ tamen

Lucæ. 2. Matt. 2. Ioann. 1. Hebr. 11. Esai. 53.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 1. Ibidem. * *ante faciem eius ibit mors.*

Ioann. 1. Ephes. 2.

Ioan. 8. 8 *Egredietur diabolus ante pedes eius:*

Ioan. 16.

* *stetit & mensus est*

Matt. 28. Psal. 2. *terram.*

9 *Aspexit & dissoluit gentes:*

* *& contriti sunt montes sæculi.*

10 *Incuruati sunt colles mundi:*

* *ab itineribus æternitatis eius.*

11 *Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ:*

* *turbabuntur pelles*

Iudic. 6. *terræ Madian.*

12 *Nunquid in fluminibus iratus es domine? aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?*

tamen ei semper cũ patre est coæqualis & coæterna, sed quasi infirmus E homo apparebat, in nullo ostendens potẽtiam diuinitatis suæ, permittens compleri & consummari in se omnia quæcunque secundum consilium diuinæ voluntatis & prophetarum vaticinia erant implenda. Et fuit quidem ipsa diuinitatis fortitudo in hac humilitate dupliciter abscondita: videlicet & in seipsa dum se monstrabat in aliquo, sed pro libito siuit inimicos agere quæcunque voluissent: & in hominibus aliis, qui propter nimiam humilitatẽ scandalum passi, credere recusauerunt diuinitatis in eo virtutem, ita vt etiam scandalum & stultitia fiat verbũ crucis. Attamen vere etiã illic in cruce pendenti fortitudo diuina fuit, quæ illum nunquam dereliquit: propter quod, credentibus verbum illud crucis fuit Dei virtus & sapientia: * & quidem tanta fuit eius illic, licet abscõdita fortitudo, vt ante faciem suam cogeret mortem abscedere. In crucis namque triumphalibus cornibus extensus agnus Dei, fecit victoriam, & summæ fortitudinis opus: quoniam sua morte nostram superauit mortem. Occisus enim tulit peccata mũdi, & redemit F nos à morte ad vitam, in sanguine suo, & per mortem in corpore suo reconciliauit Deo: sicque ante faciem eius in crucis cornibus appensi, mors aufugit, & lõge profligata est. 8. Simul & ipse author mortis, homicida primus, diabolus, serpens antiquus, qui per serpentem decepit & morti tradidit hominem, per illum crucis cornibus appensum deuictus ac superatus est, nec potuit corã eo cõsistere princeps huius mundi diabolus, condemnatus est per eum atque proiectus foras: * resurgẽs verò post paululum, & morte diuicta rediens ad vitã, accepta iam à patre potestate omnium, acceptis gentibus in hæreditatem & in possessionem terminis terræ, ipse tanquã orbis dominus stetit, & mensus est terram: quomodo nobilis rex, vindicato de manu tyrãni regno aut ciuitate, cũ diruta ac dissipata per iniustum possessorem reparare voluerit, & restaurare quæ ille demolit⁹ fuerat, aut noua erigere ædificia, stat in terra eiusmodi, & cõsiderat ac metitur locum ædificiorum suorum. Ita post resurrectionem suã dominus vindicato sibi regno mũdi huius, & pulso foras tyranno diabolo (qui omnia demolitus fuerat per idolo latriam & enormia facinora, in quibus seruire fecerat gẽtes) cogitauit G de restauratione & reparatione dissipati orbis, & noui ædificij erectione, id est, ædificatione Ecclesiæ sanctæ ex gẽtibus. 9. Aspexit oculo benigno misericordiæ suæ gentium populos, quos inuenit prostratos & iacentes in imis sordibus, aspiciensque misertus est miseriæ illorum, & corda illorum indurata vt lapis, sua gratia emolliuit atque dissoluit per pœnitentiam, dans eis pro corde lapideo cor carneũ, spiritum contribulatum, & cor cõtritũ pro corde indomito & efferato vitiis: * imò & mõtes sæculi contriti sunt in misericordia aspectu illius, nõ pauci potentum atque sapientum sæculi per pœnitentiã contriti sunt, egeruntque de malis suis pœnitentiã à vanitatibus auersi ad Deum viuum sese conuertentes. 10. Colles mundi illi, qui in sæculo altitudine quacũque præfulgebant, siue potentia, siue sapientia, siue honoribus, siue diuitiis, ex omnibus non pauci incuruati & humiliati sunt, colla sua cũ humilitate submiserũt veritati: * ab itineribus æternitatis siue diuinitatis eius, quando ille secundũ diuinitate suam (secũdum quã æternus est) in Ecclesiam & corda hominũ aduenerit. Illo enim adueniente, mõtes & col H les humiliatur, & maximi & mediocriter excelsi, omnes illi se subdũt, cũ nemo illi possit resistere. 11. Cùm verò sic dissoluerentur gentes ex aspectu Dei, atq; etiam mõtes & colles humiliarẽtur sub manu domini, vidi tentoria Aethiopum propter iniquitatem & inuidiã malitiose conturbata, habitationes impiorũ dæmonũ (qui per malitiam cõsummatam, sunt quouis Aethiope, imo quouis carbone nigriores) vidi cõturbatas & frementes præ dolore inuidię, indignãtes se superari, regno priuari, & auferri sibi prædam: * simul etiã cũ his Aethiopibus conturbabũtur tabernacula Madianitarũ id est persequutorũ populi domini, æquales enim fuerunt Madianitæ, tẽpore Gedeonis, qui grauissime opprimebant Israëlem. 12. Sed nunquid tu domine aduersus flumina, aduersus aquas multas (qui sunt populi gentiũ) irã tuã seruabis? nunquid in tẽpore illo quando opus tuũ (cuius ego auditũ audiui) facies aduersus flumina populorũ multorũ, perseuerabit furor tuus, aut indignatio tua? nunquid etiã tunc aduersus mare permanebit obfirmata. i. aduersus mundum ac genus humanũ vniuersum, quomodo olim fuit contrã eos ira,

eos ira, indignatio & furor tuus. An permanebit ira tua aduersum populos perpetua? an non vel tunc finietur, vt illis fluminibus & mari sias placabilis? 13. Non poterit fieri Deus, vt etiam tunc perseueret indignatio tua, quoniam quidem illo in tempore tu ascendens super equos tuos, super equos candidos & veloces sanctos Apostolos tuos, per Psal. 18. quos veheris super omnia flumina, qui te prædicabunt per vniuersum orbem terrarum: quando in omnem terram exhibit sonus prædicationis eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: ita te quasi sessorem, illi quasi equi candidi & veloces portabunt super mare præsentis sæculi, & super vniuersa flumina gentium: quod nequaquam fieret, si adhuc esset in fluminibus aut mari indignatio tua, si non iam velles illis te exhibere placabilem: * ipsæ tuæ quadrigæ, quibus sic veheris, non aliud quàm saluatio sunt: quocunque tu per quadrigas tuas siue currus eiusmodi (quos iam equos appellauimus) aduecheris, præstas salutem omnibus, vbique credentes saluos faciens à peccatis eorũ, dansque eis potestate filios Dei fieri. Quomodo ergo adhuc in fluminibus B aut in mari poterit perstare indignatio tua? Quomodo non eris placatus gentibus & vniuerso humano generi, qui tantam omnibus præstabis gratiam? 14. Itaque irasci desines, atque etiam propitiationis signum pones in terra hominibus? Quomodo enim olim post illud celebre diluuium quo in ira tua periit mundus pene vniuersus, arcum posuisti nubibus in signum fœderis, quòd non vltra aquis diluuij esses perditurus sæculum: ita & in hoc tempore gratiæ suscitans suscitabis, & firmiter statues signum fœderis atque reconciliationis sempiternæ inter te & genus humanum, quod signum arcus ille erit Euangelicæ prædicationis & verbi tui sancti, quod quandiu permanebit in fidelibus (permanebit autem vsque in consummationem sæculi) tandiu placatus permanebis erga electos tuos, nunquam in ira tua repelles eos, vt perdas vniuersam carnem: sed propter arcum tuum hunc in Ecclesia, propter sanctum verbum tuum, semper tibi seruabis electos vsque in consummationem sæculi: * & suscitabis, præstabis, atque implebis iuramenta siue promissa populis, quæ locutus es ad patres eorum: illa quæ iurasti atque promisisti Abrahæ de seminis sui multiplicatione ad modum stellarum cæli, item & de benedictione omnium gentium in semine eius, hæc suscitabis tum in illo tempore acceptabili, & adimplebis sicut fuisti pollicitus. 15. Et scindes tunc quidem ac diuides fluuios terræ vt fiant pertransibiles electis tuis, & absorbeantur in illis, omnem sæculi sapientiam, omnem scientiam mundanam atque terrenam siue animalem siue diabolicam, tu exhauries & superabis tua cælesti sapientia, vt nihil sit ab ea periculi fidelibus tuis: quod tum facies, quando tuis illis equis & quadrigis dabis os & sapientiam, cui non possint resistere omnes eorum aduersarij, quando perdes sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reproba- Lucæ. 23. bis, stultamque facies huius mundi sapientiam: * viderunt te sic flu- 1. Cor. 1. uios scindentem montes superbi sæculi, gloriantes in animali sapientia & prudentia sua, viderunt suam doctrinam euacuari, suamque sapientiam vt stultam reprobari: & dolore inuidiæ vehementer afflicti sunt, ita vt stridérent dentibus aduersum prædicatores tuos, & quærerent vel dentibus eos discerpere, si possent: * atque hinc grauis per- Psal. 123. sequutio exorta est seruis tuis, multæ tribulationes & mala plurima venerunt super prædicatores tuos, ita vt quasi gurges & impetus magnus aquarum super illos transierit: qui tamen gurges non super illos mansit neque in eo fuerunt absorpti, sed absq; nocumento transiit per Dei adiutorium, in quo torrentem persequutionis pertransiit Ecclesia, quam alioqui forsitan habuisset intolerabilem, & cuius aquis facile fuisset absorpta. 16. Suscitata est seruis tuis persequutio grauissima tũ à dæmonibus, tum ab hominibus in sublimi positis. Nã abyssus & dæmones inferni contraclamauerunt & restiterunt per sua vasa iniquitatis, quantum potuerunt, veritati: item & prauitas cordis atque ingenij humani, quod in malo quasi abyssus est, prauũ & inscrutabile, & quod in malis adinuentionibus atque mendaciis nunquam penitus exhauriri potest: * quibus adiuncta est altitudo & potentia sæculi huius, quæ manus suas leuauit contra sanctos tuos, vt veritatem opprimeret, quãdo in primordiis nascentis Ecclesiæ tuæ, pene omnes potentes & sublimes sæculi principes potentiã suam & virtutẽ oppposuerunt veritati, minis,

13 *Qui ascendens super equos tuos:*

* *& quadrigæ tuæ saluatio.*

14 *Suscitans suscitabis arcum tuum:*

* *iuramenta tribubus quæ locutus es.*

C

15 *Fluuios scindes terræ:*

* *viderunt te, & doluerunt montes:*

D * *gurges aquarum transiit.*

16 *Dedit abyssus vocem suam:*

* *altitudo manus suas leuauit.*

17 *Sol & luna steterunt in habitaculo suo:*

Ioann.1. * *in luce sagittarũ tuarum ibunt:*

* *in splendore fulgurantis hastæ tuæ.*

18 *In fremitu conculcabis terram:*

Psal.29. * *& in furore obstupefacies gentes.*

19 *Egressus es in salutem populi tui:*

Psal.10. * *in salutem cum Christo tuo.*

20 *Percussisti caput de domo impy:*

* *denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*

21 *Maledixisti sceptris eius:*

* *& capiti bellatorum eius.*

tormentis, & grauissimis persequutionibus, hoc agentes, vt Dei verbũ E
sileret, & maneret in suo vigore sapientia hominũ. Ita illis vocem dantibus, & quasi per rationem seculari sapientia pugnãtibus, hi manus leuant, & violentia agunt, sicque persequutio facta est seruis tuis gratissima. 17. Sed nunquid hãc ob causam tu implere desiisti quæ voluisti, in ædificatione Ecclesiæ gentium & cõuersione populorum? Nequaquã. Sol enim & luna moti non sunt, sed firmi permanserunt in habitaculo suo: Christus dominus, verus sol iustitiæ, lux vera, & luna Ecclesia, ab illius luminis participatione illuminata, non sunt priuati suo lumine, quantumuis illi cõtra nisi fuissent, sed firmi & stabiles permanserunt in loco suo, neq; de splendore suo quicquam perdiderunt: * Nam in splẽdore sagittarum tuarum ibunt, tam prædicatores Apostoli, quàm auditores populi: ambulabunt & pergent in saluationem, non obstante persequutionum gurgite, in splendore & luce verborum tuorum, quæ sunt quasi lucidæ sagittæ, illuminantes oculos hominũ, vt videant quò pergendum sit: & nihilominus corda transfigentes, vt nõ possint ambulare nisi vt ipsæ ambulandum monstrauerint: * simul & in spendo- F
re coruscantis hastæ tuæ: id est, in potentia faciendi miracula, quę quasi hasta est coruscans, sic valida & efficax, vt vel inuitum modo quodam cogere videatur ad credendum veritati, tam potentibus signis confirmatæ. Illis nanque sagittis lucentibus, & hac fulgurante hasta armati prædicatores veritatis, equi tui & quadrigæ, constanter & intrepide ibunt & peragrabunt terram: & in iisdem ambulabunt ad salutem homines, qui prædicatione illorum crediderint. 18. ita in his sagittis acutis & fulgurãte hasta cõculcabis, pessundabis, ac penitus superabis terram in fremitu suo, corda terrena quantumuis frementia: * & gentium populos in suo furore licet reluctantes, obstupefacies, quamuis videãtur furere & insanire aduersum te, attamẽ per tam potentia iacula tua, & per hastam illam prævalidam (quæ erunt testimonia nimis credibilia) in stuporem conuertes eos: & plurimos quidem salubriter conculcabis & obstupefacies, alios verò in damnationem, qui tam patenti veritati recusauerunt acquiescere. 19. Neque verò mirum, si in tempore illo acceptabili tanta venerit salus in terra, talis facta sit conuersio po- G
pulorum. Tunc enim ibi Deus pater omnipotens, egredi placuit ad salutem populi: tunc venit tempus miserendi, impletum est tempus quo exire voluisti per operationem salutis, ad populum tuum, ad operandum illi salutem: * egressus es (inquam) tu pater in populi tui salutem, non solus, sed vnà cum Christo filio tuo, per quem tibi placuit humani generis operari salutem. Neque tu solus aduenisti nobis saluator, neque solus tuus filius: sed venisti tu cum filio, & tecum venit tuus filius, neque dubium quin & spiritus sanctus (qui non potest non adesse vbi pater est & filius) quo sic nostra redemptio totius opus esse monstraretur beatæ Trinitatis. 20. In saluando populum tuum percussisti, vulnerasti, & superasti eum qui est caput de domo impij, principem domus impietatis, hoc est, principem huius mundi diabolum, qui est caput domus impij siue impietatis: id est caput & princeps impiæ Babylonis, quæ ex omnibus impiis constat in hoc mũdo. Ipse enim primus homicida fuit ab initio, mendax & pater mendacij, omnisque peccati principium: hoc caput tu percussisti, contriuisti, H
condemnasti, ac superasti in fortitudine diuinitatis tuæ: * & confusione permaxima affecisti, totam eius turpitudinem & impudicitiam atque simulatam nequitiam, simul & ipsius ignominiosam deiectionem, & contemptibilem cõculcationem manifestando & reuelãdo omnibus, tanquam si aliquem multum leprosum, aut aliàs sordidum, vestibus spolies, eumque denudes à fundamento vsque ad collum: id est, à parte infima vsque ad supremam, quomodo per talem vestimentorum ablationem siue denudationem totalem, vehementissima confusione sordibus ille perfunditur, reuelata omni turpitudine sua. 21. Maledixisti tu domine regno, imperio & potestati eius, destruxisti eius regnum & imperium & potestatem imminuisti: sicque velut sceptra eius, quibus sub tempore iræ dominabatur in mundo, confregisti: * & maledixisti quoque capitibus & ducibus bellatorum eius, maledixisti principibus sæculi, qui se exhibuerunt capita & duces pugnantium pro diaboli regno, qui pro veteri idololatria ac pristinis malis & antiquo diaboli regno confirmando, tota sua virtute agebant, & his maledixisti,

& hos

A * *venientibus vt turbo ad dispergendum me.*

22 *Exultatio eorum sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.*

* *& ascendam ad populum accinctum nostrum.*

B 23 *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.*

24 *Audiui, & conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea.*

25 *Ingrediatur putredo in ossibus meus: & subter me scateat.*

C

26 *Vt requiescam in die tribulationis:*

D

27 *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis.*

28 *Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum.*

29 *Abscindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præsepibus.*

& hos humiliasti atque deposuisti de sedibus: * insuper & omnibus illis exercitibus ac populis maledixisti, qui ad modum turbinis magna violentia venerunt contra sanctam Ecclesiam, contra populum tuum electum, ad oppugnandum, dispergendum, atque delendum eum de terra, & his maledixisti, & hos humiliasti, virtutemque eorum comminuisti, & confregisti, vt prævalere non potuerint. 22. Exultatio eorum qui veniebant ad dispergendum me, magna erat, veniebant contra me in magna petulantia & exultatione, quasi certam habentes victoriam, sicut est exultatio latronis aut prædonis qui pauperem in abscondito deuorat, spoliat, prædatur, aut etiam interficit in occulto: & cum prævaluerit, facit ei quicquid libuerit, & omne suum adimplet de eo desiderium: quoniam in occulto existens, vbi prævaluerit, neminem habet qui ferat oppresso auxilium, aut qui illum ab eo quodcunque voluerit, impediat. Ita & de Ecclesia tua sperabant principes mundi & exercitus, facilem reportare triumphum, & agere quicquid eis fuisset collibitum. 23. Tu autem domine per mare sæculi huius, licet tam multis persecutionum fluctibus æstuans & intumescens, fecisti viam equis tuis: tua virtute prædicatores verbi tui mare totum istud pertransierunt, in omnibus finibus eius facientes operationem suam: sic illos veloces, sic expeditos, sic agiles fecisti in tui spiritus virtute, deduxisti per medium lutum & cœnum aquarum multarum, per malitiam omnium populorum, ita vt nusquam infixi hæserint, sed omnibus superatis malis, contemptis minis & tormentis vniuersis, abierunt quocunque missi fuerant. 24. Omnia hæc tam miranda, tam stupenda, tam humano iudicio incredibilia, te interius in me loquente, & aurem mihi reuelante audiui, & plurimum conturbata est anima mea, mens mea præ admiratione nimia, velut in ecstasim rapitur, à voce ista sermonis tui, quam te interius loquente audiui, contremuerunt labia mea præ nimio pauore & stupore, quem intra me gignit tantæ dignationis admiratio. 25. Ego autem, tantis his auditis à te, quæ pro hominum salute in temporis plenitudine operari decreuisti, toto cordis desiderio populo illi qui hæc præsentiet adnumerari exopto. Et quanquã simul audierim illos multa aduersa passuros ab oppugnante malitia, non ob illorum sortem aduersor, sed etiam ad maiora (si fieri potest) paratum offero, ita vt etiam computrescant ossa mea & tabefiant præ afflictione & temporalibus malis, & caro mea ita computrescat, vt subter me putredo scateat: libenter summam huius mundi afflictionem & despectionem subire volo. 26. Vt vnà cum illis seruis Dei requiem postmodum accipere merear in illa salute, quam audiui in tempore malo, in die afflictionis & miseriæ, in tempore quando impiis (qui nũc florent, & gaudent) erit pessimè, quando illi in pœnis degent æternis: * vt ascendere possim ad populum istum nostrum accinctum, ad illum expeditum & fortem populum domini, de quo iam auditu percepi, ad illos equos accinctos, paratos atque expeditos ad opera domini: vt ad hunc populum valeam ascendere, & vnà cum illis in eandem salutem merear suscipi. Prorsus nihil æstimo, quicquid potuerit in hoc mundo afflictionis & despectionis contingere, modò ad illum accinctum populum, & simul cum illo ad eandẽ fœlicitatem mihi detur conscendere: libenter illis cupio particeps fieri in tribulationibus & laboribus, vt & ad eandem mihi detur pertingere requiem. 27. Nam quantum ad impios, illo in tempore requiei sanctorum, verè dies tribulationis erit, verè tempus summæ miseriæ, vbi erit egestas maxima, & omnis boni defectus. Illic enim non erunt florentes ficus, neque germinantes vineæ vnde haurire possent quibus pascantur, vt solent cum in mundo essent florentes in deliciis. 28. Opus oliuæ illic mentietur: hoc est, illic deficiet: quoniam non erit ibi oliua, quæ eis fructum præbeat: & nulli erunt agri, nulli campi qui producant cibum. 29. Auferetur pecus omne de ouili, nõ habebunt omnia ouilia ouilibus plena, neq; armenta boum, aliorumque maiorum animalium ad præsepia, quæ possint mactare cũ voluerint, eo modo quo solent facere, cũ in hoc mundo viuerent. Tunc enim omnis abundantia malorũ, qua floruerant, penitus deficiet: vt qui in hoc mundo omnibus abundant, nempe ficubus, oliuis, & vineis, vnde fructus accipiebant ad delicias, greges quoque & armenta, & cuncta

30 *Ego autem in domino gaudebo:*

* *& exultabo in Deo Iesu meo.*

Ioan. 15. Philip. 4. 31 *Deus dominus fortitudo mea:*
* *& ponet pedes meos quasi ceruorum.*

32 *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

abundantia, iam prorsus omnibus sint nudi & egeni, omnibus relictis in sæculo. Atque hinc admirabilis valde fiet commutatio, vt qui in vita præsenti satiari solebant, tunc esuriant: qui inebriari, sitiant: qui lætari & consolari, lugeant, & affligantur in sæcula. 30. Ego verò ab his toto corde me separans, & elongans, & populo illi accincto seruis fidelibus Dei mei me adnumerans, & voto cordis associans, non accipiam consolationem, non delectationem aliam, quàm in domino Deo meo, qui pro hominum salute tam magnifica cogitauit consilia: * & magnifice gloriabor, atque exultabo in Deo Iesu, id est (iuxta nominis interpretationem) saluatore meo: lætabor in patre, & exultabo in filio, per quem illa omnia tam magnifica nobis perficientur in tempore suo, simul & in spiritu sancto, qui non potest non adesse, vbi adsunt pater & filius. 31. Dominus Deus meus trinus & vnus, pater mittens, filius missus, spiritus sanctus vtrunque coniungens, & ab vtroque procedens, ipse est fortitudo, & virtus mea, sine quo nihil possum, & in quo possum omnia: * & ipse præparabit pedes meos, vt sint quasi pedes ceruorum: faciet me quoque accinctum esse, expeditum, atque velocem ad impletionem mandatorum suorum, vt possim huius mundi ima transcendere: id est, prospera & aduersa despicere, atque in altitudinem montium expeditus currere, ad cælestia festinare atque euolare, quomodo serui altitudines montium sua celeritate petunt. 32. Et ipse qui prior fecit victoriam, qui vt mihi vincendi daret fiduciam, prior vincere voluit mundum, diabolum, & mortem, ipse me quoque deducet super excelsa mea, ad illa excelsa & alta cælestis mansionis tabernacula, ad quæ contendo, ad quæ suspiro, vt sit etiam nunc in corpore mihi viuenti in cælis conuersatio, ac pòst in vita futura firma habitatio: ita (inquam) victor me deducet sibi in psalmis canentem, laudum cantica sibi persoluentem, pro tam magnificis mihi, & vniuerso humano generi exhibitis, præparatis bonis quibus perfruemur in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIONES IN CANTICVM ABACVC.

CAnticum istud, ob nimiam suam difficultatem (de qua in argumento dicimus) admodum variis modis à diuersis interpretibus exponitur: potissimum ob hoc, quod penè omnia in hoc cantico parabolicis & similitudinariis elocutionibus dicantur, in quibus solet varia esse significatio. Nos in Elucidatione vnicum sensum explanare contenti fuimus expositionum multitudinē, effugiendæ perplexitatis causa deuitantes: quum etiam absque sensuum plurium confusione, præ nimia difficultate vix capi possit simplex eius intelligentia. Hoc admonitum voluimus lectorem, ne fortè cū apud alios longè alios sensus in quibusdam compererit, nostra protinus quasi inania fastidiat, quæ nos post diligentem & non oscitanter adhibitam considerationem, vt magis consentanea toti processui cantici, pro nostro modulo diximus. Expositionem tituli, qui est, Oratio Abacuc prophetæ, pro ignorationibus, in argumento posuimus ex nostra sententia, ignorationes accipientes pro occultis & latentibus mysteriis quæ ignorantur, & occulta latent. Quod alij tamen interpretantur, pro ignorantiis diuinorum iudiciorum, vel pro peccatis ex ignorantia. Interpretes autem septuaginta, loco huius, pro ignorationibus, ponunt cum cantico, signanter dicentes hanc esse orationem cum cantico: quoniā videlicet orando hic propheta canit, & canendo orat: dum quæ audit venire precatur, & quæ ventura præuidet gloriando canit. ¶ Versu 1. Domine audiui auditum tuum. Auditum Dei intellige id quod loquitur Deus. Nam quod Deus loquitur, quatenus à Deo dicitur, verbum, aut sermo, aut eloquium Dei appellatur. ac rursum idem ipsum auditus dicitur, quatenus auditur ab homine. Eodem

Esaiæ. 53. hoc vocabulo in eandem significationem vsus est Esaias, cap. 53. dicens, Domine, quis credidit auditui nostro? id est, iis quæ nos à te audiuimus, quæ tu loquutus es nobis? Quod autem in altero versu sequitur, Viuifica illud, nos exposuimus per futurum indicatiui. Frequenter enim solet imperatiuus pro indicatiuo poni. Potest tamen & per deprecationem accipi non minus conuenienter, vt postulet impleri propheta quod futurum audit: Medium quoque annorum in eodem versu non accipiendum est secundum exactam supputationem Arithmeticam. Non enim opus incarnationis Christi, & redemptionis humanæ viuificatum aut notificatum est sic in medio annorum sæculi, quasi tantum temporis pòst sit relinquendum, quantum antè præcesserat. Venit enim Christus in ætate

1. Ioan. 1. 1. Cor. 10. Esaiæ. 2. vltima, & velut circum consummationem sæculi: propter quod Ioannes ait, Filioli, iam nouissima hora est. Et Paulus Apostolus ait, In quo fines sæculorum deuenerunt. Et Esaias nouissima appellauit tempora, dicens, Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini, &c. Sed medium istud annorum generaliter intellige tempus quod post initium, & ante finem interiacet: vt sit sensus, ante temporis consummationem. Quidam admodum subtiliter istud medium annorum exponunt, non de medio annorum sæculi, sed de medio annorum vitæ hominis, quo viuere potest homo, secundum consuetum naturæ cursum in bona qualicunque valetudine. Hoc enim tempus in

in psalmis assignantur anni septuaginta, cum dicitur, Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem septuaginta diuidas in duas partes æquales, tempus medium habes annos triginta quinque. Christus autem dominus salutem humani generis in cruce operatus anno ætatis suæ tricesimotertio, qui numerus admodum parum distat à tricesimoquinto. Vnde opus illud humanæ salutis rectè in medio annorum vitæ hominis dici potest viuificatum & notum factum. Alij annos istos duos accipiunt duo testamenta, annum scilicet seruitutis, & annum libertatis, qui etiam apud Esaiam annus domini acceptus appellatur. Quasi autem in horum annorum medio perfecit Deus opus redemptionis nostræ, quia consummato veteri, & nondum manifestato nouo, passus est. Nam post passionem cœpit annus acceptus notus fieri, & prædicari in gentibus. Neque tacendum quod hoc loco septuaginta interpretes habent, In medio duorum animalium cognosceris. Quod admodum diuersimodè exponitur. Intelligi enim potest, cognoscendum Christum in medio duorum latronum cruci appensum: quod satis impletum constat, quando signis admirabilibus in cruce pendens clarificatus fuit: ita vt diceret Centurio, Verè filius Dei erat iste, & reuertentes percutere pectora sua. Cui etiam consonat quod ante suam passionem ipse prædixerat, Quum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Alij duo testamenta intelligunt, quasi viuentia quædam animalia & vitam spirantia. Alij duo Cherubin, in quorum medio Deus sedem habere videbatur super veterem arcam. Alij in medio duorum populorum, à quorum vtroque post peractam salutem Christus est agnitus in vna Ecclesia, Quidam ex nostris simplici pietate intelligunt de animalibus quæ credunt fuisse in eodem hospitio, vbi natus est Christus dominus. Nam quòd præsepe ibi fuerit vbi Christus nasci voluit, apertè exprimit Euangelista Lucas, quum ait, Maria peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio. Quòd autem ibi animalia tum adfuerint, & si non apertè exprimat scriptura, piè tamen credi potest. Vbi enim præsepia sunt, solent illic iumenta stabulari, & maximè in noctibus, vt inter iumenta in humilitate maxima credatur fuisse natus dominus noster. Atque in hanc sententiam pietas quorundam etiam illud accommodat, quod Esaiæ primo capite dicitur, Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Quam sententiam in celebri illo & tritissimo Christianis cantico, cuius initium, Puer nobis nascitur: sequitur pietas deuota laudantium, quum ita canit, In præsepi ponitur sub fœno asinorum, Cognouerunt dominum Christum regem cælorum, quod indubitatum est de agnitione iumentorum intelligi. Pro quo etiam facit solenne illud responsorium, quod secundùm ecclesiasticum vsum (qui non est leuiter contemnendus) quarto loco in nocte natalis dominici canitur, his verbis, O magnum mysterium & admirabile sacramentum, vt animalia viderent dominum natum, iacentem in præsepio: beata virgo, cuius viscera meruerunt portare dominum Christum, &c. ¶ Versu 4. Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan. Ab Austro, siue à meridie, nos interpretari sumus, à patre vel è sinu patris: vbi nimirum perpetuò non aliud quàm meridies est, claritas semper plena, absque omni tenebrarum obscuritate, sicut in meridie, sole lucente in virtute sua. Idem quoque per secundam partem intelligimus, vbi dicitur, Et sanctus de monte Pharan. Siquidem Pharan apud Hebræos (vt ait sanctus Pagninus, vir in Hebraicis literis non mediocriter eruditus) significat gloriàm, vel gloriationē, vel glorioſum. Mons ergo Pharan, dicitur mons gloriæ, vel mons glorioſus. In quo rectè Dei patris glorioſam altitudinem intelligimus, vt significetur ab illa altitudine ſumma paterni ſinus aduenturus Dei filius. Cui etiam aſtipulatur, quòd ſeptuaginta interpretes pro monte Pharan verterunt, montem condenſum & vmbroſum. Maieſtas enim & altitudo patris, mons condenſus & vmbroſus rectè dicitur, propter occultationem ſuam: quoniam Deum (vt in Ioanne dicitur) nemo vidit vnquam, & lucem habitat inacceſsibilem. Propter quod, etiam alibi dicitur dominus habitare in caligine. Et alibi, Nubes & caligo in circuitu eius. In prima autem parte, quidam per Auſtrum intelligunt ſpiritum ſanctum. Auſter enim vel meridies, calidus eſt. Et ſpiritus ſanctus calor vel ignis appellatur, ſicut & amator. Vnde & in linguis igneis apoſtolis apparuit, & datus fuit. Et de eo Chriſtus dominus ait in euangelio, Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Peculiari verò modo ſic ab Auſtro Dei filius venire dicitur: quoniā ex maximo amore & charitate ſumma erga nos acceſsit ad nos, vt nos faceret ſaluos ab omni malo, in vitam æternam: quemadmodum ſanctus ait apoſtolus, Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Et dilectus domini diſcipulus in ſacrę Apocalypſis exordio. Qui (inquit) dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Apertiſsime quoque ipſe dominus in euangelio de patris dilectione teſtatur, dicens, Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſo, nō pereat, ſed habeat vitā æternā. Quidam in hoc aduentu Chriſti ab Auſtro intelligunt natiuitatem eius in Bethleem, quam dicūt ſitā eſſe ad meridiem. ¶ Verſu 6. Cornua in manibus eius. Cornua iſta (iuxta ſanctorum patrū rationabilē æque, ac piā interpretationē) expoſuimus cornua crucis. Sed quare cornua iſta dicūtur fore in manibus Chriſti, & nō magis ecōtrario manus ipſæ in cornibus crucis? Nā ita magis videbatur dicēdū. Qui ſimpliciter intelligere voluerit, dicet, per tranſpoſitionē dictum eſſe vnum pro altero, Cornua in manibus eius: pro, Manus eius in cornibus: quemadmodum apud poëtam, Perflauit fiſtula buccas: loco huius, Perflarunt buccæ fiſtulam. Et in Pſalmo 11. Cinerem tanquam panem manducabam: quidam loco huius accipiunt, Panem tanquam cinerem manducabam. Altiori tamen conſideratione poterit attribui myſterio, quòd cornua ſignanter dicantur eſſe in manibus Chriſti ad ſignificandum videlicet quòd non violenter teneretur in cruce, quaſi non poſſet ipſe, ſi veller, ſe liberare, manus detrahere, & clauos quibus affixæ erant manus depellere, ſed ex amore & voluntate ſua. Verius enim ipſe ſe in crucis cornibus

Pſal. 91. Pſal. 91. Lucæ. 4. Matt. 28. Lucæ. 23. Ioan. 8. Lucæ. 2. Ioan. 1. 3. Reg. 8. 2. Par. 6. Pſal. 96. Actu. 1. Lucæ. 12. Epheſ. 5. Apoc. 1. Ioan. 13. Ioan. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus tenebat, aut ipsa tenebat crucis cornua, quàm cornua crucis illum tenuerint. Quomodo enim E
ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam: & nemo tollit eam à me, sed
ego pono eam à meipso: ita procul dubio potestate habebat tenendi in cornibus crucis manus suas,
& potestatem habebat, si voluisset, iterum resumedi eas: & nemo quasi per vim expandit illas in cor-
nibus crucis, sed ipse eas posuit, & dedit vt affigerentur illis. Possunt etiam per cornua in manibus,
intelligi illi cornuti & rudes claui, quibus beatæ manus in crucis arbore confossæ & confixæ fue-
runt. Rursum ad similitudinem arcus poterimus accipere sermonem. Habet enim arcus duo cornua,
id est, duo latera. Atque hoc modo quod dicitur: Cornua in manibus eius, significat Christum acce-
pisse arcum in manu sua, ad sagittas videlicet suas iaciendum, & fugandum diabolum. Vnde & sub-
iungitur, Ante faciem eius ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes, quasi non ferens arcum illum
potentis, sagittas tam acutas iaculantis. Atque ita ferè per totum hoc canticum, singuli versus variis
possent modis exponi: & possent singulorum ferè versuum diuersæ assignari intelligentiæ. Nos ta-
men ne nimium prolixi efficiamur, aut magno aceruo interpretationum rem amplius inuoluamus,
iis quæ in Elucidatione diximus contenti, de huius cantici verbis plura non adiicimus.

ARGVMENTVM IN CANTICVM
Moysi, cuius initium, Audite cæli.

F

Moyse iam appropinquante morte, prænoscens dominus præuaricationes filiorum Israël, quibus eum ad iracundiam erant prouocaturi, post introductionem in terram promissionis: quomodo videlicet ad idolo-latriam, atque alia turpissima facinora, Deo cæli abiecto, & lege eius prorsus contempta, deflecterent, iussit Moysi describere canticum istud, cuius initium, Audite cæli, &c. vt esset posteris canticum istud in testimoniũ, in quo vniuersa mala quæ illis propter transgressionem ex Dei iustitia erant superuentura, apertissimè pariter atque seuerissimè proponeret, quo magis forent inexcusabiles. Ac primũ quidem in hoc cantico cælum & terram in testimonium legislator aduocat, contestaturus duræ ceruicis populum. Denique magnificentiam & perfectionem in omnibus & operibus & verbis ante omnia proponit, ob quæ vel maximè debet esse mortalibus venerandus. Statim ad increpationem peruersæ generationis verba conuertens, quòd creatorem & patrem omniũ Deum derelinquerent, à quo præter illud creationis & generationis beneficium omnibus gentibus commune, tam speciali electione fuerant electi in peculium siue in populum peculiarem præ omnibus gentibus, et pro quibus tam multa stupenda signa atque prodigia fuissent ædita, ex omni potẽtia domini in eductione de Aegypto, & deductione per desertum, atque introductione in terram lacte & melle manantem: id est, omnium bonorum quæ ad agendam vitam sunt opportuna, abundantia affluentem, post quæ omnia suscepta beneficia, dissoluti præ deliciis ingrati filij Israël, dereliquerunt dominum, & conuersi sunt ad idolorum culturam atque sacrificia, quibus rebus grauissimè ad iracundiam prouocarunt dominum: propter quod vltionem eis grauissimam cum magna seueritate denunciat vniuersorum malorum, adeò vt etiam penitus gentem illam tam ingratam & perfidam voluisset delere, si non propter superbiam inimicorum, iactantiamq; & exprobrationem id facere omisisset. Atque hæc plusquam dimidium cantici occupant. Post quæ, mentem saniorem & prouidentiam venturorum malorum optans insipienti populo, iterum malitiam eius describens, vineam de Sodoma & Gomorrha eũ appellat: & abominationes eorum, vuas fellis, botrosq; amarissimos: fel item draconum, & venenum aspidum, illorum doctrinã pessimam, pro quibus omnibus, sub persona domini (qui subito introducitur loquens, ac dicens: Nonne hæc condita sunt apud me, &c. Mea est vltio, &c.) pœnam comminatur condignam aduenturam in proximo. Erga tamẽ populum suum & seruos suos propheta dominum semper suam misericordiam seruaturum promittit, quantumuis erga impios seuerum se vltorem ostendat. Iterumq; ingrato populo exprobratur super falsis diis quos coluerunt, quòd auxilium in angustia positis præbere non possint suis cultoribus: exaduerso autem domini loquẽtis subitò persona adiungitur. Vide, quòd ego sum solus, &c. vbi suam tremendam & terribilem illam iudiciariam potestatem, multa verborum magnificentia exprimit vsq; ad versus duos nouissimos: qui, exhortatio sunt Prophetæ ad populum gentium, quem in spiritu præuidebat in temporis plenitudine Deo adiungendum.

ELVCIDATIO IN CANTICVM MOYSI.

H

1 *Audite cæli quæ loquar: audiat terra verba oris mei.*

2 *Concrescat vt pluuia doctrina mea:*

* *fluat vt ros eloquium meum.*



Ontestaturus ego hodie populũ duræ ceruicis, & seriò ventura omnia ex Dei præcepto illi denũciaturus, inuoco vos, ô cælum & terra, ad audiendum hæc verba quæ ex præcepto domini loquar per os meum, vt sitis mihi in testimonium contestationis huius, quam facturus sum audientibus. 2. Doctrina hæc quam loquar per os meum, audientibus vobis & vniuerso populo isto, coalescat, & concrescat ad modum pluuiæ: quomodo pluuia ex concretione & coagulatione tenuis nubis cõcrescit, coagulatur, & condensatur, vt non amplius hæreat suspensa in aëre, sed pondere suo cadat in terram: ita hæc mea verba quæ loquar, cupio suo pondere super corda audientium cadere, non quasi leuia auolare in auras, aut ventis dissipari: quod contingit nubibus quæ nõ concrescunt, non cõgelantur in pluuiam: *verbum contestationis meæ fluat ad modum roris, sic dulciter labatur super audientium corda, & fructum faciat in eis, quomodo ros super terram cadens, eam fœcundam ac frugiferam reddit. 3. Quemadmodum imber cadens super herbas, & pluuiales guttulæ super gramina, vigere simul & virere faciunt humectata, sic verbum istud contestationis meæ opto in audientium cordibus humorem bonum mittere, & fructum fidelis ac mansueti cordis facere: * Dignum est enim, vt non sine fructu vacuum egrediatur verbum istud meum, quod loquar in nomine domini, quoniam iam in exordio sermonis mei nomen inuocabo domini, ex cuius loquor imperio. Non enim à meipso quæ loquuturus sum loquar, sed domini erit verbum, cuius tantùm ego ministrum me offero. 4. Ante omnia verò, ô populе domini, filij Israël, vos hortor ac moneo, Deo nostro, vni viuo, ac vero (cui non est similis in diis, & præter quem non est alius) dare gloriam, magnificentiam & honorem, sicuti dignus est, omnem gloriam, omnem honorem, & omnem benedictionem accipere: * Dei enim nostri omnia opera perfecta & integra sunt, ita vt nihil in omnibus operibus eius quisquam reprehendere possit, aut ostendere quicquam aliter factum esse, quàm fieri debuerit, aut non ita ab eo factum, vt debuit fieri: * & omnes actiones eius, quibus agit cum humano genere, sunt iustissimæ & in iudicio dispositæ secundum plenissimam æquitatem. 5. Deus ipse noster verax & fidelis est, qui mentiri non nouit, neque fallere, & absque omni iniquitate, perfectè iustus & rectus est: fidelis est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: omnia quæcunque facit, in vero facit iudicio, suntque opera manuum eius veritas & iudicium, vt falsitatis nihil, nihil iniquitatis in eo possit inueniri: propter quod ex ipsi parte non est quod nos queramur de tam perfectissimo, tam fidelissimo, tam iustissimo, tam rectissimo domino Deo nostro, neque in eo nos desiderare quicquam possumus: * veruntamen aduersus hunc talem ac tantum dominum peccauerunt transgressores impij, in sordibus peccatorum suorum: qui cum filij Dei & populus ipsius nominari velint, verè tamen appellationem hanc non merentur propter inobedientiam peccati, sed potius non filij, & non populus eius merentur appellari. 6. O praua atque peruersa generatio, ô populе stulte & insipiens, populе duræ ceruicis, semper diffidens, semper obmurmurans creatori suo, hæccine mala sunt quæ tu reddis domino Deo tuo? murmuratio, tentatio, blasphemia, diffidentia, cultus idolorum, & alia huiusmodi peccata pessima, in quibus dominum Deum vestrum offendistis multipliciter, istáne sunt quæ domino Deo vestro tam eximio, tam perfecto, tam iusto, tam fideli, pro gratiarum actione persoluitis? istine sunt fructus, ô vinea amara, quos satori & cultori vestro profertis? 7. Nónne dominus Deus vester, in quem peccastis, ipse est verus ac primus pater vestrum omnium, qui vos in possessionem elegit, atque peculium ex omnibus gentibus, & cuius vos possessio estis subiectique eius dominio? *qui etiam sua omnipotentia, sapientia, & bonitate vos plasmauit, tam secundum corpus, quàm secundum animam: & creauit de nihilo, vt essetis aliquid, & non solum aliquid in rerum natura; verum etiam creaturæ rationales. Huic ergo electori, possessori, factori, & creatori vestro, ô praua generatio, rependitis? 8. Super hæc quæ vobis, ô Israël, cum cæteris gentibus sunt communia, reuoca in memoriam dies antiquos, tempora præterita: & quæ in eis gesta leguntur pro patribus vestris, ante mentis oculos ponite, & reuoluite singulas generationes & sæcula, & quæ per diuersas generationes, atque diuersa sæcula pro patribus vestris magnificè à Deo gesta leguntur. 9. Vos posteri qui post generationes multas venturi estis, quos necdum etiam natos, & adhuc absentes alloquor non minus, quàm præsentes, qui ipsi forsitan non vidistis mirabilia quæ fecit pro populo suo Deus, discite à parentibus vestris, interrogate patres vestros, & ipsi vos docebunt mirabilia illa quæ tam peculiari miraculo pro populo suo fecit: maiores & seniores interrogate, & ipsi vobis hæc indicabunt, vel quæ suis oculis ipsimet viderunt, vel auditu fide digno à suis maioribus acceperunt. Ipsi vobis indicabunt, quanta, quàm magnifica ostenderit dominus populo suo, vt sic discatis, quanto debito obstringamini domino Deo vestro, præ omnibus gentibus, & quàm debeatis illius esse seruituti addicti, qui tam magnificè egit vobiscum, & cum patribus vestris. 10. Cum ipse altissimus post dilu-

3 *Quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina:*
* *quia nomen domini inuocabo.*
4 *Date magnificẽtiam Deo nostro:*

* *Dei perfecta sunt opera:*

B * *& omnes viæ eius iudicia.*

5 *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus & rectus:*

* *peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus.*

C 6 *Generatio praua atque peruersa, hæccine reddis domino, populе stulte & insipiens?*

7 *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te: * & fecit, & creauit te?*

D 8 *Memento dierum antiquorum: cogita generationes singulas.*

9 *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi:*

10 *Quando diuidebat altissimus gentes, quã-*

Psal. 85. Apoc. 4. & 5.

Titum. 1. Psal. 144. Psal. 110.

do separabit filios Adam.

12 Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël.

*13 Pars autem domini populus eius: * Iacob funiculus hæreditatis eius.*

14 Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis.

15 Circunduxit eum,

**& docuit,*

** & custodiuit quasi pupillam oculi sui.*

16 Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.
17 Expãdit alas suas: & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.

18 Dominus solus dux eius fuit:

** & non erat cum eo Deus alienus.*

19 Cõstituit eum super

diluuium gentes diuideret, & filios Adam iam rursum per Noë mul- E
tiplicatos superaret, cum in ædificatione turris Babel confunderet linguas ædificantium, vt non audiret vnusquisque vocem proximi sui, sicque eos diuideret ex eo loco in vniuersam terram, & super faciem cunctarum regionum terræ: aliis ad Orientem, aliis ad Occidentem, aliis ad Meridiem, aliis ad Septentrionem, diuersa loca occupantibus. 12. In hac (inquam) diuisione hominum, populos admodum multos constituit, atque separauit, & in eodem penè numero, in quo postmodum filij Israël descenderunt in Aegyptum. Nam sicut Iacob descendente in Aegyptum, omnes animæ domus eius fuerunt septuaginta, ita in hac diuisione terræ, secundum eundem ferè numerum diuisæ sunt gentes. 13. Et quum in tanto numero diuisæ essent gentes abinuicem, non elegit tamen dominus vllam ex illis gentibus: sed populum suum, filios Israël, nondum natos, post autem nascituros, in partem sibi separauit:
*Populus Iacob factus est funiculus hæreditatis: id est, sors & por- F
tio hæreditaria eius: solum populum Israël ex tot gentibus & linguis voluit eligere sibi in populum, & in peculium ex omnibus, quæ peculiaris Dei electio, haud dubie maximæ fuit dignationis, & digna, quæ à posteris cum summa cordis gratitudine recogitetur attentius. 14. Populus autem iste Israël non erat ab exordio, quum primum diuiderentur gentes, sed nouus & recens populus est multo post genitus, quem dominus post eductionem de terra seruitutis, de Aegypto, inuenit in terra deserta, in loco horrido, & in vasta solitudine: quem post liberationem de seruitute Aegypti, quodammodo inuenit quasi nouum populum, eo quòd tunc incipere se ostendere illius populi singulariter dominum, liberatorem, & custodem, illicque in loco deserto cœpit eius gerere curam, illumque in suam curam tanquam filium suscipere. 15. Neque defuit paterno officio suo dominus erga populum suum, sed diligenter circunduxit eum, præcedens in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem: ad demonstrandum iter ignotum populis, quò deberent pergere, ad locum sibi promissum: *eundemque G
per Moysen docuit, & lege æquissima instituit, vt sciret, quomodo Deum suum colerent: quidque agere, aut omittere deberent, quod maximum fuit diuinæ bonitatis beneficium: *insuper & custodiuit, ac protexit illum summa diligentia atque solicitudine, defenditque ab omnibus hostibus, & quibusuis noxiis, ad eum modum quo in corpore humano, oculi pupilla naturali solicitudine custodiuntur diligentissime. 16. Quomodo aquila se habet erga pullos suos, prouocando eos ad volatum, & ad hoc super eos iterum atque iterum volitans, & hoc pacto quasi doceat, & moneat volare pullos, quum iam ad volandum sufficere cœperint: ita dominus se habebat erga populum suum filios Israël, omni studio velut laborans ad leuandum illos de terra & peccatis suis, vt murmurationem, infidelitatem, tentationem, ac concupiscentias suas deserent, fidem verò & obedientiam discerent. 17. Quomodo aquila, donec adhuc impotentes sunt ad volandum pulli, expansis alis suis, portat illos quò voluerit, cum sedes fuerit mutanda, fuerit- H
que migrandum: sic dominus omnipotens, hunc populum affectu paterno complexans, quasi in expansis alis suæ misericordiæ gestauit, quum eum de se impotentem Aegyptiacam seruitutem euadere mirabiliter eduxit, atque emigrare fecit: assumsitque eum quasi in humeros suos, atque ita eduxit eum, qui ex semetipso nunquam à ferrea illa captiuitate protuisset effugere. 18. Quum autem migraret populus iste, & exiret de Aegypto, dominus omnipotens, Deus cæli, solus fuit dux eius, non habuerunt alium liberatorem, alium propugnatorem, alium ducem, quàm dominum Deum suum, qui per manum Moysi serui sui educebat illos in fortitudine brachij sui, ac postmodum eductis ducatum & defensionem præstitit: *solus (inquam) Deus verus erat cum eo, ad protectionem atque ducatum, & non erat cum eo vllus Deus alienus, præter dominum Deum cæli fortissimum: propter quod ipsi soli debetur pro tanto beneficio gloria & gratiarum actio. 19. Neque verò solum de terra seruitutis eduxit eum, sed eductum, suo tempore

A *excelsam terrã vt comederet fructus agrorũ.*
20 Vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo.

21 Butyrum de armento, & lac de ouibus, cũ adipe agnorum & arietum filiorum Basan.
*22 Et hircos cũ medulla tritici: *& sanguinẽ*
B *vuæ biberent meracissimum.*
23 Incrassatus est dilectus & recalcitrauit.

**incrassatus, impinguatus, dilatatus.*
*24 Dereliquit Deum factorem suum: *& re-*
C *cessit à Deo salutari suo.*
25 Prouocauerunt eũ in diis alienis: & in abominationibus ad iracundiam concitauerũt.

26 Immolauerunt dæmonijs & non Deo.
**dys quos ignorabant.*

D

27 Noui recentesq; venerunt, quos non coluerunt patres eorum.
28 Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es domini creatoris tui.
*29 Vidit Dominus, & ad iracundiam cõcitatus est: *quia prouocauerunt eũ filij sui et filiæ.*

re posuit & habitare fecit in montanis, in locis sublimibus terræ promissionis, in terra alta & maxime fertili, vt ad abundantiam frueretur delitiis & fertilitate agrorum, quæ est illic maxima, adeò vt iure dicatur melle & lacte manare. 20. Vt sugeret & comederet mellis dulcedinem, cuius est ibi multa copia, quod in illa terra sponte producunt apes in petrosis locis, ob nimiam terræ dulcedinem, simul & oleum pingue, quod manat de saxis durissimis, in locis saxosis, vbi oliuæ abundant, & fructificando præbent oleum, pro terræ dignitate præstantissimum. 21. Vt de armento & gregibus vaccarum butyrum acciperent pinguissimum, simul & lac de ouibus vnà cum adipe agnorum & arietum talium, quales nutriunt filij Basan: id est, possidentes & nutrientes in terra sua agnos & arietes tantæ pinguedinis, quantæ sunt in terra filiorum Basan, vbi sunt arietes & agni delicatissimi, propter vberrima quæ habent pascua. 22. Hircos quoque & triticum plenum medulla siue adipe, triticum delicatissimum, hoc est, vt abundanter & copiosè acciperent omnia quæ ad esum spectant, tam in carnibus, quàm in pane, & in aliis quæ esui solent accommodari: *& pro potu verò acciperent ex fœcunditate terræ sanguinem vuæ meracissimum: id est, liquorem vini fortissimi & preciosissimi, quod colorem referat sanguineum, in testimonium suæ præcellentiæ. 23. His autem omnibus ex Dei dono acceptis beneficiis, populus iste sic à Deo dilectus, cui tanta dilectionis indicia monstrauerat, non motus est ad seruiendum suo benefactori, vel ad gratias reddendum illi pro tantis vltro & gratis collatis beneficiis, sed impinguatus atque incrassatus ex vsu temporalium donorum, murmurauit & rebellauit contra dominum, diuersis modis & pluribus vicibus tentando, murmurando, in idololatriam declinando, Deum verum relinquendo, alienos adorando: *ita est incrassatus, impinguatus, & dilatatus populus iste secundum corpus: sederunt vt comederent & biberent, ac post surrexerunt ludere, & Deos alienos Exod. 32.
colere. 24. Post omnia Dei percepta beneficia, dereliquerunt dominum Deum factorem & creatorem suum, solum vnum viuum & verum Deum, qui illos & secundum corpus & secundum animam fecit, & condidit: *& recesserunt à Deo salutari suo, qui solus illis salutem præstiterat de manibus omnium inimicorum, & qui solus illos saluare potens erat, aduersus omnes Deos gentium & nationes terrarum, quantumlibet fortissimas. 25. Irritauerunt eum per adorationem deorum alienorum, & in abominationibus quas fecerunt, insequentes exemplum idololatrarum, prouocauerunt eum ad iracundiam, dominum Deum suum per idololatriam, offenderũt grauissime, & per abominanda sacrificia, quæ illis idõlis faciebant contra præcepta domini, secundum consuetudinem nationum infidelium, quæ erant in circuitu. 26. Fecerunt enim sacrificia & oblationes idolis, & in ipsis dæmoniis: contempto, relicto domino Deo, vno, viuo, & vero, & prælegerunt seruire ac sacrificia facere diis falsis (quæ dæmonia sunt, & non dij veri) potius quàm domino Deo suo: *diis (inquam) falsis & vanis, quos patres ipsorum ignouerant, quibus non seruierant patres eorum, imò quos ipsimet ignorabant, quorum potentiam nunquam ipsi fuerant experti, quos nunquam vlla viderant edidisse mirabilia, quemadmodum dominum Deum Israël cognouerant, ex signis & prodigiis potentiam diuinam certissime attestantibus. 27. Nouos & recentes deos introduxerunt sibi ad colendum, quos patres eorum non coluerant, contra Dei im- Psal. 70.
perium: qui præceptum illis dederat, vt non esset inter eos Deus recens, neque alienus, sed vnum adorarent dominum Deum suum. 28. Ita, ô generatio praua atque peruersa, per idololatriam dereliquisti cultum domini Dei tui, qui te & secũdum corpus & secundũ animam formauit de nihilo: & oblita es eius qui te creauit, à quo habes hoc ipsum quod es, & cuius est mun* quicquid habes boni huius oblita es, hunc cõtemnis & abiicis, quoniã ab eius cultu recedis, & præcepta eius trãsgrederis. 29. Cõsiderauit dominus hanc pessimã infidelitatem & ingratitudinẽ populi sui, cui tãta dilectiõnis indicia iã mõstrauerat, & iratus est vehementissime: *Nam ad iracundiam eum prouocauerunt filij & filiæ, illi qui nomen gerebant filiorum & filiarum, quos

30 *Et ait: abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum.*

31 *Generatio enim peruersa est, & infideles filij.*

32 *Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis.*

33 *Et ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.*

34 *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima.*

35 *Deuorabit terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.*

36 *Congregabo super eos mala: & sagittas meas complebo in eis.*

37 *Consumẽtur fame:* * *& deuorabunt eos aues morsu amarissimo.*

38 *Dentes bestiarum immittam in eos:* **cum furore trahentium super terram atque serpentium.*

39 *Foris vastabit eos gladius, & intus pauor:* **iuuenem simul ac virginem, lactantem cum homine sene.*

ipse habebat tanquã filios & filias, & quos vicissim decebat erga Deũ se exhibere vt filios & filias: quod ab his (inquam) prouocaretur, à quibus decebat, vel maxime paternum honorem accipere, hinc vehementissime ad iracundiam concitatus est. 30. Iratus autem dominus, ita apud sese locutus est, ad exercendam vltionem pro transgressione impietatis: Abscondam à transgressoribus istis faciem meã, non me illis præsentem demonstrabo in protectione & custodia quomodo olim feci, donec mihi essent obedientes: subtraham aliquantulum fauoris mei præsentiam, & quasi absens considerabo, quid tãdem illis euenturum sit, posteaquam à me derelicti fuerint, videbo ad quantam miseriam & quantam humilitatem deuenturi sint, vbi ego abscondero ab eis faciem meam, vt vel hoc modo discant, quantum accipiant ex mea præsentia atque fauore beneficium, sicque vel vexatione dante intellectum, cognoscant quid egerint. 31. Et profecto digni sunt quibus hæc faciam, quoniam populus prauus & peruersus sunt isti, & filij rebelles, infideles atque ingrati: non sic erga me fideliter officium seruant filiorum, quomodo erga illos ego exhibeo patris officium, & paternum monstro affectum. 32. Ipsi me ad iracundiam prouocauerunt: atque offenderunt, in cultu idoli, vel dæmonis; qui non est, neque dici meretur Deus: & ad iracundiam me prouocauerunt in abominationibus suis, in idolorum cultibus, & sacrificiis suis vanissimis, quæ secundum ritum nationum contra legem meam faciunt. 33. Et ego vicissim, vt pœna respondeat culpæ eos ad iracundiam prouocabo (hoc est, puniam, voluntati eorum faciendo contraria) in eo qui non est populus: hoc est, per gentes vilissimas, & nullius quasi reputationis, quas ipsi vix populi, aut gentis nomine olim dignati fuerant appellare: puniam eos, populos scilicet prius ab eis contemptos, & despectui habitos, illis præponendo. 34. Ignis vltionis meæ exardescit, & iam succensus est in iracundia furoris mei: & non cessabit ardere hic furor iræ meæ, donec ad nouissimum illos perducat in ignem inferni: in iracundia mea incipiam eos punire nunc in hoc sæculo, donec postmodum in ignem eos conijciam sempiternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. 35. Ignis iste furoris mei absumet terram cum germine suo, terram præuaricatorum, & omnes qui sunt in ea consumet: qui ignis montium etiam fundamenta comburet: id est, quantumuis sublimes, potentes & glorioſos consumet, & penitus quasi vsque ad fundamenta comburet. 36. Ego dominus, adducam ex diuersis mundi partibus, & congregabo super eos mala plurima, & plagis diuersis affligam illos, tanquam si è pharetra mea semel vniuersas meas sagittas in illos plenè effunderem: neque erit vlla plaga, quã non feriam illos, vt non videatur restare modus alius quo puniam illos. 37. Nam primum quidem famem maximam, defectumque & penuriam cibariorum immittam super illos, quæ plaga proculdubio est non minima: *insuper & gentem velocem atque rapacem à longè adducam contra eos, qui in modum auium rapacium deuorabunt eos amarissimo morsu: id est, interficient crudeliter, & absque vlla misericordia. 38. Immittam in eos dentes bestiarum, homines crudeles, immanes, irrationabiles, & immisericordes, & in similitudinem bestiarum adducã eis, qui sua sæuitia, & miseranda crudelitate illos perdent, ad eum modum quo crudeles bestiæ solent dentibus suis dilaniare & perdere: *etiam aduersum eos mittam furibundas & insania exagitatas venenatas bestias, repentes, atque serpentes super terram: hoc est, gentes pessimas crudelitate & malitia plenas, non aliud quærentes, quàm suæ malitiæ virus effundere, atque effusione veneni perdere: *Nonnunquam etiam corporales bestias illis immittam, simul & serpentes diuersi generis, qui rebelles creaturas rationales puniant. 39. Non erit eis requies, neque in ciuitate, neque extra ciuitatem, neque in domo, neque extra domum. Nam foris, id est, extra domum, ciuitatem vel regionem, interficientur gladio, vbicunque fuerint reperti ab hostibus suis: intus autem, id est, in ciuitate, vel in latibulis, aut domibus suis, pauor mortis, & timor hostium exercebit eos: *ita (inquam) omnes in vniuersum gladius & pauor vastabunt, cuiuscunque conditionis, ætatis, aut sexus fuerint, tam adulescentulos, quàm adolescen-

40 *Et dixi: vbinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.*

41 *Sed propter iram inimicorum distuli:* **ne fortè superbirent hostes eorum.*

42 *Et dicerent, manus nostra excelsa.*

* *& non dominus fecit hæc omnia.*

43 *Gens absq; consilio est, & sine prudentia:*

* *vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

44 *Quomodo persequebatur vnus mille, & duo fugarẽt decem milia?*

45 *Nonne ideo, quia Deus suus vẽdidit eos, & dominus conclusit illos?*

46 *Non enim est Deus noster vt dij eorum:*

* *& inimici nostri sunt iudices.*

47 *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ.*

adolescentulas, tam infantes adhuc lactantes, quàm homines senes atque decrepitos. Non enim vlli ætati, neque vlli sexui parcet hostium crudelitas. 40. Et dixi ad modum hominis plurimum iracundia exardescẽtis, vbinam sunt præuaricatores isti? digni profecto sunt si rigorem persequar meæ iustitiæ quos funditus deleam, ita vt pereat de terra memoria eorum: digni sunt ob suã nimiam ingratitudinem, qui ita penitus deleantur de terra, vt nec memoria relinquatur eorum super terram in hominibus, quique fiant quasi nunquam fuerint. 41. Licet autem hoc illorum ingrata infidelitas merito exposceret, nolui tamen quantocyus id perficere: sed completionem huius punitionis distuli propter superbam iracundiam, vel iracundam superbiam inimicorum: *videlicet ne hostes illorum superbirent etiam contra me, sibi ascribendo victoriam, atque de triumpho sibi plaudendo, non meum agnoscendo iudicium. 42. Ne in superbia gloriantes dicerent adinuicem, Ecce manus nostra excelsa & glorioſa est in fortitudine, brachium nostrum præpotens est atque prænalidum, in quo nos omnem hanc peregimus victoriam de populo Iudaico: *& non fecit ista omnia Dominus, sed nosipsi propriis viribus nostris in multitudine exercitus & fortitudine armorum cuncta peregimus. Ob hanc videlicet causam, ne occasionem præberem sic superbe gloriandi aduersariis, ac simul etiam meum nomen blasphemandi distuli, ne penitus delerem populum meum, licet ex se optime hoc suis malis commeritum. 43. Gens stulta est populus iste meus, absq; consilio & absq; prudentia, non secundum rectæ rationis iudicium vitam instituens, neque cum prudentia debita quid agat considerans, populus absque sano iudicio est, non attendunt quid æquum ac rectum, quid decens atque conueniens, denique quid sibi vtile aut expediens, sed inconsulte & imprudenter nimis, ea eligunt & agunt, quæ sibi & summè inutilia sunt, & maxime noxia: *vtinam saperent, non sapientia carnis, quæ mors est & inimica Deo, sed sapientia spiritus, sapientia vera, quæ desuper est: vtinam intelligerent atque cognoscerent suorum peccatorum magnitudinem & multitudinem, legem ita & omnia quæ illis tradita sunt, ad obseruandum ea: ac cum iudicio nouissima prospicerent, tam præmia quam tormenta æterna haberent ante mentis oculos. 44. Si vel hoc attenderent & intelligerent, quomodo vnus ex hostibus persequebatur mille eorum, & duo ex hostibus fugabant decem milia ipsorum, id est, paucissimi numero hostes maximum exercitum deuicerint: cuius rei vel solius consideratio, merito admonere illos debuisset, quòd ob sua peccata omnia illa mala ita paterentur. 45. Quã enim aliam ob causam in captiuitatem venerunt, & subiectionem hostibus suis, nisi quia dominus Deus eorum ob peccata sua tradidit eos, & quasi vendidit in potestatem ac subiectionem hostibus? quia dominus voluit eos in captiuitatem & seruitutem concludere? 46. Nam Deus noster non est sicut dij gentium infidelium, qui de suis cultoribus non faciunt vltionem, neque puniunt eos, si quando offenderint: quoniam potestatem non habent se vlciscendi, aut vindictam vllam faciendi: sed Deus noster populum suum quantocyus arguit & corripit variis plagis, vbi declinare cœperit, nimirum iustus ipse, & potestatem habens exercendi iudicium in populum suum, vbi transgressus fuerit præceptum suum; *cuius rei testes & iudices siue comprobatores sunt etiam inimici & aduersarij nostri, infideles, principes & populi: qui subinde manum Dei & potestatem eius in seipsis grauissime experti sunt, quemadmodum videlicet Pharao cum sibi subditis, & alij reges atque populi horum consimiles plurimi, iudicium Dei & potestatem eius in semetipsis euidentissime experti. 47. Ratio autem quare dominus ita illos de populo suo voluit tantis affligere malis, insignis & nimia ipsorum malitia fuit. Nam vinea eorum fuit de vinea Sodomorum, & de locis Gomorrhæ: id est, assimilati sunt vel æquati in peccatis populo Sodomorum & Gomorrhæorum, qui erant peccatores nimis coram domino, & homines pessimi: & cum illos Deus plantauerit vt vineam Soreth, vineam electam, de stirpe Patriarcharum, ipli propter malitiam suam commutati sunt in vineam pessimam, tanquam si de Sodomitis & Gomorrhæis nati essent, non de sanctis patriar-

48 *Vua eorum vua fellis:*
** & botrus amariſsimus.*

Eſaiæ. 5.

49 *Fel draconũ vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.*

50 *Nónne hæc condita*
Apoc. 20. *ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?*
1. Cor. 4.

51 *Mea eſt vltio:*

Pſal. 61. Pſal. 74. ** & ego retribuam eis in tempore: *vt labatur pes eorum.*

Pſal. 91.

52 *Iuxtà eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora.*

53 *Iudicabit dominus populum ſuum: & in ſeruis ſuis miſerebitur.*

54 *Videbit quòd infirmata ſit manus: *& clauſi quoque defecerunt reſiduiq; conſumpti ſunt.*

Eſaiæ 1. 55 *Et dicent vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?*

56 *De quorũ victimis comedebant adipes:*
**& bibebant vinum libaminum.*

57 *Surgant & opitu-*

chis. 48. Vuæ, quas vinea iſta producit, amariſſimæ ſunt ad modum fellis, & botros producunt amariſsimos, id eſt, fructum malum faciunt & opera peſsima, qualia faciebant peccatores Sodomitæ coramdomino: * & non vuas dulces aut botros, ſuaues, quales proferebantquondam patres eorum. Ita vinea iſta alienata à prima radice ſua, conuerſa eſt in amaritudinem: quæ expectata eſt vt faceret vuas & fecit labruſcas: quæ expectata eſt vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: iuſtitiam, & ecce clamor. 49. Vinum inſuper eorum, id eſt, doctrina qua alios videntur potare, doctrina peſsima eſt, ſicut vinum draconum: non ſolum peſsimos ipſi faciunt fructus, ſed inſuper & alios docent ſimilia: & eſt vinum hoc eorum ſicut venenũ aſpidum, quod eſt inſanabile, quo videlicet perdũt animas proximorũ, vt ſanari non poſſint, & morte perimũt, vnde nunquã ſaluabuntur. 50. Hæc omnia an putatis me latere, & nõ cognoſcere ea quæ vos agitis aut dicitis? An nõ hæc oĩa diligẽtiſsime apud me ſeruãtur cognita, quaſi in libro meo deſcripta, & in occulto cognitionis meæ, quaſi in theſauris meis conſeruata, concluſa & obſignata? quę licet nunc, vt clauſa ſeruentur abſcondita, tamen ſuo tẽpore reuelabuntur, quãdo veniet iudicij tẽpus, quando libri aperientur, qui iam ſunt clauſi, & iudicabuntur mortui ſecundũ ea quæ in libris ſcripta ſunt, quando illuminabũtur abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabuntur conſilia cordium, quando cuncta quæ fecerunt homines, adducentur in iudicium. 51. Vtique ſunt hæc mihi nõ incognita, & in cognitione mea omnia iſta ſeruantur. Ad me nanque ſpectat iudicium & vltionem facere pro peccatis & omnibus quæ inique geſſerint homines: ego poteſtatẽ habeo faciendi iudicium, & exercẽdi vindictam in omnes peruerſos: *& ego retribuã vnicuique ſecundum opera ſua, cum tempus aduenerit faciendi iudiciũ: cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo: & quidem in impios illos & infructuoſos homines talẽ exercebo vltionẽ, vt non valeant ſtare in iudicio cum bonis, ſed labantur pedes eorum, & cadant in profundum inferni, quo illos iubebo vnà cum apoſtaticis ſpiritibus deſcẽdere in ignẽ æternũ. 52. Et ne quis ſibi blandiatur de morę lõgitudine & nimia iudicij huius diſtantia, ſcitote, q̃ dies iſta perditionis & damnationis impiorum propè eſt ianuis, nec longè adhuc diſtat, ſed quantocyus aderit, citius quã quiſquam credat aut exiſtimet: & tempus illud ad iudiciũ definitum, adeſſe properat, accedit, imò accurrit, imò aduolat & pluſquã aduolat celerrime, vt longè abeſſe non poſsit. Mille enim anni ante oculos domini ſunt, quaſi dies heſterna quæ præteriit, & omne tempus celeriter finem habebit. 53. Veruntamen populum ſuum dominus iudicabit, & faciet pro eo iudicium, atq; erga ſuos ſe exhibebit propitiũ ac miſericordẽ: quanquã erga infideles ſeruos & peruerſos tã ſeuerum ſe vltorẽ monſtrabit, ſemper tamen erga populũ ſuum fidelẽ & obedientẽ, erga ſeruos bonæ voluntatis, paternũ ſeruabit affectum, facietq; pro illis iudiciũ defendẽdo illos, & vindicando ab omnib⁹ aduerſariis, & miſericordiã ſuam eis oſtendet. Illis etiam qui prius rebelles & inobedientes fuerant domino Deo ſuo, ſi conuerti velint ex corde ad dominum, & rurſum ſerui eius fieri ac populus eius, faciet Deus pro eis iudicium contra opprimentes aduerſarios, & miſericordiam oſtendet illis. 54. Videbit enim dominus, & attendet miſeriam illorũ, quomodo videlicet omnis eorum virtus & poteſtas ad nihilum redacta ſit, vt vltra non valeant ſuis hoſtibus quicquã reſiſtere: *& quod illi quoq; qui in carcere & captiuitate erãt concluſi iam defecerũt, præ miſeria & afflictione, & quòd reliquiæ penè in totum conſumptæ ſint, quòd vix pauculę reliquiæ relictæ ſint, adeò vt niſi dominus exercituũ relinquat illis ſemen, fiant ſicut Sodoma & ſimiles Gomorrhæ, vt pereat vniuerſa eorum poſteritas. 55. Et cum in hac miſeria pro ſuarum iniquitatum demeritis fuerint conſtituti, dicẽt inſultantes aduerſarij, vel ſic dicetur & exprobrabitur impiis à bonis, ſi qui inuenti fuerint: Vbi nunc ſunt dij eorum quos coluerunt, & in quibus habebant fiduciam? 56. Quibus ſacrificia faciebant & oblationes, neglectis ſacrificiis Dei viui, & de quorũ victimis illis oblatis ipſi comedebant pinguia quęq; & delicatioria, & adipes q̃ in ſacrificiis Dei viui ipſi cremabatur: *& in quorum deorũ ſacrificiis bibebant vinũ q̃ libauerant & obtulerant illis. 57. Exurgãt nunc dij illi in auxiliũ vobis, & opẽ ferant poſitis in

lentur vobis, & in neceſsitate vos protegãt.

58 *Videte quòd ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me.*

59 *Ego occidam, & ego viuere faciam:*

**percutiam, & ego ſanabo: *& non eſt qui de manu mea poſsit eruere.*

60 *Leuabo ad cælum manũ meam, & dicam viuo ego in æternum.*

61 *Si acuero vt fulgur gladium meum:*

** & arripuerit iudiciũ manus mea.*

62 *Reddam vltionem hoſtibus meis: *& iis qui oderunt me retribuam.*

63 *Inebriabo ſagittas meas in ſanguine, &*
gladius meus deuorabit carnes.

64 *Decruore occiſorũ, & de captiuitate nudati capitis inimicorum capitis.*

65 *Laudate gentes populum eius:*

in tanta miſeria, vel in tanta neceſsitate iam protegant cultores ſuos ſi poteſtatem habent, ſi quod habentur, ſunt, id eſt, dij veri, ſi ſaluare poſſunt ſibi ſacrificantes, quare nunc ſilent? quare ſuos cultores non defendunt? non ferunt ſuppetias ſeruis ſuis, tanta calamitate oppreſsis? 58. Attendite, & videte, quòd ſolus ſim ego Deus viuus & verus, & quòd præter me non ſit alius quiſquam verus Deus, qui poteſtatem habeat diuinam, cum alij omnes dij gentium nec minimum quid poſſint: quod maxime tamen poſſe debere videntur, ſi dij veri ſunt, vt habentur. Ad Deum nãque ſpectat, ſuos poſſe cultores defendere & in aduerſarios vindictam facere: quod cum eorum qui dij habentur nemo poſsit, ego autem poſsim, & cum voluero faciam, videre & cognoſcere merito debetis, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius præter me Deus verus. 59. Ego nanque poteſtatẽ habeo vitæ ac mortis, vita & mors ſunt in manibus meis: poteſtatẽ habeo afficiendi morte, vel temporali vel æterna, quos voluero, & poteſtatem habeo viuificandi quos voluero, id eſt, ad vitam perducendi, qui prius in vita non fuerant, vel etiam ad vitam reſuſcitandi, qui mortui fuerunt: *poſſum percutere atque vulnerare plagis & verberibus pro meo placito, ſicut mihi expediens viſum fuerit, & iterum ſanare percuſſos ac de malis liberare, cum egerint pœnitentiam: *& omnino non eſt quiſquam qui poſsit de manu mea eruere eum quem voluero occidere aut percutere, qui mihi poſsit reſiſtere, aut me impedire, in iis quæ ego voluero agere: omnia quæcunque voluero, & ſicut voluero facio, nec eſt qui obſtare poſsit aut impedire, quo min⁹ ego exerceam mea iudicia pro mea ſententia: ſuperiorem alium non agnoſco iudicem, potentiorem non ſcio dominum, cuius iudicio aut poteſtate ſuſpendi vel impediri poſsit exequutio decreti mei. 60. Quomodo ſolent homines iurantes leuare manum in cælum, ita ego dominus leuo manum meam ad cælum, id eſt iuramento loquor & affirmo, dicens, Viuo ego in æternum, & per meam vitam, per memetipſum (qui in æternum viuo, & vita æterna ſum) iuro, & tanquam firmiſsimum ac prorſus indubitatum hoc pronuncio. 61. Si acuero, aptauero, & parauero ad vltionem gladium meum vindicem, ſicut fulgur, vt ſit quaſi fulgur maximè penetrans: ſi rompheam meam vltricem ego parauero ad celerem & terribilem vltionem, quam iamdiu vibraui & oſtentaui ad terrorem delinquentium, cum tandem ſuo tempore eam cœpero exequutionem exercere: *& cum vltrix manus mea conuerſa fuerit ad faciendum iudicium, cum iuſtitia mea conuertetur ad iudicium, & potentia mea executionem facere voluerit iuſtitiæ, quæ hominibus in longinquum differri videtur. 62. Tunc manifeſtum fiet, quomodo vltionem reddam, & vindictam exercebo in aduerſarios meos, qui mihi infideles & inobedientes ſemper ſe præſtiterunt, nec me coluerunt, neque mihi ſeruierunt vt iuſtum erat: *& iis qui me oderunt atque contempſerunt ſequentes deos alienos, contra præcepta mea, tum ego retribuam cõdigna ſceleribus præmia, nempe pro admiſsis ſceleribus æterna ſupplicia. 63. Tum ego meipſum oſtendam in ſimilitudinem crudelis pugnatoris, cuius ſagittæ copioſæ perfundũtur & rubricantur ſanguine interfectorum ab ipſo, & cuius gladius plurimorum corpora trucidat, ſicque carnes veluti deuorat: interficiam tum ego plurimos, & damnatione conſumam æterna. 64. Inebriabo (inquam) ſagittas meas, & gladium meum commaculabo de ſanguine eorum quos interfecero: & ſingulariter de captiuitate nudati capitis inimicorum, id eſt, de iis quos nudato capite captiuos adduxerunt, & à me elongauerunt inimici mei: de iis qui ſe captiuos teneri permiſerunt dæmonum laqueis & vinculis, vt me relicto, illorum inſequerentur voluntatem, & de illis qui ſe à me abduci atq; alienari per idololatriã & abominationes ſuas permiſerunt, captiuitate vtique fœdiſsima, viliſsima & miſerabili: quẽadmodum cum in bello victi, capite nudato in confuſionis ſignum aguntur vincti ante victores gloriantes: de hac (inquam) captiuitate nudati capitis quam tenuerunt inimici diaboli, inebriabo ſagittas meas & gladium meum, illos videlicet interficiendo & perdendo condamnationis ſententia. 65. Vos autem, ô populi gentium, ô nationes, quæ olim quaſi reprobæ habebamini, alienæ à teſtamento & promiſsionibus Dei, vos laudate, glorificate, & magnificate populum domini, beatum dicite populum cuius eſt do-

2. Tim. 2.

Ephe. 2.

Universidad de Deusto Biblioteca

minus Deus eius: vos hoc magni æstimate, quòd vetus ille populus vi- B
sus est parui admodum facere, videlicet populum aliquem esse popu-
lum domini, & dominum esse Deum eius: nolite facere sicut populus
iste ingratus, cui in hoc cantico exprobraui, qui pro nihilo ducentes
hoc, videlicet populum esse domini, maluerunt fieri populus deorum
alienorum: sed agnoscite, laudabilem esse populum, & beatam gentē,
cuius est dominus Deus eius, & cuius Deus Iacob adiutor est: idcirco
(inquam) populum eius laudate, & hoc magnificate, esse populum do-
mini, quoniā ipse defensor est & vltor populi sui, facietque vindictam
de aduersariis seruorum suorum: & aduersum illos se opponet, qui
quæsierint opprimere seruos suos, eorumq; effundere sanguinem: & si
effuderint, si occiderint, nequaquam tantam impietatem ipse patietur
inultam. 66. Et vindictam faciet in hostes populi sui atque seruorum
suorum, quod non possunt facere dij alij, nisi hic solus viuus & verus
Deus, & omnipotens dominus: *terræ autem populi sui erit semper
propitius, à populo suo, (quicunque tandem fuerit, siue Iudæorum si-
ue gentium) qui illum coluerit, nunquam auferet misericordiam suā: F
sed permansurus est cum eis vsque ad sæculi consummationem, sem-
per curam habiturus de custodia & salute seruorum suorum: vt de eo
aut eius fide nemo hæsitare debeat, sed hoc tantum omnes curare, vt
ei debitam præstent fidem & obedientiam, caueant autem ab omni ma
litia & inobedientia, ob quæ in hoc cantico ex Dei præcepto, prævari-
catoribus Iudæis dira sum comminatus, præstituris autem obedientiā
gentibus bona denunciaui ex ore domini. Amen.

Psal. 32. Psal. 143. Psal. 147. * quia sanguinem seruorū suorū vlciscetur.

66 Et vindictam retribuet in hostes eorum.

* & propitius erit terræ populi sui.

ARGVMENTVM IN CANTICVM trium puerorum Hebræorum, cuius initium, Benedicite omnia opera Domini.

Deut. 3. EX historia libri Danielis cognoscimus, quid tribus viris captiuitatis filijs Hebræis Ananiæ, Azariæ, & Mizaëli (quos, mutatis nominibus, Nabuchodonosor rex Babylonis appellauerat Sidrac, Misac, & Abdenago,) acciderit in Babylone, quomodo videlicet contempto regis præcepto de adoranda aurea statua, ex sen- G
tentia furibundi principis, in ignis ardentis fornacem fuerint coniecti: sed Dei gratia (ob cuius fidem regi re-
stiterant) liberati, salui exierunt, & absque omni nocumento, ita vt nec pilus de capite eorum ignis virtute
deperijsset. Insuper & tantam illis Deus contulit gratiā, vt ignis ardore verso in teporē roris, in medio camini,
tanquam in templo Dei, canticum iucunditatis suo liberatori canerent, omnē creaturam ad Dei laudem inuitan-
tes, à supremis angelicis spiritibus & cælestibus corporibus, per media quæ in aëre desuper gignuntur, ad in-
feriora descendentes, quæ in terra, & quæ in aquis ac super terram habitant, donec tandem ad hominem tan-
quam ad vltimum omnium corporalium finem, deueniant: vbi peculiariter populum domini electum & sanctos
eius, ac nominatim seipsos ad laudem adhortantur eius, qui sua benignissima miseratione & potētissima virtute
erga ipsos signa innouabat antiqua. Hoc autem canticum, licet apud Danielem ita legamus descriptum vt per
singulos versus replicetur, Laudate & superexaltate eum in sæcula: vel, laudet & superexaltet eum in sæcu
la: Ecclesiastica tamen consuetudo, secundum quam in officio laudum matutinalium hoc cantico vtimur non per
singula id replicat, nisi in principio, & vbi terra inuitatur sub persona tertia, similiter, & Israël, ac tandem ver
su vltimo, vbi nominatim seipsos ad laudem inuitant, dicentes, Benedicite Anania, &c. In reliquis autem duo
simul diuersa connectimus. Quem etiam modum nos in Elucidatione & locato ex aduerso cantici textu ser-
uauimus. Et quoniam frequens admodum, imò quotidianus ferme huius cantici est vsus Ecclesiasticis viris, id- H
circo prolixiorem aliquanto in singulis facimus moram, quid in vnaquaque creatura pro laudis materia possit
assignari, paucis indicantes: quorum etiam pleraque multo plenius in libris de consideratione rerum naturaliū,
ad Dei gloriam hoc ipso anno per nos editis suis locis tractauimus.

ELVCIDATIO IN CANTICVM TRIVM puerorum Hebræorum.

1 *Benedicite omnia opera domini domino.*

OPera omnia quæcunque fecit Deus, iuxta magnificentiam suam, siue in cælo sursum, siue in terra deorsum, atque in profundis terrarum & marium, benedicite & laudate iuxta modum naturæ vestræ dominum Deum creatorem vestrum, eiusque magnificentiam & gloriam iuxta conditionem vestræ naturæ testemini, ac velut proclamate, qui vos secundum summam potentiam, sapientiam & bonitatem suam creauit, & quidem omnia valde bona, vt merito ab omnibus suis creaturis debeat laudari: * laudate (inquam) creaturæ omnes, & quantum potestis exaltate, atque iterum exaltate eum in sæcula, laude sempiterna collaudate illum, vt dignus est,

*laudate & superexaltate eum in sæcula.

*Ipsum

A

2 *Benedicite angeli domini domino:*

*Ipsum quoque qui est in sæcula benedictus Deus æternus, laudate & quantum valetis, supereleuate super omnia. 2. In primis autem vos ô nobiles spiritus, angelicæ creaturæ, laudate dominum Deū, non solum secundum naturæ vestræ subsistentiam, verumetiā per intellectum & affectum, quibus duabus nobilissimis potentiis estis præditæ: illius agnoscentes beneficia, & pro viribus gratias agentes, laudesq; referentes illi, qui vos tam nobiles fecit esse creaturas, vt primi sitis dignitate in ordine omniū creaturarū: qui etiā vos à lapsu sua gratia præseruauit, cū rudentibus inferni de cælo detraherentur apostatici spiritus, & ipsi eiusdem vobiscū naturæ, ne simili auersione ab eo separaremini: ac post ita in gratia & gloria visionis suæ firmauit, vt imperpetuū amodo separari ab eo, aut ab eius fœlicitate vlla ratione excidere non valeatis: *secūdo autē loco, & inter creaturas inanimatas loco primo, vos ô cælestia corpora, laudate dominū: vos ô cæli omnes, quos Deus mole amplissimos, & secundum naturā incorruptiles, itemque impassibiles fecit, nouissimisque corporeis qualitatibus perfecit in vestra nobilitate, qua cæteras omnes inanimatas præcellitis creaturas, laudate Deū à quo procedit quicquid est in vobis excellentiæ & præcellentię. 3. Specialiter verò aquæ quæ super cælos sunt, cælum aquæū, siue crystallinum, quod super firmamentum est, ac cælos aliorum planetarum à Deo conditum, ac singularibus qualitatibus aliorum astrorū qualitates cōtemperandas, prouidè à Deo formatum, lauda dominum, qui te ita super firmamentum cōstituit, eoque diuisum esse voluit ab aquis quæ sunt sub firmamento: *& vos ô cælestes spiritus, motores horū cælestium orbium, quorum ministerio & virtute vtitur naturæ gubernator Deus, ad cælorū continuum & regularem motum, laudate dominum Deū vestrum, ex cuius iussu hoc fungimini ministerio, siue officio, tantā vtilitatem ex Dei præcepto præstantes hominibus, atque adeò vniuersis viuentibus & creaturis inferioribus, quæ absq; cælorum motu nequirent cōsistere: * Item & virtutes omnes cælestibus corporibus à Deo inditæ, & influentiæ variæ, quibus influunt cæli in omnia inferiora, laudate dominū à quo proceditis. 4. Singularem etiam laudē Deo adferte vos, ô duo magna luminaria, quæ præ cæteris luminaribus in cęlis creauit, luce & efficacia virtutis insignia: vos (dico) sol & luna: sol quidem vt positus à Deo in potestatem atq; dominium diei: cuius tanta est super hæc inferiora virtus, vt ipsius accessu atq; recessu res inferiores generētur & corrumpantur, eius aduentu omnia reuirescant atq; reflorcant, eius abscessu omnia contristentur, & emoriātur: qui totum terrę hemispheriū, cui apparuerit, mirabiliter suo fulgore collustrat, hac in re patentissimam diuinitatis gerens imaginē, & referens similitudinem: luna verò, vt facta in potestatē atq; dominium noctis, quæ similiter sua admirabili, & tamen ordinatissima mutatione, diuersimode illuminata, nunc secundum partē superiorē, nunc secundū inferiorē, nunc secundum latus vnū, nunc secundū latus alterum, ac iuxta varios ad astra cętera respectus, mirabiles operatur in his inferioribus effectuū diuersitates: cuius etiam tractu maria crescūt, ac decrescunt, itemque fluunt ac refluunt, ostium quoq; medullæ augentur, ac minuuntur secundum plenilunium & nouilunium, & omnino multa est eius in his inferioribus efficacia: *stellę quoque, & omnia astra cæli domino benedicite, qui vos præ cæteris cælorū partibus speciali luce donauit, vt cælum vestro pulcherrimo fulgore, quasi variis depictum flosculis, adornetis: vt terrā per noctē illuminetis, & effectus quos nouit Deus singulares, in inferioribus operemini: ipsum laudate dominū Deum vestrum, qui vobis hanc donauit claritatem atq; virturem, qui vos fecit & magnitudine mirabiles, & multitudine innumerabiles, adeò vt solus ipse vestri nouerit multitudinem, sicut & singulas potest vocare nominatim: magnitudine verò inæstimabiles & immensurabiles, vt vix credere possint homines, quantæ sitis magnitudinis, cū tamē vix aliud quā puncta humanis oculis videamini. 5. Post hæc autē cælestia, impassibilia & incorruptibilia corpora ad inferiora transeuntes, quę in supernis generantur, ad Dei laude suo ordine inuitare volumus, priusquam ad infima descendamus. Itaq; vos, ô imber, siue pluuia, & ros (quæ ex vaporibus sursum virtute astrorum eleuatis generamini in regione aëris, ac deinde super terrā ad eam fœcundandam ex Dei institutione descenditis) dominū Deum vestrū laudate, qui vos pro sua*

Ibidem.

D *Benedicite stellæ cæli domino.*

5 *Benedicite imber & ros domino:*

Pſal. 146.

* benedicit e omnis spiritus Dei domino.

6 Benedicite ignis & æstus domino.

Psal. 134.

* benedicite frigus & æstas domino.

Hebr. 12.

Sapiē. 8.

7 Benedicite rores & pruina domino:

*benedicite gelu & frigus domino.

8 Benedicite glacies & niues domino:

* benedicite noctes & dies domino.

9 Benedicite lux & tenebræ domino:
* benedicite fulgura & nubes domino.

Psal. 133. Psal. 135. Psal. 105.

10 Benedicat terra dominū, laudet, & superexaltet eum in sæcula.

voluntate, vbi voluerit, oriri facit ad vtilitatem terræ nascentium: *omnes quoque venti & flatus, in quacunq; sitis diuersitate, è quacunque proficiscamini regione, cuiuscunque sitis qualitatis, laudate dominum Deum qui vos producit quasi de thesauris suis, vt vix percipi possit, vnde veniatis, aut quò proficiscamini, qui vos de visceribus terræ educit, & per aërem circum terras modis variis moueri iubet. 6. Lauda dominum ô ignis, creatura pulchra, candida, rubicunda, lucens & flagrans, miri quoque in agendo roboris, & ad assimilandū tibi quicquid inuaseris potentissima, multum item valēs ad immunda purgandum, mala consumendū, & species diuersas separandum: in quibus omnibus admodum pulchre cum tuo creatore conuenis, qui & ipse ignis consumēs est, purgans atq; perficiens. Itē & æstus, siue ardor, & calor, qui semper igni es cōiunctus, lauda dominum: per cuius ministerium, agunt ignis & sol, cuius virtute fiunt miranda: *insuper frigus siue hyems, quod est frigoris tēpus, & æstas, laudate dominum: qui mirabili & terris vtilissima cōmoditate disposuit, vt nobisinuicem succedatis ordine congruo, vt neq; semper frigus sit, neq; semper æstas, sed per quatuor anni partes, qualitatibus diuisis, in vere calor sit remissus ad initia frugū: in æstate, calor intensus ad decoctionē fructuū terræ: in autūno, frigus remissius, ne subitaneo nimio frigore radices terræ nascentiū, & semina absumantur & pereant: in hyeme vero frigus intensius, vt missa in terrā semina, cū fuerint bene congelata atq; mortificata, postmodū vere redeunte, fructum multum afferant: atque vt arboribus ipsis & cæteris fructiferis calore interno ad radices confluente, ob circunstans intensum frigus quasi vires reparentur, iterum frondes, flores, & fructus emittendos suo tēpore. Siquidē viuētibus omnibus, non multo minus necessarium est frigus hyemis, quā calor æstatis. Propter quod hæc omnia sic prouide disposita à Deo, summā illi canunt gloriam, qui disponit omnia suauiter. 7. Benedicite domino rores & pruina, quæ ex nube aquea non multū eleuata generamini, quasi in aëris regione infima, ita vt si in aqueas guttulas illa vertatur, sit ros: si vero cōgelatio fiat ante cōuersionē, habeatur pruina: quæ magis fit in tēpore frigidiore, quēadmodum ros in suaui & temperato veris nocturno frigore: * benedicite domino etiā gelu, per quod mirabili modo aqua ex se alioqui fluida, stringitur & cōpingitur, vt nō dilābātur abinuicē partes, manēte tamē eadem aquæ specie: & frigus, quo talis fit congelatio. 8. Benedicite insuper glacies, siue grādines, & niues domino: quæ in supernis locis aëris generamini, ex vaporibus aqueis sursum eleuatis atque condensatis in nubē: quæ si post conuersionem in aquam, ob nimirum frigus superueniens, per guttas aqueas cōgelatur, grando habetur: si verò ante conuersionē nubis in aquam nubes ipsa ob frigus nimium congelatur, nix descendit, quæ suā albedine maxima nimij frigoris euidens perhibet testimonium, quæ quia aqua nō fuit, nisi secundum præparationem materiæ, idcirco difficilius dissoluitur, aut in aquam resoluitur, quam grādo: quæ aqua fuit, & tantum aqueæ guttulæ sunt gelu constrictæ: * noctes quoq; & dies benedicite domino, quę vobisinuicem ex ordinatione quotidie succeditis, vt post diem (quam sōlis super nostrum hemisphērium efficit præsentia) succedat nox, quā facit sōlis absentia: quæ diuersitas sic à Deo prouide ordinata est, propter vtilitatem fructuum, & maxime propter quietē animaliū, vt per noctis tēpus quiescendo vires reparāt diuturnis operationibus defatigatas. 9. Benedicite domino lux & tenebræ, quæ sunt luminis priuatio: quarum illa diem facit, ista noctem, vtraq; mortalibus apta, quoniam in luce illuminantur & viuificātur omnia, per tenebras autē sub dulci & necessario continentur silētio: *benedicite etiam domino fulgura, quæ mirabiliter apparetis ad terrorem hominum, generata ex vehementi cōcussione, vel impetuosa disruptione nubiū, quibus subinde Deus ad vltionem vtitur impiorum, siue ad terrorem eorum: Itē & nubes omnes, quas ab extremo terræ, siue à terræ superficie Deus educit, vt ex ipsis prædicta omnia, nempe pluuia, imber, ros, pruina, grando, & nix gignantur. 10. Iam verò à supernis descendentes in infima, te inprimis, ô terra (quæ es firmata à Deo super aquas, & fundata, vt nō mouearis in sæculum) ad laudem tui creatoris hortamur, vt eū laudes, & efferas laude sempiterna, qui te ita creauit, & solidam tibi stabilitatē loci dedit, ac veluti totius mūdialis machinę centrum,

tium, immobilem constituit, vniq; ex elementis omnibus requiem à motu dedit, quū agitemur, & fluant cętera elementa, ignis, aër, & aqua, nec vnquam habeant à motu requiem: tu autē sola immota persistis, & immobilis solius Dei beneficio. Te etiam in principio aquis circundatam tertio die aquis nudauit ex magna parte, vt apta fieres habitationi animaliū, & fœcunditatē dedit tibi mirabilem, atq; ornatum varium, vt germinares herbam virentē, & ligna pomifera diuersorū generum produceres: in quibus omnibus multa tibi est diuinæ laudis materia. 11. Montes & colles, eleuationes in terra tam maiores quam minores, benedicite domino, qui ita ad terræ nascentium commoditatē, quasdam terræ partes voluit esse eleuatiores præ cæteris, quas magis ex directo radiorum solarium aspectus contingeret: subtus autem valles locauit, & loca demissiora constituit, ad quæ velut ex obliquo à mōtibus, radiorū solarium ictus deflecteret: vt illic quidem cōmodiorem habeant locum terrænascentia illa quæ fortē requirunt solis contactum, & calorē ardentem, quemadmodū vineæ & huiusmodi: hic verò locum acciperent sibi magis commodum, illa quæ minorem exposcunt calorem, nec ferunt intēsum, cuiusmodi sunt triticū, hordeū, & similia: *deniq; in vniuersum omnia quæ germinat in terra, omnes herbæ virentes, & ligna pomifera, aut alia quæcunq; de terræ fœcunditate nascentia, laudem date domino creatori vestro: qui suæ iussionis verbo, quædam quidem vltro, alia verò cultura & diligentia, adhibita: & de iacto in terram semine, aut plantato ramusculo, hæc omnia de indita terræ fœcunditate facit procedere. 12. Benedicite domino fontes aquarum, qui modo mirabili de terræ visceribus absq; cessatione, tam per diē, quam per noctē, aquas copiosè præbetis, multis modis humano aptas vsui, idq; per annos plurimos & multa sæcula, absq; vllo vnquam defectu aquarum, adeò vt æstimare non sufficiat humanum ingenium, vnde tam indeficiens aquarū copia queat procedere, & quomodo non vel tandē exhauriamini post tantam euomitam aquarum abundantiam: *benedicite domino cōgregationes aquarū quæ appellauit Deus maria, quæ creata estis ab initio: quādo iussit Deus, vt congregarentur aquæ in locū vnum, vt appareret arida. Item & flumina aquarū congregationes minores, quæ ex fontibus vel vno vel pluribus habetis vestri fluxus exordiū, quorū quædā magna sunt valdē, profunda, & lata, alia mediocria, alia minima, iuxta fontium à quibus oriuntur magnitudinem, vel multitudinem: quę flumina percurrentia terrū, regionem à regione diuidunt, & per ciuitates, ac pagos trāseuntia, maximo sunt hominibus & iumētis solatio, vtpotē sine quibus pēnit" per durare non possit hominū cohabitatio: per quæ etiā ratibus naulgantes homines, adinuicē mercibus communicant, & quasi mutuū defectum regiones diuersæ supplēt: vt quod huic deest loco, illi per flumi- Ibidem.
num ministerium abunde suppleatur. 13. Laudate dominū cete grandia, natatilia molis immēsæ, quæ à principio fecit Deus, vt inhabitarēt abyssos marium: simul & omnia quæ in aquis natāt, pisces maiores atque minores, quorū sunt plurimæ in aquis species, adeò vt certo numero comprehendi nequaquā possint, multo etiam minus quā species illæ animalium quæ reperiuntur in terra: *benedicite domino omnes aues quæ volatis in aëre, maiores atq; minores, vnaquæq; in specie, atq; natura sua plumis & pennis à Deo donatæ, quibus celerrime moueamini per aëra, siue sursum, siue deorsum, siue dextrorsum, siue sinistrorsum, quocunq; visum fuerit: celeritate volatus in aëre longē excedentes pisces in aquis natantes, & animalia super terrā gradiētia, quēadmodum & habitationis locum sortiti estis sublimiorem illis. 14. Insuper bestiæ omnes tam syluestres quā domesticæ, tam eicures quā indomitę, laudate dominum, qui vestram speciem creauit sexta die distinctionis rerū, post formatos pisces & volatilia: die sexto dixit vt produceret terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas: *omnium autem nouissime ad laudem creatoris inuitamus filios hominū: id est, speciem humanā vniuersam. Siquidē homo opus nouissimum Dei fuit, quē post omnia cōsummata voluit Deus formare ad iudicandum ipsum esse aliorum omnium corporalium prius conditorū finē, propter quem facta essent omnia. Quem etiā omnibus aliis corporalibus prius cōditis multo nobiliorē & digniorem fecit, ad imaginem & similitudinem suam formans eum:

duabus

Genes. 1.

11 Benedicite mōtes et colles domino:

12 Benedicite fontes domino:

* benedicite maria & flumina domino.

13 Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis domino:

*benedicite omnes volucres cæli domino.

14 Benedicite omnes bestiæ & pecora domino:

* benedicite filij hominum domino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm 8. Genes. 1.

15 *Benedicat Israël dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula.*

16 *Benedicite sacerdotes domini domino:*

Hebr. 5.

* *benedicite serui domini domino.*

17 *Benedicite spiritus & animæ iustorum domino:*

Ioan. 4. Prou. 23. Matt. 15. Esaiæ. 19.

* *benedicite sancti & humiles corde domino.*

Eccl. 15. Psalm. 32.

18 *Benedicite Anania, Azaria, Mizaël domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.*

duabus potentiis nobilissimis, intellectu & voluntate, illũ cunctis corporalibus præferens, & ex hac parte, quantum ad spiritum, penè coæquans angelis: cui etiam omnia subiecit sub pedibus, vt terrã sibi subiiceret, & præesset piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis quæ mouentur super terram. Quas ob causas hominem ita constat plus cæteris omnibus Deo esse deuinctũ ad laudem illi & benedictionem iugiter persoluendum, non solum vt cæteræ creaturæ secundũ suę naturę essentiam, verumetiam modo peculiari, secundum intellectum & voluntatem. 15. Peculiari tamen modo inuitandi veniunt ad Dei laudem illi qui sunt de populo domini, verus Israël secundũ spiritum populus fidelis agnoscens dominum Deum suum, eique obediens, qui dominum Deum suum laudare debet, & quantum potest, laudare laude sempiterna: à quo tanta susceperunt maximæ charitatis beneficia, propter quos à peccatis, damnatione mortis, & iugo diaboli redimendos, caro fieri & in cruce morte turpissima voluit mori, vt sua passione auferret peccata mundi & sua morte nostram mortem destrueret, vitamq; resurgendo repararet. 16. Inter eos verò qui sunt de populo fidelium & electorum, laudibus domini insistere debent peculiarius sacerdotes ipsius, quos sibi elegit & assumpsit ex hominibus, ad offerendum dona & sacrificia pro peccatis populi, & peragendum in templo Dei omnia quæ ad ipsius cultum spectant legitimum: hos decet pro omnibus vacare sanctis Dei laudibus: *& omnes qui seruitio Dei specialius addicti sunt ad peragendum quæ ad illius cultum immediatius spectant, curate rectè vestro fungi officio, cum timore & tremore persoluite vestra ministeria, vnusquisq; in gradu & ordine suo. 17. Spiritus, siue animę hominum iustorum benedicite domino, qui spiritus est, & non caro, & ab iis qui adorant eum, vult in spiritu & veritate adorari, quippe super omnia sibi cor præberi postulat, & de corde puro, ac conscientia non ficta gaudet laudari, pro minimo, imò pro nihilo reputans, labiis honorari, vbi cor defuerit: * Denique in vniuersum omnes sancti & humiles corde, laudibus celebrate dominum. A talibus enim, id est, rectis & humilibus, laudari postulat, talium laudes habet acceptas. Nam peccatoris laudes non postulat, quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris. Rectos autem decet laudatio. 18. Postremo omnium, nosipsos quoque huius cantici authores, nominatim ad Dei laudem adhortemur, ne postquam vniuersum creaturarum ordinem ad Dei laudes excitauerimus, soli ipsi tam pulchro desimus certamini. Nos itaq; Hebræi iussu regis in fornacem missi, ob contemptam idololatriam, Dei autem gratia ob fidem ei seruatam in medio ignis, quasi in medio roris cum quarto quasi Dei filio, in consolatione residentes, quibus nomina sunt, Ananias, Azarias, & Mizaël, benedicamus domino Deo nostro, qui non derelinquit sperantes in se: sed in nobis ostendit admirabilem, tum potentiam, tum misericordiam suã, qui nobis tam potenter innouauit sua mirabilia, quæ olim faciebat pro patribus nostris: nos ipsum laudem' & superefferamus præconiis, quantum possumus, in omnia secula: quomodo dignus est omnem accipere gloriam, honorem, & benedictionem in sæcula sæculorum, Amen.

DEO VNI ET TRINO, PATRI INGENITO, filio vnigenito, & spiritui sancto paracleto, pro laboris huius consummatione, sit laus, honor, & gratiarum actio in omnia sæcula, Amen.

ANNOTATIONES
EX HEBRÆO ATQVE CHALDÆO
IN OMNES PSALMOS, QVIBVS IN

vnoquoque psalmo distet originalis lectio Hebræa à nostra vulgata Latina, demonstratur. Diuersorum quoque ex Hebræo interpretum, variæ versiones explanantur, Per fratrem Franciscum Titelmanum Hasselensem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FRATER FRANCISCVS TITELMANVS CHRISTIANO lectori gratiam & pacem.

NEmo, cùm in sequentibus multum subinde diuersam inuenerit Hebraicam lectionem à nostra vulgata Latina, cõturbari debet vel offendi, sic vt de lectione nostra vulgata sinistrè iudicet, aut quasi suspectam, & nõ veram aspernetur. Nõ prauæ enim temeritatis, neque vulgatæ foret audaciæ, ea quæ tantis retroactis sæculis à maioribus nostris, tam Græcis quàm Latinis, habita fuere in summa authoritate, tam leui ratione contemnere aut vilipendere. Primum enim illud considerandum est, bonam partem istarum, quæ videntur, aduersitatum magis in verbis esse, quàm in sententijs. Nam fit non rarò, illic etiam vbi prima facie nihil videtur esse conuenientiæ, post introspectam penitus vtranque lectionem, & alteram cum altera diligentius collatam, vt sententia prorsus eadem inueniatur: & quæ obiter tantum considerata plurimum videbantur dissidentia, post exactiorem pensiculationem eadẽ in bonã concordiã minimo negotio reducantur. Neque minus rarum est, Hebraicam dictionem polysemam, id est, variæ significationis (quã vulgo æquiuocam appellant) occurrere. Vnde fit, dũ nostra interpretatio significationem vnã, alia aliã præelegit, vt translationũ varietas oriatur. Norunt qui Hebræas literas vel à limine salutarunt, & Hebraica Biblia vel à longè inspexerunt, quàm frequenter in sermone Hebræo id vsu veniat, sic diuersas ex æquiuocatione verborũ sententias educere. Denique etiamsi talis alicubi occurrat locus, in quo lectionem vulgatam, neque secundum æquiuocationem possis ex Hebræo elicere, neque in eandẽ cũ Hebraica lectione sententiã reducere, ne sic quidẽ vultũ debes auertere, si non spiritum Dei velis despicere: qui quã ob causam tales diuersitates Ecclesiæ vel admiserit, solus ipse nouit, cui nemo est à cõsilijs. Hoc tantũ breui verbo accipe, sanctos Apostolos iuxta nostræ vulgatæ lectionis sententiã aliquoties ex Psalmis loca citare, quæ in Hebræo secus haberi est manifestum. Duo tantũ impræsentiarum ex multis exempla proferimus. Paulus Apost. cap. 10. Epistolæ quã scripsit Romanis, ex Psal. 18. hoc citat testimoniũ: In omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ. Non sic autem in Hebræo legitur. Nam pro sono, dictio Kau ponitur, quam Hebræi dicunt significare cursum, vel lineam, vel regulam, vel directionem, vel perpendiculum, vel architectoniam, aliaque huiusmodi: de quo vide in sequentibus suo loco. Paulus tamen manifestissime sonum adducit omnibus exemplaribus concorditer attestantibus, Latinis atque Græcis. Græce enim φθόγγος legitur quod indubiè sonum significat. Alterum exemplũ habes cap. 10. Epistolæ ad Hebræos, vbi ex Psal. 39. Paulus hoc citat testimoniũ, In capite libri scriptũ est de me, &c. Hebraica autẽ lectio pro capite volumen habet: In volumine (inquit) libri scriptũ est de me, quomodo ex Hebræo concorditer omnes vertunt interpretes. Nemini verò est dubium, amplius aliquid esse in capite libri, quàm in volumine libri. Item quòd ex eodẽ Psalmo citat Paulus: Corpus autem aptasti mihi, non sic in Hebræo legitur: sed, Aures fodisti mihi, vel perforasti. Super his te paucis, benigne lector, volui præmonitum, antequam in syluã ingredi faterer subsequentem, ne nostra diligentia tibi non iusta fieret occasio contemnendi quæ summa veneratione prosequitur Ecclesia, & spiritus Dei. Bene vale Philochriste lector, & nostros labores sanctis tuis precibus adiuua & cõsolare.

ANNO-

ANNOTATIONES EX HEBRÆO in psalmum primum.

VErsu 1. Et in cathedra pestilentiæ non sedit. Pro cathedra pestilentiæ, ex Hebræo vertitur cathedra derisorum: quod secundum rem non ita multum dissonat à communi lectione. Qui enim prauos se doctores exhibent: quid aliud quàm illudunt, derident, atque misere decipiunt sibi credẽtes? quibus veritatem & viam rectam pollicentur, cùm nihil præstent minus. Posset tamen derisores intelligi, etiam quantum ad Deum. Vere enim illusores sunt maiestatis Dei, & irrisores gratiæ eius, quicunque eius mandata transgrediuntur. Specialiter autem hypocritæ, cuiusmodi erant scribæ & pharisæi, & cuiusmodi sunt etiam nunc falsi Christiani: qui cum ore confitentur se nosse Deum, factis negant, manifestè se irrisores Dei commonstrant. Beatus autem est, qui in huiusmodi irrisorum cathedra nõ consederit. ¶ Versu 5. Sed tanquam puluis. Vocabulum Hebraicũ quod pro puluere ponitur, ait Felix nõ proprie puluerẽ significare, sed leuissimum illud purgamentum, quod, dum triticũ ventilatur, in altum à vento eleuatur & circunuoluitur, aut paleam minutissimam. Quidam vertunt quisquilias: alij glumã. Conuenientia omniũ est in re minutissima, leuissima & vilissima, quæ sit nullius ponderis. Huiusmodi enim sunt impij. Et quantum abest leuis puluisculus, vel quisquiliæ, vel gluma ab arbore, tantum impij distant à iustis. Cæterũ, illud à facie terræ, Hebræa nõ habent, sed tatum, quẽ proiicit ventus. i. quẽ agitat aut propellit ventus, quemadmodum Felicis habet translatio. ¶ Versu. 6. Neq; peccatores in concilio iustorum. Ex Hebræo fit manifestum, cõcilium, hoc in loco nõ debere scribi per s, sed per c: licet superius versu. 1. econtrario debuerat scribi per s, nõ per c. In Hebræo enim habetur pro concilio, dictio adah, quæ significat congregationem, cœtũ siue concionẽ, hoc est concilium. Vnde beatus Hieronymus & Felix, pro concilio verterunt congregationem.

Tim. 1.

IN PSALMVM SECVNDVM.

VErsu 3. Proiiciamus à nobis iugũ ipsorum. Pro iugo vertit beatus Hieronymus laqueos, alij funes. Felix tamen nobiscũ iugum seruat, nec vertit aliud. Sententia autem in his eadem inueniri potest: siue versum istum (iuxta supra posita in annotationibus principalibus Psalmi) tanquam à fidelibus dictum accipiamus, qui laqueos & funes eadem nunc appellant, quæ in priori parte vincula, nimirum erroneas sententias & iniqua iudicia, quibus sunt impliciti increduli, quos & Apostolus ait captiuos teneri diaboli laqueis ad ipsius voluntatem. Hos enim laqueos à se proiicere volũt boni ac fideles, vt non similiter ab illo tyranno male captiui teneantur. Siue ex persona infidelium ista accipiantur dicta, qui sanctissimas Christi fidelium leges, præcepta & cõsilia, vincula & laqueos appellãt: quemadmodum & hodie Antichristi nostri (qui multi sunt valde) impudenter affectant. Hos autem (vt ipsi vocant) laqueos siue funes, increduli per rebellionẽ sese inuicem adhortantur abijcere. ¶ Versu 6. Ego autem constitutus sum rex. In Hebræo non per verbum passiuum fit sermo, sed per verbum actiuum, hoc modo, iuxta Hieronymi translationẽ, Ego autem vnxi regem meum super Sion montem sanctum meũ. Atque ita videtur vox patris esse de filio loquentis. Nos autem per passiuum habemus, quasi vocem de seipso loquentis filij: Ego (inquit) constitutus sum rex ab eo super Siõ. Neq; est in re vlla diuersitas. ¶ Versu 9. Reges eos in virga ferrea. Verbum Græcum ποιμανεῖς, pascere potius quàm regere significat & (vt plenius exprimatur) pastoraliter regere: quemadmodum & beatus Hilarius in hunc locum diligenter annotauit: quod verbum & alias nonnunquàm, cùm de Christo in modum pastoris in bonã partem fit sermo, solet vsurpari: velut ibi, Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Vnde regimen istud, de quo nostra lectio loquitur, accipiendum est ad eum modum quo pastor regit oues, in bonũ, quod est pascere. Atque ita etiam ex Hebræo vertit beatus Hieronymus, Pasces eos in virga ferrea. Et iuxta hanc lectionem, oportet primam partem versus de bonis intelligi, secundam de malis: debebitque relatiuum eos priori loco positum, ad alios referri, quàm in secundo: sicuti in Elucidatione manifestum est videre. Nisi etiam secundam partem quis malit iuxta sensum in annotatione demonstratum in bonum intelligere: Alij autem pro reges vertunt conteres. Iuxta quã lectionem, eadem vtriusque partis sententia foret: esseturque secunda, tantum maior expressio prioris. ¶ Versu 12. Apprehẽdite disciplinam. Vbi nostra lectio habet, Apprehendite disciplinam. Hebræa lectio admodum fœcunda est, & modis varijs reddi potest. Hieronymus enim vertit, Adorate pure. Felix vertit, Osculamini filium, vel amplexamini filium, vel adorate filium. Verti etiam posset, Osculamini disciplinam, vel munditiam, siue amplexamini, apprehendite, suscipite illam, aut etiam armamini ea. Omnium autem horũ, neque incommoda, neque iucunda, neque difficilis intelligentia est. Debemus enim filium patris osculari, & amplexari. id est cum honore debito suscipere, non vt infideles abiicere: debemus insuper disciplinam salutaris fidei eius, & munditiam vitę ac conuersationis bonę, quam ipse nos docuit, osculari, amplexari, apprehendere, eamque non relinquere. Arque hic ipse modus est, quo pure adoramus filium, & quo eum osculari & amplexari possumus. Demũ, per hæc omnia rectè venturam iram effugimus. Vnde fit, vt singula hæc & sententiã commodam habeant & loco non inepte quadrent. Qui autem osculamini filium vertunt, vel adorate filium, dicunt, quod hic dicitur de filio osculando, vel adorãdo, opponi illi quod superius dictum fuerat, aduersus Christũ eius, quemadmodũ id quod præcedenti statim versu dictũ fuit. Seruite domino, &c. opponitur parti priori, scilicet aduersus dominum: vt sicut vtrique infideles sese opposuerũt persequendo, ita vtriq; reconciliarẽtur humiliãdo. ¶ Versu vltimo, Cũ exarserit in breui, Particula kimeat, quæ in Hebræo habetur, ambigua est, & diuersimode reddi potest. Vel enim ad tempus refertur, vt significet post paulum,

Psal. 22.

Universidad de Deusto Biblioteca

lum, quomodo vertit beatus Hieronymus. Alij eam ad iræ quantitatem referunt, vertuntque ceu pau- E
lulum aut certè modicum, dicentes, Cùm exarserit paululum, vel certè minimum ira eius. Prior tamen sententia videtur plenior.

Sela, quid significet.

IN PSALMVM III.

Decendum est hoc loco aliquid de dictione quadam obscura, quę in plerisque Psalmis inuenitur posita: non tanquā vllius versus particula, sed post finē versus præcedentis ante alterius inchoationem. Hęc autem dictio apud Hebræos est Sela, pro qua Græci ponunt diaplasma, pro qua nonnulli latinorum ponunt, semper. De vi autem huius particulæ, multa diuersitas est. Quidam enim dicunt eam significare semper vel in æternum vel in sæculum: alij verè, siue veritas: alij profectò vel certè. Alij nihil eam dicunt significare, sed tantum esse anhelantis ac optantis quadam anxietate & nimio affectu rei euentum. Alij dicunt esse signum admirantis dictæ rei nouitatem vel magnitudinem. Alij signum esse dicunt magni & rari alicuius affectus. Alij putant significari vocis mutationem atq; eleuationem. Alij signum esse dicunt discontinuationis psallendi, vt scilicet vbicunque hoc signum inuenitur, aliqua fiat mora, prius quàm progressus fiat ad sequentia. Atque hoc magis verisimiliter apparet significari per dictionem diaplasma, quam huius loco 70. interpretes posuerūt. Quemadmodum enim symplasma significat continuationem concentus versuum, ita per oppositum, diaplasma, diui- F
sionem quandam, & discontinuationem per moram innuit. Huic etiam satis consentit Rabbi Dauid sententia, qui eleuationē vocis dicit significari. Forsitan enim ad vocis commutationem, ista diuisio & mora innuebatur. Expensis autem omnibus, & locis in quibus huiusmodi particula maximè solet cōstitui, diligenter consideratis, arbitramur satis rectā esse illorum sententiam, qui asserunt prædictā particulā esse signum diuisionis siue pausationis, inter versum decantatum atque decantandum: primum quidem propter admirationem eius quod dictum præcesserit: deinde, ad inueniendū eius sententiæ quę subsequitur ab ea quæ præcessit magnam diuersitatem: propter quam diuersitate, verisimile est (vt secundum aliam sententiam) ad huius signi cōspectum, cantores vocem mutare atque eleuare sint soliti. Atque ita fieri potest, vt plures prædictarum significationum in vnum conglobatæ, totalē & plenā eius particulę vim exprimant. Illud tamen considerandum est, plerunque vbi istud sela interponitur, inter illud quod præcedit, & quod sequitur, magnam esse differentiā, nec posse (vt ait beatus Augustinus) ea in vnum sensum coniungi, sed plenam sensus diuisionem semper efficit. Declaremus exemplo Psalmi propositi, quod dicimus. In duobus primis versibus, clamat quasi tribulatus, contra hostium multitudinem & exprobrationes iniquas, quod multiplicati sunt, &c. multi insurgūt, &c. dicunt animæ meæ, &c. post hoc autem, sela ponitur, quasi indicans terminatam querimoniam, & aliud aliquid longe diuersum subsequuturū. Itaq; post sela, totus tranquillus, festiuiorem & iucundiorem G
vocem resumit, dicens, Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea, &c. Voce mea ad dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo. Ecce nulla hīc, vt prius, auditur querimonia. Hic verò rursum sela constituitur: quoniam id quod sequitur, nouum aliquod mysterium (nempe dormitionis & resurrectionis) proponit. Propter quod, iterum concentus interrumpitur, & ad nouam rem canēdam vox reparatur. Ita & in Psalmo sequeti, duobus primis versibus de clamore suo ad Deum loquitur pro misericordia, mox verò sela interijcitur, quasi finiens deprecationem: statim verò post sela, nō vltra deprecatio vt antè ponitur, sed grauis querimonia & expostulatio proponitur aduersum peccatores, & bona ad ipsos eruditio. Ita & in alijs per seipsum diligens lector expendat. ¶Versu 3. Tu autem domine susceptor meus es Pro susceptore (quod defensorem in præsenti loco, & pene vbiq; כנג significat) in Hebræo ponitur dictio magen, quæ significat clypeum aut scutum. Vnde beatus Hieronymus vertit, Tu autem domine, clypeus circa me: alius scutum pro me. Cōstat autem, siue circa me dicatur, siue pro me, siue super me, eandem pene esse sententiam. Quid autem est clypeus pro me, aut scutum circa me, siue super me, nisi defensor aut susceptor meus? Neque enim aliud quàm defendit clypeus. Itaq; sententia in idem reuertitur. Et hoc compluribus in locis sic obseruatū agnosce, quòd vbi in Hebræo Deus asseritur scutum aut clypeus noster, plerunque ab interpretibus Græcis positum fuerit ἀντιλήπτωρ vel ὑπερασπίστης: hoc est, susceptor vel defensor, aut simile aliquid: quēadmodum pro H
petra pene vbique posuerunt firmamentum ad fortitudinem. Sicut enim clypeus defensionem, sic petra firmitatem habet & stabilitatem.

IN PSALMVM IIII.

Versu 1. In tribulatione dilatasti mihi. Tametsi vulgata Græca habeant per accusatiuum, dilatasti me, quemadmodum etiam Romana habeat editio: nostra tamen lectio quæ datiuum habet, magis respondet Hebræo. Nam pronomen Li apud Hebræos, manifestū est esse casus datiui. Vnde beatus Hieronymus & cæteri omnes, quotquot ex Hebræo translationes fecerunt, datiuo verterunt, iuxta modum nostrę lectionis. Quapropter, non facilè id per temeritatem debet immutari. ¶Versu 3. Filij hominum, vsquequo graui corde? Hebræa lectio longè secus habet, quàm Græca aut Latina. Hieronymi enim versio sic habet, Filij viri, vsquequo inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatē quærentes mendaciū? Est enim hæc vox Dei, hominibus suę originis nobilitatē proponentis, & conquerentis, siue expostulantis de sua cōculcatione, tanquam si dicat, O vos filij viri, de rationali creatura nobilissima progeniti, inclytę & sublimes creaturæ meæ, quos ego tam sublimi gradu creaui & condidi: quousque vestræ dignitatis immemores, ad vestram propriam ignominiam & vili, ensionē diligitis ea quę longe infra vos sunt, rebus vanis & fallacibus inhęrentes? Felicis autem versio sic habet,

Filij

A Filij viri vsquequo gloria mea opprobrio. supple erit aut fier, à vobis? hoc est, quandiu gloriā meam vertetis in opprobriū & ignominiam, pro me scilicet (qui solus sum amandus & colendus) vanitatē diligentes & mendacia? Quam sententiam quidā adiecto verbo expresit aliquanto clarius, hoc pacto, Filij viri, vsquequo gloriam meā vertetis in ignominiam? Sententia autem pene eadem est, quam sępius in Elucidatione & annotationibus prioribus prolixius expresimus. Filios autē viri, intelligūt aliqui filios Abrahæ, vel Israēlis. Nam quod ponitur hoc in loco Hebræum Isch, virum nobilem & אישׁ
quasi vel cælestē significat. Nos tamen paulò ante aliam intelligentiā indicauimus, huic nō præiudicantes. ¶Versu 4. Et scitote quia mirificauit dominus sanctū suum. Pro eo quod nos habemus mirificauit, in Hebræo habetur Hiphlech: quod diuersimode transferunt. Nam Felix testatur rectè verהפלה
ti posse mirificauit, nostro more, vel etiam mirabilem reddidit, quomodo vertit & Hieronymus, ipse tamen in textu pro mirificauit, legit, segregauit. Quæ licet secundum vocem differre videantur, secūdum rem tamen coincidunt. Quid enim aliud sibi vult, segregauit dominus pater sanctum suum, nisi quòd cum eo mirificè egit, quodque non cęterorum more cum illo egerit, sed nouo quodam & eximio modo, non dans ei spiritum ad mensuram, quemadmodum cęteris, sed gratiæ & veritatis plenitudinem, de qua omnes acciperent? Hoc autē dum nulli aliorum præstat sanctificatorum ad mensu- Ioan.3.
ram: nónne rectè illum dicitur segregare aut separare, tanquā primogenitū & naturalem ab adopti- Ioan.1.
B tijs? Et hoc rursum, nónne est mirificare, & mirabilem reddere præ cæteris? Quemadmodum (exempli gratia) cùm de Abraham legimus, quòd filijs concubinarum dedit munera, Isaac autem vt vnige- Gene. 25.
nito filio primariæ coniugis totam dispoſuit hæreditatem: nónne hac ratione rectè dicitur & separasse filium suum Isaac, siue segregasse nimirum à filijs concubinarum, similiter & mirificasse, siue mirabilem reddidisse præ cæteris: vtpote quem in solidū instituerit bonorum omnium hæredem, alijs tantum accipientibus sua munera, viuente patre Abraham, & pręterea aliud nihil expectantibus. Sed
& iuxta aliam considerationem apertè attestatur Paulus in Epistola ad Hebræos, quòd Christus pon Heb.7.
tifex noster segregatus sit à peccatoribus, semper assistens vultui patris, Cæterum, pro sancto in He- היכך
bræo vox est Chasid, quam ait Felix significare sanctum vel misericordem, vel gratia plenū: quæ om- 1.Cor.1.
nia quam rectè conueniant Christo domino, nemo ignorat fidelium. Quomodo enim non sanctus Ioan.1.
sit & misericors, quem Paulus testatur factum esse nobis à patre iustitiam & sanctificationem, & redemptiouem? De plenitudine autem gratiæ testatur dilectus discipulus, quod vidimus eum plenum
gratia & veritate. Et alter ille, eiusdem nominis seu diuersi officij, Baptista, amicus sponsi huius quòd Ioan.3.
non ad mensuram illi pater dederit spiritum, perhibuit testimonium. ¶Versu 5. Irascimini, & nolite peccare. Priorem partem huius versus per omnia nobiscum vertit ex Hebræo Iacer Hieronymus. Alij
tamen ex Hebræo alium sensum eliciunt. Nam Felix vertit, Contremiscite, & nolite peccare quod
C ad eandem sententiam, quam suprà posuimus in Elucidatione, facilè est reducere. Debemus enim, si Psal.110.
ad hunc sanctum admirabilem conuerti voluerimus, irasci pristinis vanitatibus, & cōtremiscere pro Eccle.1.
eis atque pauere & timere salubriter: quoniam initium sapientiæ timor domini. Et beatus homo, qui Prou.28.
semper est pauidus. Neque qui sine timore est, poterit iustificari. Ea verò quæ sequuntur, videntur
ex Hebræo habere diuersam sententiam. Hieronymi lectio sic habet, Loquimini in cordibus vestris
super cubilia vestra, & tacete. Cuius sensus est, Agite pœnitentiam in cordibus vestris, in spiritu con- Thre.3.
tribulato & corde cōtrito, recogitantes in amaritudine peccata vestra, & in silentio præstolantes salutare domini, donec ipse vos consoletur gratia remissionis & visitationis suæ. Bonum est enim eum
silentio præstolari salutare domini. Et per se ipse docuit Christus, clauso cubiculo orare patrem in Matth.6.
abscondito, & dicere, Pater, dimitte nobis debita nostra, &c ¶Versu 7. Signatum est super nos lume Luc.11.
vultus tui domine. Ex Hebræo vertunt, Leua super nos, vel eleua, vel exalta, vel magnifica super nos
lumen vultus tui, pro indicatiuo scilicet modo imperatiuum siue deprecatiuum ponentes. Vult autem ista deprecatio hanc sententiam. Dicunt quidem mali & increduli, qui excusationes quærunt in
peccatis, Quis ostendit nobis bona? Verùm tu domine es, qui nobis bona demonstras. Tu tantum
leua & exalta super nos, imprime in apicem spiritus nostri lumen salutaris gratiæ tuæ, & dabitur lætitia in corde nostro, & docebimur, erimusque instructi in omni veritate. Quomodo autem eleuatio
D luminis diuini vultus super nos & signatio, in idem posint conuenire, non vsque adeò difficile est
considerare, si attendamus tantum ad denarium, super quem imago per ictum desuper imprimitur.
Quemadmodum enim non potest denarius accipere regis imaginem, nisi desuper suo radio nobis sui
imprimat similitudinem. Alij autem vertunt, Erige super nos vexillum luminis tui. Sed neque hoc
propositio incommodum est. Quemadmodum enim ad signum exaltatum sese gubernant milites,
sciuntque quid agendum aut quando cessandum: ita lumen vultus diuini quod in nobis fulget desuper, dux nobis est itineris & actionum nostrarum, per omnia nobis demonstrans, quid agere, quidue
fugere debeamus. Et in huius vexilli erectione est lætitia cordibus fidelium, qui amant signa magni
regis sui. Qui autem tardi sunt & pigri milites, non aspiciunt ad vexillum illud, & ideo in mortem
miserunt, dum vitam male quærunt, quemadmodum qui in prælio extra vexilla aberrant ¶Versu 9.
in pace in idipsum dormiam. Particula in idipsum, idem valet, quod pariter vel simul, quemadmo- Psal. 120.
dum ex Hebræo vertit Hieronymus, ac cæteri interpretes. Similiter & alijs in locis accipi debet, vbi Psal. 33.
eam poni contigerit: vt Psalm. 120. Cuius participatio eius in idipsum. Et Psalm. 33. Exaltemus no-
men eius in idipsum. ¶Versu vltimo, Singulariter in spe constituisti me. Hieronymi versio sic habet, Singulariter securum habitare fecisti me. Felicis autem translatio habet, Singulariter vel specialiter tuto facies me habitare vel sedere. Coincidunt autem hæc cum nostra lectione, secundum
sententiam. Nam singulariter in spe constituere, idem est quod specialiter securum facere, & singu-

lariter tutum constituere. Neque aliud est, facere singulariter securum habitare, aut specialiter tutò E
sedere. Securitatem enim quietis, vtrunque designat. Potest autem illud, singulariter, referri vel ad
spem & securitatem hominis iusti, iuxta expositionem suprà positam, vel ad ipsum dominum constitu-
entem, vt sit sensus, Tu domine singulariter cõstituisti me securum. id solummodo, tu solus, in spe
& securitate posuisti me, siue habitare fecisti me. Atque ita sonat lectio quam in textu ponit Felix.
Quoniam tu domine solus in spe locabis me. Cui accedit quod alius vertit, Tu domine solummodo
confidenter habitare facies me.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

HAbet Psalmus iste quartus titulum, qualem hactenus tres præcedentes non habuerunt. In quo difficultas quędam sese offert, hoc in loco explicanda, pro vniuersò libro Psalmorum. Similis enim titulus ferè ante omnes Psalmos præmittitur, Titulus ergo Psalmi præsentis talis est, In finem, Psalmus cantici Dauid. Difficultas autem quam diximus, in illa particula latet, in finem: quam quidam Latinorum interpretum absque magna difficultate referunt ad Christum dominum, quoniam
Roma.10. (iuxta Apostoli sententiam) finis legis est Christus, ad iustitiam omni credenti. Ipse autem est, ad quẽ F
vniuersa hæc laus Psalmorum referri debet, & ad cuius laudem decantata atque conscripta est. Nõ est
enim Psalmus qui non vel ipsius Diuinitatem prædicet, vel de mysterijs assumptæ humanitatis, secũ-
dum spiritus illuminationem, prophetet. Rectè ergo titulus iste in finem, penè omnibus Psalmis pre-
לחנצח mittitur: quoniam ad Christum quæcunque in eis decantata sunt, spectare dignoscuntur, & in Chri-
sti laudem, & amorem dirigunt fideliter modulantes. Sciendum tamen est, quòd dictio lamnasseach
quæ loco illius, in finem, in Hebræo ponitur, non finem videtur vllo modo significare, neque in finẽ:
quam beatus Hieronymus vbique in Psalmis vertit Victori, accipiens literam Lamed præpositam, vt
sit signum datiui casus. Felix etiam in contextu vbique Vincenti vertit, in annotatione tamen margi-
nali ponit: danti æternitatem, vel effundenti sanguinem, asserens fuisse congruũ, vt Dauid qui in Psal
mis & diuinitatem Christi canere volebat, secundum quam æternus creditur: & humanitatem, secũ-
dum quam passionem erat suscepturus & sanguinẽ effusurus, talem præponeret dictionem, quę vtrũ-
que significaret, existimans datiuos illos sic positos esse, vt significent, in laudem vincentis siue supe-
rantis, ac effundentis sanguinem, siue cruentantis, siue sanguinolenti, aut dãtis æternitatem. Sunt au-
tem hęc meo quidem iudicio, ex fideli illius pectore piè dicta, ac diligenti meditatione contempla-
tioneque vtiliter admodum inuenta, & digna quę pijs mentibus cũ suauitate ruminentur. Neq; pe-
nitus dissonat hęc dispositio, ab ea quã superius posuimus de titulo Psalmorũ Græco atque Latino, In
finem. Victor enim iste & cruentans aut sanguinem effundens aut sanguinolentus, itẽ & ipse æterni- G
tatem dãs: quis alius est nisi Christus dominus, quem Latini expositores (iuxta Pauli sententiam) fi-
nẽ interpretãtur? Sunt tamen qui dictionẽ supradictã aliter intelligunt, videlicet vt litera Lamed pre-
posita nõ sit articulus datiui casus, sed valeat potius ad vel in, sicque dictionem illã totã lamnasseach,
interpretantur ad victoriam. Quã sententiã ponit beatus Hieronymus in prologo primi libri cõmen
tariorum in Danielem, dicens id quòd à 70. interpretibus versum est, In finem, potius significare, pro
victoria. Atque ad hunc modum, in expositione titulorum, ex Rabbi Salomone adducit vir in scri-
pturis sacris non vulgariter eruditus, neque mediocriter bene de eis meritus Nicolaus à Lyra, qui ex
eiusdem sententia dicit, per hunc titulum significari conatũ illum quo sese cantores in cãtando eum
iubilo superare ac vincere conabantur omnes sic ex animo psallentes, vt quasi pro victoria viderẽtur
contendere. Quemadmodum cùm in honesto aliquo exercitio plures simul & diligentissime & sum-
ma sedulitate singuli laborant, dicuntur ad victoriam agere, & quasi pro victoria siue palma certare.
Atque id dici solet, etiam si nequaquam seinuicem superare aut vincere intendant, sic in eadem re di-
ligenter laborãtes. Sicque Psalmis hunc titulum non male præponi dicunt, qui istam sententiam se-
quuntur: ad indicandum, quanto affectu debeãt Dei laudes canere serui eius, secundũ extremũ vide-
licet conatum & summam diligentiã. Vigilanter enim & omni attentione psallẽdum est tam summo
tamque altissimo domino. Huic etiã intelligentię suprà nominatus author Nicolaus accõmodat non H
male titulum nostrũ vulgatum, in finem: quoniam videlicet secundũ summam diligentiam & extre-
mum conatum quasi secundum vltimum virtutis in psallendo laborant: quemadmodum ij qui pro
victoria contendũt, etiam finẽ & vltimũ virtutis solẽt adhibere ad id in quo consistit victoria, iuxta
1.Cor.9. illud quod Paulus ait, Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet vt corruptibilem acci-
2.Tim.2. piat coronã. Nam (vt in alio loco dicit) qui certat in agone, nõ coronabitur, nisi legitime certauerit.
Atq; hęc quidem quantum ad hanc particulam videbantur posse sufficere. Non videtur tamen præ-
tereũda hoc loco Ioãnis Reuchlinij, viri in Hebręis literis doctissimi, super proposita dictione sentẽ-
tia. Is enim in expositione quẽ super pœnitẽtiales Psalmos edidit, lãnasseach dicit significare, ad inui-
tatorium. Vocẽ enim exhortantis & excitantis ad exercitiũ aliquod, quę facit facere opus & officiũ
institutum, dicit appellare menеasleach, sicque adiecta litera Lamed, fit, ad inuitatorium. Quomodo
autem omnes psalmi rectè dicantur cani ad inuitatorium vel ad inuitationem, nemini difficile est in-
תעת telligere, propter exhortationem ad laudẽ Dei, & omnis virtutis amorem, vitiorumque detestatio-
2.Par.2. nem. Idem quoq; libro de rudimentis Hebraicis, verbum nassach dicit significare idem quod instituit,
coegit, sollicitauit, vrgebat: allegans quod scribitur. 2.Paral.2. Præpositosque eorũ tria milia, id est,
Esdræ 3. prouocatores, sollicitatores, & operarum hortatores. Et Esdræ 3. Vt instarent super eos qui faciebãt
opus. Et rursum, Vt vrgerent super opus domini. Atque hinc accipi potest, vel illa superior sententia,
ad in-

A ad inuitatorium, vel ad inuitationem, prouocationem, excitationem, siue exhortationem, vt videlicet
litera mem adiecta suprapositæ radici nomen efficiat: lamed verò pro adpositum accipiatur. Aut se-
cundum aliam intelligentiam exponi poterit, ipsi præposito vel prouocatori, in instrumẽtis musicis
vel in carminibus. i. cantorum magistro siue præfecto: quomodo nonnulli rectè putant verti posse.
Chaldaica autem translatio pro hac particula lamnasseach, quã supradiximus, tam variè ab Hebræis
reddi, ponit tantum, in laudem: quod sicut nullam prædictarum sententiarum plene cõprehendit, ita
nullam excludit, estque modo quodam generalis & vniuersalis ad omnes quę suprapositę sunt. Intel-
ligi autem potest, in laudem ipsis cãtoribus: quoniam psalmi illis facti sunt, vt per eos laudent, & cã-
tent ad victoriam. Aut in laudem ipsi victori, vel effundenti sanguinem, vel danti æternitatẽ, &c. Ve-
rùm hęc de particula proposita dicta sint satis. ¶ Nunc autẽ ad alteram particulam exponendam trã-
seamus, dicamusque quid sibi velit, quòd non simpliciter in hoc titulo dicitur: in finem, psal. Dauid
sed cum adiectione, psal. cantici Dauid. Dicunt autem Latini interpretes, specialem aliquam lætitiã
cõmemorari in psalmis talibus, qui huiusmodi titulo prænotantur: propter quam sit eximiè gaudẽ-
dum atq; lætandum: quemadmodum hîc in fine psalmi expressa fit mentio de illo iucundo & gau-
dioso lumine, quod super nos signatum, dat in cordibus nostris lętitiam, deque fœcunditate frumẽti,
vini, & olei, & spe dulciter in Christo cubantium. Quidã autẽ libri habẽt: In hnẽ, in carminibus, psal-
B mus Dauid: atque ita habet lectio Græca, in hymnis, siue in carminibus. In Hebræo autem habetur כיבוה
binginoth, quod beatus Hieronymus vertit, in cãticis. Felix autẽ putat verti posse, in choris, vel in cã-
ticis simul cum instrumentis musicis: vt innuat titulus debere nos lætari (vt ipse ait) & choros duce-
re, laudesq; proferre in honorem ipsius redemptoris nostri, qui nos redemit suo sanguine. Sed & ip-
sa vocis origo recte huic sententię consentit. Nam (teste Ioanne Reuchlinio, in lib. de rudimẽtis He-
braicis) neggam verbum, significat, lusit instrumẽtis musicis: quemadmodum organista, vel citharœ- נגן
dus, siue musicus quilibet manualis. Atque hinc ait titulũ præsentis quarti psalmi habere inscriptio-
nem. Quomodo autẽ in musicis instrumentis Deo cantari instituerit rex & propheta Dauid, pulcher
rime atque plenissime descriptum inuenies cap.15. primi libri Paralip. Verum de his hactenus.

IN PSALMVM V.

VErsu 4. Mane astabo tibi & videbo. Vertit ex Hebræo sacer Hieronymus, Mane præparabor ad
te, & cõtemplabor. Felix autem vertit actiuo genere: Mane præparabo tibi, vel ordinabo ad te,
supplens, orationem: vt sit sensus, Mane præparabo tibi, vel ordinabo ad te orationẽ, & speculabor,
siue contemplabor. Hęc autẽ manifestè sibiinuicem & lectioni Latinæ vulgatę, quantum ad sententiã
C consentiunt. Quid enim aliud est astare domino, quàm diuino conspectui nosipsos per orationem &
meditationem facere præsentes? Neque enim corporis pedibus, sed cordis affectibus Deo assistimus
cùm post tenebras noctium (id est obscuritates viciorum, aut turbam malarum passionum) mane no
bis fuerit exortum, id est, claritas & tranquillitas pectoris. ¶ Versu 8. Adorabo ad templum sanctum
tuũ. Beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, Adorabo in templo sancto tuo: quomodo etiam Felix as-
serit rectè verti posse. Ipse tamen in textu ponit iuxta modum lectionis nostræ, Adorabo ad templũ.
Potest autem inter hæc duo, nonnulla assignari diuersitas: quoniam etiam absentes in spiritu possu-
mus ad templũ Dei adorare, loquendo de corporali siue manufacto Dei templo: quemadmodum de Dani.6.
Danielẽ legimus, quòd in terra captiuitatis positus, apertis fenestris cœnaculi sui contra Hierusalẽ,
hoc est, versus Hierusalẽ (vbi patribus locus fuerat adorationis) genua flectebat, & adorabat, confite-
domino. Atq; ita & nos matutino tempore, cùm intra cubile recluſi cõsistimus, adorare possumus in
spiritu, ad templum etiam materiale domino dedicatum, licet corpore simus absentes. In templo au-
tem non adorat, nisi qui in templo præsens existit. Verisimilius tamen est, Dauidem hic principaliter
sermonẽ facere de templo spirituali. i. de præsentia diuinæ maiestatis. Illud quoq; aduertendum est, ף
pro verbo adoro Hebræi ponunt iachach, quod secundum proprietatem significare dicunt incuruа- השתח
tionem, siue genuflexionem: ac deinde, quoniam adorantes Deum nosipsos incuruamus ad summæ
D humilitatis protestationem: aut genua flectimus, velut ex cõsequenti significare adorationem. Vnde
& in alijs compluribus scripturæ locis, genuflexionem inuenimus pro adoratione positam. Veluti cũ Esaiæ 45.
dicit apud prophetam dominus, Viuo ego, quia mihi flectetur omne genu. Et cùm Apostolus ait, Vt Rom.15.
in nomine Iesu omne genu flectatur. In his nanque adoratio significatur. ¶ Versu 9. Dirige in cõspe- Philip.2.
ctu tuo viam meam. In Hebręo videtur contrario modo haberi, Dirige in cõspectu meo viam tuam:
hoc est (vt habet versio beati Hieronymi) dirige ante faciem meam viam tuam, vel coram me. Quan-
quam autẽ hæc videatur verbis differre, sententia tamẽ prorsus vna est. Via enim nostra in conspectu
Dei dirigitur, quando vitam nostrã cęlesti gratia sic ducimus, vt placeat Deo. Et hoc ipsum (licet ali-
quãto obscurius) significat etiã illud alterum quod ex Hebræo vertitur. Via enim Dei. i. obseruantia
præceptorum & mandatorum eius, nobis est ante oculos, quando in eam iugiter diuina gratia adiuti
intendimus, in lege domini voluntatem & mentẽ habentes, atq; ita secundum eã cælesti ducatu diri-
gimur, vt ab ea nõ aberremus. ¶ Versu 11. Linguis suis dolosè agebant. Pro eo quod nos habemus, do-
losè agebant, iuxta Hebræum habetur, lenificant, vel leuificant, vel leuigant: hoc est, blandiuntur, &
dulcia loquuntur, sermonesque mollificant, nimirum ad facilius decipiendum innoxias animas. Neq;
multum secundũ sententiã ab his distat, lingua dolose agere. ¶ Versu 33. Habitabis in eis. Beatus Hie-
ronymus vertit, Proteges eos. Alij vertunt, Obumbrabis eos. Sed neq; hic sensus diuersus est. Siqui-
dem Deus habitat in nobis ad protectionem, & in nobis habitando nos protegit, atque obumbrat.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

PSalmi iam explanati titulus est. In finem, pro ea quæ hæreditatem consequitur, psalmus Dauid. E
Quod Latini expositores ad ecclesiam populumque fideliū referunt. Est enim psalmus iste oratio fidelis populi, siue totius ecclesiæ contra impiorum malitiam, suam innocentiam protestantis coram domino. Ipsa autem ecclesia est, quæ per Christum hæreditatem consequitur, hæreditatem .s. vitæ æternæ, regnique cælestis, de qua etiam in fine huius psalmi fit mentio. Per ipsum nanque (facti ipsius cohæredes) hæredes facti sumus Dei, secundum spem vitæ æternæ. In Hebræo autem habetur, al hanechiloth: quod beatus Hieronymus vertit, Super hæreditatibus: potestque exponi secundum eandem ferè sententiam, qua titulus Latinus iam expositus est, id est, pro populis, siue ecclesijs fidelibus, quæ sunt hæreditates Dei. Aut pro hęreditatibus, plurali numero dictū est: quoniam in psalmo hoc mentio fit & de hæreditate Dei, quæ est populus fidelis ſeſe præparans, & astans in conspectu domini, & de hæreditate ipsius populi, quæ econtrario est ipse Deus: qui (vt in fine dicitur) inhabitabit, & quasi scuto bona voluntate sua coronabit illos. Alij hanechiloth putant esse nomen instru
menti musici, in quo videlicet psal. præsens erat decantandus. Interpretari tamen rectè hæreditates
מדל (vt diximus ex Hieronymi sententia) est manifestum ex radice Hebræa machal, quæ significat hæreditauit. Felix autem multiplicem ponit versionem, dicens præter prædicta verti etiam posse, pro infirmitatibus, vel vulneribus, aut pro congregationibus, vel societatibus, aut iuxta torrentes, vel super F
torrentes, simul ostendens quomodo singula hæc non male proposito respondeant, & Christo valeant aptari, cui psalmum tribuit: quæ apud illum licet requirere, nos (vitandæ nimiæ prolixitatis gratia) pertransimus.

IN PSALMVM VI.

VErsū 2. Quoniam infirmus sum. Infirmū intellige, non male habentem, vel languidū, id est, languoribus aut morbo laborantem, sed debilem, aut imbecillem: quomodo ex Hebræo vertunt Latini interpretes. Proponitur enim fragilitas & imbecillitas generis humani, de qua in Elucidatione simul & Annotatione præmissa latius est dictum. Vbi autem nos habemus, Conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est, quomodo etiam legit Hieronymus: alij vertunt, Obstupuerunt ossa mea: Et anima mea stupefacta est nimis: quod clarius aliquanto languorem exprimit, à quo desiderat peccator curari. Per peccatum enim in homine vires omnes obstupescunt, & stupefiunt, velut ad bonum inhabiles, & ad virtutem rigidæ atque inflexibiles: anima verò quasi iudicio & sensu priuatur: quemadmodum cùm homo obstupefecit, aut attonitus consistit præ stupore, quasi in extasi positus, non est tum compos iudicij, & penè extra semetipsum fit. Atque ita re vera cum ijs agitur qui peccato se subdunt. Statim enim incipit anima hominis peccatoris rectum iudicium & sensum perde- G
2.Reg.11. re, similiter & vires omnes obrigescunt, & quasi inflexibiles ad bonum fiunt. Quemadmodum (exēpli gratia) Dauid ipse qui ante peccatum animam habebat & ossa viuacissima, vt etiam minima quę-
2.Reg.12. que perciperet, vbi vni se peccato subdidit, cum Bersabee delinquens, obstupefacta est statim anima eius, & ossa eius obriguerunt, ita vt iam pòst, cùm etiam ad inebriationem Vriæ laboraret, imò & occisionem meditaretur, atque perficeret, nihil persentiret in anima, nihil in ossibus commoueretur. Iam enim obstupuerant omnia, donec veniente Nathan propheta domini, restitutus est sanitati, per amaram pœnitentiam. ¶ Versu 3. Sed tu domine vsquequo? Complet hanc sententiam Chaldęa paraphrasis, dicens: Et tu domine, vsquequo dabis dilationem mihi? Quod Elucidationi satis apte respōdet. Est enim sensus, Vsquequo differes misereri, vsquequo prolongabis auxilium, & lōge facies misericordiam tuam? Alij sic complent sententiam: Domine vsquequo conteres me? In Hebræo tamen, vt in vulgata lectione, incompleta sententia est. ¶ Versu 4. Conuertere domine. Pro Conuertere, interpretes omnes vertunt, Reuertere, & eadem est sententia. Dei enim reuersio, conuersio est. Cùm enim ad peccatorem benigno suo aspectu & vultu propitio cōuertitur, donans peccati remissionem, & gratiæ auxilium, tunc ad illum & reuertitur: quemadmodum econtrario, cùm ab homine propter commissum peccatum vultum suum benignum subtrahens auertitur, tunc abscedit ab illo. ¶ Versu
6. Laboraui in gemitu meo. Laborare in hoc versu significat afflictionem, quomodo & aliàs nonnun H
quàm solet accipi. Vnde Felix vertit, Afflictus sum in suspirio meo, Cęterū, quod hîc dicitur, Lauabo per singulas noctes lectum meum: Beatus Hieronymus vertit: Natare faciam lectum præ abundantia videlicet lachrymarum, ita vt lauari possit in lachrymis, Dicitur autem hoc iuxta vsitatam loquendi
Psal.119. consuetudinem per quendam excessum. ¶ Versu 7. Inueteraui inter omnes inimicos meos. Inueterau-
Heb.8. ui exponitur, consenui, siue nimium demoratus sum, vt plangar pœnitens nimiam suam inter inimicos demorationem: quemadmodum in alio psalmo ait, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Aut potius accipiatur Inueteraui, pro Consumptus sum, aut defeci, siue ad nihilum redactus sum.
Psal.48. Quod enim antiquatur, & senescit, prope interitum est. Atque huic sententiæ respondet apertius Hieronymi versio ex Hebræo, quæ habet consumptus sum ab vniuersis hostibus meis. Accipitur autem interdum hæc dictio inueterascere, siue veterascere, pro consumi, siue deficere. Veluti psal.
46. Et auxilium eorū veterascet in inferno à gloria eorum, id est, consumetur peribit, deficiet. ¶ Ver-
Prou.29. su vltimo, Erubescant valde velociter. Valde velociter, in Hebræo sonat subitò, repente, in instanti, sine in puncto, Nam impijs (iuxta verbum Sapientis) repentinus superueniet interitus.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

SExtus psalmus talem habet titulum, In finem in carminibus. Psalmus Dauid, pro octaua. Ex Hebræo autem beatus Hieronymus vertit, Victori in canticis, super octaua, atque ita vertit & Felix super

A super octaua. Omnia autem quę ad hunc titulum spectant, iam suprà exposita sunt excepta particula illa, pro octaua, siue super octaua. Hanc autem Latini expositores nostri ad diem iudicij referunt, quę quoniam post septem dies, per quos omne tempus voluitur (id est, post rēpus presens) sequitur, bene quasi octaua dies potest nuncupari. Rectè autem pro octaua secūdum hunc sensum inscribitur præsens psalmus, quoniam pro iudicij illius magni terrore à pœnitēte canitur, vt scilicet iram diei illius effugiat. Vnde mox incipit, Domine, ne in furore tuo arguas me: ac deinde, Miserere mei, dicens subsequenter, etiam ossa & animam esse conturbata, propter octauam illam, id est, iudicii diem. Potest & per octauam significari subsecutura beata æternitas, quæ post euolutum septem dierum spatium (id est, post transactū vitæ presentis tempus) quasi octaua subsequitur: Erit enim dies illa quasi perpetua quædam octaua, postquam dies isti septem qui nunc voluuntur, suum decursum compleuerint. pro hac autem octaua consequenda gemit nunc peccator, & agit pœnitentiam. Aduertendum tamen est, vocem Hebræā quæ in loco ponitur seminith, teste Felice, varie admodum exponi. Quidā enim dicunt esse nomen instrumenti cuiusdam musici octo chordas habentis, quod octochordium dicitur, in quo huiusmodi psalmus canendus erat. Cui apertè consonat Chaldęa translatio, habens, In laudem, laudatorio citharaque octo fidium. Atque huiusmodi instrumentum conuenienter etiam intelligi potest in titulo Latino, per octauam. Potest enim ab octo cordis instrumentum eiusmodi rectè
B dici octaua. Vnde Paralipo. 15. vbi habemus iuxta versionem Hieronymi de cantoribus, quod in citharis pro octaua canebant epinicio: in Hebræo, loco dictionis octaua, habetur idem vocabulum quod hic ponitur, seminith. Ex quo loco rectè etiam satis colligi potest, instrumetum istud quod seminith appellatur ab octo chordis, aptum fuisse ad decantandum triumphalia carmina. Pro epinicio enim quod vertit Hierony. in Hebræo ponitur lenasech: quod (teste Ioanne Reuclinio, lib. de rudimentis Hebraicis) Græce dicitur epinicion, Latine autem triumphale carmen. In citharis ergo pro octaua, id est, super octauam canebant epinicion, siue carmen triumphale. Sed hic exclamet fortitan aliquis, & velut rem absurdam audiens dicat, Quomodo huic psalmo instrumētum tale præmittitur, in quo epinicion canatur, siue triumphale carmen, cùm luctum magis & horrorem proponat furorem scilicet Dei, miseriam propriam, offsium & animę conturbationem, gemitus, fletum, & alia huiusmodi? Hæc autem triumphali carmini non videntur competere. Sed aduertendū est, à fine magis fieri debere denominationem. Psalmus enim qui inchoatur in magna amaritudine cōfessionis & pœnitentiæ, vide quanto gaudio, imò quanto exultationis tripudio terminetur: ita vt inimicis etiam insultet, in fiducia remissionis peccatorum, & exauditione lachrymarum suarum. Nimirum hæc est vera victo-
1.Ioan.5. ria quæ vincit mundum fides nostra: per quam peccatorum nostrorum consequimur remissionem,
& perfectam de inimicis qui nos in peccata pertraxerūt, victoriam. Clamor quoque, gemitus, fletus,
C lacrymæ, animę & offsium conturbatio (quæ in hoc psalmo describuntur) ipsa sunt arma, quibus veram consequimur victoriam, & gloriosum reportamus de peffsimo hoste triumphum. Quur non ergo super octauam istud canatur triumphale canticum? Ponit insuper Felix alias qualdam aliorū sententias de prædicto nomine: sed quæ potiora sunt, iam latius explicata sufficiant.

IN PSALMVM VII.

VErsu 9. Si reddidi retribuentibus mihi mala. Hunc versum ex Hebræo vertunt in hunc modū. Si reddidi habenti pacē mecum malum, oppressi tribulātes me sine causa, vel spoliaui inimicos meos gratis. Cui etiā consentit Chaldaica trāslatio, Si reddidi patrono pacis meæ malum, & strinxi eum qui me angebat frustra. Hęc autē secundū sententiā aliquāto minus habent, q̄ nostra lectio. Magis enim & perfectius est quod in nostra proponitur, nō reddidisse malum retribuētibus sibi. i. ijs qui sibi malū feeerant, non reddidisse malū pro malo, quàm quod illorū versio habet, non reddidisse malum pacifice secū conuersantibus, aut nō oppressisse inimicos sine causa. Hoc enim & Ethnici plerique faciunt, vt ijs qui secum pacificè conuersantur, nō inferant nocumentū, neq; sine causa etiam noceāt inimicis. ¶ Versu 7. Et exurge domine Deus in præcepto quod mandasti. Hieronymi versio sic habet, Consurge ad me iudicio quod mandasti. Felix autem vertit, Exurge ad me, iudicium præcepisti: vel,
D Excita pro me iudicium, quod præcepisti. Consonat quoque prędictis trāslatio Chaldaica, Accelera mihi iudiciū quod mandasti. Horū autem eadem intelligentia est, Fac pro me iustitiam & iudiciū, qui iudicium & iustitiā præcepisti. Omnia autem hęc admodum & apertè consonant intelligentię, quam in Elucidatione explicauimus, de faciendo iudicio quod præcepit Deus: videlicet vt ipse qui suis iudicibus super terram, atq; etiam vniuersis præcepit facere iudicium & iustitiam, ad iudicium consurgat, causamq; sibi cōmendatam iudicet. ¶ Versu 9. Et secundum innocentiā meā super me. Huius versus partē secundam aliquanto clarius vertit beatus Hierony. hoc modo, Et secundum simplicitatē meam quæ est in me. Eadem autem est sententia, quę suprà exposita est. ¶ Versu 10. Consumetur nequitia peccatorum. Quod passiue habemus, Consumetur nequitia peccatorum, recte habemus: atque ita etiam beatus Hieronymus vertit. Posset tamē secundum actiuum genus verti: hoc modo, Consumet malū impios. i. perdet impios malitia eorum. Potest insuper per modum optantis accipi, in hunc sensum; Finiatur obsecro tandem malitia impiorum, tua nimirum potētia compressa, & dirigas iustum. Cui sententię apertè consentit translatio Chald. sic habens, Destruatur nunc malitia impiorum, confirmentur iusti. ¶ Versu 11. Iustum adiutorium meum à domino. Primam dictionem huius versus (nepe, iustum) Hebraica lectio iungit cum fine versus præcedentis: ad hunc modū, Scrutans corda & renes Deus iustus: ac deinde, Adiutoriū meum à domino. Vtraq; aute connexio bonam habet intelligentia. Pro adiutorio autem vocabulum quod in Hebræo ponitur, clypeum vel scutū significat. Atque ita

ex

ex Hebræo Hieronymus vertit, Clypeus meus in Deo. Felix autem habet, Scutum meum super Deo: E
& alius Clypeus meus est Deus. Quæ omnia manifestum est non aliud significare, nisi quòd nostra
lectio apertius indicat auxilium iusti à Deo, & in Deo esse, ac Deum se habere auxiliatorem. ¶Versu
12. Numquid irascetur per singulos dies? Hieronymi versio habet affirmatiue, absque quæstione: Cõ-
minans tota die. Quòd diuersam quidem, sed non aduersam habet nostræ lectioni sententiam. Nam
licet Deus non irascatur per singulos dies: id est ira suam non ostendat, neque exerceat, cõminatur
tamen iugiter peccatoribus, per inferendam certissimò vindictam, nisi fuerint conuersi. Alij verò ex
Hebræo interpretes vertunt, Irascitur tota die, vel omni die, vel per singulos dies. Et licet hic iam
aperta videatur contradictio aduersus lectionem veterem, eò quòd hæc indicet Deum non irasci per
singulos dies, illa autẽ dicat irasci eum iugiter omni die, siue tota die, docuit tamen Hieronymi ver-
sio, quomodo hanc apparentem dissonantiam oporteat dissoluere. Irasci enim, aliter atque aliter ac-
cipitur. Nam cõminando continuò irascitur, vltionem exercendo non semper. ¶Versu 14. Sagittas
suas ardentibus effecit. Hieronymus vertit, Sagittas suas ad comburendum operatus est. Neque ma-
gna est sententiæ diuersitas, si nostra lectio iuxta sententiam in Elucidatione posita intelligatur. Nã
cùm dicitur Deus sagittas suas operari, aptare seu fabricare rebus ardentibus, siue ignitis, non ad
aliud intelligatur hoc facere, nisi ad comburendum & incendendum igne æterno eos, in quos fue-
rit huiusmodi sagittas iaculatus: quemadmodum milites cum sagittas, quas in ciuitates iacere vo- F
lunt, rebus aptant ardentibus ad comburendum indubiè id faciunt. Alij autem vertendum putant:
Sagittas suas persequentibus operatus est: aut (quod dilucidius est) in persecutores fabricatus est.
Quibus consonat Chaldaica Paraphrasis, Sagittas suas persecutoribus iustorum operabitur.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

2.Reg.16. HAbet psalmus iste septimus titulum aliquanto prolixiorem, hunc videlicet, psalmus Dauid, quẽ cantauit domino pro verbis Cus filij Iemini. Hunc autem titulum varijs modis exponunt. Pro cuius intelligentia aduertendum est, non debere scribi Chusi per duas syllabas, vt vulgo Latini co-dices habent, vt sit nomen amici & consiliarij Dauid eius qui Absaloni se iunxit ad dissipandum cõ-silium Achitophel, de quo etiam nonnulli titulum præsentem intelligunt, quod nequaquam videtur conuenire: sed monosyllaba dictio poni debet trium literarum, Cus videlicet: quæ apud Hebræos appellatus est, & significat Aethiopem. Per hunc autem Aethiopem, quidam intelligunt populum Iudæorum Christi persecutorem, fœdum scilicet illud & execrandum impiorum consilium, quod
Psal.2. fremuit aduersus dominum, & aduersus Christum eius: qui propter nigrorem vesaniæ, inuidiæ, at-que malitiæ suæ, recte Aethiopis nomine significantur. Erant enim secundum nigrorem illum, quo-uis Aethiope nigriores. Filij autem Iemini erant hic Iudæorum populus, id est, filij dexterę, quoniam
Ephes.2. secundum carnem filij promissionis, filij electi patriarcharum: cæteræ verò nationes, quasi sinistræ G
filij reputabantur, qui (vt Apostolus ait) sine Deo erant, promissionis spem non habentes, & alieni à testamento Dei. Et qui hoc modo titulum intelligunt, ad Christum psalmum totum accommodant, dicentes eum esse orationem Christi contra persecutores suos impios, in qua suã innocentiam pro-ponens, illorum malitiam condemnari optat à patre. Alij verò Aethiopem istum Saulem intelligunt,
1.Reg.15. odio, inuidia, crudelitate, & multiplici malitia valde denigratum. Nam & inobediens fuit voci domi-
1.Reg.16. ni in reseruatione Amalech: & excusationes in peccatis adiiciens, cũ redargueretur à Samuele: proin-ci meruit, ita vt ab eo recederet dominus, & apprehenderet eum spiritus malus. Deinde, capitali o-dio contra Dauid innocentem pessime affectus fuit, ita vt illum obstinatissimo corde, quem inno-
1.Reg.22. xium sciebat, ad mortem inquireret: qui sacerdotes domini præter omnem causam interfecit, at-
1.Reg.28. que circiter vitæ suæ finem de domino prorsus diffidens, etiam phytonissam consuluit. Mirum pro-fectò, nigror tantus tanquam multiplex si non Aethiopem faciat. Hic autem filius Iemini erat, quia de stirpe Beniamin. Vnde & Felix pro filio Iemini, vertit, stirps Beniamin. Est enim frequens in
1.Reg.22. scripturis, filios Iemini dici eos qui de tribu Beniamin. Sic enim Dauid maledicentem sibi Semæi vocabat filium Iemini. Quanto magis (inquit) hic filius Iemini maledicet mihi? Et Saul suæ stir-pis homines alloquens, dicebat, Audite me filij Iemini. Huic autem expositioni de Rege Saul aper-tè subscribit Paraph. Chald: quæ habet in titulo, Pro interitu Saul filij Cis, de tribu Beniamin. Se- H
cundum hanc autem sententiam, psalmus iste protestatio est ipsius Dauid de sua innocentia coram Deo iudice, & iniquitati aduersantium propositio ad impetrandum à Deo iudicium, & expurgatio de falsa accusatione, qua illum apud Saulem accusabant nonnulli, quasi regi insidiantem: quemad-
1.Reg.24. modum ipse Dauid in historia Regũ indicat, cùm ad Saulem clamat, Quare audis verba hominum dicentium, Dauid quærit malum aduersum te? Imò & Saul ipse, vt suorum animos aduersum Dauid
1.Reg.22. concitaret ardentius, falsò ei iminabatur illum, quasi suo regno insidiantem. Sic enim illum legimus apud suos seruos, in testimonium prauí sui doloris, ita concionantem: Audite me (inquit) filij Iemini, nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos & centu-riones, quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi renunciet: maxime cùm & fi-lius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi, eo quòd suscitauerit filius meus seruum meum, aduersum me insidiantem mihi vsque hodie. Ecce quàm grauem impius concionator, plenus fraude & dolo, aduersus eum quem optime sciebat innocentem, proponit querelam. Secundum hanc quoque intelligentiam, apte admodum correspon-dent versibus aliquot huius psalmi, quæ Dauid pro sua innocentia loquitur apud Saulem, postea quam hastam abstulisset & scyphum, qui erat ad caput eius. Quam ob causam (inquit) dominus
1.Reg.26. meus persequitur seruum suum? Quid feci, aut quod malum est in manu mea? Nunc ergo audi, oro, domine

A domine mi rex, verba serui tui. Si dominus incitat te aduersum me, adoretur sacrificium. Si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu domini, quia eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæ-reditate domini, &c. Ac post pauca concludens, Dominus (inquit) retribuet vnicuique secundum iu-stitiam suam, & fidem. Tradidit enim te dominus hodie in manum meam, & nolui extendere ma-num meam in Christũ domini. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnifi-cetur anima mea in oculis domini, & liberet me de omni angustia. Quàm pulchre autẽ ista cum hu-ius psalmi dictis consentiant, conferens quilibet facile aduertit. Puto ergo satis cõsentaneam esse ve-ro, hanc suprapositam tituli intelligentiam, & arbitror Saulis, ac suorum nimiam malitiam ipsi Da-uidi occasionem præstitisse huic psalmo conficiendo. Quomodo tamen in psal. 3. in annotationibus principalibus diximus, ita & hic dicimus, quòd vtilius vel ad Christum, vel ad fidelem vnumquem-que contra hostium malitiam Deo se commendare volentem, potest accommodari. Alij verò per Aethiopem istum intelligunt maledicum illum Semæi, qui (vt historia libri Regum indicat) de pro- 2.Reg.16.
genie Saulis erat: id est, de stirpe Beniamin, atque ita filius Iemini, qui cõtra Dauid fugientem in per-secutione filij ex aduerso clamitans, puluereműque spargens, & lapides iactitans, ipsum appellabat vi-rum sanguinum, & virum Belial, raptoremque regni Saulis, improperans, quod redditurus esset do-minus sanguinem domus Saul super caput ipsius. Atque ita hunc psalmum dicunt fecisse Dauid in
B protestationem suæ innocentiæ, quòd scilicet à crimine illo immunis esset, quod illi impiè obiecta-ctabat ille maledicus. Iuxta quam expositionem, cùm dicitur, Si feci istud: intelligendum foret, istud quod hic mihi improperat, de effusione sanguinis domus Saul: & si est iniquitas, talis scilicet vel ista quæ mihi improperatur, in manibus meis. Hæc autem sententia quanquam nonnullis præ cæteris ar-rideat, mihi certè multum probari non potest: præcipue quum legamus Dauidem tanta humilitate & patientia tam suauiter tolerasse, atque etiã bono corde accepisse istas Semæi contumelias: Dimit- Ibidem.
tite eum (inquit) vt maledicat mihi. Dominus præcepit ei, vt malediceret mihi. Vnde non arbitror, illum tam prolixum psalmum, & tam vehementem (vt finis atque processus sonant) pro hac iniuria tam patienter accepta composuisse. Neque verisimile est, conuitia hominis illius nihili, adeò magni fuisse ab illo reputata, vt pro illorum expurgatione psalmum talem æderet: potissimum quum ma-nifestissime constaret à vero longissime abesse, quæ ille obiectabat de effusione sanguinis domus Saul. Neque enim ipse Saulem, neque quenquam de domo Saulis interfecerat, neq; regnum vlla vio-lentia à Saule rapuerat: sed diuina dispositione, & concordi totius Israëlitici populi electione, ad ip-sum regni fastigium peruenit. Saul autem & filios eius in bello à Philisthæis occisos, nemini consta-bat. Hæc quum nulli non essent nota quorsum pro horum conuitiorum expurgatione, psalmo opus fuerat: nos proinde (quod nostrum tenue iudicium attinet) priores duas sententias huic tertiæ lon-
C gè arbitramur præferendas. ¶Post hæc verò aduertendum est, in Hebræo primam dictionem huius tituli esse sigaion: quæ non significat psalmum, vt nos habemus, psalmus Dauid, sed ignorationem, quemadmodũ Hieronymus ex Hebræo vertit: similiter quoque Symmachus, & Aquila, teste Ioanne Reuclino. Quod secundum eam sententiam accipi potest, quoniam in sui excusationem fecit hunc psalmum Dauid, protestans nescire se quicquam omnino, quo Saulis iram fuisset promeritus, & se omnino nullius rei esse sibi conscium, propter quod ille iustè tantam concitaret persecutionem, & planè non agnoscere, neque scire in sese quæ illi falsò in odium Dauidis contra ipsum obiectabant. Alij verò dicunt dictionem illam Hebraicam significare exercitationem, aut angorem, aut sollicitu-dinem, quidam etiam interpretationem, cui translatio Chaldaica consentit, quæ habet in titulo: In-terpretatio confessionis, qua laudem cecinit coram Deo, dixitque canticum pro interitu Saul filij Cis de tribu Beniamin. Hæc autem omnia non est difficile ad aliquam congruam intelligentiam ad-ducere, ijs quibus in huiusmodi latius meditari fuerit collibitum. Nonnulli verò asserunt, sigaion si-gnificare musicum instrumentum, verùm id perparum videtur habere certæ authoritatis.

IN PSALMVM VIII.

D VErsu 1. Quàm admirabile est nomen tuum. Beatus Hieronymus vertit, Quàm grande est nomẽ tuum. Felix autem, nostro more, Quàm admirabile & terribile. Chaldaica translatio duo con-iungens. Quàm forte (inquit) & laudabile est nomen tuum. Omnia autem hæc in idem recidunt. ¶Versu 2. Quoniam eleuata est magnificentia tua. Hieronymi versio habet, Qui posuisti gloriam tuam super cęlos. Quæ lectio, vtranque sententiam in Elucidatione propositam rectè patitur, & eam videlicet quæ de celsitudine loquitur diuinæ laudis, & eam quæ de Christi super cælos exaltatione. Nam de secundo sensu clarum est, tunc Deum patrem suam gloriam super cælos posuisse, quan-do suum filium exaltauit super omnes cælorum ordines in æqualitatem suæ dexteræ. Iuxta priorem autem sententiam, posuit Deus super cælos gloriam suam, quando adeò suam gloriam magnifica-uit, sicque eam exaltauit, vt longè omnibus esset cælis superior, vt nullo modo à cælis valeat com-prehendi. Altior enim est cælis. Propter quod alio in loco dicitur, Excelsus super omnes gentes dominus, & super cælos gloria eius. Atque huic posteriori sensui consonat Felicis versio, Qui ele-uasti laudem tuam, vel quoniam eleuata est celebratio tua super cælos. Consonat & lectio paraphra-sis Chaldaicæ, Qui constituisti laudem tuam altissimam plusquam cælos. Putat tamen Felix, iuxta suam sententiam rectius vertendum, in hunc modum, Quàm admirabile est nomen tuum in vniuer-sa terra, quæ dedit confessionem tuam super cælos. Quod adimpletum dicit, in conuersione om-nium gentium ad Christum. Tunc enim vniuersa terra dedit confessionẽ & laudem Christo Deo, sedenti super cælos, ad patris dexteram, & admirabile adorabile habuit benedictum nomen eius.

¶Versu

Universidad de Deusto Biblioteca

¶ Versu 3. Perfecisti laudem. Beatus Hieronymus nobiscum vertit, Perfecisti laudem. Ceteri ex He- E
braeo interpretes vertut, Fundasti fortitudinem vel virtutem. Vnde colligitur eandem esse vtriusque
lectionis sententiam: Fundauit enim Deus (id est, firmauit, & corroborauit) suam fortitudinem, eam-
que firmam, ac solidam demonstrauit, ac proinde perfectam, & perfecte laudabilem fecit, dum ex
ore infantium & lactantium suam gloriam magnificauit. In secunda autem parte, quum in psalterio
Romano habetur, Vt destruas inimicum & defensorem: necesse est accipiatur Defensor pro Vltore,
Rom. 12. sive (vt ita dicam) vindicatore: quemadmodum iuxta vulgatam lectionem Latinam capite duodeci-
mo epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos legimus, Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed
Deut. 32. date locum iræ: vbi Defendentes, significat Vlciscentes, aut Vindicantes: quomodo & in eo quod se-
quitur ex Moysis cantico, Mihi vindictam. Tertullianus antiquus author quodam loco adducit, Mi-
hi defensam, & ego retribuã, Vnde patet, apud antiquos solere Defensam dici, pro Vltione, vel vin-
dicta, & Defendere, pro vlcisci, ac proinde Defensorem, pro vltore: de qua re nonnihil diximus in
nostris Collationibus super epistolam beati Pauli ad Romanos. Debere autem hoc loco Defenso-
rem non aliter accipi, quàm prædictum est, tam Græca quàm Hebræa demonstrant. In Græco e-
nim ἐκδικητὴς ponitur, quod manifeste vltorem significat. Ex Hebræo quocunque concorditer om-
nes interpretes Vltorem vertunt. ¶ Versu 6. Minuisti eum paulominus ab angelis. Ab angelis, quan- F
tum ex Hebræo originali, recte verti posset, A Deo, quomodo vertit beatus Hieronymus: Minues
eum (inquit) paulominus à Deo. Nam in Hebræo Elohim ponitur, quod nomen in scripturis Deus
verti solet: quemadmodum primo cap. libri Geneseos quotiescunq; dicitur, Dixit Deus, vidit Deus,
aut huiusmodi, semper vocabulũ istud Elohim positũ est. Huius autem lectionis sententia est, Chri-
stum Dei filium (qui secundum diuinitatem, quatenus verbum patris, coæternus ei erat, & coæqua-
lis) factum esse in sua humanatione, secundum assumptam formam serui, patre suo minorem: quem-
Ioan. 14. admodum & de se ipse testatur, dicens: Pater maior me est. Insuper & iuxta posteriorem in Elucida-
tione positam expositionem ad totum genus humanum accommodaretur ista pars psalmi, aptam ni-
hilominus habebit intelligentiam, hanc videlicet, Humanum genus in tanta sublimitate, dignitate,
atque nobilitate condidisti, vt non ita multum absit à similitudine diuina: fecistique hominem non
vsqueadeo tibi dissimilem, dum inspirans ei, rationalem animam, ad imaginem & similitudinem tuã
creasti illum. Hac enim parte, valde diuinæ nobilitati appropinquamus. Vnde etiam habemus, vt Dei
capaces simus, & deiformes effici valeamus. Et quanquam re vera maxima adhuc distantia interfit
inter diuinam & humanam conditionem, dicitur tamen homo paululum à Deo minutus, secundum
comparationem loquendo, & relationem ad cæteras omnes corporeas creaturas: quarum nulla sic
per similitudinem imaginis appropinquat Deo, vt humana natura. Rectè itaque ex Hebræo vertit
beatus Hieronymus, A Deo: & quod vertit sanam habet intelligentiam. Veruntamen septuaginta G
interpretes Elohim hoc loco verterunt angelos, dicentes, Minuisti eum paulominus ab angelis: quo-
modo etiam in epistola Pauli ad Hebr. cap. 2. locum istum adductum habemus, tam in Græcis quàm
Latinis codicibus. Quamobrem non satis circunspecte quidam agere videntur, qui hanc lectionem
nostram vulgatam prorsus è libris delendam putant, dicentes omnia tam Græca quàm Latina hoc
loco castigari debere, vt loco, Ab angelis, ponatur, A Deo, Neque solum hunc locum in psalmis, sed
illum etiam in epistola ad Hebræos quem supra citauimus, similiter commutari volunt, ob hoc vi-
delicet quod in Hebræo Elohim habeatur, quod significat Deum. Primum enim illud aduertendum
est, si omnia quæ in psalmis inueniuntur apud septuaginta interpretes dissonantia ab Hebræo, de-
beant secundum Hebraicam scripturam immutari, pene vniuersam illorum interpretationem ne-
cessario debere confundi: similiter & vniuersis prophetarum libris, cum plurima ipsi consilio & spe-
ciali diuini spiritus inspiratione (vt piè, religiosè, & verè creditur) immutauerint: de qua re August. in
libris De ciuitate Dei, atque De doctrina Christiana multa disserit: quædam etiam hoc multo vetu-
stior Irenæus, in libris quos contra hæreticorum errores conscripsit: nos quoque pro nostro modu-
lo paucula quædam diximus in præfatione Collationum, quas pro veteris ecclesiasticæ Latinę inter-
pretationis noui testamenti defensione, ferè ante biennium edidimus: propter quod, impræsentiarũ
ista non repetimus. Addo & illud, si ea quæ in Euangelijs atque apostolicis literis citantur ex septua- H
ginta interpretibus, debeant corrigi ad Hebræam literam, quemadmodum isti hoc loco fieri postu-
lant, pleraque etiam in sacris Euangelijs esse immutanda, similiter in ipsis apostolorum literis. Plerũ-
que enim illi veteris testamenti authoritates ex septuaginta interpretibus adducunt. Oportebit itaq;
(secundum istorum sententiam) & hæc obelo confodi, & iuxta Hebræam cuncta restitui. Quemad-
Esaiæ 11. modum (exempli gratia) illud quod in cap. 13. epistolę ad Romanos ex Esaia secũdum septuaginta in-
terpretes adducitur: Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gẽtes sperabunt, dicẽt obe-
lo transfigendum, & eliminandum de libris omnibus, tã Græcis quàm Latinis. Nam ex Hebræo ali-
ter vertit Hieronymus his verbis, In illa die radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes
deprecabuntur, &c. Hæc autem si quis attentet, non solum (vt in epistola ad Hebræos) interpretem
arguit Paulinæ epistolæ, qui eam ex Hebræo vertit in Græcum, verum ipsas etiam Pauli manuscri-
ptas epistolas, cogetur suis articulis emendare: siue (vt verius dicam) temerare, atque commaculare.
Itaque, etiam si constaret, Hebraice Elohim non significare nisi Deum, neque aliquando pro angelis
posse accipi: non tamẽ statim vnius hominis iudicio deberet psalterium, neq; Pauli ad Hebræos epi-
stola Græco sermone scripta emendari, neq; è libris sanctorũ interpretationes huic literæ respõden-
tes, eliminari, & eradicari. Super hęc autem & illud aduertendum est, vulgatam istam lectionem quæ
ab Angelis habet, nequaquam Hebræo aduersari. Nam Elohim etiam angelos potest significare, Vn-
de Chal-

A daica translatio habet, Minuisti eum minimo ab angelis, gloria & splendore coronasti eum.
Felix quoque ordinis eremitarum sancti Augustini, tametsi in contextu ponat à Deo, ad marginẽ ta-
men ponit, ab angelis. Sanctus verò Pagninus Prædicatorij ordinis, vir non mediocriter in literis &
linguis sacris eruditus, non aliud vertit, quàm quod nos habemus, ab angelis. Nunquam autem isti
ex Hebræo interpretes, Elohim vertissent angelos, nisi vocem id recte significare indicassent. Sed &
Reuclinius ille citra cõtrouersiam Hebraicæ literaturę peritissimus, in rudimentis Hebraicis, autho-
ritatem inducit Moysis Aegyptij, in lib. perplexorum dicentis, prædictum nomen Elohim conueni-
re Deo, angelis & hominibus admiratione dignis. Ipse verò super hæc inueniri ait, pro idolis & iudi-
cibus, quod etiam exemplis confirmat. Cæterum quod ad sententiã pertinet, in Elucidatione atque
respondentibus annotationibus, arbitramur satis dilucide monstratum, conuenientissimam esse vul-
gatæ lectionis intelligentiam, eamque multiplicem. Sed & Sanctorũ authoritates euidentissime hoc
ipsum confirmat. Sententiam enim de Deo impiam, nunquam tulissent pijssimi illorum animi. ¶ Ver-
su eodem. Et constituisti eum super opera. Constituisti, hoc in loco non significat simpliciter po-
suisti aut collocasti videlicet secundum eminentiam & excellentiam: sed valet præposuisti, vel præ-
fecisti, quasi habẽtem potestatem. Vnde beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, Dabis ei potestatem
super opera. Felix habet, Constituisti eum dominatorem: alij, dominari eum fecisti: quæ omnia illam
B quam diximus sonant intelligentiam.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

PSalmus 8. Prẽter particulas supra expositas, habet in titulo dictionem quandam hactenus nusquã
repertam, neque explicatam. Inscribitur enim pro torcularibus, quomodo etiam beatus Hiero-
nymus ex Hebræo vertit. Manifestum autem est, debere nos hæc torcularia secundum mysticum ali-
quem sensum accipere. Intelligunt enim nõnulli Latinorũ doctores per torcularia ista, Christi Eccle
sias: inter quos ille est eximius doctorum sanctus pater August. in huius tituli explanatione rationes
plures adducens, quibus Ecclesiæ dici debeant torcularia. Illa autem præcipua est, qua sic dicit Ec-
clesiam torcular esse, quomodo & areæ assimilatur, iuxta verbum Ioannis Baptistæ, dicentis de do-
mino, ☩ permundabit aream suam: videlicet quòd in ea hoc tempore boni cum malis sint commix-
ti. Quemadmodum enim in area non solum est triticum, sed sunt insuper tegumenta siue folliculi in
quibus nascitur & cresit triticum, sunt etiam sustentamenta & defensoria inter quæ proficit, custo-
ditur & augmentatur, & sine quibus nunquam triticum bonũ nascitur: ita in torcularibus non solus
est vuæ sanguis (vt ita dicam) neque solum vinum, sed insuper vinacia sunt atque folliculi, in quibus
C gignitur & coquitur: sunt & lapilluli, qui interius implent & distendunt vinaciorũ vteros. Atque ita
applicando similitudinẽ, dicimus etiam in sancta Ecclesia malos esse cum bonis cõmixtos, imò bo-
nos per malos quodammodo sustentari atque etiam cõfirmari, & proficere in bonũ. Discernit tamẽ
nunc Deus in torcularibus vinacia atque lapillos à sanguine vuarũ siue à vino: futurumq; aliquando
est, vt vina colligat in cellaria sua, vinacia verò proiiciat ante canes & porcos, vt impleantur de eis vẽ-
tres ipsorum: quomodo de area dicitur: quòd cum eam dominus permundare voler, triticum angeli Luc. 3.
collecturi sunt in horreum, paleas autem conijcient in ignem inextinguibilem. Super hæc verò quæ
pater August. pulchrius & latius declarat, adijciendum merito existimamus, torcularia in scripturis
diuersam habere significationem. Quodam enim loco interrogantibus angelis illum qui de Edom Esaiæ. 63.
veniebat, tinctus vestibus, de Bozra, quare rubrũ esset vestimentũ eius: respondisse eum legimus, quo
niam torcular calcasset. Hoc autem torcular, sancti patres ad passionem Christi pertinere veridica ex-
positione interpretati sunt. Videndum autem, ne forte istud sit torcular, pro quo hic psal. inscribitur.
De passione siquidem domini præsentem Psalmum loqui, Apostolus scribens Hebræis euidẽter de-
clarat: atque idipsum monstrat aperte præmissa Elucidatio. Neque est ☩ pluralis numerus quenquã
moueat. Non enim simplex erat torcular, quod calcauit noster sponsus sanguinum. i. non vnica erat
passio, sed abundantiam passionum atque tormentorum multiplicium, tam interius quàm exterius,
D pro nobis subijt agnus victor, cui Psal. inscribitur. Denique sub torculari domini licebit & seruorũ
torcularia comprehendere. Calcarunt enim singuli martyres suum torcular. Imò (generaliori quo- 1. Tim. 5.
dam loquendi modo) omnes qui pie volunt viuere (secundum Apostoli sententiam) persequutio-
nem perferre debent, suum habent singuli torcular. Legimus insuper in lib. qui Ecclesiasticus inscri-
bitur, de alio quodam torculari, quod impletur à sapientia. Sic enim illius operis author ẽ inibi au-
diuimus loquentem, In benedictione Dei & ipse speraui, & quasi qui vindemiat repleui torcular. Ac Eccle. 33.
deinde, Respicite, quoniam non mihi soli laboraui, sed & omnibus exquirentibus disciplinam. Quid
verò per torcular impletum ad modum vindemiantis intelligimus, nisi cor vitali sapientia repletum,
& ita repletum, vt nõ sibi soli sufficiat, sed vniuersis inde bibere volentibus. Atque hoc modo videa-
mus, ne forte corda infantium horum & lactẽtium, de quibus in Psalmo fit mẽtio, per quos laus Dei
perfecta est, similiter ex aduerso & inimicorum confusio, ne horum (inquã) corda sint ista torcularia
repleta ad modum eius qui vindemiat. Vere enim quod sequitur ipsis optimo iure proclamare licet:
Videte, quia non nobis solis laborauimus, sed & omnibus qui exquirunt disciplinã. Quomodo enim
ex torcularibus vinum omne procedit quo potatur mundus & oblectatur, sic ex horũ infantium &
lactentium pectore, Ecclesia vniuersa suauiter potata est, & mirabiliter viuificata. Et ex his torcula-
ribus propinat sapientia ijs quos inuitauerit vinum, quod se illis dicit miscuisse: quemadmodum & Prou. 9.
ex his horreis panem suum depromit inuitatis. Panis enim verbi Dei, & vinum sanctæ sapientiæ om-

ne quod in Ecclesia est, ex his horreis & torcularibus (.i. de plenitudine & diuitijs spiritualibus Apo- E
stolorum pectorum) depromptum est, atque propinatum Ecclesiæ. Ecce verò, quomodo iterū in
infantes & lactentes istos prolapsi sumus, à quibus & in alteris annotationibus vix tandem auelli
Matth. 21. portuimus. Possemus verò & de torculari illo nonnihil adijcere, quod in vinea sua extruxisse legitur
Apoca. 19. dominus vineæ, qui illam agricolis locauit. Cæterum, torcular illud de quo in Apocalypsi legimus
calcatis torcularibus sitiunt, proposito videntur nulla ratione posse conuenire. Insuper & illud ad-
Iob. 24. uertendum est, quòd dictio Hebræa quę hoc loco ponitur Gittih, ab alijs asseritur fuisse instrumen-
tum quoddam artis musicæ, quod ex Gath Philisthinorum ciuitate fuerat allatum, forsan & inibi
repertum. Cui sententiæ paraphrasis Chald. aperte consentit, quæ sic habet, In laudem cithara allata
de vrbe Gath. Felix autem putat gentilem populum hac dictione significari, dicens eam esse patro-
nymicam, à Gath ciuitate deriuatam, tanquam si dicamus effecto vocabulo populum Gathicum.
Vult autem per hoc significari populum gentium, sicut & per Philisthijm in scripturis, compluribus
in locis, gentilitas significatur. Dicit itaque sensum tituli esse, Pro populo gentium, videlicet quia
gentilitatis ad fidem Christi cōuersionem per spiritum sanctum prævidens Propheta, in huius Psal- F
mi verba erupisset. Hactenus de Psalmi titulo.

IN PSALMVM IX.

VErsu. 5. Increpasti gentes, & perijt impius. Chaldaica paraphrasis, hoc in loco sic habet, In-
crepuisti populum Palestinorum, perdidisti Goliam impium. Vnde patet, quòd in titulo præ-
mittit pro morte viri qui egressus est de castris, De Golia Philistæo authorem huius trāslationis in-
tellexisse, de quo in expositione tituli plura inuenies. Nos autem Goliam diabolum vel Antichristū,
& Philisthæos impios idololatras interpretati sumus. Alioqui, quid nobis cum Golia aut Philisthęis
illis, qui in baratrū iam olim absorpti sunt? Versu. 6. Ex Hebræo vertit beatus Hieronymus, Inimi-
ci completæ sunt solitudines in finem. Quod intelligi potest de populis gentium, qui erant deserta
& solitudines inhabitatæ à draconibus & serpentibus, cum idola colerent. Hæc autem deserta com-
pleta sunt, finita sunt, id est solitudines diaboli esse desierunt. Sunt enim in aduentu Christi facta ha-
bitacula ipsius & Dei. Et sic idem vult hæc particula quod statim sequēs, Destruxisti ciuitates eorum
in quibus scilicet habitauerant, dum populos gentium ipse in possessionem ad inhabitandum occu-
pasti. In sequenti autem versu, ex Hebræo vertunt concorditer omnes, Perijt memoria eorum cum
ipsis, neque fit de sono vel sonitu vlla mentio. ¶ Versu. 9. Et factus est dominus refugium pauperi. G
Pro refugio, priore loco, & adiutore secundo loco, in Hebræo eadem dictio est misgab, quod beatus
Hieronymus vtrobiq; vertit eleuationem. Erit dominus (inquit) eleuatio oppresso, eleuatio oppor-
tuna in angustia. Felix priori loco munimentum, secundo protectionem transtulit. Conueniunt au-
tem hęc omnia in idem. Pauperibus enim dominus refugium est, ad quem securū possint & debeant
habere recursum: est eis adiutor, in anxilium paratus: est exaltatio & eleuatio, quoniam de pondere
tribulationum & oppressione eos subleuat & exaltat, per liberationem, facitque vt nō succumbant,
Philip. 4. sed victores magis euadant: est munimentum, est protectio atque defensio eorum: est insuper & for-
titudo eorum, in quo gloriātur sese omnia posse, & omnia facile perferre atque superare. ¶ Versu. 17.
Cognoscetur dominus iudicia faciens. Hunc versum aliquando secus vertunt ex Hebręo interpretes.
Hieronymi versio sic habet, Agnitus est dominus, iudicium faciens. Felix vertit, Notus dominus, iu-
dicium fecit. Quod de diabolo & eius cultoribus, impietatis contra Deum & Christum promotori-
bus, recte intelligitur. Iam enim experti iudicium domini, agnouerunt illum quem prius contempse
rant, & agnoscere recusabant. Aut accipiatur tempus præteritū pro futuro secundum expositionem
quæ in Elucidatione posita est. Sequentem autē partem vertunt, In opere manuum suarū corruit vel
illaqueatus est impius, quod nostra lectionem clarius explicat. In fine autem huius versus, particula
quædam in Hebræo ponitur, scilicet Higaion, quasi separatim, absque cōnexione cum vlla vel præ- H
cedenti, vel sequēti dictione: neq; tamen sensum vllū per se potest cōpletum efficere. Pro qua dictio-
ne, in translatione beati Hierony. omnino nihil versum inuenitur, Felix autem dicit eam significare
canticum, vel meditationem, vel loquutionem. Ita autem exponit hanc particulam, vt ad statim præ-
cedentem vltionem impiorum referatur, vt sit sensus, Cantabunt siue exultabunt iusti, supple de hac
vltione. Aut meditatio vel loquutio. i. vnusquisque meditabitur & loquetur de hac vltione. Sanctes
Psal. 66. Pagninus paraphrastice ita legit, Meditatio in sæculum, est salus hæc. Et Chald. paraphr. Gaudebunt
iusti in æternum. ¶ Versu. 21. Constitue domine legislatorem super eos. Beatus Hieronymus vertit
pro legislatorem timorem, hoc modo, Pone domine timorem eis. Cui consentit translatio Chalda.
Incute domine timorē eis. Iuxta quā lectionem petitur, vt super gentes veniat timor domini, nimi-
rum vt cognoscant & metuant eum omnes fines terræ: quanuis posset & in malā partem interpreta-
ri. Recte tamen nostra lectio habet legislatorem. i. rectorem, doctorem, præceptorem. Vox enim He-
bræa vtranque habet significationem tu, vnico tantum puncto variata. Nam si morh legatur, significat
timorem vel terrorem. Si verò moreh per segol legatur, doctorem & præceptorem significat. Felix
autem vertit in cōtextu, Pone domine iugū ipsis. Quod recte de iugo illo accipi potest, de quo Sal-
Matth. 11. uator in Euangelio ait, Iugum meū suaue est, iugum scilicet fidei & legis Euāgelicæ, per quod humi-
litate discunt homines qui ipsum suscipiunt, & suæ vtilitatis memores libenter se Deo subijciūt. Vn-
de & Saluatorem audimus in Euangelio clamantem, Tollite iugum meum super vos, & discite à me
quia

A quia mitis sum & humilis corde. Ad idē referri potest timor ille, si tamen sanctus, castus, atque Euā-
gelicus timor intelligatur. Itaque hæc diuersitas potest in vnitatem facile reduci. ¶ Versu. 26. Pro in-
quinatæ sunt, Beatus Hieronymus vertit, parturiunt. Parturiunt (inquit) viæ eius in omni tēpore. Po-
test autem parturitio ista intelligi (secundum quod in Psalmo. 7. dictum fuit) de impio parturiente
iniustitiam. Semper enim parturiunt ipsi & meditantur, quomodo innocentes opprimant. Vnde Fe-
lix vertit, Dolore afficient viæ eius, iustum videlicet, contra quem in omnibus vij suis meditatur im
pijs. Alij vertunt, Prosperabūtur viæ eius in omni tēpore. ¶ Versu. 27. Auferuntur iudicia tua à facie
eius. Ex Hebræo vertit Felix, Excelsę iudicia tua à cōspectu eius, vel excelsa iudicia tua, quod clarius
aliquando verti posset. In altitudine sunt iudicia tua corā eo. Clarissime verò reddidit Hieronymus,
Longe sunt iudicia tua à facie eius. Omnium autem horū simul & nostræ vulgatæ lectionis, vna ea-
demque sententia est. Quod enim excelse vel in altitudine supra nos est, id à conspectu nostro elon-
gatū est, à facie nostra ablatum vel absconditū, vt non videamus. Atq; ita sunt Dei iudicia in altitudi-
ne posita, & ablata siue remota à facie impiorum. Nesciunt enim videre aut considerare illa. ¶ Versu
32. & 33. Insidiatur vt rapiat pauperem. Iuxta distinctionem quæ in Hebræo est, vltima particula prio-
ris versus iungitur cum principio posterioris ad hunc modum, Insidiatur vt rapiat pauperem, rapere
pauperem, dum attrahit eum in rete suum, aut in laqueum suum. Quod autem sequitur, humiliabit
eum, inclinabit se & cadet, &c. admodum diuersimode diuersi transferunt, Beatus nanque Hierony-
B mus sic legit, Et confractum scilicet pauperem subijciet, & irruet viribus valenter: quod per omnia
apte respondet illi sententiæ, quā in Elucidatione expressimus. Felicis autem versio sic habet, Subsi-
debit, humiliabitur, & cadet in fortitudine eius exercitus contritorum. Cuius lectionis sententia est,
impios interdum abscondere se, & occultare fraudulentiā, vt deinde in tota fortitudine irruāt, quasi
ex improuiso: quemadmodum aucupes subsidunt & inflectunt sese, vt non videantur à multitudine
auium, quas cupiunt in rete suum attrahere, sicque ex improuiso omnes illa queant. Potest etiā intel-
ligi secundum hoc quod frequenter tam diabolus quàm ministri eius infirmitatem simulant, vt ma-
gis fæuiant: quomodo in vita magni Antonij legimus, spiritum malignum in specie nigri pueruli se-
se pedibus viri sancti prostrauisse, quasi victum sese confitendo, vt eū sic vel in gloriā eleuaret, vel in
securitatem adductum facilius pòst deciperet. Huic sententiæ consonat quod vertit Felix contritum
humilemque se ostenderet, &c. & quod habet Chalda. paraphrasis. Simulat ægritudinem & debilita-
tem, caditque in fortitudine insidiarum eius pauper.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

C PSalmus. 9. Titulus præmittitur, iuxta vulgatā lectionem, Pro occultis filij. Quod sancti doctores
referunt ad Christi aduentum in carnem: qui vere occultus erat, quoniam sub forma serui domi-
nus apparebat, & sub humanitate diuinitas latebat abscondita. Et de hoc aduentu fit in hoc Psalmo
mentio, quando de generis humani deliberatione, inimici destructione, & gentium cōuersione, pro-
lixa narratione multa describuntur. Item & de iudicio discretionis, quo nunc electos Deus à repro-
bis separat secundum meritū, illis gratiam misericorditer largiēs, hos iusto suo iudicio in odio & re-
probatione derelinquens. Est autē & hoc iudicium admodum occultū, hinc enim Apostolus præ ad-
miratione exclamabat, dicens, O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensi- Rom. 6.
bilia sunt iudicia eius. Sed & secundus Christi aduentus & extremū iudiciū, de quibus in hoc Psalmo
fit mentio, tametsi tunc cum fient, manifesta erunt omnibus, nunc tamē occulta sunt & abscondita.
Propter quòd, pro his omnibus occultis filij Dei Christi domini, recte dixerimus cantari hunc psal-
mū, & intitulari pro occultis. Ex Hebræo tamen aliter vertunt interpretes. Nam Hieronymus vertit
super morte filij: quomodo etiā Symmachū ait ex Hebręo transtulisse. Verum super hoc titulo quæ-
stio exoritur, quare super morte filij hic Psal. inscribatur, cū de morte filij nulla hic fiat mentio, sed
potius de victoria Christi, in dæmonis humiliatione & gentium conuersione, maxime vsque ad ver-
sum. 22. à quo loco secundum Hebræorum distinctionem Psalmus alius inchoatur. Potest autem hæc
D difficultas facile solui dicendo, ob hoc intitulari Psalmū pro morte filij, quoniā omnis illa de diabo-
lo victoria & humani generis liberatio, gentiūque ad fidē conuersio, & à portis mortis extractio per
filij mortem perfecta fuerunt. Moriens enim filius agnus Dei, fecit omnem illam victoriā. Ait beatus
Hieronymus septuaginta interpretes Christi morte & resurrectionē (quæ ignota prius mundo fuit)
per verbū ascensionis celare voluisse, ne à gētibus illo tempore facile hoc mysterium nosceretur. Et
secundum hanc sententiam occulte idē indicatur per abscondita filij, quod per filij mortē. Alij vertūt
Pro iuuentute filij. quomodo beatus Hierony. testatur vertisse Aquilem interpretem. Atque ita per
filium pulchre intelligitur populus fideliū, in tempore gratiæ, quasi in iuuētute sua florens primitijs
spiritus, & gratiæ, doctrinę, atq; miraculorū splendēs. Vel per iuuentutē filij intelligatur resurgentis
& victoris Christi glorificatio. Alij rursum vertūt, pro iuuentute: sed particulā sequentē labē, dicunt
significare candidā vel splendidā, vertuntq;, pro iuuentute splendida, vel Psalmus iuuentutis splendi-
dæ: quoniā videlicet de splēdore & pulchritudine nascētis ac proficientis Ecclesiæ, Psalmus potissi-
mū loquitur, similiter & de Christi post resurrectionē triūpho & gloria, quæ aliquo modo potest iu-
uētus splendida appellari. Rursum alij vertūt quidem cū Hieronymo & Symmacho, pro morte vel su-
per morte, sed sequentē in Hebræo dictionē laben, accipiunt pro insipiēte per transpositionē litera-
rū, putātes laben dictū esse pro nabal, q̄ stultū sonat vel insipientē, iuxta qd exponit Abigail loquēs
de viro suo corā Dauid pro salute domus suæ, ac dicens, Ne ponat oro dominus meus rexcor suum 1. Reg. 15.

super virũ istum iniquum Nabal, quoniã secundum nomen suũ stultus est, & stultitia est cũ eo. Iuxta hanc itaq; intelligentiã vertunt, super morte insipientis. Quod potest intelligi de destructione hostiũ Christi, vt pote vel diaboli, qui insipientissimum sese demõstrauit, atque etiamnum monstrare nõ desinit, cũ tã Deo & Christo oppositus & vsq; modo repugnare nõ cessat. Huius enim interitus & mors, initio statim Psalmi describitur. Aut de populo Iudæorũ: nimis insipienter missum sibi saluatorẽ respuente & oppugnãte: qui Ecclesia gentium surgente, excæcati sunt, atq; ita vere mortui. Itẽ & de omnibus impijs, quorum interitus & mors per Christi iudicium in præsenti psalmo describitur. Specialiter quoque ad illum verissimum Nabal, & superbe nimium stultum Antichristum aptari potest titulus, de quo pars psalmi posterior specialius loquitur. Licet enim psalmum hunc videantur Hebræi distinguere, quia tamen nõ præmittitur sequenti vllus titulus, quasi sub isto simul in vnum cõprehenditur, iuxta multorum sententiã. Nonnulli verò, etiam ad literam putant hunc psalmum à Dauid pro morte insipientis Nabal fuisse cõpositum, cum audita morte illius dixisset (vt Regum narrat historia) Benedictus dominus qui vindicauit causam opprobrij mei de Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit dominus in caput eius. Alij, Goliat Philisthæum intelligunt: verum hæc postrema minus apparent probabilia. Quæ prius dicta sunt, plus videntur habere authoritatis atque dignitatis, quantum ad sententiæ pondus attinet.

1.Reg.25.

IN PSALMVM X.

VErsu.2. Ex Hebræo vertunt in secunda parte versus, Posuerunt vel præparauerũt sagittas suas super neruũ. pro quod nos habemus, Parauerunt sagittas suas in pharetra. In illo apertius denotatur malorũ cupidus ad nocẽdum animus. In hoc autẽ, occultum insidiarum, & fraudulẽtia nocere cupientium apertius insinuatur: qũo in annotationibus alteris, latius explicauimus. Sententia autẽ idem reuertitur. ¶Versu 3. Quoniã quę perfecisti destruxerũt. Dictionẽ hasathoth varijs modis trãsferunt interpretes. Septuaginta enim verterũt, quæ tu fecisti vel perfecisti i. perfecta. Beatus Hieronymus vertit, leges. Quonia leges (inquit) dissipatæ sunt. Felix vertit, fundamenta. Quonia fundamenta (inquit) Chal. translatio similiter habet, Si fundamenta subuertentur, iustus quare operatus est bonum? Alij vertunt retia, quomodo & Felix testatur recte trãsferri posse. Videretur autem generalius vertere, & minus sententiam stringere, qui verteret, quæ posita sunt. Hic enim & leges, & fundamenta & retia manifeste cõprehenduntur. Hæc enim omnia poni dicuntur. Sed & ea quæ perficiuntur ab aliquo, & in sua perfectione stabiliuntur recte poni dicimus. Prædictorum verò expositionem per singula non prosequimur, cõtenti ea quã in Elucidatione, ac post eã in annotatione expressimus. Ex his enim difficile nõ erit versiones alias intelligere. ¶Versu.5. Oculi eius in pauperẽ respiciunt. In Hebræo nõ additur in pauperem, sed simpliciter habetur, Oculi eius vident vel respiciunt: ad significandũ videlicet, diuinis cõspectibus patere vniuersa, neq; omnino quicquã esse quod illum licet in altissimis residentem, possit latere. Loco autẽ verbi interrogãt, Hieronymus similiter & alij interpretes cõstituũt verbum probat: quod secundum eandem intelligentiã accipiendum est, secundum quã suprà exposuimus interrogãt. ¶Versu.6. Qui autem diligit iniquitatem, odit animã suam. Huius versus secundã partem aliter ex Hebræo vertunt, quàm habeat vulgata lectio, in hunc videlicet modum, Diligentem iniquitatem odit animã eius: vt ei referatur ad dominum, sitque sensus, Animã Dei odio habere eos qui diligunt iniquitatem. Cuius dicti sententia clarissima est, si tantũ intelligatur quomodo in scripturis attribuatur anima Deo: qui tamen sicut nõ corpus, ita nec animã habet. ¶Versu vlti. AEquitatem vidit vultus eius. Secunda hanc partem versus, diuersimode ex Hebræo trãsferunt. Hieronymus enim vertit, Rectum videbunt facies eorum. hoc est, vultus eorum quos Deus dilexit, videre debent, probare, atque sectari quod rectum & bonum est. Atque in eandem ferè sententiam vertit Felix ad marginem, Rectè aspiciẽt facies illorum. Alij vertunt, Rectum videbit facies eius. Quod si secundum genus neutrum intelligatur, idem est cum vulgata nostra lectione: Similiter & illud quod Felix in cõtextu vertit, Rectum aspicient vultus eius. Erit enim sententia, Dei vultum aspicere quod rectum est. hoc est, æquitatem. Si verò secundum genus masculinum, sententia est, Deum aspicere rectos & simplices. Rursum verò ab his omnibus diuersam sententiam habet Chaldaica paraphrasis in hunc modum, Recti videbunt iocunditatem facierum eius.

IN PSALMVM XI.

VErsu.4. Labia nostra à nobis sunt. Ex Hebræo vertunt cõcorditer interpretes, Labia nostra nobiscum sunt. Iuxta quem modum habet etiam psalterium Augustini, pro, à nobis, ponens, apud nos, quod est nobiscum. Puto autem illud nobiscum accipi debere, vel vt idem sit quod à nobis: quoniam videlicet ex naturali generatione linguam vt cætera membra, accipiunt homines: vel vt soner, in potestate nostra: quasi dicant impij, Linguam nostrã in potestate nostra habemus, quur nõ loquamur quodcunque visum fuerit? Pro magnificabimus autem vertunt ex Hebræo roborabimus, quod eandem ferè habet sententiam. Nam & vulgo robustã aut fortem linguã habere dicuntur, aut in lingua robusti esse ac fortes, qui linguam habent magniloquam atque superba iactantem. ¶Versu. 5. Propter miseriam inopum? Pro miseria ex Hebręa concorditer vertunt vastitatem Quod Euãgelico sermoni satis apte respondet, cum Saluator turbas aspiciens, describitur earum misertus, quoniam erant iacentes, vexati & desolati, tanquam oues nõ habentes pastorem, ac proinde (quod necessario consequitur) luporum morsibus parentes. Propter hanc ergo vastitatem & miseriam, pollicetur nũc exurgere dominus: quemadmodum & illo in loco misericordia motus est vt mitteret operarios in messem suã, mitteretque discipulos ad prædicandum regnum Dei. ¶Versu 6. Ponã in salutari, fiducialiter

Matth.9.

Ibidem.

A cialiter agam in eo. Quantum ad secundam partem attinet, aliter ex Hebræo vertunt interpretes, sed variant inter sese plurimum. Beatus enim Hieronymus omnium facillime vertit, iuxta sententiam ferè nostræ lectionis, Ponam in salutari auxilium eorum. Felix in contextu vertit, Ponam in salute, loquetur pro ipso. Cuius sententia est, Ponam pauperem & inopem in salute. i. saluum faciam illum, & pro ipso loquar, pro ipso agam, ero illi aduocatus, patronus, & liberator. Ad marginem autem ponit, illaqueabit, quod exponit, Eripiam ipsum iustum ab illo qui posuit laqueum illi. Sanctes Pagninus paraphrastice vertit in hunc modum, Ponam eum in salutem, ab eo qui deridendo sufflat in eũ: hoc est, saluabo eum de manu opprimentis, qui ipsum habuit pro nihilo, atque contempsit. Alius ex Hebræo vertit, Ponam in salutem: flatus erunt: vt prius ad pauperes referatur liberandos, posterius verò ad malos & dæmones opprimentes, qui ante faciem Dei exurgentis erunt quasi flatus, & sicut fumus deficient. Chaldaica paraphrasis diuersam adhuc à prædictis habet sententiam: Statuã (inquit) redemptionem populo meo, impijs verò testificabitur malitia. Cuius sensus esse videtur, quòd impijs prædicabitur & manifestabitur per Christum saluatorem sua malitia. Quod bene quidem in Christi persona impletum agnoscimus, quem propter increpationem malitiæ peccatorum, crucis mortem per inuidiam sustinuisse credimus. Deinde, per eius spiritum post ascensionem demissum, per vniuersum orbem cognoscimus latius pleniusque perfectum, quoniam ipse est, qui per Apostolos cæteros-

Ioan.16.

que fideles (iuxta Christi promissum) mundum arguit de peccato: quique vsque hodie non desinit

B testificari impijs malitiam suam. ¶Versu.7. Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Hunc versum ex Hebræo diuersimode transferunt interpretes. Beatus enim Hierony. ita legit, Eloquia domini, eloquia munda, argentum igne probatum, separatum à terra, colatum septupliciter. Quæ lectio non discordat à nostra, nisi quòd probatum terræ clarius vertit, separatum à terra, cum eadem sit sententia. Felix loco illius, Argentum igne examinatum, probatũ terræ, vertit argentum conflatum vel examinatum à domino terræ: quod non habet difficilem intelligentiam, quadoquidem omnem mundiciã quæ in eloquijs domini est. i. omnẽ veritatẽ, fidelitatem, vtilitatẽ, & quicquid in eis boni est, manifestũ est à domino terræ (qui est Deus) & nõ aliunde procedere. i. non ab humana sapientia aut eloquẽtia, sed ex virtute Dei. Chaldæa autẽ parap. loco prædictæ particulæ ponit vas alchimicũ siue infusorium: quoniã in huiusmodi vasis purgatur argentũ. De qua re in prioribus annotationibus nonnihil dictũ meminimus. ¶Versu penultimo, Tu domine seruabis nos. Quod nos habemus sub prima persona, seruabis nos: vertit beatus Hieronymus tertia persona, genere neutro, dicens, Tu domine custodis ea: videturque referri debere sententia ad eloquia, vt sit sensus, Tu seruabis eloquia tua, tu adimplebis promissa tua: & verba quæ procedunt de ore tuo, nõ facies irrita. Alij vertunt genere masculino, Tu domine seruabis eos, iustos scilicet, quomodo expresse etiã habet Chaldæa translatio, Tu conseruabis iustos, custodies eos, &c. quæ lectio nostræ concordat. ¶Versu vlti. In

C circuitu impij ambulant: secundum altitudinem tuã multiplicasti filios hominũ. Hunc versum quantum ad partem secundã, longe aliter ex Hebræo vertunt interpretes, quàm habeat vulgata nostra lectio septuaginta interpretũ. Sed neque ipsi inter sese consentiunt, qui ex Hebræo versiones fecerunt. Beatus enim Hieronymus sic habet, In circuitu impij ambulant, cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum. Cuius lectionis poterit valde conueniens assignari sententia, secundum expositionẽ in annotationibus præcipuis monstratam, de exclusione à regno superno, vt per vilissimos filiorum hominum intelligantur pauperes & inopes, de quibus in superioribus versibus dictũ fuit: qui sane in hoc mundo ab hominibus huius sæculi despiciuntur, contemnuntur, & quasi vilissimi filiorum hominum reputantur: quemadmodum ipse de sese testatur Apostolus quodam loco, sic dicens, Puto

1.Cor.4.

Deus nos Apostolos quasi nouissimos ostendit, tanquã morti destinatos. Et iterum. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium perispema vsque adhuc. Et in lib. Sapientiæ dicũt de iu-

Sapien.5.

stis impij, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Hi itaque vilissimi ac despectissimi filiorum hominum, cum fuerint per Dei misericordiam exaltati, computatique fuerint inter

Matth.25.

filios Dei & sortem inter sanctos acceperint, ambulabunt impij in circuitu. i. foris stare compellen-

Lucæ.11.

D tur, clausa ianua, pueris in cubili existentibus: & veluti plorantes atque eiulantes ambulabunt per circuitum ciuitatis, à qua se exclusos conspexerint. Potest tamen & aliter hęc lectio intelligi, de exaltatione temporali quæ in hoc mundo est, ad hunc sensum: Cum in hoc mundo exaltati fuerint, & in potestate siue authoritate eleuati (quod non rarò fieri videmus) homines impij, nequissimi atque vilissimi, qui non sunt digni vt ferantur à terra, suntque velut fex & sordes terræ: tunc in circuitu eorũ ambulant impij adulatores & ministri eorum, & adglomerantur in circuitu eorum peruersi in magna multitudine, adhærentes eis, ad consummationem malitiæ suæ. Videtur autem prior sententia magis conueniens. Chaldaica paraphrasis hoc loco sic habet, Circumeuntes impij ambulant, tanquam sanguisuga, quæ fugit sanguinem filiorum hominum. Quæ lectio aperte fauet expositioni superius positæ in prioribus annotationibus, de cupiditate nocendi impiorum contra bonos: neque difficilem habet intelligentiam. Felix vertit, Cum exaltabuntur opprobria filijs Adam, vel, cum exaltabitur vilipędia filijs Adam. Rursum aliter Sanctes illud, Cum exaltati fuerint, iungit cum præcedentibus, ad hunc modum, In circuitu impij ambulant, cum exaltati fuerint: ac deinde subiungit, Vtilitas est filijs hominum. Iterum alius vertit, Cum exaltati fuerint epulones aut commessatores filijs hominum. Nos verò singulorum prosequi expositiones omittimus, ne supra modum efficiamur prolixi: maxime cum in prioribus annotationibus, atque etiam nunc in his ipsis, abunde multiplex huius loci assignata sit intelligentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

DE titulo huius Psalmi, qui inscribitur pro octaua, iam superius copiosè dictũ est post annotatio nes Psalmi sexti, qui eandem tituli habebat inscriptionẽ. Tantum hoc loco videtur indicãdum, quomodo huic Psalmo talis cõueniat titulus. Dicendum ergo ꝙ si octauã intelligimus, iudicij diem, nõ male hic Psalmus pro octaua inscribitur, qui cõtra peccatorum abundantiã profertur, postulans saluationẽ misericordiæ à terrore illius diei, impijs autem perditionẽ quæ tũ futura est, prænuncians cum ait, Disperdat dominus, &c. Si verò octauã pro requie æterna accipimus, nec sic Psalmo titulus male conuenit, quoniã statim in principio ad illam aspirat, clamãs, Saluum me fac: in medio quoque Saluator promittitur, & in fine electorum ad illam multiplicatio. Rursum, si pro instrumẽto musico octo chordarum accipimus octauã, dixerimusque (vt superius dixisse nos meminimus) epinicia esse. id est, læta victoriæ cãtica quæ in eo cantantur, nõ multũ aberrabimus à veritate. Tametsi enim Psalmi principium sit gementis hominis, medium tamen magnæ victoriæ per Christum saluatorem depromit mysterium: & finis gloriosum narrat electorum fœlicitatis æternæ triumphum.

IN PSALMVM XII.

VErsu. 1. Vsquequo domine obliuisceris me in finẽ? Obliuiscaris legendum est penultima longa. Est enim tẽporis futuri, Quemadmodũ ex Græco atq; Hebræo est manifestũ. Vtrobiq; enim futurũ tempus aperte conspicitur. Obliuisci autem in finẽ, est omnino derelinqui: quomodo illorũ obliuiscimur, quorum vltra nõ recordamur. Atque in hanc sententiã clarè vertit ex Hebræo Hieron. Vsquequo domine obliuiscaris mei penitus? Alij vertunt, semper, vel in sæculũ vel in æternum. Omnia autem eandem sententiã habent. In secunda tamen parte tempore præsenti est legendum, Vsquequo auertis faciem tuã? quoniam ita habet Græca lectio, tametsi Hebræa etiã hoc in loco habeat futurũ. ¶ Versu. 2. Dolorẽ in corde meo per diem. Pro dolore vertit Felix anxietatem, & eadem sentẽtia est. Dolor enim cordis, quem sibi inesse cõfitetur, gemens in hoc Psalmo, nõ aliud q̃ anxietatem & angustiam animi tribulati, propter persequutionis grauitatem & lapsus periculum, maxime autem ob diuinæ consolationis absentiã significat. ¶ Versu. 4. Obdormiã in morte. In Hebræo sonat, ac si dicas, Dormiã mortem, hoc est, dormitionem mortis, quod est dormire morte, siue obdormire in morte. ¶ Versu 5. Si motus fuero, intelligi potest, si lapsus fuero, si ceciderο, aut si declinauero, quẽadmodum habet Chaldæa. paraph. Si declinauero à semitis tuis, Aut si mutauero, hoc est, ad casum fuero inclinatus, vel si cadere cœpero, aut etiã si hæsitauero, aut cespitauero à via iustitiæ. Tam enim cupidi sunt inimici perditionis nostræ, vt non solum gaudeant, cum nos viderint iam prolapsos, & extra viam positos, verumetiam cum ad casum tantum declinantes aut lapsui propioquos conspexerint. Quemadmodum econtrario gaudium est angelis Dei cæterisq; fidelibus salutis proximorum percupidis, nõ solum cum peccatorem vident resurrexisse ad pœnitentiã, sed mox etiam vbi illum viderint propositum cõcepisse resurgendi, agendiq; pœnitentiã. ¶ Versu. 6. Et psallam nomini domini altissimi. Hæc particula in Hebræo non habetur. Et pro eo quod habemus, qui bona tribuit mihi, non habetur nisi, qui retribuit super me, vel qui reddidit mihi. Quod manifestum est debere accipi secundum sententiam nostræ lectionis, qui bona retribuit vel dedit mihi. Vnde Chald. paraphrasis habet, Laudes dicam coram Deo, quoniam mecum benigne egit.

Lucæ. 15.

IN PSALMVM XIII.

VErsu. 2. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt. In Hebræo habentur verba actiua, tãquam si dicas, Corruperunt, abominabile fecerunt: sic in priori parte subaudiri oportet accusatiuum, semetipsos, vel viã suam, vel studia sua. Hierony. nobiscum vertit, per verba passiua, Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt: sed pro eo quod sequitur, in studijs suis, vertit studiosè: quod secũdum eandem sententiã potest accipi. ¶ Versu 3. Si est intelligẽs aut requirens Deũ. loco illius, requirens Deũ, Chal. parap. habet, quærens eruditionẽ à conspectu Dei. Secũdum quẽ intellectum, requirere Deum, est illum vt præceptorẽ requirere, & illuminatorẽ in via iustitiæ. Videtur tamen prima facie cõuenientius, vt intelligatur quærere Deum, qui illi cupit & studet placere, Alterum autẽ in altero includitur. ¶ Versu 4. Simul inutiles sunt, B. Hierony. vertit ex Hebræo, Simul cõglutinati sunt, Quod intelligendum puto de consensu & societate malorum in sua prauitate. Adhærent náque fortiter sibiinuicem, per malam viscositatem iniquitatis, quæ eos veluti in vnum compingit & continet. Alij vertunt nosbiscum, abominabiles sunt, aut corrupti sunt, siue cõputruerunt, vel fœtuerunt. Sunt autem hæc adinuicẽ ferè cõiuncta, neq; est inter ea secundum rem multa distantia. Re enim corrupta, consequitur, eã ad nihilum vltra esse vtilem, non aliquo iam cõducere, neque vllam amodo habere gratiã: sed ipsa fit ad omnia inutilis, ac proinde despecta, odiosa, contẽpta & abominabilis: quẽadmodum de sale ait dominus, quod cùm infatuatum fuerit vel euanuerit, (hoc est corruptũ fuerit, suaque virtute priuatũ) ad nihilum vltra valet, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Carnes quoque mox vt corrumpuntur, abominabiles fieri incipiunt, tam quo ad esum, quàm quo ad olfactum, & prorsus fiunt inutiles. Atque ita per omnia impij declinantes à iustitia, quasi sale sapientiæ priuati, mox inutiles fiunt & abominabiles, & fœtent in naribus domini Sabaoth atque sanctorum eius. ¶ Versu. 5. 6. & 7. Sepulchrum patens, &c. Versus hi tres in Hebræo non habentur, hoc sane in loco: in alijs tamen Psalmis, partim eos licebit diuersis in locis inuenire. Quinti enim versus pars, prior videlicet, Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: psalmo quinto cõtinetur. Quæ sequitur autem, Venenũ aspidum sub labijs eorum. Psal. 139. illud autem quod proxime sequitur, initiũ versus

Matth. 5.

A versus sexti, Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. In psal. 9. habes. Reliqua autẽ quæ sequuntur, finis scilicet versus sexti, & principium septimi (id est, totũ hoc, Veloces pedes eorum ad effundendũ sanguinẽ. Contritio & infelicitas in vijs eorũ, & viã pacis non cognouerunt) nõ videntur vsquã, nisi forte secundũ sententiã in psalmis haberi. Apud Esaiam autẽ inueniuntur libri eius ca. 59. Sciendum tamen est, ꝙ Paulus apostolus 3. ca. epist. ad Roman. omnes hos versus tanquã ex contextu psalmi recitat, & adducit in testimoniũ. Quapropter mirũ valde est in nullis non solum Hebraicis neque Chaldaicis, sed neque in Græcis exẽplaribus, tres istos versus inueniri. Satis enim apparet in Græcis codicibus iuxta septuaginta interpretes partẽ istã olim fuisse habitã ex allegatione Pauli, qui in citando plerunq; solet illorum translationẽ adducere. Quam suspicionẽ siue opinionẽ etiam confirmat Augustinus Iustinianus episcopus Nebiensis, vt in diuersis linguis apprime eruditus, ex vtraque Arabica interpretatione, Syra videlicet & Aegyptia, in quib⁹ ista dicit haberi, quæ Hebræa & Græca modo non habent: quas interpretationes, Syrã videlicet & Aegyptiam, nõ dubitat ipse ex Græco esse desumptas: simul etiam adducens quod modo diximus, ex allegatione Pauli in epistola ad Romanos. ¶ Versu 8. Qui deuorant plebem meã sicut escam panis. Ex Hebræo vertit Felix, Comedentes populum meum, comederunt panem: quod ipse tantundem valere ait, ac si dicatur, Comedentes populum meũ, ac si comedissent vel comederent panẽ. Admodum autem rectè hęc, cõsonat cum sententia, quã

B supra in Elucidatione expresimus. In sequenti autem versu ex Hebræo non habetur, Vbi non erat timor, sed tantũ, Illic timuerunt timore. Quod nõnulli ad statim sequẽs referunt, dicentes impios illic timere, inde timorem cõcipere, ꝙ dominus in generatione iustorũ habiter, tanquam eorũ protector & vindex. In Græco tamen habetur, iuxta quod nos in Latinis habemus exẽplaribus. Et forsitã interpretes subaudiendũ istud existimarunt, quod adiecerunt. Neque multũ dissimilis est lectioni nostræ paraphrasis Chal. quæ & ipsa supra Hebraicã literã nonnulla verba adijcit, habet in hunc modum, Ibi timuerunt timore mendacium, quod non decebat timere.

IN PSALMVM XIIII.

VErsu. 2. Qui ingreditur sine macula. Quod nos habemus, sine macula, ex Hebræo vertũt aliqui, Qui ambulat perfectè, vel in perfectione: quod cum nostra lectione coincidit. Sine macula enim ambulat qui perfecte ambulat: & econtrario. Beatus autem Hieronymus, item & Felix nostro more vertunt, Sine macula. ¶ Versu 3. Qui non egit dolum in lingua sua. In Hebræo habetur vocabulum Ragal: quod significat annotare, deferre, accusare, diffamare, detrahere, vt ait Ioannes Reuchlinius in rudimentis Hebraicis addens præsentem locũ psalmi rectius transferri potuisse. Qui

C non detulit super lingua sua. Felix vertit, Qui non detraxit, detulit, vel susurrauit lingua sua. Beatus autem Hieronymus diuersum ab his omnibus videtur reddidisse, dicens: Qui non est facilis in lingua sua. Quod tamen secundum sententiam cum prædictis conueniet si intelligamus, facilis ad delationem, detractionem, aut accusationem. Cui etiam consonat quod habet paraphrasis Chaldaica, Non facile detrahit lingua sua. ¶ Versu. 5. Qui iurat proximo suo, & non decipit. Initium huius versus multo aliter in Hebræo habetur, quam vulgata habeat lectio. Sic enim vertit sacer Hieronymus, Iurat vt se affligat, & non mutat. Felix similiter. Iurauit affligere, vel vt contereret, aut humiliaret (supplendo seipsum vel corpus suum) & non mutabit. Atque ita habet etiam Chald. translatio. Intelligitur autem hæc lectio de firmitate propositi, vori, & iuramenti boni: cuiusmodi est semetipsum affligere per pœnitentiam atque opera virtutis, quæ circa difficilia sunt, & secundũ sensum affligunt homines. Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et (iuxta Saluatoris verbum) odio habere oportet etiam animam nostram, si ipsum sequi volumus: quod profecto absq; suipsius afflictione nequit fieri. Et quia minimum est proponere, vouere, iurare, nisi impleatur promissio, idcirco dicitur, Iurauit affligere, & non mutat.

Matth. 11. Lucæ. 9.

IN PSALMVM XV.

D

VErsu 1. Bonorum meorum non indiges. Ex Hebræo istud ambigue vertitur. Quidam enim iuxta sententiam prædictæ lectionis vertunt, Bonitas mea non eit super te, vel pro te, vel ad te: hoc est, bonum meum non confert tibi, neque tu indiges bonorum meorum, intelligendo per contrarium: sed tua bonitas pro me est, & confert mihi, & ego tuis egeo. Alij autem vertunt, Bonum meum non est nisi à te: aut, Bene mihi non est sine te, vt habet Hieronymus. Cui lectioni consentit quod habet Chald. paraphr. Bonum meum non procedit nisi à te. ¶ Versu. 2. Sanctis qui sunt in terra eius mirificauit omnes voluntates meas in eis. Hebraica lectio ad verbum sic habet, Sanctis qui sunt in terra, & admirabilibus vel magnificis vel fortibus, omnis voluntas mea in eis: quod clarius dici posset, hoc modo, In sanctis qui in terra sunt, & admirabilibus vel fortibus est omnibus voluntas mea. Intelliguntur autem hîc admirabiles, siue magnifici & fortes, ijdem qui & sancti. Et rectè quidem Christus patrem suum orans pro salute membrorum, allegat omne beneplacitum suum esse in sanctis & admirabilibus vel fortibus fidelibus suis. Molles enim & vitijs subiectos, qui se fortes in bello, & in pugna contra antiquum serpentem non exhibent, habet exosos: neque est ipsius bona voluntas in illis. Cui consonat qđ in oratione deuotissima post cœnam vltimam ad patrem loquitur dicens, Non pro mundo rogo, sed pro ijs quos dedisti mihi. Neque tamẽ pro illis tantũ pauculis, sed & pro omnibus qui creditur sunt per verbũ eorum. Hi enim sunt fortes isti siue admirabiles, in quibus

Ioan. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gene. 3.

sibi iam dicit filius Dei bene placitũ. Possunt verò præsentis Hebraicę lectionis plures aliæ asignari E
ex; cõpositiones atq; cõnexiones, quas consulto prætereundas existimamus, ne nimia multitudine lecto
ris animus obruatur potius, quã ædificetur. ¶ Versu. 3. Multiplicatæ sunt infirmitates eorũ, Pro infir-
mitatibus, Ex Hebræo quidã vertunt, idola: ex quibus est B. Hieron. Alij autẽ iuxta cõmunem lectio-
nẽ, dolores vertunt. Quæ diuersitas ex æquiuocatione procedit dictionis Hebraicę. Nã azab Hebræa
dictio, per z daggessatũ, significat idolũ vel sculptile Significat etiã ærũnas, dolores, lãguores: vt Gen.
3. Multiplicabo ærũnas tuas. Sequentẽ autem particulã, Postea accelerauerunt, ex Hebręo vertũt ali-
qui, post alterũ accelerauerunt: & exponunt post alterũ Deum. i. post deos alienos. Secundum quam
Sententiã paraphrastice vertit Sanctes Pagninus, Multiplicentur dolores eorũ qui alteri Deo dona-
uerunt, hoc est, qui sese dederunt ad seruiendũ alteri Deo. Atque hoc pacto de reprobatione infide-
lium pars ista foret intelligenda. ¶ Versu 4. Non cõgregabo conuenticula eorũ de sanguinibus. He-
braica lectio habet, Non libabo libamina eorũ de sanguine: quod exponunt aliqui, Non libabo liba-
mina illorũ, quorum libamina est sanguis: hoc est, nolo particeps fieri operum illorum, neq; cum eis
cõuersari. Alij, Non ordinabo posthac sacrificium de sanguine pecorum immolatitiorum, vt. s. exigã
ab ijs qui cõuersi fuerint oblationẽ sanguinis animalium. Quæ posterior expositio nostræ expositio-
ni in Elucidatione positæ satis rectè cõsentit. ¶ Versu 7. Qui tribuit mihi intellectum. Pro dedit mihi
intellectum, in Hebræo habetur, Consuluit mihi, vel consiliũ dedit mihi. Pene autem in idem potest F
reduci sententia. Cum enim Deus interna sua illuminatione hominẽ erudiens, facit eum præeligere
hæreditatem cælestem, atque Deum ipsum, cæteris omnibus quæcunque in mundo sunt desidera-
bilibus, nihil dubium, quin simul & intellectum illi dat, vt cognoscat hanc esse hæreditatem optimã
& longe præstantissimam, atque etiam consilium vt hanc omnibus prę eligat, & præ omnibus requi-
rat. Pro Increpuerunt autem, alij vertunt, Castigauerunt, alij Erudierunt: quæ facile ad sententiam su
perius expositam valent applicari.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

HAbet psalmus iste titulum specialem ante hac nusquã expositum, qui iuxta vulgatã lectionem
talis est: Tituli inscriptio ipsi Dauid. Quod facile exponitur, dicendo, huius psalmi titulũ inscri
bi Dauid: id est, Christo, qui est verus Dauid, vt aliãs frequenter diximus: quoniã videlicet ad ipsum
spectant, quæ in hoc psalmo tractantur. In Hebræo autem maior est difficultas propter nimiã ambi-
guitatem vocabuli Michtã, quod varie admodum reddunt interpretes. B. autẽ Hieron. vertit, Humi-
Matth. 11. lis & simplicis Dauid, sequutus Aquilã & Symmachum. Est autẽ simplex iste & humilis Dauid, cuius
Matth. 5. auditur vox in Euangelio, ad humilitatẽ & mansuetudinẽ omnes inuitans, Discite (inquit) à me, quia G
mitis sum & humilis corde. Et iterum, Beati pauperes spiritu. & Beati mites, quoniã ipsorum est re-
gnum cælorum, & ipsi possidebunt terrã. Alij dicunt Michtã, significare aureum insigne, regiæ nobi-
litatis indiciũ, vel signum militaris dignitatis. Quod rectè etiã ad Christum accõmodatur, quoniam
in hoc psalmo de victoria, decore & gloria resurrectionis eius fit mẽtio, per quã de diabolo & morte
victor triumphauit. Alij plagã integram vel perfectã dicunt significare: quod etiam Christi accõmo-
dant, in quo plaga perfecta fuit, quã præter meritum & culpã pro salute generis nostri maximã & cru
delissima sustinuit. Alij instrumenti musici asserunt esse nomen, in quo psalmus iste erat decãtandus.
Nos lectori iudicium liberum liberamq; electionem relinquimus, vt sectetur quod maluerit.

IN PSALMVM XVI.

VErsu 4. & 5. Igne me examinasti, & nõ est inuenta in me iniquitas, Vt nõ loquatur os meũ opera
hominũ, &c. Longe secus habent Hebræa hoc loco, q̃ vulgata lectio. Sic enim vertit Hiero. Con
flasti me, & nõ inuenisti cogitationes meas transire os meum Ac deinde, In opere hominum propter
verba labiorum tuorum ego obseruaui vias latronis. Cuius lectionis hæc est sententia, Conflasti me: H
id est, igne examinasti, & diligenter probasti, atq; examinasti: & non inuenisti q̃ transierint cogitatio-
nes malæ per os meum, q̃ murmuratio aut impatientia (quæ sese cogitationibus meis iniecerunt, vel
in cogitationibus occurrerunt) transierint per os meũ, vt scilicet consensum præbuerim malis occur
rẽtibus cogitationibus, aut suggestionibus prauis: sed cõpescui labia mea & os meum: quomodo de
Iob. 2. sancto Iob dicitur, q̃ in omnibus afflictionibus non peccauit labijs suis, nec stultum aliquid contra
Deum loquutus est. Non enim cauere potest homo, ne cogitationes malæ exurgant in corde: est ta-
men eius abijcere male suggesta, vt non de illis tractet, loquatur, aut cõsulat perficiendis. Vnde & in
Psal. 4. alio psalmo dicitur, Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris cõpungimini: quod suo lo
co in eãdem sententiã à nobis suprà expositum est. Quod sequitur autẽ, In opere hominum, propter
verba labiorũ tuorum, ego obseruaui vias latronis: hanc habet sententiã. In operibus hominum, in
actionibus atq; negotijs omnibus, quibus occupabar, & quibus occupari solẽt homines propter ver
bũ labiorum tuorũ, propter præcepta atq; mandata tua, ego obseruaui vias latronis, diaboli, qui ho-
Ioan. 8. micida & latro est ab initio, qui nõ aliud quærit quã nos occultè in mortẽ mittere præcipites. Valde
autẽ oportet huius latronis vias obseruare, quoniã occultæ sunt valde, & vix nisi à diligentissime cõ-
tuentibus, perceptibiles. Et in omni opere hominum quo nos occupari contigerit, semper necesse
est nos huius latronis esse memores, eiusq; semper vias obseruare: quoniã ipse vt noceat, nusquã non
adest, nusquã non se ingerit, vt nostras actiones vel aliqua ex parte commaculet. Hoc enim est sum-
mum &

A mum & vnicũ illius latronis peruersi studium efficere, vt nihil eorum quæ nos agimus placeat Deo,
Pro latrone, vertunt alij, dissipatorem: quod æquè diabolo conuenit, & secundùm eandem penè ra-
tionem quæ iam exposita est: quoniam hominis bona omnia dissipare, & disperdere laborat, iuxta
quod in alio psalmo dicitur, Quæ tu perfecisti, destruxerunt. ¶ Versu 9. A resistentibus dexteræ Psal. 10.
tuæ custodi me. Principium huius versus in Hebræo continuatur cum statim præcedenti, ad hunc
modũ, Mirifica misericordias tuas qui saluos facis sperates in te, à resistentibus dexteræ tuæ: vt præ-
positio à, iungatur ad saluos facis: ac deinde diuisim legatur, Custodi me vt pupillam oculi, &c. Illud
autem, A resistentibus dexteræ tuæ, ex Hebræo vertitur, Ab insurgentibus in dexteram tuam, vel, Ab
insurgentibus in dextera tua. Ac iuxta hanc duplicem versionem, duplex itẽ asignari potest intelli-
gentia. Secundum priorem, cum legitur casu accusatiuo, insurgentibus in dexteram tuã, idem valet
quod resistentibus dexteræ tuæ, vel oppugnantibus dexterã tuam. Secundum casum verò ablatiuum,
potest particula illa, In dextera tua, cõiungi verbo saluos facies, ad hunc sensum, Qui in dextera tua,
siue per dexterã tuam, saluos facies sperantes in te, ab insurgentibus: id est, ab hostibus & impugnan
tibus. Cui sententiæ suffragatur paraphrasis Chaldaica, quæ sic habet, Redemptor confidentium, vl-
ciscere illos qui insurgunt in eos, manu dextera tua. Beatus autem Hieronymus, iuxta modũ nostræ
lectionis, legit: A resistentibus dexteræ tuæ: tametsi (vt iam prædictũ est) eum præcedentibus particu-
B lam istam coniungat. In sequenti autem parte: pro pupilla oculi, vertit Hieronymus, pupillam intus
in oculo: alius, pupillam filiam oculi: alius, nigrum pupillæ oculi. Chaldaica translatio, pupillam dicit
orbiculatam, quæ est in medio oculi. Quæ omnia ad maiorem teneritudinem spectant, & sententiam
in Elucidatione atque annexis annotationibus expositam satis adiuuant. ¶ Versu 11. Inimici mei ani-
mam meam circundederunt. Principium huius versus ex Hebræo sic ad verbum conuerti posset, Ini-
mici mei, in animam vel ad animam, vel propter animam circũdederunt me: hoc est, Circundederunt
me obsidendo & circumeũdo propter animã meam. Quòd enim nos circũeunt quasi leones rugien-
tes, inimici diaboli, nõ propter rapiendas diuitias aut temporalia bona faciunt, sed propter animam,
vt eam rapiant, mactent, & perdant. Ferè autem eandem sententiam hæc lectio exprimit, quam suprà
exposuimus. Quæ autem sequuntur diuersimodè, à diuersis interpretibus vertuntur, atque exponun-
tur. Beatus enim Hieronymus sic vertit, Adipe suo cõcluserunt, & ore suo locuti sunt superbe. Cuius
lectionis commoda facilè dabitur intelligentia, si per adipem intelligamus potentiam & astutiam,
vel etiã diuitias, si de temporalibus inimicis loquamur. Sic enim adipe diuitiarum, aut potentiæ astu-
tiæque suæ, animas pauperum concludunt, & obsident per circuitũ impij, vt eos perdant. Aut sim-
pliciter intellige, Adipem suum concluserunt. id est, omnes suas diuitias, omnem suam potentiam in vnũ
collegerunt, pariterque coniunxerunt, vt facilius nocerent. Sanctes Pagninus ad complendam sen-
tentiam adijcit aliquid, hoc modo paraphrastice vertens, Adipe suo cõcluserunt corpus suum: ac de-
C inde, Ore suo loquuti sunt superbe. Felix verò secundum aliam connexionem legit in hunc modum:
Adipe eorum clauserunt os suum, loquuti sunt cum superbia. Cui etiam cõsentire videtur Chaldaica
paraphrasis, quæ habet, Diuitiæ eorum multæ, adipe eorum aperit os eorum, loquuntur arroganter.
Prior autem lectio magis probanda videtur, vt pote commodiorem habens intelligentiam: quæ no-
stræ etiam lectioni vulgatæ accedit vicinius. ¶ Versu 13. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam.
Hebræa lectio habet, Similitudo eius sicut leonis, &c. Per quod significatur q̃ dicit Petrus apos-
tolus aduersarium nostrum tanquam leonem rugientem ad nos perdendos circuire. Verti etiam posset, 1. Petr. 5.
Imaginatio eius, quasi leonis desiderantis vel anhelantis vel parati ad prædam. Quomodo enim leo
cum ad prædã anhelat, imaginatur, phantasiatur, atque cogitat de eadem faciunt & rapaces isti aduer-
sarij. ¶ Versu. 14. Ab inimicis manus tuæ. Hebraica lectio istud separat in caput versus sequentis. Sic
enim habet, Eripe animam meam ab impio, framea tua: ac deinde sequitur, A viris manus tuæ, &c.
Quod autem secundum hanc lectionem dicitur ab impio, framea tua, primo hanc habet intelligen-
tiam: Ab impio, qui est gladius tuus. Est enim peccator iustum persequens quasi gladius & flagellum
Dei, in quo suos dominus exercitat. Atque in hunc sensum vertit Hieronymus, dicens, Ab impio, qui
D est gladius tuus. Posset quoque ablatiuus ille (framea tua) iungi verbo eripe: sicque sensus erit, Gladio
tuo eripe animam meam ab impio: id est, tua iusta vltione, sua seuera vindicta. Chaldaica paraphra-
sis aliqui I supplendum putat, & diuersam à prædictis facit sententiam. Sic enim habet, Erue animam
meam ab impio, qui meretur interfici gladio tuo. ¶ Versu 15. Domine à paucis de terra diuide eos
in vita eorum, Hic versus adeo difficilis est intelligentiæ in Hebraica lectione, & tam incertæ senten-
tiæ, vt nec vnus interpretum cum alio consentiat. Beatus Hieronymus ita vertit, A viris manus tuæ,
domine, qui mortui sunt in profundo, quorum pars in vita: hoc est, ab hominibus malis super quos
est manus tua, & vltrix vindicta, qui in profundo peccatorum & cõcupiscentiarum mortui sunt co-
rã te, qui portionem fœlicitatis suæ habent in vita ista præsenti: quemadmodum epulo ille euangeli- Lucæ. 6.
cus bona receperat in vita sua. Alij vertunt, A viris qui sunt manus tua, vel flagellum tuũ: ac deinde, A
viris ex tempore vel de sæculo: hoc est, ab hominibus huius mũdi, vel ab hominibus modicæ subsisten-
tiæ, quorum potestas non diu durabit. Chaldaica paraphrasis in bonã partem sonat, Et iustorum (in-
quit) qui deuouerint animas suas propter te in morte, de terra, pars eorũ in vita æterna. Cuius lectio-
nis sententia est, Eos qui propter Deũ animas suas tradiderunt in mortem corporalem, habere por-
tionem suã & mercedem, vitã æternã. Similiter & quod sequitur ad fœlicitatem iustorum refert, cum
subiungit, Thesaurus tuus bonus adimplebit thecas eorum: quoniã corda eorum & nunc implet, ad
sufficientiã gratia spiritus, & pòst implebit plenissimè gloria sempiterna. ¶ Versu vltimo, ego autẽ in
iustitia apparebo conspectui tuo. Hunc versum ita ex Hebræo transfert Hieronymus, Ego in iustitia

videbo

Universidad de Bibliotec

videbo faciem tuã: implebor cum euigilauero, similitudine tua. Cuius lectionis sententia est. Ego in iu- E
stitia perueniã ad aspectum vultus tui, & tunc implebor, atque perfectè satiabor plenitudine fœlici-
tatis æternæ quod corpus & animã, cum à mortuis resurgã in similitudine tua: id est, assimilatus tibi
per corporis & animæ glorificationẽ. Erimus enim (vt Ioannes ait) similes illi: & (iuxta Pauli sermo- 1. Ioan. 3. Colos. 3.
nem) apparebimus & nos cũ illo in gloria. Quam sententiã plurium & potiorum interpretũ firmat
authoritas. Vnde Augustinus Iustinian⁹ circa huius versiculi pertractationẽ, ita ait, Satiabor, nõ in hoc
sæculo sicut impij, quorũ pars est in hac vita, sed in sæculo futuro, inq; æterna vita, vbi euigilauero à
somno mortis, videboque similitudinem tuã, imò gloriam tuã, imò teipsum, qui es tota gloria mea.
Chaldaica paraphrasis sic habet, Ego autem in veritate videbo iucunditatem faciei tuæ, satiabor in
tẽpore quo euigilauero à gloria similitudinis tuæ: vbi videtur illud, à gloria similitudinis tuæ, cõiungi
verbo, satiabor, ad hunc sensum, In tẽpore quo euigilauero, cũ surrexero à somno mortis, tunc satia-
bor à gloria similitudinis tuæ, à gloria quæ me faciet similẽ tibi. Alij autem vertunt, Satiabor, dũ sur-
rexerit similitudo tua: quod secundum prædictum sensum intelligi potest, Dum surrexerit mihi, cũ
mihi venerit similitudo tua. Alius vertit, Cum expergefacta fuerit imago tua: quod iterum ad eadem
sententiam potest accõmodari: dicẽdo, Cum ego qui sum imago tua, qui sum factus ad imaginem &
similitudinem tuã, fuero expergefactus in nouissimo die. Atque ita ex his omnibus videmus in hac
lectione Hebraica non solum mentionem fieri de gloria animæ (vt in vulgata lectione Græcorum F
atque Latinorum) sed etiam de corporis resuscitatione.

IN PSALMVM XVII.

VErsu 1. Diligam te domine. Ait Felix verti posse hoc loco, Quæro misericordiam à te: siue, Am-
bio miserationes tuas. Rectius tamen habet diligam, quomodo vertit Hieronymus atque ipse
etiam Felix in contextu. ¶Versu. 4. Laudans inuocabo dominum. Hunc versum varie ex Hebræo li-
cet vertere. Vel iuxta modum nostræ lectionis, Laudans inuocabo dominum vel per passiuum hoc
modo, Laudatum inuocabo dominum: quemadmodum vertit Hieronymus, Quod eandem habet
cum priore lectione intelligentiam: hoc est, inuocabo dominum cum laude. Cui videtur consonare
quod habet Chaldaica paraphrasis, Dixit Dauid, inter laudandum, ego orabo coram Deo. Verti
etiam posset. Laudatus inuocabo dominum: hoc est (vt Felix ait) Cum meruero laudem, inuocabo
dominum. ¶Versu. 12. Et ascendit super Cherubin. Felix vertit, Equitauit super Cherub, & vo-
lauit: quod expositioni in Elucidatione positæ satis respondet. ¶Versu. 19. Assumpsit me de aquis
multis. Aquas multas intelligimus multos populos persequentes, vel multas tribulationes obue-
nientes: quam duplicem expositionem in Elucidatione indicauimus. Priori tamen de multitudine G
populorum persequentium fauet Chaldaica paraphrasis, habens in hunc modum: Direxit me, & eri-
puit me de populis plurimis. In sequenti autem versu, loco illius, Quoniam confortati sunt super
me: clarius vertit Hieronymus, Quoniam robustiores me erant. Felix autem, Multiplicati sunt,
vel præualuerunt super me. ¶Versu 22. Saluum me fecit, quoniam voluit me. Hanc partem ita
vertit Hieronymus, Liberauit me, quoniam placuit ei. Felix, Quoniam dilexit me, vel quoniam
complacuit sibi in me. Chaldaica translatio, Quouiam voluntas eius fuit in me. Quæ omnia, cum
nostra lectione consentiunt, eademque explanant. ¶Versu. 24. Nec impiè gessi à Deo meo. Intelligi
potest, à Deo, aduersus Deum: vel non recessi impiè agendo à Deo meo. ¶Versu 28. Cum san-
cto sanctus eris. Ita quidem rectè ex Hebræo transfertur. Potest tamen verti, Cum misericorde
misericors eris: quemadmodum secunda pars, Cum innocente innocens eris: verti potest, Cum
perfecto perfectus eris. Sic in versu sequenti, priori loco verti posset, Cum fideli vel simplici, fide-
lis & simplex eris: vel, Cum mundo mundus eris. Quæ omnia similem habent intelligentiam. Pro
illo autem verbo, peruerteris, aliqui vertunt. Peruersus eris: quemodo etiam psalterium habet quo
vtitur Augustinus. Alij, Peruersus videberis vel iudicaberis. Verti etiam potest, Peruerse ages:
quemadmodum in priore versu, loco illius, Cum viro innocente innocens eris. Hieronymus vertit, H
Cum viro innocente innocenter ages. In Græco autem habetur μετὰ τοῦ ῥιβελλίου ῥίψεως: hoc est, Cum
eo qui est prauus, astutus, siue peruersus, tu peruertes: id est, praue siue duriter ages, vel peruersus
eris, aut durus, contrarius, & repugnans illi. ¶Versu. 31. Illumina tenebras meas. Intelligi potest, Il-
luminando fuga & expelle tenebras quæ sunt in me: aut illumina tenebras meas: id est tenebrosa
cordis mei: & si quæ adhuc latent in occulto in tenebris, ea detege lumine tuo, vt sim coram te om-
nino perfectus. ¶Versu 32. Quoniam in te eripiar à tentatione, Hieronymi versio habet, In te
enim curram accinctus: hoc est, Fiducialiter & alacriter aggrediar etiam grauia, omni abiecto tor-
pore, præparatus ad impletionem voluntatis tuæ. Felix vertit, In te conteram militum cuneum: vel,
In te perrumpam, vel percurram per militum cuneum: id est, absque nocumento transibo. In se-
quenti autem parte, pro Transgredi murum, vertit Hieronymus ac cæteri, Transiliam murum: quod
maiorem explicat vehementiam. ¶Versu 36. Qui perfecit pedes meos, tanquam ceruorum, Bea-
tus Hieronymus ita vertit, Coæquans pedes meos ceruis: hoc est æquales faciens in velocitate pe-
des meos cum pedibus ceruorum, vt curram scilicet velocissime in via Dei. Felix habet, Posuit
pedes meos tanquam ceruorum. Chaldaica translatio habet, Pones pedes meos agiles, tanquam
ceruorum. Quæ omnia, lectionem nostram clariorem reddunt, & eandem sententiam retinent.
¶Versu 39. Disciplina tua ipsa me docebit. Huius loco in Hebræo sic habetur, Mansuetudo tua
multiplicauit me, vel mansuetudine tua multiplicasti me: hoc est, confortauit vel auxit fortitudine,
vt suffi-

A vt sufficerem expugnãdis meis hostibus. Vel, Mansuetudo tua, siue humiliatio tua multiplicabit me:
id est, quum me humilias, magnum me facis & exaltas. Prior autem particula: Disciplina tua correxit
me in finem, omnino in Hebræo non habetur, neque in psalterio Romano: habent tamen eam sep-
tuaginta interpretes. ¶Versu 40. Non sunt infirmata vestigia mea. Clarius ex Hebræo vertit Hiero-
nymus, Non deficient tali mei. Felix, Non sunt lapsi malleoli vel tali mei. ¶Versu 43. Confrin-
gam illos, nec poterunt stare. Hieronymus ex Hebræo, Cædam illos, & non poterunt surgere. Fe-
lix, Vulnerabo, percutiam, confringam eos, & non poterunt surgere. ¶Versu 44. Inimicos meos de-
disti mihi dorsum. Expositioni de fuga, quam in Elucidatione posuimus, consonat Chaldaica para-
phrasis, habens in hunc modum, Patronos inimicitiæ meæ fecisti vertere terga in conspectu meo.
Beatus autem Hieronymus vertit, Inimicorum meorum dedisti mihi dorsum. Quod vel ad fugam
modo prædicto: vel ad percussionem, vulnerationem, & interfectionem pertinet hostium. ¶Ver-
su 46. Vt lutum platearum delebo eos. Hieronymus ex Hebræo, Vt lutum platearum proijciam
eos: quod Felix interpretatur, Sicut lutum platearum euacuabo illos, scilicet vt fieri solet de luto
platearum, cum extra viam eiicitur, & in cumulos congregatur: quasi dicat, Cadauera mortuorum
se in cumulos congesturum ex victoria virtutis Dei. Chaldaica autem translatio, quæ habet, Vt lu-
tum platearum conculcabo eos, nostræ expositioni in elucidatione positæ manifeste respondet.
B ¶Versu. 40 Filij alieni mentiti sunt mihi, &c. Felix ita vertit, Filij alienigenæ mentientur mihi. Quod
sic exponit, Negabunt mihi veritatem, & non audebunt eam in præsentia mea confiteri, dicentque
præ timore, nõ fuisse se aduersum me. Quod autem sequitur, sic vertit, Filij alienigenæ inueterassent
(id est, deficient) & timebunt, ex penetralibus suis, vel ex clausuris suis: id est, ex locis occultis in qui-
bus se occultauerunt, & absconderunt præ timore. Beatus autem Hieronymus, pro vltima hac par-
ticula vertit, Deficient, & contrahentur in angustijs suis. ¶Versu vltimo, Magnificans salutes regis
eius. Beatus Hieronymus aptius secundum Grammaticam connexionem vertit cum datiuo, Magni-
ficanti salutes regis sui, & facienti misericordiam Christo suo, &c. Est enim sensus, Confitebor tibi
magnificanti: id est, qui magnificas.

IN PSALMVM XVIII.

VErsu. 1. Cæli enarrant gloriam Dei. Chaldaica paraphrasis sic habet, Qui suspiciunt cælos,
enarrant gloriam Dei: & opera manum eius annunciant, qui suspiciunt in aëra. Quæ lectio,
manifeste de corporalibus cælis videtur intelligenda. Neque omnino dissonat à vulgata lectione, si
de cælis corporalibus intelligatur: quoniam non alia ratione dicuntur cæli enarrare gloriam Dei,
C nisi quia in se monstrant Dei gloriam, ita vt rationalis creatura illam valeat in his contemplari, & ex
eis magnificare. Sequentem autem versiculum, eadem paraphrasis sic habet, Dies diei apponit, & ma-
nifestat verbum, & nox nocti nunciat scientiam. Hoc est, quod quis diutius fixiusque contemplatur,
& suspicit magnificentiã creaturarũ Dei, hoc amplius proficit in cognitione & laude Dei creatoris.
¶Versu 3. Non sunt loquelæ neq; sermones. Hunc verum varie admodum transferunt interpretes.
Hieronymi lectio sic habet. Non est sermo, & non sunt verba quibus non audiatur vox eorũ. Quod
intelligendo de apostolis iuxta sententiam in Elucidatione suprà expositam, accipi poterit in hunc
sensum, In omni genere sermonum, & idiomatum, siue linguarum auditus est sermo prædicatio-
nis apostolorum, vt quibus accipiatur, pro in quibus. Vel aliter, Non sunt homines vllius loquelæ, vel
cuiuscunque sermonis, à quibus non fuerint voces apostolorũ auditæ, vt quibus valeat, à quibus. Fe-
lix autem in contextu sic habet, Non sunt loquelæ, & nõ sunt sermones, vt non audiatur vox eorum:
Vel aliter, ad hunc modũ, Absque sermone, & absq; verbis, etiam si nõ audiatur vox eorum. Quæ lec-
tio videtur intelligenda de cælis corporalibus: qui cũ sermonem nõ edant, neque loquelã habeant,
nec omnino audiri possit vox eorũ, annunciant tamen gloriam Dei, vt in Annotationibus prioribus
declaratũ fuit. Huic etiam cõsonat quod vertit Sanctes Pagninus, Non est sermo, & non sunt verba,
D non auditur vox eorum. ¶Versu. 4. In omnem terram exiuit sonus eorum. Septuaginta interpretes
hoc loco sonum posuerunt, quomodo etiam apostolus 10. ca. epistolæ ad Romanos citat in testimo-
nium, & Hieronymus vertit ex Hebræo. Alij tamen interpretes, pro sono, vertũt, lineam vel regulam.
Quod intelligi potest de regula vel linea prædicationis apostolicæ, siue euangelica doctrina, quę per
apostolorũ prædicationem in totũ orbem extensa est: vel de linea cursus siue motus cælestiũ corpo-
rũ, quæ vniuersam terrã circuierunt, atq; perambulant. Ioannes Reuchlinius in libro de rudimentis
Hebraicis explicãs significationẽ dictionis Kau, quæ in hoc loco ponitur, dicit eã significare regulã,
normã, lineã, directorium, vel perpendiculũ: & quia per illa mensurarũ directoria ædificatur, idcirco
tale vocabulum ad ædificationem aut architectonicam ait transsumi. Vnde hoc in loco rectius dicit
transferendum, In omnem terram exiuit norma, directio, regula, ædificatio, & architectonia eorum:
Quod apprissime sanctis apostolis euangelicæ doctrinæ annunciatoribus cõuenit. Ipsi enim tanquam
architecti, & præcipui operatores ædificij noui (i. ecclesiæ nouæ ædificandæ) sunt egressi per vniuer-
sum orbe cum suo perpendiculo, atque norma ædificationis directoria: quæ erat verbũ euangelicæ
veritatis, quod à Christo acceperant, Vnde ex his quidã dicebat, Vt sapiens architectus fundamẽtum
posui. Et iterũ, Dei adiutores sumus. De illis autẽ qui in hac fide instruebantur, & in ædificium eccle-
siæ cõædificabantur, dicebat, ꝙ factura essent & ædificiũ Dei. Quanquam autem secundum vocem
prima facie plurimum interesse videatur, inter sonũ, & regulam, siue lineam, secundum hanc tamen
intelligentiam res eadem est. Ipse enim sonus siue vox doctrinæ euangelicæ est regula ista, quam cir-
cunfere-

E cunferebant architecti apostoli. Felix putat verti posse, In omnem terram exiuit cursus eorum: quod tam de cælorum circa terram raptu, quàm de velocissima apostolorum prædicatione potest intelligi. Chaldaica autem paraphrasis habet, In terram extensi sunt effectus eorum, Potestque & hoc æquè ad vtrunque prædictorum sensuum accommodari. ¶Versu. 5. In sole posuit tabernaculum suum. Secus in Hebræo legitur, Soli posuit tabernaculum vel tentorium in eis: quomodo Beatus Hieronymus, ac cæteri ex Hebræo interpretes concorditer omnes vertunt. Quam lectionem accommodando apostolis, dicimus, Deum patrem tabernaculum posuisse, & mansionem fecisse Christo filio suo (qui est verus sol iustitiæ) in sanctis apostolis, vt per eos ad omnes partes terræ veheretur, ad illuminandum vniuersam terrã. Et ex eis, quasi de tabernaculo suo, debellaret, ejiceretque mundi principem de populis orbis terrarum: quomodo soli corporali Deus tentorium & locum posuit in medio cælorum, in medio firmamenti, quo vehitur ad illuminandum mundum. Est enim sol quasi rex in medio aliorum planetarũ locum habens, & quasi regnum inter illos tenens in magnifica gloria splendoris sui: quemadmodum latè & plenè demonstrauimus, in libris quos De consideratione rerum naturalium edidimus, capite 22. libri septimi. ¶Versu eodem, Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, Quæ in hoc versu atque in sequentibus dicuntur in Elucidatione & in Annotationibus prioribus ostendimus, quomodo Christo per omnia aptissime conueniant. Possent tamen aptè etiam ad corporalem solem referri. Nam hanc processionem in modum sponsi, intelligere possumus in ipso solis ortu, quando ab occasu rediens, suũ iubar terris gloriose refundit, & totus festiuus redit mortalibus. Quam expositionem Chaldaica paraphrasis apertè indicat, his verbis: Ipse in mane tanquam sponsus procedens de thalamo suo pulcherrime, & dum diuiditur dies, lætatur vt gigas, & obseruat ad currendam in fortitudine viam occasus vespertini. Ab extremitatibus cælorum egressus eius, & fortitudo eius super latera eorum: & non est qui se abscõdat à feruore eius. Quã etiam expositionem plenius & pulchrius tractatam inuenies capite 23. libri septimi iamantè citati, vbi totus hic passus à proposito de sole corporali exponitur. ¶Versu. 8. Lex domini immaculata, conuertens animas. Felix dicit, pro cõuertens, verti posse quietãs: vt sit sensus, Lex dominii quietat animas. Illis enim solis est vera quies & pax, qui obseruatores sunt legis Dei, & in ea iugiter meditantur. Beatus tamen Hieronymus, ac cæteri ex Hebræo interpretes, nobiscum vertunt, Conuertens animas vel animam: quod ipse quoque Felix ponit in cõtextu versionis suæ. Pro dictione autem (paruulis) quæ in secunda parte versus ponitur, in Hebræo habetur Peti, quod significat hominem simplicẽ, flexibilem perfuasibilem siue puerilem. Huiusmodi enim hominibus lex domini præstat sapientiam: illis verò qui superbi sunt, immites, rigidi, duræ ceruicis, inflexibiles, & impersuasibiles, nõ præstat lex Dei sapientiam: verbum enim Dei (vt Saluator aiebat) non capit in illis. Et in maleuolam animam non intrat sapientia. Superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. ¶Versu. 9. Præceptum domini lucidum. Pro Lucido (quod etiam Hieronymus habet) alij interpretes vertunt, immundum vel purum. Neque multa differentia est. Solemus enim quod mundum omnino, ac purum est, lucidum dicere. Quod enim sordibus obductum est, non rectè lucidum esse potest. ¶Versu. 10. Iudicia domini vera. Ex Hebræo, Iudicia domini veritas. Quod autem sequitur, Iustificata in semetipsa, in Hebræo habetur, Iustificata sunt pariter vel simul. Cuius sensus potest accipi, In totum ac prorsus iustificata sunt, ita vt nihil sit commixtum iniustitiæ, nihilque desit veritatis. ¶Versu. 11. Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum. Multum, hoc loco non est aduerbium, vt determinet adiectiuum preciosum quasi dicatur, multum vel valde preciosum: sed est nomen adiectiuum, determinans totum hoc lapidem preciosum, secundum hanc constructionem super aurum & multum lapidem preciosum. Quæ loquutio similis est illi, qua dicere solemus, Multum aurum, vel multum frumentum: debere autem ita accipi multum nominaliter manifestè demonstrat lectio Hebræa, quæ pro multum habet nomen rab: similiter & Græca, quæ habet πολὺ, quod etiam nomen est, non aduerbium. In secunda autem parte versus in Hebræo non simpliciter super fauum habetur, sed cum additione excellentiæ super fauum redundantem (vt vertit Hieronymus) id est, copiosum & delicatum. Pro quo Felix vertit. Succum fauorum. Sanctes verò paraphrastice sic legit, Dulciora melle & fauo, placentis melle confectis: Chaldaica autem translatio habet, Super pinguedinem lactis. ¶Versu 12. Etenim seruus tuus custodit ea. Beatus Hieronymus vertit, docebit ea. Sanctes illustrabitur in eis. Felix, cautus fuit in ipsis, prouidus fuit & circunspectus in illis. s. obseruandis. Cui cõsentit quod translatio Chaldaica habet, Equidé seruus tuus est diligens in eis. Quod autẽ sequitur, In custodiendis illis retributio multa: hûc habet sensum, In custodiendo illa, est multa merces: hoc est, dũ illa custodiẽtur, vel per hoc quod illa custodiunt, & obseruãt serui Dei, est eis multus fructus, multũ lucrum, multa merces: & (vt Felix ait) præmium multum & magnum. Nimirum ad vitã ingredientur, qui seruant Dei mãdata. ¶Versu 13. delicta quis intelligit, Beatus Hieronymus vertit errores, pro delictis. Neque multa est inter hæc diuersitas, si errores accipiãtur pro peccatis leuibus, quæ velut per surrectionem aut errorem quasi inaduertenter cõmittuntur, Eiusmodi enim peccata minora, quæ etiam iustis per surrectionem, & velut ignoranter contingunt, per delicta in Elucidatione indicauimus intelligi: eademque sunt illa occulta, à quibus postulat mundari.

Ioan. 8. Sapien. 1. 1. Petr. 5.

F

G

H

IN PSALMVM XIX.

VErsu 3. Holocaustum tuum pingue fiat, Partem istam ex Hebræo duobus modis transferunt. Quidam enim dicunt, Holocaustum tuum impingueſcere faciat, vel pingue faciat: id est (iuxta sententiam

A sententiã in elucidatione expressam) tanquam pingue reputet Deus, habeatque valde acceptum. Atque huic lectioni confert beati Hieronymi versio: Aliter vertunt, holocaustum tuum incineremconuertat: quod secundum sententiam cum priore lectione idem valet, id est, gratum habeat & acceptum. In scripturis enim legimus, Deum gratas sibi hostias igne de cælo demisso solere absumere, quemadmodum de oblatione Abel in libr. Gene. legimus, item & de oblatione Manus in lib. Iudicum & in libris Regum, holocausto Heliæ. ¶Versu. 5. Et in nomine Dei nostri magnificabimur. Hieronymus ex Hebræo, In nomine Dei nostri dicemus choros. Felix, Erigemus vexillum vel cantabimus, id est, triumphabimus, & triumphalia carmina decantabimus, à quo non omnino dissonat magnificabimur. Ioannes Reuchlinius in dictione degel, huius loci faciens mentionẽ, putat magis proprie transferri posse, In nomine Dei nostri insignes & notabiles siue nobiles erimus. Et neq; ob hoc dissonat lectio nostra vulgata. Indubiè enim magnificantur, qui nobiles fiunt & insignes præ cæteris. Et planè attentius consideranti facilè patebit, hæc omnia quanuis secundum vocem videantur prima facie admodum diuersa, re tamen in verbo magnificabimur conuenire. Qui enim triumphant de inimicis in nomine domini, nónne magnificantur? Sic & qui propter triumphum cantant, atq; choreas ducunt, vexilla explicant, vt solent in victoriis fieri: nónne vehementer magnificantur? nónne notabiles fiunt & insignes? ¶Versu 8. Nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimꝰ. Ex Hebræo vertunt interpretes: In nomine domini Dei nostri recordabimur, vel memorabimur:

B quod clarius dici posset, nomen Dei nostri recordabimur vel memorabimus: & hoc ad inuocandum in præliis & periculis, plus confidentes in inuocatione diuini nominis, quàm in virtute armorũ. Felix recordabimur exponit clamabimus, vt faciunt existentes in bello, quo modo de exercitu fortissimi illius Iudæ Machabæi legimus, quòd tubis clangebant inuocantes Deum cæli, à quo sperabant salutem: & paucos illos cum Gedeone glorioſos factos victores, clamasse legimus, Gladius domini & Gedeonis. In priore autem parte, cum dicitur, Hi in curribus, & hi in equis, oratio est defectum patiens: ad quam implendam subaudiri oportet verbum confidunt, vel veniunt aduersum nos, vel simile aliquid. ¶Versu 9. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt. Ex Hebræo vertit Hieronymus ac cæteri interpretes. Incuruati sunt, & ceciderunt, quod clariorem habet sententiam quàm vulgata electio. In secunda autem parte pro erecti sumus: Felix vertit, Exaltati vel corroborati sumus: alij, Validiores facti sumus. ¶Versu vlt. Domine saluum me fac regem. In Hebræo alia distinctio est. Sic enim distinguunt, Domine salua vel saluum factae deinde, Rex exaudies nos, vel exaudias nos in die qua inuocabimus: quod apertius habet Chal. Para. in hunc modum. Verbum Dei redime nos, rex fortis accipe operationẽ nostram in die inuocationis nostræ. Atq; ita verbum hoc ad regem Christum dirigitur. Quod videtur quidem prima facie non satis apte consonare nostræ expositioni quam in elucidatione posuimus de rege temporali: attamen profundius considerantibus nullum videri debet inconueniens, si hoc vltimo versu transitus fiat ad regẽ Deum, cuius rex temporalis (pro quo in psalmo oratur) vices tantũ gerit, vt verius administrator sit regni vice Dei, quã rex ipse dicẽdus. Nequaquã tamen repugnamus illis, qui totum hunc psalmũ regi messię Christo domino applicare malunt.

1. Mach. 3. & 4. Iudic. 7. Gen. 4. Iudic. 13. 3. Reg. 19.

C

IN PSALMVM XX.

VErsu. 3. Præuenisti in benedictionibus dulcedinis. Pro benedictionibus dulcedinis ex Hebræo vertunt, benedictionibus bonitatis vel boni: id est, benedictionibus, vel benedictionibus gratiæ. In secundam autem partem, vertunt coronam de obrizo: id est, auro precioso & præstantissimo, hoc est, coronam auream, vel coronam auri preciosi. ¶Versu. 4. Vitam petiit à te & tribuisti ei, longitudinem dierum. Vulgo ita hanc sententiam distinguunt, vt post tribuisti ei, fiat distinctio, eiusq; quod sequitur velut quædam separatio, ad hunc modum. Vitam petiit à te, & tribuisti ei, ac deinde longitudinem dierum in sæculum & in sæculum sæculi. Secundum quam distinctionem sensus est, Petiit à te vitam, & vitã tribuisti ei: dedisti (inquã) ei longitudinem dierum in sæculum sæculi, id est, vitam æternam. Facilior tamen esset sententia, si sic fieret diuisio, vt accusatiuus vitam non nisi à petiit regeretur: alter autẽ ille longitudinem, à verbo tribuisti, hoc modo, Vitam petiit à te & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum & in sæculum sæculi. Iuxta quam constructionem, omnes ex Hebræo habent interpretes. ¶Versu 6. Lætificabis eũ in gaudio cum vultu tuo: Hieronymus

D vertit, apud vultum tuum Alij vertunt, ab aspectu tuo: quã sententiã in elucidatione positam clarius exprimunt. ¶Versu 7. In misericordia altissimi non commouebitur. Beatus Hieronymus vertit: Nõ diripietur. Felix autem nobiscum, Non cõmouebitur. Et facile est, hęc in eundẽ sensum reducere. ¶Versu 8. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis. Hieronymus actiue vertit. Inueniet manus tua omnes inimicos tuos. Quod cum nostra lectione idem valet, si tantum illud inueniatur inimicis, intelligatur (vt debet) ab inimicis. Sanctes Pagninus hoc loco vertit: Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua sufficiet odio habentibus te. Cuius lectionis sensus est: Potens vltio & satis valida & fortis erit ad punitionem omnium inimicorum. Pœna enim intolerabilis vindicta Dei omnes eos afficiet. Chal. translatio sic habet: Apprehendet ictus manus tuę, cũctos patronos inimicitiæ tuæ, & punitio dexteræ tuæ inueniet omnes qui te oderunt. Quæ lectio nostra paraphrastice explanat. ¶Versu 9. Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui. Hieronymus nobiscũ vertit, in tempore vultus tui. Felix autem vertit, In tempore iræ tuæ. Quæ res testimonio est illi, quod in Elucidatione indicatum est, tempus vultus hoc loco pro tẽpore iracundiæ positum esse. In eo autem quod sequitur, Dominus in ira sua corturbabit eos. Hieronymus vertit, præcipitabit: quod recte ad submersionem in infernum potest referri. Translatio autem Chalda. habet, Deus igni in flammabit eos, & consumet eos incendio gehennæ. ¶Versu penultimo, Quoniã pones eos dorsum. Beatus

Hieronymus hanc partem vertit iuxta modum noſtræ lectionis, Pones eos humerum, ſcilicet non E
mutans niſi dorſum pro humero. Felix autem vertit, Sepones eos, aut pones eos partem vel dorſum:
hoc eſt (vt ipſe interpretatur) ſeparabis eos à iuſtis, Ex qua interpretatione monſtratur, noſtræ vul-
gatæ lectionis poſſe, præter eam quæ in elucidatione à nobis expoſita eſt, aliam dari intelligentiam,
hanc videlicet, Tu illos inimicos tuos proiicies quaſi poſt tergum tuum vt non videant faciem tuã
in æternum, neq; lætentur in aſpectu vultus tui. Nam iuſti & beati quaſi ante faciem Dei ſunt, & læ-
tantur cum vultu vel ante vultum, id eſt, in aſpectu vultus eius: quod quia impiis imperpetuum non
dabitur, recte illos dicimus in dorſum ablegari, vel dorſum poni: ſicq; poni in dorſum vel in partem,
& ſeponi, atq; poſt tergum proiici, idem valent. ¶Verſu eodem, In reliquiis tuis præparabis vultum
eorum. Hanc partem longe ſecus vertunt ex Hebræo interpretes. Hieronymus ſic habet, Funes tuos
firmabis contra facies eorum. Quod poteſt intelligi de funibus vel laqueis damnationis impiorum,
qui ſic firmati ſunt contra facies eorum, vt nulla ei ſit ſpes illos effugiendi. Felix vertit aliter, Cum
neruis tuis diriges contra vultus eorum, ſubintelligendo ſagittas, quod adiicit Sanctes in ſua verſio-
ne. Atque ita ſenſus eſt pene idem qui antè, Tu diriges in neruis tuis, vel cum neruis tuis: (id eſt, in
arcu tuo) ſagittas contra facies illorum, hoc eſt, ſagittas vltrices ſententiæ tuæ, quibus anima in mor
tem mittitur, diriges, & (vt ita dicam) ſagittabis, atque fulminabis contra eos ex aduerſo, cum vide-
Matt.15. licet dices, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Hæ autem lectiones, quanquam verbis mul
tum differant à noſtra vulgata Latina lectione, ſecundum rem tamen manifeſtè coincidunt, quoniam F
& ipſa de damnatione impiorum loquitur.

IN PSALMVM XXI.

VErſu 1. Deus Deus meus reſpice in me. Illud reſpice in me, nõ habetur in Hebræo, neque Chri-
ſtus in cruce illud proferebat: ſed tantum, Deus Deus meus, quare me dereliquiſti, vt fit mani-
feſtum ex ſacris euangeliis. In eo autem quod ſequitur, pro verbis delictorum, ex Hebræo vertunt
Matt.27. concorditer interpretes, verba rugitus, Longe à ſalute mea verba rugitus mei. Cuius ſenſus eſt, Quã-
tumuis clamẽ & rugiam, non liberor, non ſaluor, ſed maneo derelictus. Aliqui, verba lamentationis
vel eiulatus vertunt: & hoc eandem habet ſententiam. ¶Verſu. 2. Et non ad inſipientiam mihi.
Secus habetur in Hebræo, Et non eſt ſilentium mihi: id eſt, non ceſſo clamare, non deſino orare, ſe-
cundum infirmam humanitatem (quæ continuo horret paſſionem) vt auferatur à me calix. ¶Ver-
ſu 6. Ego autem ſum vermis, & non homo. Pro homine in Hebræo non habetur enos, quod ho-
minem vilem ſignificat, & miſeriis ſubiectum, ſed iſch, quod ſignificat virum egregium, præcipuum
atq; nobilem, quemadmodum Adã hominem plebeium. Vnde Felix & Sanctes transferunt, Ego ſum
vermis, & non vir. Chald. autem Paraphra. manifeſte hanc emphaſim exprimit, dicens, Et ego ver- G
mis, & debilis, & nequaquam fortis. In ſequenti autem parte, pro opprobrio hominum, ponitur, por
tans vituperia hominum. ¶Verſ. 7. Loquuti ſunt labiis. Huius loco, beatus Hieronymus vertit, Di-
mittunt labium. Felix, Aperient labia, aperient cum labio, vel erũpent in ſermone. Chald. translatio,
Garriunt malum labiis ſuis. ¶Ver. 9. Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre. Hieronymus aliter
vertit, Tu autẽ domine propugnator meus ex vtero. Cui ſententiæ facilè conformabimus lectionem
vulgatam, ſi extractionem intellexerimus de periculis liberationem: Felix tamen nobiſcum vertit,
Quoniam tu extrahens me de vẽtre. Vnde recte admodum quadrare videtur illa intelligentia, quam
de Chriſti ex materno vtero proceſſione in elucidatione poſuimus. Quod autẽ ſequitur, Spes mea
ab vberibus matris meæ: alij malunt vertere, Spes mea vel fiducia mea ſuper vber vel vbera matris
meæ: quod eandem habet cũ noſtra lectione ſententiã, videlicet quòd Deus pater ſpes Chriſti fue-
rit iam tunc, cum ſuper vbera matris quieſceret, cum ex illis lactis pabulum exurgeret. Vltima autem
particula, In te proiectus ſum ex vtero, præter ſenſum in elucidatione expreſſum, duplicem adhuc re-
cipit intelligentiam. Prior hęc eſt, Ex vtero proiectus ſum in te, ſiue ſuper te: quaſi dicat, Tu me ex
vtero matris procedẽtem ſuſcepiſti, ſuper te cadebam, & tu me ſuſcepiſti in manibus tuis: quoniam
videlicet tui ſolius cura ſaluabar cum naſcerer, & fuiſti mihi quaſi pro obſtetrice. Poſterior eſt, Tu H
me eduxiſti de vtero in tua virtute, & per te egreſs9 ſum, proceſsiq; de vtero miro modo, clauſis vide-
licet virginalibus ſaluis. Quod enim ſic ex vtero proiectus ſum ſiue egreſſus, non humanæ erat infir
mitatis, ſed diuinæ virtutis. Priori intelligentiæ conſonant interpretes, qui vertunt, Super te proie-
ctus ſum ex vulua. Poſteriori magis fauet Chald. Paraphraſis, ſic habens, In roboratione tua leuaui
me à viſceribus ventris matris meæ. ¶Verſu 14. Diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Hierony. ex Hebræo,
ſeparata ſunt omnia oſſa mea: id eſt, abinuicem diuiſa, præ defectu videlicet vigoris vix cohærentia
adinuicem, vel diſtracta abinuicem, & è ſuis locis mota præ acerbitate tormentorum. ¶Ver. 15.
In medio ventris mei. Ex Hebræo vertit Felix, In medio inteſtinorum meorum, hoc eſt, in medio
interiorum meorum, quæ in elucidatione per ventrem diximus intelligi. Verſu 18. Foderunt ma-
nus meas & pedes meos. Hieronymus vertit, Fixerunt, quod idem vult eum foderunt. Cæteriq;
interpretes ex Hebræo ſimiliter vertunt, Magna tamen de hoc loco apud Hebræos diſputatio eſt,
quã videre poteris apud Felicem in annotationibus Pſalmi præſentis, ſimiliter & in Auguſtino Ge-
nuenſi, qui hunc locum prolixius & exactius tractant, & aduerſus Iudæorum calumnias defendunt.
¶Verſ. 25. Quoniam nõ ſpreuit neque deſpexit deprecationem pauperis. Pro deprecatione, Hiero-
nymus vertit modeſtiam. Felix humilitatem, afflictionem vel orationem. ¶Verſ. 27. Apud te laus
mea. Felix vertit, Ex te vel de te laus mea, in Eccleſia multa: quod faciliorem habet intelligentiam.

DE

A
DE TITVLO PSALMI PRAECEDENTIS.

TItulus huius pſalmi, iuxta vulgatam lectionem eſt, In finem, pro ſuſceptione vel aſſumptione
matutina, pſalmus Dauid. Conuenientiſsime autem per hanc ſuſceptionem vel aſſumptionem
matutinam accipiamus reſuſcitationem Ieſu Chriſti, quæ primo mane ante diluculum facta eſt: de
qua manifeſtum eſt pſalmum, poſt paſsionis deſcriptionem terminatam, facere mentionem. Intelli-
gitur autem aſſumptio iſta ſiue ſuſceptio, velut patris ad filium: quoniam videlicet in reſurrectione
pater filium ſuſcepit & aſſumpſit de morte ad vitam, vel ipſius filij ad corpus & animam: quæ quidem
ſecundum aliquem loquendi modum dicere poſſumus ab eo velut depoſita, quando illa permiſit ad
tempus ſeparari, volens eſſe pro viuificando homine homo mortuus. Aſſumpſit autem ſiue ſuſcepit
& animam & corpus quando ea iterum coũiuit, vt fieret iam iterum homo viuus, qui paulò antè fue
rat mortuus. In Hebræo autem, pro ſuſceptione ponitur dictio aieleth, quæ à diuerſis diuerſimode Apoc.1.
exponitur. Quidam enim interpretantur ceruum vel ceruam. Vnde beatus Hieronymus vertit, Pro
ceruo matutino. Felix, pro cerua auroræ, vel cerua matutina. Quod facile, iuxta ſententiam ſuprà
expoſitam, accõmodari poterit reſurrectioni: quoniã primo mane ante auroram vel in aurora, Chri-
ſtus tanquam ceruus ſumma alacritate exiliit à morte, in qua tempus modicum, donec voluiſſet, fue
rat detentus. Poterit & propter paſsionem, ceruus matutinus vel cerua auroręq; Chriſtus dominus ap
pellari: quoniam primo mane à pontificibus, principibus & vniuerſo populo, tanquam à rabidiſsi-
B mis canibus agitatus fuit & quæſitus ad mortem, cum à conſilio ad Pilatum, à Pilato ad Herodem,
rurſumque ab Herode ad Pilatum, ac deinde vſque in Caluariæ locum, eundem fæuiſsimè pertrahen
do, ad mortem agitarent. Alij verò Hebræorum, ſtellam matutinam vertunt: quod etiam Chriſto
recte competit, vel quia ab æterno de patre vt lumen de luce procedit, vel quia in mundum aduenienſ Lucę 23.
ſolem nobis ſuæ diuinitatis aduexit ſiue annunciauit: quemadmodum ſtella matutina (quam vene-
rem vocant) ſolis eſt nuncia, & auroræ vectrix: vel etiam quia in reſurrectione quaſi ſtella lucis plena,
poſt tenebras mortis apparuit. Chald. paraphr. habet, Pro fortitudine ſiue virtute ſacrificij iugiſ-
que immolationis. Et hoc in Chriſtum rectè quadrat, quæ in conſummatione temporum ſemel
factus hoſtia pro peccatis (iuxta verbum Pauli) conſummauit in ſempiternum ſanctificatos: eſt ipſe
ſemel oblatus, quaſi iugis hoſtia & iuge ſacrificium in conſpectu Dei. Diuinare autem prorſus vidẽ
tur, qui inſtrumentum muſicum ſignificari dicunt. Fidelibus & piis mentibus ea magis hoc loco ac Hebr.10.
ceptanda erunt, quæ Chriſto Meſsiæ, vel ſecundum paſsionem vel ſecundum reſurrectionem conue-
niunt: maxime cum & ab euangeliſtis, atq; adeò ex ipſius pſalmi verbis certiſsimum habeamus te-
ſtimonium debere hunc pſalmum non niſi de Chriſto intelligi, quicquid tandem rabido ore latrent
inſani atq; amentes Iudæi, ſemel abiecta veritate ad omnia figmenta promptiſsimi, atque in abſur-
C dis ſenſibus (ſi ita dicere liceat) fœliciſsimi.

IN PSALMVM XXII.

VEr. 1. In loco paſcuæ ibi me collocauit. Hieronymus ex Hebræo, In paſcuis herbarum acclina-
uit me: id eſt, conſtituit me, quieſcere fecit. Felix vertit, in habitaculis germinis, vel in pulchri
amœnis: alius, in ſpecioſis germinibus vel virentibus herbis: quæ omnia recte ad amœnitatem & vi-
rorem paſcuæ eccleſiæ accommodari ſpiritualiter poſſunt, ſicuti in elucidatione monſtrauimus. Eſt
enim eccleſia veluti virentiſsima atque floridiſsima paſcua, omnibus habitantibus in ea. ¶Verſu 2.
Super aquas refectionis educauit me. Felix, Iuxta aquas placidas vel aquas requiei (id eſt vbi liben-
ter requieſcunt homines) enutriet vel ſuſtentabit me, vel deducet me. Sunt enim aquæ iſtæ quietis
& refectionis, aquæ quas ſcaturire facit in nobis ſpiritus Ieſu, qui (iuxta prophetam) vena eſt aqua-
rum viuentium, veræ aquæ refectionis, veræ aquæ placidæ, veræ aquæ requiei: tum quia libentiſsime
illic ſolent ſancti requieſcere, in dulciſsimo decurſu aquarum iſtarum oblectationem habentes ma-
ximam: tum quia quietiſsimas faciunt animas electorum. In his enim aquis, nec alibi requiem inue-
nire poſſumus animabus noſtris. ¶Verſu eodem, Animam meam conuertit. Hieronymus, Animam
meam refecit. Felix, Animam meam reſtituit, refocillauit, quietauit: & illius eſſe dicit, qui labora-
D uit in agonia, qui in priſtinum ſtatum reſtituitur. Recte tamen etiam vulgata lectio habet conuertit
vel reduxit, ſicut paſtor reducit ouiculam, & ab errore conuertit. ¶Verſu 5. Virga tua & baculus
tuus. Felix pro baculo ponit pedum: id eſt baculum paſtoralem, quo in viam diriguntur oues errã-
tes: per quod ſignificatur diſciplina domini, vt in elucidatione expreſsimus, à qua non ſolum nõ ab-
horrent electæ oues domini, verumetiam diligunt eam plurimum, & conſolationem accipiunt in ea:
quemadmodum oues bonæ à pedo ſui paſtoris nequaquam abhorrent, ſed cõſolantur magis in præ-
ſentia ſui paſtoris, cum illum viderint pedo innixum, ſuæ cuſtodiæ intendere, paſcunturq; ſub pedo
quietius, vtpote à luporum morſibus ſecuræ. Chald. tranſlatio per virgam intelligit diſciplinam &
caſtigationem domini, & per pedum legem Dei, per quam dirigitur homo in bono, vt oues in via re-
ctè per pedum diriguntur. Sic enim habet. Caſtigationes tuæ rectæ, & lex tua, ipſæ me conſolatæ
ſunt. ¶Verſu penultimo. Miſericordia tua ſubſequetur me. Hebræa lectio ſic habet, Bonitas & mi-
ſericordia ſequentur me, vel benignitas & miſericordia ſubſequentur me.

IN PSALMVM XXIII.

VErſ. 2. Super flumina pręparauit eum. Ex Hebræo vertit Hieronymus, ſtabiliuit. Felix ſimiliter
aut direxit, ſiue præparauit: quæ ſecundum eandem ſententiam debent accipi. ¶Verſu 4. Qui
non accepit in vano animam ſuam. Hieronymus ex Hebræo, Qui non exaltauit fruſtra animam
ſuam: id eſt, qui non per ſuperbiam ſeipſum vane erexit, qui non ſuperbe de ſe ſenſit, præter ratio-

 nem,

nem, cum nihil habeat de quo se debeat exaltare. Felix in contextu vertit, vt nostra habet lectio, Qui non accepit in vano animam suam. Ad marginem autem ponit, Qui non iurauit in vano animam suam: quam lectionem clarius explanat lectio Chald. translationis, Qui non iurauit super falso ad damnationem animæ suæ. ¶Versu 5. Et misericordiam à Deo salutari suo. In Hebræo manifestum est non haberi misericordiam hoc loco, sed iustitiam. Sensus tamen nō omnino diuersus est à lectione vulgata, Qui enim à Deo accipit iustitiam, per quam solam illi potest placere, nihil dubium, quin hoc ipso ab eodem recipiat misericordiam. ¶Ver. 7. Attollite portas principes vestras. Ex Hebræo longe secus vertunt hunc versum interpretes, quam habeat vulgata lectio. Non enim faciunt vllam principum mentionem, sed tantum ad ipsas portas dirigunt sermonem: hoc modo. Attollite portæ capita vestra: sicq; id quod sequitur, Et eleuamini portæ æternitatis, vel portæ perpetuæ. Expositio est præcedentis particulæ. In eleuatione enim spiritus, portas cælestis regni alloquitur propheta sanctus, vt sese erigant & eleuent, vt sua capita sustollant, vt sese aperiant in latum & altum venienti in propria victori domino. Chald. paraphr. hoc loco sic habet. Leuate portæ domus sanctitatis capita vestra, & eleuamini excelsa æternitatis, vel portæ sæculi siue perpetuæ. Erigite portæ paradisi, horti deliciarum, capita vestra, & eleuentur excelsa vel portæ æternitatis, vel erigantur gradus æternitatis, & ingrediatur rex gloriæ. Cæterum huius psalmi cum duobus præcedentibus rectam & ordinatam consequutionem pulchre declarat Felix, dicens, post passionem & resurrectionem capitis, psalmo 21. expressam, ac deinde psalm. 22. ecclesiæ corporis eius & fidelium membrorum gaudium atque bonum statum exposita nunc demum in hoc 23. psalmo, de Christi dominio & victorioso ad cælos ingressu, ordine congruo fieri sermonem.

IN PSALMVM XXIIII.

PSalmus iste 24. in Hebræo, secundū alphabeticas literas (sicut & alij plures) est compositus, ita vt per ordinem, versus singuli in capite habeant alphabeticam literam, consequenti ordine alteram alteri succedentem. ¶Versu 5. Te sustinui tota die. Hieronymus pro sustinui, vertit expectaui. quo verbo apertius explicatur, quod per verbum sustinui significetur. Sustinere enim dominum, est cum patientia expectare. ¶Versu 9. Dulcis & rectus dominus. In Hebræo priori loco habetur dictio rof, significans bonū. Vnde ex Hebræo vertunt interpretes, Bonus & rectus dominus. Et in Græco χρηστὸς ponitur, id est benignus, bonus. Propter quod in eandem significationem accipi oportet nomen dulcis, quod habet vulgata lectio. In secunda autem parte pro legem dabit, vertunt, docebit vel instruet peccatores in via. Et eadem est (sed apertior) cum lectione vulgata sententia. Sic versu 13. quod dicitur, Legem statuit ei in quam elegit: clarius verti posset, Docebit eum vel instruet eum in via quam elegit. Itē psal. 118. quod obscure dicitur, Legem pone mihi domine viam iustificationū tuarum. clare verti posset ex Hebræo, Doce me domine, vel me facin intelligere viam iustificationum tuarū: vel instrue me in via. ¶Versu 14. Anima eius in bonis demorabitur. Chald. paraphr. bona vēturi sæculi exponit, dicens, Anima eius in bonis mundi vel sęculi venturi demorabitur, & filij eius hęreditabunt terram. Huic vtcunq; consonat quod Felix vertit, Anima eius in bono dormiet. Bonum autem in quo sancti dormiunt, bonum summum & sempiternum est. Beati enim qui in domino moriuntur. ¶Versu 16. Firmamentum est dominus, timentibus eū. Ex Hebræo vertit Hierony. ac cæteri interpretes, pro firmamento secretum, hoc modo, Secretum domini, timentibus eum. Cuius lectionis sensus apertus est, secreta domini fieri palam timentibus dominum: iuxta quod in alio psalmo dicitur. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Et iuxta hunc sensum habet Chald. paraphr. Secretum domini manifestum est his qui timent eum. quod autem sequitur, Et testamentum ipsius, vt manifestetur illis: sic vertit Hieronymus, Pactum suum ostendet illis, id est, docebit illos testamentum suum, intelligere faciet eos præcepta & promissa sua. ¶Versu 18. De necessitatibus meis erue me. Necessitates videntur pro angustiis accipiendæ. Vnde Hieronymus ac cæteri hoc loco vertunt, De angustiis meis educ me, Quod & in aliis locis, vbi eadem vox ponitur considerari debebit. ¶Versu 19. Et dimitte vniuersa delicta mea. Ex Hebræo, Porta omnia peccata mea: quòd secundum rem idem est, neque est nostra lectio vulgata aliud quàm huius expositio. Portare enim Deum peccata nostra, est auferre à nobis: id est dimittere. Sic & in versu 12. quod vulgata lectio habet, Propiciaberis peccato meo, ex Hebræo vertit Felix, tolles vel accipies vel portabis peccatum meum: id est, parces peccato meo, & dimittes mihi peccatum. ¶Versu 20. Odio iniquo oderunt me. Odium iniquitatis vertit Felix, Chald. translatio dicit odium rapinæ: alius transfert, odium iniuriosum. Potest intelligi odium crudele & impium quo iniusti persequuntur bonos vsque ad rapinam, iniuriam, & mortem. Vel accipiatur iniquum odium, illud pro quo iustam causam non habent odientis, quasi odium irrationabile & iniustum. Qui enim erga nocentem (qui prior malum intulit) odium gerit, secundum aliquem modum æquo odio illum habet exosum, à quo malum prior accepit. Prorsus verò iniquum est, & nihil habet vel apparentis æquitatis aut rationis, aduersus innocentem qui tibi nil vnquam nocuit, graue gestare odium. Vtranque hanc expositionem, breuiter in elucidatione attigimus. ¶Versu 22. Innocentes & recti adhæserunt mihi. Aliter habetur in Hebræo, quam habeat nostra lectio. Sic enim illa habet, innocentia & æquitas custodient me, & simplicitas & rectitudo, &c. Quæ sententia perfectam veritatem habet. Saluantur enim electi in innocentia & iustitia sua, quemadmodum damnantur impij in suis iniquitatibus & iniustitiis.

Psal. 118.

Apoc. 14.

IN

IN PSALMVM XXV.

VErsu 2. Vre renes meos & cor meum. Felix vertit, Exanima renes meos. Alius, Funde renes meos. Alius, Purifica renes meos. Beatus Hieronymus nostram lectionem nihil mutat, sed vre nobiscum vertit. Sciendum autem est pro horum concordia & huius vstionis intelligentia, quòd vocabulum Hebraicum hoc loco positum tzarap, significat sublimare vel purgare metalla: à quo verbo deriuatum nomen verbale, ponitur psal. 17. Eloquia domini igne examinata, quod Hebraice (secundum Ioannem Reuchlinium sic ad verbum esset transferendum: Sermo domini purgatus & excoctus scilicet, sicut metallarius aurum excoquit, & in sublime educit, purgando. Ait quoque idem Reuchlinius, omnia deriuata ab hoc verbo significare probationem, expurgationem, & soliditatem atque firmitudinem. Ex quo patet, præsentis versiculi hunc esse sensum, Proba me domine, & tanquam metallarius in camino me pone, vt probes, vt examines, vt purges, probatumque, & solidum, atque firmum facias per patientiam: excoque renes meos & cor meum, vt absumatur omne quod impurum est & alienæ (id est vitiosæ) commixtionis. ¶Versu 3. Complacui in veritate tua. In Hebræo habetur, Ambulaui in veritate tua: quod tamen in eandem sententiam cum nostra lectione satis conuenit. Quod enim vir iustus dicit sibi esse complacitum in veritate Dei, id indubiè intelligitur, ad ambulandum in ea. ¶Versu 4. Et cum iniqua gerentibus non introibo. Hieronymus vertit, Cum superbis. Felix, Cum versutis vel cum occultis: hoc est, cum iis qui aliud habent in corde, & aliud in ore. Vel cum occultis, id est, cum iis qui in occulto se abscondunt, vel parant insidias, vt aliquid mali faciant, vel alicui noceant. Et hunc posteriorem sensum indicat Chald. paraphr. quæ sic habet, Cum occultantibus se vt noceant, non introibo: Manifestum est autem, quomodo ista lectionem nostram vulgatam non nisi explicent, & plenius exprimant. ¶Versu 6. Laui inter innocentes manus meas. In Hebræo, Lauabo in innocentia manus meas: id est, non ero impius cum impiis, non polluar illorum consortio atque commercio. ¶Versu 7. Vt audiam vocem laudis. In Hebræo, Vt audire faciam in voce laudis vel confessionis: quod beatus Hieronymus paraphrastice secundum aliquem modum clarius vertit, dicens, Vt clara voce prædicem laudem, & narrem omnia mirabilia tua. Qui enim prædicat clara voce Dei laudes, indubie audiri facit eas. ¶Versu 8. Domine dilexi decorem domus tuæ. In Hebræo non habetur decorem, sed habitaculum vel habitatio, ad hunc sensum, Dilexi habitaculum vel habitationem domus tuæ: id est, in qua tu vt in domo inhabitas. ¶Versu 9. Ne perdas cum impiis. Hieronymus, Ne auferas cum impiis animam meam: quod potest secundum sensum in eundem accipi, quem habet vulgata nostra lectio. Felix autem vertit. Ne claudas, vel ne congreges aut coniungas peccatoribus animam meam, in eandem scilicet retributionem damnationis æternæ. ¶Versu vltimo. Pes enim meus stetit in directo. In directo, clarius diceretur, in rectitudine, vt vertit Felix: vel in recto (vt habet Hieronymus) pro rectitudine: vel via recta, vt habet psalterium Romanum, In secunda autem parte, loco in ecclesiis, habet Chald. paraphrasis, in congregationibus iustorum.

IN PSALMVM XXVI.

VErsu 4. Ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Hieronymus ex Hebræo, Ipsi impegerunt & ceciderunt. Felix corruerunt & ceciderunt. ¶Versu 8. Et visitem templum eius. Hieronymus. Et attendam templum eius. Felix, vt explorem vel diluculo surgam, & quæram templum eius. In contextu tamen nobiscum vertit, vt visitem. Et poterunt hæc facilè in eandem reduci sententiam. Qui enim mane surgit ad explorandum & videndum agrum, hortum, aut vineam, recte hunc dicimus illa visitare. Et potest in hoc dulce admodum accipi mysterium. Qui enim toto corde cælestia amant, & desiderant supernam patriam inhabitare in æternitate: hi nunc donec in hac vita agunt, visitant quotidie templum domini, & explorant attenduntque, & respiciunt in illam quam expectant hęreditatem: quomodo ij qui villas aut possessiones habent valde caras, etiam si nō in illis inhabitant, frequenter tamen respiciunt ad illas, easque visitant & explorant, & oblectantur sic in visitatione atque aspectu illarum. Iuxta quē modū omnino decens est, vt nos modò elongati à patria nostra, toto desiderio interim ad illam anhelemus, atq; ad eam visitandā, perlustrandam, ac diligenter percipiendam mane diluculo consurgamus, ne aliquando sanctum ipsius desiderium in nobis incipiat refrigescere. ¶Versu 14. Non declines in ira à seruo tuo. Ita quidem nobiscum vertit Hieronymus, nullo variato. Felix tamen aliter vertit, Ne expellas in ira seruum tuum, aut ne declines in ira seruum tuum, hoc est ne sic irascaris aduersum me, vt ob hoc me asperneris, abiicias, aut repellas à te: id est, à te aberrare sinas. Verti etiam potest, Ne declines in iram seruum tuū: hoc est, Ne sinas me seruum tuum venire in iram tuam, vt fiam sub ira tua. Verti etiam posset, Non declines in ira ad seruum tuum: hoc est, Ne venias ad seruum tuum in iracundia, in iudicium & vltionē: quomodo venturus es impiis. Omnia autem hæc in vnum sensum primarium reducere, per seipsum intelligens lector facilè poterit. ¶Versu 16. Dominus autem assumpsit me. Hieronymus, Dominus autem colligit me, id est congregauit me: quomodo ea quæ dissipata & derelicta sunt colligi, & congregari solent, vt foueantur & non pereant. ¶Versu 17. Legem pone mihi domine. Rursum occurrit quod in psalmo 24. de verbo legē ponere annotauimus. Nam & hic ex Hebræo rectius ac clarius verteretur, Doce me, vel ostende mihi domine viam tuam, vt ex Hebræo vertunt Hieronymus ac cæteri interpretes. ¶Versu 18. Ne tradideris me in animas tribulantium me. Anima pro voluntate ponitur. Vnde quidam ex Hebræo

Universidad de Deusto
Biblioteca

B bræo interpretes vertunt, Ne tradideris me voluntati vel in voluntatem tribulantium me. In altera autem parte, quod noſtra lectio habet, Mentita eſt iniquitas ſibi, id ex Hebræo aliter vertunt interpretes. Hieronymus ſic habet, Surrexerunt contra me teſtes falſi, & apertum mendacium: vbi ad complendam intelligentiam videtur aliquid eſſe ſubintelligendum, videlicet loquuti ſunt. Vel ſic intellige, Apertum mendacium fuit teſtimonium illorum. Felix ſimpliciter vertit inſurrexerunt in me teſtes falſitatis, & loquens iniquitatem, vel efflans ſiue effundens vel proponens iniquitatem: id eſt, malum & iniquum mendacium.

DE TITVLO PSALMI PRAECEDENTIS.

NOrandum, quòd in Hebræo nullus inuenitur titulus ſpecialis huic pſalmo præmiſſus, ſed tantum habet nudè prænotatum Dauidis nomen. In Græcis tamen codicibus, ſimiliter & in Latinis titulus ſpecialis præmittitur pſalmo, in hunc modum, pſalmus Dauid, priuſquam liniretur. Pro cuius intellectu notanda eſt, Dauidis triplicem in ſcriptura inueniri vnctionem. Primum enim vnctus fuit à Samuele in medio fratrum, in domo patris ſui in Bethleëm. Deinde Saule mortuo, in ciuitate Hebron, à viris Iuda vnctus fuit, vt regnaret ſuper domum Iuda. Tertia autem vnctio eius fuit, mortuo Isboſeth filio Saul, quando à ſenioribus Iſraël vnctus fuit, vt regnaret ſuper Iſraëlem. Ex his ergo vnctionibus tribus, vna potiſsimum accipienda eſt, de qua ſermo fieri intelligatur in preſenti titulo. Commodiſsimum autem videtur, vt accipiatur media illa vnctio, dicaturque Dauid ipſe ante hanc vnctionem mediam, per pſalmi præſentis exercitium, cor ſuum in domino Deo ſuo exeraſſe, & ſanctam vnctionem ita ſeſe paratum reddidiſſe. Ante primam ſiquidem vnctionem, quoniam necdum expertus fuerat vllum hoſtium inſultum, neque à parentibus fuerat adhuc derelictus, idcirco non videtur pſalmus tunc pronunciatus ab vngendo Dauide: niſi quis forte dicat per ſpiritum illum præuidiſſe quæ ſibi erant euentura, & futura prophetico more, quaſi præterita prænarraſſe. In ſecunda autem vnctione, nemo ignorat illum optimè & frequentiſsimè expertum hoſtium ſæuiſsimos inſultus, & grauiſsimam illam ac nimium diuturnam Saulis perſequutionem, à quibus tamen omnibus quia ſe non ſolum liberatum cognouit, ſed etiam ad regni ſublime faſtigium contritis hoſtibus pertigiſſe, merito fidentiſsime in hoc pſalmo, loquitur ſperans, qualem hactenus ſenſit talem ſemper ſe habiturum dominum, protectorem ſcilicet & in omnibus liberatorem. Ab hac autem ſecunda vnctione vſque ad tertiam, nullam legimus peculiarem perſequutionem aut oppugnationem concitatam aduerſum Dauid ab vllis aduerſariis, quod dicere poſsit corruiſſe & cecidiſſe, & contra quos ita ardenter hic loquatur. Commodius ergo videtur, vt ante ſecundam linitionem Pſalmus compoſitus & decantatus accipiatur, velut in præparamentum ſanctæ regiæ vnctionis.

1. Reg. 16.
2. Reg. 2.
2. Reg. 5.

F

G

IN PSALMVM XXVII.

VErſu 1. Deus ne ſileas à me, Hunc verſum in noſtra vulgata lectione ſatis obſcurum, ex Hebræo clarius vertit Hieronymus, hoc pacto, Ne obſurdeſcas mihi: ne forte tacente te mihi, comparer iis qui deſcendunt in lacum, Quæ lectio eandem omnino ſententiam lucidioribus verbis exprimit, quam continet lectio vulgata, & quam in elucidatione explicauimus. ¶Verſu 2. Ad templum ſanctum tuum. In Hebræo habetur nomen debir, quod ſignificat adytum, ſiue locum ſecretiorem templi, vnde videlicet dantur oracula & reſponſa. Vnde beatus Hieronymus vertit, Ad oraculum ſanctum tuum. Felix, Ad abditum ſiue locum ſecretum templi. ¶Verſu 10. Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei. Secus habetur in Hebræo, Exultauit vel gauiſum eſt vel iocundatum eſt cor meum, & in cantico meo confitebor illi. Quę lectio apertam habet ſententiam. Lectio autem vulgata hanc veluti includit. Ex magno enim cordis gaudio, & magna hilaritate animi procedit refloreſcentia, & (vt ita dicam) reuigoratio carnis. Qui autem cordis gaudio, ſic in alacritate, cantico Deum celebrat, nónne recte dicitur ex voluntate confiteri domino? ¶Verſu vltimo, Et rege eos. Iterum hìc regere accipiendum eſt (vt ſuprà admonuimus pſalmo 2. & 22.) pro paſtoraliter regere, ſiue paſcere. Nam idem & in Græco & in Hebræo vocabulum hoc loco ponitur, quod in locis iſtis prius annotatis.

H

IN PSALMVM XXVIII.

VErſu 1. Afferte domino filij Dei, afferte domino filios arietum. Notandum, quòd loco harum duarum partium, in Hebræo non niſi vna pars verſus ponitur, quam propter ſui ambiguitatem 70. interpretes recte duabus partibus expreſſerunt. Beatus enim Hieronymus ex Hebræo tantum vertit, Afferte domino filios arietum: Felix autem & alij nonnulli vertunt, Afferte domino filij Dei, vel filij deorum, vel potentũ, vel principum. Quæ diuerſitas ex æquiuocatione vocabuli elim, procedit. Interpretes ergo 70. vtranque ſignificationem cõplecti volentes, duabus partibus explicare ſunt conati, quòd vnica plene fieri non potuit. Quid autem per filios Dei intelligatur, & per filios arietũ ex elucidatione eſt manifeſtum. Illud tamẽ ſpecialiter aduertendũ eſt, priorem partem, Afferte domino filij Dei, quantũ ex ſeſe orationẽ eſſe defectiuam, & cõpleri debere per ea quæ ſequuntur, in quibus quæ debeant afferri domino, indicatur. Chald. paraphr. habet, Afferte domino laudes, choros angelorũ. Vnde patet, illa per filios Dei intelligere angelicos ſpiritus, qui etiã in libro Iob filij Dei appellantur, vbi inter filios Dei Satan adfuiſſe memoratur. ¶Verſu 6. Et cõminuet eos tanquã vitulũ libani. Ex Hebræo vertit Felix, Saltare fecit vel exilire fecit eos tanquã vitulũ. Hoc eſt (iuxta ſententiã in Elucidatione indicatã) fecit eos quos cõuerit ſaltare (vt ſolet dici) ad ſuũplacitũ, vertit & cõ-

Iob. 1.

A tit vt voluit, & agitauit quocunque libuit: quemadmodum tener vitulus facilè regitur, & agitatur quocunque quis voluerit. Quod ſi per nominatiuum caſum verterimus hoc modo, Comminuet eas quaſi vitulus libani, qnomodo habet verſio Hieronymi, habebimus etiam ſic aptiſsimam ſententiam: Chriſtus enim dominus non quaſi leo in mundo pugnans ferociter, ſed tanquam agnus manſuetus, & tanquam vitulus delicatus oblatitius vicit patienter: ſicque vt vitulus ſibi ſubiugauit electos. Occiſus enim & immolatus fecit victoriam, & redemit populum ſuum. Recte ergo tanquam vitulus libani, tanquam delicatiſsima immolatitia hoſtia comminuit cedros. ¶Verſu 7. Vox domini concutientis deſertum, & commouebit dominus deſertum Cades. Hieronymus. Vox domini parturire faciens deſertum, & parturire faciet dominus deſertum Cades. Quod ad eandem ſententiam poteſt accommodari, quam in Elucidatione aſsignauimus lectioni noſtræ vulgatæ. Quum enim Deus ad pœnitentiam cõuertit populos ſiue Gentium ſiue Iudæorum, quaſi parturire fecit eos. Sunt enim pœnitentes parturientibus ſimiles, & dolor pœnitentium dolori aſsimulatur parturientium: quemadmodum plenius declaratum eſt à nobis in annotationibus principalibus pſalmi 46. circa verſiculum ilium, Ibi dolores vt parturientis. Alij vertunt, Dolore afficiet deſertum: quod vel ſecundũ prædictum ſenſum intelligatur de dolore pœnitentiæ: vel ad dolorem inuidiæ dæmonum atque malorum (qui à Deo deſerti ſunt) poteſt in malum referri. ¶Verſu 8. Vox Domini præparantis ceruos: In Hebræo habetur dictio cholel, id eſt, obſtetricans vel præparans partum. Iuxta quam ſignificationem vertit Hieronymus. Vox domini obſtetricans ceruis. Significat tamen ſuprà poſita dictio Hebraica facere, formare, parare, creare. Vnde lectio noſtra iuxta hanc intelligentiam exponi poteſt, Vox domini formauit, parauit, fecit ceruos vel ceruas, perfectos fecit viros euangelicos qui alta conſcenderent, & contra diabolum pugnarent, iuxta ſententiam in Elucidatione explanatam. Vel ſecundum primam ſignificationem exponatur, Vox domini præparans ceruas, ſupple ad partũ, quod eſt obſtetricans. Atque ita fœmineum genus magis conuenit, quod etiam habent pleriq; ex Hebræo interpretes. Ceruæ autem iſtæ quas præparat filiorum multorum, quoſcunq; per euangelium Chriſto gignunt. Ex quibus vnam aliquam ceruam inſignem, multorum ceruorum progenitricem, audimus in parturiendo clamantem, Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Et ad eos quos iam verbo Dei obſtetricante progenuerat: In Chriſto Ieſu (inquit) per euangelium ego vos genui. Non enim ceruæ iſtæ ſibi valent obſtetricari: parere non valent, niſi obſtetricante illis voce domini. Hæc enim eſt quæ de illorum vtero fœtus educit, quæ parere illos facit partum ſalutarem, filios Dei & regni. ¶Verſu eodem, Et reuelabit condenſa. Hieronymus, Reuelabit ſaltus. Felix, Detexit vel denudauit ſyluas. Syluæ enim condenſæ dicuntur propter frondium, foliorum, & ramorum denſitatem. Vnde in alio pſalmo. Conſtituite diem ſolennem in condenſis: vbi Hiero. vertit, In frondoſis: ſecundum quem modum & hic dici poſſet. Reuelauit dominus frondoſa, id eſt, occulta & obtecta obuolutione figurarum & ænigmatum, iuxta ſententiam in Elucidatione expoſitam. ¶Verſu vlt. Dominus diluuium inhabitare facit. Hieronymus: Dominus diluuium inhabitat. Quod intelligi poteſt de multitudine copioſa fidelium populorum, quam Deus in eccleſia ſua inhabitat. Aquæ enim multæ, populi multi in eccleſia, quaſi diluuium faciunt & ſunt, in quo diluuio inhabitat Chriſtus, & ſedet, vt rex ſuper illos in æternum. Alij vertunt, Dominus ad diluuiũ ſedit, vel in diluuio ſedit. Pro qua lectione conueniens foret per diluuium intelligere generale & vniuerſale iudicium domini. Tunc enim pariter in vnum congregabuntur omnes in vniuerſum populi, ex omnibus mundi partibus terraque & mari, qui fuerunt ab initio vſque in conſummationem ſæculi, multitudo proculdubio multò maxima, & innumerabilia milia: qui omnes ad vnum illud tribunal pariter confluant, quod in medio poſitum erit, in quo reſidebit is cuius poteſtas facere iudicium, Chriſtus Ieſus, dominus & iudex noſter.

Esaiæ. 50.

Apoc. 17.

2. Cor 5.

Ioan. 5.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

D HIC Pſalmus in Hebræo nullum habet peculiarem titulum, niſi tantum iuxta communem prænotationem: Pſalmus Dauid. Græci tamen codices, & Latini omnes adiectum habent, in cõſummatione tabernaculi. De tabernaculo autem iſto legimus capite 15. primi libri Paralipomenon, vbi Dauid ædificaſſe narratur locum arcæ domini, eique tetendiſſe tabernaculum, & præparaſſe manſionem, vbi & conſtituta eſt à leuitis & ſacerdotibus: quemadmodum proxime ſequenti capite monſtratur. Nemo verò exiſtimet, quoniam hic de tabernaculi conſummatione fit mentio, idcirco totum pſalmum debere huic tabernaculo accommodari, & non ad illa nouæ legis myſteria, de quibus interpretatur Elucidatio. Quid enim vanius poſset excogitari, quàm tanta tamque ſplendidiſsima myſteria quæ pſalmus hic continet, ſolius tituli gratia opprimi, & velut ſepeliri? Præſertim cum nec ſecundum literam quicquã ex omnibus quæ hic dicuntur, valeat ad hoc Dauidis tabernaculum applicari, niſi forte hoc tantum quòd initio ad efferendũ hoſtias homines prouocantur. Cęterum, illa omnia de voce domini tam magnifica, nihil ad rem illam attinere videntur. Tituli ergo huius inſcriptio, non niſi occaſionem vel tempus compoſitionis pſalmi huius determinare videtur, vt accipiamus Dauidem in tabernaculi prædicti conſummatione ſpiritus radio illuſtratum, deque mirabilibus iſtis myſteriis venturi tabernaculi (cuius illud erat quædam figura) magnifice edoctũ tale ecciniſſe canticum, in quo illa omnia cantando comprehenderet, quæ per ſpiritus illuſtrationem ſibi manifeſtata conſpexerat. Et ſanè videtur id conueniens admodum eſſe, vt eo tepore quo cõſummauit rex tabernaculum arcæ domini in figuram ædificationis eccleſiæ nouæ, quam ædificaturus erat

1. Paral. 15.

patri suo Christus dominus in hoc mundo, idem ipse propheta de iis quæ in hoc præfigurato ædifi- E
cio futura erant illuminaretur,& psalmum caneret. Consummatio autem ista accipiatur,vel quando
perfecte præparatus fuit locus in quo debebat arca requiescere,vel post introductionem & constitu-
tionem arcæ in loco præparato: vt tunc consummatum accipiatur tabernaculum, quando arcam in
se tenebat,cui fuerat præparatum. Quasi enim imperfecta est adhuc habitatio,quando ab eo cui pre-
paratur,nondum inhabitatur.

IN PSALMVM XXIX.

VErsu 1. Quoniam suscepisti me. B. Hieronymus vertit,Saluasti: alij, Eleuasti, exaltasti,id est,li-
berasti. ¶Versu 3. Saluasti me à descendentibus in lacum. Hieronymus, Viuificasti me, ne de-
scenderem in lacum: hoc est, viuificando me præseruasti, ne cum illis venirem qui prolapsi sunt in
puteum inferni. ¶ Versu 5. Quoniam ira in indignatione eius. Secus in Hebræo legitur, Ad mo-
Exech. 18. mentum est ira eius,vt vertit Hieron. vel, Instans est ira eius, aut momentum est in ira eius: hoc est,
breuissime irascitur,non diu irascitur,si conuerti volumus, facillime placatur, Quacunque enim ho-
ra conuersus fuerit peccator & ingemuerit,agens pœnitentiam,auertensque se ab impietate sua, om
nium peccatorum eius nequaquam vltra recordabitur dominus. Tam breuis, tam ad momentum
est ira eius. Nequaquam enim est Deus vt morosi homines, qui semel offensi, vix precibus vllis
vel obsequiis valent placari. Atque ad sententiam accedit, licet obscurius, vulgata nostra lectio quę F
habet, Ira in indignatione eius. Significatur enim hoc sermone iram Dei nō esse permanentem, sed
transitoriam: quemadmodū verbum quod in indignatione subito commoti homines dicunt, facile
reuocant atq; retractant. Sic & Deus quia facile iram retractat, & vltionem reuocat, quam ex iu-
sta indignatione decreuerat vel intulerat, quasi in indignatione tantum videtur habere iram: iuxta
quod in Elucidatione plenius expressum meminimus. Chald. paraph. hoc loco sic habet, Vna hora
indignatio eius, vita æterna bona voluntas eius: hoc est, indignatio & ira eius non diu durat, non
Ibidem. ex beneplacito Dei est. Mallet enim (vt ita loquar) nunquam indignari, nunquam irasci,qui non cu
1.Tim.2. pit mortem peccatoris,sed omnes cupit fieri saluos, & ad veritatis agnitionem peruenire:tamen co-
gitur subinde irasci & indignari, nostris culpis id exigentibus. Vitā autem non vult ad horā, non ad
momentum,nobis bene vult:sed æterna bona voluntate semper optat nobis bonum,& peccatori e-
tiam vt conuertatur & viuat. ¶Versu 6. Ad vesperum demorabitur fletus,& ad matutinū lætitia. Prę-
ter intelligentiā quæ in Elucidatione ponitur valde literalem, potest etiam hæc assignari: Donec in
tentationibus agimus & afflictionibus, demoratur in nobis tristitia, grauamur tristitia, desolati ad
tempus,& destituti præsentia consolatoris nostri. Verum vbi consolatio spiritus redierit,vbi hic illu
xerit, tum redibit lætitia, laus & gratiarum actio. Aut intelligatur vespere, in tentationibus & affli-
ctionibus debere nos memorari iniquitates nostras, & eas in amaritudine recogitare,quibus affli- G
Dan.3. ctionem promeruimus: quemadmodum faciebat in captiuitate Daniël orans pro populo suo, ac di-
cens,Peccauimus, iniquè egimus in omnem iustitiam tuam, &c. Mane verò redeunte consolatione,
debere nos Deo laudes & gratiarum actiones offerre in lætitia. Cui expositioni satis consonat quod
habet Chald. paraphr. Ad vesperum iubet immorari fletum,& mane iubet persistere in laude. Adde
& alteram expositionem,quòd secūdum temporis opportunitatem magis accommodum est vespe-
tinum tempus ad deflendum peccata, quàm tempus matutinum: econtrario autem, tempus matuti-
num ad laudandum in lætitia magis conuenit propter sensuum omnium viuacitatem,& reparatio-
nem virium somno perfectam,id quod experientia facile quisque in sua exercitatione poterit depre-
hendere. ¶Versu 7. Ego autem dixi in abundantia mea. Hieronymus vertit nobiscum,In abun-
dantia. Alij autem aliqui interpretes vertunt,In prosperitate,fœlicitate,vel quiete mea. Chald.transl.
latio, Cum sederem in fiducia: quæ omnia idem volunt. ¶Versu 8 Domine in voluntate tua præ-
stitisti decori meo virtutem. Hieronymus ex Hebræo, Statuisti monti meo fortitudinem: hoc est,
fecisti monti meo perstare & permanere suam fortitudinem, vel posuisti in monte meo fortitudinē.
Spiritualiter autem (iuxta psalmi in Elucidatione expositam intelligentiam) per montem hunc cui
præstat & firmat Deus suam virtutem, conueniens fuerit intelligere cumulum fœlicitatis & illius a- H
bundantiæ, de qua in priori versu habitus fuerat sermo. Atque ita sensus idem est, quo in Elucida-
tione exponitur vulgata lectio. Aut mons iste intelligatur fiducia animi, vel animus ipse in spe & fi-
ducia Dei confirmatus. Cui præstat & firmat Deus fortitudinē,quoniam si modicum auerterit ipse
faciem suam, statim homo conturbatur, quantumuis antè videbatur firmatus atque stabilitus.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

PSalmo huic in omnibus exemplaribus, etiam in Hebræis,titulus peculiaris præfigitur, talis: Psal-
mus cantici,in dedicatione domus Dauid. Quæ dedicatio cum ad literam nusquam inueniatur
in vlla sacra historia, videtur secundum mysticam intelligentiam requirenda. Vnde qui de Christi
passione & resurrectione psalmum exponunt, dedicationem istam domus Dauid ad gloriam resur-
rectionis Christi domini referunt, dicentes, tunc dedicationem domus Dauid celebratā fuisse quan-
do Christi caro à mortuis in gaudio fuit relusc itata,sicque in templum animæ fuit quasi post destru-
ctionem reædificata. Alij, qui totum psalmum etiam cuilibet iusto applicant, sic affecto vt psalmus
indicat,dedicationi domus Dauid eum dicunt inscribi: quia tunc maxime est proferendus, cū Deus
animam per gratiam inhabitare sentitur, & quia de huiusmodi inhabitatione Dei in anima potissi-
mum loquitur: & quia de innouatione hominis per gaudium spiritus post lamenta facit mentionē.

Vnde

A Vnde in conclusione dicitur, Concidisti saccum meum,& circundedisti me lætitia,vt cantet tibi glo
ria mea: quòd animam quasi de nouo Deo dedicatam sanare videtur.

IN PSALMVM XXX.

VErsu 2. Accelera vt eruas me. Hieronymus & Felix clarius,Velociter libera vel eripe me. ¶Ver-
su 3. Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij. In Hebræo, Esto mihi in lapidem
fortissimum, & in domum munitam, vt habet Hieronymus: vel in lapidem fortitudinis, & in domū
propugnaculi: vt habet Felix. Ac deinde in versu mox sequenti,Quoniam petra mea & munitio mea
vel munimentum meum tu es. ¶Versu 9. Saluasti de necessitatibus animam meam. Hieronymus,
Cognouisti tribulationes animæ meæ. Felix, Cognouisti in tribulationibus animam meam. Et
hæc eandem habent cum vulgata lectione sententiam. Cognoscere enim dicitur Deus tribulationes
animæ, vel cognoscere eam in tribulationibus, quando ad angustias animæ patientis sic aspicit & at
tendit, vt eam ab illis expediat. ¶Versu 13. Infirmata est paupertate virtus mea. In Hebræo, pro
paupertate,habetur iniquitas. Sic enim vertit Hieronymus: Infirmata est iniquitate fortitudo mea.
Et Felix, Infirmata est propter delictum meum fortitudo mea: vel, Corruit in delicto meo virtus
mea. Quod de virtute spiritus omnino videtur intelligendum. Per peccatum enim ipsa debilita-
tur & infirmatur: quoniam peccatum dispositionem aliquam relinquat necesse est ad male agendū:
B & quanto quisque ad male agendum fortius dispositus est,eo ad bonum inuenitur infirmior. ¶Versu
14. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde. In Elucidatione præ-
positionem Super, interpretati sumus propter, quomodo ex Hebræo vertunt quidam,Propter om-
nes hostes meos fui opprobrium. Felix vertit, Ab omnibus tribulantibus me: quod ad eandem sen
tentiam facilime accommodatur. Beatus autem Hieronymus vertit, Apud omnes hostes meos fa-
ctus sum opprobrium, & vicinis meis nimis: hoc est, omnibus inimicis meis factus sum opprobriū,
etiam vicinis meis valde. Versu 16. In eo dum conuenirent simul aduersum me. Clarius sic ex He-
bræo transferetur, Cum conuenirent simul,vel cum inirent concilium pariter aduersum me, accipe-
re animam meam cogitauerunt, vel potius impiè cogitauerunt. ¶Versu 18. In manibus tuis sortes
meæ. In Hebræo habetur, In manu tua tempora mea: quomodo habet & Romanum psalterium.
Sententia autem eadem potest accipi: Ecce enim in manu Dei tempora nostra aduersitatis,prospe-
ritatis, afflictionis & consolationis, vitæ & mortis, nihil aliud est quàm sortes nostras esse in ipsius
manibus, idemque orationis sensus recte accipitur. Chaldaica paraphr. habet, In manibus tuis dies
redemptionis meæ. ¶Versu 20. Illustra faciem tuam super seruum tuum. Illustra valet,illumina,vel
lucere fac, vel ostende cum illuminatione siue irradiatione Chald. paraphr. habet, Lucere fac iocū-
ditatem faciei tuæ super seruum tuum. ¶Versu 22. Qui loquuntur aduersus iustum iniquitatē. Bea-
C tus Hieronymus vertit, quæ loquuntur aduersus iustum vetera, id est, diu excogitata mēdacia,& ini-
quitatem multum elaboratam,diuq; in corde velut parturiendo gestatam. Vel vetera,id est,corrupta
& putrida,malaq; & sordida: hoc est impia. Alij vertunt, grauia vel dura, iniqua,superba,vel oppro-
bria. ¶Versu 24. Perfecisti eis qui sperant in te. Perfecisti,id est, operatus es sperantibus in te, vt ha
bet Hieronymus. Vel operatus es pro sperantibus in te. Cæterum, illud quod sequitur, In conspe-
ctu filiorum hominum, in Elucidatione coniunximus cum particula subaudienda: hoc modo,Quā
reddes eis in conspectu filiorum hominum. Cui astipulatur Chald. paraphr. sic habens. Operatus
es sperantibus in te, vt reddas eis præmium bonum in conspectu filiorum hominum. ¶Versu 30.
Veritatem requiret dominus. Hieronymus. Fideles seruat dominus. Quod cum lectione communi
facile concordari potest, si intelligamus Deum requirere fideles ad saluandum eos quomodo requi-
rit pastor oues, ne pereant, & saluator eos quos saluare velit. Hoc enim modo requirere veritatem
vel fidelitatem,idem censebitur quòd custodire vel saluare fideles,& facientes veritatem.

IN PSALMVM XXXI.

D VErsu 4. Conuersus sum in ærumna mea,dum configitur spina. Hæc lectio quam habeat intel-
ligentiam,ex Elucidatione patuit. In Hebræo autem secus habetur. Sic enim vertit Hieronym.
Versatus sum in miseria mea,cum exardesceret messis iugiter. Quod ita potest intelligi, Tribula-
tus & afflictus sum in miseria mea, cum viderem iugiter peccata mea matures cere, & appropinquan-
te æstu diuini iudicij, quasi ad propinquam retributionem parari. Quò enim diutius peccator qui-
libet peccatis absque pœnitentia & confessione dissimulando perseuerat, eò ad rationem punitio-
nis magis magisque appropinquat,& velut exardescit, coquitur, & matures cit continuò messis eius,
ita vt iudicio per singulos dies fiat propinquior. Aliter vertunt Felix atque alij nonnulli interpre-
tes: Immutatus est humor meus in siccitates æstatis: vel, Versus est viror meus in siccitate æstatis:
hoc est, Quicquid ante peccatum in me fuerat viroris & humoris, ex gratia Dei, velut ex siccarum
est, quomodo æstate nimio æstu solet exsiccari terra. Vel sic, Conuersa est siue versa pinguedo mea,
siue humidum meum in siccitatibus, id est, (iuxta Felicis interpretationem) factus sum macilentus
& exsiccatus,ac si positus fuissem ad radiū solis in æstate. Atq; ita ad corporis afflictione hæc lectio
secundum literam referetur, vel etiam ad animam secundū spirituale intelligentiam. ¶Versu 9. Tu
es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me: exultatio mea,erue me à circundantibus me.
Hunc versum ita transfert Hierony. Tu es protectio mea, ab hoste custodies me,laus mea, saluans,
circundabis me. Quę lectio ex seipsa claram habet intelligentiam. Alij partem illam posteriorem ex-
ultatio mea,&c. aliter vertunt: Canticis liberati circundabis me: hoc est eum circudabis me ad pro-

tectio-

lectionem & liberationem, accipies à me cantica liberationis, quæ pro gratiarum actione tibi decan E
tabo liberatus. ¶Versu 10. Firmabo super te oculos meos. Beatus Hierony. Cogitabo de te oculo meo. Felix, Innuam super te oculo meo. Sanctes, Consulam tibi oculo meo. Prouenit autem ista diuersitas ex ambiguitate vocabuli Hebraici iaatz, cuius hîc futurum ponitur, quod (teste Reuclinio) significat decreuit, cogitauit, consultatione concluſit, Statuit. Eſt autem ſenſus prædictarum verſionum ferè idem: nempe hic, Ego dominus habebo (vt dici ſolet) oculum & reſpectum ad te, conuertam oculos & aſpectum meum ad te, vt te dirigam in via quam ambulare debes: vt ſi forte errare volueris à rectitudine, ego tibi indicem atque monſtrem errorem: & ſi forte ignorare contigerit quò pergere & quid agere debeas, ego tibi indicem quid placitum ſit mihi. Et loquitur Deus ſecundum conſuetudinem hominum, qui ambulantium per ignota itinera greſſus oculo & aſpectu proſequuntur, vt de recto bonoq; itinere admoneant, & ab errore deuiorum viæ ignaros cuſtodiant. Aut ſecũdum modum quo parentes præeuntibus in via filiis, qui viam tamen ignorant, continuò oculos habent ad viam filiorum, vt illis iter rectum demonſtrent. Hæc autem intelligentia etiam in Elucidatione comprehenditur, tametſi pleniorem illa aſsignet interpretationem. Noſtræ autem lectioni & expoſitioni videtur apertius conſonare quod habet Chald. paraphr. Ponam vel firmabo ſuper te in bonum oculos meos.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI. F

IN titulo huius pſalmi vna dictio præponitur, quæ hactenus nuſquam occurrit, videlicet Maſcil, pro qua ſeptuaginta interpretes in Græco verterunt σύνεσιν, quod Latinè intellectus dicitur. Beatus Hieronymus eruditionem transfert, quod ferè idem valet. In Chal. tranſlatione habetur intellectus, vel eruditio Bona. Cur autem huic pſalmo titulus præmittatur bonæ eruditionis, vel boni intellectus, facile percipiemus, ſiquid nos hic pſalmus doceat, attendimus. Docet autem nos intelligere quomodo peccati remiſsionem aſſequi debeamus: & in hoc nos erudit, atq; prudentes facit, quomodo vera pœnitentia ad Deum conuerti, eiusq; iram effugere valeamus, & in peccatis commiſsis nequaquam permanere. Quis autem dubitet optimam hanc eſſe eruditionem & intellectum precioſum vtiliſsimamque prudentiam? Docet enim ſalubriter lugere, quo nihil eſt in hac vita homini magis vtile, vel magis neceſſarium. Beati enim qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

IN PSALMVM XXXII.

VErſu 1. Rectos decet laudatio. Felix, Rectis decora vel formoſa eſt laus: hoc eſt, rectos decet: quemadmodum illud quod apud Sapientem ponitur, Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: tantundem valet, atque, Non decet peccatorem, Dei Laudatio. ¶Verſu 3. Bene pſallite ei in vociferatione: Hieronymus, Diligenter pſallite in iubilo. Felix, Bene pſallite cum iubilatione: vel, Facite bonam melodiam & tripudium cum iubilatione, vel muſicis inſtrumentis bene canite cum iubilatione. G
¶Verſu 5. Diligite miſericordiam & iudicium. In Hebræo non habetur miſericordiam, ſed tzedalzad, id eſt, iuſtitiam: coniungendo iuſtitiam cum iudicio, vt frequenter in ſcripturis fieri ſolet. ¶Verſu 6. Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hieronymus, Omnis ornatus eorum, quod cũ lectione vulgata habet eandem interpretationem. Vnde & Felix non aliud quàm virtutem vertit. Alij autem aliqui interpretes vertunt, Omnis exercitus eorum. Cuius lectionis ſenſus eſt, Non ſolum cælos maximos orbes in ſua amplitudine à Deo fuiſſe ſolo verbo creatos, verum etiam cæleſtes exercitus, & immenſum illorum ſpirituum numerũ, qui in eis eſt, ſimul ab initio in ſua multitudine fuiſſe ſpiritu oris Dei in ſui generis nobilitate conditos. Atq; in hanc ſententiam conuenienter interpretari poſſet etiam communis lectio, per virtutem intelligendo exercitũ: quemadmodũ frequenter & aliàs fieri ſolet. In Hebræo enim hoc loco habetur tzebaam, quod ſonat exercitum, vel militiam, vel virtutem eorum. ¶Verſu 7. Congregans ſicut in vtre aquas maris. Felix, Congregans ſicut cumulum, aut velut in cumulo aquas maris. ¶Verſu 9. Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt. In Hebræo ſingulari numero habetur, Quoniam ipſe mandauit, & factus eſt: ipſo præcipiente, ſtetit: totus videlicet orbis, & vniuerſa mundi machina ad imperium domini eſſe accepit, & in ſua ſubſiſtentia conſiſtit
¶Verſu 10. Dominus diſsipat conſilia gentiũ. Hierony. Dominus diſſoluit conſilium gentiũ, irritas H
fecit cogitationes populorum. Felix, Amouit vel prohibuit cogitationes populorũ. Eadẽ eſt horum cum noſtra lectione ſententia. ¶Verſu 14. De præparato habitaculo ſuo reſpexit. Hieronymus, De firmiſsimo ſolio ſuo proſpexit vniuerſos habitatores terræ. Felix. De habitaculo ſeſsionis vel habitationis ſuæ proſpexit omnibus habitatoribus terræ, vel prouidit: quod ipſe interpretatur, Prouidentiam habuit de eis. Vel ſimpliciter. Reſpexit omnes habitatores terræ. ¶Verſu 15. Qui finxit ſigillatim corda eorum. Hoc loco videtur prima facie aliquam donare contrarietatem litera Hebræa, atq; lectio ſeptuaginta interpretũ vulgata. Hæc enim habet κατὰ μόνας, id eſt, ſigillatim vel ſingulariter. In Hebræo autem iachad ponitur, id eſt, ſimul ſiue pariter. Vnde B. Hierony. ac cæteri in Hebræo interpretes vertunt, Quæ fingit pariter cor eorum. Videtur autem contrarietas aliqua eſſe inter eum qui dicit, Deum finxiſſe ſigillatim vel ſingulariter corda filiorum hominum, & eum qui diceret. Deũ pariter finxiſſe corda eorum. Sed aduertendum eſt, quod Hebraicæ literæ ſenſus nequaquam vult Deum pariter, id eſt ſimul tempore, feciſſe corda filiorum hominum: ſic quaſi (iuxta hæreticorum quorundam errorem) omnes animas à principio Deus creaſſet: quemadmodum vniuerſam angelorum multitudinem ſimul tempore creauit. Id enim prorſus impium & catholicæ doctrinæ eſt aduerſum. Neq; omnino litera Hebræa hunc ſenſum patitur, quoniam non plurali numero dicitur, Qui finxit pariter corda eorum: ſed numero ſingulari, Qui finxit pariter cor eorum. Vnde nequaquam

A quam poteſt ille ſenſus accipi de concreatione animarum hominum, id quod attendenti proprietatem & vim elocutionis vnicuique facile poteſt fieri manifeſtum: Et forſitan ſpeciali concilio ac ſpiritus ſancti inſtinctu, ſeptuaginta interpretes prauam intelligentiam ac ſenſum peruerſum amouere volentes, lectionem poſuerunt: quæ illi falſæ ſententiæ videretur non ſolum non fauere, ſed etiã aduerſari dicentes, Qui finxit ſigillatim corda filiorum hominum. Quæ lectio pulchre intelligi poteſt ad firmationem catholici dogmatis, quòd ſingulas hominum vitas & animas (quæ per corda ſignificantur) Deus creauerit ſigillatim vel ſingulariter ſiue ſeparatim, tunc videlicet vnamquamq; de nouo creans in illo ipſo momento, quo in corpus proprium eam infundit. Quæ intelligentia manifeſte aduerſatur erroneo dogmati, cuius ferunt Auerroim vel authorem, vel aſſertorem extitiſſe. In litera autem Hebraica illud iachad, id eſt, pariter, vel ſimul, ſecundũ virtutem valere videtur, etiam, vt ſit ſenſus: Qui finxit etiam cor eorum, & intelligit omnia opera eorum. Nam in tali ſignificatione ſolet nonnunquam pariter vel ſimul vſurpari: velut cum dicimus, Deus de nihilo creauit nos, & pariter nos ad imaginem ſuam fecit, ſimulque capaces fecit ſuæ gloriæ: tantundem eſt ac ſi dicatur, Qui etiam nos ad imaginem ſuam creauit, atque etiam capaces fecit ſuæ gloriæ. Et iuxta hunc ſenſum apta valde habebitur connexio, cum eo quod præcedit atque ſubſequitur, in hunc modum, Dominus de ſuo habitaculo proſpexit ſuper omnes inhabitantes terram, qui etiam fecit corda eorum, & intelligit omnia opera eorum. Quaſi dicat Propheta, Non mirum ſi ſuper filios hominum proſpiciat
B Deus, ſi ipſius erga illos prouidentia extendatur: quandoquidem etiam intima illorum formauit, & vitam, atque adeò vitæ totius principium (quod in corde eſt) inſpirauit in eis, ac proinde omnia eorũ cognoſcit opera. Poſſet etiam illud (pariter) aliter intelligi, Qui format pariter, ſupple cum corpore, cor eorum: id eſt, ſimul cum corporis plaſmatione animam creat & infundit vniendo corpori: quod etiam errori ſuprà citato manifeſte aduerſatur. Atque huic ſenſui videtur vtcunque accedere Chald. paraphraſis habens in hunc modum, Creans vel formans eos, vnit corda eorum, & veſtigat omnia opera eorũ. ¶Verſu 17. In abundantia autem virtutis ſuæ nõ ſaluabitur. In Hebræo per actiuũ genus habetur, In abundantia vel multitudine roboris ſui aut fortitudinis ſuæ non ſaluabit, vel non liberabit. Quod eandem facit cum noſtra lectione ſententiam, ſi intelligatur, Non ſaluabit ſeſe equus, neque ſeſſorem ſuum. Nam & noſtram lectionem quæ paſsiuum habet in Elucidatione ſic ambigue interpretati ſumus, Non ſaluabitur neque equus ipſe, neque ſeſſor illius. ¶Verſu 19. Et alat eos in fame. In Hebræo, Et viuificet eos in fame. quod in idem redit. Qui enim alit alioqui moriturum, quaſi viuificat, dum vitam ſuſtentando, vitam quaſi præbet.

IN PSALMVM XXXIII.

C PSalmus iſte per alphabeti Hebraici literas (vt ſuprà diximus de pſalmo 24.) procedit, ſingulis verſibus ſingulas literas ſecundum ordinẽ alphabeticum in cap. præferentibus. ¶Verſu 2. In domino laudabitur anima mea. De verbo Laudabitur, diximus in principalibus annotationibus, quod pro Gloriabitur ponatur. Vnde Felix vtrunque vertit, quaſi ſub indifferentia conſtituens, laudabitur vel gloriabitur. Sanctes vertit in domino laudabit ſe anima mea, quòd eſt gloriari. Qui enim gloriatur, quaſi ſecundum modum aliquem ſe laudat, vel ſibi complacet in illo in quo gloriatur. Denique etiã vulgo cum gloriari volũt homines, ita ſolent dicere, Laudabo me, quod hoc illúdve egerim, aut quod illi rei nõ conſenſerim. i. glorior & gaudeo. ¶Verſu 5. Accedite ad eum, & illuminamini. Hieronymus, Reſpicite ad eum, & cõfluite. i. Leuate oculos veſtros ad eum, & cumulatim vniuerſi ad eum accurrite, & vultus veſtri non confundentur. Felix, Reſpexerunt ad eum, & cucurrerunt, ſiue confluxerunt, aut reſpexerunt in eum, & illuminati fuerunt, & vultus eorum non confundentur. ¶Verſu 7. Immittit angelus domini in circuitu timentium eum. Hierony. Circundat angelus domini in gyro timentes eum, & eruet eos. Felix, Moratur, vel quieſcit, vel caſtrametatur angelus domini per circuitum timentium eum. Quæ verſiones ſententiam vulgatæ lectionis quæ in Elucidatione priori loco exponitur, clarius exprimunt. ¶Verſu 9. Non eſt inopia timentibus eum. inopia, id eſt, non eſt deficientia vel defectus, quod clarius exprimitur in pſalterio Romano, nihil deeſt
D timentibus eum. ¶Verſu 10. Diuites eguerũt & eſurierunt. In Hebræo habetur, Leones vel catuli leonum ſiue leonculi depauperati ſunt, vel inopes facti ſunt, & eſurierunt, id eſt, egeſtatem paſsi ſunt. Nimirum diuites huius ſeculi, qui per fas & nefas congregant, & fraudant, Deum non habentes præ oculis, rectè ob ſuam rapacitatem leones vel leonũ catuli appellantur. In ſecunda autem parte, cum dicitur, Inquirentes autem dominum non minuentur omni bono: improprie admodum videtur accipi verbum Minuentur, pro Deficient, vt habet pſalterium Romanum, Vel defectum patientur, vel indigebunt. Vnde Hierony. vertit, Quærentibus autem dominum non deerit omne bonum, Verſu 16. Vultus autem domini ſuper facientes mala. Beatus Hieronymus nobiſcum vertit, Vultus domini. Felix autem vertit ſub indifferentia, Vultus vel iræ domini. Nam (vt ſuprà diximus in annotationibus pſalmi 20.) vultus domini aliquando pro iracundia accipitur, propterea quòd in vultu ira ſoleat relucere, dum toruo & ſeuero vultu aſpicimus eos quibus iraſcimur. ¶Verſu 21. Mors peccatorum peſsima, Hierony. Interficiet impium malitia, & odientes iuſtum culpabuntur. Hoc eſt, peribit impius, & morte æterna punietur propter malitiam: & odientes iuſtum, culpabiles inuenientur & rei peccati in iuſtos. Vel culpabuntur, id eſt, accuſabuntur atq; condemnabuntur. Vnde Felix vertit, Odientes iuſtum deſolabuntur, vel deſtruentur. ¶Verſu vlt. Et non delinquent omnes qui ſperant in eo. Hieronymus iuxta ſententiam noſtræ lectionis vertit, Non peccabunt omnes ſperantes in eo. Felix autem vertit, Non deſolabuntur, vel non pœnitebit ſperantes in eo.

DE

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

HVIC psalmo præmittitur titulus historicus, in hunc modum, Dauid, cum immutauit vultum
suum vel os suum coram Abimelech, & dimisit eum, vel eiecit eum, & abiit. In quo titulo dis-
ficultas est, etiam secundum historiam propter nomen Abimelech, Si enim pro Abimelech diceretur
1. Reg. 21. Achis, facilis esset intelligentia ex historia primi lib. Reg. In cuius cap. 21. describitur, quomodo à fa-
cie Saulis fugiens Dauid, postquam ab Abimelech panes propositionis accepisset, & Goliæ gladium
ad regem Geth Achis nomine, confugit, sperans ibi se saluandum à facie Saulis. Verum cum fama
nominis Dauid illic quoq; vulgaretur, dicentibus ministris Achis, Nónne iste est Dauid rex terræ,
cui cantabant in choro, Percussit Saul mille, & Dauid decem milia? Territus Dauid, furere se simula-
uit, & vultum atq; os immutauit coram rege Achis, collabi se sinens inter manus eorum, & in ostium
portæ impingens, perq; barbam saliuam emittens, adeò vt obiurgans rex Achis seruos suos, diceret,
Quare adduxistis ad me hominem istum insanum, vt fureret me præsente? Ac deinceps, Dimittite
illum hinc, ne ingrediatur domum meam. Cui sanè historiæ per omnia titulus optime quadrat, qui
de immutatione vultus Dauid, & de ciectione siue expulsione, atque abitu siue euasione eiusdem ex-
pressam facit mentionem. Ac si ita diceretur, Dauid post euasionem, primum quidem de manu Saul,
deinde de manu Achis regis Geth, psalmum istum composuisse in gratiarum actionem, non pro hac
solum liberatione, sed in generali pro omnibus beneficiis Dei, quæ simul memori mente & animo
grato recogitabat: ita tamen vt ista particularis liberatio occasionem præstiterit generalis gratiarum
actionis. Verum obstare videtur huic dicto quod dicitur, coram Abimelech, non coram Achis.
Quod incommodum Iudæorum quidam Rabbini soluere conantur, dicentes eundem esse, qui &
proprio nomine Achis nominabatur, & à communi regni sui appellatione Abimelech: quo nomi-
ne reges Palæstinorum appellabantur antiquitus: quemadmodum reges AEgypti Pharaonis nomi-
nine solebant appellari, sicut ex sacris literis facile potest comprobari. Beatus Augustinus prolixa
interpretatione mystice hæc exponit ad Christi passionem, & per resurrectionem ab omni periculo
euasionem, ea referens, vt sit Christi ad patrem pro se & omnibus membris, proque sua & omnium
liberatione, gratiarum actio. Qui de his plura cognoscere desiderat, apud patrem sanctum Augu-
stinum in tituli expositione abunde multa inueniet.

IN PSALMVM XXXIII.

VErsu 1. Iudica domine nocentes me. Hieron. Iudica domine aduersarios meos. Felix, Conten-
de cum contendentibus mecum, id est, contra illos litiga, vel pugna, vel dimica qui me oppu-
gnant, vel contra me dimicant mihi nocere cupientes. ¶Versu 3. Effunde frameam, & conclude ad-
uersus eos qui persequuntur me. Hierony. Euagina gladium, & præoccupa ex aduerso persequentes
me: hoc est, euaginato gladio occurre persequutoribus meis in prælium, exurge in occursum illis, &
irrue in illos, vt eos tua potentia expugnes. ¶Versu 9. Superuacue exprobrauerunt animam meam.
Secus habetur in Hebræo, Sine causa fecerunt foueam, vel foderunt foueam animæ meæ, id est, sine
causa & meo non merito posuerunt mihi insidias. Atque ita prior pars versus, nempe, Gratis ab-
sconderunt mihi interitum laquei sui, eadem est cum posteriori iam explicata. ¶Versu 9. Veniat il-
li laqueus quem ignorat. Pro laqueo, Hieronymus vertit calamitatem, alij contritionem vel desola-
tionem: Felix strepitum, tumultum vel deuastationem, Sententia autem in his omnibus manifeste
eadem est. ¶Versu 12. Eripiens inopem de manu fortiorem eius. Accommodatius ad Grammaticam
congruitatem diceretur, De manu fortiorum eo. Vnde Felix vertit, Eripiens inopem à fortiori illo.
¶Versu 14. Retribuebat mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ. Felix hanc particulam, ste-
rilitatem animæ meæ sic interpretatur. Quod faciunt mihi, malum pro bono reddentes, est vt mors
animæ meæ, & quasi eam sterilem faciunt, & reddunt eam semimortuã, & eã in illa ponunt anxieta-
te, in qua mulier solet esse post partum. Quæ expositio satis cum Elucidatione nostra concordat.
Posset etiam sic exponi, Retribuebant mihi malum pro bono, per quod sterilem fecerunt animam
meam: id est, vitam meam, quia sua ingratitudine fecerunt vt illis nihil profuerit vita mea, quam pro
eis expandi, & erogaui frustra: quæ expositio satis apte quadrabit, cum ad Christum psalmus applica-
bitur. ¶Versu 15. Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Hieronymus, Ego autem
cum infirmarer ab eis, induebar cilicio, id est, cum tribularer, affligerer, molestarer ab eis: quod cum
nostra lectione idem valet. Aliter vertit Felix, Ego autem, cum ipsi infirmarentur, indumentum meũ
saccus vel cilicium: hoc est, non reddidi malum illis pro malo, sed cũ ipsi infirmarentur, aduersa pate-
Rom. 2. rentur, tristarentur, ego condolebã illis, non gaudebam super malo afflictionis illorum, sed afflixi me-
ipsum ieiunio & oratione, lugens cũ lugentibus, secundũ charitatis fraternæ expostulationem. Verũ
quia oratio mea locum non inueniebat, nec effectũ in eis ad me rediit, & in meam vtilitatem est con
uersa. ¶Versu 17. Quasi proximum & quasi fratrem nostrũ, sic complacebam. Lectio nostra Latina
hoc loco non facilem habet intelligentiam, & videtur in sermone esse incommodum, Facile autem
vtrique mederi posset, si tantũ adiiceretur præpositio AD, hoc modo, Quasi ad proximum, & quasi
ad fratrem nostrum sic complacebam. Aut si casus accusatiuus mutaretur in datiuum, hoc modo,
Quasi proximo, & quasi fratri nostro sic complacebam. Atque ita per casum datiuum habet lectio
Græca, ὡς ἀδελφῷ ἡμετέρῳ οὕτως ἠρεσκόμην. Iuxta priorem modum cum præpositione vertit Hieronymus,
Quasi ad amicum & quasi ad fratrem meum sic ambulabam. Posset etiam verti per nominati-
uum

A uum, hoc modo, Quasi amicus, quasi frater, sic placide conuersabar erga illos, sic æquum & placidũ
illis me in conuersatione exhibui. ¶Versu eodem, quasi lugens & contristatus, sic humiliabar. Hie-
ronymus, Quasi lugens mater, tristis incuruabar. i. sic humiliabar, & tristitia grauabar pro malo ini-
micorum meorum, sicut mater tristatur, dolet, & luget super mortuo vel infirmo filio suo. Aliter
Felix, Sicut lugens matrem, nigerrimus humiliatus sum. i. tanquam luges matrem nigris indutus lu-
gubribus vestibus sic humiliaui me, afflixi atque contristaui pro inimicis meis. ¶ Versu. 18. Et aduer-
sum me lætati sunt. Hieronymus, In infirmitate mea lætabantur. Felix, Cũ ego autem attritus essem
vel confractus, vel claudicarem, lætati sunt. Alij, In claudicatione mea lætati sunt. Quæ omnia ean-
dem habent sententiam, hanc videlicet, Cum ego infirmarer vel deficerem viribus, siue claudicarem
atque vel modicum vacillare siue deficere inciperem, inimici mei lætabantur in malo meo. Quòd
autem sequitur, Congregata sunt super me flagella: beatus Hieronymus vertit, Collecti sunt aduer-
sum me percutientes: quæ lectio nostræ vulgatæ est quædam explanatio. Felix claudos vertit, Con-
gregati sunt (inquit) aduersum me claudi. i. homines abiecti, vt ipse interpretatur. ¶ Versu. 19. Diffi-
pati sunt, nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione. Ex Hebræo, Scide-
runt & non tacuerunt, insimulatione verborum fictorum. Hoc est, lacerauerunt me iniuriis & ma-
ledicentiis, & non prohibuerunt linguas suas ab huiusmodi verbis ad derisionem fictis & compositis,
B mihi illudentes. ¶Versu. 23. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & iracundia terræ lo-
quentes dolos cogitabant. Hieronymus ex Hebræo, Non enim pacem loquuntur, sed in rapina ter-
ræ verba fraudulentia concinnant: quod sensum habet apertum, Non loquuntur, quæ pacis sunt, sed
vt male rapiant, dolos componunt. Alij vertunt, Non enim pacem loquuntur, & super humiles vel
mansuetos terræ verba fraudulenta cogitant, vel componunt, vel cõcinnant. ¶Versu vltimo, Et lin-
gua mea meditabitur iustitiam tuam. Pro meditabitur in Hebræo habetur futurum verbi hagag,
quod (vt Ioannes Reuchlinius testatur) significat meditatus est, dissertauit, disputauit, rationatus est,
loquutus est, sonos seu verba composuit. Vnde hoc loco transferri potest, Lingua mea tota die lo-
quetur vel sonabit vel modulabitur, vel dissertabit iustitiam tuam.

IN PSALMVM XXXV.

VErsu. 1. Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso. Hieronymus, Dixit scelus impij in medio cor-
dis eius, non esse timorem Dei ante oculos eius. Cuius sensus est, Iniquitas & peccatum impij
hoc ipsi persuadent, vt cogitet in corde suo & existimet, non debere se timorem Dei ante oculos
habere. Quod translatio Chal. clarius sic exprimit, Dixit scelus siue iniquitas impio in medio cordis
eius ne ponat timorem Dei ante oculos suos. Vbi per scelus intelligi potest, vel peccatum, & iniqui-
C tas ipsa, quæ peccatorem excæcat, & facit non timere neque attendere hominum iudicia, & velut
persuadet cordi peccatoris, Dei timorem abiicere: vel diabolus scelestus & author peccati. Nam &
ipse hoc maxime cordibus hominum persuadere conatur, vt Deum non habeant præ oculis, quo si-
bi seruiant liberis. ¶Versu. 2. Vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Ad odium beatus Hieronymus
vertit, ad odiendum. Quod potest exponi passiue, vt odio habeatur, scilicet à Deo, quomodo nos in
Elucidatione explicauimus: vel actiue, ad habendum odio, subaudiendo bonum. Quod etiam aptè
quadrabit proposito Psalmi, quoniam ad consummatam impietatem hoc pertinet, sic in iniquitate
defigi, & illi adhærere vt virtus habeatur odio. Nam qui ex infirmitate qualibet peccant aut fragili-
tate humana, & si ad tempus passionis subiecti præeligant iniquitatem, non inuenitur tamen eorum
iniquitas ad odium boni. Diligunt enim bonum, & amant eos qui bene agunt, licet propter fragili-
tatem & passionem præeligant malum. ¶ Versu. 3. Noluit intelligere vt bene ageret. Hieronymus,
Cessauit cogitare benefacere, hoc est, eousque in impietate sua progressus est impius, vt non vltrà
cogitet de faciendo bene, sed absque freno iam in omne malum abeat præceps. Quod à nostra lec-
tione non dissonat, Noluit intelligere vt benefaceret. i. noluit cognoscere, noluit cogitare, quo-
modo benefaceret, vel de faciendo bene: quod clare habet Chal. paraphrasis, Abscidit intellectum
D à bene operando. ¶ Versu. 11. Prætende misericordiam tuam scientibus te. Dictio quę in Hebręo ha-
betur loco prætende, à verbo masach venit, quod significat duxit, traxit, extendit, vel tetendit. Vnde
hoc loco Hieronymus vertit, Attrahe misericordiam tuam scientibus te, hoc est, trahe misericordiã
tuam ad scientes te, aut impartire misericordiam tuam fidelibus tuis. Et idem sibi vult verbum præ-
tende, quod habet nostra lectio.

IN PSALMVM XXXVI.

VErsu. 1. Noli æmulari in malignantibus. Hieronymus, Noli contendere cum malignis. Felix si-
militer, vel noli commisceri velut in contentionem cum eis, quod facile ad sententiam nostræ
lectionis applicatur, hoc modo, Noli zelo commoueri intra te super malignantibus, non te moueat
impiorum prosperitas, ita vt cum eis velis ob hoc in contentionem misceri, vt cum eis tu velis con-
tendere. Verti etiam potest, Ne inuideas malignantibus, neque ira commouearis contra illos. Chal.
paraphrasis alteram sententiam explicat, dicens, Ne æmuleris malignos, ne similis fias illis, & non æ-
muleris facientes iniquitatem. Hanc autem vtranque intelligentiam, in Elucidatione clare satis indi-
cauimus. ¶ Versu. 2. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent. Ex Hebræo, Tanquam gramen
vel fœnum velociter succidentur vel conterentur, & sicut olus viride marcescent, vel ficut viror her-
bæ aut germinis deficient. ¶ Versu. 3. Inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius, In Hebræo non ha-
betur in diuitiis eius, sed pascere fide, vel veritate. Ponitur enim nomẽ emunach, significans veritatẽ,

vel fidem. Recte autem secundum sententiam huius lectionis iubemur sperantes in domino pasci ve- E
ritate. Veritas enim & fides promissionum Dei, nos debet in bono nutrire, sustinere, educare & ad
incrementum iustum perducere. Ad illã enim intendentes, confortamur, consolamur, confirmamur
in eã & ad virtutis exercitia alacres atque potentes reddimur: quemadmodum solet cõfortare cibus
edentes. Si enim vulgato sermone dicuntur homines quidam spe ali & viuere, maxime autẽ amantes
(de quibus tritum prouerbium est, Spes alit amãtes) cum tamen huius mundi spes frequenter nimiũ
sperantes confundat & fallat: quanto magis optimo iure dicere poterimus, de sancta spe quę in Deũ
est) quæ iuxta Apostolum non confundit, vtpote illius innixa veritati, qui mentiri nequit) quòd ale-
re atque pascere sufficiat amantes atque fideliter sperãtes. Potest etiam intelligi de fide quæ in nobis
est, quod ipsa nos debeat pascere: quoniam per dilectionem debet fides operari virtutis opera, quæ
pabulum & cibus sunt animæ. Fides enim quæ sine operibus est, mortua cũ sit, nescit pascere se ha-
bentes, neque vitam dare, quæ vitam non habet. Eadem quoque intelligentia de veritate commode
assignari potest, tam de veritate fidei, quàm vitæ. Potest etiam aliter intelligi, Pascere in fide, ad hunc
sensum, Interim donec gustare non datur illam perfectam satietatem, quæ exhibẽda est in patria, in
fide pascere, in fidę oblectare, per eam & in ea contemnendo quæ videntur temporalia: ea autẽ quæ
non videntur æterna tota mente contemplando, & iam nunc per fidem vera charitate perfectam, in F
cælis habendo conuersationem. Ex Chald. Parap. vertit Augustinus Genuensis, Negocioſus esto in fide,
quod illi consonat verbo Euangelico, Negociamini, dum venio: hoc est, Cura, donec tempus est o-
perandi, diues fieri in operibus bonis, quemadmodum Apostolus ait. Et thesaurizare thesaurum bonũ
atque indeficientem in cælis iuxta sermonẽ domini Adiuro te hoc loco, Christiane lector, cõsideres
& ipse recum expendas, quàm ampla atque angusta sit scripturarum sanctarũ maiestas, & quã abun-
dans nimium fœcunditas, quæ in vnico verbulo tam multiplicem complectimur intelligentiã, & sin-
gulas pio animo ad ruminandum suauissimas. O vere fœlices nimium, sua si bona norunt agricolæ
sancti, quibus in hoc agro dominico concessum est atque complacitum, ingenij sui vires expẽdere.
Illud quoque aduerte, priusquam hinc dimittaris lector quòd istæ ex Hebræo versiones iam adduc-
tæ & expositæ facile possunt cum lectione vulgata concordari, si pronomẽ eius, cum dicitur, pasce-
ris in diuitiis eius, referat dominum, vt sit sensus, Pasceris in diuitiis domini. Fides enim recta quæ
per dilectionem operatur, sunt verè diuitiæ domini, quibus scilicet efficimur in Deo diuites. Imò &
si referat terram, modo terra spiritualiter intelligatur terra cordis (vt in annotationibus principali-
bus prolixè deducitur) facile erit inuenire concordiam. Verè enim diuitiæ cordis nostri sunt, fides &
opera Deo digna, quæ illa operatur. ¶ Vers. 4. Delectare in domino. Delectare. i. diuitias tuas siue de-
lectationem tuam accipe, habe, pone in domino, quomodo vertit Felix. ¶ Versu. 5. Reuela domino
viam tuam. Hieronymus, Volue super dominum curam tuam. i. (iuxta Petri verbum) omnẽ solicitu- G
dinem proiice in ipsum: quæ sententia secundum rem cum nostra lectione satis conuenit. Qui enim
domino sua omnia reuelant, ad hoc faciunt, vt ipsi totum cõmittant quod sibi incumbit. Siquidem
ad hoc manifestamus nostras miserias, ad hoc communicamus consilia, vt subleuemur, vt iuuemur
in eo quod per nosipsos non possumus. Felix vertit, Circumuolue secus dominum viã tuam, hoc est,
quicquid agas, quocunque ambules, semper cũ Deo permane, & ab eo ne discede, semper illi adhæ-
reas optimo adiutori in omnibus. Quandiu enim in conspectu illius ambulas, & iuxta illum circun-
uoluis viam tuam, securus eris: quemadmodum pulli ab accipitre securi sunt, donec circunuoluunt
secus matrem viam suam. Quòd si longius abscedant in itinere suo inuenient periculum. ¶ Versu. 6.
Subditus esto domino, & ora eum. Pro subditus esto, in Hebræo habetur imperatiuus verbi damam,
quod significat quieuit, siluit, expectauit. Vnde ex Hebræo vertendum esset, Quiesce domino, vel
tace domino, quomodo vertit Hieronymus. Tacet autẽ domino, vel silet, vel quiescit, qui non mur-
murat de iudiciis domini, æquanimiter fert quicquid Deo permittente conspicit euenire, prosperi-
tatem scilicet malorũ, suam afflictionẽ, atq; similia, & in nullo obmurmurat. Quid verò aliud est in
proposito loco, subditum esse domino? Patet ergo, quomodo hoc quod nostra lectio habet, cũ præ-
dictis cõueniat. Pro altera autem parte, Et ora eum, vertunt, Et expecta illum vel parare illi: quod
quomodo rectius quã oratione perficitur? Vnde non dissonat quod habet nostra lectio, Et ora eum. H
¶ Versu. 10. Quæres locum eius, & non inuenies. Hieronymus, Cogitabis de loco eius, & non subsi-
stet: hoc est, considerabis & videbis ad locum in quo prius peccator erat, ad statum in quo florebat:
& non inuenies eum in eo statu & loco in quo paulo ante videras. Vnde Felix vertit, Considerabis
locum eius (.i. intellectum & considerationem adhibebis) & non adest. Verti etiã posset, Tu ædifica-
beris super locum eius, & non erit, supple, ipse impius. Quod in Dauide impletum cognoscimus.
Saul enim interfectus est, & ipse successit in regnum illius. ¶ Versu. 12. Obseruat peccator iustum.
Dictio Hebraica zamam, quæ hoc loco habetur, significat, præsumpsit, statuit, cogitauit. Atque ideo
verti posset hoc loco, Præsumpsit impius contra iustum, vel statuit aut decreuit peccator, intellige:
malas suas cogitationes cõtra iustum, aut cogitat contra iustum, vel de iusto, vt vertit Hieronymus.
Felix vertit, Iniquam cogitationem cogitat impius aduersus iustum. Alij, malitioſe vel doloſe cogi-
tat, quod est præsumit. ¶ Vers. 15. Vt trucident rectos corde. In Hebræo habetur, Vt trucident vel in-
terficiant rectos via, in via, quod secundum rem idem est cum eo quod habet lectio vulgata. Qui e-
nim recti sunt corde, iidẽ sunt & recti via, vel in via sua. ¶ Versu. 21. Inimici verò domini, mox vt ho-
norificati fuerint & exaltati deficientes quemadmodum fumus deficiet. Hieronymus, Inimici domi-
ni gloriantes vt monocerotes, consumentur sicut fumus consumitur. Quod apertam habet intelli-
gentiam, si tantum intelligatur gloriari vt monocerotes, idem esse quod gloriari in fortitudine & po-
tentia

A tentia sua, tanquam si monocerotes essent: quomodo solemus dicere, fortes gloriari tanquã leones:
hoc est, quasi de leonino robore. Felix ita vertit, Inimici domini velut adeps agnorum, vel, sicut pre-
ciosum agnorum defecerunt, in fumo defecerunt. i. sicut adeps agnorum nullam habens resistẽtiam
ab igne consumitur, & in fumum resoluitur: sic inimici domini igne gehennę cremabuntur. Aut ac-
cipiatur hic sensus, Inimici domini qui sunt tenerrimi & delicatissimi & pinguissimi sicut precio-
sum agnorum, vel sicut adeps agnorum, ipsi deficient subito, & igne peribunt æterno. ¶ Versu. 23.
Quia benedicentes ei hæreditabunt terram. Hieronymus ac cæteri ex Hebræo interpretes vertunt
per participia significationis passiuæ, in hunc modum, Benedicti eius, vel benedicti ab eo hæredita-
bunt terram, maledicti autem eius, vel maledicti ab eo, peribunt. ¶ Vers. 25. Cum ceciderit, non col-
lidetur. Felix exponit, Cum cœperit cadere, non erit penitus proiectus: quę sensum in Elucidatione
indicauimus. Quod autem sequitur, Quia dominus supponit manũ suam: in Hebræo, habetur, Do-
minus sustentat vel sustinet manum eius, scilicet viri iusti· hoc est, ne cadat, vel irreparabiliter cadat,
apprehendit illum manu, atque ita tenet: quemadmodum tenere solent matres filiorum manus, vt e-
tiam si palpitare cœperint illorum crura debilia, materna sustentatione è casu præseruẽtur, aut certè
priusquam se allidant, mox eleuent eos manu quem tenent. Et hoc manifestum est quomodo cum
vulgata lectione in eundem sensum possit reuocari. ¶ Versu. 26. Non vidi iustum derelictum, nec
B semen eius quærens panem. De hac posteriori parte in prioribus annotationibus quæstio mota est,
quomodo veritatem habeat quod dicit Psalmista, nunquam vidisse se senem iusti quærens panem,
cum multi conspiciantur hostiatim quæritare victum & viuere mendicato. Cui quæstioni respon-
sio adhibita est, explicando, quid intelligi debeat quærere panem, iuxta sententiam literæ præsentis.
Faciliori tamen modo etiam alia via posset quæstioni fieri satis, repetendo vocabulum, derelictũ, ad
semen quærens panem, hoc modo, Non vidi iustum derelictum, nec etiam semen eius quærens pa-
nem vidi derelictum: hoc est, iustum derelictum non vidi, & filios iusti, etiam si ad tantam egestatem
deuenissent, vt cogerentur mendicato quærere panem, nunquam vidi derelictos, quin illis (quanquã
in verecundia & sobrietate, sufficienter tamen) præbuerit dominus quæ victui sunt necessaria. Quæ
sententia quanquam non se offert prima facie, quia tamẽ & facilis est, & absque omni incommodo,
nec Græcæ nec Hebraæ lectioni repugnans aut dissonans, nequaquam venit aspernanda. ¶ Vers. 27.
Tota die miseretur & commodat. Caue ne commodare hic intelligas, commodo esse, vel cõmodum
facere, siue prodesse, quomodo per contrarium dicunt incommodare, obesse, & damnũ facere. Non
enim hoc sonat originalis lectio, neq; Hebræa, neq; Græca: Græcè enim habetur verbũ δανίζει quod
manifeste significat mutuo dare vel accommodare, quod significat hoc in loco commodare: cuius
verbi actiui passiuũ ponitur versu huius Psalmi. 22. Mutuabitur peccator. Græce enim est δανίσεται, i.
mutuum accipiet. ¶ Versu. 32. Os iusti meditabitur sapientiam. Eiusdem verbi futurum est hic, de
C quo diximus in annotatione vltima ex Hebræo, in Psal. 34. in expositione versus vltimi, Et lingua
mea meditabitur iustitiam tuam. Vnde posset & hoc loco verti, Os iusti loquetur, sonabit, disserta-
bit, modulabitur, vel pronunciabit sapientiam. ¶ Versu. 33. Et non supplantabuntur gressus eius. Hie-
ronymus, Non deficient gressus eius: Felix, Non commouebuntur gressus eius, vel non labetur ali-
quis gressuum eius, vel non mutabunt, aut aberrabunt gressus eius, aut non claudicabunt. ¶ Versu. 35.
Et non damnabit eum, cum iudicabitur illi. In Elucidatione ita exposuimus, vt eum priore loco re-
ferat iustum: datiuus autem, illi, posteriori loco referat impium, ad hunc sensum, Dominus non con-
demnabit iustum, cum iudicabitur impio. Posset tamen ex Hebraica lectione vtraque relatio ad v-
num referri, ad hunc sensum, Deus non condemnabit iustum, cum iudicabitur ipsi iusto: hoc est,
cum viri iusti fiet iudicium, ipse non condemnabitur iudicio Dei. Atque in hanc sententiam acce-
pisse videtur Hieronymus. Cuius versio sic habet, Nec condemnabit eum (scilicet iustum) cum iudi-
cabitur. Felix adiicit relatiuum, dicens: Cum iudicabitur ipse, scilicet iustus. Tanquam si dicat Pro-
pheta, Iustus, quanquam nunc ante tempus iudicetur ab impiis & irrideatur, in die tamen iudicij,
quando verum fiet iudicium, non condemnabitur à Deo, nec irridebitur, sed in iustitia sua saluabi-
tur. ¶ Versu. 37. Vidi impium superexaltatum & eleuatum, sicut cedros libani. Hieronymus, Vidi im-
D pium robustum & fortissimum, sicut indigenam virentem. Felix, Vidi impium robustum & integrũ
aut recentem, fortem siue extendentẽ radices, sicut laurus viridis, vel sicut arbor vegeta. Dicit quoq;
Felix, vocabulum ezrach, cuius loco nos cedrum habemus, significare apud Hebræos virum qui a-
uita nobilitate floret, & in bono nomine virescit: quam significationem respiciebat sacer Hierony-
mus, cum in versione diceret, indigenam virentem. Chal translatio habet, Vidi impium fortem &
validum, sicut arborem transplantatam & abundantem foliis: & transiuit de mundo, & ecce nõ erat.
Manifestum est autem, omnia hæc florem & apparentem gloriam prosperitatis impiorũ significare.
¶ Versu. 39. Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Hieronymus, Ad extremum erit viro pax, id est,
homini qui nunc in simplicitate & æquitate viuit, tametsi nunc sit tribulatio & iugis afflictio, erit
tamen pax & bonum illi in nouissimo. Pro malis enim quæ in præsenti vita accepit bona, tunc com- Lucæ. 16.
mutato ordine (iuxta patris Abrahæ vocem) recipiet. Alij sic legunt, Merces vnicuique pax. Cuius
sensus est, vnicuique viro nunc custodienti innocentiam & obseruanti æquitatem erit pax æterna,
pax vera, in mercedem & beatam retributionem. Huic lectioni consonat, quod ex Chal. paraphrasis
vertit Augustinus Genuensis, Finis hominis, pax. ¶ Versu. 40. Iniusti autem disperibunt, simul reli-
quiæ impiorum interibunt. In Elucidatione & contextu ita distinximus præsentem versum, vt ad-
uerbium simul ad posteriora adiunximus. Alij tamen malunt in præsentem partem referre, hoc mo-
do, Iniusti autem disperibunt simul: ac deinde, reliquiæ impiorum interibunt. Quæ lectio facilem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet sensum, omnes impios simul vnius ictu sententiæ, in æternam perditionem deturbandos. Atq; E
huic posteriori lectioni magis fauent tum Græca tum Hebræa exemplaria, atque etiam nonnulla
vetusta Latina. ¶Versu eodem, Reliquiæ impiorum interibunt. Clarius dici posset, Reliquiæ impio-
rum, vel nouissimum seu mercès impiorum, perditio & interitus. Felix, Nouissimum impiorum
peremptum est: hoc est, impiis nihil est relictum bonæ mercedis.

IN PSALMVM XXXVII.

VErsu. 2. Confirmasti super me manum tuam. Hieronymus, Tetigit me manus tua. Felix, Dea
pressa est super me manus tua: vel, Depressisti super me manum tuam. ¶Versu. 7. Quoniam
lumbi mei impleti sunt illusionibus. Beatus Hieronymus vertit, Lumbi mei impleti sunt ignominia.
Felix, Ilia mea repleta sunt combustione. Aut legi potest pro illusione, vilitas, contemptus aut im-
munditia. Habent autem hæc eandem sententiam cum vulgata lectione. Malæ enim concupiscen-
tiæ æstus, de quibus hoc loco manifeste videtur fieri mentio, rectè illusiones dicuntur & ignominia,
1.Cor.7. combustio & ardor. Vnde Apostolus Paulus talem indicare volebat combustionem, cum diceret,
Melius est nubere, quàm vri. Quantam quoque habeant vilitatem, despectum & immunditiam, qui-
libet naturæ honestate docetur. ¶Versu. 8. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis. Hieronymus, F
Euigilaui, & afflictus sum nimis. Felix, Collisus sum & contritus sum vehementer. Aut, dissolutus,
relaxatus, mutatus sum, & confractus vsque nimis: hoc est, prorsus impotens factus sum ad bonum,
quasi confractis & dissolutis omnibus viribus. Pro gemitu quoque cordis idem Felix palpitationem
vel strepitum vertit. ¶Versu. 1. Cor meum conturbatum est in me. Hieronymus, Cor meum fluctua-
bat. Felix, Cor meum circuiuit, vel in orbem iuit: hoc est, sic conturbatum est, vt videretur palpita-
re, & quasi præ anxietate sese voluere atque gyrare: quemadmodum euenire solet iis qui vehemen-
ter anxij sunt animo. ¶Versu. 11. Amici mei & proximi mei aduersum me, &c. Hieronymus, Chari
mei & amici mei, quasi contra lepram meam steterunt. Felix, Ex aduerso plagæ meæ steterunt: hoc
est, contra vulnus & morbum meum steterunt, vt magis ipsum augerent quam lenirent vel minue-
rent, & ad deterius potius adducerent, quàm in vllo dolori proficerent. Posito nanque in doloribus
pœnitentiæ, omnis amicorum & proximorum consolatio, maxime quæ secundum carnem propo-
nitur, oneri potius est quàm consolationi, & dolorem pœnitentis aggrauat magis quàm lenit.
¶Versu. 19 Cogitabo pro peccato meo. In Hebræo habetur futurum verbi daag, quod significat so-
licitus fuit, timuit, formidauit. Vnde hoc loco verti posset, Solicitus ero pro peccato meo (vt vertit
Hieronymus) aut anxius ero, vel timebo, vel formidabo. Atque ita etiam accipi debet in nostra le-
ctione verbum cogitabo, videlicet cum solicitudine & anxietate, quemadmodum solent variis co-
gitationibus solicitari, qui sunt in timore positi. G

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

TItulus huius Psalmi iuxta Hebræum est, Psalmus Dauid, in commemoratione. Nam quod ad-
ditur in Latinis atque Græcis exemplaribus, sabbathi, id in Hebræo non habetur, sed tantum
in commemoratione, vel ad reminiscendum, vel ad commemorationem. Quod facilem intelligen-
tiam habet de recordatione peccatorum, quoniam in hoc Psalmo potissimum fit mentio de peccà-
torum rememoratione, confessione, & exaggeratione, ad consequendam veniam peccatorum. Aut
in commemoratione propriæ fragilitatis, infirmitatis atque miseriæ, quæ in nobis est ex nobisipsis,
maxime dum à Deo derelinqui videmur. Et de hac fit in Psalmo prolixa mentio. Si autem iuxta vul-
gatos codices adiiciamus, in commemoratione sabbathi, significatur, Psalmum conuenire peccato-
ri, de sabbatho subsecuturo vitæ & requiei æternæ solicito, & ipsam perdere formidanti, ac proinde
pœnitentiâ agenti. Vnde mox in principio Psalmi clamat, Domine, ne in furore tuo arguas me, &c.

IN PSALMVM XXXVIII.

VErsu. 2. Posui ori meo custodiam. Felix pro custodia vertit clausuram, capistrum vel fiscellam: H
quæ idem sonant, & idem volunt, quod custodia. Beatus Hieronymus, Quid illud claustrum si-
ue capistrum sit, quo os claudi debeat, in sua versione demonstrat, cum ait: Custodiam os meum si-
lentio. Nimirum silentium, oris capistrum clausura & custodia est. ¶Versu. 6. Vt sciam quid desit mi-
hi. Felix, Cognoscam quàm breuis temporis ego: vel, Quanti temporis ego, id est, quanto tempore
viuam, vel quàdo deficiam. Iuxta quem modum habet Chald. paraphra. Vt sciam quando deficiam à
sæculo. ¶Versu. 7. Ecce mensurabiles posuisti dies meos. Hieronymus vertit, Breues posuisti. Felix,
Ad mensuram pugillorum posuisti, vel pugillos dedisti, id est (vt ipse ait) iuxta minimam mensuram
pugillorum. Sanctes dicit, Vt mensuram quatuor digitorum. Quæ omnia breuitatem nimiam sonãt
vitæ præsentis, & cum lectione nostra facile intelliguntur coincidere. Dum enim mensurabiles dies
ait positos vitæ, significat eos valde breues esse & paucos, vt facile minimo negocio queãt numerari
Heb. 8. vel mensurari. Psalterium Romanum habet, Veteres posuisti dies meos, quod etiam cum prædictis
coincidit: quoniam quod antiquatur, veterascit atque senescit, prope interitũ est: & quæ vetera sunt
2.Pet. 3. non longam possunt obtinere durationem. Quod autem sequitur, Et substantia mea tanquam ni-
Psal.89. hilum ante te. Ex Hebræo vertitur, Vita mea, vel tempus meum, vel æuum meũ, quasi non sit, in con-
spectu tuo. Nam (vt Petrus Apostolus ait) ante dominum dies vnus, sicut mille anni: & mille anni, si-
cut dies vnus. Et Psalmista cõfitetur domino, quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies hester-
na quæ præteriit: quanto magis anni pauculi, vel. 10. vel. 20. vel. 40. vel. 60. aut potentatibus. &c. aut
amplius

A amplius aliquantulum, & hoc ipsum tamen labor & dolor. Vt merito dici posset, quòd tempus vitæ
hominis, quasi nihilum sit ante oculos Dei, cuius est æterni duratio. ¶Versu. 8. Veruntamen vni-
uersa vanitas omnis homo viuens. De hoc versu latius tractatum est in annotationibus huius Psal-
mi principalibus. Adiiciendum tamen videtur, quod hoc loco habet Cald. paraph. in hunc modum,
Omnia nihil reputantur, verum omnes iusti surgent ad vitam æternam: quod facilem quidem habet
& pulchram intelligentiam, sed à vulgata lectione & iis quæ circa eam exponendo dicta sunt, prosus
extraneam. ¶Versu. 9. Veruntamen in imagine pertransit homo. Psalterium Romanum habet, In i-
magine Dei. Verum huius genitiui adiectio tam ex Hebræis, quàm ex Græcis & Latinis correctio-
ribus codicibus probatur superflua. Neque satis loco conuenit, de imagine Dei facere mentionem.
De particula autem illa, Veruntamen, aduerte, quòd non aduersatiue accipienda est, sed potius ex-
pletiue vel assertiue, vt significet, Et quidem, vel & certe. Vnde Felix vertit, Certè: Hieronymus, ta-
men, Tantùm (inquit) in imagine ambulat homo. ¶Versu. 11. Opprobrium insipienti dedisti me. Ex
Hebræo deprecatiue vertunt, Opprobrium insipientis vel stulti ne ponas me: hoc est, non sinas illos
mihi dominari, vel (vt postulare solet) gaudere super me. ¶Versu. 14. Et tabescere fecisti sicut ara-
neam animam eius. Hieronymus, Posuisti quasi tineam desiderabilia eius: hoc est, omnia in quibus
oblectatur dives in hoc sæculo, tu facis quasi tineã, fœtida & corruptioni obnoxia, vel à tineis cor-
B rodi facis. Felix vertit ferè similiter cum Hieronymo: Tabescere fecisti velut tineam, preciosum eius.
Aut liquefacere fecisti, vel putrescere fecisti desideratum ab eo, sicut araneam. ¶Versu vltimo, Re-
mitte mihi vt refrigerer. Hieronymus, Parce mihi, vt rideam, antequam vadam, & non subsistam.
Felix, Declina à me, & corroborabor: vel, relaxa te à me, & confortabor, & consolidabor, antequam
vadam & non ero. Quæ omnia, non nisi explanant vulgatæ lectionis sententiam.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

TItulus Psalmi est, Pro Idithum, canticum Dauid. Quod intelligitur de Idithum cantore, cu-
ius vocibus hic Psalmus traditus fuit decantandus. De hoc enim Idithum legimus, primi libri
Paralipomenon. 16. cap. quòd rex Dauid, vbi arcam domini intulisset in domum suam, ipsum simul 1.Para.16.
cum Heman constituerit ad confitendum domino, quoniam in sæculum misericordia eius, vtque
tuba canentes & cymbala quatientes, & in aliis quoque musicorum instrumentis dulci modulatione
sonantes, laudem concinerent. Ex nomine verò Idithum, quod interpretatur, transiliens, mystica ac-
cipitur intelligentia: secundum quam, hic Psalmus pro transcendente inscribitur, quia mundum &
omnia quæ transitoria sunt contemnendo transeuntur, & superfluentem ad æterna depingit: qui hu- Philip. 1.
ius vitæ labilis & caducæ pertæsus dissolui cupit, & esse cum Christo, & in solo domino (contemptis
C omnibus & reputatis pro nihilo, quasi vanissimis) ponit expectationem suam.

IN PSALMVM XXXIX.

VErsu. 6. Beatus vir, cuius est nomen domini spes eius: & non respexit in vanitates & insanias
falsas. Hieronymus, Beatus vir, qui posuit dominum confidentiam suam, & non est auersus ad
superbias pompasque mendacij. Qua lectione velut exponitur, quid in nostra lectione per vanitates
& insanias falsas intelligatur. Felix vertit, Et non respexit ad arrogantes vel superbos & diuertentes
vel circumeuntes mendacio, id est, non adhæsit nec assimulauit se superbis, & iis qui operantur vel
loquuntur mendacium, vel circumeuntes mendacium, id est, defendentes, aut fouentes falsitatem
& errores malos. ¶Vers. 7. & 8. Cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Annunciaui & loqu-
tus sum, multiplicati super numerum. Longe aliter vertunt ex Hebræo interpretes. Hieron. sic ha-
bet, Multa fecisti tu domine Deus meus mirabilia tua & cogitationes tuas pro nobis. Non inuenio
ordinem coram te: si narrare voluero, & numerare, plura sunt quàm vt narrari queant. Cuius lectio-
nis sensus est, Multa fecisti mirabilia, domine, & specialiter cogitationes tuas mirabiles & occulta cõ
silia tua, pro nobis cogitasti, & pro nobis operari voluisti. Sunt autem opera tua & consilia ista tua
D tam multa, vt non possim ordine debito cuncta recensere, neque inuenire numerum, ita vt nesciam
vnde potissimum queam incipere sermonem, neque sufficiam enarrandis omnibus, tam sunt multa,
tam varia, tam magna. Felix eandem inducit sententiam, quam supra Hierony. sed multo obscurius
& intricatius. ¶Versu. 9 Aures autem perfecisti mihi. In Hebræo ponitur verbum, carach, quod pri-
mo significat fodit, incidit, aperuit: iuxta quam significationem, B. Hieronymus ex Hebræo vertit,
Aures fodisti mihi. Significat etiam prædictum verbum, ordinauit, disposuit, parauit vel apparauit:
iuxta quam significationem habet communis lectio, Aures perfecisti mihi. i. aptasti & parasti, inte-
riores videlicet animi, per quas audiam quid in me loquaris, vt fiam tibi obediens. Vnde Chal. parap.
sic habes, Aures autem ad auscultanda præceptatua formasti mihi. Et secundum hanc expositionem
idem videtur esse aurium perfossio, quod aurium perfectio. Spiritualiter enim aures apertas habent
vel incisas, vel perfossas, qui Diuinæ voci eas habent semper patentes, vt possit ipsa intus introire ad
intima humani cordis: quemadmodum econtrario, clausas aures intelligimus habere spiritualiter
eos, quorum auditus non est apertus ad suscipiendum interius Dei sermones. Vnde & incircunciſæ
apud Hieremiam dicuntur aures obstinatorum in præuaricatione sua, quasi non inciſæ, vel non per- Hier. 6.
fossæ, vel non apertæ ad suscipiendum sermones Dei. Notandum autem, quòd septuaginta interpre-
tes hoc loco habent, Corpus aptasti vel perfecisti mihi. Iuxta quam lectionem etiam Paulus Aposto.
10. cap. Epistolæ ad Hebr. adducit hanc partem Psalmi in testimonium. Cuius lectionis expositionem

simul cum nostra atque Hebræa in Elucidatione pariter implicauimus, & quasi in vnam compegi- E
mus sententiam. ¶ Versu. 11. In capite libri scriptum est de me, &c. Hæc atque præcedentia in Elucidatione atque annotationibus principalibus suprà exposuimus in persona Christi, propter authoritatem beati Pauli Apostoli: qui in Epistola ad Hebræos, hæc vt vocem Christi in mundum ingredientis, adducit. Veruntamen iuxta Hebraicam lectionem, Pauli Apostoli authoritate secluſa, facile totam lectionem cuilibet iusto liceret accommodare, hoc modo, Tu domine non exigis à me victimas & oblationes corporales pro expiatione peccatorum, sed obedientiam requisisti, & obedire me fecisti voci tuæ: & ego meipsum obtuli promptum ad perficienda mandata tua, dicens, Ecce adsum. In volumine enim libri tui in scriptura sancta, aut in prædestinatione tua scriptum est super me: vel de me, hoc mihi iniungitur, hoc à me exigitur vt faciam voluntatem tuam, non autem vt victimas feriam, aut holocausta corporalia. Atque ita consequenter cætera omnia satis quadrant. Sed & Chal. parap. nihil omnino hoc loco de Messia videtur indicare. Neque iuxta hanc expositionem tantam facere oporteret difficultatem de commutatione modi loquendi, quantam indicauimus in argumento atque in annotationibus. Secundum tamen Apostolicam authoritatem, omnino cogimur, hanc scripturam Christi personæ accommodare, vt ex superioribus euidens est ac manifestum. Notandum quoque, quòd in Hebræo non habetur in capite libri, sed in volumine libri: quod facilius est accommodari cuilibet iusto quàm prior lectio quæ habet, In capite libri.

IN PSALMVM XL.

VErsu. 9. Verbum iniquum constituerunt aduersum me. Hieronymus, Verbum diaboli infundebant sibi. hoc est, proposuerunt in animo, & firmauerunt in proposito cordis sui consilia pessima, quorum diabolus in ipsis author extitit. ¶ Versu. 10. Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Hieronymus ex Hebræo vertit, Qui manducabat panem meum leuauit contra me plantam vel calcaneum, quomodo etiam apud Ioannem ex ore Saluatoris adducitur. Felix tamen & cæteri magis vertunt, iuxta modũ nostræ lectionis, Magnificauit super me supplantationẽ, vel magnificauit aduersum me calcem siue calcaneum. Est autem horum eade sententia, ludam proditorem fraudem magnam & dolum nimis insignem perpetrasse contra dominum suum, à quo nutriebatur, & nimis indigne illum optime meritũ conculcasse, atque velut pedis calcaneo protriuisse.

IN PSALMVM XLI.

VErsu. 1. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum. Felix, Quemadmodum ceruus vociferat super inundationibus aquarum, sic anima mea vociferat ad te Deus. Quod sic exponit, Sicut ceruus præ desiderio clamat ad vel propter inundationes atque torrentes aquarum, vt eos scilicet inueniat, & eis refocilletur: ita anima mea, ô Deus, præ desiderio ad te clamitat. Aliter vertit beatus Hieronymus, Sicut, areola præparata est ad irrigationes aquarum, sic anima mea præparata est ad te Deus. ¶ Versu. 8. Memor ero tui de terra Iordanis & Hermoniim, à mõte modico. Hunc versum quidam ita exponunt, Memor erò mirabilium, quæ tu fecisti circa Iordanem fluuium & in monte Hermoniim. Quod autem sequitur, A monte modico, beatus Hieronymus vertit, A monte minimo. Alij autem vocabulum Hebraicum tenent non versum, dicentes à monte Mizhar, quasi nomen sit proprium, non appellatiuum. ¶ Versu. 9. Abyssus abyssum inuocat. Clarius verti posset, Abyssus ad abyssum clamat, id est, alia aliam vocat, iuxta expositionem in Elucidatione & annotationibus latius expressam.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

PSalmus iste, primus est inter eos qui inscribuntur filiis Core. Nam plures ex psalmis hac inscriptione constat prænotari, de qua inscriptione sancti patres, maxime autem inter hos pater Augustinus, mysticas plures & pulchras ediderunt sententias, ex ipsa nominis Core interpretatione, quod caluitium vel caluariam sonat: vt spiritualiter illi intelligantur filij Core, qui filij sunt illius qui in caluariæ loco voluit crucifigi, illi videlicet qui Christo domino fide & charitate firmiter adhærentes, cuncta huius mundi despiciunt, & toto affectu ad cælestia anhelant: qui non nisi in caluaria, H
non nisi in cruce domini gloriari volunt, terrenam omnem consolationem, propter passionis dominicæ memoriam penitus respuentes. Et quidem facile hoc fuerit aduertere, attente considerantibus, quòd ferè Psalmi qui prædictam habent inscriptionem exprimant, vel magnum vitæ præsentis fastidium, vel ardens futuræ desiderium. Secundum literalem autem expositionem, dicere licebit, Psalmos quosdam filiis Core inscribi: quoniam ipsis canendi dabantur, & ad ipsorum spectabat officium, psalmos istos peculiariter (qui sic prænotati sunt) Domino in musicis instrumetis decantare.

IN PSALMVM XLII.

VErsu. 3. Ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Hieronymus per futurum vertit, Ipsa ducent me, & introducent in montem sanctum tuum & in tabernaculum tuum. De quo in prioribus annotationibus diximus. ¶ Versu. 4. Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. In Hebræo habetur, Ad Deum lætitiæ & exultationis meæ, id est, qui me facit gaudere, lætari, & exultare in spiritu meo.

IN PSALMVM XLIII.

VErsu. 6. Qui mandas salutes Iacob. In Hebræo per imperatiuum modum dicitur, Manda salutes Iacob: vel præcipe pro salutibus Iacob, vt vertit Hieronymus, hoc est, præcipe vt saluatio fiat populo tuo. Te enim iubente veniet salus. In versu autem sequenti, vbi nostra lectio habet, Ventilabimus

A tilabimus cornu: psalterium Romanum nõ habet cornu, neque etiam versio Hieronymi ex Hebræo, sed tantum, ventilabimus. Vocabulum tamen nagach, significat cornu petiit, vel cornibus percussit, aut offendit, aut insultauit, impegit, inuasit: significatque proprie impulsum & insultum animalium, qualem videlicet animalia cornibus faciunt. Vnde patet Hebraicæ vocis emphasim hac circunlocutione, ventilabimus cornu, non male neque infœliciter explicatam. In secũda autem parte pro spernemus, Hieronymus vertit, Conculcabimus: Felix, ad nihilum deducemus. ¶ Versu. 10. In Deo laudabimur tota die. Hieronymus ex Hebræo, In domino gaudebimus tota die. Vnde patet, quod supra psalmo 33. de verbo laudari diximus, verum esse nimirum laudari interdum pro gloriari, gaudere, & lætari accipiendum. Versu 11. Et non egredieris Deus in virtutibus nostris. Virtutes pro exercitibus accipi debent: quomodo & alibi, Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Vnde Hieronymus, Felix ac cæteri hoc loco vertunt, In exercitibus. ¶ Versu. 12. Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros. Hieronymus, Vertisti terga nostra hosti. Felix, Conuertisti nos retrorsum à tribulante: id est, fecisti nos fugere à facie inimicorum nostrorum: vel, fecisti nos posteriores inimicis nostris, quibus olim eramus priores. ¶ Versu. 13. Dedisti nos tanquam oues escarum. Hieronymus, Dedisti nos quasi gregem ad vorandum. Felix, Dedisti nos sicut oues in cibo, videlicet vt nos deuorent inimici nostri pro libito. ¶ Versu 19. Et iniquè non egimus in testamento tuo. Ex Hebræo, Non mentiti sumus, vel non falsi fuimus, vel non fecimus falsitatem in testamento siue pacto: hoc est (vt clarius habet nostra le-
B ctio) non egimus iniquè contra testamentum tuum. ¶ Versu. 21. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis. Hieronymus, Deiecisti nos in loco draconum. Felix, Contriuisti nos in loco draconis: hoc est, in loco captiuitatis, in medio infidelium & peruersorum idololatrarum, aliisque vitiis dedi- Apoc. 20.
torum in loco in quo regnat draco ille serpens antiquus diabolus. ¶ Versu vltimo, Redime nos propter nomen tuum. In Hebræo habetur, propter misericordiam tuam.

IN PSALMVM XLIIII.

VErsu. 1. Eructauit cor meum verbum bonum. In Hebræo ponitur verbum rachas, quod rectius quidem transferri non potuit, quam in verbum Eructauit. Attamen emphasim habet peculiarem quæ Latino verbo non satis exprimitur. Nam (vt Felix ait) proprie significat cordis locutionem cum nondum ad os peruenit, & quærit illam cor emittere, & circumuoluitur, & mouetur huc atque illuc, & volutatur quærens eam mittere ad os, & præ lætitia quandoque nequit: vt videntur facere vermiculi, cum auferitur operimentum eorum quo fuerunt operti, siue terra, siue aliud quodlibet in quo prius fuerant inclusi. Iuxta quam emphasim dicitur diuinus psaltes sese hoc verbum bonum diu animo volutasse, & gestiisse effari, antequam proferre posset, & penitus emittere in aures sponsi.
C ¶ Versu 3. Speciosus forma præ filiis hominum. Hieronymus, Decore pulchrior es filiis hominum. Speciosius forma vel maxima pulchritudine præ filiis Adam. Chald. paraph. habet, Pulchritudo tua, rex messia, superabundat à filiis hominum, vel maior est quam sit filiorum hominum. Quæ omnia sententiam nostræ lectionis tantum explanant. ¶ Versu eodem, Diffusa est gratia in labiis tuis. Præter sententiam in Elucidatione propositam, potest etiam hæc assignari: Gratia noui testamenti, Euãgelij pacis & doctrinæ veritatis est diffusa & data in labiis tuis, nimirum à Deo patre per spiritum sanctum, cuius benedictionem non ad mensuram accepisti. Siquidem ad euangelizandum Euangelium pacis missus est Christus dominus. Chal. translatio habet, Diffusus est vel datus est spiritus prophetiæ in labiis tuis. Quæ lectio non male ad iam dictam quadrat sententiam. ¶ Versu. 5. Specie tua Ioan. 3.
& pulchritudine tua intende, prospere, procede, & regna. Hieronymus, Gloria tua & decore tuo prospere ascende: hoc est, prospere procede, vel fœliciter progredere, in opere scilicet ad quod te mittet pater tuus. Chald. autem paraph. pulchre de Messia sic habet, Cinge ensem tuum super latus tuum, ô fortis, quo interficias reges & potestates splendore tuo & gloria tua. Gloria autem tua multiplicabit filios, sicque prosperabis, vt equites super thronos regios vel super equos regni, propter causam vel negocium fidei, & veritatis, & mansuetudinis, & iustitiæ: & docebit te Deus operari timenda vel terribilia manu dextera tua: vel docebit te dominus vt terrorem inferas cum manu dextera tua. Quæ
D valde dulcia sunt ad ruminandum pio erga Christum verum nostrum Messiam affectui, & ex Elucidationis verbis atq; annotationibus annexis, intellectu sunt facilia. ¶ Versu. 11. Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circundata varietate, Hieronymus, Stetit coniunx in dextera tua, in diademate aureo. Nam pro toto hoc, In vestitu deaurato, circundata varietate, non vertit nisi, in diademate aureo. Alij vertunt, cum massa auri ophir, vel cum insignibus aureis. ¶ Versu. 23. Ipse est dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Hieronymus habet per imperatiuum, Et adora eum. Vel per futurum verti potest, hoc modo, Et adorabis eum, tu scilicet quæ placere cupis sponso tuo.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

PSalmus hic titulum habet admodum singularem, In finem, pro iis qui commutabuntur filiis Core, ad intellectum, canticum pro dilecto. In quo titulo, Per eos qui commutabuntur, intelligi videntur populi gentium, qui ante Christi sponsi aduẽtum idololatriæ fuerant dediti, & prorsus vitiis omnibus miserè subiecti. Christi autem aduentu facti synceri cultores vnius Dei, omnibusque virtutibus studiosissime addicti, vt merito iam tum futura prophetico spiritu contemplans psalmista, illos diceret commutandos, quorum tam mirabilis futura erat ad veritate Christi conuersio. Pro his autem rectè psalmus præsens inscribitur, quoniam de eis sic commutandis potissimũ loquitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cant. 2.

spiritu, cum eos dicit sagittis transfigendos, subque sagittante casuros, item post regem vt virgines E
adducendos in templum, hisque similia. Cæterum, canticum dicitur pro dilecto: quoniam sponsi dilectissimi iucundo gaudio, gloriam triumphum amabilem decantat. Ex Hebræo autem vertunt alter titulum interpretes, pro iis qui commutabuntur, ponentes (lilia) titulum psalmo præfigentes, super lilia, vel pro liliis. Quæ tamen lilia, facili intelligētia commode possunt intelligi iidem ipsi fideles, qui iuxta vulgatam lectionem appellantur commutandi, propter candorem. I. spiritalis gratiæ, & virtutis interiorem ornatum, Vnde & in cantico canticorum de dilecto dicitur, quòd pascatur inter lilia. Alij autem vocabulum Hebraicum, quod hic ponitur sosannim, dicunt significare genus musici instrumenti, in quo psalmus cantari debebat. Alij pro septuaginta iudicibus spiritu plenis à Moyse ordinatis accipiunt: quos lilia appellat, propter candorem spiritualis gratiæ, & æquitatis iudicij Dei. Ac de his quidem manifestè interpretatur Chal. paraph. quæ habet in hunc modum, In laudem, pro sedentibus iudicibus ordinatis à Moyse, dicta spiritu prophetico per manum filiorum Core, intelligentia bona & laudatoria confessio. Secundum hanc autem intelligentiam arbitror ob hoc fieri in titulo horum iudicum mentionem, quoniam dicitur in fine psalmi, Pro patribus nati sunt filij constituendi principes super omnem terram. Nam septuaginta illi à Moyse ordinati iudices, typus erant & figura eorum qui post in ecclesia pro Christo & loco eius futuri erant vsque in consummationem F
sæculi iudices & doctores. Quemadmodum enim illi spiritus, qui in Moyse erat, consequuti participium, facti sunt in eius adiutorium in iudicando, dirigendo, & erudiēdo populum: ita sancti Apostoli, atque discipuli Domini, & post hos etiam hodie in ecclesia viri apostolici atque diuini, spiritum Iesu qui in cælos ascendit participantes, præsunt populo Dei, dicendo, dirigendo, erudiendo, iudicando. Atque hi sunt qui pro patribus illis primis iudicibus filij atque posteri ordinati sunt, ac principes constituti super vniuersam terram. Cæterum quod iuxta vulgatam lectionem in fine tituli dicitur, canticum pro dilecto, id ex Hebræo vertit Hieronymus, Canticum an antissimum: alij canticum amorum vel dilectionum: quoniā videlicet amabilissima & delicioſissima canit sponsi ac sponsæ, regis atque reginæ connubia, & castissimos dulci modulatione exprimit amores, quibus ad inuicem & sponso sponsa, & sponsæ sponsus, mirabiliter cohærent.

IN PSALMVM XLV.

VErsu. 1. Adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Hieronymus ex Hebræo, Auxilium in tribulationibus inuentus es validum. Felix eandem sententiam, Auxilium in tribulationibus inuentus est valde, vel inueniemus nimis. ¶ Versu. 4. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Hoc loco de conuersione gentium in Ecclesia loquens Chal. paraph. pulchrè sic habet, Populi velut flumina & scaturigines eorum, vel tanquam impetus eorum venient, & lætificabunt ciuitatem G
Dei, & orabunt in domo sanctitatis Dei, in tabernaculo altissimi. Ex qua lectione patet, præter expositiones suprà assignatas, posse per hunc impetum fluminis intelligi copiosum concursum populorum ex gentilitate ad Christianismum sese conuertentium, atque ad ecclesiæ vnitatem confugientium. ¶ Vers. 5. Adiuuabit eam Deus mane diluculo. Hieronymus, Auxiliabitur ipsi Deus in ipso ortu matutino: quod idem valet cum lectione nostra, mane diluculo. Felix in eandem sententiam vertit, In prospectu auroræ, vel iuxta prospectum matutinum. Psalterium autem Romanum hoc loco habet, Adiuuabit eam Deus vultu suo: quod videtur quidem secundum verborum faciem, diuersum esse ab eo quod habent Hebraicæ & vulgatæ lectiones, secundum rem tamen in idem facilè reducitur. Cum enim Deus opportuno tempore post noctem aduersitatis & tenebras tentationum, benigno consolationis fauore illuxerit, velut requiescere aliquantulum iubens afflictam ecclesiam, tum quasi mane diluculo, vel quasi in ortu matutino, siue in prospectu auroræ, adiuuat eandem. Neque dubium, quin tunc etiam rectè dicatur, idque secundum eandem penè sententiam suo vultu vel suo respectu Deus adiuuare ecclesiam sanctam ciuitatem suam. ¶ Versu 8. Quæ posuit prodigia super terram. Hieronymus, Venite, & videte opera domini, quantas posuerit solitudines in terra. Felix vertit, desolationes. Intelliguntur autem istæ desolationes euersiones idolorum, & idololatriæ destructiones: quando videlicet è populis gentium idolorum cultus profligatus est, & veri Dei cultus pro H
nequissima impitate introductus. Atque hæ ipsæ desolationes siue solitudines, rectè possunt accipi prodigia illa, ad quæ contemplanda nos propheticus spiritus adhortatur. Nam & Felix testatur verri posse mirabilia, pro desolationibus. Chald. translatio habet, Videte opera Dei, qui posuit desolationem in impios terræ: quod de contritione principum & potentum rectè intelligitur. ¶ Versu penultimo, Vacate, & videte. Hieronymus, Cessate, & cognoscite quoniam ego sum Deus. Felix, Sunt persedete, vel deponite, scilicet idololatriam, & cessate ab operibus malis, vel relaxate. Chald. paraph. habet, Discedite, vel cessate à bello, quo scilicet vos infideles contra Deum pugnatis.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

PSalmus iste ex tituli præmissione filiis Core inscribitur, pro arcanis, id est, pro occultis: quoniam videlicet de mysterio ecclesiæ, ciusque post grauissimas persecutiones liberationis mirabili consilio tractat. Valde enim occultum Dei consilium est, magnum est arcanum, quod sic potentissimus dominus in primordiis ecclesiæ nascentis, permiserit grauissimis eam tribulationibus obrui, & tamen opportuno tempore ita mirifice contritis hostibus, eandem in pace cōstituerit. In Hebræo autem habetur, pro arcanis dictio halamoth, quam beatus Hieronymus interpretatur iuuentutes, scribens psalmum, pro iuuentutibus. Quod rectè prædictæ sententiæ conuenit, quoniam de primordiis

A diis & initiis afflictæ nascentis ecclesiæ commemorat, eiusque iucunda & tempestiua liberatione. Felix vertit, pro occultis: quod lectioni vulgatæ suprà positæ consonat: vel, pro iuuētute, quod cum Hieronymo facit: vel pro iuuenculis siue virginibus: hoc est, pro fidelibus cordibus tenere Deum sponsum diligentibus, illique indiuulse adhærentibus, quibus ipse opportuno tempore liberationis suæ impendit beneficium. Alij halamoth, nomen asserunt esse musici instrumenti. Translatio autem Chal. titulum præsentem multis verbis protrahit, dicens, Ad laudandum per manus filiorum Core, per spiritum propheticum in die quando absconditus fuit pater eorum ab eis, & illi liberati sunt, & dixerunt canticum. Si mysticam intelligentiam vt oportet requiramus, omnino dulce mysterium inueniemus in hac absconsione patris Core, & filiorum eius liberatione. Filij nanque Core spirituales nos sumus fideles omnes qui in Christum Dominum in Caluariæ monte crucifixum, credimus, iuxta quod in expositione tituli Psalmi præcedentis latius declarauimus. Ipse enim Christus dominus, pater noster est Core. Hic autem pater noster in tempore tribulationis & angustiæ quasi absconditus est à nobis. Reputatur enim occultare sese, dum laborantibus filiis differt succurrere. Attamen opportuno tempore, mane diluculo, liberati, manifestante sese patre nostro & apparēte in adiutorium, tunc laudem hanc in gaudio cordis nostri, atque in gratitudine spiritus decantamus. Fuit etiam absconditus Christus pater noster, quādo in cruce passus, & in terræ visceribus est sepultus. Nos quo-
B que tunc liberati sumus de potestate diaboli, & canimus canticum gratiarum actionis.

IN PSALMVM XLVI.

VErsu. 4. Elegit nobis hæreditatem suam. Clarius iuxta sententiam Elucidationis habet Romanum psalterium, Elegit nos in hæreditatem sibi. Ex Hebræo autem vertunt, Elegit nobis hæreditatem nostram. Vbi si intelligatur verbum Dare, erit sensus, Elegit nobis, vel disposuit nobis, ex bona videlicet voluntate sua, dare hæreditatem nostram: sua bona voluntate elegit nos face- Rom. 8.
re hæredes suos, & filij sui cohæredes. Atque ad hanc sententiam satis accedit quod habet Chald. paraph. Elegit nos ad hæreditandum, vel vt hæreditaremus hæreditatem nostram. ¶ Versu vltimo, Dij fortes terræ, &c. Hieronymus, Dij scuta terræ vehementer eleuati sunt. Quod in nullo à nostra lectione discordat, nisi quòd pro fortibus scuta vertit: quanquam & hoc secundum rem idem est. Dicuntur enim scuta terræ sancti Apostoli, quoniam terræ protectores & fortes propugnatores sese exhibuerunt ad introducendam veritatem, & expellendam falsitatem.

IN PSALMVM XLVII.

VErsu. 2. Fundatur exultatione vniuersæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Hieronymus, Speciosō germine, gaudio vniuersæ terræ, monte Sion, lateribus Aquilonis,
C ciuitatula regis magni: hoc est, pulchra iocunditate, & magna amœnitate totius terræ, in monte Sion & lateribus Aquilonis, quæ sunt, vel ex quibus est ciuitas regis magni, iuxta intelligentiam in Elucidatione expositam. Felix vertit per nominatiuum, Formosa nympha, vel pulchra sponsa, pro specioso germine. Deus in domibus eius cognoscetur, cum susciperet eam. Vocabulum Hebraicum arehom, quod pro domibus hic ponitur, proprie significat palatia magna & munita. Vnde B. Hieronymus ac cæteri vertunt, In palatiis eius, quod rectè ad ecclesiarum dignitatem atque augustam maiestatem pertinet, quæ optimo iure palatia valent, propter illum qui in ipsis à Deo est, decorē & protectionem, nuncupari. Quod autem sequitur: Cum susciperet eam, B. Hier. vertit, in auxiliando. Deus enim in ecclesiis agnitus est, cum in die salutis misertus est populi sui, & cor apposuit, vt auxilium aduersus hostis tyrannidem præberet eis. ¶ Versu. 6. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Hieronymus interpretatur, In vento vredinis. Felix, Cum vento Noto, aut cū spiritu vehementi, vel australi: alij, cum vento Orientali. Chal. translatio habet, In vento Noto valido, qui egreditur à conspectu Dei. Omnia autem hæc rectè ad Spiritum sanctum possumus referre, qui ventus validus est, ventus vredinis: quoniam ignis consumens est atque etiam Orientalis, vtpote ab illo fluens & flans, cuius est Oriens nomen eius. ¶ Vers. 8. Suscepimus Deus misericordiam tuam. Hier. Aestimauimus
D Deus misericordiam tuam: id est, reputauimus, & magnificauimus, cum omni veneratione & cultu Hebr. 12.
honoris debiti suscepimus, in medio templi tui. Felix vertit, expectauimus. ¶ Versu. 11. Circundate Zacha. 6.
Sion, & complectimini eam. Hieronymus, Circundate Sion, & circuite eam: numerate turres eius. Atque in eundem modum vertit etiam Felix, Quæ lectio admonet nos decorem ciuitatis Ecclesiæ sanctæ diligenter considerare: quemadmodum solet ciuitas ab iis qui decorem eius contemplari volunt, circuiri, & numerari solent turres atque propugnacula eius. ¶ Versu vltimo, Ipse reget nos in sæcula. In Hebræo habetur halemur, quod vertit Hieronymus, In morte. Ipse (inquit) erit dux noster in morte. Sanctes, Ducet nos vsque ad mortem. Felix, Ipse diriget nos per iuuentutem, vel in iuuenis
li ætate, aut pedetentim, vt pueri diriguntur à matribus, vel iuxta mortem. Alij autem rectius versum putant à septuaginta interpretibus, in sæcula, vel æternaliter. Alij rursum vertunt, Deducet nos in suauitate, vel suauiter.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

HVic Psalmo in Hebræo præmittitur titulus, Canticum psalmi, vel canticum psalmus: hoc est, canticum quod est psalmus, quoniam videlicet in ipso mirabilis lætitia concinitur, vt meritò canticum psalmi potuerit inscribi. Cæterum, quod addunt Græci atque Latini codices, pro secunda sabbathi, id in Hebræo prorsus non inuenitur, neque aliud quicquam eius loco. Exponit

tamen

Universidad de Biblioteca

Genes.1. Psal.18.

tamen beatus Augustinus hanc secundam sabbathi, secundam diem post sabbathum, vel à sabba- E
tho, quæ est dies secunda inter dies distinctionis rerum. Siquidem prima sabbathi, id est, prima post sabbathum, quæ apud nos dies dominica dicitur, fiebat lux, & diuisa est à tenebris. Sequenti autem die, hoc est, secunda post sabbatum vel à sabbatho, factũ est firmamentum, quo diuisæ sunt aquæ ab aquis. Notum autem est per firmamentum interdum ecclesiam significari: potissimum autem ipsos ecclesiæ primates atque principes: quemadmodum psalmo 18. Opera manuum eius annunciat firmamentum. Quod ergo hic psalmus secundam sabbathi in vulgato titulo præfert, ad hunc intellectum secundum mysticam intelligentiam, conuenienter accipiendum videtur, quoniam de spirituali firmamento, id est, de ecclesiæ fundatione, atque etiam primoribus eius, manifestum sermonem facit. Potest etiam mysticæ ædificatio ecclesiæ ad secundam diem sabbathi referri comparatione facta ad priorem diem: quoniam sicut firmamentum factum est secunda die, postquam in prima facta fuerat lux, ita post Christi resurrectionem (quæ in prima post sabbatum die, id est, die dominica facta est) ædificata est ecclesia, atque ita quasi secunda die sabbathi, quia post primam diem sabbathi, id est, post dominicam resurrectionem.

IN PSALMVM XLVIII.

VErsu.1. Omnes qui habitatis orbem. Felix vertit, Omnes inhabitantes tempus, vel sæculum, in F
quo scilicet tempus consummatur & circumuoluitur. Ait enim significari vocabulo Hebraico, tempus breue citò deficiens. Alij vertunt, habitatores terræ vel orbis. Hieron. habitatores Occidentis. Vna omnium sententia est, admonere vniuersos vbicunque locorum, ab Oriente vsq; in Occidentem, quicunque temporis angustia constringuntur, & in tempore sunt ac degunt, attendere ad ea quæ sunt narranda, tanquam ad verè vtilia ex æquo vniuersis. ¶ Versu 2. Quique terrigenæ & filij hominum. Ex Hebræo ad verbum sic habetur, Etiam filij Adam, etiam filij Ish: id est, id est viri nobiles & præcipui. Hæc enim differẽtia est inter Adam & Ish, quód Adam significet hominem plebeium vnum aliquem è vulgo, Ish verò hominem patritium & nobilem, vt ait Ioannes Reuchlinius in rudimentis Hebraicis, vbi propositum psalmi locum recte sic putat vertendum, Tam filij plebei, quã filij patricij vel nobilis: id est, tam nobiles, quam ignobiles. ¶ Versu.12. Homo cùm in honore esset, non intellexit. Hier. Homo in honore non commorabitur, assimilatus est iumẽtis, & exæquatus est. Quibus verbis significatur, homines huius mundi nõ diu in honore & gloria permansuros, sed breui in cinerem & puluerem redigendos: sicque, quod ad corpus attinet iumentis necessario assimilari, & exæquari per huiusmodi corporis dissolutionem & incinerationem. Atque huic sententiæ satis fauet versio Felicis, quæ sic habet, Homo in magnificentia non dormiet, aut in honore non morabitur, siue non permanebit, similis factus est quadrupedibus vel iumentis, quæ exterminata fuerũt. Cæ- G
terum Chal. para. magis fauet sententiæ, quam in Elucidatione expressimus, de hominis per peccatũ abiectione, & vsque ad brutalem vilitatem deiectione. Sic enim habet, Homo peccator in honore nõ commorabitur cum iustis, assimilatus est bestiæ mutæ. ¶ Verl.15 Et auxilium eorũ veterascet in inferno à gloria eorum. Hier. Et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum: hoc est, postquam ex habitaculo suo emigrauerint, ex habitaculo corporis sui vel terrenæ mansionis, figura eorum in inferno consumetur, non vltra apparebunt in illa specie & pulchritudine, in qua hic mundus illos ostentabat conspiciendos. Felix sic reddidit, Fortitudinem eorum consumet fouea pro habitaculo suo: id est, infernus eorum robur & omnem gloriam consumet, pro eo quòd imperpetuum futura sit habitatio eorum. ¶ Versu.19. Quia anima eius in vita sua benedicetur. Beatus Hieronymus actiuo genere vertit, benedicet. Animæ suæ (inquit) in vita sua benedicet: hoc est, Benedicet. & placentia loquetur animæ suæ ad delicias illam inuitans, more stulti illius diuitis: Comede, bibe, epulare anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, & cætera quæ saluatoris parabola in
Lucæ. 16. Euangelio Lucæ commemorat. ¶ Versu eodem, Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Hieronymus, Laudabunt te, cum benefeceris tibi, quomodo vertit etiam Felix, Huius autem lectionis sententia ad hominem malum (de quo suprà mentio facta est) referri debet: vt dicatur impio, Laudabunt te adulatores tui, & beatum te prędicabunt homines sæculi cum tu tibiipsi benefeceris, cũ tibi huius mun- H
di bona curaueris, cum te feceris affluentem diuitiis, atque deliciis diffluentem.

IN PSALMVM XLIX.

VErsu. 2. Ex Sion species decoris eius. Hieronymus, De Sion, perfecto decore Deus appa-
ruit. Felix, Ex Sion perfectæ pulchritudinis Deus splendidè apparuit: quæ secundum nostram in Elucidatione interpretationem, facile est primo Christi in mundum aduentui accommodare. Tunc enim in perfecto decore apparuit, plenus gratia & veritate, & præ filiis hominum forma
Ioan. 1. Psal. 44. specios us. ¶ Versu.6. Qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Hieronymus, Qui feriunt pactum meum in sacrificio. Quod sic potest intelligi, Qui obseruant, vel custodiunt testamentum meum in sacrificiis suis: qui videlicet non satagere se putant, si corporalia mihi sacrificia offerãt, hircos & boues, verum insuper soliciti sunt ferire pactum meum, obseruare, & ratum facere, obseruancos & boues, verum insuper soliciti sunt ferire pactum meum, obseruare, & ratum facere, obseruandoque velut confirmare testamentum meum. Quod à lectione vulgata, iuxta datam expositionem, non omnino dissonat. ¶ Vers.11. Iumenta in montibus & boues. Hieronymus vertit, Pecudes in mõtibus milium. Felix, Quadrupedes in montibus mille. Significat multitudinem infinitam & vniuersitatem bestiarum in sua esse possessione, & suæ ditioni subiectam. ¶ Versu. 12. Pulchritudo agri mecum est. Hieronymus pro pulchritudine agri, vertit, Vniuersitatem agri: hoc est, quicquid in campo pulchrum est, & omne speciosum, in mea potestate est. Felix vertit, Feræ campi mecum sunt.

Dictio

A Dictio enim Hebraica hoc loco posita ziz, æquiuoca est, & à diuersis interpretibus Hebraici idiomatis peritis admodum diuersimode redditur. Quidam enim amœnitatem vertunt, alij pinguedinẽ, alij multitudinem, alij omnimodum, alij speciem vel speciositatem, alij vniuersitatem. Scribunt quoque Hebræorum Rabbini, hanc dictionem genus esse ad omnia animalia, fera & agrestia. Valde autẽ notum est quod hoc loco ex Chald. paraph. vertit Augustinus Genuensis, in hunc modum: Gallus syluester, cuius pedes quiescunt in terra, & cuius caput attingit cælum, cantat corã me. ¶ Verl.21. & 22. Hæc fecisti, & tacui: existimasti inique, quòd ero tui similis. Hieronymus, Hæc fecisti, & tacui: existimasti me futurum similem tui. Arguam te, & proponam te ante oculos tuos. Quod manifestius sententiam continet in Elucidatione expositam. Libet quoque adiungere, quæ pulchrè habet hoc loco paraphrasis Chald. in hunc modum, Has operationes malas operatus es. Ego verò expectaui conuersionem tuam: existimasti permansurum te in æternum pacificũ, dixisti in corde tuo, ero fortis sicut tu, arguam te in hoc mundo, & ordinabo gehennam in mundo futuro coram te. Quæ verba admodum fidelem habent sententiam, si modò illud recte intelligatur, quomodo in hoc mundo arguuntur impij iuxta illud videlicet quod in Euangelio dicitur, Qui non credit, iam iudicatus est: & quod Ioan.3.
Paulus ait, de iis qui proprio suo iudicio sunt condemnati. ¶ Versu vltimo, Sacrificium laudis honorificauit me: & illic iter, quo ostẽdam illi salutare Dei. Hieronymus, Qui immolat confessionem, Titum.3.
B glorificat me: & qui ordinat viam (hoc est, qui vitam suam & conuersionem rectè debitéque instituit & ducit, vel qui viam præceptorum Dei ante oculos suos constituit) ostendam ei salutare Dei. Similiter & Felix vertit, nisi quod in secunda parte dicit, Qui posuerit iter, ostẽdam ei, &c. quod eandem necesse est efficere sententiam. Dignum quoque notatu est quod in hoc loco habet Chald. paraph. de concupiscentiæ malæ refrenatione, hoc modo, Domanti fomitem prauum, veluti sacrificium laudis imputabitur ei: & honoranti me & obseruanti (scilicet ad declinandum) temitas prauas, ostẽdam ei salutem Dei, vel respicere faciam illum in redemptione Dei. Ex quo loco, simul & aliis aliquot, colligimus, authorem huius Chaldaicæ translationis, per sacrificium iustitiæ, in psalmis non nunquã intelligere mactationem propriæ carnis: id est, cõcupiscentiæ malæ domationem atque subiugationem. Sic enim in psalmo 4. loco eius quod habemus, Sacrificate sacrificium iustitiæ, eadem hæc paraphrasis de concupiscentia domanda manifeste loquitur, dicens, Domate concupiscẽtiam vestram, & reputabitur vobis sicut sacrificia iustitiæ, & sperare in Deo. Quæ consideratio admodum pietati & Christianæ doctrinę consona videtur, si rem ipsam profundius penitiusq; introspexerimus. Quid enim iustius, æquiusq; aut rationabilius, quid Deo mortificare & iugulare rectius poterimus, quam Matt.10.
id quod Deus maxime exigit vt mactetur atque perdatur: hoc est, carnem propriam, imo animam & 16.
propriam, quam odire, quam abnegare, quam perdere toties euangelica voce iubemur? Quomodo Lucæ.9.
C autem carnem perdemus, quomodo animam odiemus, nisi secundum prauam quæ in ipsa est vitiosa Marc.8.
origine insita concupiscentiam, & fomitem prauum semper ad maculas procliuem? Multò profecto Rom. 2.
iustius est sic nosipsos abnegando, & corpora nostra mortificando, concupiscentiamque domando, rationalem atque viuentem Deo offerre hostiam, quàm mutorum animantium & irrationabilium pecorum sanguinem fundere, quo non oblectatur Deus.

IN PSALMVM L.

VErsu.1. Sec. mag. miserie. tuam. In Hebræo tantum habetur, Secundum misericordiam tuam, sine adiectiuo magnam. Et in versu sequenti, plurali numero dicitur, Dele iniquitates meas, vel transgressiones meas. Pro verbo autẽ Miserere, in Hebræo habetur imperatiuus verbi Chanan, quod significat misertus est, vel per gratiam donauit, aut etiam gratificauit: siue gratiam fecit. Vnde hoc loco dici potest, Miserere mei: vel, Dona mihi per gratiam, peccatum: aut, Gratiã fac mihi. s. in peccati dimissione. ¶ Versu.4. Peccatum meum contra me est semper. B. Hieronymus, Nobisecũ vertit, contra me: alij verò, coram me, vel in conspectu meo, aut ex aduerso mihi. Et est eadem omniũ sententia, peccatum. s. ante oculos esse pœnitentis ad iugem displicentiam atque iustum pœnitẽtiæ do-
D lorem. ¶ Versu.5. Tibi soli peccaui. Pulchra emphasi hæc sententia in Hebraica lectione exprimitur, tanquam si dicamus per replicationem pronominis, Tibi soli peccaui, & illud malum in oculis tuis feci. Quod autem in secunda parte versus dicitur, Vt vincas cum iudicaris: id ex Hebræo verti potest, Vt purifices te, vel mundum ostendas, cum fueris iudicatus: quod idem est cum nostra lectione. Vincit enim Deus iniuste calumniantes & male ipsum iudicantes, quando per misericordiæ exhibitionẽ re ipsa monstrat & comprobat, non ita esse vt illi calumniantur, vt nequiter cõfingunt. Potest quoque ita ista secunda pars versus etiam sic verti: Vt tu iustifices te, vel iustificeris, cũ fueris locutus: & purifices te, vel mundum facias, cum iudicabis. Quæ lectio huiusmodi sensum habet, Coram te solo peccaui, & in tua potestate prorsus est dimittere peccatum meũ: propterea, tu cum loquutus fueris verbum gratiæ & remissionis, vt mihi dones veniam peccati, iustus eris, & mũdus apparebis, quoniã tibi licet hac in re agere pro tuo libito, cum tibi soli peccauerim: & tu mundus ac purus comprobaberis, cum iudicabis, de iniquitatis scilicet meæ remissione, vel cũ iudicaberis tanquam nimiũ seuerus & crudelis scelerum detentor, iuxta modum in Elucidatione expositum. Verti etiã potest, Propterea mundabis me, cũ loquutus fueris, & purificabis me, cũ iudicabis. Quod apertam habet intelligentiam: quia peccaui tibi soli, idcirco tu vel solo verbo me potes mundare iudicio tuo. ¶ Versu.6. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Hier. Ecce enim in iniquitate cõceptus sum, & in peccato peperit me mater mea. Felix, Ecce enim in iniquitate genitus

sum,

sum,& in peccato concepit me,vel fouit eeu calefecit me mater mea. Quæ versiones astipulantur iis quæ in principalibus annotationibus diximus de peccato originali præsentem versum intelligendũ, non de peccato actualis parentum libidinis. Simul etiam notandum, quod singularis numerus hic, non pluralis ponitur. ¶ Versu. 7. Ecce enim veritatem dilexisti, Hieronymus ferè nobiscum vertit, Ecce enim veritatem diligis, absconditum & arcanum sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Alij autem aliter vertunt, Ecce enim veritatem diligis, in intimis vel absconditis vel in renibus: hoc est, requiris veritatem non solum exterius secundum simulationem operis, sed in intimis etiam cordis: id est, intentionis & affectus rectitudinem, non solum operis bonitatem. Deinde adiungunt, Et in occulto notam facies mihi sapientiam, vel docebis me sapientiam. Nam vt suam sapientiam Deus homini notam faciat, cordis requiret munditiam & rectitudinem, sine qua nequit videri Deus. ¶ Versu. 8. Matt.5. Asperges me domine hyssopo. Pulchrè hoc loco habet Chal. paraphrasis, Infunde super me sicut sacerdos infundit super mundum aquam asperſionis, cum hyssopo & cineribus vaccæ, & mundus ero. Quæ lectio pulchrè consonat intelligentiæ, quam in Elucidatione exposuimus, simul & iis quæ in annotatione adiunximus. ¶ Versu. 9. Exultabunt ossa humiliata. Ex Hebræo, Exultabunt ossa quæ contriuisti, vel confregisti: id est, humiliari, confringi, & conteri per peccatum permisisti. ¶ Versu. 11. Et spiritum rectum innoua in visceribus meis. Hieronymus, Spiritum stabilem vertit. Nostra translatio tamen bene habet, rectum. Vtrunque enim Hebræa vox significat, & æquali sententiæ congruitate spiritus sanctus & rectus & stabilis dicitur, quoniam scilicet hominem rectum ac stabilem facit. ¶ Versu. 13. Spiritu principali confirma me. In Elucidatione atque annotationibus prioribus interpretati sumus spiritum sanctum, spiritum principalem, iuxta vulgatam literam: aut spiritum potentem, iuxta versionem Hieronymi: aut spiritum munificum vel liberalem, iuxta aliorum interpretationes: & quomodo hæc omnia huic sancto spiritui diuino conueniant, ibi monstrauimus. Posset nihilominus recte etiam de spiritu humano intelligi, vt postulet penitus, qui collapsus fuerat nimium turpiter, iam amodo in spiritu principali confirmari: hoc est, in spiritu potenti & valido, qui sufficit resistendis malis concupiscentiæ motibus, & prauis occasionibus peccatorum, vt non vltra succumbat passionibus, neque seducatur persuasionibus carnis, sed potenter & validè resistat tentamentis, & expugnari se non patiatur. Talem enim sic robustum spiritum, sic validum, sic Dei gratia stabilitatum in bono, apte potentem spiritum vel principalem vel regium, nominare poterimus. Videtur tamen alia expositio potior & principalior. Quidam pro, spiritu principali, dicunt, spiritum voluntarium, vel spiritum voluntatis, aut spiritum libertatis. Chal. parap. habet, spiritum propheticum. Et hæc facile ad prædicta possunt accommodari. ¶ Versu. 17. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique. In Hebræo obscurius habetur, Quoniam non diligis sacrificium, & dabo: hoc est, Si voluisses, dedissem, sed non concupiscis, non requiris. Quod clarius expressit versio Hieronymi, Non enim vis vt victimam feriam, nec holocaustum tibi placet.

IN PSALMVM LI.

VErsu. 1. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Ex Hebræo vertit aliter Hieronymus, ac cæteri interpretes. Quid gloriaris in malitia, potens misericordia Dei tota die? Cui consonat & Chal. parap. quæ sic habet, Quid laudaris lingua iniquitatis, qui potens es vt damnes sanguinem iustum? misericordia Dei adest tota die. Cuius lectionis sensus est, Tu qui in malitia potens es, qui ad perpetrandam iniquitatem potẽ tiam habes, quid gloriaris, quid te ipsum iactas, quid tibi places in malis, quæ committis? Cur non magis teipsum desles atque deploras tua facinora pessima? Ecce misericordia Dei semper & vbique præsens adest, nunquam deficit, nemini vllo tempore clauditur, quæ te etiam requirit & expectat, longanimiter differendo vindictam, vt benignitate inuitet ad pœnitentiam, aut certe contempta in maiorem te & intolerabilem abripiat punitionem. ¶ Versu. 4. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa pro verbis præcipitationis. Hieronymus vertit, Verba ad deuorandum. Felix, Verba depressionis. Eadem autem sunt, verba præcipitationis, & verba ad deuorandum, siue verba depressionis aut oppressionis, verba scilicet fraudulentiæ, quibus opprimuntur, præcipitãtur, deuorãtur, atque perdũtur pauperes & innoxij. ¶ Versu 7. Et prævaluit in vanitate sua. Felix, Corroboratus est, vel prævaluit in prauitate sua, vel in corruptela sua. Hier. Confortatus est in insidiis suis. Quibus lectionibus idem significatur, nimirum impios homines conquirere sibi fortitudinem per insidias atque malitiam suam, hisque mediis super iustum acquirere dominium. In quam sententiam facillime nostra quoque vulgata lectio vocabitur, si tantum per vanitatem intelligamus iniquitatem. In Elucidatione, diuitias & sæculi potentiam interpretati sumus: cui etiam consentit quod habet Chald. para. Fortis factus est in pecunia sua. ¶ Versu. 8. Ego autem sicut oliua fructifera. Alij vertunt oliuam viridem, alij virentem, alij frondosam, Nostra autem translatio pleniorem facit sententiam, eum dicit, fructiferam oliuam. Iusti nanque non solum non defluunt folia, sed & fructum facit in tempore suo: & omne quod fecit, prosperabitur.

Rom.2.

Psal. 1.

IN PSALMVM LII.

ANnotationes in psalmum hunc quinquagesimum secundum, require in Annotationibus psalmi decimitertij. Eosdem enim versus hic atque ille complectuntur, versu 7. excepto, qui est, Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Circa quem aduerte ex Hebræo variis modis illum transferri posse. Hieronymus vertit, Deus disperſit ossa circundantium te: confunderis, quoniã Deus proiecit eos, Cuius lectionis sensus est

A est (ad impium in potentia gloriantem sermonem dirigendo) Deus confringet potentiam & virtutẽ eorum in quibus habes fiduciam, qui te circũdant vt ministri tui, tãquam exercitus in circuitu ducis sui, in quibus cõfidis te omnia posse. horum ossa Deus cõfringet, horũ robur auferet: & tu cõfunderis, cũ te videris destitutũ auxilio eorũ, & nihil posse ab illis adiuuari, quoniã Deus percusit, & abiecit illos. Atque in hanc sententiam facilè reduci potest quod habet Chald: Paraph. Deus disperdet robur exercituum peccatorum: erubuerunt, quoniam verbum Dei abiecit eos. Sunt qui vertunt, Deus dissipauit ossa dedicationis, exponentes corpora luxui & libidini dedita: huiusmodi enim Deus dissipat, & in perditionem mittit æternam. Alij vertunt, Deus dissipauit ossa hostium tuorum, vel ossa castrametantium aduersum te. Atque ita ad virum iustum sermo dirigitur, cui promittitur inimicorum persequentium confusio.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

HVic Psalmo in vulgatis codicibus præponitur titulus, Pro amalech. Verum id mendose ita legi videtur. Rectius enim legendum, mahalath, quemadmodum habetur in Hebræo, atque etiam in Græcis codicibus μαελὲθ. Significat autem hęc dictio mahalath, vel instrumenti musici genus, in quo Psalmus iste decantandus erat, quomodo Hieronymus ex Hebræo vertit. Victori per chorum, vel hęreditatem, vt vertit Felix, Vincenti super hæreditatem, quoniam videlicet aduersum illos canitur, qui
B domini hęreditatem opprimunt & deuorant. Cui expositioni non male consonat titulus quem præmittit Psalmo Paraph. Chal. dicens, In laudem pro punitione impiorum, qui perturbant hæreditatẽ domini, vel qui blasphemant nomen domini intellectus bonus per manum Dauidis. Si tamen quis contenderet pro Amalech legendum, facilis esset intelligentia contra impios qui molestatores sunt populi Dei, cuiusmodi se Amalechitæ monstrauerant erga filios Israël: propter quod à domino etiã Exod.17. iusti sunt deleri.

IN PSALMVM LIII.

VErsu 5. Auerte mala inimicis meis. Hieronymus, Redde malum insidiatoribus meis, de quo in alijs annotationibus diximus. ¶ Versu vltimo, Et super inimicos meos despexit oculus meus. Hieronymus ex Hebræo, Et in inimicos vidit oculus meus. Felix exponit, Vidit oculus meus vltionẽ in inimicis meis, vel in inimicos meos. Cui consonat quod habet Chald. paraph. In patronis inimicitiæ meæ vidit oculus meus vltionem. In textu tamen nobiscum vertit Felix, In inimicos meos despexit oculus meus, hoc est, super illos contemptibiliter aspexit vel torue aspexit, quasi aduersando & contemnendo. Et reuertitur in idem sententia.

C

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

TItulus Psalmi 53. talis est, In finem in carnibus, intellectus Dauid, cùm venissent Ziphei, & nuntiassent Sauli, nónne ecce Dauid absconditus est apud nos? Ex quo titulo manifestum est, Psalmum cui præfixus legitur à Dauid sancto fuisse compositum, pro illa maxima angustia in quam Zipheis cõmonstrantibus, Saulis persequutione fuerat perductus: cùm ita à viris Saul in modum coronę circũcingerentur, vt desperaret vllo pacto se posse euadere. Historia nota est ex cap. 23. primi libri Regum. Pro hac ergo maxima & periculosissima persequutione, apparet hunc Psalmũ fuisse cõpositum à Dauid, vel post euasionem periculi, præteritum quasi præsens in spiritu contemplante, & eoipso ardore salutem postulante, quo in periculo adhuc positus postulauerat, vel etiam in persecutione 1.Reg.23. liberationem futuram prænoscente ex Dei fiducia. Nam principiũ Psalmi periculum sonat, finis verò euasionem manifestè pronuntiat. Potest nihilominus & Christo domino peculiariter accommodari aduersum persequutores suos, & generaliter iusto cuilibet in tribulatione posito, aut de tribulatione Dei auxilio liberato.

IN PSALMVM LIIII.

D VErsu 12. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi. In Hebræo sic habetur, Non enim inimicus meus exprobrauit mihi, vt sustineã. Neque is qui me oderat, super me magnificatus est, vt abscondar ab illo. Quæ lectio eandem habet cũ nostra sententiã. Clarior autem est nostra lectio quoniam secundum cõmunem in huiusmodi re loquendi consuetudinẽ aptata est. ¶ Versu 19. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus. Hieronymus per omnia nobiscũ vertit ex Hebræo. Felix verò aliter vertit in hunc modum, Tu autem vir secũdum ordinem meum: id est, iuxta dignitatem meam: id est habitus in honore vt ego: pro quo translatio Chal. dicit, Homo similis mihi: id est, par vel similis in dignitate. Potest etiam illud, homo secundum ordinem meum intelligi, homo eiusdem instituti & ordinis, homo consentaneus & eiusdem animi: sicque idem erit quod nostra habet lectio vnanimis. Pro duce autem, aliqui doctorem vertunt vel præceptorem. Vnde Chaldaica translatio habet, qui me docuisti, & intelligere feciſti sapientiam. Sensus penè idem est, siue ducem siue doctorem dicamus: quem ego tanti æstimaui vt quasi ducem, consiliarium, ac præceptorem meum venerarer. ¶ Versu 15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos. Secus habetur in Hebræo, Qui simul habuimus dulce secretum, vt vertit Hieronymus, hoc est, dulce erat nobis secreta adinuicem communicare. Felix vertit, Qui simul dulce inibamus vel eliciebamus consilium. Et in eandem redit sententia. Significat enim singularem quandam familiaritatem, quam cum illo habuerat qui nunc inimicitias ostendit. Pro eo autem quod sequitur, In domo Dei ambulauimus, cum consensu, Hieronymus vertit cum terrore: alij cæteruatim: id est, cum magna frequentia & multitudine populi, & cum multo strepitu,

quemadmodo solent magnates incedere locis publicis, stipati magna multitudine ministrorum aut militum, maxime vbi magnates plures sibi inuicem fuerint sociati. Atque hi sunt dum sic in multitudine & turba ambulant, quasi cum terrore potentiæ suæ incedunt. ¶Versu 21. Exaudiet Deus & humiliabit illos, qui est ante sæcula. In Hebræo habetur, qui habitat ab initio, subaudiendo cælos. Vnde Chal. Paraph. habet. Habitator cælorum ab initio, vel qui præsidet cælis ab initio, tanquam videlicet dominus & iudex: propter quem sensum explicandum, Beatus Hieronymus vertit, Qui est iudex ab initio. ¶Versu 22. Extendit manum suam in retribuendo, Hebraica lectio etiam hanc partem ad impium refert, dicens: Extendit manum suam ad pacificos suos, vel misit manum suam in viros pacis suæ. Significat autem hęc lectio, impios etiam contra amicos & homines secum pacem habentes manum ad nocendum extendere. ¶Versu 23. Contaminauerunt testamentũ eius, diuisi sunt ab ira vultus eius. Hieronymus, Contaminabit pactum suum nitidus butyro os eius, appropinquat autem cor illius. Cuius lectionis sensus est, Impius pactum & fœdus suum commaculat, dum ipsum facit transgressione irritum: verba oris eius mollia, lenia & dulcia fuerunt quasi butyrum in ore, cor autem eius ad nocendum appropinquat, & bellum cogitat. Vnde alij vertere malunt, Bellum autem cor eius: vel, Pugnat autem cor illius. Interim enim dum os fauorem simulat, cor cogitat bellũ: id est, meditatur malum. In eandem quoque sententiam vertit Chald. translatio, Molliora quã pinguedo casei verba oris eius. ¶Versu 25. Iacta super dominum curam tuam. Hieronymus pro cura transfert charitate, Proiice super dominum (inquit) charitatem tuam. Verum Hieronymianæ versioni non assentitur Ioannes Reuchlinius, dicens potius legendum onus siue pondus, quemadmodum Felix ac cæteri ex Hebræo interpretes verterunt. Vel secũdum alios Hebræos traditum siue datum tuum, omne videlicet quod dederit tibi Deus vsque in præsentem diem. Sicq; sensus erit, Proijce in dominum omne datum tuũ, & illi ascribe, illique refer acceptum omne quod datum est tibi desuper, omne quod accepisti vsque in hanc diem. Prior tamen lectio melior videtur, Iacta super dominum pondus tuum vel onus tuum. Neque dissonat hæc lectio multum à vulgata, quoniam cura nostra pondus nostrum est & onus. Monet autẽ in hoc versu Psalmista illud nos facere, ad quos Christus dominus ore proprio, cùm in carne nobiscum degeret, cunctos inuitauit, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Quorsum enim vocat laborantes sub pondere, nisi ad hoc vt onus super ipsum proijciant, sicque refocillationem inueniant, & leuius ferant?

Matth.11.

IN PSALMVM LV.

VErsu 3. Ab altitudine diei timebo? ego verò in te sperabo. Non sic habetur in Hebræo, Diuersimode tamen vertunt interpretes. Hieronymi versio sic habet. Altissime, quacunq; die territus fuero, ego in te cõfidam. Cui consentit quod habet Chal. Parap. Deus altissime cuius sedes est in excelso, in die qua timuero, ego in te confidam. Alij verò initium huius versus cũ fine præcedentis iungunt & longe aliam faciunt sententiam, hoc pacto, Multi bellãtes aduersum me excelse, vt dictio excelse sit vel nomen vocatiui casus, ô excelse, ô altissime, vel aduerbium valens idem quod superbe aut arroganter, aut etiam de excelso vel desuper, vt fortiores & superiores potentia. Deinde legunt diuisim, Die qua timebo, ego in te sperabo. ¶Versu 4. In Deo laudabo sermones meos. In Hebræo non habetur pronomen meos, neque numerus pluralis: sed tantum, In Deo laudabo verbum eius. Quę lectio aliam exposcere videtur expositionẽ, ab ea quam in Elucidatione dedimus lectioni vulgatę. Poterit autem sic intelligi, Laudabo verbum Dei in Deo, id est, per Deum, & ex virtute Dei me confortantis, ego prædicabo & honorabo verbum Dei, quod impij conculcant, opprimunt & inhonorant. Alij sic, Verbum eius, scilicet Dei, laudabo in Deo, id est, cum laude memorabor & recogitabo, vt verbum Dei ad consolandum & corroborandum spiritum. Felix verò putat verbum accipi pro re. Vnde dicit sic verti posse, In Deo laudabo rem suam, id est, omne quod fecerit Deus, ego in ipso laudabo: & versu. 11. In Deo laudabo verbo, id est rem siue omne quod acciderit, vt ipse interpretatur. ¶Versu 5. Tota die verba mea execrabantur. Hieronymus, Tota die sermonibus me affligebant. Felix tamen nobiscum vertit, Tota die verba mea execrabantur. Alij molestè vel ægreferebant, quoniã videlicet impij mendaces, verba veritatis (cuiusmodi iustus loquitur) æquo animo nequeunt ferre. ¶Versu 7. Pro nihilo saluos facies illos. Hieronymus, Quia nullus est saluus in eis. Quod in eandem sententiam coincidit cum nostra lectione, quam in Elucidatione expressimus. Felix vertit, Propter iniquitatem liberatio illis: quod exponit, pro iniquitate liberabuntur. Videturque ad existimationẽ impiorum esse referendum, qui sperant per suam iniquitatem se posse effugere. Poterit & secũdum ironiam, satis commodam hæc lectio habere intelligentiam. ¶Versu 8. Deus vitam meam annunciaui tibi, Hieronymus, Secretiora mea dinumerasti, hoc est, mea omnia secretissima & occulta optime nosti. Quod autem sequitur, Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissione tua, ita vertunt ex Hebræo, Pone lachrymas meas in vtre tuo, vbique & in numero tuo, vel in libro tuo, vel in rationibus tuis. Petit enim fletum suum reponi in memoria Dei, vt pro eo consolationẽm accipiat in tempore opportuno, iuxta illud, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. ¶Versu 11. In Deo laudabo verbum, in domino laudabo sermonem. Chald. paraph. priorem partem videtur referre ad laudes iustitiæ Dei, posteriorem ad laudes misericordiæ. Sic enim habet, In proprietate iudicij Dei, laudabo in verbo eius, in proprietate misericordiæ Dei, laudabo in verbo eius. Nihil tamen opus est hæc ita diuisim exponere, sed accipi potest hęc replicatio ad expositionem vehementiæ.

Matth.5.

DE

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

HIc Psalmus, iuxta Græcam atque Latinã inscriptionem talem habet titulum, In finem pro populo qui à sanctis longè factus est, Dauid, in tituli inscriptione, cùm tenuerunt eum allophyli in Geth. In Hebræo autem secus habetur, Victori super columbam mutam, vel pro columba muta, eò quod procul abierit Dauid humilis & simplex, cùm tenuerunt eum allophyli in Geth. Ex quibus titulis apparet, hunc Psalmum à Dauid fuisse compositum, post insaniam illam simulatam coram rege Achis & euasionem ipsius: quando videlicet coactus fuit propter rabiem persecutionis Saulis & cõplicum eius fugere extra hæreditatem domini, terram Israel, & tanquam columba muta morari in solitudine atque in desertis & latibulis petrisque & speluncis latitare, in modum colũbæ mutæ. Composuit autem hunc Psalmum non contra Philisthæos de Geth, quanquam illi per occasionem in titulo memorantur qui illum absque nocumento dimiserunt: sed contra illos potius de populo Israël, id est, Saulem & complices eius, per quos in tãtam angustiam adigebatur, vt apud alienigenas & idololatras cogeretur saluandæ sibi vitæ gratia confugere, ac ne ibi quidem commoda requie inuenta in modum columbæ petere solitudinem. Qui etiam rectè intelligi possunt populus ille, qui à sanctis lõge factus est, de quo in titulo vulgatæ lectionis fit mentio. Siquidem in hac innocentis sæuissima persecutione nimium longe facti sunt à sanctis & iustis Saul ac complices eius: dum viri sanguinum, sua voluntate, & impij homicidæ fieri voluerunt. Nonnulli verò hæc omnia quæ de Dauid, deque Philisthæis dicuntur secundum mysticas intelligentias declarant, quas apud alios promptum erit inuenire. Nos, prolixitatis vitandę gratia, simul & quia non vsque adeò multum fructus in his repositum iudicamus, ea huic loco inserere noluimus.

IN PSALMVM LVI.

VErsu 3. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. Hieronymus vertit, Deum vltorem meum. Felix, Ad Deum retribuentẽ super me, vel ad Deum qui perfecit super me, quod scilicet promisit. Vel ad Deum qui fecit mihi consummationem, id est, perfectè impleuit omnia bona quę pollicitus fuerat. Secundum quam expositionem prædicta lectio satis cum nostra vulgata concordat. Valde autem nouum videtur, quod hoc loco habet Chal. parap. Ad Deum qui præcepit aranęæ, vt perficeret in ore speluncæ telam in defensionem meam. Quod prima quidem facie videtur ridiculum aliquid sonare. Si tamen ad titulum Psalmi respiciamus (qui indicat ipsum decantatum pro liberatione de manu Saulis in spelunca, in qua absconditus oram chlamydis, per quam eum ad lachrymas emolliuit, atque à se absque nocumento fecit abscedere) videtur hoc indicari quod nulla vi aut violentia armorum Saul ita in manus Dauidis traditus fuerit in spelunca, sed quòd ita Dei solius permissione in eam intrauerit, propria voluntate, purgandi ventris causa, quemadmodum in telam aranęæ per sese animalcula inuolitant, atque sese ipsa inuoluunt in eis. ¶Versu 5. Eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus: quod de hostium feritate facilem habet intelligentiam. Alij autem vertunt, In medio inflammantium vel carbonum ardentium. ¶Versu 11. Exurge gloria mea. Hanc gloriam aliqui interpretantur carmen vel Psalmum iucundum, Alij linguam intelligunt, vt inuitetur primum lingua ad canendum, ac deinde instrumenta musica inanimata. In Elucidatione autem aliam dedimus intelligentiam.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

TItulus Psalmi, iuxta vulgatam lectionem Græcorum pariter atque Latinorum, talis est, In finem ne disperdas, Dauid in tituli inscriptione, cùm fugeret à facie Saul in spelunca. Pro cuius tituli intellectu reuocanda est in memoriam historia quę describitur primi libri Regũ cap. 24. quomodo videlicet Saul casu ingrediens in speluncã, in cuius interiore parte latitabat Dauid cum sexcentis viris, ita traditus fuerit in manus Dauid, vt minimo negotio & nullo periculo eum potuisset occidere, nisi sua maxima bonitate Christo domino maluisset parcere, quã leonino hosti vicem rependere. Nã & chlamydis orã latenter Sauli præscidit, neque quicquã tamen nocuit, etiamsi ad id serui plurimum adhortarentur. Egresso autem Saule de spelunca, clamauit post tergũ eius, voce flebili suã protestans coram iudice Deo innocentiã, simul & abscissam chlamydis oram, quã manu tenebat in cordis synceritatisque validum testimonium, ostentans quibus rebus etiã lachrymas excusserit hosti pertinacissimo, eundemq; à persecutione in propria compulit redire. Post hanc ergo tã victoriosissimã summę pietatis & fidelitatis liberationem, Psalmum istum plenum gaudio & cordis iubilo Dauid videtur cecinisse, in cõmemorationem tam admirabilis à Deo sibi præstiti beneficij. Quod autẽ in hoc Psalmo atq; alijs quibusdam præposuit pro tituli inscriptione, Ne disperdas, feciſſe videtur, ad postulandum (huius misericordiæ & fidelitatis, quam Sauli monstrauit, intuitu) vt quemadmodum ipse interficere noluit hostem, ne traditum quidem in manus suas, ita nec ipsum Deus pateretur hostili manu interfici: vt quomodo ipse misericorditer pepercerat hosti, & à cæde manum cohibuerat: sic & ipsi parceret iustus dominus, & de manu hostium saluũ custodiret. Nomẽ autẽ Dauid, quod in titulo sequitur post, Ne disperdas, casu datiuo accipiendũ videtur, ad hunc sensum. Ipsi Dauid in inscriptione tituli, id quod in Græco sermone euidentius monstrat articulus casus datiui. Chal. Para. sic habet, In finem pro molestia, tempore quo dixit Dauid, Nõ me disperdas per manum Dauidis humilis & simplicis, dum fugeret à facie Saulis in speluncam. Quod satis testatur illud, Ne disperdas, ad personam Dauidis debere referri. Alij suspicantur ideo præpositum in titulo, Ne disperdas: quoniam cùm serui Dauid se offerrent ad interficiendum Saulem in spelũca, dixisset Dauid, Ne disperdas, scilicet Saulem vel

1.Reg.24.

EE ij Chri-

Christum domini. Latini autem interpretes, secundum mysticas intelligentias hęc omnia malunt ad E
Christum accommodare, quas in aliorum libris promptum erit inuenire requirentibus.

IN PSALMVM LVII.

VErsu 1. Si verè vtique iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum. Hieronymi versio, quã-tum ad hunc versiculum nihil à nostra lectione variat. Potest tamen ex Hebræo etiã hęc accipi lectio, Nũ verè, ô cõsilium, vel ô congregatio, quod iustum est loquimini? recta iudicatis filijs homi-num? aut recta iudicatis mortalibus? vt intelligatur responsio negatiua, ac deinde subnectatur vos po tius iniquitatem operamini, &c. Secundum hanc autem lectionem, rectè hic sermo ad consessum iu-dicũ impiorum vel cõgregationem consilij iniqui proferretur, vtpote contra impiũ illud Pharisæo-rum consiliũ, à quo dominus innocẽs turpiter condẽnatus est, vel cõtra consiliarios & assessores Sau-lis, qui contra iustum agnũ Dauid cũ lupo Saule vlulantes, loquebãtur iniustitiã & iniquitatẽ. ¶Ver-su 7. Intendit arcum suũ donec infirmetur. Id ita nobiscum vertit Hieronymus, nisi quod pro infir-mentur, clarius ad nostram expositionẽ habet conterantur. Consentit etiã cum nostra ac Hieronymi lectione, quod habet Chald. paraph. Tetendit in eo sagittas mortiferas, & ipsi abscindentur vel cõte-rentur. Felix tamen aliter vertit, Dirigent sagittas suas, acsi confringerentur: vel sic, Intẽdant sagittas suas, acsi incenderentur: hoc est (vt ipse exponit) nullum damnum faciant, sed itinere frangãtur. Quod
clarius sic posset exprimi, Habeant se, vt cui tenso arcu sagittæ dissiliunt, aut diffringuntur, ac incen- F
duntur. Et secundum hanc lectionem manifestum est postulari hoc versu prohibitionem & destru-ctionem potestatis impiorum. ¶Versu 8. Sicut cera quæ fluit auferentur. Hieronymus, Sicut vermis tabefactus pertranseant. Alij, Sicut limax tabefactus aut liquescens pereant aut diffluant. Quę secun-dum rem idem cũ nostra lectione volunt. Secunda autem pars huius versus. Super cecidit ignis & nõ viderunt solem, omnino videtur in Hebræo aliam habere sententiam. Sic enim vertit Hieronymus, Quasi abortiuũ mulieris, quod non vidit solẽ. Felix, Velut abortiuam, velut talpa, quæ non viderunt solem Quo sermone significatur, impios perdẽdos esse subito, quasi nunquã fuerint, quẽadmodum abortiuum quod in vtero matris corrũpitur & tabescit, prius quàm fuerit eductũ in lucẽ. ¶Versu 9. Priusquã intelligerent spinę vestrę rhamnum. Hoc loco Psalteriũ Romanum velut contrario modo habet ad lectionem nostri Gallicani. Sic enim habet, Prius quam producat spinas vester rhamnus. Prouenit autem hęc diuersitas ex ambiguitate Grecæ lectionis, quę propter duos accusatiuos simul positos, est anceps ad vtranque prædictarum versionũ. Sic enim Græcè legitur πρὸ τῦ συνιέναι τὰς ἀκαν-θας ὑμῶν τὴν ῥάμνον, quod ad verbum Greco more loquẽdi sic verti potest, Ante intelligere spinas ve-stras rhamnũ. vbi si accusatiuus spinas accipiatur vt suppositus infinitiuo intelligere, rhamnũ autẽ vt accusatiuus à posteriori parte ex vi transitionis rectus, habetur sensus nostrę lectionis priusquam spi-nę vestrę intelligant rhamnũ. Si verò cõtrario modo accipiatur constructio, & pronomen ad rham- G
num iungatur, habetur altera, Prius quàm spinas intelligat vester rhamnus, vel potius vestra rhãnus. Beatus Hieronymus nostrę lectionis Gallicanæ magis accedit, imò eam illucidat, ita vertens ex He-bræo. Antequam crescant spinæ vestrę in rhamnum, quomodo habet nullo variato etiã Felicis ver-sio. Potest nihilominus etiam Romanę lectionis dari intelligentia, eadem ferè quę lectionis alterius, antequam vestra rhamnus producat spinas, id est, antequam malitia vestra possit fieri cõsummata ad nocendum iuxta vestrum desiderium, antequam ad perfectum nocendi statum posśitis peruenire, an-tequam spinas vestra dura iniquitas possit acquirere ad pungendum, ad nocendum pro voto, Deus vos in ira subito absorbebit, quasi viuentes. Nonnulli verò versum prędictum aliter exponunt de pœ na intolerabili & durissima gehennę, sed probatiorum interpretum expositiones nobiscum faciunt, similiter & Chald. Paraph. quę sic habet, Prius quàm impij teneri durescant, sicut spinæ, donec sunt sicut herba (id est parum adhuc potentes) tempestate & turbine destruet eos.

IN PSALMVM LVIII.

VErsu 3. & 4. Irruerunt in me fortes. Neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum domine, sine ini-quitate cucurri & direxi. Hieronymus, Congregati sunt aduersum me fortissimi, absq; iniqui-tate mea, & absq; peccato meo, domine. Non egi iniquè, & illi currunt & pręparantur. Qua lectione satis per se manifesta, protestatur is qui psalmum profert suã innocẽtiam, quod nulla scilicet iniqui- H
tate hoc apud aduersarios meruerit, vt persecutionem illi excitarent. ¶Versu 5. Exurge in occursum meum, & vide. Clarius eandem sententiam habet Hieronymus, Surge exaduerso pro me, & respice. ¶Versu 8. Ecce loquẽtur in ore suo, & gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit? Ad perficien-dam sententiam videtur aliquid subintelligendum, ad vltimam particulam, hoc modo, Quoniam (di-cent) quis audiuit, vel quis audiet? Vnde Chald. translatio habet, Ecce loquentur ore suo verba acuta sicut gladius: labijs suis dicẽt, fortificabimur: quoniã quis ille qui audiet & puniet? Beatus verò Hie-ronymus modicum abscedẽs à litera, loco illius, quoniam quis audiuit, clarius vertit, quasi nemo au-diat. ¶Versu 11. & 12. Ne occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei. Disperge illos, &c. Ista nonnulli sic intelligunt: Non subito mox interficias inimicos meos, nequando populus meus ob-liuiscatur, huius scilicet vltionis, ne statim huius vindictæ memoria populo excidat, si subito fiat: sed tamen disperge, & vagos fac eos ac profugos, & ita lento ac longo supplicio eos afflige, vt Dei iustitiam in sese multis sæculis ostentent, & admoneatur populus Dei vltionis impiorum. Qui in-tellectus, in Iudæis incredulis rectè admodum completus agnoscitur, qui etiam hodie in sua mise-ra captiuitate per orbem dispersi, Diuinæ iustitiæ nobis in sese contuendam seueritatem repræsen-tant. Secundum expositionem autem, quam in Elucidatione dedimus, verbum obliuiscantur satis impropriè videtur accipiendum, pro veniant in obliuionem, vel obliuioſè aut negligenter agant.

¶Versu

A ¶Versu 14. Et de execratione & mendacio annunciabuntur in consummatione, & non erunt. Hie-ronymus, Maledictionem & mendacium narrantes consume, in furore consume, vt non subsistant. Quæ lectio per se claram habet intelligentiam. Alij verò illud, de execratione & mendacio, ad finem versus pręcedentis adiungunt, hoc modo, Comprehendantur vel capiantur in superbia sua, & de exe-cratione & mendacio narrabunt, hoc est, quicquid loquentur non nisi abominatio aut mendacium erit. Ac deinde subiungunt: Consume furore, vt non sint.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

TItulus Psalmi est, In finẽ, Ne disperdas, Dauid, in tituli inscriptione, quando misit Saul & custo-diuit domum eius, vt interficeret eum. Historia notissima est, prolixa narratione 1. lib. Regũ de- 1.Reg.19.
scripta. Indicat autẽ pręmissus hic titulus, pro maxima illa angustia in qua tunc erat, siue potius pro liberatione ab ea, Dauidem cõposuisse Psalmum, aduersus tam crudelium inimicorũ rabiem. Secun-dum mysticam verò intelligentiam, licebit non incommode per hanc domus Dauidis custodiã acci-pere obsidionem sepulchri, qua cupiebant Iudæi opprimere gloriã nominis Christi, ne videlicet glo ria nominis Christi vllo pacto per discipulorum mendacium (vt ipsi Pharisæi Pilato dicebant) posset pro nouerí. Valde autem conueniet hæc mystica intelligentia, si (vt annotationibus principalibus ad-
B monuimus) in persona Christi Iudæorum punitionem prædecentis, Psalmus exponatur.

IN PSALMVM LIX.

VErsu 3. Potasti nos vino compunctionis. In Hebræo pro compunctione est vocabulum deriua-tum à raal, quod varijs modis redditur. Reuchlinius dicit proprietatem significationis vocis hu-ius esse fremere seu tremere: atq; ita verteretur, vino fremitus vel tremoris, quod idem est cum vino Matt.27.
cõpunctionis, iuxta expositionem à nobis assignatã. Beatus Hieronymus ex Hebręo vertit, vino con-sopiente, id est vino soporis, quod scilicet soporem inducit, id est, grauitatem, & quod obnubilat iu-dicium animi: quemadmodum facere solet excedens tristitia. Felix vertit, vinum anxificum, vel mœ-stitię & anxietatis. ¶Versu 4. Dedisti metuentibus te significationem. Beatus Hieronymus omnino nobiscũ vertit, nisi quòd pro significatione ponit signum. Alij autem pro signo vexillum vertunt, lon-ge alia sententia quam suprà expressissimus. Sic enim legunt, Sustulisti vel leuasti timentibus te vexillũ vt vincant vel exaltentur vel superent propter veritatem. Qua lectione significatur, Deum populo quõdam affricto iã animum reddidisse, & certũ victoriæ indicium præstitisse, propter veritatem pro-missionis suæ. Felix dicit etiã sic posse verti, Dedisti populo tuo in tentationem, vt tentarentur, vel vt significarentur à facie veritatis. ¶Versu 8. Iuda rex meus. Dictio quæ in Hebræo pro rege ponitur,
C descendit à verbo chalkad, quod significat decreuit, præcepit, statuit, tulit leges. Vnde nomen illud deriuatum significat eum cuius est pręcipere, discernere, & legem ferre, vertiturque interdum prin-ceps aut dux, interdum legifer aut pręceptor, maxime in canonibus. Vnde beatus Hieronymus ex He bræo vertit, Iudas legifer meus, quod forte exponi posset de cõsiliarijs & sapientibus pręcipuis, quos Dauid à Iuda habebat, cui primum præfuerat. Cui vtcunque consonat quod habet Chal. Paraph. A domo autem Iudæ, scribę domus doctrinę meę. Alij verò iuxta modum nostræ lectionis vertunt re-gem vel ducem vel principẽ, iuxta sententiam suprà in Elucidatione expositam. ¶Versu eodẽ, Moab olla spei meę. Hieronymus, Moab olla lauacri mei. Felix, Olla ablutionis meæ: quod ita potest intel-ligi, Moab ita mihi subiecta est, tanquã olla seu lebes in qua lauẽ pedes meos aut manus, vt vtar sci-licet ea quomodocunq; mihi libuerit. Vel ideo olla lauacri dicitur, quoniã tam abundãter Moabita-rum sanguinem fuderit ad plenã subiectionẽ, vt quasi pedes suos lauerit in eorũ sanguine. Cui exposi-tioni non dissonat, quod habet Paraph. Chal. Dum conculcarẽtur Moabitę, fœdati sunt pedes mei in sanguine procerum eius, sicut in olla lotionis. ¶Versu 9. In Idumęam extendã calciamentum meum. Hieronymus, Super Idumæam incedam calciamento meo, mihi Palæstina fœderata est. Quæ lectio eum nostra vulgata consentit. Verti etiã potest, In Idumæam proijciam calciamentum meum. Quod etiã vtilitatem subiectionis designat, vt prius olla lauacri. Chal. transla. habet, Super collum occipitij
D proceres Idumęorum conculcauerunt calcei mei. ¶Versu 12. Quia vana salus hominis. Clarius eandẽ sententiam habet Hieronymus, Vana est enim salus ab homine. Et in versu sequenti, conculcabit ha-bet, pro ad nihilum deducet, quæ idem valent.

IN PSALMVM LX.

VErsu 4. Protegat in velamento alarum tuarũ. Hieronymus vertit, Sperabo in protectione alarũ tuarum, similiter & Felix. Neque ita multum hęc absunt abinuicem. Qui enim cõfidit & sperat in velamento alarum Dei, hic & protectionem sentiet. ¶Versu 6. Annos eius vsq; in diem generatio-nis & generationis. Nonnulla difficultas est in hac lectione vulgata, eo quòd dicuntur anni regis Mes się esse vsque in diem generationis & generationis. Clarius autem ex Hebræo secundum sententiam eandem id vertit Hieronymus, dicens: Annos eius donec est generatio & generatio. Ex quo videtur dies accipi pro duratione, ad hunc sensum, Annos eius vsque ad durationem generationis & genera-rationis: id est, donec perstabit generatio & generatio, quod est in omnes generationes in æternum. Chald. autem Paraph. hanc geminationem ad diuersa refert, priore quidem generationem ad sæculũ pręsens, in quo regnabit rex Messias secundum tẽpus: posteriorẽ verò ad sæculũ futurum, in quo re-gnabit secundum æternitatem. Sic enim habet, Anni eius sicut mundi huius, & sicut mundi venturi. ¶Versu 7. Permanet in æternũ in cõspectu Dei. Hieronymus, Sedebit semper ante faciem Dei, quod ad iudiciariã apertius spectat potestatem, & sessionẽ in dextera patris euidentius exprimit. Alij ver-

 tunt,

tuũ habitabit, vel commorabitur, neque diuersa ex his sententia redditur. Quod autẽ sequitur, Misericordiam & veritatẽ eius quis requiret, admodum variè transfertur ex Hebræo. Hieronymi enim verſio ſic habet, Misericordia & veritas seruabunt eũ. Quod potest intelligi de misericordia & veritate patris, quę Messiam nostrũ seruarunt ab omni malo, atq; à morte in vitam redire fecerũt. Quoniam enim Deus pater misericors fuit & verax, idcirco saluabit Christum suũ, nec in morte manere permisit cum qui mortem non commeruit. Atq; huic interpretationi cõsentit Para. Chal. quę sic habet, Bonitas & veritas quas præparauit author sęculi, seruabunt eũ. Similiter & verſio Felicis, Misericordia & veritas à domino custodient illum. Alij autem vertunt, Præpara vel ostende misericordiam & veritatem, quibus custodias eum, estque eadem cum priore lectione sententia.

IN PSALMVM LXI.

VErſu 1. Nónne Deo subiecta erit anima mea? Hieronymus, Attamen apud Deum silebit anima mea. Felix, Certè ad Deum respicit anima mea, vel ad Deum silet vel silentio expectat, quomodo etiam illud quod suprà habitum est Psalmo 36. Subditus esto domino, & ora eum. In Hebræo haberi diximus, Tace domino, vel in silentio respice dominum, vel expecta dominum. Sententia autem vtriusque lectionis ferè eadem est. ¶Versu 2. Non mouebor amplius. In Hebræo, loco dictionis amplius, habetur rabbah, id est, multum siue valde, quemadmodum vertit Felix: sicque sensus erit, Non commouebor valde, aut nõ labar grauiter, non plurimum mouebor. Iustus enim tametsi ponat Deũ suam fortitudinem, suum robur, suum salutare, contingit nihilominus vt septies in die cadat: verum quia resurgit fortius, dicit se quidem non multùm, non grauiter, non valde commoueri aut labi. Non asserit tamen, simpliciter se nullo modo labi aut moueri. Ad hunc autem sensum facile potest exponi etiam lectio vulgata, si tantum amplius accipiamus pro multum: quemadmodum suprà Psal. 50. Amplius laua me, id est, multum vel plurimum, vel etiam atque etiam. Vnde & in Græco eadem dictio ἐπὶ πλεῖον hoc in loco ponitur quæ in superius designato loco posita inuenitur. Posset verò & hæc ex Hebræo accipi sententia, Non mouebor multa, scilicet tribulatione. Cui fauet quod habet Paraph. Chald. Non mouebor in die tribulationis magnæ. ¶Versu 3. Interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ. Beatus Hieronymus casu nominandi transtulit, dicens, Interficitis omnes, tanquam paries inclinatus & maceria corruens. Cuius sensus est, Interficere laboratis & opprimere bonos, & magno impetu & vi multa, quemadmodum cùm paries iam inclinatus aut maceria dissipata corruit super quempiam. Ad quem sensum facile exponi posset etiam lectio vulgata, si tantum datiuus pro ablatiuo absolute posito secundum impropriam loquutionem acciperetur, ad hunc sensum, Irruitis in hominem & interficitis vniuersi vos, tanquam pariete inclinato & depulsa maceria: hoc est, tanquam si paries inclinetur & depellatur maceria. Alij vertunt per genus passiuum, Interficiemini vniuersi vos tanquam paries inclinatus & maceria corruens. Atque ita exprimitur impetus & terror perditionis impiorum qui super innoxios irruunt: eritque admodum festiua loquutio dũ ferè similis exprimitur modus punitionis cũ ratione peccati. Primum enim proponens iniquitatem, dicit per increpationem. Vsquequo irruitis in hominem simplicem & innocentem? Deinde, punitio euestigio subnectitur, Occidemini vniuersi, qui nunc alios quæritis opprimere, & corruetis, quemadmodum paries inclinatus, & maceria depulsa proxima est casui, & maximo impetu atq; terrore casura est, vbi ceciderit. ¶Versu 4. Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere. Hieronymus, Partem enim eius cogitauerunt expellere, quod bene ad pretium, honorem & dignitatem propositæ in cælestibus retributionis referetur: de qua in Elucidatione dedimus expositionem. Et in eandem ferè sententiam sonat, quod vertit Felix, Certè propter exaltationem eius inierunt consilium, vt expellant, vel propter exaltationem eius ad hunc sensum: quia timent ipsum exaltari, & ad propositam altitudinis dignitatem peruenire, ideo cogitauerunt quomodo valerent expellere: hoc est, propter impediendam exaltationem viri iusti ipsi fuerunt solliciti. Posset & ad Deum referri, hoc sensu, Exaltationem eius, scilicet Dei, consultant deijcere: hoc est, quos Deus vult exaltare & glorificare, ipsi quærunt opprimere, quos ille decreuit exaltare, de ijs deijciendis isti consultant. Quod autem sequitur, Cucurri in siti, longe aliter vertunt ex Hebręo interpretes. Hieronymus enim habet, Placuerunt sibi in mendacio. Felix, Affectabunt mendacium, vel optabunt, vel complacebunt in mendacio. Quod nonnulli sic intelligunt. Cupiunt quod non assequentur, videlicet quod iam antecessit, vt exaltationem iustorum impediant. Nequaquam enim impedire poterunt à salute, quos Deus ad illam præordinauit. ¶Versu 8. Non emigrabo. Beatus Hieronymus vertit, Non timebo. Alij autem interpretes vicinius nostræ accedunt lectioni, dicentes, Non elabar, vel non mouebor. ¶Versu 10. Sperate in eo omnis congregatio populi. Ex Hebræo, Sperate in eo omni tempore, ò populi effundite coram illo corda vestra. ¶Versu 9. Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Hieronymus, Veruntamen vanitas filij Adam, mendacium filij viri, in stateris dolosis, fraudulenter agunt simul. Quod facilem habet intelligentiam. Alij hanc accipiunt ex Hebraica lectione sententiam: filij hominum, vanitas sunt & mendacium: si simul ponantur in trutina vel statera, erunt leuiores nihilo & vanitate, id est, vanitas ponderabit deorsum & ipsi ascendent pariter sursum: hoc est, maior est vanitas filiorum hominum, quam vt possit ponderari. Quam sententiam habet Felicis ista verſio, In stateris, vt ascendant ipsi magis vanitate, simul quod sic exponit, Si ponantur simul filij hominum altero latere stateræ, & vanitates in altero latere, ipsi homines simul accedent magis vanitate, minus ponderabunt quàm vanitas, leuiores inuenientur vanitate: hoc est, infinita & quasi non ponderabilis est eorum vanitas, & sunt velut ipsa vanitate vaniores. ¶ Expositionem tituli qui est, pro Idithum, habes post annotationes in Psalm. 38.

IN

IN PSALMVM LXII.

VErſu 1. Ad te de luce vigilo. Ex Hebræo ad verbũ verti potest, Ad te manicabo: quo verbo vsus est interpres Latinus in illo euangelij, Et omnis populus manicabat ad eum. Iuxta quod habent vulgatiores codices. Interpretes autem ferè omnes ex Hebræo per circumlocutionem vertunt. Hierony. quidẽ, Ad te de luce consurgam. Felix, In aurora vel diluculo quærã te, vel surgã ad visitandũ te. Alij, Diluculo adero tibi, vel mane suspiro ad te, vel præueniam mane coram te. ¶Versu 2. Quàm multipliciter tibi caro mea. In Hebræo non habetur, quàm multipliciter, sed loco eius habetur, concupiuit, seu desiderauit te caro mea, quomodo vertit Hieronymus, ac cæteri interpretes. ¶Versu 9. Ipsi verò inuanum quæsierunt animam meam. Hieronymus, Ipsi verò interficere quærunt animam meam. Alij ad perdendum, ad deuastandum, in siue cum strepitu. Chald. Paraph. Ipsi verò ad sepulturam quæsierunt animam meam. Luc. 12.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

IN vulgatis codicibus Latinorum titulus præmittitur, Psalmus Dauid, cùm esset in deserta Idumææ: quod aliqui Latinorum interpretum secundum mysticam intelligentiam interpretantur desertum mundi huius. In Hebraico tamen habetur, In deserto Iudææ: item & in codicibus Græcis. Similiter habet Chald. paraphrasis. Psalmus Dauid, in tempore quo erat in deserto, in finibus tribus Iudæ. Quæ lectio secundum literam, & historiæ fidem verior videtur. Nusquam enim in historijs scripturę legimus, Dauidem alicubi versatum in desertis Idumææ, vt ibi psalmos potuerit canere: in desertis autem Iudææ illum fuisse versatum manifestum est ex libris Regnorum: in quibus quoniam multo satis tempore vagabundus versabatur, hac illacque fugam securiorem petens, psalmum canendi indubiè sufficientem habuit opportunitatem. Et si fortè desertum istud zipherat: quod erat in tribu Iudæ, vbi diu in locis abditis & tutissimis latuisse Dauidem cum suis militibus, ex cap. 23. primi libri Regum est manifestum.

IN PSALMVM LXIII.

VErſu 3. Intenderunt arcum, rem amaram. Hieronymus, Tetenderunt sagittam suam, verbum amarissimũ quod clariori sermone sic explicari potest: Ceu tẽso arcu, pro sagittis, verba amara & noxia eiaculantur. Chald. paraph. sic habet: Tetenderunt arcus suos, vnxerunt sagittas suas veneno mortifero & amaro. ¶Versu 5. Narrauerunt vt absconderent laqueos: dixerunt, quis videbit eos? Beatus Hieronymus vertit, Quis videbit nos? vt ad ipsos referatur ponentes laqueos. Alij verò ex Hebręo interpretes iuxta modum nostræ lectionis habent, Quis videbit eos? nempe laqueos. ¶Versu 6. & 7. Defecerunt scrutantes scrutinio: Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ex Hebraico textu alia accipitur sententia, quàm ex lectione vulgata. Sic enim habet, Perfecerunt scrutinium scrutatum, vel inuestigationem peruestigatam, intimo viri & corde profundo. Quæ lectio indicat prauos homines attentissimo consilio & profundissima peruestigatione occupari ad nocendum bonis. ¶Versu 7. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Aliter ex Hebræo sic legitur iuxta versionem Hieronymi, Sagittabit eos Deus iaculo repentino, inferentur plagæ eorum, corruent in semetipsis linguis suis. Qua lectione non aliud significatur, quàm subitus & inexpectatus impiorum interitus, cuius se reos per suam impietatem fecerunt.

IN PSALMVM LXIIII.

VErſu 1. Te decet hymnus Deus in Sion. Beatus Hieronymus sic vertit: Tibi silentium, laus, Deus in Sion. Quæ lectio Dei laudẽ significat inexplicabilem, & optimum modum ipsum laudandi esse in silentio, dum eius magnitudinem considerantes, silendo confitemur nihil nos posse dignum dicere laude eius. Nunquam enim rectius laudamus, quàm quando præ stupore magnitudinis eius silere cogimur: hoc tantum confitentes, quod nos eius magnitudo nimium ineffabilis & incomprehensibilis silere compellat. Nihil est enim in Deo, quod cuiuscunque valeat hominis lingua explicare. Potest & aliter intelligi prædicta lectio, hoc modo, Laudes tuæ quibus à nobis laudaris in hymnis & psalmis, sunt quasi silentium, quoniam nihil valent eorum quæ in te sunt ad plenum explicare. Quantacunque enim de Deo dixerimus, nihil dicimus: dum eorum nihil ad plenum explicare sufficimus. Atque hunc sensum innuere videtur Chald. paraphra. habens in hunc modum, Corã te reputatur sicut silentium laus, Deus in Sion. Attamen Felix in sua verſione nostræ lectionis textũ seruat, dicens, Te decet laus, Deus in Sion. Illud autem quod in fine versus habet lectio vulgata, tàm Latina quàm Græca, In Hierusalem, non habent exemplaria Hebræa neque Chaldæa. ¶Versu 5. Replebimur in bonis domus tuæ. Vox est iustorum ad beatitudinem cælestis patriæ aspirantium: quemadmodum indicat Chald. paraph. ad initiũ huius versus præmittens, dicent verò iusti: Saturabimur bonitate domus tuæ &c. Quę autem sequũtur in hoc versu atq; sequẽti, diuersimode connectũt. Nobis tamen non libet singula persequi. ¶Versu 7. Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius. In Hebræo contraria potius sententia habetur, Qui compescis sonitum maris, fremitum fluctuũ vel vndarum eius, & multitudinem populorum. Ac deinde sequitur: Et timebunt qui habitant in extremis, à signis tuis. Neque difficilis intelligentia est. ¶Versu 11. & 12. Riuos eius inebria, multiplica germina eius, in stillicidijs eius lætabitur germinans. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. Beati Hieronymi verſio ex Hebræo sic habet, Sulcos eius inebria, multiplica fruges eius, pluuijs irriga eam, & germini eius benedic. Voluetur annus in bonitate tua,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vestigia tua rotabunt pinguedine. Cuius lectionis ex Elucidatione & prioribus annotationibus, quantum ad primum versum facilis est intellectus. Secundus autem hûc habet sensum, Annus totus, tempus omne gratiæ, voluetur in benignitate tua, ita vt omni tempore semper adsis paratus præstare benignitatem gratiæ tuæ: & quocunque profectus fueris, quocunque perueneris visitatione tua, ibi guttas caderet facies salutaris gratię. Felix autè loco illius, Multiplica genimina eius, vertit, Aequa cumulos eius: hoc est, comprime glebas eius, id est, superbos & eleuatos humilia, vt capaces fiant gratiæ tuæ. ¶Versu vltimo, Induti sunt arietes ouium. Verbum istud ex Hebræo admodum diuersimode transferunt. Beatus nâque Hieronymus sic vertit: Vestientur agnis greges: hoc est, greges ecclesiarû ornabûtur ouibus, & simplicibus fidelibus, Deo in simplicitate fideliter famulantibus. Felix sic legit: Vestient planities pecora, vbi pecora videtur esse nominatiui casus, & suppositum verbi: planicies autem, accusatiuus rectus à parte posteriori, vt significetur, pecora vestire planities vel campos prę multitudine. Quare non aliud significatur, quàm fidelium in ecclesijs maxima copia. Atque in hunc fermè sensum, alius vertit. Plana obtegêtur gregibus: alius, Induêtur campi ouibus. Chald. autem translatio diuersam ab his ponit sententiam, dicens: Ascendent arietes super pecora. Qua lectione significari potest mystica intelligentia, fœcunditas magna præpositorum & doctorum in tempore gratiæ: qui quoties charitate vrgente, semen verbi Dei & sanctæ fidei doctrinam conantur in animas hominum infundere, toties quasi super pecora arietes ascendunt, vt generent.

IN PSALMVM LXV.

VErsu 1. Date gloriam laudi eius. Ira quidem nobiscum vertit Hieronymus. Felix autem habet, Ponite gloriam laudê eius. Quod ita potest intelligi: Laudem Dei constituite, & reputate gloria vestram, in laude Dei gloriemini. Verè enim nihil homini gloriosus, quàm Deum laudare factorem & saluatorem suum. ¶Versu 4. Terribilis in cõsilijs super filios hominum. Hieronymus, Terribilia cõsilia super filijs hominum. Felix, Terribilis opere vel studio super filios Adam. Eadem est cum vulgata lectione harum sententia. ¶Versu 6. Qui dominatur in virtute sua in æternum. Beatus Hieronymus habet, Qui dominatur in fortitudine sua sæculo: simpliciter Felix, Qui dominatur in potentia sua sęculo, id est, Qui orbis & mundi totius imperium tenet in fortitudine potentiæ suæ. Similiter habet Chal. transl. Super orbem vel sęculum. Et per omnia consentit textus Gręcus, qui sic habet ad verbum reddendo, Lætabimur in ipso dominante in potentatu suo sæculi vel sæculo. Felix tamen ait rectè etiam ex Hebręo verti posse quod habet nostra lectio vulgata, Qui dominatur in virtute sua in sæculum, vel in æternum. In secunda autem parte, Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis: vocabulum Hebræum quod ponitur hoc loco illius, qui exasperant à verbo sorar descendit, significatq; G
peruersos, abalienatos, declinantes, peruersè incedentes, inobedientes, rebelles, contumaces, proteruos, incredulos, contemnentes, recedentes, & huiusmodi: quæ omnia proposito non male conueniunt. huiusmodi enim manifestum est esse, qui Deum exasperant, & ad iracundiam prouocant per transgretsionem mandatorum ipsius. ¶Versu 10. Introduxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. Pro (laqueo) beatus Hieronymus vertit obsidionem: & pro tribulationibus, stridorem, Introduxisti nos (inquit) in obsidionem, posuisti stridorem in dorso nostro. Alij pro tribulationibus, catenam vertût: alij molestiam vel angustiam. Vnde Felix, Posuisti angustiam vel gemitum vel stridorem vel tribulationem in lumbis nostris. Quod autem sequitur, Imposuisti homines super capita nostra: alij vertunt, Insidere fecisti homines capiti nostro: vel, Equitare fecisti homines super capita nostra. In quo significatur populus domini vilissima seruitute se fuisse subiectum inimicis, ita vt quasi iumenta venissent in abusum hostibus. In versu autem sequenti, cùm dicitur, Eduxisti nos in refrigerium. Felix pro refrigerio, vertit, abundantiam, significari putans terram spaciosam & latam, nê-
pe terram promissionis, ad quam post multas tribulationes peruenerût filij Israël, aut terram inimicorum fertilem, admodumque fœcundam, sub quibus antè seruierant. Nos verò terram viuentiû intelligere possumus, aut abundantiam diuinę consolationis, de qua nos Apostolus instruit, dicens: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. H

IN PSALMVM LXVI.

VErsu 1. Deus misereatur nostri. Verbum Hebraicum iechanenu, sonat misereatur nobis, vel per gratiam donet nobis, vel etiam gratiam donet nobis. Vnde intelligi potest in emphasi dictionis huius, & peccatorum remissio, & gratię spiritualis collatio. Quod autem in nostris codicibus: item & in Græcis habetur secundo repetitum in fine versus, Et misereatur nostri, id Hebræa non habent. Ipsa autem adiectione nihil nisi affectus magnitudo declaratur, ob quam solemus ea quę cordi nobis sunt sæpius inculcare. ¶Versu 2. Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Hieronymus, Vt nota fiat in terra via tua, in vniuersis gentibus salus tua. Eadem est cum nostra lectione, sed aliquanto clarior intelligentia. ¶Versu 4. Et gentes in terra dirigis. Hieronymi versio habet, Gentium quæ in terra sunt ductor es sempiternus. Quod tamen in Hebræo expresse non ponitur, sed tantum selah in fine versus adiungitur, quod ille cum contextu versus copulans, vertit, ductor vel director sempiternus, quoniam selah putat valere semper. Qui autem iuxta aliam sententiam selah aliud velle dicunt, nec poni ad significandum æternitatem, nihil aliud vertunt quàm quod habet lectio vulgata, Gentes in terra dirigis, vel gentium in terra eris director siue ductor, ac deinde selah adijciunt seperatim.

IN

IN PSALMVM LXVII.

A VErsu 4. Iter facite ei qui ascendit super occasum. Hieronymus ex Hebræo vertit, Præparate viã ascendenti per deserta. Quod intelligi potest de ascensu ad cælos per aërem & orbes cælestes, in quibus nõ est habitator vt super terram. Aut mysticè intelligitur de aduentu Christi ad conscientias hominum à mundi tumultibus se custodientium in silentio & quiete animi. Felix autem vocabulum Hebraicum reliquit, sicque vertit, Præparate semitam insidenti haraboth: dicens per haraboth intelligi supremum cælum, à suauitate sic dictum. Cui sententiæ videtur consonare Chal. paraphrasis, Extollite sedentem super sedem gloriæ in haraboth, siue supremo cælo. Concordat & Reuchlinius in libro de rudimentis Hebraicis, ita hunc versum iuxta Hebræos exponens, Qui vehitur in amœnis iocundisq; beatorum cælis. Alij dicunt apud Hebræos cęlum nonum appellari haraboth (quod interpretatur deserta) eo q; stellis omnino careat, cęteris octo inferioribus cęlis stellas omnes cõplectentibus. Septem enim cæli inferiores planetas septem in se ferunt: octauum autem tenet stellas omnes fixas, quod est firmamentum. Itaque nonum desertû & stellis vacuum dicunt. ¶Versu 6. Qui habitare facis vnius moris in domo. Ex Hebræo Hierony. vertit solitarios, alij vnicos, id est, derelictos, non habentes à quibus colligantur aut foueantur, cuiusmodi sunt orphani & pupilli. Hos enim in domo habitare facit, id est ad se colligit, & tanquam filios suæ familię facit ac familiares habet. Felix aliter in-
B telligit: Qui habitare facit vnicos domũ, id est, ex vnicis personis faciat magnam familiam, nimirum sanctam ecclesiam. Atq; huc tendere videtur quod habet Chal. Parap. Deus qui combinat combinationes singulorum filum combinationis simul. Filum enim istud combinationis, vna fides & vna charitas est. Alij vertunt: Qui vnicis restituit domum: hoc est, Qui carêtibus liberis restituit suam familiam: quemadmodum Abraham penè de posteritate sua desperantem fœcũdauit, atque ad maximam familiam restituit. ¶Versu 7. Similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Huius loco ex Hebræo vertit Hieronymus, Increduli autem habitauerunt in siccitatibus, id est, in egestate & afflictionibus, non habentes spiritualem consolationem: aut, aquis gratiæ & veritatis carebunt. ¶Versu 10. Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est: tu verò perfecisti eam. Hieronymus, Pluuiam voluntariam eleuasti Deus, hæreditatem tuam laborantem tu confortasti: quod non difficilem habet neque diuersam à vulgata lectione intelligentiam. ¶Versu 13. Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus diuidere spolia. Ex Hebræo Hieronymus vertit, Reges exercituũ fœderabûtur fœderabûtur, & pulchritudo domus diuidet spolia. Quod sic potest intelligi, Reges potêtes prædicatione apostolica conuersi, submittent se fidei catholicæ, & cum ecclesia velut fœdus inibunt, præsidentesque ac præpositi in ecclesia (qui sunt pulchritudo, species, & decor domus Dei) diuident spolia, læti triumphabunt, quomodo apud Esaiam de iisdem scribitur, Lætabuntur corani te, sicut Esaię 9.
C qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Alij pro, fœnerabuntur fœnerabuntur, vertere malunt, fugient fugient, aut profligabuntur profligabuntur. ¶Versu 14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Hieronymus, Si dormieritis inter medios terminos, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in virore auri. Quod in eandem sententiã facilè possumus reducere, in quam superius vulgatam lectionem sumus interpretati, hoc modo, Si ecclesiarũ prælati inter medios dormiatis, id est, non securè in conclauibus desides, pigri, ac resupini, sed in ipsis terminis: hoc est, si in custodia gregis commissi peruigiles extiteritis, columbam habebitis formosam, &c. Oportet enim eos qui speculatores constituti sunt domus Israël, non in intimis conclauibus pigros & ociosos stertere, aut in vtrãque aurem securos dormire, quasi altissima pax sit, & nusquam hostium aliquid timere debeant per circuitum: sed inter medios terminos super speculam necesse est cubent, ita vt ad quantumuis leuem rumusculum hostium possint excitari, moxque tuba canere, & hostile periculum populo significare. Id vbi agunt, quibus populi cura commissa est, ibi formosa est columba, ecclesia talibus gaudens rectoribus. Vbi verò quasi in altissima pace securi rectores stertunt, in mediis ciuitatibus, gulę & luxuriæ vacantes in cœnaculis & cubilibus, nihil mirum, si denigrata appareat columba, quæ tam infidelissimos habet custodes. Ad eandem quoque sententiam adduci potest quod Felix vertit, Si dormia-
D tis inter chytropodes, vel focos, vel vncinos, vbi ponûtur ollę ad ignem. Solent enim qui in foco dormiunt inter instrumenta illa ferrea, super quæ locantur cacabi & ollæ æneæ, facillimè ad quemlibet rumusculum excitari: & plerunque ibi se locant qui non totam noctem dormire, sed ad medium noctis ad opus necessariũ volunt exurgere. Significatur ergo etiã hac dormitione in foco inter chytropodes, vigilantia & cura prępositorum ecclesiæ. Dicûtur autem Græco vocabulo χυτρόποδες, vel ferramenta pedata super quę ollę constituuntur (vel iuxta quorundam sententiam) ipsæ etiam ollæ pedes tales habentes. Dictio composita est à χύτρον, quod significat ollam, & πούς, pedem. Alij sic intelligunt: Si federitis inter ollas: hoc est, ita atri fueritis, & commaculati, siue etiam miseri & deturpati afflictione nimia, vel vitiorum immanitate, quemadmodum ollæ in foco, nunc in tempore euangelicæ gratię, eritis sicut columba pulchra, quæ habet pennas deargentatas, & dorsum in similitudinem fului auri, id est, vetera transierunt, sunt noua omnia. ¶Versu 16. Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Hieronymus, Mons excelsus, mons pinguis: quare contenditis montes excelsi aduersus montem quem dilexit Deus, vt habitaret in eo? Hoc est, Vos congregationes impię infidelium, synagogæ satanæ, quare vos opponitis ecclesiæ sanctæ, ipsius fidem respuendo, ipsam etiam persequendo: quum Deus ipsam ita dilexerit, vt habitationem voluerit in ea constituere? Felix vertit, Vt quid montes altissimi inlidiosè intuemini, vel inuidiosè aspicitis, montem illum quem dilexit Deus. Et eadem sententia est.

¶Versu

¶Versu 18. Currus Dei decem milibus multiplex, milia lætantium. Hieronymus, Currus Dei, innu- E
merabilia milia abundantium. Felix, Currus Dei cētena milia, duo milia angelorum. Alij currus Dei,
binę myriades milium replicationis: hoc est, bis decem milia milium replicata. Alij, myriadum milia,
id est, milia decem milium. Alij, Equitatus Dei, binæ myriades (vna autem myrias decem milia conti-
ner) multa milia angelorum. In omnibus autem his, nihil indicatur quòd innumerabilis est exercitus
angelorum Deo ministrantium. ¶Versu 21. Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorū.
Hieronymus, Portabit nos Deus salutis nostræ. Quod intelligi potest, sicut mater portat filiū & cu-
stodit portando, ne quid patiatur nocumēti. In quo significatur maxima Dei erga electos benignitas
& sollicitudo. Felix, Aggrauabit nos Deus salute nostra, id est, pro onere nobis imponet salutem no-
Matth.11. stram. Verè dulce onus quo nos onerat. Verè onus leue quod imponit humeris nostris. Meritò enim
dulcescere nobis debet etiam si quid amari contingat imponi ferendum, quando cogitamus ad no-
stram salutem id fieri. Alij clarius vertūt, Augeat nobis beneficia sua, vel cumulabit nobis beneficia
sua, aut salutes suas. ¶Versu 29. & 30. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu, principes Iuda
duces eorum. Hieronymus, Ibi Beniamin paruulus continens eos, principes Iuda in purpura sua. Fe-
lix, Ibi Beniamin paruulus dominatur illis, principes Iuda in phrygianicis suis. Quę versiones ambæ
eandem complectuntur sententiam, quoniam Paulus Apost. de Beniamin paruula tribu (nimirum
Iudi. 20. quæ extincta fermè fuerat propter vxorem Leui turpi libidine à Galaonitis oppressam & interfectā) F
& 21. pręcipuus fuit princeps & fundator, itemque & conseruator ecclesiarum, quæ in gentibus Deo fue-
runt ædificatæ: vt vbi de gentium conuersione fit mentio, rectè primus locus detur Beniamin, quòd
dominetur illis, siue quòd contineat illos. Per id verò quod sequitur, Principes Iuda in purpura sua,
aut in phrygianicis suis (quæ idem volunt) significatur cæterorum apostolorum qui de tribu Iuda po
tissimū electi fuerunt, dignitas sacerdotalis & apostolica, omni ornatu & honore dignissima. ¶Ver-
su 31. Manda Deus virtuti tuę. Ex Hebręo, Præcepit Deus de fortitudine tua, vel mandauit Deus vir-
tutem tuam. Vbi ad populum Dei sermo dirigitur. Omnis enim fortitudo & virtus quæ facta est in
te, ô plebs domini, eam præcepit fieri Deus in vobis. Vel, Præcepit tibi Deus, ô populę Christiane, vt
fortiter agas, à firmitate fidei nullis tentationibus te sustinens amoueri, sed fortis sis in bello, vt bel-
les cum antiquo serpente, & cum omnibus qui te impugnabunt. ¶Versu 33. Vt excludant eos qui
probati sunt argento. Beatus Hieronymus vertit, Congregatio fortium in vaccis populorum calci-
trantium contra rotas argenteas. Quod rectè de rebellione contra apostolicam prædicationem po-
test intelligi. Sunt enim apostoli quasi rotæ argenteæ. Rotæ quatenus velociter discurrentes super
terram vehentes sedentem in curru dominum, id est, gloriam eius vbique prædicantes. Argenteæ ve-
rò, quoniam optimè sonoræ per probatissima veritatis eloquia quæ prædicabant. Calcitrantes ergo
contra rotas argenteas qui sunt, nisi repugnantes apostolorum sermonibus? Atque hos omnes, siue G
maiores fuerint, siue minores, orant fideles increpari, atque comprimi, vt non prævaleant. Felix ita
vertit, Dissipa feram arundinis congregationem robustorum in vitulis populorum, optantem nume-
rationes argenti, aut fragmenta argenti. Quod exponi potest de auaritia principum sæculi, à quibus
primitiua ecclesia sustinuit grauem persecutionem, Legimus enim sæculares principes, aliosque illis
adiunctos per Christianorum persecutionem frequenter consuluisse suæ auaritiæ. Vnde de Iuliano
illo impio apostata legimus, quòd Christianorum patrimonia rapiebat Christianitatis prætextu, sa-
Luc.14. crilegamque suam auaritiam euangelij testimonio colorabat, dicens, Christus vester dicit in Euang.
Heb.10. Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, nō potest meus esse discipulus. Idipsum Paulus Apo-
1.Thes.2. stolus de Hebræis scribit, quòd in Iudæa pro Christi nomine rapinam bonorum suorum passi fue-
rint cum gaudio: idem de Thessalonicensibus quoque commemorans, quòd eandem passi fuissent à
suis conciuibus, qualia Iudæi à suis contribulibus passi fuerant. Idem pluribus in locis testantur eccle
siasticæ historiæ. ¶Versu 34. Aethiopia præueniet manus Deo. Hieronymus, Aethiopia festinet dare
manus Deo. Felix, Aethiopia faciet currere manus suas ad Deum: hoc est, celeriter manus suas Deo
protendet, vt vertit alius. Chaldai. translatio totum hunc versum sic habet, Venient principes de Ae-
gypto ad conuersionem filij Aethiopum, current extendere manus suas in oratione ante Deum. Quę
omnia lectionem nostram & expositionem suprà positam rectè confirmant atque elucidant. ¶Ver- H
su 36. Psallite Deo qui ascendit super cælum cæli ad orientem. Hier. vertit: Qui ascendit super cęlum
cęli, à principio, id est, qui sedet in cælis cælorū ab initio: quomodo vertit Felix. Alij vertunt ad sen-
tentiam nostrę lectionis, Ascendenti super cælos cælorum Orientis, siue ad Orientem. Alij sic, Qui
sedet super cælos, cælos sempiternos, id est, cælos qui ab initio facti ijdem permanent. ¶Versu 37. Ec-
ce dabit voci suæ vocem virtutis. Quidam hoc secundum naturam intelligunt de terribili sono toni-
trui, quę dicitur vox Dei, & vox virtutis suæ, vox fortis, ita vt procul audiatur ab hominibus. Alij in-
telligunt de voce euangelicæ prædicationis, quæ vox Dei est, quoniam non ipsi à se loquuntur quæ
prædicant, sed ex spiritu Dei qui loquitur in eis, iuxta Saluatoris verbum. Huic autem voci prædica-
tionis dat Deus vt sit vox virtutis & fortitudinis, quoniam efficaciam addit, vt vim habeat ad operā-
dum in cordibus audientium: quemadmodum suprà dictum est in expositione versus illius, Domi-
nus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa. Nobis conuenientius videbatur, vt de vltima vo-
ce quam expectamus in die iudicij audiendam pręsens sermo intelligeretur: vt post initium, ac pro-
cessum ecclesiæ pulchrum descriptum, hic etiam finis omnium, ac retributio cōmemoretur. ¶Ver-
su vltimo. Mirabilis Deus in sanctis suis. Hieronymus ac cæteri omnes ex Hebræo interpretes con-
corditer vertunt, De sanctuario suo, aut in sanctuarijs siue sacrarijs suis. Ac iuxta hanc sententiam
poterit in vulgata lectione Latina accipi ablatiuus, sanctis, vt sit generis neutri. Sic enim sancta pro
sanc-

A sanctuarijs dicere solemus: quemadmodū sancta dicuntur & sancta sanctorū. Imò etiā si accipiamus
in genere masculino, sanctos, secundum rem possumus inuenire concordiam. Nam sancti Dei homi-
nes, sunt velut sanctuarium Dei, in quibus ipse libenter secundum gratiā & gloriam suam inhabitat.

IN PSALMVM LXVIII.

VErsu 1.2.3.& 4. Notanda est hoc loco Paraph. Chal. exponens similitudinem cōparationis, quæ
in annotationibus prioribus dicta est innui in his versibus. Sic autē habet, Salua me Deus, quo-
niam irruit cohors peccatorum vt inferat tribulationem mihi, sicut aquæ quæ intrant vsque ad ani-
mam. Demersus sum in captiuitatem, tanquam in lutum profunditatis, & non est mihi locus vt con-
sistam. Applicui in validam multitudinem cohortis peccatorum, & rex impius captiuum tenet me. Fa
tigatus sum à clamoribus, siccatum est guttur meum, consumpti sunt oculi mei ab expectatione Dei
mei. ¶Versu 13. Et operui in ieiunio animam meam. Hieronymus, Et fleui in ieiunio animam meam:
hoc est, contristaui, & affixi flendo simul & ieiunādo animam meam. Felix habet, Et fleui, dum esset
in ieiunio anima mea. ¶Versu 15. In me psallebant qui bibebant vinum. Felix, Cantica fui bibentium
siceram, id est, vinum aut potum quemlibet inebriatum: hoc est de me cantabant, & mea opprobria
suarum cantionum faciebant materiam, meamq; irrisionē, ipsi inter pocula faciebant esse sua gaudia.
Paraph. Chal. habet, Cantilena fui eorum qui vadunt ad bibendum siceram in domo cauponaria ip-
B sorum. ¶Versu 16. Ego verò orationem meam ad te domine, tempus beneplaciti Deus. Hieronymus,
Mea autem oratio ad te domine, tempus reconciliationis est Deus. Felix, Ego autē orationem meam
ad te domine tempore beneplaciti Deus, id est, cùm tēpus esset beneplaciti. ¶Versu 18. Neque vrgeat
super me puteus os suum. Hieronymus pro vrgeat, posuit coronet. Non coronet (inquit) super me pu
teus os suum, id est, non per circuitum concludat. Felix clarius vertit, Non claudat, vel non obstruat
super me puteus os suū. Trāslatio autē Chal. puteū hunc accipit gehēnam, dicēs: Non operiat aduer-
sum me gehenna os suum. ¶Versu 24. Improperiū expectauit cor meum & miseriam. Hieronymus,
Opprobrio contritum est cor meum, & desperatus sum. Felix, Opprobrium contriuit cor meum, &
afflictus sum. ¶Versu 36. Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem vngulas. Fe
lix, Et placebit domino super bouem & vitulum, cornua producentem, & producentem vngulas.
Hieronymi tamē versio, vitulum nouellum habet, quemadmodum habet vetus nostra Latina lectio.
Mirum verò quid sibi velit Chal. paraph. quæ hoc loco habet, Placebit corā Deo magis quàm bos
pinguis & electus quem offerebat Adam primus, cuius cornua præcedebant fissionem vngularum.
¶Expositionem tituli, qui iuxta Græcos atque Latinos codices est, In finem, pro ijs qui commuta-
buntur, secundum Hebræos: pro lilijs, vel super lilijs vēl lilia, require post annotationes psal. 44.

IN PSALMVM LXIX.

C VErsu 1. Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me festina. In Hebræo non
nisi vnum habetur verbum, hoc modo, Deus vt liberes me, domine vt auxilieris mihi, festina.
¶Versu 4. Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge euge. Hieronymus, Reuertātur ad
vestigium confusionis suæ, qui dicunt mihi vah vah: hoc est, Veniant & pertingant ad confusionem
suam, qui contra me malum loquuti sunt.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

TItulus Psalmi est, In finē Dauid in rememoratione, eo q̄ saluū fecit eū dominus. In Hebræo tan-
tū est, Ad recordandū. Quo significatur hunc psalmum Deo suggerere de liberatione & salute
præstanda, & quasi Deum prestandæ salutis cōmonefacere, ac velut in memoriam reuocare: quod ip
sum etiā vulgata lectione indicatur, cùm dicitur, In finem, Dauid in rememoratione: hoc est, ad reme
morationem vel recordationem. Quod autem adijcitur in Latinis codicibus, Eo quòd saluum fecit
eū Deus, in Hebræo omnino non habetur. In Græco sic habetur, ὑπὲρ τοῦ σωσαίμε κύριον: hoc est, vt Deus
faciat saluum. Atque ita non nisi exponitur hac adiectione, quid sibi velit quod præmittitur, Dauid
ad recordādum. Ad hoc enim sui petit dominum recordari, vt saluus fiat, & liberetur ab aduersarijs.

IN PSALMVM LXX.

D VErsu 3. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum. Hieronymus ex Hebræo, Esto
mihi robustum habitaculum, vt ingrediar iugiter: præcepisti, vt saluares me. Similiter vertit Fe-
lix, nisi quòd pro robusto habitaculo, ponit rupem fortitudinis. Postulat hac oratione iustus, Deum
se habere vt locum munitum, sibi semper patentem ad ingressum, ad quem tutò possit in omnibus
periculis confugere. ¶Versu 7. In te confirmatus sum ex vtero. Hieronymus, Ad te sustentatus sum
ex vtero. Felix, Super te innixus vel sustentatus sum ex vtero, Nam vocabulum Hebraicum samach,
significat apodiauit, vel innixus est. Siue autem dicas, Super te confirmatus sum, siue super te innixus
sum, vel apodiaui vel sustentatus sum, eadem habetur sententia. Quod autē sequitur: De ventre ma-
tris meæ tu es protector meus. Felix ita vertit, De intestinis matris meæ tu extrahens me, id est (quod
psal. 22. ponitur) qui extraxisti me de ventre matris meæ. ¶Versu 9. Repleatur os meum laude, vt cā-
tem gloriam tuā, tota die magnitudinē tuā. In Hebræo tantū legitur, Impleatur os meum laude tua,
tota die magnitudine tua, vel pulchritudine tua, vel gloria tua. ¶Versu 15. Ego autē semper sperabo,
& adijciam super omnem laudem tuam. In Hebræo, pro sperabo, habetur expectabo. Vnde beatus
Hieronymus ex Hebræo vertit, Ego autem iugiter expectabo. Sententia autem in idem recidit, quo-
niam is qui sperat auxilium, expectat illud ab eo in quo sperat. ¶Versu 17. Quoniam non cognoui li-
teraturam. Tametsi nobiscum beatus Hieronymus verterit literaturas, cæteri tamen ex Hebræo in-
terpretes longè aliter vertunt. Nam Felix (quem alij recētiores sequuntur) hanc partem coniungen-
do præcedentibus in versu priori, ita vertit, Os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die laudem
tuam,

tuam, certè non cognoui numerum: vel, Quoniã non cognoui numerationes vel narrationes. Quod sic exponunt, Certè non cognoui numerum laudis tuę, vel non possum enumerare siue enarrare laudem tuam: maior est enim quàm vt humano ingenio comprehendi, aut humana enarratione possit enumerari. Est sanè hæc versio Hebraicæ deriuationi satis conueniens: quoniam vocabulum Hebraicum sephoroth, hoc loco pro literaturis positum, à verbo saphar descendit, quod absque hæsitatione significat numerauit, vel cẽsuit. Vnde videtur deriuatum illud nomen pluralis numeri aptissimè numerationes verti posse. Sciendum tamen est, quòd neq; Gallicana lectio (quæ habet literaturas) ab Hebræo omnino dissonat, neq; Romana, quę habet negociationes. De priore, primum quidem Hieronymi docet authoritas, qui nõ aliud quàm literaturas vertit. Deinde & Ioannes Reuchlinius hoc ipsum confirmat, manifestè asserens dictionẽ hoc in loco positam significare scripturam vel literaturam, quemadmodum ad oculum videre poteris in eius dictionario, in explicatione verbi suprà positi saphar: cuius significationem admodum prolixa deductione manifestat. Porrò de negociationibus quis non videt maximam esse conuenientiam numerationibus cum negociationibus? Nõnne omnis penè negociatorum res in numerando, supputando, rationesq; conscribendo consistit? Quælibet ergo prædictarum lectionum iure toleranda videtur, etiam si originalem respiciamus Hebræorum linguam. ¶Versu 20. & 21. Donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura est. Potentiam tuam & iustitiam tuam Deus, vsque in altissima quę feciſti magnalia, Deus quis similis tibi? Hieronymus ex Hebræo, Donec annũciem brachiũ tuum generationi (scilicet præsenti) cunctisq; qui vẽturi sunt fortitudines tuas. Et iustitiam tuam Deus vsque in excelsum (subaudi annunciem, prædicem, vel efferam) ac deinde, quanta feciſti magnalia Deus, quis similis tibi. In eandem sententiam vertunt item alij ex Hebræo interpretes.

IN PSALMVM LXXI.

VErsu 1. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Chal. par. sic habet, Deus, itinera rigoris tui, vel sententiam iudiciorum tuorum, regi Messiæ da, & iustitiam tuam filio regis. Ex quo primum patet secundum hanc paraphrasim, de Messia psalmum principaliter intelligi. Deinde, quòd iudicium dare intelligat, dare executionem iudicij, & cõmissionem exequendę iustitię: quomodo nos etiam in Elucidatione sumus interpretati. Nam quidam aliter accipiunt, Da iudicium (id est, æquitatem ipsam) regi Messię & membris eius, vt videlicet sint æqui & iusti. Sed prior intelligentia videtur commodior & plenior, totique huic de Messia prophetiæ quadrantior. Postremo indicatur illud, filius regis, referri posse ad regem Dauid, quod nos de patre rege æterno sumus interpretati. Messias nanque, & regis æterni Dei patris, & regis temporalis Dauidis verus secundũ humanitatem filius fuit: quemadmodum initio sui euangelij Matthæus testatur, & Paulus initio epistolæ ad Roma. asserit, ex semine Dauid eum factum esse secundum carnem. ¶Versu 3. Suscipiant mõtes pacem populo. Hieronymus pro suscipiant, vertit assument: neque diuersa est sententia, Assumpserũt enim apostoli pacis euangelium populis prędicandum. Felix vertit, Extollent omnes pacem populo. Eademque rursum sententia est, Eleuabunt euangelium pacis super populum, hoc est, prædicabunt. ¶Versu 5. Et permanebit cum sole & ante lunam. Ex Hebræo, Timebunt te cum sole & ante lunam, vel in conspectu lunæ, hoc est, Timebunt te, adorabunt te, & seruient tibi fideles tui, quãdiu erit sol, & quandiu durabit luna, videlicet vsq; ad consummationem sæculi & in æternum. Beatus Hieronymus vertit, Timebunt te quandiu erit sol, & vltra lunam, in generatione generationum. In quo illud videri possit absurdũ quod dicitur, vltra lunã: nisi sic intelligatur, quomodo in annotationibus principalibus diximus, de illo quod post iuxta vulgatam lectionem sequitur, Donec auferatur luna. Felix autem vertit, In conspectu lunæ, vel dum perseuerabit luna, vel ante lunam. Chal. autem paraph. sic habet, Timebunt à te cum ortu solis, orabũt coram te à lumine lunæ, generationes generationum: hoc est, primo mane exoriente sole, & vesperi prodente sese lumine lunæ, tibi seruient fideles tui. i. mane & vespere, siue iugiter. ¶Versu 6. Descendit sicut pluuia in vellus. Hunc versum ex Hebræo variè interpretes transferunt. Quidam enim pro vellere ponunt herbam detõsam vel resecatam. Vnde Felix ad hunc modum vertit, Descendet sicut pluuia super herbã resecatam, vel super tonsum. i. super gramẽ incisum: quod si non habuerit pluuiam, postquam resecatum fuerit, arescet. Atque ita intelligũt nõ de descensu Christi in vterum virgineum, sed de spirituali descẽsu per gratiam in corda fidelium, per quem descensum iustitiam facit & pacem illic exoriri atque foueri. Quomodo enim pluuia descendit super herbam resecatam, vt iterum floreat pratum suo virore spoliatum, ita super genus humanum iam semel resecatum, & omni ornatu spoliatum, ac per primi parentis peccatum velut detonsum, venire necesse fuit desuper gratiam Christi domini, vt iterum fructum bonum proferat semel resecata, imò frequenter resecata & detonsa terra cordis nostri. Atque huic satis apertè consonat Chald. paraphra. quæ hoc loco sic habet, Descendet vel pluuia voluntaria atque desiderata, vel pluuia beneplaciti super herbam quæ incisa est, vel corrosa à locusta. Ac iuxta hanc expositionem id quod subiungitur, Et sicut stillicidia stillantia super terram, secundum rem cum priore parte idem sonat. Attamen beatus Hieronymus, nobiscum in versione sua ponit vellus, & post illum alij nonnulli ex Hebręo interpretes. ¶Versu 7. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. In Hebræo sic habetur, Florebit vel germinabit in diebus eius iustus, & multitudo pacis: hoc est, florebunt, & germinabunt ipso regnante iusti plurimi, & germinabit pax copiosa. ¶Versu 9. Coram illo procident Aethiopes. In Hebræo est dictio Ziim, quæ à diuersis diuersimode vertitur. Beatus Hieronymus nobiscum vertit, Aethiopes. Felix dicit verti posse, nautas, vel habitantes solitudinem

Matth. 1. Roma. 1.

A nem. Alij vertunt accolas deserti, vel solitudinarios, vt significetur populos remotissimos, & longe ab hominibus distantes, hominibusque incognitos, ad Christum conuertendos. ¶Versu 10. Reges Arabum & Saba dona adducent. Hieronymus, Reges Arabiæ & Saba tributũ conferent, Felix Donum vel tributum vel præmium adducent. Alius vertit honorarium munus, scilicet quod ad honorem offertur. ¶Versu 13. Parcet inopi & inopi. Felix, Miserebitur super mendicum & inopem. Nam parcet, positum est, pro miserebitur, vel gratiose seu misericorditer aget. ¶Versu. 14. Et honorabile nomen eorum coram illo. In Hebræo non habetur nomen, sed sanguis, quemadmodũ Hieronymus ac cæteri qui ex Hebræo versiones fecerunt, concorditer omnes transferunt. Et honorabilis (inquiunt) vel preciosus erit sanguis eorum coram oculis ipsius. Quo verbo significatur, mortem sanctorum pro Christi nomine & sanctissima fide occumbentium, fore Christo domino gratissimam, & sacrificium omnibus modis acceptissimum, hoc enim est sanguinem eorum fore preciosum in oculis Dei, effusionem sanguinis & vitæ pro Christo oblationẽ, maximi precij ducendam, & in maximum meritum ipsis reputandam coram oculis Dei. Atque hoc ipsum est, quod in alio quoque Psalmo legitur, Preciosa in cõspectu domini mors sanctorum eius. Quod licet de omnibus generali intellectu verum sit in sanctitate vitam finientibus, peculiarius tamen & excellentius de ijs qui pro Christi nomine, martyrij supplicio, sanguinẽ fundunt. ¶Versu. 16. Erit firmamentum in terra, in summis montium. Hoc loco pro firmamento, in Hebræo ponitur pissath bar, quod apud interpretes tam

B Hebræos q̃ Latinos, diuersimode redditur. Septuaginta enim trãstulerunt στήγμα quod Latine sonat firmamentum, vt habet vulgata Latina lectio. Nam quod arbitrati sunt quidã, scriptorũ vitio firmamentum scriptum esse pro frumento, non habet verisimilitudinem, quoniam in Græco (vnde nostra Latina lectio versa est) manifeste non aliud q̃ firmamentũ habetur, de quorũ tamen concordantia in principalibus annotationibus nõnihil diximus. Beatus autem Hieronymus ex Hebræo vertit memorabile triticum. Ioannes Reuchlinius in lib. de rudimen. Hebraicis, dicit Hebraicã dictionem significare placentam vel placentulam frumenti, quod Rabbi Dauid Kimhi exponit, particulam vel massam frumenti. Idem dicit Paulus Burgensis episcop. natiuitate Iudæus, regeneratione Christi fidelis: addens, translatione Chal. quæ targim dicitur, sic haberi, Erit placenta tritici, in capitibus sacerdotũ. Secundum quorum concordem sententiam, Hebraica ista lectio aptissime poterit accipi, tanquam prophetia altissimi sacramenti, & sacratissimi sacrificij altaris, in quo sub specie placentulæ frumenti, sub specie modicæ massæ triticeæ, ac panis modici, in modum albæ placentulæ cocti, præsens notis adest Christus dominus, verus Messias. Et recte quidem (iuxta Hieronymi versionẽ) memorabile triticum dicitur hic panis viuus, quoniam omni tritico nobilius & preciosius, panis vitam mundo præstans, & à morte æterna præseruans, verum manna de cælo descendens, quod qui mãducat, viuit inæternum, vel quia in immolatione huius tritici, memoria recolitur rei omnium preciosissimæ, &

C beneficij perpetua rememoratione dignissimi, nempe passionis & mortis Christi. hoc (inquit ipse dominus in cœna nouissima) facite in meã commemorationem. Et Paulus Apost. Quotiescunque enim mãducabitis panem hunc, vel calicẽ bibetis, mortẽ domini annunciabitis, donec veniat. Hæc autem placentula frumenti, siue hoc memorabile triticũ, est in vertice siue in capite montium. i. Apostolorum primorum sacerdotum, atq; eorum qui in illorum locũ successerunt, quibus huius placentulæ oblatio & cõsecratio, secundum rite traditã sibi potestatem & authoritatem legitime cõpetit. In capite ergo montium prædicitur hæc futura placentula, quoniam super venerandum sacerdotũ nouæ legis verticem, & super ipsorum capita cõsecrata hostia erat eleuanda, in ostensionem omni populo, adorandi gratia, simul & rememorandi vnicã illam semel consummatam oblationem, quando nuda ante oculos omnium in conspectu patris, media inter cælum & terrã exaltata fuit in ligno, tanquam vniuersalis omniũ hostia, quæ nunc sub tegumento placentulæ modicæ eãdem sese præsentem exhibet. Ne verò ab aduersarijs veritatis, ista in fauorẽ tantũ nostræ fidei, præter omnẽ rationem & probabilitatem cõfingere existimemur, sciendum est magistros Hebræorum cõplures totum hunc Psalmum de temporibus Messię determinasse intelligendum, atq; etiã specialiter de hoc versu qui nobis in manibus est, asserunt ipsum respicere fœlicitatem temporum regis Messiæ. Vnde Rabbi Salomon

D Christianæ fidei aduersissimus (vt ita loquar) Iudæus, suo autem Iudaico errori studiosissimus patronus, negare nec potest nec audet, Rabinos priores hunc Psalmum notũ, & præcipue hunc versum, de Messia exposuisse, tametsi ipse patribus cæcis nepos cæcior, ad alium sensum eadem detorserit, nimirum splendente sole cæcior factus, quàm illi fuerant ante solis exortum. Sic autem in huius versus pertractione ait, Pissath bar (quod supra diximus verti placentã frumenti) loquutio est abundantiam significãs & multiplicationem. Magistri verò nostri exposuerunt sermonem esse placentularũ in diebus Messiæ, totumq; Psalmum exposuerunt de diebus Messię: quemadmodum & in midras Tehilim (id est, expositione Psalmorum) est manifestum, vbi principium hoc Psalmi, Deus iudicium tuum regi da, ad regem Messiam dicitur pertinere, vt etiam supra manifeste ostendimus ex translatione Chalda. Idipsum quoque Rabbi Mosse hardassem testatur in cõmentarijs exponens illud quod in libro Geneſis habet prophetia Iacob, Non auferetur sceptrum de Iuda, vbi huius Psalmi versum nonũ & vndecimũ, videlicet, Coram eo procidẽt æthiopes, & inimici eius terrã lingent. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei, manifeste asserit ad Messiã pertinere, cui omnes gentes (vt ipse ait aggregabuntur, vt regnet super illos regno iustitiæ & pacis, quemadmodum iam citatis versibus ait propheticè prędictum. Idem Rabbi Mosse hardassem, in cõmentarijs, nõ solum testatur expondum hunc versum præsentem de Messiæ temporibus, verumetiã de sacerdotio Messiæ, id quod nostro proposito multum cõducit. Neque indiligenter sunt attẽdenda eius verba quę subsequuntur.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Universidad de Navarra
Biblioteca

Psal.109. Zach.9. Gene.14.

Dictum est Psal.110.(est enim Hebræorum ista cõputatio)Iurauit dominus, & nõ pœnitebit eum, tu E
es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech. Et quis est iste? Iste erit rex iustus & saluator
rex Messias, sicut dictum est Zachariæ.9. Ecce rex tuus venit tibi iust⁹ & saluator. Et quid docet vel
mõstrat, dicendo, protulit panem & vinum. Quasi dicat, Erit placentula tritici in terra. Et hoc ipsum
est quod scriptum est, Et ipse sacerdos erat Dei altissimi. Hæc ille. In quibus verbis circiter fine, ma-
nifeste indicat, se istã placentulam tritici referre ad oblationem sacerdotalem, dicitque hoc quod in
Psalmo isto dicitur, Erit placenta frumenti in terra illud ipsum esse quod de Melchisedec dicitur, q̃
erat sacerdos Dei altissimi. Atq; ita profecto res habet, nostra enim hæc (de qua sumus interpretati)
placentula tritici, res ipsa est quã præsignabat panis & vini per sacerdotem Melchisedec oblatio. Vn-
de hæc duo (oblatio videlicet panis Melchisedec in diebus Abrahæ, & Placentula tritici in vertice sa-
cerdotum, in diebus Messiæ) sic idem sunt, quomodo signum & res, figura & figuratũ, vmbra & ve-
ritas: quoniã videlicet hæc præstat quod illa promittebat, exhibet hæc quod illa præsignabat. Mani-
festum itaq; fit, si nos Christiani hunc passim de sanctissimo Eucharistiæ sacramento exponamus, nõ
solum nõ sine conuenientia, sed nec absque Hebræorum authoritate id facere. Alij autem quidã He-
bræorum, exponunt versum istum de temporibus Messiæ: sed intelligentiã torquent ad fœlicitatem
temporalem (vt omnia peruertere, & ad carnem trahere solent Iudei carnales & excæcati) dicentes in
tempore Messiæ tantã fore multiplicationem atque abundantiã tritici vltro germinantis, & sese cõ- F
fricatis absque hominum labore, etiam in summis montium, vt possint absque labore inde homines
sumere plenis manibus, quantum velint. De qua re ab illorum Rabbinis ita quodã loco scriptũ inue
nimus, Dixit Deus sanctus & benedictus. Faciã ego cõuerti vos in mãsuetudinem spiritus in mundo
isto. Et nõ erit tum Deus alienus. Quia nõ erunt in vobis filij hominum exercentes negotiationem
aliquam, vel vllam solitudinis occupationem, sicut dictum est in psalmo.73. Erit pissath bar in terra,
in capite montium. Erit pissath bar (inquit) quia frumenta producent in diebus Messiæ placentas, si-
cut est plenitudo palmæ istius, i. tam magnas quàm possit quis palma cõprehendere. Sequitur, Tur-
gescent sicut libani fructus eius, quoniam frumenta se inuicem confricabunt, & deijcient similam
suam in terrã, & tu veniens accipies inde plenitudinem palmæ istius, quantum refectio tua opus ha-
bebit, vel quantum opus tibi erit pro refectione tua. Verum cum ista ex fidei certitudine Christiani
omnes cognoscant vanissima esse, ac plusquam ridicula, expectare scilicet tantam ac talem tempora-
lem fœlicitatem tempore Messiæ, nonne præstat vt de spirituali & vera fœlicitate temporum gratiæ
(quæ sunt tẽpora veri nostri Messiæ) exponamus? eatenus quidẽ Hebræorum authoritatem insequẽ-
tes, quatenus de Messia dicunt intelligi debere: quatenus verò ad venturã tẽporalem fœlicitatem re-
ferunt, modo prædicto, nequaquam eos imitantes. Verba enim promissionum Dei per Prophetas
prænunciatarum, spiritus sunt & vita, neque carnaliter debet sermo Dei (qui spiritus est) intelligi. Ad G
prædictorum autem cõfirmationem facit non modicum, quod in Commentarijs Iudæorum habe-
tur super verbo illo Ecclesiastæ, Quid est quod fuit? ipsum quod erit. vbi sic legitur, Rabbi Barachias
dixit in nomine Rabbi Isaac, Quemadmodum fuit redemptor primus, sic erit redemptor vltimus.
Sicut enim redemptor primus fecit descendere mãna, ita redemptor vltimus erit placenta frumenti
in terra. Quibus verbis significatur, hoc ipsum in tempore gratiæ prẽstiturũ in veritate Christum ho
minem, quod ante nõdum humanatus in deserto sub lege prẽstitit in typo, dãdo mannacorporeum:
nimirum q̃ sicut Deus nõdum humanatus dedit manna corporale & figurale, sic idem homo factus
daret manna spirituale verum, fieretque ipse in placentam frumenti, in sacrificio & sacramento Eu-
charistiæ. sed & Rabbi Ionathã referunt versiculum præsentem sic exposuisse, Videat qui habet ocu-
los, quod sicut dictum est, ipse est Messias de quo loquitur totus Psalmus. Cum ergo ait, Erit pla-
centa frumenti in terra in capite montium, vult dicere, quòd placenta panis fiet sacrificium in capi-
tibus sacerdotum. Quid verò apertius possit pro nostra dici sententia? Targum quoque Chaldaicæ
translationis Ionathæ filij Vzielis sic exposuit, Erit sacrificium panis in terra, in capite mõtium. Tar-
gum verò Rabbi AKilas habet. Erit panis substantificus in terra, in capite montium. Quæ omnia be-
ne nostro proposito conueniunt. Postremò nec illud silentio prætereundũ, quod Felix ex Iudæo no- H
stris temporibus Christianus factus monachus ex familia Eremitanorum diui Augustini, homo ma-
xima Hebraicarum literarum peritia, nec minori erga Christianam fidem pietate, fideliter annotauit
super versu proposito, ita scribens, Hoc tãtum dixisse velim, quod nõ modicum nostrę confert fidei,
quoniam vbi nos posuimus in textu, Erit multiplicatio frumenti, quidam Hebræorum exposuit sic,
Erit deprecatio & complacentia frumenti in terra. Vbi ostendit maximum sacramentum, quippe
frumento. i. sacrificio panis, quicunque deprecaturus est Deum, vel Deo placere optauerit, panis sa-
crificio perficiet. Secundum quem sensum ideo complacentia erit frumenti huius in terra, quoniam
in hoc frumento, in hoc pane, Deo patri (vt ipsemet testimonium de nube dedit) erit beneplacitum.
Compluribus ergo testimonijs abundè declarauimus, quomodo propositus locus omnino conueni-
Matth.3. enter exponi possit de sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Neque conueniens est, Christianum in
huius passus expositione vel ad tẽporalem Salomonis fœlicitatem recurrere cum Rabbi Salomone
perfido & iuratissimo Christianæ fidei hoste iudaisando (potissimũ cũ suprà, ratione & authori-
monstratum sit, non posse Psalmum totũ Salomoni aptari) vel ad Messiæ adhuc venturi prosperita-
tem tẽporalem confugiendo turpissimis vanissimisque fabulis delirare: quemadmodum supra vanissi-
mas horum fabulas & nugas ostendimus: Præstat Christianos Christi accipere mysteria, potissimum
cum & inimici nostri perhibeant veritati testimonium, etiam si nesciant ipsi quid loquantur. Nobis
enim loquuti sunt, vt intelligamus, ipsi non nisi per vmbrã quandam intelligentes quæ loquebantur
nobis.

A nobis. Nisi forte & illorum aliqui diuino meruerint radio illustrari, vt talia dicerent. Neq; est quod
contra prædictã expositionem nobis quisquã obijciat, veteres Christianorum doctores istam intel-
ligentiam nusquã indicasse. Nam sic obijcientibus respondemus, non ita plenè à primis illis patribus
exhauriri potuisse omnia, vt posteris nihil facerent reliquum. Imò neque in consummationem vsque
sæculi, exhausta erunt quę in abysso latent scripturæ omnia. Ita enim dispẽsauit sua summa prouidẽ-
tia sapientissimus dominus, vt in cunctis generationibus profectum accipiat Ecclesia, & posteriores
cõtinuo illuminationes nouas suscipiant in quibusdã, quæ priores nõ aduerterãt. Licet itaque primi
Christianorum doctores supradictã expositionem non posuerint, non ob hoc reijcienda debet iudi-
cari. Habet enim Ecclesia dogmata plura, temporũ successu determinatione spiritualis luminis per-
uestigata, quæ priscorum libri vel omnino non continent, vel certè tractatu admodum sobrio, aut
sub perplexa dubitatione. Fuerunt tamen annis multis Christianorum Magistri atque doctores non-
nulli ijque non incogniti nominis, siue eruditionem variam spectemus, siue vitæ sanctimoniam, qui
prædictam sententiam suis scriptis firmarũt. Inter quos est Nicolaus à Lyra, vir de sacris literis opti-
me meritus, & in antiquorũ Hebræorum scriptis nõ modicum versatus, neque Hebraicæ literaturæ
ignarus. Deinde Paulus Burgensis episcopus, & ex Hebraismo ad Christianissimum cõuersus, populo
Christiano egregius nõ aduena siue proselytus, sed domesticus & cõciuis, sanctæque fidei Christianę
fidelis alumnus: quem virum loco quodam citans doctus ille Capnio, venerabilem magistrum appel-
B lat, sacrarumque literarum sua sententia expositorem literatissimum, doctissimumque doctorem.
quæ sanè nomenclatura à tanto viro illi tributa, nõ est parui reputanda. Post hunc est Iacobus Pare-
zius, à Valentia, Christopolitanus episcopus, in Rabbinorum scriptis versatissimus, qui locum præ-
sentem iuxta prædicta sententiam admodum diligenter enarrat, Felix quoque, quem paulò ante cõ-
memorauimus, q̃ apertè eandem sententiã ponat nemo dubitat, cui non deest mens sana. Præter hos
omnes, doctor insignis Ioannes Eckius nostra ætate vir doctissimus, & de fide Christiana (quã aduer-
sus impiorum Hæresiarcharum dogmata acutissime simul & validissime defendit) optimè meritus,
libri primi de sacrificio Missæ cap.6. locum præsentem magna diligentia pertractat, ex antiquorum
testimonijs simul & ratione ostẽdens, in præsenti Psalmo prophetiã haberi de sanctissimo isto fidei
Christianæ sacramento. Neque prætereundus est Iacobus Faber Stapulensis, qui tam in expositione
continua (quam vocat) huius versus, quam in subiunctis annotationibus apertè hanc sententiam po-
nit, multumque commendat. Sed iam finem accipiat solito prolixior linguæ peregrinæ, sed non my-
sterij peregrini, annotatio. Te verò, quisquis huic annotationi nostræ lector obtigeris, obtestor, ne
nostrã prolixitatem indigne feras. Si enim pius es, & fidei orthodoxæ firmitate gloriaris, nec te vrit
siue affligit mysteriorum Christianę fidei cõmendatio, nõ te patitur aduersus laborem pium & fide-
le studium tua conscientia indignari. Sed iam ad eam quæ sequitur annotationem, absque fastidio
C transi cõuiua: forsitã & illic præparatum reperies dulce ferculum, quod tibi erit admodum sapidum,
si Iesum amas dulcissimum æternumque patris filium. ¶ Versu 17. Ante solem permanet nomen eius.
Libet hoc loco annotationem Pauli rebræi Burgensis Episcopi (cuius suprà honorificam mentionẽ
fecimus) proprijs ipsius verbis subscribere. Verba eius hæc sunt: In hoc loco vbi dicitur, Permanet
nomen eius, Hebraïca veritas habet, ynõ, quæ dictio non est eiusdem significationis cum permanet,
sed significat filiationem. Vnde Rabbi Abenhazra in sua glosa, in hoc loco sic dicit. Hæc dictio ynon,
est verbum passiuum, quod deriuatur ab hoc nomine nin, quod propriè significat filium, Et sic sen-
sus est, quod ante solem filiabitur nomen eius, ac si dicat, quod ab æterno iste rex est filius. Vnde ex
isto loco, ex necessitate literæ Hebraicæ potest sumi efficax argumentum ad hoc quod in Diuinis est
dare filium, seu filiationem ab æterno. Hæc Paulus. Idem quoque in scrutinio scripturarum, distin-
ctionis octauæ cap.10. (vt citat Reuchlinius) nomen suprapositum nin affirmat significare filium, &
præterea nullam habere significationem in scriptura sacra. Confirmat hæc doctissimus Capnion ex
authoritate Chaldæorum, Onkeli & Ionathæ, quibus plurimam fidem & authoritatem tribuunt
Hebræi, simul etiam adducens sententiam Rabbi Dauid Kimhi, cuius in libr. de radicibus hæc sunt
verba: Et ab eo venit passiuum ynon. Psalmo.72. Ante solem permanet nomen eius, quod secundum
Abraham Aben ezra nobis ita licet exponere, Ante omne tempus filiabitur Messias. Hæc ille. Sensus
D ergo huius lectionis est, Ante omne tempus filiabitur Messias, vt filius ab æterno à patre procedens.
Filiari nanque est gigni, vt filius gignitur à patre. Vnde quidam vertunt, Filius nomen eius. Atque ita
hic locus rectè consonat illi quod est in Psalmo.2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego ho- Psal.2.
die genui te. Quòd verò alij quidam transferre conantur, nepotabitur pro filiabitur, vt sit sensus,
Nomen eius per nepotes deducetur quandiu sol perseuerabit, & celebre erit apud posteros dicen-
tes, nomen suprapositum nin (vnde verbum passiuum ynon deriuatum est) significare nepotem, ac
proinde verbum passiuum ab eo deductum debere idem valere quod nepotari, id non approbant
neque Paulus episcop. Burgensis, neque Capnion, neque Rabbi Dauid Kimhi, neque (quorũ est gra-
uissima apud Hebræos authoritas) Ionathas & Onkelus Chaldæi. Videtur autem figmentũ esse Rab-
bi Salomonis, obstinatissimi Iudæi, cuius hoc fuit summum studium, ea quæ Christianos in suæ fidei
commendationem cognouit assumere, quanta potuit diligentia impiè iubuertere: id quod in pluri-
bus manifestissimum est, ijs qui eius in scripturam sacram expositiones vel legerunt vel audierunt:
quemadmodũ vel ex annotatione hac præcedente facile quiuis potest aduertere, dũ ea quæ à veteri-
bus Hebræorum de Messia exposita fuerunt in fauorem Christianæ fidei, ab eo peruertũtur ad tẽpo-
ralem regni Salomonis fœlicitatem. Quem Christianorum perfidum hostem non absque Christia-

næ reipublicæ detrimento, quosdã Christianorum video nimium insequentes. Et male metuo, ne res B
ista (quod Deus auertat) tandẽ & illis & reipublicæ Christianæ male cedat. Non tamen negamus, posse hunc passum & aliter ex Hebræo interpretari. Nam B. Hierony. vertit, Vltra solem perseuerabit nomen eius. Felix similiter, Ante solem perseuerabit vel perpetuabit nomen eius: adijciens, vel filiabitur vel filiabit. Chal. transl. Ante esse solis præparatum fuit nomen eius: ¶ Versu 18. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ. Iudaizãtes ac de Salomone exponentes, ita conãtur hanc partẽ illi attribuere, quoniam omnes alteri voluerint benedicere, dicent, Faciat tibi dominus, sicut in diebus Salomonis. Verum istis, si Iudæi sunt, manifestè reclamat Chal. paraph. quæ sic habet, Et benedicentur in merito eius omnes populi, quod longe alium requirit sensum, nec de Salomone potest intelligi. Si verò Christiani sunt, Paulum Apostolum audiant, qui hanc benedictionem Abrahæ promissam, ac gentibus cõmunicandum in semine suo (quod est Christus) late & apertissime explicat in Epistola quam Galatis scripsit. Quod post finem Psalmi adijcitur, Defecerunt laudes Dauid filij Iesse, nõ vt initium vel titulus Psalmi sequentis accipi debet, sed ad præcedentẽ adiungi, sicque exponi, vt supra in annotationibus principalibus intelligendum diximus. Est autem & hoc aduertendum, ex hoc loco argumentum sumi posse, quo mõstrentur Psalmi etiã illi quibus aliena præmittuntur nomina, ipsius esse Dauidis: quemadmodum huic Psalmo præmittitur Salomoni, iuxta Hebræos: & tamen verba hæc testantur satis euidenter, Psalmum istum à Dauid esse compositum, quod etiã astruit Hieronymus & probatissimi Hebræorum. Vnde fieri potest, vt & in alijs Psalmis, etiam vbi alterius nomen præmittitur, Dauid tamen fuisse author credatur. Verum hac de re disputare non est præsentis loci. Hoc tantũ propter loci opportunitatem, obiter indicasse sufficiat. F

Galat. 3.

IN PSALMVM LXXII.

VErsu. 1. Quàm bonus Israël Deus. Ex Hebræo, Attamen bonus est Deus, quomodo vertit Hieronymus, vbi ex ipsa hac prima aduersante particula significatur. Prophetam post multas cogitationes in hunc Psalmũ prorupisse, vt ipso statim Psalmi huius initium cogitationibus murmuratorijs & argumentationibus quæ pòst exprimuntur, respondeat aduersus illas immobilem & firmam conclusionem cõstituens, in vehementi assertione, dicens, Attamen bonus est Deus. Alij Certe, profecto, vtique bonus est Deus. ¶ Versu 4. Quia non est respectus morti eorum. Vertit quidẽ iuxta sententiam nostræ lectionis Hieronymus aliquanto clarius, Quòd non recogitauerint de morte sua. Alij verò sic vertunt, Quoniam non sunt ligamina in morte eorum, vel non sunt colligationes mortis eorum. quod tamen in eandem penè sententiam cum vulgata lectione potest exponi: non vrgentur ad mortem, non accelerat ad eos mors, sed fugit ab eis, permittens eos in longam ætatem viuere: G
quemadmodum peruersissimos multos videmus à Deo in longã ætatem tolerari. Pro eo autẽ quod sequitur, Et firmamentum in plaga eorum. Hieronymus vertit, Et firma sunt vestibula eorum, quod intelligitur de solida & stabili prosperitate domus illorũ. quasi dicat, In domibus illorum sunt cuncta prospera atque stabilia, in successu bono & prospero. Felix autem habet, quippe fortis, robustus, supple est ipse impius: propter quod, mortẽ non recogitat, quasi victurus perpetuo. ¶ Versu. 6. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Hierony. Ideo nutriti sunt ad superbiam, circundederunt iniquitatem sibi. Per hoc enim quod cum hominibus nec labores nec flagella sustinent impij (vt habet versus præcedens) quasi fouentur & nutriuntur ad superbiam, & aggregant impietatem sibi quasi vestimentum. Felix sic vertit, Propterea onerauit os superbia, vel circundedit sue circuncinxit vt torques, inuoluet natos iniquitas ipsorum, vel operiet ipsis fundamentum iniquitas: hoc est violentia sua vestient & ornabunt verendas partes corporis. Per quod significatur impios præ nimia malitia totam suam carnem turpissime cõmaculaturos. Aut secundum prouerbialem loquendi consuetudinem dictum hoc in contemptum accipiatur, quomodo dicere solemus, hic omne patrimonium impendit in nates suas, de eo qui omnia in carnis nimium cultum insumit. Ita isti de ijs quæ per violentiam rapiunt, non aliud quàm suam carnem curant & ornant. Quem sensum Chald. H
translatio videtur innuere, cum ait, Coronam imponent capiti suo de rapina sua. ¶ Versu. 7. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorũ. Ex Hebræo, Egressus est præ pinguedine oculus eorum (quo significatur nimia corporis cura) transgressi sunt cogitationes vel affectiones cordis. i. plus acquisierũt quàm cogitabant vel desiderabant. i. abundantissime omnia. ¶ Versu. 10. Propterea conuertetur populus meus hic. Partem istam ita ex Hebræo vertit Hierony. vt habet nostra lectio. Felix autẽ diuerso modo vertit, Conuertetur populus meus concussus, hoc est, motus tentatione prædicta. Vel sic, Propterea faciet cõuertere populum suum huc & illuc, subaudi Deus. i. cum viderint iusti malos in prosperitate, vacillabunt atque nutabunt, quasi dubitantes, & apud sese deliberantes, num viam Dei velint prosequi in qua ambulare cœperunt, an iter arripere impiorum, quemadmodum in Elucidatione exposuimus. Secundam autem partem: Et dies pleni inuenientur in eis: varie transfert B. Hierony. ad hunc modum, Et quis plenus inuenietur in eis? Quod potest referri ad considerationem bonoru, superprosperitate impiorum. Tametsi enim prima facie mirum in modum prosperari & abundare videantur: si quis tamen piorũ tentatione prædicta æmulationis malæ vexatus sese conuertat ad pressius rem contuendã, videbit profecto neminem impiorũ esse, cui sua prosperitas per omnia sufficiat, non illos tã plenos fœlicitate cõperiet, quàm prima facie existimantur. Quò enim plura habent, eò sibi plura deesse existimãt, id quod per fas & nefas perpetuo coaceruantes euidenter demõstrant. ¶ Versu. 14.

A ¶ Versu. 14. Et castigatio mea in matutinis. Quidam in matutinis vel in matutino intelligunt, à pueritia, ab ætate prima. Alij propterea dictum putant, quia singuli pene exortus solis aliquam noua solent adferre molestiã. Succedit enim molestia molestiæ, & pijs noua quotidie accedit vexatio. Nos in Elucidatione & in annotationibus principalibus, quod nobis videbatur vero similius, explanauimus. ¶ Versu 18. Veruntamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum alleuarentur. Hierony. Veruntamen in lubrico posuisti eos, deiecisti eos ad interitum. Qua lectione significatur prosperitatem qua florere videntur impij, stabilitatem nõ habere, neque soliditatem, sed breui illos collapsuros de statu eiusmodi. Qui enim in lubrico constitit, in sua statione neque fixus, neq; stabilis est, sed casui proximus, vbi vllum fuerit passus impulsum, mox collapsurus in terrã. ¶ Versu 20. Velut somnum surgentium, domine, in ciuitate tua imaginem ipsorũ ad nihilum rediges. Aduertendum est diligenter quod hoc loco habet Chalda. paraph. de corporũ resuscitatione euidens testimonium. Sic enim habet, Sic somnium hominis ebrij euigilantis, Deus in die iudicij magni surgere eos faciet à domo sepulchri, & fremens imaginẽ eorum spernet. Sensus difficultatẽ non habet. ¶ Versu. 26. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Chald. transl. pulchrè explicat, quid sit fornicari à Deo. Sic enim habet, Perdidisti omnẽ apostatantem à timore tuo. In versu autem vltimo non habent Hebræa finem illum Psalmi, In portis filiæ Sion: sed tãtum, Vt annunciem omnes prædicationes tuas, vel (vt Hieronymus vertit) omnes B annunciationes tuas, quod intelligi potest de operibus Dei, annũciatione siue laude dignis, vel de omnibus quæ Deus voluerit annunciari, vel ad quæ annunciãda miserit. Vnde Felix sub disiunctione vertit, Vt enarrẽ omnes missiones vel operationes tuas. Chald. autem paraphrasis habet, Vt enarrem iustis omnibus præcepta missionum tuarum vel etiam præcepta Apostolorum tuorum.

IN PSALMVM LXXIII.

VErsu. 3. Leua manus tuas in superbias eorũ in finem. Felix, Exalta persecutiones vel cõcussiones tuas, ad ruinas in æternũ. Quod sic interpretatur, Exalta manum tuã, vt maiorem inferat persecutionem, vt ruãt in æternum, hostes scilicet & persequutores sanctorũ. Consentit huic quod habet Paraph. Chal. Leua cõculcationes tuas ad humiliandas nationes imperpetuum. B. autem Hierony. habet, Sublimitas pedum tuorũ dissipata est vsque ad finẽ. Quod intelligi potest de gloria sanctorum & fidelium conculcata & depressa vsque ad infimũ. ¶ Versu. 10. Et nos non cognoscet amplius. Hieronymus, Et non est nobiscũ qui sciat vsquequo. hoc est, nõ habemus Prophetã aliquem nobiscum, qui à te edoctus de futuris dicere nobis possit, quàm diu hæc calamitas atque miseria in qua nunc viuimus permansura sit super nos, aut quando ab ea simus liberandi. ¶ Versu. 12. Vt quid auertis manum tuã, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem? Hieronymus. Quare conuertis manum, & dexteram C tuam, in medio sinu tuo consumens? Quod intelligendum videtur secundũ id quod vulgo dicere solemus, id quod in vsum nõ extenditur, corrumpi atque consumi præ vsus defectu. Et marcescere dicimus hominem ignauia, qui nõ in aliqua honesta operatione sese exercitat. Ita Deũ alloquens Propheta interrogat, quare manũ conuertat in sinũ, vt ibi marcescat & consumatur velut otiosa: & quare nõ magis eã exerat atq; extendat in vltionẽ inimicorum, ad glorificationẽ sui nominis? ¶ Versu 14. Tu cõfirmasti in virtute tua mare. Ex Hebræo Hieronymus ac Felix vertunt, Diuisipasti, pro cõfirmasti. Verum sententia in idem reuertitur. Nam cũ faceret Deus mare rubrum populo Israëlitico peruiũ, cõfirmauit illud, quia latus maris vtrunque solidum fecit, vt fluere non posset, donec illi transijssent quos ipse transire voluit. Diuisipauit autem, quia magna potentia diuisit, ita vt siccaretur profundum eius, & illi transirẽt. ¶ Versu. 17. Tu fabricatus es auroram & solem. In Hebræo habetur, Tu ordinasti luminare vel luminaria, & solem. Per quod significatur, Deum omnium luminarium & magnorum & paruorum esse principiũ. Specialiter verò solem nominat, ob excellentiã luminaris potentissimi: quẽ etiam ob sui luminis maiestatem & virtutis eminentiã, Sapiens nominat vas admirabile, opus excelsi. ¶ Versu 21. Repleti sunt qui obscurati sunt terræ, domibus iniquitatũ. Hieronymus, Repletę sunt tenebris terræ, habitationes iniquæ subrutæ. hoc est, terræ repletæ sunt tenebris, totus mundus, omnes gentes sunt plenæ tenebris ignorãtiæ: & habitationes iniquæ, synagogæ Satanæ subuersæ sunt impijs D erroribus & doctrinis dęmoniorum. Alij sic vertunt, Repleuerunt obscuritates terræ habitacula iniquitatis, quod eandem fere habet sententiam. Chalda, autem translatio sic habet, Respice ad pactum quod pepigisti patribus nostris, quoniam consummati sunt filij eorum: obscuritas autem dispersa est super terram, & dolus & rapina.

IN PSALMVM LXXIIII.

VErsu 1. & 2. Et inuocabimus nomen tuum, Narrabimus mirabilia tua. Hieronymus versus prioris finem cum principio sequentis coniungens, ita vertit, Et iuxta nomen tuum narrabunt mirabilia tua, ac deinde subiungit versum incipiens nouum, Cum accepero tempus, ego recta iudicabo. Sensus autem lectionis illius facilis est, Prædicabunt mirabilia opera tua iuxta nomen tuũ, iuxta magnificentiam & gloriã nominis tui, quod in alio Psalmo dicitur, Sicut nomen tuum, ita & laus tua in fines terræ. Felix autem vertit, Et propinquum nomen tuũ: ac deinde diuisum. Narrauerunt mirabilia tua. Est autẽ nomen Dei propinquum confitentibus & inuocantibus, quoniam (vt in alio loco dicitur) prope est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, & iuxta est dominus ijs qui tribulato sunt corde. ¶ Versu 2. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Felix vertit, Cum accepero solennitatem, quod exponit tempus, scilicet in quo congregantur homines ad solennitatẽ. Quod

Psal. 47. Psal. 148. Psal. 33.

Matth.25. Apoc.1. intelligitur de tempore illo iudicij, quando apparebit Christus cum maxima gloria in milibus angelorum & electorum suorum, in gloria patris sui in nubibus, ita vt videat eum admirabilé omnis oculus: ad quam sane solennitatē oēs omnino homines, qui ab initio fuerūt vsq; ad eos qui in nouissimo tēporis mometo inueniēdi sunt, necesse erit cōuenire, vt prorsus tot miliū nemo abesse possit, omniū corū qui vitæ rationalis vnquā fuerunt participes. Qua solennitate quæ maior possit cōtingere? Alij exponunt, Cum accepero cœtū vel tēpus congregādi meos subditos. Et hoc prædicto sensui optime cōgruit. Alij, Cum accepero tēpus definitum ad celebrāda mea comitiaria iudicia (quomodo habent reges & principes sæculi definita tēpora celebrādis comitijs & exercendis generalibus iudicijs deputata (tum ego iudicabo, nō vt plerique principum sæculi iniquitatem, sed iustitiā & æquitatē. Et hoc iterū optime ad prædictum sensum quadrat, B. autem Hierony. simpliciter, tempus vertit. ¶ Versu. 4. Dixi iniquis, nolite iniquè agere. In Hebræo nomen iniquis & verbū iniquè agere ab vna radice sunt halal, quod significat insaniuit, vel iniquè egit. Vnde B. Hierony. præsentem locum vertit fere iuxta id quod habet vulgata lectio, Dixi iniquè agentibus, nolite iniquè agere. Alij verò trāsferunt, Dixi stolidis, nolite stolidè agere. Felix, Dixi insipientibus, nolite insanire. Alij, Dixi insanientibus vel insanis, nolite insanire. Omnia autē hæc in eundem sensum recidūt. Manifestum est enim omnes impios, stultos esse, stolidos & insipientes: oēs autem stultos (iuxta Ciceronis paradoxum) cōsequēs est insanire. ¶ Versu 5. Nolite extollere in altū cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatē. In Hebræo sic legitur, Nolite extollere in altū cornu vestrum, loquentes in ceruice veteri. Quod sic intelligitur, Nolite loqui cōtra Deum, iuxta veterē & antiquā superbiā siue pertinaciā & rebellionem. Per cerui cē enim elatio & pertinacia designatur. Vnde vetus ceruix est, vetus & antiqua superbia. Est ergo sensus, Nolite loqui superba & blasphema vt olim: nolite loqui in veteri superbia, contra Deum. Huic etiā facile aptatur quod vertit Felix, Ne loquamini cū ceruice elatū. i. ne loquamini sermonē elatū in superbia & pertinacia. vel, Ne loquamini superbū vetus. i. iuxta veterem superbiā, sed humiliter disci te loqui, & pœnitentiā agere de præterita superbia & ceruice veteri. Nec dissonat quod habet parap. Chal. Ne extollatis in excelsum gloriam vestrā, vel cornu vestrum, vos loquentes in fortitudine vel contentione & in opprobrio. Qui enim sic loquuntur, ceruice eos carere dicimus. Consentit insuper quod vertunt quidā. Ne loquamini collo duro, vel ne loquamini præfracte & pertinaciter. Potest verò admodum apte vetus ista ceruix Iudaico populo applicari. De horū enim veteri ceruice Moysi loquens testatur dominus, ꝙ dura, rebellis & inobediēs fuerit. Video (inquit) quoniā populus iste duræ ceruicis est. Hos ergo monet, ne iuxta veterem suā pertinaciā & incredulitatē, pergāt murmurare aut tētare dominum: quemadmodum in alio Psal. dicitur, Hodie si vocē eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundū diē tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri. ¶ Versu. 7. Calix in manu domini vini meri plenus mixto. Hier. Calix in manu domini, vino meraco (. i. fortissimo & durissimo ad potandum) vsque ad plenum mixtus. In Hebræo autē pro vino meraco ponitur vinū chamar, quod iuxta quosdā significat vinū merum. i. excellentissimū & fortissimū, quēadmodum etiam habetur Deut. 32. Vt sanguinē vuæ biberent meracissimum. Et Esaiæ 27. In die illa vinea meri. Rabbi Dauid Kimhi intelligit vinum rubeū, putās ita dictū, ꝙ rubeum in terra Israel præstantius sit, vt sic per translationē intelligeretur vis & efficacia Diuinæ vltionis. Alij autē malunt vertere vinum lutosum & turbidum, maxime quod de fæcibus mox subijciatur. Alij, vinum effervescēs, ad significandū feruorē indignationis Dei. Felix habet, Calix in manu domini & vino rubefactus est, plenus est mixtione. Omnia nō aliud q̄ fortitudinem iræ Dei designant. ¶ Versu. 8. Et inclinauit ex hoc in hoc. Veruntamen fæx eius nō est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Hieron. Et propinabit ex eo (calice). Veruntamen fæces eius epotabunt bibentes oēs impij terrę. Felix, Et redundare fecit ex hoc, vel, & diffluere fecit vndique (quoniā scilicet abundāter ad plurimos deriuata est ex hoc calice vltio Dei) quippe fæces eius sugent omnes impij. Chal. transla. Fæces autem & spumam sugent & epotabunt omnes impij terræ. Quæ omnia in eundem sensum coincidunt, vt pote designātia amaritudinem vltionis Dei. ¶ Versu vlt. Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti. Pulchre hunc versum exponit Parap. Chald. habens in hunc modum, Et omnem fortitudinem celsitudinis impiorum confringam, euellam eos à fortitudine eorum, & exaltabuntur fortitudines excelsæ iustorum.

Deut.32. Esaiæ.27. Exodi.32. Psal.49. Lucæ.1.

IN PSALMVM LXXV.

VErsu. 3. Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum. Hierony. Ibi confringet volatilia arcus, scutum & gladium, & bellum, vertitque ad eundem modum & Felix. Intelligūt autem per volatilia arcus, non aliud quàm sagittas, quæ ex arcu velut euolant, dum iaciuntur impetu, & magna celeritate eiaculantur. ¶ Versu. 4. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Hierony. Lumen tu es magnifice à montibus captiuitatis. Potest autem hoc secundum eundem sensum exponi, quem suprà in Elucidatione atque annexis annotationibus assignauimus lectioni vulgatæ, videlicet de sanctis Apostolis, qui recte captiuitates mōtes dici possunt, vel quoniam captiuo generi humano destinati, ad illuminādos eos qui in tenebris & in vmbra mortis captiui tenebātur sub mortis imperio: vel quoniā & ipsi de filijs erant captiuitatis huius, per quos Deus lumine suo libertatē nobis magnifice voluit cōcedere. Neque enim angelos misit ad illuminationē mundi in tempore gratię, qui visibiliter mundum illuminarent: sed fragiles & viles homines filios captiuitatis, vt tāto magnificētior esset victoria de principe tenebrarum, tenebris è mundo fugatis. Posset etiā præpositio, a, accipi, vt significet cōparationem & excellentiam, sicque sensus erit, Lumen tu es magnifice præ montibus captiuitatis,

A ptiuitatis, vel plusquā montes captiuitatis. Atque ita per mōtes captiuitatis intelligi poterunt omnes præeminentes sciētia & sapientia huius sæculi. Hi enim propter sublimitatē suæ sciētiæ atque sapientes montes sunt, sed mōtes sunt captiuitatis: neque cōparari valent secundum luminis sui claritatem vnico illi mōti æternitatis Christo domino, cuius sapientiæ collatus omnis humanæ sapientiæ actus nō nisi obscuritas est & meræ tenebræ. Vtrique autem expositioni rectè cōsonat quod mox subditur in versione Hiero. Spoliati sunt superbi corde. Christi enim lumine mundo corruscāte, omnis sapientia mūdi obscurata est, iuxta illud prophetæ, Perdā sapientiam sapientiū, & prudentiam prudentium reprobabo. ¶ Versu 5. Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarū in manibus suis. Hiero. Non inuenerunt omnes viri exercitus manus suas. Et pro eo quod pòst sequitur, Ab increpatione tua Deus Iacob, dormitauerunt qui ascenderunt equos: idem sic vertit, Ab increpatione tua Deus Iacob cōsopitus est currus & equus. Est autē hæc sententia, Aduersarij veritatis, & euāgelij persequutores, tua diuina virtute impediti, nō potuerunt quicquā efficere manibus suis. Hoc enim est non inuenire manus, nihil manibus posse efficere, manus nō inuenire potentes ad perficiendū cordis desiderium. Ab increpatione insuper & imperio diuinæ iussionis, nihil potuerunt in curribus & equis suis, factique sunt absq; virtute equi & currus, & nihil potuerunt efficere. Consentiunt versioni Hiero. iā explanatæ cæteri ex Hebræo interpretes. ¶ Versu 10. Quoniā cogitatio hominis cōfitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diē

B festū agent tibi. Hiero. Quia ira hominis cōfitebitur tibi, reliquijs iræ accingeris. Quod nō ita est intelligendum quasi ipsa hominis indignatio per se laudem adferat Deo, sed ꝙ per occasionē ira malorū veritati resistentium, & fidelem populum totis viribus impugnātium (de quibus in prioribus versibus mentio facta est) Dei potentiā reddat celerem, & faciat gloriosam: quēadmodum Paulus apostolus cap. 9. epist. ad Roman. de vasis iræ dicit, ꝙ in multa patientia sustinetur à Deo, apta in interitum, vt notā faciat in eis potentiam & iram suā. Reliquis autem sine residuo iræ impiorum accingitur Deus, quādo propter reatum impietatis illorum, contra veritatem insanientiū ad vltionem condignā se parat. Alij verò alijs modis & vertunt & interpretantur. Nobis impræsentiarum sufficit Hieronymi versionē explanasse. Ad prædictum autem sensum posset vtcunque etiā vulgata nostra lectio reduci, si cogitationem intelligamus malā machinationem hominum impiorum contra Deū & populum eius ac veritatem, astutè impieque cogitantium. ¶ Versu vltimo, Terribili & ei qui aufert spiritum principum. In Hebręo verbum ponitur batzar, quod significat vindemiare. Dicitur enim Deus vindemiare spiritus principum: quoniā sicut homines racemos vindemiantes colligunt, hinc & illinc legendo, absque vlla laboris molestia, ita Deus quos vult nulla difficultate in mortē colligit, & de vita auferēs, quasi de vite botros decerpit, De qua vindemiatione in Apocalypsi angelorum voce ad dominum habentem in manu falcem acutam, clamatur, Mitte falcem tuam acutam in terram, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam mutatæ sunt viæ eius.

Esaiæ.29. 1.Cor.1. Rom.9.

C

IN PSALMVM LXXVI.

VErsu 2. Manibus meis nocte contra eū, & non sum deceptus. Hiero. sic habet, Manus mea nocte extenditur, & nō quiescit: id est, nō cessō etiā per noctem te deprecare, Quo significatur infatigabilis & assidua viri iusti oratio, Felix autem sic vertit, Vulnus meum per noctē defluxit, & nō resedit vel cessauit. In quo proponit tribulatus suam afflictionem, cōparatque eam plagę aut vulneri continuo saniem stillanti per diem & noctem. ¶ Versu 3. Memor fui Dei, & delectatus sum. Hieronymus, Recordans Dei, cōturbabar. Quod intelligi potest ob peccatorū recordationem. Quoties enim in afflictione positi Dei habemus memoriā, meritò cōturbari nos cōuenit propter nostra peccata quibus Deū offendimus, & tribulationes multo maiores promeriti sumus. Felix, Memor ero Dei & vociferabor. In eo autē quod sequitur. Defecit spiritus meus: verbū Hebraicum quod ponitur pro defecit, significat summam cōmotionem & exagitationem, velut cū quis anxietate obuoluitur, & totus operitur angustia. Vnde Felix vertit, Anxietate inuoluetur, vel operietur spiritus meus: alij, torquebitur, vel extatim patietur spiritus meus. B. autem Hiero. nobiscum habet, Defecit spiritus meus. ¶ Versu 4. Anticipauerunt vigilias oculi mei Hieronymus, Prohibebā suspectum oculorū meorum: id est,

D non audebā leuare ad te oculos meos, vel ad te suspicere oculis meis: quemadmodum de euangelico publicano legimus, quòd nolebat nec oculos ad cælum leuare. Felix, Tenuisti palpebras vel custodias oculorum meorum: hoc est, non permisisti oculos meos deficere, aut somno claudi, sed vigiles eos custodisti in oratione & meditatione. Pro eo autem quod sequitur, turbatus sum, Hieronymus reddidit, stupebā: Felix, cōfractus sum, quod exponit, deliquium animi passus sum. ¶ Versu 6. Et scopebā spiritum meum: B. quidem Hierony. non aliud vertit q̄ habet lectio vulgata. Felix tamen conuersam ponit sententiam dicens: Perscrutabitur spiritus meus. Quod si ad ipsummet spiritum referatur, vt sit sensus, Perscrutabitur sese spiritus meus, sensus coincidit cum ijs quæ dicta sunt in principalibus annotationibus de spiritu scopendo, fodiendo, ventilando, vexando, atque emundando. Si verò ad Dei iudicia, quomodo alij exponunt, sensus habetur diuersus, cui magis fauet quod habet paraphra. Chald. Inuestigabit mirabilia scientia cordis mei. ¶ Versu 7. Aut non apponet vt complacitior sit adhuc? Clarius ex Hebræo sic vertit Hieronymus, Aut non repropiciabitur vltrà? ¶ Versu 10. Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Hieronymus, Et dixi, imbecillitas mea est, hæc commutatio dexteræ excelsi. Cuius lectionis sensus est, Non es aliud quàm infirmitas, nimium es infirma & pusillanimis, ô anima mea, non satis fidis, neque satis fixam & fortem te monstras in domino Deo tuo, dū ita querularis, tales enim mutationes sunt dexteræ excelsi. Dei excelsi dextera est, quæ potest

Matth.8.

mutare pro suo placito vt voluerit,& in illo oportet habere fiduciã,in illo corroborari, in quo po- E
Psal.4. teris omnia. Est enim ex infirmitate & pusillanimitate ac defectu fiduciæ in Deum, quòd plerique adeò sunt perplexi,vel nimium anxij,vel pro præteritis quæ recogitant malis,vel de præsentibus quæ perferunt,vel de futuris quæ metuunt. Oportet enim attendere,quòd omnis bona commutatio ad
Iob.17. potentiam altissimi spectat, & quòd in illo fidentes omnia possint. In ipso enim sanctus Iob sperabat post tenebras lucem,Felix verò pro imbecillitate,vertit expectationem,hoc modo,Et dixi,expectatio mea est,mutationes dexteræ excelsi.Cuius sensus est, Dixi in corde meo, meum est expectare & præstolari dominum(in silentio enim & spe iuxta prophetam,erit nostra fortitudo) quoniã mu-
Esaiæ.30. tationes sunt in manu Dei, potens est altissimus commutationem facere cum voluerit: & qui nunc affligor,si patienter expectauero,potens est Deus efficere,vt pro afflictione recipiam cõsolationem. Cætera satis consentiunt.

IN PSALMVM LXXVII.

VErsu.16.Statuit aquas quasi in vtre,Hieronymus,Stare fecit aquas quasi aceruum.Eadem est cũ vulgata lectione sententia.Item & in eo quòd versu priori,pro campo Taneos,vertit,regionem Taneos.Et versu 18. quod nos habemus, Adaquauit eos velut in abyssо multa: ipse clariùs reddidit, F
Potum dedit quasi de abysis magnis.Nam adaquare positum est pro potum dare, sumpta similitudine ex gregibus pecorum,quæ dicuntur adaquari. ¶Versu 20. Panem angelorum manducauit homo.In Hebræo habetur,panem albirim,quod B.Hieronymus & alij plures vertunt, panem fortium vel robustorum:quia scilicet tali pane fortes & robusti reddebantur. Non enim minùs quàm panis terrenus,verũ amplius etiam confirmabat corda sumentium. Aut fortè propter significationẽ panis viui illius,tempore gratiæ mũdo descensuri desuper(cuius nõ dubium est manna corporeũ fuisse figurã)panis robustorũ aut fortium dictus intelligatur:quoniã is cuius typum gerebat, panis viuus
Psal. 103. de cælo mittendus cõfortaturus erat corda sumentinm in vitã æternam:iuxta quod apud Ioannẽ Sal-
Ioan.6. uator testatur,dicens,Qui manducat hunc panem,viuet inæternum,Et qui mãducat me, & ipse viuet propter me.Alij verò dicunt significari nubes,vertuntque panem nubium,eo quòd desuper descendebat in loco nubium.Alij angelorum,rationibus quas in Elucidatione atque prioribus annotationibus assignauimus.Felix in sua versione prędicta omnia cõplectitur,dicens,Panem robustorum vel regum,vel angelorum,vel nubium comedit vir.In secunda autem parte cum dicitur,Cibaria misit eis in abundantia. Græcè est ἐπισιτισμὸν ,numeri singularis:pro quo psalterium Romanũ habet frumentationem,quod intelligi debet prouisionem,vel commeatũ frumenti:id est panis,Nam frumentationem intelligi oportet,panis prouisionẽ.Possetque apte sic verti per numerũ singularem, Com-
meatum misit eis in abundantia.Cui etiam consonat quod ex Hebræo vertit Felix. Cibum viaticum G
misit eis ad saturitatem.Cibus enim viaticus,commeatus est,& econtrariò.Hieronymus verò nobiscum cibaria vertit.Neque est in his vlla sensus diuersitas.¶Versu 30.Transtulit Austrũ de cælo. Pro Austro in Hebræo ponitur Kadim,quod significat ventos Oriẽtales,à Kedem,quod significat Orientem.Vnde ex Hebræo B.Hierony.& Felix vertunt,Eurum siue ventum Orientalem.Diuersam tamen assignant huius versus sententiam.Nam Hieronymus sic habet,Abstulit Eurum de cælis, & induxit in fortitudine sua Aphricum: qua lectione manifestè significatur venti Orientalis qui flauerat ablatio,prohibitio atque cessatio,ac pro eo exuscitatio venti alterius, nempe Aphrici. Atq; huic sententiæ consentit,quod vertunt alij,vertit Eurũ in cælis,& induxit Aphricum.Dicitur enim verti ventus, quando mutatur. Alij verò sic putant vertendum.Suscitauit,vel progredi fecit,aut surgere fecit Eurũ in cælis:iuxta quẽ sensum habet psalterium Romanũ,Excitauit Austrum de cælo. Et huic sententiæ posset etiam vulgata litera Gallicani psalterij facile applicari,intelligendo,trãstulit de cælo,fecit flare & exurgere desuper. Verum non videtur hæc sententia satis cum sequenti cõsonare, quoniam ibi de alterius venti introductione fit mentio. Sed & in Græco ἀπῆρεν ponitur , quod significat abstulit, non excitauit,vel progredi fecit.¶Versu 35.Et electos Israël impediuit , Ex Hebræo vertit Hieronymus,Et electos Israël incuruauit:alij,humiliauit;hoc est,per mortem interfecit. Aut etiam eos qui re
sidui fuerant ad humilitatem & pœnitentiã conuertit,& electos etiam ac nobiles ad mansuetudinem H
& timorem conuertit. Posset insuper ex Græco(quod habet ἀνεκόπησεν) verti compediuit,quasi pedes stringendo & prohibendo,ne in promissionis terrã possent ascendere,per mortis scilicet interfectionem.Significatur autem hoc versu, ꝙ non secundum personarum acceptionem Deus exercebat iudicium,faciens primos esse in pœna qui authores ac primi fuerant in culpa.Verisimile enim est,pin gues,electos,& delicatiores(vt pote magis assuetos diuersorũ ferculorũ omnigenis delicijs)murmurationis fuisse præcipuos authores, eosque ad se promiscuum vulgus in murmurationem attraxisse. ¶Versu 37.Et defecerunt in vanitate dies eorum,& anni eorum cũ festinatione. Ex Hebræo sic vertendum,Consumpsit in vanitate dies eorum & annos eorum.Ipse scilicet dominus , propter vanitatem,& infidelitatem consumpsit dies eorum & annos celeriter, quia intra annos quadraginta totum illum exercitum murmurantium pro introitu terrę promissionis,prostrauit in deserto,solis Iosue & Caleb seruatis ad ingressum terræ.Felix autem pro eo quod habemus cum festinatione,vertit,in horrore.Et quidem valde horrendum fuit, tantum exercitum ita breui tempore prosterni omnes in deserto,vt iuxta verbum domini, nec vnus præter duos illos ingrederetur in terram promissam. Hieronymus tamen secundum sententiam nostræ lectionis vertit,velociter. ¶Versu 40. Et dilexerunt cum in ore suo. In Hebræo est, lactauerunt, vt vertit Hieronymus : vel adulati sunt ei,vt Felix: siue
persuase-

A persuaserunt illi cum ore ipsorum, id est, ore simulabant & blandiebantur , promittentes mirabilia, cum non rectum esset cor eorum. ¶Versu 42. Ipse autem est misericors,&c. Ante hunc versum Hebræorum libri diuisionẽ faciunt, interponuntque dictionem significantem hic esse totius libri psalmorum dimidium.Computarunt enim (nescio diligentia nimia,an superstitione dicam) versus omnes totius libri psalmorum,ac iuxta suam computationem dimidium hic esse inuenerunt : cuius tamen neque Hieronymus neque Felix in suis versibus vllam faciunt mentionem,neque talem ponunt diuisionem.¶Versu 46.Et sanctum Israel exacerbaueruot. Hieronymus habet concitauerunt. Felix verò,Sanctum Israël circunscripserunt,quod exponit dicens:idest,potentiam eius limitauerunt, vel signauerunt , tentando scilicet & diffidendo de eius omnipotentia, vt cum versibus prioribus dicerent,Quia percussit petram,& fluxerunt aquæ.Nunquid & panem poterit dare , aut parare mensam in deserto?¶Versu.49.Et conuertit in sanguinem flumina eorum,& imbres eorum ne biberent.Vbi nos imbres habemus,Psalterium Romanum habet,aquas pluuiales,quæ in idem redeunt: quoniam imbrem nos per aquas stagnales & pluuiales debemus exponere.Verũ huic lectioni videtur non admodũ facere quod dicunt,in Aegypto aut vix,aut modicissimè fieri pluuiã,terram autem Nili inundatione(quæ illi pluuię vice est)irrigari,propter quod,nõ apparet satis verisimile fuisse ibi aquarum
B pluuialium congregationes. Hanc autem difficultatem Hebræa lectio non habet,quæ pro imbribus habet riuos,quemadmodum Hieronymus & cæteri omnes ex Hebræo verterunt. Aegyptus nanque (vt Strabo refert libro decimoquarto) fossis Nili riuos excipientibus vndique interscpta est,vt vbique sit nauigabilis.Omnes autem istos fluuios & riuos,maiores pariter & minores, conuertit Deus in sanguinem. Erit autem omnis difficultas à vulgata lectione ablata,si dicamus, impropriè imbres poni pro paruis aquarum congregationibus. Nam parui riuuli , comparatione ad Nili magnitudinem non nisi imbres computantur. ¶Versu 51.Et dedit ærugini fructus eorum. Nicolaus Perottus in commentarijs linguæ Latinæ(quos Cornucopiæ appellauit) dicit pro ærugine hoc loco poni debere rubiginem.Hanc enim dicit in segetibus inueniri,non autem æruginem.Ponit autem inter duo hæc differentiam , quòd rubigo sit quæ in metallis situ contrahitur , arida & rubra,paulatim absumens metallum , qualem videmus in ferro: atque hanc Græcis dicit à calore rubeo ἐρυθρὸν appellari , quæ dictio in Græco præsenti in loco habetur. Aeruginem verò dicit esse eam quæ in metallis
C contrahitur ex humore non rubea & sicca,sed humida & viridi. Dicit autem corruptionem quæ segetes occupat,appellari rubiginem,quòd sicut illa ferrum atque alia metalla consumit, sic ista segetes exurit vel consumit. Vnde & Robigus Deus dictus fuit , cui fiebat sacrificium ne rubigo segetes occuparet: & Robigalia huiusmodi sacrificia fuerunt appellata. Sunt tamen qui inter prædicta non ponant differentiam , idem intelligentes rubiginem & æruginem. In Hebræo autem nec ærugo haberur nec rubigo,sed brucus,quomodo beatus Hieronymus vertit,Dedit bruco germen eorum. ¶Versu. 57.Et perduxit eos tanquam gregem in deserto Hieronymus, Minauit eos tãquam gregem in deserto:hoc est,per desertum,quod pulchrè curam Dei erga populum suum , secundum pastoris similitudinem explicat.¶Versu 59.Et deduxit eos in montem sanctificationis. In Hebræo habetur, Adduxit eos ad terminum sanctificatum suum ; vel ad terminos sanctificationis aut sanctitatis suæ. Nec tamen secundum rem differt à priore lectione sententia. ¶Versu. 69.Virgines eorum non sunt lamentatæ. Quoniam non est Latinis vsitatum , vt verbum Lamentari in passiua accipiant significatione,beatus Hieronymus per actiuum fecit eloquutionem,hoc modo,Virgines eorum nemo luxit. Aliter tamen vertit Felix , Virgines eorum non nupserunt, ad significandum quòd omnis tum aberat lætitia , ob nimiam tristitiam occupantem omnium animos. Adijcit in margine,Virgines eorum nõ sunt laudatæ:quod intelligendum est,non sunt laudatæ epithalamijs,vel canticis nuptialibus quod idem est ac si dicamus,non nupserunt:hoc est, non est audita in eis vox sponsi & sponsæ . In eo quoque quod sequitur in versu proximo, Viduæ eorum(nempe sacerdotum)nõ plorabantur.In Hebræo actiuè habetur,Viduæ eorũ non fleuerunt,vel plorauerunt,intelligẽdo maritos.Et(vt in Chal. 1.Reg.4.
parap.dicitur)nõ licuit viduis plangere eos,nimirũ maritos,vel quia & ipsæ morte perierunt,quem-
D admodum de vxore Phines legimus 1.libro Regum, quum audisset mortem viri partu animam ex- 1.Reg.5.
halantes, vel quia nimio timore pro sese ipsæ grauabantur.¶Versu 72.Et percussit inimicos suos in posteriora.Hieronymus vertit, Percussit inimicos suos retrorsum:similiter & Felix.Quod intelligi potest in posterioribus partibus,vbi Philisthæos legimus percussos:vel generaliter , vt significentur dominio priuati quo dominati fuerant super populum Dei,& ijsdem subditi facti , quibus ante dominabantur:vt facti sint in caudam qui antè fuerant in caput,contraria sorte , in contrarium Dei vltrice manu commutata,Verti etiam potest,Percussit inimicos eorum posterius,vel postea:vt sit sensus,Postquam inimicis eorum vsus fuisset ad populi sui punitionem , quasi virga peracta correctione populi sui,illos qui prius alios crudeliter percusserant,posterius percussit: quemadmodum solet virga cum detrita fuerit castigationis vsu , in ignem proijci . Et sic ferè fecisse legimus dominum in sanctis historijs,quod eos quibus ad correptionem suorum vsus fuit,postmodum & ipse grauiter afflixerit:eo quòd non Deo , sed sibi asscriberent victoriam, & quia nimium crudeli animo ac superbè nimium egissent negocium.¶Versu 75.Et ædificauit sicut vnicornium sacrificium suum. Hunc passum diuersi diuersimodè transferunt.Felix quidem sic vertit,Aedificauit sanctuarium eius,velut excelsa, id est, velut cælos vel palatia superba & magnifica . Ad quem sensum etiam reduci posset lectio vulgata,Aedificauit sicut vnicorniũ sanctificium: id est , sanctuarium suum ædificauit in magna gloria & dignitate , tanquam ædificium vnicornium : quomodo scilicet illi glorioſas sibi mansiones præ cęteris animalibus construunt,vt sunt potentissima,& glorioſa animalia.B.autem Hieronymus,
iuxta

iuxta sententiam veteris lectionis vertit, Aedificauit in similitudine monocerotis sanctuarium suum. E
Nam quod Græcè μονόκερος, Latinè vnicornis dicitur. Chald. etiam paraphr. sic habet ædificauit sicut
cornu naris cornis vel rhinocerotis sanctuarium suum: hoc est, excellenter.

IN PSALMVM LXXVIII.

VErsu. 1. Posuerunt Hierusalem in pomorũ custodiam. Ex Hebræo vertunt Hierony. ac Felix, In
aceruos lapidum. Potest etiã verti, in desolationẽ, vel in deserta. In vtroque verò idem significa
tur, nẽpe destructio & dissipatio ciuitatis Hierusalem, Quando enim ciuitatis muri infringuntur, &
domus ac turres diruuntur, manifestum est ciuitatem in lapidum aceruos redigi: ac tunc etiã in soli-
tudine ponitur, quoniã interfectis habitatoribus, habitationes dissipãtur. Cæterum, de redacta Hie-
rusalem in aceruos lapidum sub illustri Antiocho, manifestũ testimonium præbet historia Macha-
1.Mac.1. bæorum, quando præfectus tributorũ ab Antiocho missus, dolosè in ciuitatem Hierusalem irruit, &
percussit eã plaga magna, perditúque populum multum, & ciuitate spoliata eãdem igni succendit,
domosque eius destruxit, & muros per circuitũ demolitus est. ¶ Versu 22. Posidé filios mortificato-
rum. In Græco est τετηκαθωμένων, id est, morte affectorum, quod in vulgata editione dicitur mortifica
torum, in psalterio autem Romano, morte punitorũ. In Hebræo verò aliter habetur. Pro filijs enim F
morte affectorũ vel mortificatorum, habetur, filij mortis. Nec posside habetur, sed dimitte, vel relin
que, vel dissolue, ad hunc modũ, Relinque, vel dissolue, vel dimitte filios mortis: hoc est, eos qui mor
ti addicti sunt, & mortẽ adhuc expectant in captiuitate positi, qui nondũ gladio hostili perẽpti sunt,
sed quotidie expectant periculũ mortis: hos (inquã) tu dimitte, dissolue, facq; liberos à periculo, serua
eos tua gratia, ne hostili manu cadãt, quemadmodum cæteri qui iam occubuerũt. Aut relinque eiusmodi, id est, fac superesse, vt vel reliquiæ saluentur populi tui, & nõ prorsus deleãtur simul. Filij autẽ
mortis, iuxta proprietatẽ scripturarum appellantur, qui morti addicti atque deputati sunt, & quibus
in proximo mors imminet.

IN PSALMVM LXXIX.

Psal.17. VErsu 5. Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem serui tui? ex Hebræo habe
tur, Vsquequo fumabis, quod est, irasceris. Dicitur enim fumare, vehementer irasci & indigna-
ri, ita vt fumus de ardente vultu videatur ascendere, quemadmodum in alio psalmo dicitur, Ascendit
fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit. ¶ Versu 6. Cibabis nos pane lachrymarum potum dabis
nobis in lachrymis in mẽsura, B. Hierony. pro pane lachrymarum, vertit panem flebilem, Cibasti nos G
(inquit) pane flebili. Loco eius autem quod sequitur, In lachrymis, in mensura, vertit, In lachrymis
tripliciter. Quod exponunt aliqui, abundanter & copiosè, quoniã trina mensura perfectionẽ indicat.
Vnde Felix in contextu vertit, In maxima mensura. Alij exponunt tribus vicibus (quemadmodum ad
marginem ponit Felix) id est, mane, vespere, & meridie, hoc est, semper & continuò. Alij dicunt voca-
bulum Hebraicum hîc positũ, salis significare capacem mensurã, & significari in proposito sermone
magnã abundantiam. Felix enim putat verti posse. Feci sti nos bibere lachrymas catenarũ, vel lachry-
mis in catenis: hoc est, in captiuitatis miseria. ¶ Versu. 11. Et arbusta eius cedros Dei. Ex Hebræo sic
verti potest. Rami eius cedri Dei supple sunt: vt significetur, genitos de illo populo fuisse eleuatos al-
Iudic.7. tissimè in modum cedrorum quæ sunt altissimè arbores. ¶ Versu. 19. Et nomen tuum inuocabimus.
Hieronymus, Et nomine tuo inuocabimur, hoc est, vocabimur populus tuus, & peculium tuum. Fe-
lix, Et in nomine tuo clamabimus: id est, tuũ nomen inclamabimus in prælio: quẽadmodum Gedeõ
clamabat, Gladius domini & Gedeonis, vel in nominis tui inuocatione clamabimus, ad te solum spẽ
nostrã & vocem leuantes. Cæterum, de huius psalmi titulo, qui est, In finem, pro ijs qui cõmutábun-
tur, siue pro lilijs, iam sæpe dictum est. Quod autem additur in quibusdam codicibus, pro Assyrijs, id
Hebræa non habent, & videtur adiectum, eo quòd contra inimicos dirigatur sermo. H

IN PSALMVM LXXX.

VErsu. 3. Buccinate in neomenia, tuba in insigni die solennitatis vestræ. Quod hæc buccina-
tio in tuba ad nouam lunam, id est, initium mensis Septembris pertineat, iuxta quod in Elu-
cidatione expositum est, manifestè indicat paraphrasis Chalda. sic habens, Clangite per lunam Sep-
tembris cornu. Quod autem sequitur, In insigni die solennitatis vestræ, id tametsi Hieronymus ferè
Num.29. iuxta modum nostræ lectionis verterit. In medio die solennitatis vestræ: & Felix, In solennitate, in
die festiuitatis nostræ, potest tamen & aliter verti, In operimento festiuitatis nostræ, quod exponunt
de festo tabernaculorum, quando in tabernaculis habitant cooperti, in memoriam habitationis de-
serti. Alij rursum malunt vertere, In definito tempore sacrificij nostri. Nam prima dies Septembris
festum tubarum erat tempus destinatum speciali sacrificio. Nam in lege definitum erat, quid in il-
lo die, & quomodo deberet offerri. ¶ Versu. 5. Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de
terra Aegypti: Chalda. paraphrasis hîc intelligit personam Ioseph. Sic enim habet, Testimonium su-
per domum Ioseph posuit, qui non attigit vxorem domini sui: in illo die egressus est de domo carce-
ris, & dominatus est super regionem Aegypti, labium quod nescibat didicit & audiuit. Quam etiam
sententiam non omnino male pateretur lectio Hebræa, si pro eo quod nos habemus. Cum exiret de
terra Aegypti, verteretur, Cum exiret super terram Aegypti, videlicet tanquam princeps & dominus.

Veruntamen

A Veruntamen tota ipsa textus connexio huic sententiæ videtur reclamare, quemadmodum & in alijs
annotationibus tetigimus, & plane nobiscũ B. Hieron. vertit, Cum exiret de terra Aegypti, quod nõ
ad Ioseph secundum propriam ipsius personã potest accõmodari. Neque ipsi Ioseph aliquando hoc
testimonium positum est, aut præceptũ datum, de festis huiusmodi celebrãdis. ¶ Versu 10. Et Israël nõ
intendit mihi. Hierony. Et Israël non credidit mihi: Felix, Et Israël noluit me, vel non desiderauit me:
id est, aduersatus est me, & abiecit per incredulitatẽ & inobedientiam. ¶ Versu 12. Si populus meus au
disset me, &c. In Hebræo ponitur particula optatiua, hoc modo, Vtinam populus meus audisset me.
Israël si in vijs meis ambulasset. Illud autẽ quod pòst sequitur, Inimici domini mentiti sunt ei, & erit
tempus eorum in sæcula. Aliqui cum præcedentibus cõtinuant ad hunc sensum, Si populus audisset
me, inimici domini mentiti fuissent ei (hoc est, coacti fuissent seruiliter supplicare & plura ad euasio-
nem suppliciter promittere, quã potuissent præstare, quemadmodum facere solent seruiliter supplices) & fuisset tempus eorum in sæcula: hoc est, ipsi inæternum floruissent, atq; vixissent in omni pro-
speritate, & postremo in vita sempiterna. Quidam autem versum vltimum similiter coniungunt hoc
sensu, Et cibasset illos dominus ex adipe frumenti, & de petra saturasset eos melle. Verum quod no-
stra lectio habet, videtur verisimilius per modum indicatiuum in duobus versibus nouissimis, quem
etiam beatus Hieronymus in sua ex Hebræo versione seruat.
B

IN PSALMVM LXXXI.

VErsu 1. Deus stetit in synagoga deorũ. In Hebræo 2. loco habetur numero singulari el, quod est
Deus. Vnde Hieronym. sic vertit, Deus stetit in cœtu Dei. Quod potest intelligi, Deum stare in
cõgregatione iudicis, qui vocatur Deus. Iudicem enim circunstat turba quærẽtium & expectantium
iudicium. In horum autem medio stetit Deus, tanquã iudex primus atque præcipuus attendẽs quale
iudicium iudicet is qui eius vicem gerit in terris. Atque ad hanc sententiam vertit Felix, Deus astat in
congregatione iudicis. Quod autem sequitur, In medio autem deos diiudicat, hunc habet sensum, In
medio deorum vel iudicum, Deus iudicem agit. Est autem ipse iudicum iudex, quomodo regũ rex,
& dominantium dominus. ¶ Versu. 3. Humilem & pauperem iustificate. Iustificate positum est im- Apoc. 19.
propriè, pro iustè facite. Est enim sensus, Iustè facite, vel facite iustitiam humili & pauperi, quemad-
modum vertit beatus Hieronymus, Egeno & inopi iustè facite. ¶ Versu. 7. Vos autem sicut homines
moriemini. In Hebræo habetur Keadam: quod si vertatur, valet, sicut homo vel sicut homines: si verò
non vertatur, sonat, sicut Adam, quemadmodum non versum reliquit Hieronymus, Ergo sicut Adam
moriemini: hoc est, sicut Adam primus pater vester mortuus est, sic omnes vos posteri eius, quan-
C tumcunque sitis eleuati potentia, dignitate, & gloria, omnes moriemini. Est enim hæc lex commu-
nis super omnes filios Adam. Felix vtroque modo vertit, sicut homines, vel sicut Adam. Esset au-
tem sermo plenior & sonantior, si pro, autem, poneretur, tamen, aut veruntamen, hoc modo, Vos
tamen sicut homines moriemini: id est, quanquam dij estis, attamen moriemini. Atque ita vertit Fe-
lix. veruntamen sicut Adam vel sicut homines moriemini: & Chald. translatio. Attamen in veritate si-
cut filij hominum, vel sicut homines moriemini.

IN PSALMVM LXXXII.

VErsu 1. Deus quis similis erit tibi? ne taceas. In Hebræo non est totum hoc, quis similis erit tibi,
sed ita iuxta versionem Hieronymi legitur, Deus ne taceas, ne fileas, & nõ quiescas Deus. Felix
ferè similiter, Ne taceas tibi, ne fileas, vel nõ silentium, supple tibi sit, & non quiescas Deus. ¶ Versu 3.
Et cogitauerunt aduersus sanctos tuos. In Hebræo habetur, Inierunt cõsilium aduersus arcanum tuũ,
vt vertit Hieronymus, vel contra absconditos tuos, vel super arcana tua, quomodo legit Felix. Intel-
ligimus autem per abscõditos Dei, sanctos eius, quos ipse sub alis protectionis suæ abscõditè seruat,
ne fiant in direptionem gentibus. Si autem neutro genere legamus, contra abscõdita vel arcana tua,
D intelligere possumus sacra vasa templi, & alia quæ in tabernaculo siue in templo custodiebant oc-
culta, nec vulgi aspectibus erant exposita. Hæc autem maximè idololatræ quærebant prophanare:
quomodo frequenter legimus, quòd sancta vasa abstulerint vel confregerint, vel in prophanos suos
vsus aptauerint, & sancta omnia conculcauerint. Si verò numero singulari, contra arcanum vel abs-
conditum legamus, intelligere possumus ipsam domini hæreditatem velut occultatã sub eius prote-
ctione & abscondità. Aut occultum Dei cõsilium, aduersus quod impij machinãtur, cupientes ipsius
cultum subuertere. Generi neutro ac numero plurali fauet quod habet parap. Chal: Consilium fece-
runt super abscondita in thesauris tuis. ¶ Versu. 7. Facti sunt in adiutorium filijs Loth. In Hebræo est,
Facti sunt brachium filiorum Loth. In Græco εἰς ἀντίλημψιν, hoc est, in susceptionẽ, quomodo habet le
ctio Romani psalterij. Est autẽ sententia eadem. Quid enim est aliud brachium alicuius fieri, aut sie-
ri alicui in susceptionem & defensionem, quàm in adiutorium illi fieri? ¶ Versu 11. Omnes principes
eorum qui dixerunt, hæreditate possideamus nobis sanctuarium Dei. Principium huius versus He-
bræi iungunt cum fine præcedentis, ad hunc sensum, Pone principes eorũ sicut Oreb & Zeb & Ze-
bée & Salmana, omnes principes eorũ, hoc est, qui fuerunt omnes principes Madianitarum: ac dein-
de subijciunt, Qui dixerũt hæreditate possideamus, &c. quod referunt ad caput versus præcedentis,
Pone principes eorum (scilicet aduersariorum nostrorum) qui dixerunt, &c. Vel etiam ad finem ver-
sus sequentis, ad hunc sensum, Ita pone principes hostium nostrorum, vt olim posuisti Oreb & Zeb
& Zebée & Salmana, qui omnes fuerunt principes eorum, qui præsumpserant dominari in populo

domini,

domini, vbi Deus tantum dominari debebat, non alienigena. ¶ Versu 14. Et in ira tua turbabis eos. In Hebræo habetur, In turbine tuo, pro, in ira tua. Nec tamen est diuersa sententia. Siquidē ira Dei propter sui vehementiam, suumque terrorem, rectè turbini cōparatur, & secundum metaphorā turbo appellatur: quomodo apud Abacuc de ira persequentium dicitur: Venientibus vt turbo ad dispergendum me. E

IN PSALMVM LXXXIII.

VErsu 2. Cor meū & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Hierony. Laudabunt Deum viuentem. Felix tamen nobiscū vertit, Exultabunt in Deum viuentē. Sententia verò eadem est. ¶ Versu. 3. Etturtur nidum, vbi reponat pullos suos. Pro turture, Hieronymus generale nomen auis cōstituit. Alij verò, hirundinē magis dicunt significari. Iuxta generalem nostrā expositionē in Elucidationē adiunctisq; annotationibus positā nihil refert, quæ auium species exprimatur. ¶ Versu 5. In sæcula sæculorum laudabunt te. Loco illius, in sæcula sæculorum, B. Hieronym. & Felix vertunt, adhuc adhuc, pro quo alij ex Hebræo vertunt, perpetuò. Id enim manifestum est velle propositum sermonem. Nam adhuc adhuc laudare, nihil est aliud quàm perpetuo laudare. ¶ Versu. 6. & 7. Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarū, in loco quem posuit. Etenim benedictionē dabit legislator. Hunc locum multo secus ex Hebræo trāsferunt. Hieronymi quidem lectio sic habet, Beatus homo, cuius in te est fortitudo, semitæ in corde eius trāseuntes per vallē fletus, fontem ponent eam, benedictione quoq; amicietur doctor. Consonat quoq; huic per omnia Felicis versio in cōtextu. Et quidē id quod priore loco dicitur, Beatus homo cuius fortitudo abs te est, semitæ in corde eius, eādem ferè habet cū nostra vulgata lectione sententiā: si tātum de semitis mādatorū Dei dictū acceipiatur. Quod autē sequitur, Transeuntes per vallem fletus, fontē ponent eā, ita potest intelligi, Qui in Deo spem habentes, semitas bonas, & vias domini in corde sibi cōstituerunt ad perābulādum eas, ipsi trāseuntes per vallem istā ploratus & miseriæ, præ nimio desiderio cælestis patriæ, lachrymis implebunt eā, vt quasi fons plenus aquarū videatur ista vallis. Atq; ita profectò quasi fons aquarum calidarum plenus appareret vallis ista fletus, vallis miseriæ, si dignis deploraretur fletibus, si lachrymis pro merito cōgruentibus rigarent eā omnes transeuntes. Quod autē sequitur, Benedictione quoq; amicietur vel induetur doctor, intelligi potest de mercedis benedictione, qua in futuro ornabitur, qui iam in valle miseriæ alios instruxerit ad iustitiam, iuxta quod per Danielem dicitur, Qui autē docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudierunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Alij verò huius loco sic vertunt. Etiam cisternæ implebuntur pluuijs, vel pluuiæ implebunt cisternas. Quod rectè de cisternis cordium fidelium accipimus, quę pluuijs diuinæ cōsolationis implētur, si in præsenti vita, vt oportet, luxerint pro desiderio cælestis patrię, si trā seuntes per vallem fletus, fontem eā posuerint. Beati enim (inquit Saluator noster) qui lugent, quoniā ipsi consolabuntur. Ecōtrario verò, qui per vallem hāc fletus transeuntes, non eā fontem ponunt lachrymarum, qui nunc noluerūt lugere, facientes sibi de loco fletus locū risus, de loco exilij locum patriæ, horum cisternæ erunt vacuæ omni pluuia, horū corda siti peribunt, & ariditate spiritualis gratiæ deficient. Quidā verò Hebræorū expositores, omnia ista quę secundū spirituale sensum pulcherrima sunt, ad literā trahentes exponunt ea de corporali ascensu Iudæorū ad tabernaculū domini, ad festa domini celebrāda: quorum nimiū steriles expositiones nō solum nō insequi, sed nec cōmemorare libet. ¶ Versu. 11. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quā habitare in tabernaculis peccatorū Ira quidem nobiscum vertit Hierony. nisi q; pro, tabernaculis peccatorum, vertit, tabernacula impietatis, quod in idē redit. Illud tamen, adiectū esse, in Hebræo amplioré habet emphasim. Sonat enim Hebraica lectio ac si dicas, Malui ad limē desidere domus Dei, vel elegi ad limen habitare, aut volo potius manere apud ianuā domus Dei, quā intra domos huius mundi: vbi omnia sunt impietate plena. Vnde quidā sic exponunt, Mallem esse vilis ostiarius, aut abiectus ianitor, ac seruire in domo Dei, quā, &c. Nam apud homines vile satis est seruire ad modū ianitoris officium, quod nō nisi senibus, & ad alia inutilibus solet cōmitti. Significat autē hac figura loquēdi, malle se minimū esse, & omnium infimum in regno cælorum, q̄ omnium maximum & glorioſissimum in hoc sæculo. Cui nō male cō sonat quod Saluator post summam cōmendationem Ioannis Baptistæ adiicit, dicens, Qui autem minor est in regno cęlorum, hic maior est illo. ¶ Versu 12. Quia misericordiā & veritatem diligit Deus, In Hebræo aliter legitur, Quia sol & scutum dominus. Est autem dominus sol, quatenus sua potētissima virtute terrā cordis nostri fœcundat, nosq̄ calescere facit amore diuino, itē & nostras vires omnes reparat, facitq; nos reiuuenescere, quemadmodum sol iste corporeus terrā suis radijs fœcundam facit, & rebus omnibus calorem atque vigorem præbet. Quomodo autem ipse scutum nostrum dicatur, omnibus per se notissimum expositione non indiget.

Daniel.12.

Matth.5.

Lucæ.7.

IN PSALMVM LXXXIIII.

VErsu. 1. Benedixisti domine terram tuam. Hieronymus ita vertit, Placatus es domine terræ tuæ: Felix, Dilexisti aut voluisti domine terram tuam, vel complacuit tibi domine terra tua. Ad verbum autem ex Hebræo verti posset, Voluntas tua domine terræ tuæ, id est, beneplacitum tuum ad terram tuam. Quæ omnia ad eandem ferè sententiam pertinent, ad quam vulgata lectio. Hoc ipso tamen quod terram Deus dilexit, & in terra sibi complacuit, abstulit ab eis maledictionem, & contulit benedictionem pro maledictione. In Græcis autem exemplaribus, quæ nunc sunt in manibus, pro benedixisti habetur ηὐδόκησας, quod propriè significat complacuisti, vel beneplacitum habuisti, vt sit sensus: F G H

A sensus: Beneplacitam habuisti domine terram tuam, id est, complacuit tibi in ea. Nunquam autem vox alla Græca significare inuenitur benedictionem. Vnde videntur interpretes qui ex Græco in Latinum fecerunt versionem, legisse ἠμπιγκσαὸ pro ἠυδόκησαὸ, quorum prius significat benedixisti. Nō est enim inter duo illa verba diuersitas, nisi duarum literarum: vt hac occasione facile poterit alterum scribi pro altero. ¶ Versu 3. Mitigasti omnem iram tuam. Hieronymus pro mitigasti vertit continuisti. Felix similiter, vel congregasti siue collegisti, videlicet vt non se vltra extenderet, neque vltra desæuiret Sicut enim effundi dicitur ira Dei, cùm ad vltionem emittitur iuxta illud, Effunde iram tuā, &c. ita congregari vel colligi vel contineri dicitur per oppositum, quando iam cessare iubetur, vltione perfecta. Quod autem in secunda parte dicitur, Auertisti ab ira indignationis tuæ, aptius & clarius diceretur genere passiuo (quemadmodum vertit Hieronymus) conuersus es vel auersus es ab ira. Est tamen eadem in nostra lectione sententia, intelligendo accusatiuum: hoc modo, Auertisti te ab ira. ¶ Versu 4. Et super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Hic versus in Hebræo, cum præcedente vnum efficit, & aliam habet quam in vulgata lectione sententiam. Sic enim Hieronymo interprete legimus. Audiam quid loquatur dominus Deus, quoniam loquetur pacem ad populum suum & ad sanctos suos, vt non conuertantur ad stultitiam: atque ad eundem modum vertit Felix. Nec aliter habet Chald. Paraph. Ad intelligentiam autem huius lectionis, considerare oportet differentiam Synagogæ à populo nouæ Ecclesiæ, de quo releuata ore hic prophetat psalmista. Nam vetus ille populus, quantiscunque acceptis promissionibus & beneficijs terrenis per duram suam ceruicem, semper conuertebatur ad insipientiam, ad tentandum dominum, ad idola colendum, atque ad alia huiusmodi, quæ verę sunt insipientię. Ad populum autem nouum in sancta Ecclesia & ad sanctos qui in ea per spiritum nouum regenerantur, loquitur Deus pacem, vt dato eis (iuxta Prophetam) corde carneo pro dura ceruice, non vltra conuertantur ad insipientiam, non redeant ad pristinę infidelitatis priorumque peccatorum miseriam. Verti etiam potest ex Hebræo, per coniunctionem copulatiuam, Et non conuertentur ad stultitiam.

B

Psal.34.

Ezech.11.

IN PSALMVM LXXXV.

VErsu 10. Deduc me domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. In Hebræo habetur, Doce me domine viam tuam. Pro eo autem quod sequitur, Lætetur cor meum, vel timeat nomen tuum: In Hebræo legitur, Vni cor meum, vel vnitum fac cor meum, vt timeat nomen tuum. Petit autem cor suum homo spiritualis vniri, vt non distrahatur varijs cogitationibus & solicitudinibus, neque turbetur erga plurima, sed totum in sese colligatur, vt vni (quod est necessarium) totum possit intēdere. Vnitati enim huic distractio opponitur, quam Saluator nō vno in loco reprobat. ¶ Versu 13. Synagoga potentium quæsierunt animam meam. Pro synagoga potentium, Hieronymus vertit cœtus robustorum: vertit item Felix, vel concilium malignantium, quæ nostram lectionem non variant, sed elucidant.

C

Luc.10.

IN PSALMVM LXXXVI.

VErsu 2. Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Hieronymus loco de te, vertit, in te. Quod vel secundum eandem accipi potest sententiam, vt in te, valeat super te, vel de te. Aut secundum aliam sententiam ita potest intelligi. Gloriosa, magnifica, & valde sublimia sunt prædicata in te, ô ciuitas Dei, vt sic indicetur diuinorum eloquiorum excellentia, quæ fluunt in Ecclesia de ore Apostolorum sanctorum. Verè enim gloriosa, verè magnifica & eximia valde sunt, quæ in hac ciuitate Dei viuentis per spiritum sanctum dicuntur & prædicantur. Felix tamen non aliud vertit, quàm quod nostra habet lectio. Cui etiam subscribit Paraphrasis Chaldaica sic habens, Verba gloriosa vel honorifica dicta sunt super te, vel de te, ciuitas Dei. ¶ Versu 3. Memor ero Raab & Babylonis scientium me. Beatus Hieronymus vertit, Commemorabor superbiæ & Babylonis, scientium me: hoc est, memor ero illorum qui prius in superbia infidelitatis & confusione vitiorum vixerunt, eorum qui me voluerint agnoscere, & per pœnitentiam ad agnitionem veritatis (vanitate abiecta) conuerti. Felix ita legit, Memor ero Raab & Babylonis, erga cognoscentes me: hoc est, apud cognoscentes me. Quam lectionem suprà expositimus in annotationibus principalibus, declarantes lectionem Græcam, quæ legit casu datiuo, cognoscentibus me. Dicit etiam sic verti posse, Faciam reminiſci Raab & Babylonis cognoscentes: hoc est, faciam meos fideles agnoscere peccatores & gentiles, vt scilicet etiam eos secum ad fidem adducant, & sibi adiungant. Et vtique sanctos Apostolos fecit Deus reminiſci Raab & Babylonis, quando eos misit in mundum vniuersum, docere omnes gentes, & baptizare in nomine patris & filij & spiritus sancti: quando Iudæis in incredulitate permanentibus, ad gentes fecit conuerti prædicatores veritatis, & in cunctas longe nationes misit, qui veritatem annunciarent salutis. ¶ Versu 4. Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Pro nouissimo illo, Hi fuerunt illic. In Hebræo legitur numero singulari: Hic natus ibi. Quod aliqui intelligunt secundum eundem ferè sensum quem in Elucidatione explanauimus: Hic populus omnis gentium iam enumeratarum natus est in ecclesia per spiritualem regenerationem. Alij verò de Christo intelligunt, vt hoc hœmestichio velut caula explice-

D

Matt.28.

Actu.13.

tur, per quam in Ecclesia populi omnes sunt regenerandi. Christi enim secundum carnem natiui- E
tas, eiusque in mundum aduentus, tantam secum nobis desuper aduexit gratiam. Simul enim cum
eo pax vera descendit, & salus animarum nostrarum. Atque ita est, vel demonstratio tantum ad in-
tellectum vel Deum & dominum refert, cuius est vt fundatoris in præcedentibus versibus facta men
tio. ¶ Versu 5. Nunquid Sion dicet homo, & homo, natus est in ea. Huic nostræ vulgatæ lectioni
neque Græca quæ nunc habemus consonant, neque Hebraica. In Græco enim legitur, μητὴρ σίων:
hoc est, mater Sion, dicet homo: quemadmodum habet Psalterium Romanum, & quomodo bea-
tus pater Augustinus interpretatur. Quod quidem ita intelligunt, Homo aut vir quidam dicet, ma-
ter Sion, appellabit Sion matrem suam: qui nimirum homo natus est in ea, secundum temporalem
natiuitatem, & nihilominus idem ipse altissimus existens, secundum æternam diuinitatem, fundator
est matris suæ. Neque est sensus diuersus ab illo quem in Elucidatione explanauimus, excepto tan-
tum principio de matre Sion. Origo autem harum lectionum diuersarum, videtur ex Græcis proue-
nisse codicibus. Non magna enim dissimilitudo est inter μήτι quod significat nunquid, & μητὴρ quod
significat matrem: vt verisimile sit codicibus Græcis abinuicem in duabus hisce dictionibus varian-
tibus talem euenisse diuersam lectionem. In Hebræo verò, Hieronymo interprete, sic legimus, Ad
Sion autem dicetur vir, & vir natus est in ea, & ipse fundauit eam excelsus: vertitque omnino ad
eundem modum Felix. Nam Sion in dativo casu ponitur, quemadmodum articulus Lamed præ- F
positus indicat: propter quod, ad Sion clarius vertitur. Ad Sion ergo dicetur, vir & vir, aut homo
& homo natus est in ea. Cui lectioni hanc assignant intelligentiam. Ad Sion multorum filiorum
matrem fœcundissimam, quasi congratulando & congaudendo dicetur, ecce hic & ille & ille nati
sunt in ea: ecce quantorum ipsa est mater filiorum, vide quàm est prole fœcunda, ille & ille & il-
le & ille (sic demonstrando vniuersitatem regeneratorum in Ecclesia) nati sunt in ea, per regene-
rationem scilicet ex aqua & spiritu sancto. Aut iuxta Hebraici idiomatis proprietatem accipiatur
vt dictum vniuersaliter, homo & homo natus est in ea, id est, quilibet natus spirituali natiuitate &
regeneratus, in ea nasci debet: quoniam oportet omnem eum qui per natiuitatem spiritualem vult
fieri filius Dei, in hac Ecclesia regenerari: quandoquidem extra hanc ecclesiam non est salus, & qui-
Ioã.1. & 3. cunque nasci vult generatione quæ ex Deo est (de qua Ioannes Apostolus tam in suo Euangelio
1.Ioan.5. quàm in Epistolis subinde loquitur) hanc agnoscat matrem necesse est. Atque ita, talis ferè sermo
Ioan.1. hic est, qualis est ille de Christo in Euangelio Ioannis, Illuminat omnem venientem in hunc mun-
dum, quoniam videlicet quicunque illuminatur, per eum illuminatur. Quod autem repetitio ta-
lis, homo & homo, aut vir & vir, vniuersalitatem interdum significet, manifestum est Hebraicæ lin-
Ezech.4. guæ proprietates callentibus. Imò & apud Ezechielem ita translatum legimus, Homo homo de
domo Israël, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & cætera. Et post pauca, Homo homo G
de domo Israël, & de proselytis, quicunque aduena fuerit in Israël, si alienatus fuerit à me, & cæte-
ra, id est, omnis homo quicunque tandem fuerit. Nunc verò & illud ostendamus (iuxta quod in
annotationibus præcipuis præmisimus) quomodo possit hæc sententia Hebraicæ lectionis, etiam
in vulgata nostra inueniri. Satis autè facile poterit, si consueta distinctione mutata, ita distinguamus.
Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Debebit autem,
nunquid, capi pro nonne, & verbo dicet per intellectum subijci debebit conueniens suppositum: hoc
modo. Nonne dicet vnusquisque ipsi Sion: hoc est, dicetur ad Sion, ab ijs qui eius fœcunditatem
considerant, quòd homo & homo in ea natus est, quòd hic & ille, vel quòd omnis qui nascitur se-
cundum spiritum, in ea nasci debet, iuxta sensum prius datum. ¶ Versu 6. Dominus narrabit in
scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea. Longe secus habet lectio Hebræa, Bea-
tus quidem Hieronymus sic vertit, Dominus numerauit scribens populos, ipse natus est in ea. Et Fe-
lix Dominus numerabit, cùm scribet populos, hic natus est ibi. Quod à diuersis diuersimode expo-
nitur, Potest enim intelligi de scriptura quæ est in libro vitæ, & de numeratione qua suos electos
Deus numerat, sicut pastor suas numerat oues. Dominus enim numerat populos ascribēdo: qui scri-
bendo eos in libro vitæ, & ad vitam prædestinando, certum habet eorum numerum, non aliter quàm
ex scriptura libri in quo singulos habet descriptos suos discipulos præceptor, nouit suorum disci- H
2.Cor.2. pulorum numerum. Cognouit enim dominus (iuxta verbum Apostoli) qui sunt eius. Et ipse bo-
nus pastor, iuxta suum ipsius testimonium oues suas cognoscit, sicque descriptas & numeratas ha-
bet, vt eas vocet nominatim, & illæ sequantur vocatæ. De hac autem scriptura & alibi in Euangelio
Ioan.10. loquitur Saluator, dicens suis discipulis, Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in
Luc.10. cælis. Atque ad hunc sensum exponi satis commode posset etiam nostra vulgata lectio, si tantum
narrare accipiamus pro recensere vel recitare atque numerare: Scripturas autem intelligamus,
non sacra biblia aut sanctas alias scripturas quibus instruimur, sed inscriptiones siue descriptiones,
quibus Deus suos electos describit siue inscribit in libro vitæ. Deus enim recensebit & numerabit
suos electos, in inscriptionibus populorum. Scribendo enim eos in libro vitæ nominatim, sic
eos numerabit, narrabit vel recensebit. Inscriptio verò principum qui sunt in ea, illorum est in
1.Tim.5. libro vitæ inscriptio, qui bene præsunt in Ecclesia. Vt enim duplici honore dignos dicit A-
postolus presbyteros, qui bene præsunt Ecclesiæ, quique præsunt in sollicitudine, ita non est du-
bium quin speciali modo à Deo numerentur & describantur in libro vitæ & remunerationis, vt
suo tempore tanto copiosiorem accipiant mercedis expectatæ retributionem, quanto prius maio-
ri solicitudinis labore fuerunt afflicti. In Hebræo tamen nulla fit mentio principum. Nam loco

huius,

A huius, Et principum horum qui fuerunt in ea, repetitur hemistichium illud quod versu quarto ex-
plicauimus, videlicet, Hic natus est ibi. Hoc enim tanquam insigne aliquid, & diligentissimè notan-
dum iam denuo in Hebræo repetitur, quod hic quoque sicut illic de Christo conuenientissime intel-
ligitur, neque minus commode hîc ponitur, neque ob aliam causam, quàm suprà dixerimus poni, vi-
delicet ad designandum per quem hæc fieret electorum numeratio atque descriptio in libro vitæ, &
quis tantæ sit salutis causa, aut boni tãti origo. Inde enim totum hoc nobis procedit, quòd nos Deus
numerat vt suas oues, quod nos pater in libro vitæ describit, quòd nos prædestinauit ad salutē æter-
nam, hæc (inquam) omnia inde nobis sunt, quoniam hic noster Christus natus est ibi, quia verbum
caro factum est, quia Deus homo fieri dignatus est, per quem accipiunt potestatem filios Dei fieri, Ioan.1.
omnes qui credunt in nomine ipsius. Plures loci præsentis expositiones non ponimus, ne nimia mul-
titudine res alioqui per se satis inuolutas, maioribus implicemus difficultatibus. ¶ Versu vltimo, Si-
cut lætantium omnium habitatio est in te. Et hic versus ab Hebræo discrepat, imò ipsi ex Hebræo in-
terpretes admodum variè eundem transferunt. Hierony. sic vertit, Et cantabunt quasi in choris, om-
nes fortes mei in te. Qua lectione significatur, fideles omnes in ecclesia magno exultare gaudio, quē-
admodum solent qui in choris cantant, item & gratias magnas in congregationibus sanctorum Deo
agere, per quem tanta se bona sempiterna cognoscunt suscepisse. Felix multiplicem ponit versionē.
B Et cantores (inquit) sicut choraules, omnes contemplationes meæ in te. vel aliter, Et cantores sicut
ducentes chorum, omnes fontes mei in te. Nam vocabulum Hebraicum quod hic ponitur, di-
citur significare scaturigines, aut etiam interdum modulationes è pectoris alacritate velut scatu-
rientes. Quidam etiam cogitationes aut contemplationes aut aspectus. Illud tamen quod suprà
adduximus ex Hieronymo: omnes fortes mei in te, videtur esse deprauatum, ac pro fortibus debere
legi fontes: quomodo econtrario in psalmo quadragesimo primo annotauimus deprauatam esse le-
ctionem communem qua legimus, Ad Deum fontem viuum, cùm legendum potius videatur tam ex
Græco quàm ex Hebræo, fortem viuum. Potest autem vltimum illud huius psalmi, Omnes fontes
mei in te accipi, vel vt vox ipsius Psalmistæ tali iocunda conclusione psalmum finientis, vt dicat om-
nes scaturigines cordis sui, omnes affectiones & contemplationes atque laudationes quæ in modum
fontis scatent de corde, velle se Deum regere, tam humano generi beneficum, illumque semper
velle aspicere ac contemplari, atque in illum velle semper toto conatu animi tendere. Vel ad hunc
accipiatur sensum, Omnis boni origo mihi est à te, tu es omnis putei bonitatis & gratiæ meæ, in
te est fons vitæ (quomodo alibi dicitur Deus esse vena aquarum viuentium) & quicquid ad me
boni venit, à te mihi venit, tu es mihi fons omnis boni, neque nisi à te vllum mihi bonum scatu- Hiere. 17.
rire potest. Omne enim datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Iacob.1.
C patre luminum. Potest etiam accipi, vt vox domini ad ecclesiam, vt ipse concludens, polliceatur
fontes suos omnes se positurum in ecclesia, id est, omnem abundantiam spiritualium bonorum li-
beraliter largiterque effusurum, vt (iuxta propheticū illud) haurire possint aquas in gaudio, de fon- Esa.12.
tibus Saluatoris.

IN PSALMVM LXXXVII.

VErsu 2. Inclina aurem tuam ad precem meam. Hieronymus pro prece vertit laudationem.
Qui enim oratione Deum inuocat, simul & illius solet laudes proponere quem orat. Felix ver-
tit, clamorem. Alij, canticum putant significari. ¶ Versu 3. Et vita mea inferno appropinqua-
uit. Hieronymus, Vita mea ad infernum descendit. Verti potest, Anima mea sepulchrum conti-
git, estque horum eadem sententia. ¶ Versu 4. Factus sum sicut homo sine adiutorio, In Hebræo
est, sicut homo non fortis, vel potens, non validus. Vnde Hieronymus vertit quasi homo inuali-
dus. Et Felix, Sicut vir cui non est fortitudo. ¶ Versu 5. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris.
In Hebræo est, Sicut interfecti vel occisi. In altera autem parte, Et ipsi de manu tua repulsi sunt. Lo-
co verbi repulsi sunt, in Hebræo ponitur passiuum verbi gazar, secundum cuius multiplicem signi-
D ficationem varie præsens locus transferri potest. Significat enim verbum istud aliquando excidit vel
abscidit. Secundum quam significationem beatus Hieronymus vertit, Et ipsi à manu tua abscisi
sunt, id est, abiecti & despecti, factique abominabiles: in quem sensum nos etiam in Elucidatione
vulgatam lectionem sumus interpretati. Significat etiam verbum prædictum interdum, per senten-
tiam aliquid definire vel statuere & disponere. Iuxta quam significationem Felix dicit verti hîc pos-
se, Et ipsi de manu tua sententiati sunt, id est, definitiuam (vt loqui solemus) sententiam acceperunt
de manu tua, In præcipua tamen versione, hoc ipsum ponit quod Hieronymum diximus reddidis-
se. Paraphrasis Chaldaica sic habet, Et ipsi à facie diuinitatis tuæ separati sunt. ¶ Versu 6. Po-
suerunt me in lacu inferiori. In Hebræo habetur per secundam personam, Posuisti me, & cætera,
vt dirigatur sermo ad Deum, quomodo in sequentibus, Elongasti à me, & cætera. Deo enim
ascribit omnem quam patitur afflictionem, quod tanquam ab illo, cuncta susciperit de manu domi-
ni. Loco illius autem quod habet nostra lectio, In vmbra mortis: in Hebræo est, in profunditati-
bus. ¶ Versu 8. & 9. Longe feci sti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi: Tradi-
tus sum, & non egrediebar. Ita vertit ex Hebræo beatus Hieronymus, Longe feci sti notos meos à
me, posuisti me abominationem ipsis, clausum & non prodeuntem. Quo significari videtur, tanta il-
lum qui loquitur confusione repletum esse, vt clausus domi, non ausus fuerit prodire in publicum.

Felix aliter vertit, Posuisti me abominationem ipsis, in carcere inclusus sum, & non egrediar. Qua le- E
ctione significat is qui loquitur, non videre se tantorum malorum exitum. ¶Versu 11. Aut medici su-
scitabunt, & confitebuntur tibi? Hæc pars diuersimode transfertur. Dictio enim rephaim hoc loco
posita, descendens à verbo raphaa (quod significat sanauit vel medicauit) quandoque significat me-
dicos, quandoque gigantes, quandoque mortuos. Primum sequuta est nostra translatio: secundum,
Hieronymo ex Hebræo sic vertente, Aut gigantes resurgentes, & confitebuntur tibi. Tertium in sua
versione præcipua sequitur Felix, sic reddens, An mortui surgent, &c. Chaldaica translatio magis vi-
detur fauere versioni Felicis, quæ mortuos vertit. Sic enim habet: Fortassis corpora quæ consumpta
sunt in puluere, resurgent, & confitebuntur tibi. ¶Versu 16. Pauper sum ego & in laboribus à iuuen
tute mea. Beatus Hieronymus secundum sententiam nostræ lectionis vertit. Pauper ego & ærumno-
sus ab adolescentia mea. Felix verò longe aliter, Pauper sum ego & expirans præ excussione: vel sic,
Periens & pene mortuus à stupefactione: hoc est, ita horrendis malis concutior & affligor, vt videar
morti proximus & pene expirare, præ concussione & stupefactione nimia. Illud quoque quod sequi-
tur, Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus: aliter vertunt ex Hebræo interpretes. Hierony-
mus quidem ad hunc modum, Portaui furorem tuum, & conturbatus sum. Felix, Tuli terrores tuos,
dubitando, scilicet ne forte deficiã: vel affixus, supple est, timor tui super me. ¶Versu vltimo. Et no-
tos meos à miseria. Hieronymus, Notos meos abstulisti: Et secundum hanc sententiam vertit Felix: F
Notos meos obscurans, id est, occultans & abscondens à me, vel quodammodo confusos faciens &
ignobiles præ mea nimia miseria. Est enim hominibus quædam confusio & opprobrium, cùm quis
ex eorum amicis & notis, vehementer magna afficitur ignominia.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

HVius Psalmi est specialis titulus, iuxta vulgatam lectionem sic habens, Canticum Psalmi Core,
in finem pro maeleth ad respondendum, intellectus Eman Israëlitæ. De maeleth dicunt aliqui,
quod sit genus instrumenti musici, in quo Psalmus iste lugubris debebat decantari. Alij verò in lin-
guam Latinam id vertentes, dicunt pro infirmitate vel super afflictione. Quod quam ob causam Psal
mo præmittatur, nullam omnino habet difficultatem. Totus enim Psalmus afflictionem clamat at-
que desolationis miseriam. Ad respondendum verò ideo videri potest adiectum, quoniam clamans
postulat sibi Diuinæ exauditionis præberi responsum. Quod autem primo filij Core præmittuntur
casu dativo, ac posteriori loco Eman ponitur casu genitiuo, iuxta sententiam quorundam ad hoc po-
nitur ista distinctio, vt filij Core tanquam cantores assignentur, ad quorum ordinem spectabat hu-
jus Psalmi decantatio: ipse verò Eman tanquam Psalmi author. Est autem Eman iste, de quo sacra li- G
1.Par.6. bri Paralipomenon tradit historia, quòd præcipuus cantorum princeps à Dauid fuerit constitutus,
3.Reg.4. vna cum fratre suo Asaph stante à dextris ipsius. Volens quoque scriptura sacra libri regum, Salomo-
nis magnificare sapientiam ad omnem laudem, hoc adscribit, & quòd sapientior erat cunctis homini-
bus, sapientior etiam Ethan Ezrahita, & Eman, & Chalcol, & Darda, filijs Maol. Vnde patet, Eman
cum alijs illis tribus fuisse summa præditos sapientia, cùm vt insignissime sapientes nominatim isti
recenseantur præ omnibus. Vnde argumentantur quidam, verisimile esse quòd secundum hanc suam
sapientiam Psalmos aliquot composuerit, maxime si quibus alicuius illorum nomen inueniatur pre-
notandum. Alij verò non nisi cantoris officium illis tribuunt, quantumuis in titulo eorum præmit-
tantur nomina: & si plures videantur præmitti (quemadmodum hic primo loco filij Core, deinde
Eman) distinctionem ponunt secundum quod huic vt præcipuo cantorum principi, illis verò vt sub-
ditis cantoribus, idem carmen ascribitur. Soli autem Dauidi seruant authoris honorem, etiamsi ip-
sius non fuerit nomẽ prænotatum. Quorum quid verius sit iudicare, ad nostrum haudquaquam spe-
ctat officium. Ex Hebræo autem hunc titulum ita vertit Felix. Canticum Psalmi filiorum Core, vin-
centi super infirmitatem, vel propter afflictionem ad humiliandum, eruditiuum Eman Esrahitę. Cu-
ius facile patet ex dictis intelligentia. Hieronymus autem loco illius, pro Maeleth ad respondendum,
vertit, per chorum ad præcinendum: quoniam videlicet per cantorum chorum hic esset Psalmus H
concinendus.

IN PSALMVM LXXXVIII.

VErsu 3. Quia dixisti in æternum misericordia ædificabitur in cælis, præparabitur veritas tua
in eis. In Hebræo habetur per primam personam, Quia dixi, pro dixisti. Quod autem sequi-
tur, varie transferunt interpretes. Hieronymus ita legit, Quia dixi, sempiterna misericordia ædi-
ficabitur, cælos fundabis, & veritas tua in eis. Atque ita est sensus, Ego apud memetipsum ita co-
gitaui, in æternum misericordia ædificabitur, id est, præparabitur, vel in æternum stabilietur: tu
creabis cælos, & erit in eis corã te veritas tua. Quod etiam de cælis spiritualibus, de sanctis Apostolis
posset commode intelligi: in quibus Deus suam veritatem posuit toti orbi terrarum prædicandam.
Alij verò ita vertunt, Quoniam dixi, mundus misericordia ædificabitur, cælos fundabis, & veritas
tua in eis. Qua lectione significatur, mundum (qui olim perditus fuerat per primi parentis præuari-
cationem) Dei misericordia in temporis plenitudine restaurandum, quomodo Beatus Paulus ait,
Dixit per Christum esse instaurata quæ in cælo & in terra. Quod autem sequitur, Cælos fundabis,
& cæ-

A & cetera. eodem modo quo suprà exponitur. ¶Versu 8. Deus qui glorificatur in concilio san-
ctorum tuorum. Dictio Hebraica hic posita sod, solet significare secretum siue arcanum, iuxta quam
significationem Hieronymus transtulit, Deus inclytus in arcano sanctorum nimio. Item Felix, Deus
robustus in arcano sanctorum valde, vel terribilis in secreto sanctorum: hoc est, Deus fortis & stren-
nuus in occulto suo concilio, quod de sanctis & electis ab æterno disposuit, quoniam nemo eum po-
terit impedire, quin id quod de eis ab æterno præordinauit, suo tempore perficiat. Et in hoc secreto
concilio & arcano, quod de sanctis Deus disposuit, maxime ipse glorificatur. Et ad hunc modum etiã
exponi posset commodissime lectio nostra vulgata, si consilium legimus per s. Quia verò in concilio
secretum tractatur, & concluditur, putant quidam, dictionem Hebræam suprapositam rectè etiam
pro ipso concilio vsurpari, atque ita vertunt, In concilio sanctorum. Iuxta quam sententiam nos in
Elucidatione præsentem locum enarrauimus. ¶Versu 11. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.
In Hebræo idem hic vocabulũ habetur Raad, de quo diximus in principalibus annotationibus Psal-
mi octuagesimi sexti circa versum illum, Memor ero Raab & Babylonis. Propter quod, existimant
quidam & hic Aegyptum significari, putantque transferendum, Tu humiliasti sicut vulneratum Ae-
gyptum. Potest autem intelligi, vel de Pharaone Aegyptiorum capite cum suo populo, vel de lucife-
ro cum sua cohorte apostaticorum spirituum. ¶Versu 35. Neque nocebo in veritate mea, HieronyB
mus, Ne mentiar in veritate mea. In eundem sensum Felix, Neque falsam reddam vel falsificabo veri-
tatem meam. ¶Versu 35. Semel iuraui in sancto meo si Dauid mentiar. Pro in sancto Felix, vertit, in
sanctitate: atque ita nos exposuimus. Chald. verò Paraphrasis habet, In nomine sancto meo, quod
commode etiam potest in communi lectione intelligi. Illud autem, si Dauid mentiar, secundum defe-
ctum absque perfectione ponitur, ad exprimendam vehementiam: quomodo in alio Psalmo, Si in-
troibunt in requiem meam. Intelligitur autem vehemẽtissima abnegatio, Nequaquam mentiar Da- Psal.44.
uidi, nequaquam introibunt in requiem meam. ¶Versu 36. Et sicut luna perfecta in æternum. In Elu
cidatione thronum regium Christi domini comparauimus lunæ in æternum in eadem perstanti ple-
nitudine, cuiusmodi nequaquam est luna secundum eum statum in quo nunc est miræ subiecta mu-
tabilitati: sed talis erit, cùm post iudicium cursu ministerij terminato, in sua plenitudine perpetuò
(iuxta sanctorum patrum traditionem) creditur perduratura. Atque hæc quidem commodior vide-
tur nostræ lectionis vulgatæ intelligentia. Ex Hebræo tamen potest accipi etiam litera ex compara-
tione ad mutabilitatem lunæ in eo statu in quo nunc cernitur. Sic autem ex Hebræo vertit Hieryno-
mus, Sicut luna stabilietur in sempiternum: item & Felix, vel dirigetur. Iuxta quam versionem sensus
iste erit, Sicut luna, quamuis nunc obscura appareat, nunc pro parte dimidia, nunc tota illuminata,
semper tamen stabilitur & conseruatur in sua mutabilitate, & nequaquam deficit: ita etiam thronus
C tuus sedes tua in qua sedes, nempe sancta Ecclesia, quamuis varietate multa, nunc penitus videatur cla
ritate luminis carens, ac velut fidei virtutisque fulgore priuata, nunc candida & refulgens, velut in ple Hiere. 29.
nilunio, nunc subobscura satis, tamen candida, nunc quasi penitus obscurata, nimis errorum & per-
sequutionum nubibus obuoluta, iuxta varios status in ecclesia: semper tamen ipsa à Deo dirigetur &
stabilietur, vt imperpetuum penitus non deficiat. ¶Versu eodem, Et testis in cælo fidelis. Id aliqui le-
gunt & exponunt diuisim à præcedentibus, ad hunc sensum, Et horum omnium prædictorum Deus
in cælo fidelis testis, quomodo nos in Elucidatione exposuimus. Vt enim Deus idem ipse iudex & te-
stis apud Prophetam alium dicitur, ita hic idem ipse qui promittit se fidelem testem asserit. Alij ve-
rò continuè legunt, eo quod præcedit de luna, ad hunc sensum, Thronus tuus dirigetur vel stabilie-
tur vt luna, quæ in cælis est testis fidelis, vel certus iudex temporum: quoniam videlicet secundum
eam, anni distinctiones supputantur: Cui sententiæ fauet Paraphrasis Chaldaica sic habens, Sicut lu-
na firmata ad signum æternum, & testimonium in cælo fidele. ¶Versu 37. Distulisti Christum tuum
Ex Hebræo Hieronymus, Iratus es aduersus Christum tuum: hoc est, nec propter Christum tuum
fecisti misericordiam: videris iam aduersus illum iratus, dum quondam illi promissa nunc videris in
totum neglexisse. Idem sibi vult distulisti, id est, elongasti à te, & quasi abiecisti, non aspicis ad ea
quæ olim promisisti. Plerũque enim quod promissa non seruamus illi cui promisimus, ex ira est qua
D ergaillum concitamur. Facit enim nos ira bonarum promissionum immemores. Itaque manife-
stum est, de Deo, humano more fieri sermonem. ¶Versu 37. Prophanasti in terra sanctuarium eius.
Ex Hebræo quidam vertunt diadema pro sanctuario, vt Hieronymus & Felix: quod intelligendum
videtur de gloria & corona regni. Alij verò sanctuarium transferunt, vel sanctificationem. ¶Versu
44. Minorasti dies temporis eius. Hieronymus, Abbreuiasti dies adolescentiæ eius, item vertit &
Felix, hoc est, florem status felicioris cito transire fecisti. Quod si ad totum populum referatur, signi-
ficat statum fœlicitatis illius in quo sub Dauid in principio huius supra descriptæ electionis fuerat
populus, non diu durasse, & citò nimium transijsse: item in Ecclesia, decorem illum qui erat in pri-
mordio, cùm essent adhuc in ea primitiæ spiritus, non diu perstitisse, sed nimium citò transijsse. Si
verò ad singulos quoslibet referatur intelligentia, significabitur prę nimia miseria ante tempus con-
senescentia, quæ solet multum miseris aduenire: quomodo de seipso in libro de consolatu philoso-
phico canit, in multa afflictione agens Boëtius ille his verbis, Intempestiui funduntur vertice cani.
¶Versu penultimo, Exprobrauerunt commutationem Christi tui. Pro commutatione in Hebrai-
co habetur dictio significans vestigia vel plantas. Quod aliqui exponunt de mora Christi, quasi ex-
probrantibus inimicis, quod tardet Christus, & moram faciat à saluando suum populum, neque
tempestiue occurrat, cum suos destitutos auxilio permittit in manibus hostium, Iuxta quam sen-

tentiam, quidam sic vertit, Opprobria quibus affecerunt tuum, propterea quòd moram faciat. Eandem sententiam exprimit Chald. paraphrasis quę sic habet, Exprobrauerunt tarditatem vestigiorum pedum Messiæ tui. Alij intelligunt, exprobrari vestigia Christi, quando ab infidelibus irridentur fideles super imitatione Christi: dum ob hoc quòd eius insequuntur vestigia, quasi stulti reputantur. Alij per vestigia siue plantas Christi accipiunt sanctos eius infimos & humiles, quibus exprobrāt increduli. Verum iuxta hunc sensum, melius conueniret vestigijs, casu datiuo, quàm vestigia. Alij tempus vltimum intelligunt aduentus Christi, de quo infideles obijciunt & subsannant fideles, quòd in eo videantur derelicti.

IN PSALMVM LXXXIX.

VErsu 3. Ne auertas hominem in humilitatem: & dixisti, conuertimini filij hominū. Secus legitur in Hebræo. Sic enim vertit Hieronymus, Conuertens hominem vsque ad contritionem & dicés,
Gene. 3. cōuertimini filij Adam, hoc est, qui hominem reuerti facis, reducisque illuc vnde exijt, id est, ad terram vnde sumptus est, & ad puluerem de quo formatus est: nec cessas, donec eum morte consumpseris, & dixisti, conuertimini, id est, reuertimini filij Adam: scilicet, ad puluerem de quo suscitati estis. Quam sententiam satis dilucide exprimit Paraphra. Chaldaica sic habens, Conuertens hominem de peccato ipsius vsque ad mortem, & dicens, reuertimini filij hominis. ¶Versu 4. Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt. Hieronymus, Percutiente te eos, vt somnium erunt: hoc est, Cùm tu eos morte percusseris, erunt quasi somnium quod aufugit ab expergefacto, & euanescent quasi fumus qui resoluitur in aërem. Felix, Rapuisti eos vt impetus aquarum, somnus sunt: hoc est, cùm subitò in eos irruis tua indignatione, ad modum impetus aquarum, euanescent quasi somnus, nec permanebunt ante faciem tuam, quemadmodum somnium hominis dormientis. Chald. paraph. hoc loco sic habet, Et si non conuertantur, induces in eos mortem, tanquam dormientes erunt. ¶Versu 8. Sæculum nostrum illuminatione vultus tui. Pro sæculo nostro, ex Hebræo Hieronymus vertit negligentias nostras. Felix occulta nostra, vel iuuentutem nostram: quod exponit, peccata iuuentutis nostrę, id
Psal. 24. est, ætatis prēteritę, pro quibus alibi orat, dicens, Delicta iuuentutis meę & ignorātias meas ne memineris. Iuxta quam sententiam legit Chaldaica paraphrasis, iniquitates iuuentutis nostrę. ¶Versu 9. & 10. In ira tua defecimus: Anni nostri sicut aranea meditabuntur. In Hebræo nulla fit aranęæ mētio, sed ita legitur interprete Hieronymo, In furore tuo cōsumpsimus annos nostros quasi sermonem loquens: quod sic intelligendum videtur, Nos annos nostros consumpsimus, sicut loquens consumit sermonem. Cùm enim sermonem loquens protulerit, iam prorsus nihil illi de hoc quod protulit remansit, & volat (iuxta Poëtam) irreuocabile verbum. Ita postquam vitę tempus transegimus, nihil iā totius illius durationis supereſt, neque expectatur eius reditus, transijtq; penitus irreuocabile. Aeque enim est impossibile, elapsa pristina vitę tempora reducere, atque sermonem semel ab ore egressum reuocare, In eandem sententiam vertit Felix, nisi quod participium illud nouissimum loquens non adijcit, vt nec in Hebræo habetur, quòd à Hieronymo, ad sententiam clariorem, creditur esse adiectum. Sic autem ille vertit. Consumplimus annos nostros, sicut loquutionem. Verti etiam potest, sicut cogitationem. Nam vtrunque dictio hegeth significat loquutionem, videlicet & meditationem. Chal. paraph. pro vna hac dictione vertit, tanquam vapor oris nostri in hyeme, qui videlicet mox dēsatur, resoluiturque, & congelatur circa faciem. ¶Versu 10. Si autem in potentatibus octoginta anni. Variè id ex Hebræo transfertur. Hieronymus vertit. Si autem multum, octoginta anni, quod est, acsi dicamus, vt summum vel maximum dies vitæ nostrę sunt anni octoginta. Ita dicit Felix verti posse, Si ad plus octoginta anni. Aliter vertitur, in validissimis vel in potentatibus, siue (vt Felix effecto ait vocabulo) in robusticitatibus: hoc est, si admodum valuerimus & robusti fuerimus. ¶Versu eodem, Et amplius eorum, labor & dolor. Quod in Hebræo ponitur loco huius amplius eorum, videlicet rabhebbam. Hieronymus, iuxta nostram sententiam vertit, quod amplius eorum, id est, quod supereſt. Felix superbia eorum: quod tamen videtur secundum priorem sententiam exponendum, pro eo quod supergreditur aut superexcedit terminum illum, aut quod supereſt vitæ vltra terminum prępositum. Sic & intelligi potest quod vertunt quidam, excellentia eorum vel excedentia eorum, pro duratione illa quæ vltra hunc terminum protenditur. Secundum quam etiam intelligentiam exponit Chald. paraphrasis quæ legit, multiplicationem eorum. Quid autem est annorum multiplicatio, nisi reſiduum vitę quo post annos illos definitos ducitur? Quidam tamen intelligunt & exponunt, pręcipuum eorum: quod referri potest vel ad numerum, vel ad fortitudinis præcellentiam. Sunt enim qui accipiunt secundum numerum, vt sit sensus: bona & potissima pars horum annorum vitæ humanæ, transiguntur in labore & dolore. Quam sententiam in annotationibus principalibus diximus Romanum Psalterium continere, in quo sic legitur, Et plurimum eorum labor & dolor. Alij verò respiciunt non numerum, sed fortitudinem, & exponunt potiorem melioremque humanæ vitæ partem, intelligentes adolescentiam vel iuuentutem, quæ plurimo labore & dolore affligitur, maxime in ijs quæ secundum spiritum viuere satagunt, propter carnis vigorem & sensualis affectus nimiam feritatem, quæ ætate illa adhuc indomita & ferociens, tanquam lasciuiens vitula, plurimum negocij facesśit spiritui meliora molienti. ¶Versu 12. Quoniā superuenit mansuetudo, & corripiemur. Hieronymus, Quoniam transimus citò, & auolauimus. Felix in eandem ferè sententiam. Quoniam declinauit celeriter (supple tempus vitæ nostræ) & volauimus. Chaldai. paraphra. Quoniam transeunt velociter (anni nostri) & volant in puluerem. ¶Versu 13. Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore

A more tuo iram tuam dinumerare? Aliter ex Hebræo Hieronymus, Quis nouit vim iræ tuæ, & secundum timorem tuum indignationem tuam? Quod ita potest intelligi: Quis nouit indignationem tuam, secundum timorem quo tu ob eam timendus es? hoc est, Quis ita cognoscit indignationem tuam, vt te sic timeat, quomodo dignum est tam terribilem metuere dominum? Vel sic, Quis nouit indignationem tuam, quæ est secundum timorem tuum? Quod aliqui ita exponunt, Quia secundum timorem malæ conscientiæ procedit indignatio eius. Nam & in aduentu iudicis, qui maxime erunt peccatis præ omnibus fœdati, maximus quoque illos inuadet horror, quando omnia in lucē clarescent ex testimonio denudatæ conscientiæ. Illos autem quibus nullius erit peccati conscientia, nullus etiam timor premet indignationis Dei: & ita per omnia indignatio Dei secundum timorem ipsius tum erit quod nunc homines animales atque carnales nequeunt intelligere. Potest etiam exponi de timore sancto & bono in præsenti vita, & de indignatione Dei quæ videtur in afflictione prę|senti, id est, in corruptione & afflictione huius vitæ. Nam vt quisque magis habet timorem Dei, ita magis videtur erga eum indignatio Dei quantum ad disciplinam præsentis temporis. Qui enim piè volunt 1. Tim. 3.
viuere in Christo, persecutionem patiuntur. Et qui extra disciplinam sunt (vt idem ait) adulteri & nō Heb. 11.
filij sunt. Quin & ipse Dei filius in quo fuit maximus timor (id est reuerentia patris) maximam sensit erga se patris indignationem, ab eo traditus in mortem probrosissimam. Denique quantum ad af
B flictionem exteriorem, quæ est ex consideratione & formidine indignationis iudicij Dei, constat magis timoratos ab hac consideratione affligi: dum continuò diem illum vltimum ante oculos habentes, student carnem suam crucifigere cum vitijs & concupiscentijs, verentur solicitissime omnia opera sua & custodiunt vias suas ne offendant, quod indubie multi est laboris. Habet etiam hoc Galat. 5.
loco dignam sententiam Chaldaica Paraphrasis, sed quæ neque in communi lectione Latina, neque Iob 9.
etiam in Hebræa inuenitur. Sic autem habet, Quis est ille qui sciat conuertere fortitudinem iræ tuæ Deus? tantum iusti qui timent te, sedant furorem tuum. ¶Versu 14. Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia. Hoc loco pro eruditis, in exemplaribus Græcis qui vulgo sunt in manibus, habemus πεπαιδευμένους, quod significat vinctos vel compeditos. Vnde quidam Latini legunt, Et compeditos vel vinctos corde in sapientia. Nostri autem interpretes qui ex Græco in Latinum fecerunt versionem, legisse videntur πεπαιδευμένους, quod sonat eruditos, vel instructos. Et verisimile est propter similitudinem literarum factam esse mutationem. Sciendum tamen est, quòd in sententia nulla est diuersitas, licet prima facie secundum vocem magna appareat. Nam idem est, corde fieri eruditum in sapientia, & corde fieri vinctum vel compeditum in sapientia. Qui enim Dei correptione intellectum dante vexatione eruditiuntur corde ad sapientiam, hos rectè etiam dixerimus tali disciplina & afflictione velut vinciri corde, vel compediri corde in sapientia, quatenus vi-
C delicet in chamo & freno constringuntur, vt ad Deum approximent, & velut suauibus quibusdam, Esa. 28.
ac salutaribus vinculis & compedibus irretiuntur, implicanturque ad salutem. Non enim solus diabolus compedes & vincula habet. Habet & Christus suos compedes, habet sua vincula, habet chamum & frœna, habet stimulos, aliaque huiusmodi, quibus velut compellat ad salutem introire, Psal. 31.
etiam illos qui suæ videntur repugnare saluti. Alioqui, quomodo Paulus diceret captiuari intelle- 2. Cor. 10.
ctum in obsequium Christi, si nulla essent talia vincula, quibus captiuari & ligari posset? Ex Hebræo autem versum istum sic legit Hieronymus, Vt numerentur dies nostri, sic ostende, & veniemus corde sapienti. Felix, Vt numeremus dies nostros, sic notum fac, & adducemus cor sapientiæ. Quod hunc habet intellectum, Ita tu domine tua eruditione indica nobis vitæ nostræ breuitatem, doce nos mensurare & computare breues annos nostros, vt ex hac consideratione pertingamus ad cor rectum, ad mentem sapientem, sibi ab ira per pœnitentiam & vitam bonam perspicientem. Nam consideratio breuitatis vitæ humanæ, mirum in modum homines cautos ac prouidos facit, vt à malo declinent, & operentur bonum. ¶Versu 16. Repleti sumus mane misericordia tua: In Hebræo per deprecationem legitur, Imple nos mane misericordia tua, vel matutina misericordia tua, & laudabimus, & lætabimur cunctis diebus nostris: atque ita in versu sequenti, Lætifica nos, & cętera. ¶Versu 18. Respice in seruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum. Hieronymus,
D Appareat apud seruos tuos opus tuum, & gloria tua super filios eorum: hoc est, effulgeat operatio misericordiæ tuæ erga seruos tuos, & tuam potentiam glorifica in cunctis posteris nostris: hoc est, semper glorificare & sanctificare in electis tuis, & qui nunc sunt, & qui pòst futuri sunt vsque ad consummationem sæculi. In sequenti autem versu ferè secundum sententiam nostræ vulgatæ lectionis sic legitur in Hebræo, Et sit decor vel suauitas, siue dulcedo, aut serenitas & clementia domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum fac stabile super nos, & opus manuum confirma, vel dirige vel dispone.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

QVoniam in titulo huius psalmi dicitur, Oratio Moysi hominis Dei, quidam sentiunt hunc psalmum ab ipso Moyse duce, populi notissimo, fuisse compositum: imò & sequentes psalmos decem, quibus alterius authoris nomen non pręmittitur. Quam sententiam, quantum ad psalmum præsentem, manifestè approbat Paraphrastes Chaldæus, ita ponens in titulo, Oratio quā orauit Moyses prophęta Dei, quando peccauerunt filij Israël in deserto, Respondit, & sic dixit: ac deinde subsequitur Psalmus. Et apud Hebræos firmissimū est, quādocunque dicitur Moyses vir Dei (vt hic in titulo legitur) non alium intelligi quàm illum ducem & legislatore, cui propter excellentiā

hoc nomen attribuunt, vt non liceat cuiquam de alio Moyse suspicari, quem assignet psalmi author- E
rem. Alij verò dicunt hunc psalmum non ideo prænotatum habere in titulo Moysen, quòd ipse sit
eius author, sed quia talia ferè in hoc psalmo describuntur, quia dixit Moyses, & orauit coram do-
mino, cùm pro populo (qui iram Dei suis peccatis prouocauerat) faceret deprecationem ne in totum
absumeretur, iuxta comminationem domini. Verum de his certi nihil determinari potest: quamob-
rem nec curiosius ea ducimus perquisitiganda.

IN PSALMVM XC.

VErsu 1. Qui habitat in adiutorio altissimi. Hieronymus, Qui habitat in abscondito excelsi, in
vmbraculo domini commorabitur. Quod in eandem sententiam interpretari potest, in quam
supra vulgatam lectionem sumus interpretati. In abscondito enim vel abdito vel secreto altissimi ha
bitare, non est aliud quàm in spe auxilij eius totos nos intra ipsum concludere, inque eo velut in
foraminibus petræ firmissimæ, & in cauerna dulcis maceriæ nidum componere, id est, stabilem eli-
gere mansionem. Et iterum, In vmbraculo vel vmbra domini: idē est, quòd in eius protectione. ¶Ver-
su 4. Et à verbo aspero. Hieronymus, de morte insidiarum, id est, de morte quam mihi machinantur
aduersarij venatores per insidias. Non enim ad aliud insidiantur, & in venatione occupantur, nisi vt
morte interficiant, quemadmodum latius diximus in annotationibus præcipuis. Felix vertit, A peste F
prauitatū vel confractionum, id est, à corruptione iniquitatis & malitiæ, per quam confringuntur vi-
res humani spiritus, & omnis vigor exhauritur. Versioni Hieronymi satis accedit Chald. paraph. quæ
sic habet, Liberabit te de laqueo, & de morte, & de insidijs. ¶Versu 5. Scuto circundabit te veritas
eius. Hieronymus, Scutum & protectio veritas eius: hoc est, fides siue fidelitas eius tibi erit pro scu-
to & protectione. Alij vertunt, Scutum & parma, vel hasta & parma veritas eius: vt significetur in scu
to protectionis securitas à malo: hasta verò aut parma, ipsa etiam ad inuadendum & impugnandum
inimicos fortitudo. Per veritatem nanque Dei possumus non solùm à nobis malum depellere, verū
etiam hostes inuadere & humiliare. Propter quod Paulus huius pugnę miles expertissimus, & hostiū
Ephes. 6. istorum nostrorum vigilantissimus explorator, docet nos, non modò scutum habere in quo omnia
tela nequissimi ignea valeamus extinguere, sed gladium insuper spiritus assumere, quod est verbum
Dei: nihil dubium quin ad nostrorum hostium impugnationem, vt etiam aduersum illos dimicare
valeamus, & aperte prodire in aciem, in confidentia veritatis Dei, & nō solùm quasi timidi scuto nos
defensare. ¶Versu 6. Ab incursu & dæmonio meridiano. Pro incursu, habet editio Romana, ruinam:
A ruina (inquit) & dæmonio meridiano. Quæ duæ lectiones in vnam sententiam facile possunt redu-
ci, si ruina intelligatur, illa qua dæmonium meridianum aperto Marte in hostem irruit, toto virtutis
impetu, quantum præualet. Hæc enim ruina incursus est. Vnde pro eodem dicimus, in exercitum aut G
ciuitatem irruere, vel facere incursum. Hieronymus verò totum hoc, Ab incursu & dæmonio meri-
diano, ita vertit, A morsu insidiantis meridie. Felix aliter, Ab ægritudine repentina, deuastante in me-
ridie. Alij, Ab exterminato vel exterminatore vastante meridie. Chal. parap. habet, A caterua dæmo-
num qui nocent meridie. Secundum aliquos verò nomina Hebraica in his locis posita, videlicet De-
ber & Keteb, sunt nomina dæmonum, quorum prius valet pestem. Vnde pro negotio, pestem legunt
Hebręi: posterius autem significat ægritudinem subitaneam, quę velociter incidit, & ab incidendo sic
dicitur: propter quod alij exterminatorem, vel exterminium transferunt. ¶Versu 10. Et flagellū non
appropinquabit tabernaculo suo. Pro flagello vertit Hieronymus lepram. Felix nobiscum flagellū,
aut vulnus, aut plagam. Omnia eandem habent sententiam, videlicet nullum malum posse speranti
in Deo accidere. ¶Versu 11. Quoniam angelis suis mandauit de te. Hieronymus per omnia nobiscū
vertit: Felix ad hunc modum, Quoniam angelos suos præcipiet adesse tibi, vel angelis suis mandauit
tibi, id est, in fauorem tui, vt custodiant, &c. Illud etiam quod sequitur, In manibus portabunt te, ver-
ti potest, Super palmas leuabunt, vel portabunt te: & quod mox sequitur, Ne forte offendas ad lapi-
dem pedem tuum. verti potest, Ne forte offendat ad lapidem, vel impingat lapidi pes tuus. Est & hoc
animaduersione dignum, quòd per lapidem Chald. paraph. intelligit prauam cupiditatem siue concu-
piscentiam, quam alibi fomitem prauum nuncupat. Sic enim habet, Ne forte impingant, vel offen- H
dant ad prauam cupiditatem vel concupiscentiam (quę est similis lapidi) pedes tui: id est, ne à tua pra-
ua concupiscentia vllum patiaris scandalum. ¶Versu 13. Super aspidem & basiliscum ambulabis, &c.
Felix, Super leonem & aspidem iter facies, cōculcabis catulum leonis & draconē, id est, quicquid vel
apertè vel occultè vel magna potentia vel per insidias nocet, vt suprà exposuimus. Hieronymi lectio
à nostra vulgata nihil differt. ¶Versu 14. Quoniam in me sperauit. Hieronymus, Quoniam mihi ad-
hæsit. Felix, Quoniam me, vel in me concupiuit: hoc est, vehementer amauit, vt mihi per spem firmi-
ter adhæsit. Dictio enim Hebraica chasack, significat non simpliciter amare, sed vehementer & intē-
se diligere, velut cum totali affectus intentione. ¶Versu vltimo, Et ostēdam illi salutare meum. Ostē-
dam, videtur positum pro exhibebo: vt sit sensus, Exhibebo vel præstabo illi, siue experiri & posside-
re faciam illum salutem meam: hoc est, vitam & beatitudinem æternam.

IN PSALMVM XCI.

VErsu 3. In decachordo psalterio, cum cantico, in cithara. In Hebræo fit diuisio inter deca-
chordum & psalterium, & sic legitur, Super decachordo, super psalterio, super higaion
cum cithara, vel in cithara: vel sic, ad decachordum, ad psalterium siue nablum, ad higaion, in citha-
ra. Ex quo patet, quòd iuxta Hebraicam lectionem non sit legendum coniunctim, psalterium decachor-

A chordum, neque idem valere quod psalterium decem chordarum. In Græco tamen, vnde nostra lectio manat, iunguntur hęc adinuicem absque coniunctione media, vel vllius particulę interpositione. Ideoque nos interpretati sumus, psalterium decem chordarum, id est, instrumentum psalterij decem fides vel chordas habens tensas. Sic enim nostra lectio apertè legit psalmo 32. cùm versu 2. dicitur, In psalterio decem chordarum psallite illi. Quantum tamen ad locum præsentem possit facilè distinctio fieri ea quæ est in Hebræo, si diuisim legantur psalterium & decachordum, hoc modo, In psalterio, decachordo, in cantico cum cithara. Higaion autem, pro quo nos habemus canticum, aliqui cāticum vertunt, alij instrumentum musicum esse opinantur, eo quòd in Hebræo eadem præmittatur Psal. 32.
præpositio, quæ prioribus instrumentis: dicendo, super decachordo, super psalterio, super higaion. Verum id perparum refert, maximè cùm nec ipsi Hebræi in huiusmodi aliquid habeant certi. ¶Ver-
su 13. Plantati in domo domini. Ex Hebræo Hieronymus vertit nō simpliciter plantati, sed transplan-
tati. Quod iocunda cōsideratione eo potest referri, quòd natura filij iræ & mortis sumus, per gratiā
autem efficimur filij adoptionis. Atque ita dum in sancta ecclesia per Deum iustificati plantamur, re- Ephes. 2.
ctè dicimur transplantati, quasi de regione mortis ad regionem vitæ, de carcere diaboli ad domum
& tabernaculum Dei viui. De quo dilectus domini discipulus: Nos scimus (inquit) quoniam transla-
ti sumus de morte ad vitam. Hæc enim est illa transplantatio. ¶Versu 14. Adhuc multiplicabuntur in Ioan. 5.
B senecta vberi, & bene patientes erunt, vt annuncient. Dictionem significantem vbertatem, lectio He-
braica iungit cum sequenti, nō cum senecta hoc modo, iuxta translationem Hieronymi, Adhuc fru-
ctificabunt in senectute, pingues & frondentes erunt, vel (iuxta Felicis versionem) pingues & virides
erunt. Alij vertunt, succosi, vel succulenti & viuidi: significatur pulcherrimus viror, & plenissimus vi-
gor animæ iustorum in corpore deficienti.

DE TITVLO PRÆCEDENTIS PSALMI.

HAbet psalmus iste talem titulum, Psalmus cantici, in die sabbati. Quid sibi velit, Psalmus canti-
ci, post annotationes psalmi 4. in expositione tituli diximus. In die autem sabbathi adiicitur se-
cundum aliquos, quoniam illa die debeat decantari. Estque admodum aptus diei sabbathi, quoniam
adhortatur ad laudem Dei solennem, & considerationem operum Dei mirabilium, quibus maxime
oportet sabbatho intendere: quoniam ad hoc sabbathi quies est instituta à Deo & sanctificata, vt ab
omni externo opere tum feriantes, attentius recogitaremus miranda Dei erga nos beneficia & quæ
iam collata accepimus, & quæ adhuc ab illo spe firma vsque in senectutem vltimā expectamus. Quod
autem quidam Hebræorum dicunt, hunc psalmum dixisse primum hominem in die sabbathi, diem Gene. 2.
C plasmationis ipsius statim subsequenti, id nullam habet solidam authoritatem.

IN PSALMVM CXII.

VErsu 1. Dominus regnauit, decorem indutus est. Hierony. Gloria indutus est. Felix, Magnificē-
tiam induit. Eadem est sententia. Decorem enim interpretati sumus, gloriam & magnificētiam
resurrectionis. ¶Versu 2. A sæculo tu es, hoc est, ab æterno, vt vertit Hieronymus ac Felix. ¶Versu 5.
& 6. A vocibus aquarum multarū. Mirabiles elationes maris. In lectione Hebraica, finis versus quin-
ti principium est versus sexti, ad hunc modum, A vocibus aquarum multarum, mirabiles vel terribi-
les elationes maris. Quod exponi potest secundum eam sententiam qua diximus, sæculi potentes &
sapientes confidentes in populorum multitudine, non in veritate mirabiliter se opposuisse verbo
euangelij. Quidam ex Hebręo sic legunt, A vel præ vocibus aquarum multarum, terribiliumque ela- Psal. 45.
tionum maris, terribilis est in altis dominus: vt significetur magis omnibus esse terribilis dominus,
sicut dicitur in alio psalmo, Quoniam dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terrā.
Alij totum quod hic de fluminum & maris eleuatione dicitur, in bonam partem interpretantur, & ad
laudem Dei referunt. Vnde Chald. Paraph. sic habet. Leuauerunt flumina laudem coram Deo, eleua-
D uerunt flumina vocem suam in cantico, recipient flumina præmium laudum suarum. A vocibus aqua-
rum multarum, à laudibus fluctuum maris magni laudata est in cælis Dei celsitudo.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

PSalmus iste nullum habet in Hebræo titulum: in Græcis tamen & Latinis exemplaribus nostris
prolixum & nouum inuenimus, in hunc modum, Laus cantici Dauid, in die ante sabbathum,
quando fundata est terra, vt habet lectio Romana, vel quando inhabitata, vt habet Gallicana. in quo
titulo secundum mysticum sensum, per diem ante sabbathum, intelligi dicunt ætatem istam nouissi-
mam, & tempus hoc gratiæ in quo nunc viuimus vsque ad consummationem sæculi, quando veniet
octaua illa ætas nunquam finienda, sabbathismus ille sempiternus populo Dei, de quo Paulus Apo- Heb. 4.
stolus loquitur in epistola ad Hebræos. In hoc enim pro sabbatho, vt est in Græco, id est, die ante sab-
bathum, hoc est in nouissima hac ætate, terra fundata est, ecclesia ædificata: & eadem ista inhabitari
cœpta est à populo fidelium. De hac autē terræ fundatione, siue ecclesię ædificatione, iuxta expositio-
nem in Elucidatione posita, totus iste Psalmus facit mentionem: propter quod, meritò in titulo dici-
tur, Laus cantici Dauid in, pro sabbato, quando inhabitata est terra. De hoc enim die salutis & gratię
in quo nunc viuimus, quique præcedit sabbathum requietionis nouissimum, potissimum loquitur.

IN PSALMVM XCIII.

VErsu 1. Deus vltionum liberè egit. Hieronymus, Deus vltionum ostendere. Felix, Deus vltionũ splendide appare, vel splendide apparuit. Quod vltimum facile cum nostra vulgata lectione cõcordat. Ferè enim idem sunt, splendide apparere, & liberè agere. Quotiescunque enim Deus liberè & confidenter agit in impiorum punitione, proculdubio splendide apparet, splendide se manifestat,
Gene.7. & 19. Exod.14. Esaiæ 37. dum suam vltionem pulchrè & palàm exhibet ante oculos. Videlicet cùm mundum diluuio perdidit, dum suam vltionem pulchrè & palàm exhibet ante oculos. Videlicet mundum diluuio perdidit, cũ Sodomam & Gomorrham igne & sulphure absumpsit, cùm Pharaonem & omnem Aegyptum manu valida contriuit, cum Sennacherib exercitum centum octoginta milia hominum in cineres consumpsit, nónne in his omnibus simul & libere egit, & splendide apparuit? Quòd si per imperatiuum modum legatur, intelligitur fieri deprecatio pro ostensione vltionis diuinæ. ¶Versu 4. Effabuntur, & loquentur iniquitatem. Hieronymus, Fluent loquentes antiquum. Felix, Effluent vel effabuntur, loquentur elatũ, vetus antiquũ, superbum. Vocabulũ enim quod priori loco ponitur pro effabũtur, magnam habet emphasim, significans ebullire, & abundanter eiicere, notatque oris impiorum temeritatem & improbitatem, qua audent absque metu, absque obseruatione oris, temere quicquid in os F
venerit, effutire. Loco autem iniquitatis habetur dictio athalz, & significat vetus, durum, superbum, elatum. Propter quod verti posset, Loquentur inueteratam superbiam, vel inueteratam malitiam. ¶Versũ 10. Qui corripit gentes, non arguet? In Græco est παιδεύων, quod significat vel castigationẽ, vel ipsam eruditionem & institutionem. Deus enim & disciplina gentes instituit, docens omnes quæ recta sunt: & nihilominus disciplina sua castigat, vlciscens pro commissis impietatibus. Hieronymus vertit, qui erudit. Chald. transl. consentit, dum loco hũius, qui erudit, ponit, Qui dedit legem populo suo. Sic enim habet, An posibile est, quòd ille qui dedit legem populo suo, cùm peccauerint, non ar-
Heb.11. Psal.17. guet eos. Felix autem vertit, qui castigat. ¶Versu 12. Beatus homo quem tu erudieris domine. Eruditio ista potest etiam castigatio intelligi. Vnde Felix vertit, Beatus quem tu erudieris vel castigaueris domine. Verè enim felix est, qui Dei castigatione eruditur, & disciplina patris sui exercetur. Non enim est filius (vt ait Apostolus) quem non castigat pater: & qui extra disciplinam sunt, adulteri sunt & non legitimi filij. Hinc & alibi dicitur. Et disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit. ¶Versu 15. Quoadusque iustitia conuertitur in iudiciũ? Ex Hebræo sic legitur, Quoniam ad iustitiam reuerteretur iudicium. Quod exponi potest diuersis modis, in Elucidatione atque annotationibus principalibus expositis. Primum quidem, de iustitia Dei, hoc modo, Iudicium quod nunc videtur à Dei iustitia abesse, aliquando reuertetur ad iustitiam, videlicet vt iudicium exerceaG
tur secundum eam, & non erit perpetuo iustitia Dei absque iudicio otiosa, sed prodibit tandem vl-
1.Cor.3. 1.Cor.4. tionis iudicium, & vindictæ exercitium. De iustitia autem sanctorũ sic expone, Futurum est aliquando, vt iustitia bonorum quæ nunc contemnitur & despicitur, adducatur in iudicium coram tribunali domini: & tũc apparebit pretium eius, tunc erit digna virtutis æstimatio, quæ nunc donec absque iudicio latet, nullius æstimatur pretij. Vel sic expone de iudicio generaliter: Futurum est aliquando, vt iudicium reuertatur ad iustitiam, vt nõ amplius iudicetur iniuste, quemadmodum fit inter homines, sed vt iudicetur iuste: & tunc erit bonis bona merces quum cœptum fuerit iuste iudicari, id est, in nouissimo die. Nunc enim plerunque iudicium abest à iustitia, & iudicium huius temporis vanum est. Sed in die illo reuertetur ad iudicium iustitia, & incipiet iuste iudicari: quando dies ille domini declarabit vniuscuiusque opus quale sit, quando illuminabit Deus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Posset verò versus iste clarius secundum hanc lectionem sic verti, Adhuc erit iudicium coniunctum cum iustitia. ¶Versu eodem, Et qui iuxta illam, omnes qui recto sunt corde. Hieronymus, Et sequentur illud (repete iudiciũ) omnes recti corde: hoc est, iudicium Dei appropinquabunt, tanquam assessores omnes sancti. Vel sic, Iudicium coniunctum iustitiæ, siue iustum iudicium, sequuntur omnes recti corde: quemadmodum omnes impij
Psal.57. malum sequuntur iudicium, coniunctum cum iniustitia, Vnde alibi monet Psalmista, Rectè iudicare H
filij hominum. Alij vertunt, Post ipsum (dominum) omnes recti corde, vel ipsum dominum sequẽtur omnes recti corde. Quod sic potest exponi, Quãdo iudicium fuerit incursum ad iustitiam, tunc post ipsum dominum iuste iudicantem sequẽtur omnes, quoniam omnes illum in gloriam supernam cõmutabunt à iudicio reuertẽtem, impijs in ignem æternum longe protrusis à facie Dei. Quam sententiam satis apertè innuit quod hoc loco habet Chald. paraph. Post eum redimentur omnes recti corde. Videtur enim redemptio illa loqui de salute sanctorum. ¶Versu 19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Ex Hebræo Hieronymus, In multitudine cogitationum mearum quæ sunt in me intrinsecus consolationes tuæ delectabunt animam meam. Felix, In multitudine, vel iuxta multitudinem cogitationum mearum, in intimo meo, consolationes tuę delectabunt animam meam. Quas cogitationes, conuenientius intelligimus cogitationes perturbantes & perterrefacientes conscientiam, cuiusmodi sunt cogitationes pusillanimitatis, aut desperationis, aut consimiles, propter quas homo velut horrore concutitur, &
2. Cor. 7. 2.Cor.1. grauiter affligitur, quales & Paulus apostolis experiebatur, quum diceret, Foris pugnæ, intus timores. Et iterum, Supra modum grauati fuimus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi responsum mortis habuimus in nobismetipsis, & cetera. Quidam vertunt, Secundum æstum, vel pro æstu multarum cogitationum intra me, recreauerunt consolationes tuæ animam meam.
¶Versu

A ¶Versu 21. Captabunt in animam iusti. In Hebræo est, copulabuntur, vt habet Hieronymus, vel congregabuntur quasi cuneis militum, vt ait Felix, vel conglobabuntur quasi cuneis militum, vt ait Felix, vel conglobabuntur siue agglomerabuntur aduersus animam iusti.

IN PSALMVM XCIIII.

VErsu 1. Iubilemus Deo salutari nostro. Hierony. Iubilemus petræ Iesu nostro, id est, salutari vel saluatori nostro. Ipse enim dominus est petra nostra, id est, firmamentum nostrum & fortitudo: & est nostrum salutare, siue salus nostra, aut saluator. Felix sic vertit, Iubilemus rupi salutis nostræ, id est, firmissimæ petrę, in qua salui consistimus, & in bono immobiles. Alij vertunt, Iubilemus forti saluti nostrę, vel forti saluatori nostro. Alij, Propugnatori salutis nostrę. Quę in idem cõueniũt. ¶Versu 4. Quia in manu eius sunt omnes fines terræ. Hieronymus, In cuius manu fundamenta terræ. In quo significatur plenissimum dominium, quo dominatur terrę dominus, & perfecta possessio, vt possit eam cõcutere, conturbare, destruere, aut continere pro suo placito. Qui enim fundamenta habet ædificij in manu sua, in huius arbitrio est ipsum vel conseruare, vel commouere, vel penitus in ruinã dare, atq; ex imo subuertere. Felix autem pro fundamentis habet explorationes. Alij vertunt pene-
B tralia terræ, id est, intima terræ, & quæ sunt in ea abditissima. Omnia enim sunt domini, quæ etiam intima creauit terræ viscera. Atque ita pulchre istud cum sequenti consentit, vt canat propheta ea etiam quę hominibus prorsus necessaria sunt incognita loca, cuiusmodi sunt montium celsitudines, & terræ penetralia, esse in manu & subiectione domini. Quod autem in secũda parte dicitur, Et altitudines montium ipsius sunt, hoc in psalterio Romano ita legitur, & altitudines mõtium ipse conspicit. Quo verbo indicatur, Deo esse cognita etiam illa quæ sunt in altissimis montibus. Verum hæc lectio neq; in Hebraico neq; in Græco inuenitur. Sic enim habet vtraq; lectio, vt nos secundum consuetudinem psalterij Gallicani legimus, Altitudines montium ipsius sunt. ¶Versu 6. Venite, adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino. In Hebræo non est ploremus. Sic enim legitur, Venite, adoremus, & procidamus, vel curuemur, vel flectamus genua ante faciem domini factoris vel fictoris nostri. ¶Versu 8. Hodie si vocem eius audieritis. Hoc principium versus quidam Hebræi iungunt cũ præcedentibus, cum verbis illis, venite, adoremus, & procidamus ante Deum factorem nostrum, si modo hodie vocem eius audire volueritis: ac deinde legũt separatim, Nolite obdurare corda vestra, &c. Verum ita non distinguit in sua versione Hieronymus, neque videtur distinctio illa approbanda. Maxime cùm beatus Paulus in epistola ad Hebræos hunc locum frequenter replicans, manifeste nostram connexionem approbet, & eam solam ponat, semper ita iungens, Hodie si vocem eius audieri-
C tis, nolite obdurare corda vestra. ¶Versu 9. Sicut in irritatione secundum diem tentationis. Pro irritatione & tentatione, in Hebraico est meriba & massa, quæ aliqui putant esse nomina propria locorum in quibus filij Israël tentauerunt dominum. Magis tamen videtur accipienda vt nomina appellatiua significantia contradictionem vel irritationem & tentationẽ, quomodo vertit etiam ex Hebręo Hieronymus, Sicut in contradictione, sicut in die tentationis, in deserto. ¶Versu 10. Probauerunt & viderunt opera mea. in Hebræo est, Probauerunt me, & viderunt opus meum.

IN PSALMVM XCV.

VErsu 8. Adorate dominum in atrio sancto eius. Hieronymus, Adorate dominum in decore sanctuarij. Quod exponi potest secundum interpretationem lectionis vulgatæ, Adorate dominum in decore ecclesiæ habitantem, vel adorate dominum in decoro & magnifico sanctuario: Intelligi etiam potest, Adorate dominum in fide, spe, & charitate, virtutumq; ornatu. Hic est enim decor sanctuarij interioris domini Dei nostri, id est, ornatus humani spiritus, quem inhabitat Deus vt templum. ¶Versu 10. Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur. Hieronymus, Siquidem appendit orbem immobilem, id est, firmauit, atque præparauit orbem qui nõ commouebitur, quod
D secundum sententiam cum lectione vulgata coincidit: quemadmodum & illud quod vertit Felix, Etiam firmatus est orbis terræ, non elabitur. In sequenti autem versu loco commoucatur, Hieronymus vertit, tonet mare, Felix, tumultuetur, aut intonet mare. Alij, resonet vel perstrepat mare. Omnia nostræ expositioni consentiunt.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

HVic psalmo in Hebræo nullus præponitur titulus. In lectione tamen vulgata, atq; etiam in Græca sic legimus, Canticum Dauid, quando domus ædificabatur post captiuitatem. Qui titulus, si secundum mysticam intelligentiam exponatur, manifestè consonat ijs quæ in hoc psalmo decantantur de ecclesiæ sanctæ per Christum ædificatione, & mundi correctione siue restauratione per Christi aduentum & prædicationem gloriæ eius. Dum enim mundus post longam captiuitatem randem est libertati restitutus, & à captiuitate absolutus, à iugo mortis & seruitute diaboli, quasi post captiuitatem domus Dei ædificata fuit.

IN PSALMVM XCVI.

VErsu 5. Montes sicut cera fluxerunt à facie domini, à facie domini omnis terra. Ex Hebræo sic vertit Hieronymus, Montes sicut cera tabefacti sunt à facie domini, à facie dominatoris omnis
ter-

terrę similiter & Felix, A facie domini vniuersæ terræ. Atque ita etiam legitur in Græcis codicibus E
ἀπὸ προσώπου κυρίου πάσης τῆς γῆς :vbi articulus manifeste indicat casum genitiuum : hoc est, A facie domini omnis vel totius ipsius terræ. Vnde potest oriri suspicio factam esse immutationem vnius literæ a in æ, in vulgatis Latinis codicibus, vt pro terræ, scriptum sit terra. Habet tamen nominatiuus etiam commodum & facilem sensum, vt ex Elucidatione patet. ¶Versu 7. Et qui gloriantur in simulachris suis. In Hebræo idem est vocabulum, quod versu 5. psalmi præcedentis, vbi nostra habet lectio, Omnes dij gentium dæmonia. Idem (inquam) vocabulum Hebraicum est elilum, quod aliqui vertunt sculptilia, sed significare videtur vanitates, vel nihil. Vnde Felix vertit, Qui gloriantur in idolis, vel in vanitatibus, vel in nihilo. Per contemptum enim, idola vanitates & nihil appellat. ¶ Versu 8. Adorate eū omnes angeli eius. In Hebræo est, Adorate eum omnes dij : hoc est, quicquid magnificum est, quicquid gloriosum, agnoscat superiorem dominum, eumque adoret, vt dictum est.

DE TITVLO PRAECEDENTIS PSALMI.

IN Hebræo nullus est titulus, sed in Græcis & Latinis codicibus sic legitur, Psalmus ipsi Dauid, vel huic Dauid, quando terra eius restituta est vel restaurata. Qui titulus secundum mystica intelligentiam non male conuenit materiæ psalmi precedentis, qui est de restitutione totius terræ, facta Christo domino post resurrectionem. Quasi enim perdiderat terram, & ei velut perierat, dum sub manum inimici & sub tyrannidem diaboli fuit tradita propter primi hominis peccatum. Quasi verò restituta fuit Christo & instaurata, quando morte deuicta fuit redempta, & per euangelij prędicationē ad Christum primum & verum dominum fuit conuersa. Perfectissime autem terra restaurabitur & restituetur ipsi Christo in nouissimo iudicio, quando omnia perfecte subijcientur sub pedibus eius. Nunc enim (vt ait Apostolus) necdum videmus omnia subiecta sub pedibus eius, tunc autem fient ei omnia subiecta. F

1. Cor. 15. Psalm. 8.

IN PSALMVM XCVII.

VErsu 2. Saluauit sibi dextera eius. Quomodo in annotationibus principalibus diximus, putant istud vertendum aliqui per accusatiuum: Saluauit eum dextera eius: hoc est, ipsum Christū dominum saluauit sua diuinitas. Alij vertunt, Saluauit sibi dexteram suam, & brachium sanctum suum: ad hunc sensum, Deus pater saluum fecit à morte (per resuscitationem) filium suum, qui est ipsius dextera & brachium. Frequens enim est, vt in scripturis filius dextera patris aut brachium nominetur: quemadmodum in cantico virginis matris dicitur, Fecit potentiam in brachio suo, quod aliqui non male intelligunt, In Christo filio. Et quod in psalmo 117. dicitur, Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me. Dextera domini fecit virtutem, potest de filio intelligi, per quem pater operatus est mundi salutem. Verisimilius tamen videtur quod dicunt alij, ex more Hebraici sermonis casu datiuo esse vertendum, vt habet nostra lectio, & quomodo beatus Hieronymus vertit in psalterio quod transtulit ex Hebraica veritate. Neq; hoc solum in loco, verum etiam in alijs aliquot consimilibus sacræ scripturæ locis, veluti Esaiæ 59. Et saluabit sibi brachium suum, & iustitia eius ipsa confirmauit eum. Et iterum, Circunspexi, & non erat auxiliator: quęsiui, & non fuit qui adiuuaret. Et saluabit mihi brachium meum, & indignatio mea auxiliata est mihi. In his (inquam) locis, quomodo non transtulit Hieronymus, Saluabit ipsum brachium suum, vel saluabit me brachium meum, sed ipsi & mihi, casu datiuo, ita & nos putamus etiam prędicto loco dicendum (vt nostra habet lectio) Saluauit sibi dextera eius. Potest autem hęc locutio accipi, vt sit proprietas Hebraei idiomatis, vel ad eum modum quo suprà exposuimus in elucidatione & annotationibus principalibus, vel vt significetur exceptio, vt sit sensus, Saluauit sola dextera eius, salutem fecit sola eius dextera: quemadmodum in illis alijs locis apud Esaiam, saluabit mihi brachium meum, sensus accipi potest, Solum brachium meum faciet salutem: & in altero loco, Solum brachium meum fecit salutem. G

Psal. 117.

Esaię 59. & 69.

IN PSALMVM XCVIII. H

VErsu 3. Honor regis iudicium diligit. Hieronymus pro honore, vertit, imperium. Imperium (inquit) regis iudicium diligit. Alij vertunt, fortitudinem. Facile autem ista possunt exponi secundum ea quę diximus in Elucidatione & annotationibus principalibus. ¶ Versu 5. Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Ex Hebręo verti potest indifferenter, vel per genus neutrū, Quoniam sanctum est, videlicet scabellum, quomodo habet lectio Latina: vel, Quoniam sanctus est, genere masculino, vt sit sensus, Adorate scabellum pedum domini, eo quòd ipse dominus sit sanctus. Atq; ita vertit Hieronymus. Felix verò sequitur genus neutrum. Pro eo autem quod in Hebræo & in nostra lectione habetur, Adorate scabellum pedum eius: habet paraph. Chal. Adorate domum sanctuarij eius, quod illi fauet expositioni quæ per scabellum pedum intelligit arcam domini, vt diximus in annotationibus prioribus.

IN PSALMVM XCIX.

VErsu 3. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Hieronymus ita vertit, Ipse fecit nos, & ipsius sumus. Populus eius, & grex pascuæ eius. Alij ex Hebræo vertunt, Ipse fecit nos, & non nos, intelligendo ipsi, iuxta sententiā nostræ lectionis. Felix, &, in textu ponit, Et nō nos: ad marginē verò, Et ipsius nos, admonens, q̄ dictio ipsius scribitur, dictio autem non legitur. Id enim subinde in Hebraica lectione vsuenit vt aliud scribatur & aliud legatur. Quod autē huic Psalmo præmittitur pro titulo, Psalmus in confessione, nullā habet difficultatem. Manifestum enim est, ob hoc in confessione præmitti, quo non aliud quàm ad confessionem adhortatur. A

IN PSALMVM C.

VErsu 2. Psallam & intelligā in via immaculata. Hierony. Psallam & erudiar in via perfecta, quod pro nostra facit interpretatione in Elucidatione posita. ¶ Versu 4. Non proponebam ante oculos meos rem iniustā. In Hebręo est verbum belial, pro re iniusta, eademque sententia est. In ijs autem quæ sequuntur, Facientes præuaricationes audiui, non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoscebā. aliam distinctionem habet lectio hebraica. Sic enim vertit Hierony. Facientem declinationes odiui, nec adhæsit mihi. Cor prauum recedet à me, malum nesciam. ¶Versu 6. Hunc persequebar. In Hebræo est, Hunc interficiam, vel hunc ad internitionem perducā. hoc est, grauiter illum redarguam, confundam & puniam, nec ferre potero. ¶Versu 7. Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Hoc insatiabile intelligi potest de corde auaro vel ambitioso. Vtrunque enim est insatiabile: illud quidem diuitijs: hoc autem honoribus. Et ad vtrunque est lectio Hebræa indifferens, quæ habet, latum vel vastum vel amplum corde. Sunt autem lato corde vel amplo corde tam auari quàm ambitiosi. Hieronymus tamen vertit, elatum corde, ad ambitionem referens. Pro eo autem quod sequitur, Cum hoc nō edebam: In Hebræo est, Cum hoc esse non potero, vt vertit Hieronymus: vel hunc non patiar, vt habet Felix. In Hebræo enim est oratio defectiua, non potero: vbi supplendum videtur ferre aut sustinere, aut esse cū eo, aut simile aliquid. ¶Versu. 9. Non habitabit in medio domus meę, qui facit superbiam, Pro superbia, in Hebræo est dolus vel fraus. Pro eo autem quod sequitur in parte secunda, non dixerit: Hieronymus habet, non placebit: Felix, non dirigetur, non stabilietur. Alij, non prosperabitur, non habebit prosperum successum. Omnia fere in idem recidunt, & sententiam in Elucidatione positam declarant. ¶Versu vltimo, In matutino interficiam omnes peccatores terræ. Si in persona Christi hic Psalmus exponeretur, posset ista peccatorum interfectio intelligi damnatio impiorum: & tempus hoc matutinum, dies iudicij, quando illucescet dominus & illuminabit abscondita tenebrarū, vt fiant manifesta consilia cordium. Tunc enim colliget & separabit Christus dominus de regno suo omnia scandala, & omnes qui ea operati sunt, proijciet in ignem damnationis æternæ. Cui expositioni satis fauet quod habet Chald. Paraph. Mundo venturo qui assimilatur luci matutinæ, perdam omnes peccatores terræ, vt disperdam de Hierusalem ciuitate Dei omnes operarios iniquitatis. B C

1. Cor. 4. Matth. 13.

IN PSALMVM CI.

VErsu. 4. Ossa mea sicut cremium aruerunt. Felix, Ossa mea sicut torris vel titio, vel focus adusta sunt: quod eandem habet cum nostra lectione sententiam. Vicinius tamen Hieronymus vertit, Ossa mea quasi confixa contabuerunt. ¶Versu. 8. Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Verbum Hebraicum sakad, significat non simpliciter vigilare, sed vigilare cū obseruatione & expectatione aut cū exercitatione. Vnde verti posset, Expectando vigilaui, aut vigil expectaui, aut vigilando exercitatus sum, siue vigil perseueraui. Pro passere autem Hieronymus nomen generis ponit, vertens autem solitariam super tectum, pro passere solitario in tecto. Felix tamen & alij, nomen speciei iuxta nostram lectionem retinent. ¶Versu. 13. Et memoriale tuum in generatione & generationem. Felix vertit, Memoria tui, quod clarius est. Hieronymus autem memorabile, quod forte de nomine domini, vel de operibus memorabilibus & æterna commemoratione dignis intelligitur. ¶Versu 24. Respondebit ei in via virtutis suæ. Secus legitur in Hebræo, Afflixit siue humiliauit in via virtutem aut fortitudinem meam, abbreuiauit dies meos. Quam lectionem varijs exponunt modis. Quidam sic intelligunt, Afflixit dominus virtutem & fortitudinem meam, in via vitæ huius, per diuersorum malorum immissionem, breuiauit ærumnarum & miseriarum multitudine dies vitæ meæ. Chaldai. Paraphrasis sic habet, Afflicta est à via laboriosa (ipsa est via captiuitatis). virtus mea. breuiati sunt dies mei. Secundum quam sententiam, in via pro à via videretur accipiendum. Quidam subtilius interpretantur, per viam intelligentes hunc cursum Ecclesię, tempore medio inter primordia nascentis Ecclesiæ & finem nouissimū. In hac enim via, in hoc tempore medio, quo versus finem sæculi properatur, Ecclesiæ fortitudo affligitur per varias hæreses & scismata multa, Antichristis multis exurgentibus, qui fidei fortitudinem mirum in modum affligunt & in minuunt, donec in tempore nouissimæ persequutionis ad summum excrescat malitia. Sed propter electos (iuxta verbum Saluatoris) dies illi afflictionis breuiabuntur. Alij verò sic exponunt. Non est passus Deus me progredi in peccatis meis, via mala quam ambulaui, per praua & deuia itinera, sed impediuit me afflictionibus & flagellis suis, & dies meos malos abbreuiauit siue abscidit, neq; permisit suū cursum perficere. ¶Versu. 27. Ipsi peribunt, tu autem permanes. Perire istud communiter intelligitur ratione mutationis, quæ fiet in cælestibus. Posset tamen sic intelligi, Peribunt quantum est ex te. id est, ex te corruptibiles sunt & perirent, nisi tu eos in æternum conseruares. In secunda autem parte, Et omnes sicut vestimentum veterascent. Quidam intelligunt, omnes homines vel omnes creaturæ D

Matt. 24. Marc. 13.

secundum quã sententiam habet Psalterium Romanum, Et omnia sicut vestimentum veteraſcẽt. Ex E
Hebræo autem manifestum est debere intelligi de cælis, de quibus facta fuerat mentio in præcedentibus. Vnde Felix sic reddidit, Et omnes ipsi sicut pãnus veteraſcent vel cõsumentur. ¶ Versu vltimo, Semen eorum in seculum dirigetur. In Hebræo est, Semen eorũ ante faciem tuam perseuerabit, vel in cõspectu tuo confirmabitur, aut dirigetur corã te. Et est eadem cum nostra lectione sententia. Intelligimus enim hanc directionem seminis, non aliter quàm in conspectu Dei.

IN PSALMVM CII.

VErsu 1. Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Romanum Psalterium habet omnia interiora mea, quomodo legit & Felix Hierony. autem vertit, omnia viscera mea. Eadem in omnibus sententia est. Significantur enim quęcunque intra hominem sunt, & mẽbra, vires siue corporis siue animæ. ¶ Versu 4. Qui redimit de interitu vitã tuam. Pro interitu in Hebræo est dictio Sachat, significans vel corruptionem vel foueã. Vnde Hieronymus vertit, de corruptione, Felix, de fouea, vel (vt simul ambo exprimat) de fouea corruptionis. Chal. autem parap. ponit gehinã, quod nos gehennã dicimus. Omnia in idem redeunt. Significatur redẽptio de inferno, perditione, corruptione & morte æterna. ¶ Versu. 5. Qui replet in bonis desiderium tuum. Pro desiderio, in Hebræo est adi, per ain in principio: quod varia habet significationem & interpretationem. Significat enim interdũ ornamentum, aliquando maxillã siue os. Primam significationem sequutus Hierony. ita vertit, Qui replet bonis ornamentum tuum. Per ornamentum autem intelligi potest anima & spiritus, qui in homine est summum ipsius ornamentũ cuius nobilitate ornatur homo atque honoratur super omnia viuentia. F
Psal. 8. De quo ornamento potest etiam illud intelligi, quod in octauo Psalmo scribitur, Gloria & honore coronasti eum si de toto humano genere passus ille exponatur, vti suo loco ostendimus. Et hic est ho
Psal. 48. nor, de quo iterum dicitur, Homo cum in honore esset, nõ intellexit. Hoc autem ornamentum Deus bonis implet, cum animã ex se egenam, omnibus adimplet spiritualibus charisinatibus. Alij respicientes alterã significationem, vertunt: Qui replet bonis os tuum, vel maxillas tuas, vel buccas tuas. Quæ loquutio figurata videtur, significans abundantem impletionem largæ petitionis, secundum quod in
Psal. 80. Psalmo alio dicitur, Dilata os tuum, & implebo illud. Si quidem per oris apertionem vel dilatationẽ, intelligimus desiderij postulationem: per oris autẽ impletionem, significatur desiderij adimpletio. Ac secundum hunc intellectum, nostra vulgata lectio Latina hebraicam explicat. ¶ Versu 9. Non imperpetuum iraſcetur, neque in æternum cõminabitur. Hierony. Non in sempiternum iudicabit, neque in æternum iraſcetur. Felix, Non in æternũ contendet, neque in æternum seruabit odium. ¶ Versu. 15. Et nõ cognoscet amplius locum suum. In Hebręo aliter legitur: Et nõ cognoscet eũ locus eius, quemadmodũ concorditer omnes ex Hebræo vertunt interpretes. Quod si de flore exponatur, sen- G
sum hunc habet: Vbi ceciderit flos, non eũ cognoscit vltrà locus in quo stetit, locus in quo prius nutriebatur & florebat, iam nõ vltra illi vigorem aut alimentum præbet nullumque tenet floris qui prius in eo stetit vestigium, sic quasi nunquã florem illum gestauerit. Si de homine intelligas, fere similiter exponi debet locus quem prius inhabitare solebat homo dum viueret, post mortem illum vltra non cognoscit nactus alium dominum, alium hæredem, alium inhabitatorem: nullum tenet mortui vestigium, ac si nunquam illum possessorem habuisset aut dominum.

IN PSALMVM CIII.

VErsu. 3. Extendens cælum sicut pellem. Pro pelle, Felix vertit cortinam. Cælum autem Deus extendisse dicitur, quasi cortinam, intra quam habitet & sedeat occultatus. Hieronymus verò nobiscum pellem vertit, & potest intelligi, sicut tentorium & habitationem suam. Tentoria enim ex pellibus solent fieri. ¶ Versu. 7. Abyssus sicut vestimentum amictus eius. Clarius ex Hebræo sicut vertunt Hieronymus ac Felix, Abysso quasi vestimento operuisti eam, quam sententiam habet aliquanto obscurius nostra lectio, hoc ordine: Abyssus aquæ est amictus terræ, quasi vestimentum hoc est, aqua terram amicit & circundat in modum vestimenti. ¶ Versu 10. Terminum posuisti quem H
non transgredientur. Non ad montes solum hoc refertur, sed maxime ad aquas, quemadmodum aperte monstrat Chald. Paraphrasis quæ sic habet, Terminum posuisti fluctibus maris, quẽ non transgrediuntur. ¶ Versu 13. De medio petrarum dabunt voces. In Hebræo est, De medio frondium, ramorum, vel nemorum. ¶ Versu 17. Vt exhilaret faciem in oleo. Hieronymus nobiscum vertit, Ad exhilarandam faciem oleo: Felix, Vt illustret faciem oleo. id est, quasi splendere faciat ex vnctione olei. Potest tamen & aliter verti, continuando istud cum præcedentibus ad hunc modum, Vinum lætificabit cor hominis, vt faciem splendescere faciat super oleum. id est, Non solum ex vino cor hominis lætificabitur, verum etiam facies ipsa grato perfundetur colore, & nitebit ad modum olei. Vel sic, Vt splendescere faciat vultum præ oleo, siue præ pinguedine. Quibus enim vsus est vini continuus & moderatus, pinguiusculi fiunt, & bene curata cute. Sed prior sententia videtur conuenientior, qua indicatur, Deum etiam quæ honestam faciunt voluptatem donare hominibus. Nam quòd oleo & vnguentis inungi ad honestam refocillationem pertineat, vel ex eo patet, quòd Saluator vngi pedes suos in domo Simonis permisit vnguento, item super caput suum effracto alabastro preciosum vnguentum nardi spicati passus est effundi, imò factum suscepit & commendauit. ¶ Versu 18. Saturabuntur ligna campi. Hebræum habet, Ligna domini. Dicuntur autem ligna domini, illa

A ni, illa quæ absque hominis manu in syluis & cãpis nascuntur, quemadmodum indicat Parap. Chald. Saturabuntur (inquiens) arbores quas creauit Deus, cedri Libani quas plantauit. Vel ligna domini dicuntur arbores altissimę, quemadmodum in alio psalmo, cum dicitur, Iustitia tua sicut montes Dei, Psal. 35.
quidã intelligunt montes altissimos vt per excellentiam dicantur esse Dei, quæ sunt excellentissima, vt in eis specialis reluceat operatio virtutis Dei. Secundum quod etiã in alio Psalmo de cedris Dei po- Psal. 79.
test intelligi cũ dicitur, Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei. ¶ Versu 19. Erodij domus dux est eorum, In Hebræo secus legitur. Hieronymus enim ita vertit, Miluo abies domus eius, hoc est miluus in abiete habitationem suam ponit: Felix, Ciconiæ abietes domus eius, hoc est, Ciconiæ habitant in abietibus. Significatur aues istas in excelsis arboribus, cuiusmodi sunt abietes, ponere nidum suum. In quã etiam sententiam satis conuenit lectio Latina, cuius sensus est, Domus vel nidus vel habitatio erodij (quẽ interpretãtur ciconiam, vel ardeam) est dux passerum ac aliarum multarum auium. id est, præcedit & antecellit nidificando in altis, plusquã multarum aliarum specierum volucres. In Græco enim loco huius dux est, verbum ponitur ἡγεῖται, quod sonat acsi dicas, præcedit vel antecellit: vt sit sensus, domus erodij præcellit, & quasi principem ac ducem agit super passeres & alias aues. vel erodius suo nido ducem agit, & velut gloriatur atque superbit singularis altitudinis excellentia. Psalterium autem Romanum pro erodio habet fulicam. Verum id minus conueniens esse
B videtur, eo q; fulica videtur esse auis marina, circa littora nidificans. In sequenti autem parte, cum dicitur, Petra refugium erinacijs, vertunt aliqui pro erinacijs lepores, vel cuniculos. Sunt enim & ipsa animalcula timida intra terram suum habentia latibulum. ¶ Versu 20. Effecit lunam in tempora. Felix vertit, propter tempora, vel per tempora. id est, vt distinguantur tempora, præsertim illa in quibus cõueniunt homines ad solennitatem. Nam festorum tempora maxime secũdum lunã distinguuntur. ¶ Versu 25. Quàm magnificata sunt opera tua domine. In Hebræo est rabbu, quod sonat multa vel multiplicata. Vnde Hieronymus vertit, Quàm multa sunt opera tua: & Felix, quàm multiplicata. Potest tamen rectè illa dictio significans multitudinem, ad præstantiam referri, vt sit sensus. Quàm præstantia, quàm eximia, quàm magna sunt opera tua domine, vt habet nostra lectio. Præstantia nanque, ex virtutis multiplicatione est.

IN PSALMVM CIIII.

VErsu. 4. Quærite dominũ & confirmamini. In Hebræo est, Quærite dominum, & virtutem vel fortitudinem eius, hoc est, querite ab eo cõfortari vel confirmari vertute superna. In quam sententiam facile reduci potest lectio nostra vulgata, si ita exponatur, Quærite dominũ, & in eo confirmari siue corroborari studete ac postulate. Iuxta quem modum alibi dicitur, Delectare in domino.
C id est, conare vel delectationem habeas in domino, postula vt tibi det in se delectari. ¶ Versu 12. Dum essent numero breui, pauciſsimi & incolę eius. Clarius hanc sententiã habet versio Hieronymi, Cum essent viri pauci, modici, & incolæ in ea. Et Felix, Dum essent viri illi numeri perquã minimi & aduenæ in ea. ¶ Versu 16. Et omnem firmamentũ panis contriuit. Nos in Elucidatione firmamentum panis exposuimus panem firmantẽ cor hominis, quo confirmatur & sustentatur vita eius. In eandem sententiam accipi potest quod ex Hebræo vertunt, virgam panis, vel baculum aut sustentamẽtum vel gubernaculum panis. Pane enim homo velut baculo aut virga sustentatur, eiusq; vita gubernatur & regitur, vt sine eo nõ possit degere. Sic & in Esaia dicitur, panis. Secũdum litera verò accipere licebit Esaiæ. 3.
stipulas frumenti, tritici, & omnium leguminum, ex quibus quomodocunque panis cõfici potest. Panis enim, virga, siue baculus, siue sustentamentũ, est stipula, quatenus frumẽtum fert in sui summitate, vnde panis conficitur: verũ prior expositio magis probanda videtur. ¶ Versu 18. Ferrũ pertransijt animã eius. Hieron. In ferrum venit anima eius. Felix in eandem sententiam, In ferrum ingressa est anima eius. hoc est, vita eius siue corpus eius, aut viuens ipse in ferrum venit cõpedibus vinctus, vt fieri solet incarceratis. Quod autem sequitur, Donec veniret verbum eius, in Hebræo nouum versum incipit cũ eo coniunctum quod sequitur, hoc modo, Vsque ad tempus donec veniret sermo eius, eloquiũ
domini probauit vel examinauit eum. Quod hanc habet sententiam, Donec impleretur sermo pro-
D phetiæ eius, quo vẽtura prædixerat concaptiuis suis pistorum & pincernarũ magistris, probatus interim fuit à domino in afflictione carceris. Quam sententiã pulchrè nostra etiam vulgata lectio recipit, si tantum qualis dicta est, fiat distinctio. Nam inflammauit, loco probauit vel igne examinauit, recte accipitur, quemadmodum alibi, Eloquia domini argentum igne examinatum. Et iterũ, Igne me exa- Psal. 11.
minasti, & nõ est inuenta in me iniquitas. ¶ Versu 21. Vt erudiret principes eius sicut semetipsum. Hie- Psal. 16.
nymus, Vt erudiret principes eius secundum voluntatem suã. De quo in annotationibus principalibus diximus. Alij autẽ sic vertunt, Vt vinciret principes eius secundum voluntatem suã. Quod aliqui exponunt de potestate plena, quam habuit Ioseph etiam principes Pharaonis vinciendi, quomodo prius ipse vinctus fuerat à suo domino. Potest tamen illud vinciri intelligi de vinciendo ciuiliter, legaliterque ligando. Legibus enim & statutis æquis vinciuntur homines, ac velut ligantur salubriter. Habuit autem Ioseph authoritatẽ & potestatem leges condendi super vniuersam Aegyptum, & præ-
cipiendi omnibus etiam primis Pharaonis principibus pro suo placito. Sic enim illi regni guberna- Gene. 42.
cula cõmittens dixerat Pharao, Absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem, in omni terra Aegypti. Quòd si hoc modo intelligamus vincire principes secũdum suã voluntatem, idẽ erit q; erudire secundum suam voluntatẽ. Erudit enim legislator, quos æquis legibus vincit. Chaldai. Paraphrasis ferè ad sensum nostræ lectionis habet, Vt erudiret principes eius sicut animam suam, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

senes eius prudentiam doceret. ¶Versu.35.Primitias omnis laboris eorum. Hieronymus vertit,Primitias omnis partus eorum.Propter quod nos,in Elucidatione versum istum de labore partus sumus interpretati.Idem intelligentes per primitias laboris siue partus in hac parte secunda, quod in parte priori per primogenita. Alij vertunt primitias omnium virtutum, vel omnium fortitudinum vel laborum.id est,primitias de omni virtute eorum,intelligentes de virtute generandi. Huius autem virtutis primitias constat esse primogenita. E

IN PSALMVM CV.

VErsu 4.& 5. Memento nostri domine, in beneplacito populi tui,&c. In Hebræo est secundum numerum singularem,Memento mei domine,& in sequenti versu,visita me in salutari tuo.Illud autem in beneplacito populi tui,Hieronymus vertit in propiciatione populi tui. Felix,in bona voluntate erga populum tuum.Et illud,ad videndum in bonitate electorum tuorum,Hieronymus clarius habet,Vt videam bona electorum tuorum. Et quod in fine habetur versus, Et laueris tu cum hæreditate tua,in Hebræo habetur per primã personam,Et exultem cum hæreditate tua vertit Hieronymus,& Felix,Vt laudem cum hæreditate tua,vel vt laudet. ¶Versu 8. Et irritauerunt ascendentes in mari,mari rubro. Hieronymus,Et ad iracundiam prouocauerunt super mare rubrum. id est, iuxta mare rubrum irritauerunt dominum. Quod autem nos habemus ascendentes, situm loci respicit:quoniã egredientibus Aegyptum,versus terrã Chanaam,aut versus desertum incumbit ascendere ob situm loci,quia in humilioriloco sita est Aegyptus.¶Versu 16.Et misit saturitatem in animas eorum.Hieronymus pro saturitate,hoc in loco vertit tenuitatem:Felix,maciem. Atque ita videtur, quantum ad vocem,cõtrarietas:dum nostra lectio saturitatẽ legit,Hebraica maciem vel tenuitatem. Quis enim non iudicat,tenuitatẽ & saturitatem esse contraria?Sciendum tamen,ꝙ nulla est secũdum veritatẽ contrarietas,tametsi diuersa habeatur sententia. Nam macies ista videtur pro corruptione, peste & consumptione hoc in loco accipienda,ad significandum quod nõ illis in bonum cesserit adimpletio cõcupiscentiæ eorum,ꝙ non inde multum fuerint impinguati, quoniam quidem post paulum crudeli Dei vltione,bona murmuratorum illorum pars perdita est,& extrema macie consumpta.¶Versu 23.Et dixit vt disperderet eos,si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.Hieronymus,Dixit ergo vt contereret eos,nisi Moyses electus eius stetisset medius cõtra faciem illius. Felix autem nostram lectionem non mutat,legens vt nos habemus,In confractione in conspectu eius.Clarior tamen est lectio Hieronymi,exprimens quidnam per istam confractionẽ intelligatur.Chald.autem translatio etiam modum exponit, quo in confractione stetit Moyses, Nisi (inquit)Moyses electus eius surrexisset,& institisset orare in cõspectu eius. Pro confractione autem verti potest ex Hebræo,diuulsio vel diuisio. Atque ita intelligitur ista diuisio siue diuulsio ex similitudine hominum duorum contra se inuicem concitatorum,quorum alter alterum penitus conficeret,nisi per sequestrem aliquem & mediatorem,ab inuicem diuellerentur.Ita sanè ardens erat dominus contra populum iracundia, vt nisi per sequestrem & medium intercessorem Moysen fuisset facta diuulsio, si permissa fuisset indignatio Dei aduenire in suo furore contra populum, prorsus eos absumpsisset.Confractio autem intelligitur ipsius furoris sedatio. Dicitur enim ira frangi cum sedatur: quemadmodum apud Sapientem, responsio mollis dicitur frangere iram. id est,sedare. ¶Versu 3.Et stetit Phinees,& placauit,& cessauit quassatio. Hieronymus,Stetit autem Phinees,& diiudicauit,& retenta percussio.Quid autem sibi velit illud dijudicauit, indicat Felix, qui eius loco vertit, exequutus est iustitiam, interficiendo videlicet principem illum Israëlitem, cocuntem cum scorto Madianitide.Quod autem sequitur, Et cessauit quassatio,ita vertit, Et cessauit vel prohibita est pestis. Idem enim est, quod communis lectio vocat quassationem. Hieronymus persecutionem, & Felix pestem appellat,grauis scilicet illa internitio, quæ ex præcepto irati domini cœperat exerceri, cæsis de populo viginti quatuor milibus. ¶Versu 32. Et vexatus est Moyses propter eos,quia exacerbauerunt spiritum eius. Istud nos in Elucidatione simpliciter de afflictione exponimus, qua vexatus fuit Moyses, quando iterum iam murmurantes audiuit propter aquæ penuriam,post toties iam conspecta & suscepta Dei beneficia. potest tamen exponi de vexatione, afflictione siue punitione illa,qua à domino fuit Moyses punitus, simul cum Aaron fratre suo, videlicet vt non introduceret populum in terrã promissionis. Sic enim legimus illo in loco dicentem dominum ad Moysen & Aaron, Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.Vides vexationem,vides afflictionem & pœnam, qua afflictus est Moyses,propter murmurationem populi.Ita sanè propter murmurationem populi,quoniam in hoc discrimen,in hãc vltionem illum adduxit,indigna nimium populi obstinati murmuratio,Atque hoc est quod sequitur,Quia exacerbauerunt spiritũ eius.Admodum verò apte hæc sententia quadrat illi quod vertit Felix,Et malum fuit ipsi Moysi,vel,malum intulit Moysi,propter illos.hoc est,ipse etiam Moyses ex illorum iniqua murmuratione in discrimen venit & vltionẽ domini. Illud quoq; quod in versu sequenti ponitur,Et distinxit in labijs suis,non ad sententiam domini retulimus,propter istam & alias murmurationes definientes,se non deleturũ omnes inimicos præuaricatorũ,vt relinqueret in quibus eũ probaret & exerceret.Potest tamen ad istam iam suprapositã domini contra Moysen sententiã referri,cõformiter ad sensum prioris versus iam antè expositum.Atque ita sensus erit,Et distinxit dominus in labijs suis.i. definiuit, & sententiam apertam protulit per labia sua contra Moysen, ad aquas contradictionis,de non intranda promissionis terra. Sunt qui partem istam sic ex Hebræo vertunt F G H

Prou.15.

Num.25.

Ibidem.

Num.20.

A vertunt vt in ea significetur peccatum Moysi,propter quod ipsi malum fuit, & propter quod à Deo prædicta sententia punitus est.Sic autem vertunt,Et inconsiderate loquutus est labijs suis,vel per petram loquutus est ore suo:videlicet significare volentes causam punitionis Moysi & Aaron,quæ fuit, eo quòd coram populo verbis dubitationem quandam indicãtibus vsi fuissent ad petram & tali verborum forma, quæ potius ad dubitationem populus adducere,quàm ad spem confortare potuisset. Sic enim tenens virgam manu Moyses,populo congregato ad petram,dixit,Audite rebelles & increduli:Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? In quibus verbis,nonnullam inueniri dubitationem,& forsitan ex nonnulla dubitatione ea fuisse profecta satis indicat euentus subsequens. Siquidem bis percussa silice,aquæ emanauerunt,vt quòd primo ictu non effluxerint,dubitationi videa tur ascribendum,vel illi qua Moses nimium commotus vtcunque vacillauit,vel certe illi quæ in verbis eiusmodi indicabatur,etiamsi non fuisset in animo. Num.20.

IN PSALMVM CVI.

VErsu.3. Ab aquilone & mari.Mare pro meridie positum est,eo quod mare situ sit ad meridiem. Vnde Felix vertit,Ab aquilone & meridie.Chald.Paraph.habet,De mari,regione austri.id est, de mari ad meridiem sito. De quo & alibi diximus,in versum illum Aquilonem & mare tu creasti.id B est,aquilonem & meridiem. ¶Versu 17. Suscepit eos de via iniquitatis eorũ:propter iniustitias enim suas humiliati sunt.In Hebræo sic legitur, Stulti vel insipientes propter viam sceleris eorum,& à delictis suis afflicti fuerunt. ¶Versu 23.Qui descendunt mare in nauibus. Aliqui putant præpositionem in,rectius iungendam cum nomine mare,hoc modo, Quo descendunt in mare nauibus. Attamen & Græca & Hebræa lectiones iungunt præpositionẽ cum posteriori, vt sit sensus. Qui descendendo ingrediuntur mare,in nauibus. Intelligitur autem istud ab aliquibus etiam secundum literalem historiam,de primis Christi Apostolis,qui nautæ fuerunt & piscatores,suam operationem, nempe piscationis, exercentes in aquis. Hi enim piscatores & nautæ mirabilia experti sunt, in commisso sibi huius maris, præsentis sæculi, regimine, &c. ¶Versu 32. Et exaltent eum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Chalda. paraphra. Et exaltent eum in congregatione populi filiorum Israël, in ordine sapientium laudent eum. Significatur (quemadmodum in nostra lectione) laudandus Deus tam à vulgo quàm à primatibus & moderatoribus populi. ¶Versu 40. Effusa est contentio super principes.In Hebræo est despectio vel contẽptus,pro contentione:& sonat idem dictio Græca ἐξουδένωσις, quæ in hoc loco ponitur. Vnde si fides suffragaretur Latinorum exemplariorum, suspicari quis posset, scriptum fuisse contemptionem, ac mutatum esse in contentionem. Sententia tamen facile concordatur, si ita exponamus, vt in Elucidatione dictum est,de studio con- C tentionis hæreticorum. Super principes enim quando effunditur despectio & contemptus,& incipiunt quæ veritatis sunt contemnere,& despicere quæ à sanctis Apostolis Apostolicisque viris & ecclesiæ determinatione, ab orthodoxis patribus sancita fuere, dum hæc contemnere, ac pro nihilo pendere incipiunt, inde scilicet exoritur ambitiosa & impia contentio, contra veritatis regulam & Ecclesiasticæ vnitatis dogmata: tum & ipsi sequuntur deuia, relicta via regia,& in eadem alios quoque conantur pertrahere. Beatus Hieronymus vertit per accusatiuum, Effunder despectionem super Principes,quod intelligendũ est effundi permittet,quomodo apud Paulum,Tradidit illos Deus Rom.1. in passiones ignominiæ.id est,venire permisit. Psal.88.

IN PSALMVM CVII.

VErsu 1. Deus laudem meam ne tacueris. Hieronymus, Deus laudabilis mihi, ne taceas: hoc est, Tu Deus, qui es mihi laudabilis, quem ego laudo & magnifico, ne sileas, ne dissimules malitiam inimicorum meorum, sed oppone te illi. In eandem sententiam vertit Felix, Deus laudis meæ ne taceas.Alij, Deus gloriationis meæ, vel de quo glorior, ne taceas ¶Versu.3.Ego autem orabam.In Hebræo est,Ego autem orationem, supple fundebam.Alij vertunt, Ego autem oratio.id est, vir orationis eram vel eram orans. ¶Versu 7. Et episcopatum eius accipiat alter. Beato tus Hieronymus nobiscum vertit, episcopatum.Felix dominium, præpositurã vel episcopatum. D Quidam munus vel officium.Quæ omnia, fere in idem recidunt. Inter Hebræos autem quidam interpretantur opes, quidam vxorem, quidam animam.Chaldaica translatio sic habet, Numerum annorum eius hæreditet vel hæreditate acquirat alius. Verum hæc non consonat illi sententiæ quam Beatus Petrus in Apostolicis actibus de Iuda proponit. De episcopatu enim & præpositura Apo- Actu.1. stolatus illic loquitur, non de vxore,de diuitijs,numero annorum,aut huiusmodi.¶Versu 23. Et caro mea immutata est,propter oleum.Istud ex Hebrẽo quidam sic vertunt. Et caro mea macilenta facta est absque pinguedine, vel caro mea macuit à pinguedine.id est,absque pinguedine, vel exaruit quòd omnem pinguedinem perdidit,vt sola pellis ossa circumuestiat. ¶Versu 28. Operiantur sicut diploide confusione sua.Hieronymus pro diploide ponit vestimẽtum,Felix,pallium.¶Versu vltimo, Vt saluam faceret à persequẽtibus animam meam. In Hebræo est,à iudicibus,vt vertit Hieronymus: vel à iudicantibus, vt vertit Felix.hoc est,à potentibus & potestate pollentibus, qui me persequuntur,& iniusto moliuntur iudicio condemnare:quomodo Christum Scribę Pharisæi iniquissimi iudices nequiter conabantur perdere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN PSALMVM CIX.

VErsu 4. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum. Longe aliter hoc legitur in Hebræo. Hieronymus ita vertit. Populi tui duces spōtanei erunt, in die fortitudinis tuæ in montibus sanctis. Quod hanc potest accipere intelligentiā, Sancti apostoli & Ecclesiarū præpositi, quos tu (iuxta alterius Psalmi sententiā) constitues principes super omnem terrā, & sicut deos forti, Psal. 44. Psal. 40.
tes terræ vehemēter eleuabis, erunt spōtanei, vltronei & bene voluntarij ac prōpti, in die fortitudinis tuæ. id est, in tēpore hoc quo nunc viuis & regnas in fortitudine tua: erunt (inquā) spontanei & bene voluntarij ac prompti, ad peragenda tua negocia, ad implendum diligentissime quæcunque tu per illos fieri iusseris. Vbi? In montibus sanctis, in sanctis Ecclesijs, quas illis tu cōmittes tradesq; instruendas, & gubernandas. Felix vertit aliter, Populus tuus cū oblationibus, in die virtutis tuæ, in decoribus sanctitatis. hoc est, In tempore regni tui, ad te honorandum: idque facient in decoribus sanctitatis, quoniā studebunt corpora sua offerre hostiā viuentem, sanctā, Deo placentē, & animas suas studebūt in sanctitate atq; iustitia offerre domino. Potest etiā sic verti, Populus tuus ipsi erunt tibi oblatio Rom. 12.
nes spontaneæ, vel liberales & munificæ. ¶ Versu eodē, Ex vtero ante luciferū genui te. Et hanc partē longe aliter nos legimus, iuxta interpretationē septuaginta, ex Græco, q̄ habeatur in Hebræo: Hieronymus sic habet, Quasi de vulua orietur tibi ros adolescentiæ tuę. Atque in eandē sententiā vertit Felix, tantū pro futuro præteritum ponens, Ex vtero ortus est tibi ros generationis tuæ. Pro eodē enim videntur accipi, ros adolescentiæ & ros generationis. Est autem hic sensus, Ros generationis tuæ fœcunditas ex qua tu natus es secundum humanam naturā & homo factus, & tota ipsa efficacia virtutis, vnde corpus formatū est quod assumpsisti in humanatione tua, omnis (inquam) ros ille, nō ex viri lumbis processit, sed ex vtero tibi ortus est, in virgineo vtero tota illa virtus, vniuersa illa fœcunditas inuenta est, ex spiritu sancto, qui illum sic irroravit, cœlestiq̄e ac miraculoso rore rigauit, vt in ipso generareris absque virili commercio. Vel per rorem intellige ipsam totam materiam cōpositionis corporis humani, vnde componitur corpus. In generatione enim cæterorum hominum semen paternum cū menstruo matris commixtum, facit cōpositionem corporis. In Christi autem conceptione, spermatis virilis nequaquā adfuit commixtio: sed de purissimis virginis Mariæ sanguinibus, virtute spiritus sancti, formatum fuit illud benedictū corpus filij Dei, quod vniretur verbo in vnitatē suppositi. Nicolaus à Lyra ita ex Hebræo legit, de matrice auroræ, vel de vtero auroræ, tibi ros adolescentiæ tuę, appellans auroram beatam virginem, & corpus Christi cęlitus formatū appellans rorē, vt significetur Christus secundum humanā natiuitatem de virgineo vtero natus, è quo quando impletum est tempus Mariæ vt pareret, egressus est tanquam sponsus de thalamo suo, sicut sol post au- Lucæ. 1.
rorā statim apparet, & mundo se manifestat. Sunt & aliæ aliorū interpretationes, quas sciens prætereo, ob prolixitatē atque confusionem deuitandā. ¶ Versu. 7. Implebit ruinas. Hieronymus vertit pro Psal. 8.
ruinis valles, cui versioni etiam assentitur Felix. Impletio autē vallium potest intelligi secundū Esaiæ Esaiæ. 40.
vaticinium. Omnis vallis implebitur & exaltabitur. Nam & quod mox sequitur in psalmo, Cōquassabit capita in terra multorum, satis apte illi respondet quod sequitur in illo Esaiæ vaticinio, Et omnis mons & collis humiliabitur. Nam illi quorum hic dicuntur capita conquassanda superbi, montes erāt sæculi. Alij, pro ruinis vertūt cadauera, ad hunc modum, Congregauit cadauera, vel impleuit cadaueribus. In quo designatur grauissima cædes & vltio prævalida, qua exercebit Deus aduersum inimicos suos: quasi dicatur, impleuit omnia cadaueribus. ¶ Versu eodem. Conquassabit capita in terra multorū. Hierony. Percutiet caput in terra ampla: Felix, Percutiet caput super terrā multam: hoc est, principem, supple qui erat super terram multam. Quod intelligi potest de diabolo, qui erat princeps huius mundi, qui est terra multa & ampla.

IN PSALMVM CX.

VErsu 1. In concilio iustorū & congregatione. Hieronymus nobiscum vertit, in concilio iustorū. Felix autē vertit, in secreto tectorū: quod licet magis videatur prima facie fauere consilio per s. quod nos in Elucidatione non sequimur, & annotationibus prioribus minus probauimus, tamē potest etiā congrue concilio applicari, eo p̄ soleant concilia in secreto cōgregari & celebrari. ¶ Versu 2. Exquisita in omnes voluntates eius. Hieronymus, Magna opera domini, exquirenda in cunctis voluntatibus suis. hoc est, diligēter considerāda & contēplanda in omnibus quę ipse voluerit. Vident enim pij opera Dei magna in omnibus quæ ille operari voluerit. Felix aliter vertit, Magna opera domini, exquisita ab omnibus cupientibus ea: id est quæ exquirūtur siue diligenter cōsiderantur ab omnibus pijs, quibus beneplacitum fuerit vel qui delectantur in operibus domini sui. Alij sic vertunt, Exquirenda ab omnibus voluntatibus vel desiderijs eorū, vt significetur, opera domini magna debere toto corde exquiri, & considerari cū summo desiderio à iustis. Nam eorum, in hac versione referre videtur iustos siue rectos, quorū in præcedenti versu fit mentio. Et hæc eadem sententia accipi posset ex versione supradicta Hieronymi, si tantū suis acciperetur pro eorū. Alij rursum sic vertunt, Et eximia sunt opera domini: peruestigata ad cuncta beneplacita illorum, supple sunt vel sufficiunt. hoc est, In quibus, qui ea diligenter peruestigauerint & cōsideraverint, inueniunt quæcunq; cupiunt. ¶ Versu 4. Escam dedit timentibus se. Dictio Hebraica quæ hic pro esca ponitur tereph, in sacris literis subinde significat prædam vel rapinā. Vnde quidam Hebræorū vertunt, Rapinā vel prædam dedit timentibus se, exponentes de præda quā iussione domini abstulerunt à filijs Israël, quando acceperunt ab eis ac-
commdato

A cōmodato vasa aurea atque argentea, & omnē supellectilem, de quo in Exodo plenius scribitur, quia Exodi. 12.
bus omnibus Aegyptios spoliauerunt, cum exirent de terra. Verum hæc expositio nimium Iudaica est, non ad aliud (vt arbitror) cōficta, nisi in odiū sanctissimæ eucharistię: videlicet ne hic passus (quomodo à fidelibus solet) exponatur de illa viuifica esca dominici sacramenti, quomodo iam antè in annotationibus ex Hebræo psal. 71. in versum 16. ostendimus, recentiores Iudæos multa vana cōminisci, & quantum valent tergiuersari, contra tamen seniorum authoritatē, ne locum illum iuxta Hebraicā veritatem pro sacra eucharistia admodum facientem, de eadem cogātur interpretari. Licet autem verum sit dictionem illam Hebraicā tereph, significare prædam, nō ita tamen hoc loco videtur vertēda. Nam significat & cibum vel escā, quomodo vertit Hieronymus & Felix in contextu. Veruntamē etiāsi prædam quis legat, poterit & hoc cōuenienter de esca corporis Christi intelligi. Quis enim ignorat innocentem illum agnum prædā esse factum leonū crudelium, qui ipsum diu fuerant persequuti, qui super illum (vt in alio psal. scribitur) aperuerant os suum sicut leo rapiens & rugiens? De quo- Psal. 21.
rum ore suam animā ibidem orat liberari, posteaquam in prædam venisset caro. Salua me (inquit) ex ore leonis, &c. Et bene quidam prædam factum semetipsum dedit, quia in passionis articulo, quum iamiam esset cōprehendendus in cœna nouissima seipsum nobis manducandū præbuit: vt si cui penitus libeat prædam accipere, hanc prædā agni magis quàm illam diuitiarū Aegypti intelligat. ¶ Versu vlt. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, Hieronymus, Doctrina bona omnibus qui faciūt
B eam: hoc est, vtilis est doctrina sapientiæ ijs qui viuunt secundum eam. Felix relatiuū ponit in genere neutro, hoc modo, Intellectus bonus omnibus facientibus ea, supplens præcepta vel mādata, de quibus mentio facta est in prioribus. Ex lectione autem Græca manifestum est debere legi, Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Nam sicut intellectus apud Græcos per fœmininum genus dicitur, ita & relatiuū ponitur eiusdē generis. Ita enim habēt Græca, σύνεσις ἀγαθὴ πᾶσι τοῖς ποιοῦσιν αὐτήν. In eo autem quod sequitur, Laudatio eius manet in sæculum sæculi, quidā relatiuum singularis numeri accipiunt pro plurali, vt eius positum sit pro eorū, sitque sensus, Laudem eorū qui faciunt ea quæ intelligunt, Deique præcepta adimplent, durare imperpetuum ante dominum, quomodo nos in Elucidatione explanauimus. Alij referri putant dominum, cui à principio psalmi data est confessio: vt sit sensus, Laus domini perseuerat inæternum: semper est ipse laudandus, & nunquā satis laudabilis. Et hæc ambiguitas, sicut in Latino, ita est eadem in Græco atque in Hebræo, vt liceat siue sic, siue aliter intelligere.

IN PSALMVM CXI.

VErsu 3. Gloria & diuitiæ in domo eius. Hieronymus pro gloria vertit substantiā. Felix vbertatē vel copiam. In idem redit sententia. Nam substantiam hominis diuitis, qua plenus est dominus, & copiam omnium bonorū, vocamus illius gloriam. ¶ Versu 5. Disponet sermones suos in iudicio.
C Hieronymus vertit, dispensabit. Felix itē, dispensabit, vel gubernabit. Disponere enim hic valet gubernare, moderari, instituere, & dispensare. ¶ Versu 7. Donec despiciat inimicos suos. Hieronymus, Donec aspiciat in hostibus suis: id est, donec aspiciat de hostibus suis debitam punitionem & malum exitum. Et idem penè vult lectio nostra vulgata. Vnde Felix nobiscum vertit, Donec despiciat tribulantes eum. Sententiam clarius exprimit Paraphr. Chalda. sic habens, Donec videat redemptionem à tribulationibus suis.

IN PSALMVM CXII.

VErsu 1. Laudate pueri dominum. Hieronymus, Laudate serui dominum. Alij per genitiuum vertunt, Laudate serui domini, Laudate nomen domini, vt in priori parte non sit plena sententia, regaturque vltimus ille accusatiuus, nomen domini, ab vtroque verbo laudate. ¶ Versu 5. Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Hieronymus paulum discedens à nostræ lectionis versione, nihil autē à sententia, sic legit, Qui in excelsis habitans humilia respicit, &c. Felix autē sic vertit, Quis sicut dominus Deus noster, qui se exaltat, vt habitet vel sedeat: qui se humiliat vt respiciat in cælo & in terra? Chaldai. paraph. sic habet, Quis sicut ipse Deus Deus noster, qui exaltat habitationem suam ad sedendum: demittit oculos suos ad videndum in cælis & in terra? Sensus est, Quis similis est Deo nostro, qui in sublimi residet, qui in excelso collocatum
D habet thronum gloriæ suæ, cuius maiestas est super nos nimium exaltata: & tamen se dimittit, seque inclinat & velut ineuruat, vt prospiciat, & prouideat super omnia quæ aguntur vel sunt in cælis & terris.

IN PSALMVM CXIII.

VErsu 2. Facta est Iudæa sanctificatio eius. Ex Hebræo verti potest, Iudas, in masculino genere, vel Iudæa genere fœminino. Secundam autem partem: Israël potestas eius, vertit Felix numero plurali, Israël potestates vel dominatores eius. Quod ita potest exponi. Israël factus est ita potens ac validus ex Dei auxilio, post eductionem de Aegypto vt potestatem & dominationem acquisierit in omnibus gentibus per circuitum. Hieronymus verò non aliud vertit, quàm quod nostra habet vulgata lectio. ¶ Versu 4. Montes exultauerunt. Pro exultauerunt, Hieronymus vertit subsilierunt, & subsultauerunt: eademque sententia est. ¶ Versu 80. Super misericordia tua & veritate tua. Ex Hebræo Hieronymus ac Felix vertunt, Propter misericordiam tuam & veritatem tuam. ¶ Versu 25. Cælum cæli domino. Quidam ex Hebræo vertunt in eodem casu, Cæli cæli domino, vt replicatio habeat emphasim, ad declarandam magnificentiam habitationis domini. In Græco autem est casus

est casus diuersitas ὁ οὐρανὸς τὸ οὐρανῷ id est, cælum cæli, quomodo habet nostra lectio. Atque ita etiam E
vertit Hieronymus, Cælum cælorū domino. Felix in textu ponit casu diuerso, Cælum cæli domino,
Esaiæ. 29. ad marginē verō ponit in eodem casu, Cæli cæli domino, subaudiens sunt. ¶Versu. 26. Neque omnes
qui descendunt in infernū. In Hebræo est, Qui descendunt silentium, vel in silentiū: hoc est, in locum
vbi est perpetuū silentium illud malum, quod per prophetā prohibetur, dicentem, Ne dederitis silen
tiū illi: silentium videlicet & cessatio à laude Dei, & omni sermone bono. Hic autē locus quis est nisi
Esaiæ. 6. infernus? Nusquā enim penitus siletur à Dei laudibus nisi in inferno. Nam in cælo requiē non habēt
Apoc. 4. beati illi ciues die ac nocte, inclamantes illud nobile trishagion, Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus
Deus noster omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est. In terris quoque, & si nō omnes, neque
Psal. 6. semper diuinis laudibus vacent homines, nō tamen siletur perpetuò, sed ab electis tuis semper lauda-
Matth. 8. tur, In inferno autē prorsus silet laudis diuinę cōfessio, vbi nihil nisi fletus auditur & stridor dētium,
Lucæ. 13. vbi væ væ væ carmen est perpetuū, vt canere aliud nō libeat, neq; liceat in odio Dei obstirmatis. ¶Ver
su vlt. Sed nos qui viuimus benedicimus domino. Illud, Qui viuimus, in Hebræo non habetur. Sic
enim legitur, Sed nos benedicimus domino. Recte autē adiectum est ad exprimendā sententiā. Nos
enim viuentes, debet intelligi. Aduertendū quoque est hunc psalmum 13. quē nos vt vnicum legimus,
ab Hebræis diuidi, à quibusdā tantum in duos psalmos: quorum primus 8. versus priores cōplectitur:
secundus autem à versu 9. Non nobis domine, sumit exordiū, & in finem vsque perdurat. Alij distin- F
guunt in tres, quorum tertium sumit initium à versu 20. Dominus memor fuit nostri, vsque ad finē.
Prior tamen distinctio in duos tantum psalmos, Hebræis communior est.

IN PSALMVM CXIIII.

VErsu 1. Quoniam exaudiet dominus vocē orationis meæ. In Hebræo est, vocem meā, deprecationes meas, quæ oratio vt appositoria conuenienter accipitur. ¶Versu 3. Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Hieronymus vertit, funes mortis. Felix vertit dolores, vel funes siue laqueos. Pro periculis autem inferni, Hieronymus habet munitiones inferni. Felix angustias inferni vel foueæ. Sententiæ in nullo est diuersitas. ¶Versu 5. O domine, libera animam meam. Pro ô, est in Hebræo ana, quod significat obsecro, quomodo vertit Hieronymus & cæteri, Obsecro domine, libera animam meam. ¶Versu 6. Custodiens paruulos dominus. In Hebræo pro paruulis est dictio petaim, quæ significat simplices & persuasibiles, qui non sunt sapientes in oculis suis, non proprio innituntur consilio, sed humiliter Deo cōmendant animas suas, omnem curam &
1. Pet. 4. solicitudinem proijcientes in eum: suntque isti ijdem πάντες, id est paruuli, quibus in Euangelio testa-
Matth. 11. tur dominus arcana sapientiæ Dei esse reuelata. G

IN PSALMVM CXV.

VErsu 1. Ego autem humiliatus sum nimis. Hierony. Ego afflictus sum nimis. ¶Versu 3. Pro omnibus quæ retribuit mihi. Ad verbum ex Hebræo sic verti potest, Cunctæ retributiones eius super me: quasi dicat. Obruor quasi immēsis & innumeris ipsius beneficijs. Si verò tantū (pro) intelligatur, eadē est sententia quā habet nostra lectio, pro omnibus retributionibus eius super me. ¶Versu 4. Calicem salutaris accipiam. Parap. Chal. sic habet, Calicem redemptionis accipiam mundo venturo: hoc est, in sæculo futuro accipiā calicem salutis, & bibā, satiabor, & inebriabor de tuo calice, quo tū
Psal. 22. me potabis: id est, calice fœlicitatis æternæ. Atque ita calix ille idem hic foret, de quo in psal. 22. Et calix meus inebrians, quàm præclarus est.

IN PSALMVM CXVI.

VErsu 6. Dominus mihi adiutor. In Hebræo ad verbum est, Dominus mihi: hoc est, dominus, pro me est, vel meus est, vel mihi supple adiutor est, siue adest. ¶Versu 11. Circundantes circunderūt me. Hieroyn. Circundederunt me, & obsederunt me. Felix, Circuierunt me etiā circundederunt me: hoc est, ex omni parte circuncinxerunt & obsederunt. ¶Versu 12. Et exarserunt sicut ignis in spinis. H
In Hebræo est, Extinctę sunt sicut ignis in spinis. Quod à nostra lectione vulgata non multū dissonat, quoniā mox vt in spinis exarserit ignis, extinguetur. Nam licet multo stridore in spinis ignis sæuire videatur, quantocius tamen desinit, tum quia succo & humore plenæ spinæ nimium obsistunt igni, tum quia in spinis multum est lignorū, vt diu illius flamma foueri nō valeat. ¶Versu 13. Impulsus euersus sum, vt caderē: & dominus suscepit me. Hieronymus ad sententiam nostræ lectionis vertit, Impulsus pellebar vt caderem, & dominus sustentauit me. Felix verò sic vertit, Impellens impulit me vt caderem, & dominus adiuuit me, vbi suppositū verbi impulit, intelligi debet aduersarius. Alij sub secūda persona ita vertunt, Impellendo impulisti me vt caderē, vt dirigatur sermo ad cuneū aduersariorū, de quibus prius sermo est habitus. Pulchreverò hoc loco habet Parap. Chal. Impulsionē impulit me peccatū meum vt caderē, & verbū Dei sustentauit me: vbi quis ille inimicus sit impellēs, de quo in lectione Hebraica sermo habetur aperte exprimitur. Verè enim peccato maior inimicꝰ nō est homini. ¶Vers. 14. Fortitudo mea, & laus mea, dominus, Hier. pro laude laudationē vertit. Felix canticū. Laus enim siue laudatio aut canticū iusti est Deus, qa ipse est quē iustꝰ semper laudat & canit, & in quo vno gloriatur. ¶Versu 16. Dextera domini exaltauit me. In Hebræo est, Dextera dñi excelsa est, vel exaltata est videlicet exaltādo & liberādo me. Nā faciēdo virtutē, siue agēdo fortiter, exaltatur Dei dextera.

¶Versu 24.

A ¶Versu 24. O domine saluum me fac, ô domine bene prosperare. Ex Hebræo ad verbū sic foret trāsferendū, Obsecro domine, salua obsecro, obsecro domine, prosperare obsecro. Vel sic, Obsecro domine, salua nunc: obsecro domine, prosperare nunc, vt dictio Hebraica ana vertatur per obsecro, & dictio na per nunc. ¶Versu. 26. Constitue diem solennem in condensis, vsque ad cornu altaris. B. Hierony. iuxta nostrā sententiam vertit, tantum loco illius (in condensis) vertens, in frondosis, quæ idem sunt, quemadmodum in prioribus annotationibus diximus. Alij sic vertunt. Vincite ignum, vel ligate hostiam funibus ad cornua altaris: id est, hostias offerte in gratiarum actionem. Solent enim offerendæ hostiæ ad cornu altaris (vt aiunt) ligari. Qua sententia, nihil aliud quàm verarum hostiarum de corde puro & bona voluntate exigitur oblatio.

ANNOTATIONES EX HEBRAEO IN PSALMVM CXVIII.

IN PRIMVM OCTONARIVM.

VErsu 3. Non enim qui operantur iniquitatē, in vijs eius ambulauerunt. Hiero. in eandē sententiā cū nostra lectione sic vertit. Nec enim qui operantur iniquitatē in vijs eius ambulauerūt. Felix autē sic vertit. Non enim qui operantur iniquitatē, in vijs eius ambulauerunt. Cuius lectionis sensus
B est, Illi qui ambulāt in lege domini, & qui scrutātur testimonia eius, &c. nō operantur iniquitatē, sed declinant à malo, & ambulant in vijs eius, facientes bonū. ¶Versu 5. Ad custodiendas iustificationes tuas. Hieronymus pro iustificationibꝰ vertit præcepta, Ad custodiēda (inquit) præcepta tua: quēadmodū & in versu octauo, Iustificationes tuas custodiā, Felix autē, statuta reddidit. ¶Versu 7. Confitebor tibi in directione cordis, in eo q̄ didici iudicia iustitiæ tuæ. Clarius id vertit Hierony. Cum didicero iudicia iustitiæ tuæ: similiter & Felix.

IN II. OCTONARIVM.

VErsu 1. In quo corrigit adolescentior. Verbum zachah, cuius hic futurū ponitur, in Hebræo significat purgare, mūdare, purificare, emēdare, corrigere, aut mundū apparere. ¶Versu. 6. Sicut in omnibus diuitijs. Felix, Sicut in omni copia diuitiarū. Chald. paraph. habet, Sicut de suprema omniū fortuna: id est, sicut de eo quod in hac vita summe potest hominibus esse iucundū. ¶Versu 7. In mandatis tuis exercebor, &c. Pro exercebor, vertit Hieronymus meditabor. Felix ponit vtrunque. In versu autem sequenti, cum dicitur, In iustificationibus tuis meditabor: pro verbo meditabor, In Hebræo est delectabor, vt vertunt Hieronymus & Felix.

IN III. OCTONARIVM.

C
VErsu 1. Viuifica me, & custodiā sermones tuos. In Hebræo est, Viuā, & custodiam verba tua. Sententia eadē est. Cum enim postulādo siue optando dicit Deo, viuā, idem est ac si dicat, Viuifica me, aut vitā da mihi. ¶Versu 5. Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis. Quidam ex Hebræo sic vertunt, Increpasti superbos maledictos qui declinant à mandatis tuis. Hieronymus verò & Felix nostro more legunt atque distinguunt. ¶Versu vltimo, Nam testimonia tua meditatio mea est. Et consilium meū iustificationes tuæ. Hieronymus, Sed & testimonia tua voluntas mea, quasi viri amicissimi: hoc est, præcepta tua adeò mihi chara sunt, adeò accepta & grata, sic mihi est in eis beneplacitum, sic mea voluntas illis afficitur, quomodo afficior mihi amicissimis socijs. Significatur summi amoris affectus erga præcepta Dei. Felix aliter vertit, Etiā testimonia tua delectationes meæ, viri cōsilij mei. Quæ lectio nostræ vulgatæ satis pulchrè cōcordat, iuxta expositionem nostrā in Eliu eidatione atque annotationibus principalibus positā, Debent enim nobis Dei præcepta à cōsilijs esse, debent nobis consultatores esse & consiliarij.

IN IIII. OCTONARIVM.

VErsu 4. Dormitauit anima mea præ tædio. Pro dormitauit, in Hebræo est verbum dalaph: pro quo B. Hierony. vertit, distillauit. Sic enim hoc loco legit, Distillauit anima mea præ stultitia: id
D est, anima mea quasi stillatim defluxit, & cōtinua imminutione deperijt præ insipientia vanarū cogitationum & affectionū à carne, diabolo & mundo in me exoriētium. Vel distillauit, accipi posset pro stillatione lachrymarū per oculos: id est, pro lachrymauit. Felix vertit, Liquefacta est, vel lachtymauit, vel distillauit anima mea præ anxietate. Alij vertunt, Agonizauit anima mea, vel in agonia fuit præ dolore. ¶Versu 5. Viam iniquitatis amoue à me. Pro via iniquitatis, in Hebræo est, viam falsitatis vel mendacij: vt via falsitatis quā hic à se petit declinari & amoueri, ex directo opponatur viæ veritatis, de qua in sequenti fit sermo. ¶Versu. 9. Iudicia tua nō sum oblitus. Hieronymus, Iudicia tua ponebam, videlicet ante oculos. Felix, Iudicia tua feci, vel proposui, vel posui. ¶Versu. 8. Viam mandatorum tuorum cucurri. Hieronymus viam mandatorum tuorum curram: quoniam dilatasti cor meum. Felix, Viam mandatorum tuorum percurram, vel per viam mandatorum tuorum curram cum dilatabis cor meum.

IN V. OCTONARIVM.

VErsu 1. Et custodiam eam semper. Pro semper in Hebræo ponitur dictio ekeb, quæ variè redditur. Hieronymus vertit, Custodiam eam per vestigium, hoc est, diligenter ambulabo in illa iustificationum tuarum via, ad eum modum, quo homines viam ignorantes & metuentes alicubi aberrare à recto tramite boni itineris, sequuntur viam etiam per vestigia, diligenter considerantes,

tes, vbi maxime trita sit, quo securius ambulent. Felix vertit, vsque in calcẽ. Quod exponi potest dupliciter: primò vsq; in calcem siue finẽ vitę, quod eum nostra lectione cõcordat, quæ legit semper. Secundò, vsq; ad vltimum, vel vsq; ad nouissimũ, ita scilicet vt nihil velit omittere, ne vltimum quidem vel minimum mandatũ ex omnibus quæ lex Dei præcepit. Atq; ita sensus idẽ erit, ac si dicamus, Custodiã mandata tua vsque ad vnguẽ. i. exacte & perfecte. Verti etiã potest, propter præmium: quomodo Felix ponit ad marginẽ, vt significetur, vel propter præmij propositi magnitudinẽ, omnino se custoditurũ mandata domini. Omnium autem horũ diuersitas ex vna radice procedit. Verbum enim akab, significat supplantauit, vnde deriuatũ superius nomen, proprie significat calcem vel plãtam: & quia calx, siue planta pedis est nouissimum corporis, inde trãsumitur ad significandũ terminum siue finem. Et quia finis operis est ipsa merces, vel præmiũ quod pro labore persoluitur, idcirco etiã præmiũ significat. Ex hac autem diuersitate procedit, vt varijs modis intelligi possit, vel vsq; in finem tẽporis, quod est semper: vel vsque ad calcẽ, quod perfecte: vel propter præmiũ, siue ad retributionem, quomodo etiã pòst dicetur in octonario 14. circa versum illum, Inclinaui cor meũ ad faciendas iustificationes tuas in æternũ, propter retributionẽ. ¶ Versu 4. Et nõ in auaritiã. In Hebrẽo est batza. quod aliqui vertunt auaritiam, alij pecuniã, vel lucrum. Sententia est eadem. Sub particulari tamẽ expresso, intelligendũ venit in genere omne temporale præmiũ, etiam honor, fama, aut gloria. ¶ Versu 6. Statue seruo tuo eloquium tuum, in timore tuo. Lectio Hebraica hoc loco ambigua est, & varijs modis verti potest. Hierony. sic vertit, Suscita seruo tuo eloquium tuũ in timorem tuũ: hoc est, Pone mihi ante oculos legem tuã, vt te quomodo oportet timeã, siue ad timendum te. Salutarẽ enim Dei timorẽ gignit in nobis, si posuerit Deus ante nostros oculos verbũ suum. Felicis verfio sic habet, Statue, cõfirma, vel fac surgere seruo tuo eloquium tuũ, quod in timore tuo, vel qui in timore tuo. Si per genus neutrũ legatur primo modo, duplicem habet intellectũ, vel hunc, quod eloquium tuũ est his qui in timore tuo sunt: hoc est, quod illis est qui habent sanctũ timorẽ tuũ. Vel sic, Quod videlicet statui eloquium tuũ, fiet in timore tuo: id est, per timorem tuũ, iuxta sententiã quã in Elucidatione posuimus. Si autẽ per genus masculinũ legamus, Qui in timore tuo, sensus est, Statue domine seruo tuo verbum tuum, qui seruus tuus est in timore tuo: id est, qui timet te & reueretur, tibiq́ue cupit debitã semper præstare obedientiam.

B

F

IN VI. OCTONARIVM.

VErsu 1. Et veniat super me misericordia tua. In Hebræo est secundum numerum pluralem, Et veniãt mihi misericordiæ tuæ, vel miserationes tuæ, Felix accedãt ad me misericordiæ tuę. Pro salutari autẽ tam Hierony. quàm Felix vertunt salutem. ¶ Versu 3. Et ne auferas de ore meo verbũ veritatis vsquequaq;. Pro vsquequaque Hieronymus ponit, vsque nimis: Felix, nimium, vel vsque nimis. Alij dicunt, vsque ad nimietatem: alij, penitus vel in totum. Alij vertunt, Ne auferas de ore meo verbum veritatis vnquam. ¶ Versu 7. Et meditabar in mandatis tuis. Pro meditabar est in Hebræo delectabar, quod nos in elucidatione expressimus, dicentes, cum gaudio & multa delectatione meditabar. In sequenti quoque versu, vbi nos habemus, Et exercebor in iustificationibus tuis, In Hebræo est loquar.

G

IN VII. OCTONARIVM.

VErsu 3. Superbi iniquè agebant vsquequaque. In Hebræo est, Superbi illuserunt, vel irriserũt me nimium, siue vsque nimis, In Græco verò est παρανόμως, quod significat, præter legem agebant. Est autem omnium sententia ferè eadem. Manifestum nanque est, qui irridet alterum iniquè & prauè agere in illum.

IN VIII. OCTONARIVM.

VErsu 1. Portio mea domine, dixi custodire legem tuam. Posset ex Hebræo sic verti, Portio mea, Deus: dixi, vt custodiam legem tuam, ad hunc sensum, Portio mea dominus est, proposui apud me, & firmo decreto statui, vt eius legem custodiã. Atque ita diuisim hic versus legitur. Hieronymus tamẽ & Felix, iuxta modũ nostræ lectionis, per vocãdi casum legunt, Portio mea vel pars mea domine, &c. ¶ Versu 4. Paratus sum, & non sum turbatus. Secus in Hebrẽo habetur. Festinaui, & nõ neglexi custodire mãdata tua, vt vertit Hieronymus. Vel sic, Festinaui, & nõ tardaui, siue distuli custodire, &c. quomodo habet versio Felicis. ¶ Versu 5. Funes peccatorũ circumplexi sunt me. Hieronymus in eandem sententiam habet, Funes impiorum implicauerunt me. Felix, Congregationes impiorum depræ datæ sunt me. Chalda. Paraph. Cohors vel caterua impiorum congregata est contra me. Eadem ferè est sententia.

H

IN IX. OCTONARIVM.

VErsu 1. Bonitatem fecisti cum seruo tuo domine. Hieronymus, Bene fecisti seruo tuo, Felix, Bonum operatus es cum seruo tuo. Sententiam nostræ lectionis ista explanant, quoniam facere bonitatem, non aliud est quàm facere bene, aut operari bonum. ¶ Versu 2. Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me. Felix legit vt nos legimus. Hieronymus verò diuersum reddidit, dicens. Bonum sermonem, & scientiam doce me. Alij vertunt, Bonum iudicium & scientiã, vel bonã ordinationem & scientiam doce me. ¶ Versu. 3. Priusquam humiliarer, ego deliqui. Et hic sensus varie redditur. Hieronymus vertit, Antequam audirem, ego ignoraui: nunc autem eloquium tuum custodiui. Quod ita intelligitur, Antequam auditum accommodarem legi sanctæ tuæ, antequam in humili-

A humilitate cordis audirẽ quid in me loqueretur dominus, & attenderem præceptis eius, ego eram ignorãs, nescieba quid agendum, quid omittendum. Ioannes verò Reuchlinius in lib. de rudimentis Hebraicis, versionem nostrã vulgatam præfert huic versioni Hieronymi. Felix quoque in textu nostram lectionẽ ponit, exponens eã in hũc sensum, Antequã essem humilis, & addiscerẽ præcepta tua, ego erraui. Dicit etiã sic verti posse, Antequã responderem, ego erraui: quod exponit, Antequã exercerem meipsum in respõdendo his quæ obiecta fuerunt mihi: vel, Antequã exercerẽ meipsum in addiscendo ea quæ opportuna erãt mihi, Vel antequã clamarem ad te, scilicet vt mihi porrigeres auxiliũ, ego erraui. Alij autẽ vertunt simplicius, & concorditer ad nostrã lectionem, Antequam affligerer, ego errabã. Prouenit autẽ hæc diuersitas ex ambigua significatione verbi anah, siue inneh, quæ dictio sub ijsdẽ radicibus, solis punctis variatis, significat respõdere, loqui, vocẽ exaltare vel cantando, humiliari, affligere, laborare. ¶ Versu. 4. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. Secus est in Hebræo, Bonus es tu, & beneficus vel benefactor, vel benefaciens, doce me, &c. Et pro eo quod in versu sequẽti iuxta vulgatã lectionem habetur, Multiplicata est super me iniquitas superborũ, Hiero. sic transtulit, Applicabunt mihi mendaciũ superbi. Felix similiter, Applicauerũt mihi mẽdaciũ superbi, vel cõiunxerunt super me mendacium: quod clarius dici potest, Commutati sunt vel cõfinxerunt cõtra me mendacium, vel imposuerunt mendaciũ & falsitatem. A qua sententia nõ omnino dissonat

B lectio vulgata. Quãdo enim impij contra iustos falsitates & mendacia cõfingunt, proculdubio iniqui tas impiorum super eos multiplicatur. ¶ Versu 5. Coagulatũ est sicut lac cor eorũ. Ex Hebrẽo. Incrassatũ est, impinguatum est, vel hebetauit sicut adeps cor eorũ: quod ad temporalem prosperitate referri potest, in qua impinguati impij, prorsus ad ea quę Dei sunt fiunt inepti, cor molle sed incrassatũ habentes in modum adipis. Chal. paraph. hìc fomitis meminit, sic habens, Incrassatus est sicut adeps fomes cordis eorum.

IN X. OCTONARIVM.

VErsu 3. Et in veritate tua humiliasti me. Hierony. Et verè afflixisti me. Felix, Et in veritate humiliasti: quod eãdem habet sententiam. Verti etiam potest. Et fide humiliasti me, quod intelligi potest, vel de fide siue fidelitate ipsius Dei, quoniam ex sua fidelitate qua erga nostram salutem fidelissimus est Deus, nos humiliat. Vel de fide quæ est in iusto. Per fidem enim quam donat Deus in cor-

de hominis, verè humiliatur homo, vt se agnoscat, quàm sit ex seipso nihil, & si quid est minus nihilo, & Deus, quàm fœliciter sibi sit vnus omnia, & plusquã omnia. ¶ Versu 6. Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me. Hieronymus, Quoniam iniquè cõtriuerunt me. Felix, Quoniam falsò offenderunt vel læserunt me.

C

IN XI. OCTONARIVM.

VErsu 1. Defecit in salutare tuum anima mea. Felix, Concupiuit salutem tuã anima mea, Vel Præ desiderio defecit in salutem tuam anima me. Et similiter in sequenti versu dicendum, Defecerunt oculi mei. Potest enim verti, Concupierũt oculi mei eloquium tuũ: vel, Præ desiderio defecerũt ad eloquium tuum: vbi aliquanto apertius exprimitur boni desiderij vehementia. B. autem Hieronymus in secundo versu legit, Consumpti sunt oculi mei in verbum tuum. Quod occultius eandem habet sententiam. ¶ Versu 3. Factus sum sicut vter in pruina. Felix vertit, sicut vter in fumo: cui consonat paraphra. Chald. quæ habet, Sicut vter suspensus ad fumum, vel qui pependit in fumo. Hieronymus nobiscũ legit vtrem in pruina. Sententia verò est eadem. ¶ Versu 5. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. In Hebræo sic habetur. Foderunt mihi superbi foueas, quæ non erant iuxta legem tuam. Quod in eandem cũ nostra lectione sententiam facile reducitur. Dum enim impij suggerunt iusto sæculi vanitates & mala desideria, quæ sunt contraria diuinæ voluntati, quid sunt fabulationes illæ nisi foueæ? & tales fabulationes narrare, quid est nisi foueas fodere: quæ non sunt secũdum legem Dei cum sint ei contrariæ. ¶ Versu. 6. Iniqui persequuti sunt me, adiuua me, Ex Hebrẽo legendum per aduerbium, Iniquè vel falsò vel mendaciter persequuti sunt me. Atque ita habet etiam

D lectio Græca ἀδίκως, id est, iniuste.

IN XII. OCTONARIVM.

VErsu 3. Ordinatione tua perseuerat dies. Hieronymus, Iudicio tuo stant vsque hodie, videlicet cælum, veritas tua, & terra quam fundasti. ¶ Versu. 4. Nisi quòd lex tua meditatio mea est. In Hebræo, pro meditatione est delectatio, Nisi quòd lex tua delectatio mea. Significat contra afflictiones occurrentes fuisse se consolatum oblectatione legis diuinæ.

IN XIII. OCTONARIVM.

VErsu 1. Tota die meditatio mea est. Hieronymus nobiscum legit, meditationem. Felix pro meditatione vertit loquutionem, alij cõmentationem: vt significetur iustus adeò sibi cordi esse, atque adeò se diligere legem Dei, vt iugiter de ea etiam loquatur & commentetur, quo & ipse discat & alios doceat. ¶ Versu 5. Ab omni via mala prohibui pedes meos. Felix vertit, cohibui, vel in carcerem concluſi. Oportet enim pedes & affectus nostros per disciplinã rigide cohibendo, quasi in carcerem concludere, & vincire compedibus, ne ferantur ad illicita.

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN XIIII. OCTONARIVM.

E

VErsu 2. Iuraui, & statui custodire iudicia iustitię tuæ. Hieron. Iuraui, & perseuerabo. Felix nobiscum, Iuraui, & statuã vel statui. Sententia est eadẽ. In sequenti autẽ versu, Humiliatus sum vsquequaq; domine. Hierony. habet, Afflictus sum vsque nimis domine. ¶ Versu 8. Propter retributionem. Ex Hebręo vertit Hieronymus, Propter æternã retributionem, particulã scilicet inæternum coniun gens cũ sequentibus, quam nostra lectio habet cum præcedenti coniunctã: quod à nostra lectione secundum sententiã non dissonat, quam manifestum est non temporali, sed de æterna retributione esse intelligendam. Felix autẽ particulam (in æternum) iungit cũ præcedẽtibus, vt habet nostra lectio, sed pro retributione calcẽ vertit, hoc pacto, Inclinaui cor meum ad facienda statuta tua inæternũ, vsque in calcẽ. Quod potest intelligi vsque ad finem: vel (vt quidã dicunt) vsque ad vnguem. i. perfecte & integre, absque omni offensione. Ipse tamen. Felix exponit ferè in eandem sententiã quam habet nostra lectio, ita dicens, vsque in calcẽ, vel calcaneum, id est, iuxta vestigium vel præmium: id est, quoniã præmium est facientibus ea. Ponitur autem hic in Hebræo dictio ekeb, de qua suprà diximus in versum primum quinti octonarij, vnde potest considerari diuersitatis harum versionum origo & ratio.

IN XV. OCTONARIVM.

F

VErsu 1. Iniquos odio habui. Pro iniquis, Hieron. legit tumultuosos: Felix, iniquos, vel cogitãtes cogitationes prauas. Alij, praua cõsilia, vel prauas cogitationes. ¶ Versu 2. Adiutor & susceptor meus es tu. Hieronymus, Protectio mea & scutũ meum tu es. Felix, Latibulum & scutũ meum tu es. Eadem est cũ nostra lectione sententia. ¶ Versu 6. Spreuisti omnes discedentes à iustitijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum. Hierony. Abiecisti omnes qui auersantur præcepta tua, quia mendax cogitatio eorũ. Felix, Calcasti, vel conculcasti omnes delinquentes vel aberrantes à statutis tuis, quia falsitas cogitatio eorũ. ¶ Versu 7. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Hieron. Quasi scoriam cõputasti omnes impios terræ. Felix, Quasi scoriã delesti omnes impios terrę. Quidam vertũt, Quasi rubiginẽ existimasti omnes impios terræ. Sententia in omnibus eadẽ est, de re nihili, abstergenda, separanda, exurendaq; in igne æterno. Quomodo scoria per ignem separatur ab auro, & abijcitur, & rubigo abstergitur, atque etiam igne ablumitur. ¶ Versu 8. Confige timore tuo carnes meas. Hieronymus, Horripilauit à timore caro mea: hoc est (vt Felix ait) exhorruit, vel consternata est præ timore tui caro mea. Est enim horripilare, vehementer exhorrere & consternari, ita vt quasi pili capitis erigantur in rectum.

IN XVI. OCTONARIVM.

G

VErsu 2. Suscipe seruum tuum in bonum. Hieron. Sponde pro seruo tuo in bono. Vertit similiter Felix in textu, ad marginẽ adijciens, Fac suauem & dulcem seruũ tuum in bono, siue dulcescat seruus tuus in bono: id est, fac habeat seruus tuus cõplacentiam & beneplacitũ in bono, fac in bono oblectetur: id est, fac seruum tuũ ad bonum facilem, & quæ sunt virtutis operari cũ dulcedine & gaudio. Potest etiam sic verti, Dulcesce tu seruo tuo in bonũ: hoc est, dulcem & suauem te præbe seruo tuo, vt impetrata omnia referat pro quibus te orat. ¶ Versu 6. Tempus faciendi domine. Hiero. vertit, Tempus est vt facias domine. Quod potest intelligi vel in bonum, vt sit sensus, Tempus est vt facias domine quæ postulo, quæ præcedentibus versibus cõmemorata sunt. Iam enim est mihi opportunũ tuum auxilium, donec tempus est operandi in hac corporis vita. Vel in malum, hoc sensu, Tẽpus est vt tu facias, supple iudicium in impios, quoniã ipsi dissipauerunt legem tuã. Felix per casum datiuum vertit, domino, Tempus faciendi domino. Verum id multipliciter exponit. Primo sic, Tempus vt puniat (supple impios) domino: hoc est, tempus est domino faciendi punitionem impiorum: qui sensus vltimo loco iam explicatus est. Vel sic, Tempore faciendi, id est tempore vt faciant: in tempore quo facere deberent domino: id est, voluntatem domini, ipsi eã dissipant: hoc est, In hoc tempore quando deberent facere voluntatem Dei, ipsi non obseruauerunt, sed dissipauerunt legem tuã. Vel sic, Tempus vt faciam domino: id est, vt seruiam domino, & seruem præcepta eius: nam alij dissipauerunt legem tuam.

H

IN XVII. OCTONARIVM.

VErsu 1. Ideo scrutata est ea anima mea. In Hebræo est, Custodiuit vel obseruauit ea anima mea. Sententia eadem erit in nostra lectione, si intelligatur, scrutata est ad obseruandum. ¶ Versu 2. Declaratio sermonum tuorum illuminat. Hieronymus, Ostium sermonum tuorum illuminat. Felix, Principium verborum tuorum, aut ostium vel initium. Quod quidam ita exponunt, Solum principium verborum tuorum illuminat paruulos. Mox vbi ingressus fueris in sermones Dei eosque vel à limine (quod aiunt) salutaueris, senties illuminationẽ si in humilitate accesseris, Quanto magis cum in ipsa fueris introgressus penetralia? Alij sic intelligunt, Ostium vel apertura verborum tuorum illuminat: hoc est, illi quibus ostium verborum tuorum fuerit reseratum, quibus contigerit apertio verborum tuorũ, illuminationem accipiẽt: cuiusmodi sunt paruuli, quibus ostium reseratur, & quibus aperiũtur verba Dei vt ea capiant. Iuxta illud Saluatoris verbum in euang. Confitebor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hęc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. ¶ Versu 5. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Hieronymus, Gressus meos firma in sermone tuo: & Felix, Plantas meas confirma in eloquio tuo. Eadem est cum nostra lectione sententia.

IN

A

IN XVIII. OCTONARIVM.

VErsu 2. Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis. Ex Hebræo variè hic versus redditur. Hieronymi versio sic habet, Præcepisti iustitiam testimonij tui, & veritatem nimis. Et est sensus, Valde præcepisti iustitiam & veritatem testimonij tui. hoc est, præceptum tuum iustum & verax. Quæ sententia eadem est ei, quam suprà vulgatæ lectioni assignauimus. Felix in textu legit, vt habet nostra vulgata lectio. Ad marginem verò ita reddit, Præcepisti iustitia tua testimonia tua & veritate nimis. Cuius lectionis hunc sensum assignat, Mandasti per iustitiam & per veritatem testimonia tua, vel per viam iustitiæ & veritatis. hoc est, præcepta tua mandasti secundum iustitiam & veritatem.

IN XIX. OCTONARIVM.

VErsu 1. Et à verbis tuis formidauit cor meum. Clarius per accusatiuum vertit Hieronymus, verba autem tua timuit cor meum. Felix autem iuxta modum nostræ lectionis, Et à verbo tuo expauit cor meum. In sequenti autem versu 3. cum dicitur, Iniquitatem odio habui, pro iniquitate, in Hebræo est mendaciũ vel falsitas, quomodo vertunt Hieronymus ac Felix. ¶ Versu. 6. Et mandata tua dilexi. In Hebræo est, Mandata tua feci. id est, opere compleui & obseruaui ea.

B

IN PSALMVM CXIX.

VErsu 3. Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Ita quidem nobiscũ legit Hieron. Felix verò aliter vertit per verba actiua, ad hunc modũ, Quid dabit tibi, aut quid addet tibi lingua fraudis? Quod ita potest exponi, vt sit expostulatio per amarã interrogationem, cum eo qui habet linguã fraudulentam & iniqua labia, in hunc sensum, Quid conferet tibi, aut quid apponet tibi lingua fraudis, in quo tibi proderit? quid tibi cõmodi ex lingua tua fraudulenta reportabis? planè nihil. Est enim non aliud quàm sagittæ potentis acutæ & sicut carbones vastatorij. id est, pestiferũ & mortale malum est sicut sagittæ acutæ à robusto homine emissæ lædẽtes vehementissimè, & sicut igniti carbones validissimè adurentes. ¶ Versu 4. Cum carbonibus desolatorijs. Pro carbonibus desolatorijs, in Hebręo dicitur carbonibus iuniperorum vel genistarum. Dicunt autem huiusmodi carbones iuniperorum vel genistarũ, & vehementer vrere, & calorem igneũ diutius conseruare. ¶ Versu 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Hieronymus in eandem sentẽtiam vertit, Hei mihi, quia peregrinatio mea prolõgata est. Felix similiter in eandem sententiam ad marginem sic vertit, Væ mihi quia incola fui diutius, vel incola fui protractè. id est, longo tempore. Quod autẽ sequitur, Habitaui cum habitantibus Cedar, Hieronymus vertit, Habitaui cũ tabernaculis Cedar. Felix, Cum tentorijs Scytarum. Alij, cum tabernaculis Arabum. Significantur barbari idololatræ, omnis humanitatis & pacis ignari. Cedar enim filius fuit Ismahẽlis, qui fuit homo ferus & barbarus. In quo signi- Gene. 25.

C ficari potest gemitus hominis iusti, qui affligitur hîc inter malos habitans & barbaros homines, Deũ non timentes, cuiusmodi illi erant populi. Illud quoque quod pòst sequitur, Multum incola fuit anima mea, lectio Hebræa separat in principium versus sequentis, ad hunc modum, Multum incola fuit anima mea cum his qui oderunt pacem. Ac deinde, pro versu vltimo sic legunt, vt ad verbũ transferamus, Ego pax, & dum ego loquebar, ipsi ad bellum, Quod ita intelligitur: Ego pax, supple eram: id est, eram vir pacis, eram quærẽs pacem: quemadmodum psal. 108. vbi vulgata lectio Latina habet, Ego autem orabam, in Hebręo est, Ego autem oratio, supple erã: id est, vir orationis vel orationis intentus. Sequitur, Et dum ego loquebar supple quæ pacis erant, illi ad bellum se parabant, illi me oppugnabant, quantumuis blandam erga illos instituerem cõuersationem meam, nolebant emolliri ad mansuetudinem. Hieronymus sententiã magis quàm verba sequutus, hunc versum ita reddidit, Ego pacifica loquebar, & illi bellantia. Psal. 108.

DE TITVLO PSALMI PRAECEDENTIS.

HVic psalmo & in Hebræo, & in Græco, & in Latino præmittitur pro titulo, Canticum graduũ, similiter & singulis 14. psalmorũ hunc proxime sequentium. Propter quod, vulgo omnes hi 15. psalmi, canticũ graduum solent appellari. Quare autem hi psalmi canticum graduum specialiter appellentur, varias assignãt rationes. Quidam dicunt ideo sic dicta, quòd in ascensu graduum ad templum

D domini decantabantur in instrumentis musicis, vbi sacerdos in sancta ingressurus esset ritu solemni. Vnde in vltimo psalmo canitur, Ecce nunc benedicite domino, omnes serui domini. Qui statis in domo domini, in atrijs domus Dei nostri. Verum id ex nulla scripturę historia haberi potest. Alij mystice putant istos psalmos cantica graduum appellari, eo quòd singuli quasi gradus quidam videantur, quibus in Deum conscendatur. In singulis enim exercitatio quædam cõtinetur qua mens & affectus ad Deum sese eleuent. Chald. paraph. mystice indicat intelligendum, cum ita ait, Canticum quod dictum est pro ascensionibus abyssi: id est, pro ascensionibus ab abysso, à morte & damnatione: id est, pro salute & redemptione per Deum collata ab inferis. Non multum autem refert, siue dicamus pro ascensu ab inferis, siue pro ascensu ad cælos: quoniam quidem ab inferis ascẽsus, est etiam ascensus ad superos. Quanto enim ex abysso subleuaris, tanto in altum ad cælum extolleris.

IN PSALMVM CXX.

VErsu 1. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ita quidem nobiscum vertunt Hieronymus & Felix. Veruntamen ex Hebræo legi etiam potest, Leuaui oculos meos in montibus, vnde veniet mihi auxilium. Atque ita erit sensus, Quasi in altitudine montium positus in hoc mundi deserto, attollo oculos huc illucque respiciens, vt videam vnde possit venire mihi auxilium. Post quod apte mox subiungitur. Auxilium meum à domino. ¶ Versu 5. Dominus protectio

II tua

Universidad de Deusto
Biblioteca

tua ſuper manum dexterã tuam. In Hebræo eſt, Dominus vmbra tua ſuper manum dexterã tuam, id E
Pſal.136. eſt, dominus erit tua obũbratio, vel obumbrabit tibi deſuper, quemadmodum in alio pſalmo dicitur, Domine domine, virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli. Eſt autem ſententia eadem, ſiue vmbrã ſiue protectionem dixeris. Poſſet verò ſecundum myſticam ſententiam, protectio iſta iuſti ſuper manum dexteram, ſignificare cuſtodiam eius, propter obſeruationem præceptorum Dei. In quem ſenſum reſpicere videtur quod habet hoc loco Chal. Paraph. Deus obũbrabit tibi propter chartulam præceptorum, quæ confirmata eſt ad manum dexteram tuam, in ingreſſu tuo. Quid enim aliud eſt, membranam vel chartulam præceptorum Dei eſſe cõfirmatam ad manum dexteram, quàm Dei præcepta viriliter ſeduloque perficere & adimplere? Eſt etiam digna notatu pro ſequentibus verſibus eadem Parap. Loco cius enim quod in verſu 6. dicitur, Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem, ſic habet, in die quando dominatur ſol, non nocebunt tibi diurni, neque nocturni, quando dominatur luna in nocte. Et pro eo in verſu 8. dicitur, Dominus cuſtodiat introitum tuũ & exitum tuum: ſic illa legit, Deus cuſtodiat exitum tuum ad negotiationẽ, & introitum ad ſtudia legis. id eſt, tam exterioribus ſecundum corporis neceſsitatẽ deditum, quàm ad interiora conuerſum, ſem per dominus cuſtodiet.

IN PSALMVM CXXI.

VErſu 1. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi. Hieronymus, Lætatus ſum, eo ꝙ dixerunt mihi, F
in domum domini ibimus. Ad verbum autem ex Hebræo ſic legitur, Lætatus ſum in dicentibus mihi, in domũ domini ibimus. vnde patet vulgatæ lectionis hunc ſenſum debere accipi, Lætatus ſum in ijs quę dicta ſunt mihi, nempe quòd in domum domini ibimus, vt illud, In domum domini ibimus, ſit lætitiæ materia. In verſu autem ſequenti, pro arrijs in Hebræo ponuntur portæ: & eadem eſt ſententia. ¶ Verſu. 3. Hieruſalẽ quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Hieronymus, Cuius participatio eius ſimul. Felix, Quæ coniuncta eſt ipſi ſimul, id eſt, ſibiipſi. Alij, Quæ conſociata eſt vel cõiuncta eſt ſibi pariter. Quæ omnia pro ijs faciũt quæ in Elucidatione atque annotationibus præcipuis diximus. ¶ Verſu 6. Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem. In Græco ad Hierulalem additur articulus τῆς, caſus accuſatiui, qui hunc indicat ſenſum, Rogate ipſam Hieruſalem, ſupernã ciuitatem, quæ ad pacem ſunt. Atque ita non deprecatio eſt quæ dirigatur ad ciuitatem ſupernã, ſed exhortatio mutua ciuium militantis Eccleſiæ, ad poſtulandum à ſuperna ciuitate quæ pacis ſunt. Non conſonat tamen hic modus illi quod proxime ſequitur, Et abundantia diligentibus te. Hic enim iam deprecatio, nõ exhortatio eſt: Propter quod in Elucidatione & annotationibus prioribus, alium ſenſum indicauimus, in quo Hieruſalem ſit caſus vocatiui, vt ſit hic ſermo non exhortatio mutua militantium, ſed eorũ deprecatio ad ipſam ſupernam ciuitatem Hieruſalem directa. Maxime cum in Hebræo originali nullus articulus habeatur, neque vllum ſignum denotans caſum accuſatiuum, ſed abſolute ponitur Hieruſalem, abſque vllius articuli vel ſigni præpoſitione. Quod autem in altera parte G
dicitur, Et abundantia diligentibus te, Hieronymus vertit, Sit bene ijs qui diligunt te. Felix, Proſperabuntur vel abundabunt diligentes te, aut proſperentur ſiue abũdet, Nulla eſt à noſtra lectione ſententiæ diuerſitas. ¶ Verſu 7. Fiat pax in virtute tua. Videtur prima facie hæc dari poſſe commoda intelligentia, Ora ô cæleſtis Hieruſalem, & tua oratione cura, vt in hac militãte Eccleſia fiat nobis pax in virtute tua. id eſt, in virtute Dei, à qua tu habes tuam pacem ſolidiſsimam: vt ſicut in te eſt pax omnino firma & penitus imperturbabilis, ex virtute Dei te inhabitantis, ſic & nobis ex eadem quæ in te pacem donat virtute, pax vera deſcendat. Verum huic ſenſui videtur obſiſtere originalis Hebræa lectio. Nam Hieronymus vertit, In muris tuis. Felix, in antemurali vel exercitu tuo. Vnde apparet, virtutem hîc accipiendã pro exercitu ſiue fortalitio, cuiuſmodi ſunt muri & antemurale: quomodo & accipi ſolet virtus, cũ dicitur, dominus virtutum, pro domino exercituum: & quomodo nõnunquam ipſum populum ciuitatis atque etiam fortalitia ipſius dicimus fortitudinẽ ſiue virtutem. Per hunc autem populum ciuitatis atque etiam fortalitia ipſius dicimus fortitudinẽ ſiue virtutem. Per hunc autem intelligimus populum militantem exercitum ſiue antemurale aut muros ſupernæ Hieruſalem, rectè intelligimus populum militantis Eccleſiæ. Exercitus enim ſumus ſupernæ ciuitatis omnes qui ad illam ſpectamus, tametſi adhuc in malitia hic iam degamus. Antemurale verò eſt hæc Eccleſia reſpectu ſuperne triumphantis, eo ꝙ de hac fiat ad illam tranſitus, & hîc pugna geritur, cum ibi ſit à pugna requies: quemadmodum circa mœnia & in antemurali pugna geritur aduerſum hoſtes, intus verò belli tumultus non auditur, ſed H
ſunt quieta omnia. Cæterũ pro turribus, in parte ſecunda, alij vertunt palatia, alij regias aulas, alij ſimpliciter ædes. Nos in Elucidatione turres iſtas ſiue palatia, expoſuimus præcipuos in Eccleſia, vt rectores atque præpoſitos. Poſſemus tamen intelligere particulares Eccleſias, quemadmodum illic, Deus
Pſal.47. in domibus eius cognoſcetur, vbi in Hebræo idem vocabulum quod hic ponitur.

IN PSALMVM CXXII.

VErſu 2. & 3. Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ. In Hebræo eſt, ad manum dominorum ſuorum, ad manum dominarum ſuarum. Quod clarius ſententiam in Elucidatione atque præcipuis annotationibus expoſitam, proponit. Et niſi adderetur poſtmodum, donec miſereatur noſtri, videretur hæc poſſe dari intelligentia, Sicut ſeruus oculos habet ad manum domini, vt quàm primum vel digitum vnum moherit aut manum extenderit, ſtatim adſit parcatque indicantis imperio, ſic & nos ſemper oculos habemus ad te, ad omnia quæ tu præceperis paratiſsimi ſeduloque intenti. Verum quia ſtatim additur, Donec miſereatur noſtri, & quia finis pſalmi magnã proponit tribulationem, magis videtur literæ conſonum, vt intelligamus de expectatione qua ſerui à domino malis eximi & bonis donari expectant atque exoptant,

A optant, ad eum modum quo nos ſuprà interpretati ſumus. ¶ Verſu. 5. Quia multum repleta eſt anima noſtra opprobriũ abũdantibus & deſpectio ſuperbis. Duas has partes ex Hebræo interpretes vulgò connectunt, opprobriumque & deſpectionem in ablatiuo ponunt, ad hunc modum, Multum repleta eſt vel ſaturata eſt anima noſtra opprobrio abundãtium ſiue locupletum & deſpectione ſuperborũ. id eſt, opprobrio & contemptu, quibus à diuitibus afficimur. Poteſt tamen recte etiam noſtra vulgata lectio ex Hebræo accipi, quèadmodum & Felix teſtatur. Ait enim ſic poſſe trãsferri, Opprobrium abundantibus, ſupple ſumus, & deſpectio ſuperbis vel magnificis.

IN PSALMVM CXXIII.

VErſu 3. & 4. Forſitan aqua abſorbuiſſet nos, Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquã intolerabilem. Totum hoc ex Hebræo ita vertit Hieronymus, Forſitan aquæ circundediſſent nos, torrens tranſiſſet ſuper animã noſtram, forſitan tranſiſſent ſuper animã noſtram aquæ ſuperbiæ. Et in eandem ſententiam Felix, Tunc aquæ inũdaſſent nos, torrens tranſiſſet ſuper animã noſtram, tunc tranſiſſent ſuper animã noſtrã aquæ latæ. Quæ lectio ex Elucidatione eſt intellectu facilis. ¶ Verſu 5. Qui non dedit nos in captionẽ dentibus eorum. Pro captione, Hieronymus & Felix prædam vertunt: & in verſu ſequenti, pro paſſere Hieronymus ponit genus, dicendo, ſicut auis. Felix verò ſpeciem ſeruat, vt habet noſtra lectio.

IN PSALMVM CXXIIII.

B VErſu. 1. & 2. Qui confidunt in domino, ſicut mons Sion, non cõmouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. Montes in circuitu eius. In Hebræo alia diſtinctio eſt quàm in lectione vulgata. Hieronymus ita vertit, Qui confidunt in domino quaſi mons Sion, immobilis, in æternum habitabilis, ſubaudi, erunt: ac deinde, Hieruſalem, mõtes in circuitu eius. Cuius lectionis ſenſus eſt, Qui confidunt in domino erunt ſicut mons Sion, qui eſt ſtabilis & immobilis, nec poteſt à ſuo loco dimoueri, quique in æternũ perſtat & habitatur, nec labitur vnquã aut diffluit. Ac deinde, Hieruſalem ciuitas ſancta (in qua mons Sion ſitus eſt) montes habet in circuitu ſuo, munita eſt mõtibus per circuitum ſancta (in qua mons Sion ſitus eſt) montes habet in circuitu ſuo, munita eſt mõtibus per circuitum adiacentibus. Neque tantum habet corporalem montium circumiacentiũ munitionem, ſed intum adiacentibus. Neque tantum habet corporalem montium circumiacentiũ munitionem, ſed intum ſuper aliam meliorem, eo ꝙ dominũ habeat in circuitu ſuo, Poteſt verò ex Hebræo etiã ſic verti, Qui ſuper aliam meliorem, eo ꝙ dominũ habeat in circuitu ſuo, Poteſt verò ex Hebræo etiã ſic verti, Qui confidunt in domino, ſicut mons Sion non cõmouebitur, in æternũ habitabit: vt more Hebraico poconfidunt in domino, ſicut mons Sion non cõmouebitur, in æternũ habitabit: vt more Hebraico poſitus dicatur ſingularis numerus pro plurali in parte poſteriori, ſitque hic ſenſus, Qui cõfidunt in dositus dicatur ſingularis numerus pro plurali in parte poſteriori, ſitque hic ſenſus, Qui cõfidunt in domino, ad ſimilitudinem montis Sion non cõmouebuntur, & habitabunt vel perſtabunt immobiles in mino, ad ſimilitudinem montis Sion non cõmouebuntur, & habitabunt vel perſtabunt immobiles in æternum, quomodo ſcilicet mons Sion nunquam cõmouetur, & perpetuò manet habitabilis. ¶ Veræternum, quomodo ſcilicet mons Sion nunquam cõmouetur, & perpetuò manet habitabilis. ¶ Verſu 3. Quia non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorũ. Hieronymus, Quia non requieſcet virga impietatis ſuper ſortem iuſtorũ. Hæc autem virga impietatis, vel pro ſceptro iniquiC
tatis accipitur. id eſt, pro impiorũ poteſtate atque dominio, vel pro punitione impiorum, ſiue potius gladio aut rhõphæa quæ illis manet in iudicio: quę gemina expoſitio in Elucidatione indicatur. ¶ Verſu 4. Benefac domine bonis & rectis corde. In Græco hic eſt ἀγάθυνον, quod ſonat benignare (vt ita dicamus) ſiue benignus eſto, aut bonum ſiue benignum te præbe, benigne age: de quo verbo diximus in annotationibus Pſal. 50. Illic enim verſu penultimo idem verbum in Græco ponitur, vertiturq; illo in loco, benigne fac. Sic enim legimus, Benigne fac domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificẽtur muri Hieruſalem. id eſt, benignum te præbe Sion & cum ea age placide atque ſuauiter.

IN PSALMVM CXXV.

VErſu. 1. In conuertendo dominus captiuitatem Syon. Clarius & ad formam Latini ſermonis aptius vertit Hieronymus, Cum conuerteret dominus captiuitatẽ Sion. Seruauit autem interpres Latinus formã Græci ſermonis, quemadmodum alibi. In conueniendo populos in vnum. Et iterum, Pſal.101.
In conuertendo inimicum meum retrorſum. Aptius tamen per acculatiuum ſermo fieret, hoc modo, Pſal.9.
In conuertendo dominus captiuitatem Sion. In ſecunda autẽ parte, vbi habet noſtra lectio, quaſi cõſolati, in Hebræo eſt, Facti ſumus ſicut ſomniantes. Quod exprimit magnitudinem repentini gaudij inſperatæ lætitiæ. Ita enim ſolent eſſe affecti quibus ſubita aliqua contingit & inſperata lætitia magna, quemadmodum afficiuntur ſomniantes, vt neſciant an verè res ita ſe habeat: quomodo de Petro
D legimus, vbi de captiuitate eſſet per angelum liberatus, ꝙ exiſtimabat ſomnium eſſe id quod fiebat per angelum. Felix autem vertit, ſicut ſomniantes vel corroborati, quod proxime ad noſtrã lectionẽ accedit. Neque ab hoc poſtremo diſſonat quod habet Parap. Chal. Erimus velut mfirmi, qui conualuerunt. In ſequenti autẽ verſu, pro Gaudio in Hebræo eſt riſus, quod in idem redit. ¶ Verſu 5. Conuerte domine captiuitatem noſtrã, ſicut torrens in auſtro. Hieronymus nobiſcũ vertit, ſicut riuus in auſtro. Felix verò aliter reddidit, Conuerte vel ſeda domine captiuitatem noſtram, ſicut torrentes in auſtro, vel ſicut inundationes aquarum in meridie, vel in ſiccitate. Quod aliũ videtur expoſcere ſenſum ab eo quem ſuprà dedimus, & quem plures ſequuntur, ac ferè diuerſum, nempe iſtum: Seda domine, & ceſſare fac noſtrã captiuitatẽ, qua nunc premimur, ſicut cõuertuntur vel ſedantur torrentes à meridie, quando ſol vrit terrã & aquas exiccat, plurimũque aquarũ ſuo exceſsiuo calore deuorat, vt vel ſiccentur aquæ torrentiũ vel certe minuantur, ne ita rapide currãt, impediti ſiccitate quæ eſt à nimio ſolis æſtu. Alij verò ſic vertunt. Conuerte Deus Captiuitatem noſtrã, ſicut riuuli in arido vel ſicut torrentes in regione meridiei: id eſt, in loco ſicco & arido. Aſsignantq; hanc intelligentia, Conuertere captiuitatem noſtrã, quod ſi feceris, ita nouã & iucundam rem nobis facies, ac ſi in locis inaquoſis & omnino ſiccis dares torrentes & alueos aquarum. Cui intelligentiæ nõ omnino diſſonat quod ha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet.Chald.Paraph.Conuerte domine captiuitatem noſtrã,ſicut conuertitur terra quando abundant E
fluenta aquarũ tempore ſiccitatis.id eſt,quomodo bene immutatur terra vbi poſt multã ſiccitatem,
aquis fuerit irrigata.¶ Verſu 7.& 8.Euntes ibant & flebant,&c.Duos hos verſus pariter iungit Hiero
nymus in hunc modum,Qui ambulans ibat & flebat portans ad ſeminãdum ſementẽ,veniens veniet
in exultatione portãs manipulos ſuos.Sententia tamen eſt eadẽ.Illud verò quod Hieronymus vertit,
portans ad ſeminandum ſementẽ.Felix aliter reddidit,Portans pretioſum ſemen,vel portans protra-
cte ſiue de longe ſemen.Quomodo autem iuxta hanc verſionem,ſit viri iuſti ſemen pretioſum,ma-
nifeſtum eſt ex fructu quẽ profert fœcundiſſimũ,item & quomodo de longe ſemen hoc portat.Mul-
tũ enim diſtat fructus à ſemine,& longa animi expectatione opus eſt,poſt ſemen miſſum in terrã,an-
tequã conſequatur fructus eius.Alij rurſum vertunt vas ſeminis,ad hunc modum.Portantes vas ſe-
minis,quomodo videlicet ſolent ij qui ſeminant.

IN PSALMVM CXXVI.

VErſu 3.& 4.Vanum eſt vobis ante lucẽ ſurgere,ſurgite poſtquã ſederitis,qui manducatis panem
doloris.Cum dederit dilectis ſuis ſomnum.Felix ex Hebræo,Vanum eſt vobis diluculo præue-
nientibus ſurgere,retardantibus ſedere,comedentibus pãnem dolorũ:ſic dabit dilectis ſuis ſomnũ. F
Cuius lectionis hic eſt ſenſus,Vanum eſt vobis,quod mane ante lucem ſurgitis ad opus,item & quod
veſpere diu reſidetis ad opus,& in profundam vſque noctem operis gratia vigilatis,ſicque panem in
dolore & labore multo comeditis:totũ hoc nihil poterit prodeſſe vobis,niſi adſit dominus:quãtun-
cunque ſecundum veſtrã poſsibilitatẽ fueritis diligentes, etiã ſi ſummo mane ante lucem,quãdo ad-
huc in ſtratis molliter homines cubãt, exurgatis, etiamſi ad profundam vſque noctẽ tardetis,ſedere
in continuo opere,inſuper & ſi in maxima penuria cibi ac potus viuatis,nunquam rem facietis,nihil
proficietis,nõ poteritis diteſcere,niſi adſit cooperator dominus,qui vobis collaboret:hoc eſt(vt pau
cis dicamus)quantũcunque impenderitis laboris & ſolicitudinis,abſque Deo nihil efficietis. Quod
verò dehinc ſequitur,Sic dabit,vel certe dabit dilectis ſuis ſomnũ,ſic intellige, Ita dominus dilectis
ſuis vult dare dulcem quietem & bonã requiem,vult eos quodammodo dormientes eſſe,id eſt,ſecu-
ros in bona confidentia,& non tanta anxietate ſolicitos. Quaſi enim ſomno ſe dat homo, quando
curã omnem,& ſolicitudinem(iuxta Petri conſiliũ)proijcit in Deum, cui nouit eſſe de ſe curam per
1.Pet. 5. maximã,quand(iuxta Pſalmiſtæ vocẽ)reuelans domino viam ſuã ſperat in eo,vt ipſe faciat:atque hoc
Pſal. 36. facto in ſecuritate ſe conſtituit,ſciens quod fidelis ſit cui ſuum cõmendauit negotium,ꝙ non dormi-
1.Cor. 10. tabit neque dormiet,quin ſuæ cõmiſſum fidei cuſtodiat atque perficiat. Alij prædictam ex Hebræo
Pſal.120. lectionẽ intelligunt de malis,in hunc modum,Fruſtra vos peruerſi mane ſurgitis ad perpetrandã im-
pietatem,& veſpere in eadẽ demoramini vſque ad profundã noctem, deuorantes panem & ſubſtan- G
tiam hominũ pauperum & dolentium pro oppreſsione.Certe quicquid vos egeritis,tamen ſuo tem-
pore dabit Deus ſuis electis requiem,à laboribus & moleſtijs omnibus:quẽadmodum in ſancta Apo
Apoc. 14. calypſi legimus,A modo iam dicit ſpiritus,vt requieſcant à laboribus ſuis.cui intelligentiæ conſonat
quod habet Paraph.Chal.Propterea in vanũ laboratis vos qui præuenitis mane perpetraturi rapinã,
& vos qui tardatis & concinnatis præparationes,& manducatis cibos miſerorũ,qui laborauerunt in
illis,conuenienter autem vel opportune dabit Deus dilectis ſuis ſomnum.¶ Verſu 5.Ita filij excuſſo-
rum.Hieronymus vertit,Filia iuuentutis.Felix,filij adoleſcentiarum.Per hos autem filios iuuentutis
conuenienter intelligimus ſanctos Apoſtolos aliosq; diſcipulos domini:quos quia in initio naſcẽtis
Eccleſiæ ſibi Chriſtus genuit,& primitijs ſuis ſpiritus regenerauit,recte iuuẽtutis filij appellantur,vel
filij adoleſcentiæ.Teſtatur tamen Felix recte verti poſſe(vt habet noſtra lectio)filij excuſſorũ.¶ Ver-
ſu vltimo,Beatus vir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis,In Hebræo,pro deſiderio ponitur phare-
tra,qui impleuit pharetrã ſuam.Implet autem ex ipſis filijs excuſſorum vel filijs iuuentutis pharetrã,
qui implet mentem & affectũ ex illorum ſaluberrimis doctrinis,qui pectus ſuum implet illorũ inſti-
tutione & monitis.Quod autem in noſtra lectione ſubſequitur in numero ſingulari,Non confunde-
tur cum loquetur inimicis ſuis in porta.id eſt,in Hebræo ſimul & in Græco per numerum pluralem
effertur,hoc modo,Non confundentur cum loquentur inimicis ſuis in porta,intelligendo non con-
fundentur neque ipſi filij excuſſorum ſiue iuuentutis,neq; qui ex ipſis impleuerint ſuum deſiderium H
vel pharetram.Neque enim primi illi filij,neque illorum fideles mutatores confundentur corã inimi
cis,ſed illi quidem vt bene præeuntes,hi verò vt bene ſubſequentes pariter in vitam introibunt.

IN PSALMVM CXXVII.

VErſu 2.Beatus es,& bene tibi erit.Chal.Parap.Prius refert ad beatitudinẽ ſpei in via vitæ huius,
quæ eſt in gratia Dei & pacata conſcientia:poſterius autem,ad beatitudinem cæleſtis patrię.Sic
enim habet,Laborẽ manuum tuarũ quia comediſti,bonum tibi vel beatus tu in mũdo iſto, & bonũ
tibi vel beatus tu in mundo venturo. Hieronymus ſic vertit, Labores manuũ tuarum cum comede-
ris, beatus tu, & bene tibi erit. Quod ita intelligitur, cum eo peruueneris vt pro operibus detur tibi
congrua merces,qua ſaturaberis,beatus eris,& tũc bene tibi erit, licet nunc ſecundũ exteriorem af-
flictionem tibi videatur eſſe male. ¶ Verſu 3. Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.
Hieronymus vertit vitam fructiferam pro abundanti:& pro lateribus vertit in penetralibus.Quæ in
eandem concurrunt ſententiam:quemadmodum & quod in ſequenti verſu,pro nouellis vertit ger-
mina,vbi in Græco eſt νἱφυτα, quod ſonat nouiter plantata ſiue nouellas plantationes.

A
IN PSALMVM CXXVIII.

VErſu 3.Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores,prolongauerunt iniquitatem ſuam.Hie
ronymus,Supra ceruicem meã arabant arantes,prolongauerunt ſulcũ ſuum.Et in eandem ſen
tentiam Felix,ſupra dorſum meum arauerunt arantes,protraxerunt ſulcum ſuum. Quæ lectio cum
noſtra vulgata eandem habet ſententiam.Nam arare ſupra dorſum vel ceruicem iuſti,& ſulcũ ad mo
dum arantium ibi prolongare atque protrahere,quid aliud eſt,quàm graui & longa tribulatione iu-
ſtum affligere? Atqũe hoc ipſum in lectione vulgata indicatur in fabricatiõne impiorũ ſupra dorſum
iuſti & in prolõgatione iniquitatis impiorũ ſuper dorſum illius.¶ Verſu.4.Dominus iuſtus concidet
ceruices peccatorũ.In Hebræo eſt ruoth.id eſt, vincula,vel funes, vel perplexitates ſiue intricationes.
Vnde Hierony. vertit, Dominus iuſtus cõcidet laqueos impiorũ,& Felix,lugum vel funes impiorũ.
In quo ſignificatur iuſtum ab omnibus perplexitatibus atque difficultatibus,quibus inuolutus fue-
rit ab impijs,per Deum liberandum,& iugum illorum cõterendum:quemadmodum per Eſaiam di- Eſaiæ.9.
citur,Iugum enim oneris eius & ſceptrum exactoris eius,ſuperaſti. ¶ Verſu.5.Sicut fœnum tectorũ,
quod prius quàm euellatur,exaruit.Hieronymus,Quod ſtatim vt viruerit areſcit,ante videlicet quã
euellatur,ꝙ in eãdem prorſus cum lectione vulgata ſententiam recidit. Felix verò etiam ad verbum
nobiſcũ vertit,Quod prius quàm euellatur,exaruit. Vel ſic,quod prius quã egrediatur exaruit. hoc
eſt,mox vbi exortũ fuerit incipit areſcere,nullam habet ſubſiſtentiã in ſuo virore,quia humorẽ non
B habet neque terrã cõmodam.Chal.paraph.videtur reſpicere ad ſitum loci eo ꝙ in eminenti loco ſi-
tum hoc fœnum quod in tectis naſcitur,facile ſtatim vento læditur,& ideo nõ ſubſiſtit.Sic enim ha-
ber,Fiant ſicut fœnũ tectorum quod antequã floreſcat, irruit ventus notus,ſpiratque in illud,& ſic-
catur.Ita plane in impios antequam ad perfectum,& optatum florem peruenianꝫ,exurgit ventus no-
tus,videlicet vel peſtis vel morbus,vel plaga alia,aut vt minimũ graue ſenium,qui illos cogit deficere.
re.Quod autem in ſequenti verſu dicitur,manipulos colligens, valet colligens manipulos, de meſſe
videlicet in brachia ſua colligens,ad faciendum & colligendum manipulos.Vnde in Hebræo eſt ver-
bale,ſignificans actũ dicamus,manipulator,ſicut meſſorem dicimus à metendo.

IN PSALMVM CXXIX.

VErſu 4.5.& 6.Quia apud te propitiatio eſt,& propter legẽ tuam ſuſtinui te domine. Suſtinuit
anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in domino.A cuſtodia matutina vſq; ad noctem,
ſperet Iſrael in domino.Ex Hebræo Hieronymus ſic vertit,Quia tecum eſt propitiatio,cum terribi-
lis ſis.Suſtinuit dominum, ſuſtinuit anima mea & verbum eius expectauit. Anima mea ad dominum
(ſupple expectat)à vigilia matutina vſque ad vigiliam matutinã:Expectet Iſrael dominum,quia apud
C dominum miſericordia,&c.Cuius lectionis breuiter hanc accipe ſententiam.Quãquam ſis terribilis
& metuendus,propter tuam iuſtitiam, attamen quia ſimul & miſericors es,quia etiã tecum eſt pro-
pitiatio, idcirco in patientia expectaui dominum,& in verbo promiſsionis eius ſperaui : expectauit
anima mea ad dominũ & perſeueranter in ſpe eius permanſit à vigilia matutina vnius diei vſque ad
vigiliam matutinã ſubſequentẽ.id eſt,per diem & noctẽ iugiter.Felix verò aliter vertit,Quia apud te
propitiatio ſiue venia eſt,vt timearis:id eſt,vt te timeant ſancto timore teq; reuereantur vt pium pa-
trẽ fideles tui filij. Alij exponũt,vt timearis:& colaris.Nam timere Hebręi pro colere vſurpat,vt pſal Pſal.147.
mo vbi noſtra lectio habet,Et permanebit cũ ſole & ante lunã,in Hebręo eſt,Timebunt te cum ſole
& vltra lunã,hoc eſt,colent te fideles tui,quandiu ſol perſtabit.Atq; ita ſenſus eſt, Apud te eſt indul-
gentia,propter quod coleris ex animo à fidelibus,vt Deus & pater pius. Nam ſi ſic iniquitates obſer
uaret Deus,vt nõ eſſet ſimul apud eũ indulgentia,nemo illum ex bono animo coleret,vt patrem,ſed
potius quaſi tyrannũ omnes ſeruiliter tantũ metuerẽt.Nunc autẽ ipſius miſericordia nos prouocat,
vt ipſum ex toto cordis affectu colamus tanquã patrem pijſsimum.Deinde verſum ſextũ vertit Felix
in hunc modum,Anima mea in domino(ſupple ſperauit)vel ad dominum(ſupple clamauit vel expe-
ctauit)ſupra obſeruantes mane,obſeruantes mane.id eſt, diligentius quàm ij qui ſummo mane cum
omni ſollicitudine & vigilantia quippiã obſeruant:vbi replicatio ſupra obſeruantes mane obſeruan
tes mane,vel vehementiam indicat,vt indicetur ſupra obſeruantes valde mane:vel ſignificat vniuer-
D ſalitatem,ſuper quoſque obſeruantes mane.

IN PSALMVM CXXX.

VErſu 3.& 4.Si non humiliter ſentiebam,ſed exaltaui animã meam,Sicut ablactatus eſt ſuper me
matre ſua,ita retributio in anima mea.Hieronymus, Si nõ propoſui & ſilere feci animã meam:
Sicut ablactatus à matre ſua,ita ablectetur à me anima mea.Quæ lectio illam potius videtur ſpecta-
re intelligentiã quę in annotatione poſita eſt,vt in ſecũdo verſu ſit imprecatio,qua ſibiipſi proferens
Pſalmũ imprecatur, vt ſi non in humilitate ſuã animã poſuerit,& ſilere fecerit ab omni iactantia:fiat
ſicut ablactatus à matre, vt ſic fiat ipſius anima ablactata.id eſt, Diuinæ conſolationis lacte priuata.
Poteſt tamen ex Hebręo etiam ſic legi:Si nõ poſui & ſilere feci vel humiliaui animã meam,ac deinde
diuiſim,Sicut eſt ablactatus matri ſuę,vel erga matrem ſuam,verè inſtar ablactati habet mihi anima
mea.In qua lectione pulchre ſenſus qui in Elucidatione poſitus eſt exprimitur.Chal.Paraph.nullam
ponit imprecationem:verum ſimpliciter ita habet,Si nõ poſui manum ad os, & tacere feci animam
meam donec audiret verba legis,ſicut lactentem animam meam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN PSALMVM CXXXI.

E

VErsu 1. Et omnis mansuetudinis eius. Pro mansuetudine Hieronymus vertit afflictionē. Et omnis (inquit) afflictionis eius. Felix legit, Omnis afflictionis eius, vel humilitatis, vel mansuetudinis. Sententia in idem redit, quandoquidem mansuetudo consistit in æquamini tolerātia passionum & afflictionū obuenientium. ¶ Vers. 2. Sicut iurauit domino. Hieronymus, Qui iurauit domino, quod clariorem habet intelligentiam. Et in versu quinto, quod nostra lectio habet, Et requiem tēporibus meis, Hebræa non habent. ¶ Versu 6. Ecce audiuimus eā in Effrata. Hieronymus legit per genus masculinum, Ecce audiuimus illum, nempe locum domini: quomodo quidam etiam nostram lectionem corrigi volunt. In Græco tamen in genus fœmineū αὐτήν. id est, eam. Potestque fieri relatio ad intellectum, eam habitationem, vel requiem, vel domum domini. Pro campis autem syluæ, Hiero. vertit, In regione saltus: Felix nobiscum tenet, in cāpis syluæ, eadem enim sententia est. Chald. Paraph. rem explicat his verbis, Inuenimus eam in campis syluæ. Libani, loco vbi adorauerūt patres mundi: hoc est, in loco olim deserto, in monte Moria, vbi patribus aliquando fuit locus orationis & sacrificij. Adorauit enim illic Abraham, & magnum illuc cunctisque sæculis memorabile summæ obedientiæ sacrificium vnigeniti sui, quousq; permissus fuit, perfecit: adorauit illic post etiā Dauid, vbi cessasset à plaga angelus, obtulitque sacrificiū. ¶ Versu 7. Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius, Hieronymus, Adorabimus scabellum pedum eius. id est, arcā domini, quæ fuit quasi scabellum pedum eius, de quo diximus in annotationibus Psal. 98 in versum illum, adorate scabellum pedum eius, quoniā sanctum est. ¶ Versu 11. Iurauit dominus Dauid veritatē, & non frustrabitur eum. Hieronymus, Et nō reuertetur ab ea, scilicet veritate. id est, non retractabit eā, non infringet, non omittet quin perficiat. In eandem sententiam Felix, Non auertetur ab ea, vel non cōuertetur aut reuertetur, quæ omnia idem volunt. Atque eadem esset in vulgata lectione sententia, si tantū in genere fœmineo, poneretur relatiuū, pro eo legendo eā, hoc modo, iurauit dominus Dauid veritatē, & non frustrabitur eam. id est, veritatem iuramento firmatā non faciet irritam & vanā, sed implebit eam. Atque hoc modo per genus fœmineum habet Græca lectio ἂν ἀθετήσει αὐτήν. hoc est, & nō reprobabit vel abijciet vel frustrabitur eā. Veruntamen lectio habens masculinum genus, cōmodam habet & ipsa intelligentiam, vt in Elucidatione monstratum est. ¶ Versu 16. Viduam eius benedicens benedicam. Ex Hebræo vertit Hieronymus venationem. Felix vertit, victum eius vel cibum viaticum eius benedicēs benedicam. Alij vertunt, annonā. Quæ omnia facilè in eandem possunt reduci sententiā: Nam per venationem quid intelligitur item & per cibum viaticum siue annonā, nisi cibus ille delicatus quo in sancta Ecclesia pascimur, videlicet panis verbi Dei, de quo sua benedictione tam nos copiosè reficit, tam pascit abundanter in plenitudine benedictionibus? Græci autem codices quidam habent χήραν, quod significat viduā: plures & vulgatiores θήραν, quod significat venationem. Putant autem quidam Latinos interpretes ignorantia lapsos, vt θήραν, verterint viduā. Verum id nimiæ ignorantiæ & stoliditatis fuerit incusare homines eruditos & bene meritos, præcipue ex leui tantum suspitione. Magis autem Græcorum exemplarium diuersitati imputandum est, quod viduā transtulerint, quàm illorum ignorantiæ. Quis enim vel tenuiter doctus, ignoret hanc inter χήραν, & θήραν, differentiam? Latina verò exēplaria omnia constanter habent vidua, vtrunque videlicet. Psalterium Romanum & Gallicanū, ipsa etiam lectio quā sequitur beatus pater Augustinus. Nam viduam prolixa expositione interpretatur ¶ Versu penultimo, Illic producā cornu Dauid. Vulgò nostri codices habent illuc, sed conuenientius videtur, si illic legatur. Nam quid sibi vult, illuc producā vel illuc nasci faciā? Videtur ergo potius legēdum, Illic producam, in qua sententiam vertit Hieronymus, Ibi oriri faciam cornu Dauid: & Felix, Illic germinare faciam vel florescere cornu Dauid. Aduerbium quoque in Græco positum ἐκεῖ, rectè illic vertitur. ¶ Versu vltimo, Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Hieronymus vertit, Super ipsum autem florebit diadema eius. id est, glorificabitur ipse vt rex regum & dominus dominantium, tanquam princeps regum terræ, videlicet quando dabitur ei nomen quod est super omne nomen, &c.

Gene. 12. 2. Re. 24.

Apoc. 19. Apoca. 1. Philipp. 1.

IN PSALMVM CXXXII.

H

VErsu 1. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnū. Hieronymus, Ecce quàm iucundum & quàm decorū, habitare fratres vnà. Felix, habitare fratres etiam simul, vel in vnū. hoc est, cohabitare fratres & vnanimes. Chal. Parap. sic habet, Ecce quàm bonum & quàm iucundū, habitare Sion & in Hierusalem sicut duo vnū. Quod mystice posset intelligi, de vnione & cōmunione Ecclesiarum militantis atque triumphantis. Sunt enim hæ quasi duo, & tamen mirabili societate coniunguntur. ¶ Versu 2. Sicut vnguentum in capite, In Hebræo est, sicut oleum illud bonum, quasi oleum insigne. Vnde vertunt Hieronymus & Felix, Sicut vnguentum optimum, vel sicut oleum optimum. ¶ Versu 3. Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. In Hebræo est numerus pluralis, super montes Sion, vt vertit Felix. Vel super montana Sion, vt habet Hieronymus. Vnde putant hic significari non singulariter illum montē qui erat in Hierusalem, sed vniuersa montana Iudææ. id est, terram promissionis, quæ in scripturis non semel dicitur manare lacte & melle: vt meritò credendum sit, rorem illum de quo hîc dicitur, pinguissimum atque fœcundissimum extitisse.

Num. 14. Deut. 6

IN PSALMVM CXXXIII.

VErsu 2. Qui statis in domo domini, in atrijs domus Dei nostri. Illud in atrijs domus Dei nostri, non est in Hebræo. Quod autem sequitur principium versus tertij, In noctibus, iungūt ad finem versus

A versus præcedētis: hoc modo, Qui statis in domo domini in noctibus. Ac deinde, Tollite & leuate manus vestras ad sanctum, vt vertit Hieronymus; vel ad sanctitatem, vt habet Felix. Chal. Paraph. hoc loco sic habet, Qui statis super custodia domus sanctuarij Dei, & laudatis in nocte, Leuate manus vestras sacerdotes super ambonem sanctum, & bendicite Deo.

IN PSALMVM CXXXIIII.

VErsu 3. Psallite nomini eius, quoniā suaue. Potest intelligi, quoniam suaue est nomen domini, eo ꝙ sola domini memoria abunde reficit & iucundari facit cor hominis. Vel quoniā suaue & iucundū est, psallere nomini domini. Simile occurrit & in Psal. 53. cùm dicitur, Confitebor nomini tuo domine, quoniā bonū est. Potest enim intelligi. Quoniam bonum est nomen tuum, vel quoniam bonum est confiteri illi, quomodo alibi dicitur, Bonum est confiteri domino, & psallere nomini tuo altissime. Quod autem in hoc loco per genus masculinum habet lectio Romana, Quoniam suauis est, nempe dominus, id nō respondet lectioni Græcę, quæ per neutrū genus habet καλόν, id est bonū vel suaue. Et ex Hebræo Felix vertit suaue vel iucundū: Hieron. decens. ¶ Versu 4. Israël in possessionem sibi. Hieronymus, Israël in peculium suum. Felix, In peculium vel in thesaurum suum, vel in proprietatem suā. Populum enim suum Deus quasi suum thesaurū reputat. Vnde illud est quod supra dictū fuit in Psal. 126. Cum dederit dilectis suis somnū, ecce hæreditas domini, filij merces fructus ventris. Et in Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuā, & possessionem tuam terminos terræ. ¶ Versu 8. Qui producit ventos de thesauris suis, Producit accipe nō vt valeat progignit, sed pro educit. Vnde in Græco est ἐξάγων, quod manifestè significat educēs, & ex Hebręo Hieronymus vertit, educens. Et apud Hieremiā ca. 10. similiter legimus, Fulgura in pluuiā facit, & educit ventū de thesauris suis. Felix dicit etiā sic verti posse, Inueniens ventū in cellarijs suis, quod eandem habet sententiā, ¶ Versu 6. Et misit signa & prodigia. Quomodo supra diximus in versum. 24. Psal. 104. Edidit terra eorum ranas, in quibusdā libris deprauate legi, & dedit pro edidit, cum & Hebraica & Græca lectio non & dedit habeat, sed edidit: ita in proposito loco, videtur loco eius quod vulgo nostri codices habent, & misit legi debere emisit. Nam in Græco est ἐξαπέστειλε, quod manifestè sonat emisit, vel edidit. Item ex Hebræo Hieronymus vertit emisit, non & misit. Felix simpliciter misit, absque coniunctione quæ in Hebræo non ponitur. Nihil tamen variatur in sententia, siue legas & misit, siue emisit. ¶ Versu 14. Et in seruis suis deprecabitur. Hieronymus, Et in seruos suos erit placabilis. Felix, In seruis suis consolabitur vel pœnitebit eū: hoc est (vt loqui consueuit scriptura) pœnitētiam aget de malo quod in eos venire permiserat vel decreuerat, secundum ordinationem suæ sententiæ. Chal. Parap. sententiam pulchre explicat, dicens, Et super vel ad seruos suos conuertetur in miserationibus suis.

Psal. 53. Psal. 9. Psal. 126. Psal. 2. Hiere. 10. Exod. 14.

C

IN PSALMVM CXXXV.

VErsu 15. Et excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro: Potest illa excussio intelligi ex curribus, in quibus residebat Pharao cū suis principibus, ad persequendum Israelem. Nam ita legimus, Pharaonem de populi dimissione pœnitentem statim inuexisse currum. Hieronymus verò pro excussit habet conuoluit: Et conuoluit Pharaonem & exercitum eius in mari rubro. Felix verò concussit, vel excussit. ¶ Versu 18. Et occidit reges fortes. Hieronymus, Et occidit reges magnificos: reges admirabiles vel terribiles. ¶ Versu 25. Qui dat escam omni carni. Pro esca in Hebręo est Iechem, quod significat panē. Vnde Hieron. vertit, Qui dat panem omni creaturę vel carni. Constat autem panem pro esca generaliter accipi, quomodo & aliàs frequenter in scriptura accipi solet.

IN PSALMVM CXXXVI.

VErsu 2. In salicibus, &c. Hieronymus super salices: Felix super salices vel in desertis, aut in salicibus. Pro organis autē vertunt citharas. ¶ Versu 4. Et qui abduxerunt nos, hymnū cantate nobis de canticis Sion. Admodum variè hic versus ex Hebræo vertitur. Hieronymi versio sic habet. Et qui affligebant nos, læti canite nobis de canticis Sion, nominatiuū læti iungens cum verbo canite. Quæ

D lectio hunc sensum habet, Qui nos affligebāt præpositi nobis, interrogauerunt nos, & dixerūt nobis, quasi illudentes. Canite læti, vel in lætitia canite nobis de canticis Sion. Felix sic vertit, Et deridentes nos, lætitiā (supple interrogabant nos, vel postulabāt à nobis) cantate nobis de cāticis Sion. Ad marginē verò sic legit, Et pro vlulatu nostro. id est, lamentationibus nostris lætitiam, supple interrogant vel poscebant, à nobis. Vel sic, Inimici nostri, qui scilicet deludebant nos, lætitiā, supple interrogabāt nos. id est, sermonē vel carmē lætitię postulabant. Vel sic, Suspensis nostris. id est, instrumentis nostris musicis quæ suspensa erant, interrogabant sermonē lætitię. Chal. paraph. clare hanc lectionem ita explicat, Et qui rapuerunt nos, affecti lætitia dicebāt, Psallite nobis cātica quæ dicebatis in Sion. ¶ Versu 5. Obliuioni dextera mea. Quidam vertunt, obliuiscatur dextera mea, subaudientes artis suę. id est, dextera mea destituatur arte defendendi, nō possit vltra protegere aut defendere me, si nō, &c. Atque huic versioni satis consonat lectio Psalterij Romani, quæ habet, Obliuiscatur me dextera mea, Verū nostræ versioni fauet quod Hieronymus vertit, In obliuione sit dextera tua. Felix item legit nobiscū, obliuioni detur. Intelligitur autem istum obliuioni dari à Deo, videlicet vt non vltra Deus recordetur adiutorium præbere dexteræ. hoc est, vt non amplius sit auxilio. Solet enim dei protectio per assistentiā dexterę significari, vt Psal. 120. Dominus custodit te, dominus protectio tua, super manū dexterā tuam. ¶ Versu 8. Si nō proposuero Hierusalem, in principio lætitiæ meæ. Ita per omnia nobiscū

legit Hieronymus. Felix autem sic habet, Si non extulero Hierusalem, super caput lætitiæ meæ, quod E
eandem habet cum nostra lectione sententiã: hoc est, si non Hierusalem omni lætitiæ meæ præposuero, id est, si non Hierusalẽ præposuero omnibus gaudijs & delicijs, quæ mihi possent in Babylone cõtingere, vel si non luctũ pro ciuitate Hierusalem præposuero omni gaudio & omni lætitiæ, quę mihi possit cõtingere, & si nõ illa semper ob oculos versabitur, videlicet, vt quandocunq; lætitiæ vlla occasio se obtulerit, prius luctũ mihi excitet memoria Hierusalem, adeò miserè destitutæ, quã lætari incipiã, quo videlicet tali modo temperata lętitia, modo nõ excedat neque alia sit q̃ exulem & captiuũ deceat. ¶ Versu. 10. Exinanite, exinanite vsque ad fundamentũ in ea. Hierony. Euacuate vsque ad fundamentum eius. Felix, Exinanite, exinanite, vel euacuate, euacuate, vel deuastate, deuastate, vsque ad fundamentũ in ea. Omnia enim hæc idẽ sunt. In eo verò quod sequitur, Filia Babylonis misera, Hieronymus pro misera ponit deuastata, subaudiendo erit vel fiet. Felix, misera, deuastata vel depopulata. Quidam Babylonem ponunt casu vocatiuo, & vastationis, vel miserię casu genitiuo, ad hunc modum, O Babylon, filia vastationis vel desolationis secundum eum modũ loquendi quo in scripturis
dicuntur filij mortis vel damnationis, qui morti addicti vel destinati sunt. F

IN PSALMVM CXXXVII.

VErsu 1. Quoniam audisti omnia verba oris mei. Totum hoc in Hebræo prorsus nõ legitur, sed principium versus sequentis cũ initio Psalmi cõtinuatur, ad hunc modum, Confitebor tibi domine in toto corde meo, in conspectu angelorum vel deorũ vel iudicum aut magnatum, psallã tibi. In Græco habetur quidẽ hæc oratio, sed non in eodẽ loco quo in nostris codicibus ponitur. Habent enim Græci libri hunc ordinẽ, Confitebor tibi domine in toto corde, & in conspectu angelorũ psallam tibi: Quoniã audisti omnia verba oris mei, adorabo ad tẽplum sanctũ tuum, &c. ¶ Versu. 3. quoniã magnificasti super omne nomen sanctum tuum. In vulgata hac lectione videtur singularis numerus positus pro plurali, omne pro omnia, in hunc sensum, Magnificasti nomẽ sanctũ tuum super omnia, iuxta dicitur in Psal 8. Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuũ in vniuersa terra. In Hebręo autẽ habetur, Magnificasti super omne nomen tuũ eloquium tuum, quomodo vertũt Hieronymus & Felix. Quod ita potest intelligi, Magnificasti verbũ tuum Euãgelicę prædicationis & extulisti super omne nomen tuum, quoniã videlicet ante illud verbum mundo missum, vocabaris tã tum Deus Israël, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, defensor & pastor Israël. Verum eloquium G
tuum nõ in Iudæa tantum voluisti latere, sed per vniuersum orbem terrarum fecisti diuulgari. Chal. Parap. habet, Magnificasti super omne nomen tuũ verba laudis tuæ. id est, verba tuæ laudis nullis tuis nominibus valent cõprehendi, nullum tibi nomen est quo tua laus atque celsitudo penitus explicari possit. Quidã putant in hac oratione esse hyperbaton, sicq; in Hebræo eam esse iungendã, Magnificasti nomen tuum super vel propter omne verbũ tuũ. hoc est, nomen tuũ vehementer magnificasti & laude dignum cõmendasti, ex eo quod quicquid vnquã promisisti, fideliter adimpleas, Atq; ita dicit Felix verti posse, Magnificasti super omne eloquiũ tuum nomen tuũ, modo super, loco propter accipiatur. ¶ Versu vltimo, Dominus retribuet pro me. In Hebræo, Dominus operabitur pro me, vt vertit Hieronymus: vel dominus perficiet, finiet vel consummabit pro me, vt Felix. In vltima autẽ parte, Opera manuum tuarum ne despicias, Hieronymus habet, Ne dimittas. id est, ne patiaris perdi, nẽ perire sinas. Felix, ne dimittas vel ne relaxas. id est, ne dissoluere aut diffluere sinas.

Psal. 8.

IN PSALMVM CXXXVIII.

VErsu 2. Intellexisti cogitationes meas de longe. Hieronymus, Intellexisti malum meum de longe, quod potest intelligi actiue, malum quod feci, vel passiue, quod pertuli. Felix in textu nobiscum legit, cogitationem. Verum ad marginem ponit multiplicem versionem. Vel sic, Intellexisti H
malum meum, actiue vel passiue. Aliter, Intellexisti vt consociares me. id est coniungeres me: vel intellexisti socium meum vel amicum meum: hoc est, nõ me solum cognouisti, verum etiam quicquid ad me attinet, & quicquid mihi est coniunctum, aut tu nosti cum quibus sit vita mea & cum qualibus conuersatio mea. Vel sic, Amicum meum & socium meum tu à longè optimè nosti, cum nullam videaris cum illo familiarem conuersationem ducere, longe etiam melius me, qui tamen illi perpetuo conuiuo familiariter, & illi sum assiduus, ac iam fere modium salis (quod dici solet) cum eo absumpsi: etiam post tam longam tamque familiarem conuersationem, tu illum nosti melius ac magis intime quàm ego illum nouerim, & melius cognoscis quo erga me sit animo, cum ego id certo non sciam & falli possim, quantumuis interioribus indicijs amicitiam erga me testetur. Nemo enim filius est, qui omninò certum & exploratum habeat patris animum atque econtrario: neque vllus maritus suæ coniugis habet certum animum, cũ subinde auditũ sit, & à parentibus filios, & à filijs parẽtes, ab vxoribus maritos, à maritis vxores, varijs modis fuisse interfectos. ¶ Versu eodem, Semita meã & funiculum meũ inuestigasti. Hieronymus, Semitam meam & accubitionem meam euentilasti. Felix Semitam meam & accubitum meum circundedisti. De quibus diximus in annotationibus principalibus,

A libus. Felix verò dicit etiam sic verti posse, Semitam meã & quadratum meum, vel quadrum vel quadrangulum meũ euentilasti vel dispersisti. Quod ego quidẽ puto (iuxta sententiam Elucidationis) apte posse exponi de hominis intẽtione, intelligendo per quadratum gnomonẽ, vel instrumentum quo examinantur lapides, an recte quadrati sint, quomodo per funiculum muri & parietes in ædificio, an absq; curuitate surgant. Hominis autẽ intentio eadẽ ratione & funiculus & gnomo vel quadratum, id est, instrumentũ ad quadrandum potest appellari. Ipse verò sic exponit, Semitã quam feci per omnes quatuor partes mundi, vel omnes quatuor partes mei, inuestigasti. ¶ Versu. 3. Quia nõ est sermo in lingua mea. In Græcis exẽplaribus nunc legimus pro sermone λόλος, quomodo etiã habet lectio Romani Psalterij, Non est dolus in lingua mea. Verũ id ex corruptione videtur esse, videlicet pro λόγος depravate scriptũ λόλος: id est, pro sermone dolus. Id ex Hebræo fit euidens. Cæterum ex Habraica lectione
hæc pars tertij versus cõtinuanda erit eũ principio quarti versus sequentis, in hunc modũ, Quia non est eloquium in lingua mea, ecce domine nosti omnia. Sic enim vertit Hiero. Neq; minus clare Felix, Quoniã non est sermo in lingua mea, ecce domine cognouisti totũ ipsum: quod sic exponit, Nondũ fuit sermo in lingua mea, & tu domine cognouisti totum ipsum sermonem: vel sic, Non est sermo in lingua mea, quẽ tu non cognoueris. Vel sic, Quãuis non est sermo in lingua mea, attamen tu cognouisti omnia quæ cogito, omnes cogitationes cordis mei. Cui consonat parap. Chal. quæ sic habet, Et
B cum non est verbũ in lingua mea, ecce Deus tu nosti cogitationes cordis mei oẽs. Deinde pro eo ꝙ nos habemus, Nouissima & antiqua tu formasti me, ex Hebræo lõge à vulgata lectione diuersa sententia legimus, Retro & ante formasti me: id est, posteriora & anteriora mea: hoc est, totũ me, quãtus quantus sum. Ita enim vulgo vbi significare volumus nos rẽ exacte perspexisse & probe cognoscere, dicimus nos rẽ eiusmodi ante & retro perspexisse. i. quæcunq; sunt in re eiusmodi. ¶ Versu 8. Si sumpsero pẽnas meas diluculo &c. Felix, Assumã pennas auroræ. Quod simpliciter intelligi potest, Si assumpsero pennas ad volandũ admodũ diluculo in aurora iuxta sententiã vulgatę lectionis. Aliqui cõ parationẽ putant fieri à sole in aurora, qui mox vbi oriri cœperit, iactu celerrimo radios lõgissimos proijcit versus Occidentẽ, supra mare, quod ad Occidentem est, quoniã illic mare dicitur occidere, propter quod etiã Poëtæ eum occasum solis volunt significare, ipsum se condere dicunt in Oceano. Vult ergo significare Propheta. Si ita celeriter possem auolare, quomodo celerrime sol in aurora oriens, spargit versus Occidentẽ longissimos radios, sicq; in vltimis maris, in vltimo Occidentis facerem mihi habitationẽ, etiam illic te inuenirem, & tu me illic regeres atq; custodires. ¶ Versu 9. Etenim illuc manus tua deducet me. Potest intelligi illuc, ad illum locũ, ad hoc extremũ maris deducet me manus tua, sine cuius ductu impossibile me foret illuc pertingere. Vel sic, Manus tua illuc me deducet, illuc mihi dux erit & conseruatrix: vt quod sequitur, Et tenebit me dextera tua, præcedens explicet. Cui consonat quod vertit Felix, etiã illuc manus tua diriget me, vel manu tua diriges me. ¶ Versu 13.
C Confitebor tibi, quoniã terribiliter magnificatus es. Hiero. Confitebor tibi, quoniã terribiliter magnificasti me. Felix, Confitebor tibi, quoniam terribiliter & mirifice formatus sum: vel ita, Quoniam terribilibus segregatus sum: id est, terribilibus operationibus segregatus sum, & formatus sum à te, vel occulte effectus sum à te. In eo autẽ quod sequitur, Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis, quidã vltimo loco positum aduerbium nimis, iungunt cũ nomine mirabilia, ad hunc modum, Opera tua sunt nimis mirabilia, & anima mea cognoscet, vel contẽplabitur ea. Cuius simile diximus in versum primum Psal. 45. Deus refugium nostrum & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Diximus enim, nimis, cõstrui cum adiutor, hoc sensu, valde adiutor. i. adiutor potens Psal. 45.
ac validus. ¶ Versu 14. Non est occultatũ os meum à te, quod feci in occulto. Hiero. Non sunt occulta ossa mea, à te, quibus factus sum in occulto, id est, quibus formatus sum in abscõdito materni vteri, vel in occulto, in operimento carnis & pellis. Felix, Non est occultatũ os meum à te, quoniã factus sum in occulto: hoc est, quãuis in occulto factus sum in secreto materni vteri, attamen ossa mea non sunt tibi incognita. Quidã os pro fortitudine accipiunt, quæ est in ossibus maxima, in hunc sensum, Non erat tibi occultata fortitudo mea, cũ essem in abscõdito, quasi dicat, tu nosti, quàm fuerim nullius virtutis, cũ in vtero materno tuis manibus primũ formari inciperẽ. ¶ Versu eodem. Et substãtia mea in inferioribus terræ. Dictio quæ hîc in Hebræo ponitur pro substatia à verbo rakã descẽdit ꝙ
D (teste Reuchlinio) significat acu pinxit, imaginibus intexuit, polymitauit, & (si dicere liceret) texipin xit. hinc illud quod Hiero. hoc loco vertit, Imaginatus sum in nouissimis terrę, idẽ putat esse, ꝙ contextus sum in inferioribus terræ. i. in matrice. Valet enim imaginatus sum, actiue dicã, secundum varias imagines & varios colores pulchra diuersitate artificiose factus sum, qũo pannus lineus pulchre solet acu pingi, aut quomodo aulea atq; tapeta (quæ vocãt) diuersarũ imaginum & diuersorum colorũ varietate solent artificiole cõtexi. Significatur hoc loquendi schemate, inexplicabile imò incõprehẽsibile artificium, quo hominis corpus tã pulchra varietate, tã mirabiliter cõponitur ex tã diuersarum rationũ membris: quemadmodũ vestis phrygianica ex nimiũ diuersis coloribus aptissime tamen distributis artificiose cõtexitur. Hinc quida verterũt, Ingeniosissime cõtextus sum: alij, acu pictus sum: alij, phrygianicis imaginibus formatus sum vel cõtextus. Ad idem hoc verbũ spectat dictio illa quæ Psal. 44.
in Psal. est 44. pro varietatibus cũ dicitur de sponsa, ꝙ sit circũamicta varietatibus, de quo sua loco dictũ inuenies. ¶ Versu 15. Imperfectum meũ viderunt oculi tui. In Hebræo est galmi, quod significat rudẽ fœtum meũ, quod vulgo solẽt naturales embrionẽ appellare, cũ videlicet nondũ fœtus in materno vtero omnibus suis mẽbris, & forma vltima fuerit ablolutus, sed impolitus adhuc est teporis successu per virtutem generatiuã perficiendus. De hoc dictum est plenius in annotationibus prioribus. Quod autem sequitur, & in libro tuo omnes scribentur, Felix vertit per genus neutrũ, hoc modo, Et

in libro tuo omnia illa scribentur, quod exponunt de mẽbris corporis, hoc modo. Omnia illa mem- E
Lucæ.12. bra corporis in libro tuo scribentur, omnia illa mẽbra quibus informe illud corpus perficis, scriben
tur in libro tuo, ita vt (iuxta domini verbum) etiam capilli capitis omnes numerentur, nec possit vel
vnus ex eis perire. Atque in hunc sensum quod cõtinuò sequitur, Dies formabuntur, & nemo in eis,
ita verti potest, Per dies formabuntur, & nullũ ex eis: hoc, est formabuntur mẽbra illa temporis suc-
cessu, & non erat vnũm ex eis tunc temporis cum adhuc essem informis massa in matris vtero. Iuxta
quã ferè sententiam, quidam Paraphrastes sic vertit, Cum informis essem fœtus, videbas me: cuncta
mẽbra, quæ per dies formata sunt, velut in libro habebas descripta, cũ adhuc ne vnũ quidem extaret.
Hiero. verò, quantũ ad partem priorem vertit, vt habet nostra lectio, In libro tuo omnes scribentur.
Quod autẽ sequitur, Dies formabũtur, & nemo in eis, ita reddidit, Dies formati sunt, & nõ est vna in
eis, Cuius lectionis sententia in annotationibus prioribus assignata est. Alij verò sic exponunt, Dies
formabuntur, & dabuntur nobis, quibus viuemus super terram, & non vna in eis supple assignata est
ad nostrum arbitrium, sed statuta vitæ periodus à Deo peragi debet, & non potest præteriri. ¶ Versu
16. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, &c. Hierony. Mihi autem quàm honorabiles
facti sunt amici tui Deus, quàm fortes pauperes eorum: hoc est, Quàm sunt validi, constantes, & ro-
busti, ad perferendum omnia, verum illi pauperes spiritu inter amicos Dei. Quàm enim fortis erat
ille ex amicis Dei pauper, qui cum nihil haberet, confidenter iactabat omnia se possidere: & multos F
Philip. 4. locupletare, qui cum in penuria viueret, clamabat omnia se habere, & abundare, omnia quoque pos-
Rom. 5. se in eo qui ipsum cõfortabat, qui etiã in tribulationibus gaudebat, & pro infirmitatibus suis liben-
2. Cor. 12. ter gloriabatur, qui clamabat, neque morte, neque vita, neque vlla omnino creatura se posse sepera-
Rom. 8. rì à charitate Dei, & alia huiusmodi per multa magnæ fortitudinis testimonia. Quantũ verò ad prio-
rem partem, potest ex Hebræo etiam sic verti, Mihi autem quàm fuerunt preciosæ cogitationes tuæ
Deus. Nam dictio, Hebraica hìc posita reim, ambigua est, ad significandum cogitationes vel amicos:
propter quod, in versu secundo præsentis Psalmi vbi eadem dictio ponitur, diximus verti posse, In-
tellexisti cogitationem meã, vel amicum meum. Huius autẽ lectionis sensus erit, O Deus, cogitatio-
nes tuæ istæ quibus tu sic cogitas, & sic agis cum genere hominũ, quàm sunt preciosæ, quã sunt stu-
pendæ, quãtisque laudibus dignæ celebrari? Priori tamen versioni aperte fauet Chal. Paraph. quæ sic
habet, Mihi autẽ quàm honorabiles sunt qui amant te iusti, Deus: & quàm validi sunt principes eorũ?
Et quod sequitur, aliter quoque quàm Hieronymus vertit, legi potest. Nam Felicis versio sic habet,
Quàm multiplicati sunt principes eorum, nempe amicorũ Dei: vel, Quàm cõfortati sunt: id est, quàm
fortes facti sunt. Vel sic, Quàm corroborata sunt capita eorum. Quæ lectio secundum sententiam
satis cum Hieronymiana conuenit. Nam principes isti multiplicati, vel capita confortata amicorum
Psal. 44. Dei, sunt fortes illi pauperes quos constituit Deus super omnem terrã, & quos tanquam fortes Deus
Psal. 40. vehementer eleuauit, vt in alijs Psalmis scribitur. Quidam vertunt summas pro principibus vel capi- G
tibus, in hunc modum, Quàm prævaluerunt, vel quàm ingentes factæ sunt summæ earũ, nempe cogi-
tationum, vt (quomodo sequitur) dinumerare non possint. Aut, Quàm multæ summæ eorum, nem-
pe amicorũ Dei. i. quantæ multitudines eorum, vt dinumerare nõ possint. Nam lectio Hebraica am-
bigua est, licetque vertere per genus masculinũ siue fœmineum, vti videbitur cõmodius. Quidam par
tem posteriorem sic vertunt, Quàm difficilis est cõputatio earum cogitationũ, vel eorum amicorum
ob nimiã multitudinẽ. Diuersitas omnis ex hoc procedit q̃ dictio Hebraica hoc in loco posita rosſ,
per aleph in medio, plura significat. Proprie enim caput significat, transumptiuè cacumen cuiuslibet
rei, principem, vel summum, vel primum & supremũ. Inde summi principes & capitanei denominã-
Exod. 30. tur. Inuenitur etiam & summã significare, vt Exod. 30. Cum acceperis summã filiorum Israël. Atque
ex hac vocis ambiguitate procedit translationũ suprà posita diuersitas. ¶ Versu 17. Exurrexi, & adhuc
sum tecũ. De resurrectione futura post mortem hoc exponit Paraph. Chal. quę sic habet, Resurgã in
mundo venturo, & adhuc sum tecũ. ¶ Versu 19. Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate ciui-
tates suas. Longe aliter est in Hebræo: Hiero. quidem sic vertit, Quia cõtradicent tibi sceleratè, eleuati
sunt frustrà aduersarij tui. hoc est, inimici tui in scelere & impietate sua contradicent regnabuntq̃
tibi, & erunt inobedientes: ipsũ frustrà eleuati sunt, absque vtilitate præpositi sunt alijs: quod tamen
non rarò contingere solet, vt mali præsint bonis. Secundum quã expositionem hæc lectio facile po- H
terit cum nostra vulgata cõcordari, id quod conferenti facile fiet manifestũ. Potest & aliter intelligi
hæc Hiero. versio: frustrà & vanè contra te eleuati sunt per superbiã vt tibi contradicant, cum nullam
habeat causam sese contra te eleuandi, imò omnem potius causam habeat sese humiliandi sub manu
tua, tibiq̃ humiliter obediẽdi. Vel frustrà eleuati sunt cõtra te & amicos tuos, quia prævalere non
poterunt, neque tibi, neque tuis amicis: quoniã postquam corpus occiderint, nõ habẽt quid faciant.
Lucæ.12. Ponit Felix & alias plures versiones, in textu tamen nõ ponens nisi quod vertit Hiero. Quantum autẽ
ad secundã partẽ, dicit recte verti posse vt habet nostra lectio, Accipiant inuanũ ciuitates tuas. ¶ Ver-
su vlt. Et vide, si via iniquitatis in me est. Hiero. pro via iniquitatis vertit, viã doli, Felix viam afflictio-
nis vel cõtristationis vel contristantem. i. efficientẽ dolorem vel afflictionem. Hæc autẽ est via impie-
tatis, quæ perducit ad dolorem æternũ. Verti etiam potest, rebellionis vel inobedientiæ. Nomẽ enim
q̃ in Hebræo ponitur, venit à verbo atzab, quod significat sollicitauit, cõtendit, contristauit, afflixit,
irritauit, rebellauit, ad iracundiam prouocauit, perturbauit, ærumnis affecit. Vnde nomen hoc loco
positum, significat contentionem, contristationem, afflictionem, rebellionem, irritationem, pertur-
bationem, & huiusmodi. Quod autem in secunda parte dicitur, Deduc me in via æterna, Hiero-
nymus ita legit nobiscum. Felix verò, Deduc me per viam sæculi, quod potest intelligi per viam

huius

A huius mundi, vel sic per viam rectorũ: id est, iustorum qui sunt in hoc mundo: quemadmodum habet
Paraph. Chal. In via rectorum mundi. Potest & sic verti, Deduc me per viã in æternum. Quidã hanc
orationem accipiunt per modum sibi imprecantis malum, vt deduci in viã sęculi vel mundi sit inter-
fici, & ire viam mundi sit mori: quẽadmodum ire viã vniuersæ carnis, appellamus mori. Et iuxta hanc
expositionẽ sic intelligunt. Vide, si in me est via iniquitatis, quod si inueneris, interfice me. Non enim
sum mihi doli conscius. Verũ huic sensui obstitit addita coniunctio (&) ante deduc, quę imprecationẽ
talem non bene patitur.

IN PSALMVM CXXXIX.

VErsu 5. Qui cogitauerunt supplantare gressus meos. Felix ait verti posse, Qui cogitauerũt pro-
pellere plantas meas: quod eundẽ sensum habet, cogitauerunt impellere pedes meos vel plantas
meas ad lapsum. ¶ Versu 6. Iuxta iter scandalũ posuerunt mihi. Hiero. Iuxta semitã offendiculum po
suerunt mihi. Felix, Iuxta semitã tendiculas vel offendicula posuerunt mihi. Sensum eundẽ cum no-
stra lectione explicant. ¶ Versu 8. Obumbrasti super caput meũ in die belli. Clarius Hiero. Protexisti
caput meum in die belli. Verti etiam potest ad verbum, in die armorum: hoc est, in die quando erant
sumenda arma, quod proculdubio est in die belli & oppugnationis: cum videlicet te oppugnauerint
tui aduersarij. Hoc autẽ tempus belli, quanquam generaliter loquendo totum sit tẽpus vitę huius (iux
B ta dictum beati Iob, Militia est vita hominis super terram) specialiter tamen quædam sunt belli tẽpo- Iob. 17.
ra, quando plus solito diuina permissione oppugnamur: quo tẽpore solet nobis Deus super caput o-
bumbrare, qui est adiutor in opportunitatibus. ¶ Versu. 9. Ne tradas me domine à desiderio meo pec-
catori, cogitauerunt cõtra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur. In elucidatione indicauimus, Psal. 9.
hìc poni loco cõtra vel prẽter & cõtra desiderium meum. Totum autẽ hunc versum sic vertit Hiero.
Ne des domine desideria impij, scelera eius ne effundantur, & eleuẽtur. Cuius lectionis hic est sensus,
Non cõcedas, non sinas impleri desideria impiorum videlicet scelera eorum, & impias cogitationes,
quas cogitauerant cõtra bonos, ne ipsi effundantur lætitia, & exaltentur atque glorientur, si eos præ-
ualere, cõtigerit. Felix aliquanto clarius sic vertit, Ne perficias domine desideria impij, cogitationem
eius ne consummes, exaltabuntur: id est, alioqui exaltabuntur, si tu illorum desideria & cogitationes
cõsummares ipsi eleuarentur superbe. Dicit etiam sic posse verti, Capistrum eius (impij) ne abstrahas
vel auferas vel educas. Quod secundum similitudinẽ bestiarum debet intelligi, quorũ ora ne noceãt,
obstruuntur capistris, Nam ita etiam dominus Deus dum impios dæmones & homines cœrcet, ne
omnẽ malitiam quam vellent exercere possint in pios, quasi capistro os illis obstruit, obuoluit, atque
concludit vt modere. i. nocere nõ valeant. Iustus ergo feritatem impiorũ, si relaxarentur metuens, hoc
ab eo postulat, vt non abstrahat Deus capistrũ impij, sed capistratum illũ relinquat, vt nõ possit præ-
C ualere. ¶ Versu 10. Caput circuitus eorum labor labiorũ ipsorum operiet eos. Hiero. Amaritudo con
uiuiorũ, labor labiorum eorum operiet eos. Quod ita potest exponi, Praua doctrina & dogmatum
peruersorum adinuentio, quã bonis impij proponunt, quasi cõuiuia splendida, sed quouis felle & ab-
synthio amariora, nempe labor labiorũ ipsorum, videlicet dogmata peruersa, in quibus disseminadis
laborant, & quæ per labia sua proloquuntur, operiet eos cõfusione æterna. Felix aliter vertit, Princi-
pem circundantium me, afflictio labiorum eius operiet illum: id est, eum qui est caput & princeps, &
quasi dux inimicorũ meorũ, hac vnà cũ suis opprimet labor labiorũ ipsius, hic ex verbis suis dolosis
damnationẽ recipiet. Ad quam sententiam reduci posset lectio nostra vulgata, si caput acciperemus
in casu accusatiuo, pro principe vel præcipuo, ipsum verò circuitum pro multitudine impiorum cir-
cundantium. Esset enim hic sensus, Ipsum qui est caput & princeps inter eos qui nunc ad nocendum
me circuieunt, hunc vnà cum suis operiet labor labiorum ipsorũ. ¶ Versu 11. Cadent super eos carbo-
nes, in ignẽ deijcies eos, in miserijs nõ subsistent. Quidam aliter hũc versum distinguunt, hoc modo,
Cadent super eos carbones in ignẽ: id est, carbones ignis vel igniti, deijcies eos in miserijs: ac deinde,
non subsistent: id est, nõ stabunt cũ beatis, non resurgent ad gloriam, sed tollentur ne videant gloriam
Dei, & proijcientur in tenebras exteriores. Vtraque distinctio bonam habet intelligentiam. Hieron.
verò ex Hebræo sic vertit, Cadent super eos carbones ignis, deijcies eos in foueas, vt non cõsurgat. i.
vt nunquã inde queãt exurgere, vt nunquã possint inde emergere. Chal. autem Parap. nostrã lectio-
D nem pulchre explicat, his verbis, Cadent super illos carbones de cælo, in ignem & in gehennã præci-
pitabis eos, & in foueas illaqueationis, vt non resurgant ad vitam æternam. ¶ Versu 12. Virum iniu-
stum mala capient in interitu. In Græco est verbũ θηρεύσει quod significat venari: propter quod, hic est
sensus, Virum iniquum mala venabuntur, vel quasi venatione capiẽt in interitu, vel mala venationem
instituent contra impium, aut sicut venando persequentur impium ad interitum, videlicet eum iugi-
ter insequendo & impellendo, donec detrudant in interitum ignis æterni. Et eadem hæc sententia in
Hebræo indicatur. Vnde Chald. Paraph. hanc venationem sic exprimit, Virum prauum & malignum
venabitur angelus mortis, & detruder in gehennam.

IN PSALMVM CXL.

VErsu 2. Dirigatur oratio mea, &c. Pulchre hunc locum explanat lectio Chaldęæ Para. Dirigatur
dñe oratio mea sicut suffimentũ aromaticũ corã te, eleuatio manuũ mearum in oratione sicut
munus suaue vel oblatio suauis, quæ offertur in vespere. ¶ Vers. 3. Pone dñe custodiã ori meo, & ostiũ
circunstãtiæ labijs meis. Felix, Pone domine custodiã ori meo, custodia super ostium labiorũ meorũ:
quod eandem cum nostra lectione sententiam habet. Idem enim est poni labijs ostium circunstãtiæ,
quod poni custodiam super ostium labiorum. Vtrunque nõ aliud significat quàm linguæ refrenatio-

nem,

nem,& labiorum custodiam,vt nihil eloquatur lingua,nihil egrediatur labia,quod nō deceat egredi E
per os iusti.Verti etiam potest,Pone custodiam super eleuationē labiorum meorū, quod simpliciter
in sententiam iam expositā potest accipi,Pone custodiā super apertione labiorum:vel vt significetur
custodia super exaltatione labiorum:hoc est præseruatio à verbis superbiæ, Tunc enim modo quo-
dā eleuantur labia cum superba loquuntur.B. autem Hiero.neq; ostium vertit neque eleuationē, sed
paupertatē.Serua(inquit)paupertatem labiorū meorum:hoc est,custodi labia mea in paucitate & ra-
ritate sermonis,vt non sint ad effutiendum quælibet nimium facilia.Nam in multiloquio(vt sapiens
Iacobi.1. ait)non deest peccatum.Et Iacobus apost.docet,tardos debere nos esse ad loquendū,sicut & ad iras-
cendum.Prouenit autē diuersitas ista ex æquiuocatione nominis Hebraici dal,quod si accipiatur pro
deleth per sex puncta,vt per apocopē vltima assumpta litera , & punctis sex in vnum patha commu-
tatis,significat ostium,vt vertit Felix.Si autem dal accipiatur vt descendens à verbo dalatla,quod sig-
nificat eleuauit,sustulit,eleuationē significat.Significat eadem dictio dal,hominē pauperem,miserū,
inopem,tenuem,& quasi exhaustum:quā significationem insequutus est Hieron. ¶Versu 4. Non de-
clines cor meum in verba malitiæ,ad excusandas excusationes in peccatis,Cum hominibus operan-
tibus iniquitatem,& non cōmunicabo cum electis eorum.Hieron.Non declines cor meū in verbum
malum,voluere cogitationes impias cum viris operantibus,neque comedere in delicijs eorum.Quæ
lectio per se facilem habet intelligentiam . Comedere autem in delicijs impiorum, intelligimus frui F
eisdē quibus impij voluptatibus. ¶Versu.6.Oleum autē peccatoris nō impinguet caput meum.Hiero
nymus pro oleo peccatoris,vertit oleum amaritudinis,Oleū(inquit)amaritudinis non impinguet ca-
put meum.Idem autem est quod ille,oleum amaritudinis,& nostra lectio oleum peccatoris appellat.
Blanda enim adulatio,qua peccatores solent(potissimū principibus atq; magnatibus)adblandiri,ve
ræ amaritudinis oleū est,quouis felle amarius,& quouis peius toxico,quo subuertūtur corda homi-
num.Felix autem totū hunc versum longe aliter vertit,in hunc modū,Percutiet me iustus misericor
dia,& redarguet me,oleū capitis non prohibebit caput meū. Quod sic intelligitur, Si me percusserit
iustus,erit hoc mihi benignitas,erit beneficium,erit misericordia talis percussio qua verberat chari-
tas:& si me redarguerit,erit hoc mihi oleū capitis,quasi oleum boni odoris super caput : ita scilicet
me refocillabit,& vires mihi restaurabit,atque ideo caput meum non prohibebit tale oleum,ob hoc
quia tā vtile est corripi à iusto,nolo fugere corruptionē iustorum, nolo caput subtrahere, sed liben-
ter volo suscipere.Pro oleo autē capitis,verti potest oleum primū,præcipuum,excellens,vel eximiū:
& significabitur correptio viri iusti esse quasi vnguentū preciosissimum. Causa autē huius diuersita-
tis,vt Hiero.vertat oleum amaritudinis,Felix oleum capitis:alius,oleum primum,ex æquiuocatione
est dictionis Hebraicæ rosh,per aleph in medio,Significat enim caput,vnde trāssumitur ad significan-
dum primum,summum,prēcipuum,eximium. Est & aliud eius significatum,vel,amaritudo,toxicum G
quā sequitur Hiero.Idem & in Psalmi præcedentis versu 10.vsuuenit,vbi nos habemus caput circui-
tus,nā Felix principem vel præcipuum vertit.Hiero.amaritudinē, vt suprà ostendimus.Pro illo quo-
que,Non impinguet caput meū,quod habet cū nostra lectione Hiero.& quod Felix vertit,Non pro-
hibebit caput meum:verti etiā potest,Non franget vel conteret caput meum:estque sensus, Oleum
illud correptionis iusti non mihi caput cōteret,non malum erit mihi aut insalubre, imò potius con-
fortabit,& reparabit mihi vires.¶Versu 7.Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. Id ex Hebræo
vertit ferè iuxta modum nostræ lectionis Hieron.Sublati sunt iuxta petram iudices eorum. Felix au-
tem in textu sic habet,Distrahantur super acumina lapidum iudices eorū. Quibus verbis quidā per
figurā dicunt optari,vt principes errorū super loca saxosa distrahantur,& quasi scindantur acutis pe
tris:id est,crudeli supplicio intereant,vt illis iusto supplicio peremptis,simpliciores quos illi in sedu-
ctione tenebant,verba veritatis audiant,quę sunt potentia.Quam sententiam clarius alij sic exprimūt,
Præcipitentur in locis petræ,vel in locis saxosis:id est,in rupibus principes eorū.¶Versu vltimo. Ca
dent in retiaculo eius peccatores; singulariter sum ego,donec transeā.Secus in Hebræo legitur.Nam
Hieronymus sic vertit,Incident in rete eius(nempe diaboli,qui est malorum caput:vel in rete impie-
tatis)impij simul:id est,impiorum vniuersitas,vt nec vnus rete illud mortis effugiat : ac deinde sepa-
ratim adijcit,Ego autem transibo:id est,ego euadā rete illud impiorū,trāsibo de vita hac mortali ad H
Psal.123. vitam nunquā intermorituram:quemadmodū in alio Psalmo dicitur,anima nostra sicut passer erep-
ta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est,& nos liberati sumus. Felix aliquanto obscurius,
sed in eandem penitus sententiam,sicut legit,Cadent in retia eius impij simul,donec ego transeā.Vel
sic,Ego in æternū transibo,vel ego donec transeam.Quidam verò dictionem iachad (quæ significat
simul)iungunt cum sequentibus,& alteràm dictionem ad petram,quæ significat vsque vel donec,ac-
cipiunt pro semper: quemadmodum non est inconsuetum vsque pro semper accipere : vertuntque
in hunc modum,Cadent in rete eius peccatores:ac deinde,Simul ego vsque transibo:id est,perpetuò
effugiam illa scilicet peccatorum retia.Chald.paraphra.sic habet , Singularis sum ego donec tempus
transeat.

IN PSALMVM CXLI.

VErsu 5.Considerabā ad dexterā,& videbā,& non erat qui cognosceret me.Hier.& Felix per im
peratiuū vertūt,hoc modo,Respice ad dexterā,& vide,quia nō sit qui cognoscat me.Vbi domi
no proponit suā derelictionem:quasi dicat,Et tu vides,q̄ præter te nemo adsit mihi in auxiliū,neque
(vt in sequēti versu dicitur)vt patet mihi fuga,vt fugiendo me saluē:propter quod,ad te solum me po
tentē liberare clamo pro auxilio.¶Versu 10.Educ de custodia animam meā.Quod in Hebræo poni-
tur vocabulū pro custodia,descēdit à verbo sagar,quod significat clausit. Vnde nomen illud clausu-
ram

A rā significat,vel carcerem aut locum custodię in quo quis concluditur quasi in carcere.Vnde Hiero.
vertit,De carcere:& Felix,De carcere vel de clauso.Vltima autē particula,Me expectant iusti,donec
retribuas mihi,varie trāsfertur.Hier.sic vertit, In me coronabuntur iusti,cū retribueris mihi.Quod
facilē habet intelligentiā cū de Christo exponitur.In Christo enim tāquā in authore,& primaria cau-
sa salutis omniū,iusti coronati sunt,suā acceperunt gloriā & claritatem: per illius passionē mortē &
resurrectionē consecuti sunt ipsi coronā suæ gloriæ,quā præstolabantur,ad quam sine eo pertingere
nō poterant,donec suam retributionē ipse accepisset:id est,donec post passionē resurrexisset à mor-
tuis,intrasletque in patris gloriā. Si verò ad vnum quemlibet iustum referatur, ita debebit intelligi,
Quum retribueris mihi:id est,cum bene feceris mihi,me videlicet educendo de carcere angustię,tūc
in me coronabuntur iusti:id est,in modū coronæ congregabuntur circum me,quasi congratulantes
mihi,& exultātes de mea liberatione,quemadmodum fieri solet erga huiusmodi qui de magnis eua-
serunt periculis.Quam sententiā apertius habet versio Felicis,Me circundabunt iusti,cū retribueris
mihi.vel in me facient coronas iusti:quod alij vertunt,Circūcingent me iusti,eo q̄ benefeceris mihi,
Consentit & quod habet parap.Chal.Ob gratiam mei facient tibi coronā laudis iusti,quoniam red-
des retributionem bonam super me.

IN PSALMVM CXLII.

B VErsu 4.Anxiatus est super me spiritus meus. Hieron.Anxius fuit in me spiritus meus,in medio
mei sollicitū fuit cor meū.Felix,Mœrore affectus est in me spiritus meus, vel inuolutus est,siue
opertus est anxietate:ac deinde.Intra me desolatum vel obstupefactū est cor meū. Idem hæc omnia
sonāt quod vulgata nostra lectio.Videtur autē illud quod habet nostra lectio super me, accipiendū
pro in me:quanquā & aliter accipi potest,vt valeat,de me,vel pro me:vt sit sensus,Anxius fuit de me,
vel pro me spiritus meus,videlicet ne ab inimicis cōprehenderer,& in mortem abducerer.¶Versu 6.
Anima mea sicut terra sine aqua tibi.In Græco est γῆ ἄνυδρός.i.terra inaquosa,vt verti solet. Intelligi-
tur terra siticulosa,destituta humore.Vnde Hiero.Anima mea sicut terra sitiens ad te.Alij,terrā tor-
ridā vel lassam,nimia scilicet destitutione humectantis aquæ,legunt.Omnia in eundem sensum con-
currūt.¶Versu 11.Domine ad te confugi.Loco verbi confugi, in Hebræo ponitur Kissath per sameh
daggesatū,quod significat occultauit,cælauit,absconditi,operuit,texit,& similia.Hiero.vertit,Domi-
ne à te protectus sum.Felix,ad te abscōdi,cælaui.i.te posui pro operimento meo vel pro redēptione
mea,vel ad te clamaui in occulto vel in te,siue apud te cælaui vel abscōdi,supple omnia mea.Alij ver-
tunt,ad te vel apud te latui,apud te me abscōdi.Alij,ad te occulte cōfugi.Chal.Parap. habet,Verbū
tuum constitui redemptionē meam.Hæc ferè omnia nostra lectio maiori claritate complectitur,di-
cens,Domine ad te cōfugi,vt scilicet apud te absconderer ab hostibus meis.

IN PSALMVM CXLIII.

C VErsu 3. Qui subdit populum meū sub me.Hiero. Qui subiecit populos mihi:Felix,Qui prote-
git populum meū sub me:vel,Qui dilatat,ampliat,vel qui extēdit populos suos sub me,vel qui
cōprimit populos sub ipso.¶Versu 4.domine,quid est homo quia innotuisti ei?Hierony. Domine,
quid est homo quia agnoscis eum?Similiter vertit Felix,& eadem pene sententia est. ¶Versu 7.Ful-
gura coruscationē.Hieron.Mica fulmen:Felix,Emitte fulgur:alij?Fulminatione fulmina,vel eiacula-
re fulmina.¶Versu 14.Filiæ eorum cōpositæ,circūornatæ vt similitudo templi. Hieron.Filiæ nostræ
quasi anguli ornati ad similitudinē templi.Felix,Feliæ nostræ velut anguli tessellati,aut secti,vel do-
lati ad similitudinē templi. Quod sic exponit,Sicut anguli qui videntur ita bene cōpositi & ornati vt
præ magnitudine sectionis & ornamenti aliquid pulcherrimum ostendere videantur,admodum cir-
cumornatę sunt.Clarius verti posset,Sicut anguli ædium admodum expoliti.In angulis enim summa
cura prospicitur,vt bona sit cōpositio,& nullus appareat hiatus,neque sit deformis cōiunctio. ¶Ver
su 15.Promptuaria eorū plena,eructantia ex hoc in illud.Hierony.Promptuaria nostra plena,& super-
fundentia ex hoc in illud.Felix,Anguli nostri(id est anguli domus nostræ vel promptuaria) pleni,su-
pereffundentes de specie in speciem.i. adeò sunt abundantes,vt copiosę præbeant,& quasi effundant
diuersas species ciborum atque omnium rerum necessariarum.Vel sic,Super effundentes de tempo-
re in tempus.i.cum nouæ fruges superuenerint plenæ erunt domus,siue cellaria frugibus anni præte-
D riti.¶Versu 16.Oues eorum fœtosæ abundātes in egressibus suis.Hierony.Pecora nostra in milibus.
& innumerabilia in compitis nostris.Felix,Oues nostrę milia producentes,& centenaria milia gene-
rantes in vicis nostris.Ex Hebræo ad verbum sic posset transferri,Pecora nostra millificantia & my-
riadificantia.i.facientia milia & myriades siue centum milia. Pulchrę autem istud nostra translatio
simpliciter explicat,dicens,Oues eorū fœtosæ.In eo autem quod sequitur,Boues eorū crassæ,potest
crassities intelligi pinguedo.Vnde Hierony.vertit,Tauri nostri pingues,vel grossities membrorū ad
declarationē roboris.In quam sententiā vertit Felix,Boues nostri fortes,portantes onus. ¶Versu 17.
Non est ruina maceriæ neque transitus.Hierony. Non est interruptio,& non est egressus,& non est
vlulatus in plateis nostris.Cuius potest esse sensus,Nihil confringitur nobis,nihil egreditur,nihil fu-
gitnihil deperit nobis,sed permanent salua & illæsa omnia nostra.Felix autē sic habet,Non est con-
fractio,& non est faciens abortiuū:id est,nihil nobis cōfringitur, neque abortiuos fœtus pariunt pe-
cora nostra.Alij,interruptionē illam vel confractionem intelligunt hostium impetuosam atque vio-
lentam interruptionem,siue perruptionem per muros,& per egressum intelligunt emigrationem vel
abductionem in captiuitatē:quasi dicant,Nos securè agimus,non lacessimur ab hostibus,non perrū-
punt in fines nostros,neq; captiuus vllus abducitur, in medio terræ habitamus pacifici,nemo nobis
nocere tentat,adeò vt nec clamor vllus tumultuosus aut seditiosus audiatur in plateis nostris.

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN PSALMVM CXLIIII.

E

VErsu.5. Et magnitudinis eius nō est finis. Notādum q; dictio quæ in Hebræo ponitur pro fine, fit à verbo chakar, quod significat probauit, expertus est, exquisiuit, inuestigauit, explorauit. Vnde hoc loco verti potest, Magnitudinis eius nō est exploratio, persequutio, inuestigatio, probatio, vel inuētio, vt vertit Hiero. Quid autē aliud est, Magnitudinis eius nō est finis? ¶Versu 4. Generatio & generatio laudabit opera tua. Hiero. Generatio ad generationē laudabit opera tua. Felix, Generatio generationi laudabit, &c. Hoc est, vna alteri laudando prædicabit, sicq; in omnibus generationibus laudabūtur opera tua, qui est sensus nostræ lectionis. ¶Versu 15. Alleuat dominus oēs qui corruūt, & erigit omnes elisos. Hiero. Sustentat dominus omnes corruentes, & erigit omnes iacentes. Similiter fere vertit Felix, & est eadē cum nostra lectione sententia. ¶Versu 17. Imples omne animal benedictione.
Psal.103. Hiero. Imples omne animal refectione. Quod enim nostra lectio benedictionē, ipse ex Hebræo refectionē appellat. Nomina quidem diuersa, res autē eadē est. Nostra enim refectio, Dei benedictio vel bonitas est: Id est ex Dei benedictione & liberali bonitate procedens. Felix dicit verti etiā posse. Imples omne animal benigna voluntate, quod idē est eū eo quod in Psal.103. dicitur, Omnia implebuntur bonitate. Nam refectio corporis nostri ex Dei bona voluntate (vt iam dictū est) procedit, Potest enim cū vult claudere manum, & auertere faciem, ita vt cibi defectu pereant viuentia. Quidam etiam sic vertunt, Satias vel imples omnium animalium voluntatem; Vel, Satias omnia animalia iuxta desiderium: hoc est, Vnicuique secundum quod desiderat, pabulum conueniens & sufficiens præbes. F

IN PSALMVM CXLV.

Psal. 3. VErsu 2. In filijs hominū, in quibus nō est salus. In Hebræo est numerus singularis, In filio hominis, cui nō est salus, vel quoniā non est ipsi salus, vel cuius nō est salus: hoc est, cui nō conuenit vel cuius non est, ad quē non spectat, saluare: quemadmodum Psal. 3. dicitur, Domini est salus vel domino est salus: hoc est, Dei est saluare, salutē præstare Deo cōpetit. Totus quoque versus sequens tertius per numerū singularem in Hebræo legitur, hoc modo, Exibit spiritus eius, & reuertetur in humum suam, in illa die peribunt cogitationes eius. ¶Versu 7. Dominus erigit elisos. Hieronymus vertit allisos. Felix: collapsos vel recuruos vel collisos.

IN PSALMVM CXLVI.

VErsu 1. Laudate dominū, quoniā bonus est psalmus. Deo nostro sit iucunda decoraq; laudatio. Secus aliquādo in Hebræo legitur. Hiero. sic vertit, Laudate dominum, quoniā bonum est canticum Dei nostri, quoniā decorum est pulchra laudatio. Felix, Laudate dominum quoniam bonum est psallere Deo nostro, quoniā iucundum, decora est laus, aut formosa siue decens. ¶Versu 2. Dispersiones Israëlis cōgregabit. Hiero. vertit eiectos Israël. Felix similiter, vel propulsos: hoc est, exules, & à propria patria extorres, à patrijs translatos sedibus in captiuitatē, qui ijdē in lectione vulgata vocantur dispersio Israëlis: id est dispersi ex Israël. ¶Versu 3. Et alligat contritiones eorū. Ita nobiscū vertit G
Hiero. Felix autem, Et lenit dolores illorū, vel emplastris illinit aut obligat (vt solēt facere chirurgi) vulnera eorū. ¶Versu 4. Omnibus eis nomina vocat. Hiero. Omnes nomine suo vocat. In eandem sententiam Felix, Omnes illas nominibus vocabit. Sententia cum nostra lectione satis recte conuenit, & quod habet nostra lectio non minus commode ex Hebræo verti poterat.

IN PSALMVM CXLVII.

NOta, quod Psalmus iste apud Hebræos absq; diuisione cōtinue annectitur præcedēti, vt ex duobus fiat vnus, atq; ita diuersitas numeri, quo à psalmo nono Hebræi in sua cōputatione semper vnitate vna antecedebāt Græcos atque Latinos, iam hic terminatur, vt subsequuturus proxime psalmus tam Hebræis quàm Latinis sit futurus in ordine 148. ¶Versu 2. Quoniam confortauit seras portarum tuarum. Hieronymus pro seris vectes legit, similiter Felix. Sententia eadem est, ciuitatem Dei bene munitā atque firmatam esse, vt nō possit hostis irrumpere. In eo quoq; quod sequitur, Benedixit filijs tuis in te, Hieronymus vertit, in medio tui, & Felix, in meditullio tui, aut in medio tui, vel in visceribus tuis, Omnia idē sonant. Et in versu sequenti, pro plurali in Hebræo est singulare, hoc modo, Qui posuit terminum tuum pacem: id est, Qui terminum tuum vel fines tuos pace donat, vel in pace circundat. In quinto autem versu, pro nebula pruina ponitur, inter quæ non ita multa est diuersitas: quoniā ferè nebula frigida & humida in pruinam resoluitur, quemadmodum nubes aquosa in
pluuiam. ¶Versu. 6. Mittit crystallum suam sicut bucellas. Felix, sicut fragmēta, Et in eo quod sequi- H
tur, ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Hieronymus vertit, stabit: Felix, permanebit. In versu autem septimo, vbi nos habemus, Emittet verbum suum & liquefaciet ea, &c. Hieronymus in eandē vertit sententiam, Mittet verbū suum, & soluet illa, spirabit spiritu suo, & fluent aquę. Et penitus eandem lectionem seruat Felix. Alij verò ita legunt, Mittet verbum suum, & sanabit eos, videlicet à nimio & intolerabili frigore infirmatos: quemadmodum & in alio psalmo dicitur, Misit verbum suū,
Psal.106. & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum: ac deinde, Quiescere faciet vel sedere faciet spiritum suum, & fluent aquæ: hoc est, spiritum suum faciet permanentem accipere habitationem in electis, & fluent aquæ, &c.

IN PSALMVM CXLVIII.

VErsu 3. Laudate eum omnes stellæ, & lumen. In Hebræo non interponitur coniunctio &, sed absque coniunctione dicitur, Omnes stellæ luminis: hoc est, omnes stellæ luminosæ, vel lucentes in firmamento. ¶Versu. 5. Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Prior pars illa, Ipse dixit, & facta sunt, hoc loco non habetur in Hebræo. Videri potest in codicibus Græcis atque Latinis ex psal. 32. huc adducta, vbi ambæ hæ partes secundum eundem hunc ordinem in eodē versu

A versu iunguntur. ¶Versu 8. Ignis, grando, nix glacies, spiritus procellarū. Pro glacie in Hebræo est vapor, aut exhalatio, aut fumus. Dictio nanq; in Hebræo posita, venit à verbo Keter, quod significat suffumigauit, vel euaporauit, vel exhalauit. Vnde dictio illa vaporē vel potius exalationem siccā videtur significare. ¶Versu 13. Confessio eius super cælum & terrā. Hierony. Gloria eius in cælo & in terra: id est, magnificentia eius vbique relucet, videlicet tam in cælo quàm in terra. Felix verò ad sententiam nostræ lectionis vertit, Confessio, decor, laus, vel celebratio eius super cælum & terram.

IN PSALMVM CXLIX.

VErsu 3. Laudent nomē eius in choro. Dictio Hebraica machol, per heth in medio, ambiguæ significationis est. Plerunque enim chorum significat, vt habet nostra lectio: & quomodo tam hic quàm in sequenti psal. vertunt Hieronymus & Felix. Interdum tamen & tibiam inuenitur significare, vnde verti hoc loco etiam posset, Laudent nomen eius in tibia. Neque hoc propositio male conueniret, quandoquidē & alia pòst adijciuntur instrumenta musica, cū subiungitur, In tympano & psalterio psallant ei. Pro psalterio autem, Hieron. & Felix citharam vertunt. ¶Versu 4. Quia beneplacitum est domino in populo suo. Hiero. Quia cōplacet sibi dominus populo suo. Felix, Quia diligit dominus populum suum, vel quoniam vult dominus populum suum. Pro eo autem quod sequitur, Et exal-
B tauit mansuetos in salutem. Hierony. vertit, Exaltabit mansuetos in Iesu, quod inteligi potest in salutari, vel in saluatore Christo. Per illum nanq; erit omnis nostra exaltatio. Felix autem vertit, Glorificabit mansuetos in salute, vel pulchros reddet, aut coronabit in salutem. Omnia eandem habēt cum nostra lectione sententiam. ¶Versu 6. Exultationes dei in gutture eorum. Videtur hoc loco non esse legendum, vt vulgò legitur per u, sed per a, exaltationes, id quod tam ex Hebræo q̄ ex Græco fit manifestū. Nam in Græco est ὑψώσεις, quod citra controuersiam significat exaltationē, nō exultationes. Nomen quoque Hebraicum à verbo descendit, quod est extulit vel excitauit. Quare exaltationes ex Hebræo verti debet. Significantur autē per exaltationes, laudes, quoniā qui laudat, exaltat & qui exaltat verbis, laudat. Vnde Felix vertit exaltationes vel laudes. Vnde est manifestū secundum ententiā parum referre, siue legamus exultationes siue exaltationes, quoniā laudes illę vel exaltationes sanctorum nihil aliud q̄ exultationes sunt. Consimilem annotationem posuimus in psal. 65. cum dicitur, Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea: pro quo vulgo non bene legitur exultaui per u, cum sit exaltaui, vt in annotationibus psalmi illius inuenies declaratum. ¶Versu vltimo, Vt faciant in eis iudicium conscriptum. Chald. paraph. habet, vt faciant in eis iudicium quod scriptum est in lege. Quod videtur literam illam sonare intelligentiam, quæ à nobis vltimo loco in principalibus annotationibus tantum est indicata non approbata.

C

IN PSALMVM CL.

VErsu 1. Laudate dominum in sanctis eius. Hieronymus, Laudate dominum in sancto eius. Nam in Hebraico singularis numerus ponitur. Quod si accipiatur secundum genus masculinum, intelligitur in Christo, qui est sanctus sanctorum, spiritu accepto non ad mensuram, sanctificatus non ad mensuram. Si verò secūdum genus neutrum accipias, intelligi potest in sanctuario, vel in loco sancto suo, id est in cælo. Vel in sancto pro in sanctitate, quomodo vertit Felix, Laudate dominum in sanctitate eius. Simile quid diximus in psalm. 59. vbi dicitur, Deus loquutus est in sancto suo, quod exponi potest, in sancto filio suo, aut propheta, vel in sanctuario suo, vel in sanctitate sua. ¶Versu 3. Laudate eum in sono tubæ. Hieronymus, in clangore buccinæ: item & Felix, vel in pulsatione cornu. In sequenti autem versu, vbi dicitur, In tympano & choro: verti etiam potest ex Hebræo (vt in annotationibus psalmi præcedentis diximus) in tympano & tibia. Pro eo autem quod nos legimus, In cordis, in Hebræo est dictio minimus, qua Felix dicit significari musicum instrumentum nobis incognitum. Significat autem dictio illa Hebraica idem quod genera. Vnde opinantur quidam fuisse aliquod instrumentum in quo plura genera musicorum instrumentorum simul resonabant, quēadmodum nunc in organis nostris plura musicorum instrumentorum genera audiuntur. ¶Versu vl-
D timo. Laudate eum in cymbalis benesonantibus. In Græco est vna dictio ἰυνχοις, id est sonoris, benesonantibus id est, quę sunt boni soni, quod vnica dictione Latinè dicimus sonorum, ita vt longe possit audiri, atque ita vertit Felix, In cymbalis sonoris, adijciens etiam verti posse, in cymbalis auditus, eo quòd tam magnum sonum faciant, vt audientur à longinquo. Vltimam autem clausulam Hieronymus sic vertit, Omne quod spirat, laudet dominum. Felix, Omnis animalis laudet dominum. id est, omne quod animam aut vitam aut esse habet, laudet dominum. Ita enim potentissime, sapientissime, optime Deus, decet laudem tibi dari ab omni creatura quæcunque subsistit, quæcunque à tuo plenissimo essentiæ fonte, tanquam guttula minutissima defluxit. Præ omnibus verò & super omnes, debitores sumus nos rationales creaturæ tuæ, in quibus super creata omnia magnificasti vehementer sanctam misericordiam tuam. Quam etiam supplices oramus ita nostra formare corda, ita nostras animas dirigere, vt in tuo semper beneplacito viuentes, vita, lingua, & animo, secundum laudem perfectam te laudemus, ex hoc nunc & vsque in æterna sæcula. Amen.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca